NOVA VETERIS LEGIS MYSTICO-SACRA GALAXIA SCRIPTVRAE IN COELO,

Angelici Præceptoris Ecclesiæque Doctoris

D. THOMÆ AQVINATIS

Phœbeo signata excursu, cingulo pressa lacteo, gemmeis instrata stellis.

HOC EST.

Luculenta Commentaria in Genesin, Exodum, Leuiticum, Numerum, Deuteronomium. In quibus potissimè, quas vbiuis dispersit altæ Sapientiæ sporades, decuriatim in coactas phalanges candicant & collucent; litteralis, moralis, allegoricus, anagogicus micant sensus; Controuersiarum, Quæstionum coit lumen.

OPVS

Collectum distributum, concinnatum exactum, per Fratrem

INNOCENTIVM PENCINI VENETVM

Sacræ Theologiæ Magistrum, Ordinis Prædicatorum.

Pro DEI in primis Optimi Maximi gloria, & sanctissimi sui Magistri honore. Ad conditi Orbis, legis, rituum, cæremoniarum denarrationem. Ad veriorem diuinorum eloquiorum scrutationem. Ad arcanæ interpretationis reserationem. Ad mysteriorum sanctæ Fidei robur. Ad probæ vitæ institutionem.

STVDIVM


Orthodoxis propugnatoribus, sacris concionatoribus, theorijs diuinis vtilissimum: vt credentibus, pijs, docibilibus, delicio, profectui, solatio; sic infidelibus, improbis, ceruicosis, malleus, flagellum, confusio.

MVNVSCVLVM

Quod vnà cum retecta denuò germana eiusdem Sancti Thomæ Canticorum expositione, pro suæ innocentiæ asylo, speque indubia perennitatis, confugit humili ausu, euolat Dædaleo nisu ad sublimem Verticem, ad Astrigeram Domum Eminentissimi ac Reuerendissimi D.

D. DECII AZZOLINI

S. R. E. TIT. S. HADRIANI CARDINALIS AMPLISSIMI.



VENETIIS, Typis Bartholomæi Tramontini. M.DC.LXX.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

EMINENT.MO ET REVEREND.MO PRINCIPI

DECIO S. R. E.

CARDINALI AZZOLINO.

POſt humillima Sacræ Purpuræ oſcula, talari ab ora ſurgit ad oris vultus que maieſtatem tu , vene abundus oculorum obtutus; quamquam nimio repercuſſus lumine, ſibi mox contuſ ens adigatur ad ſolum. Abſcondita celſi pectoris ornamenta, quæ latè ſpeculum ſerenæ frontis irradiant, Aqu larum depoſcunt aciem, ſatiùſque in priſcis Azzolinæ ſtirpis diuiſa, quam in te vno collecta inſpectanda ſunt. Non potuit non refulgere omnis virtus ijs in Maioribus, qui gentilitium erecturi ſtemma, ſuperas perluſtrarunt imagines; & quidem non ideò tantùm, vt cęlo ipſi coęuum nobiliſſimum ſuum genus attruerent, ſed vt aſtrigera ex Domo, ſplendidiſſima ſtellarum ex curia, ſciretur longè abfuiſſe, longiùſque abſuturas ſcelerum vmbras. Bellè ſex inerrantes ob id ſculpſere, quòd ſit Arithmeticis perfectus ſenarius numerus, ſuoque complexu, earum magnitudinem omnem hauriat. Sic ſe ſe inclyta in FIRMI Vrbe tanquam in Firmamento oſtenderunt ſatos. In trigonam collocarunt figuram, vel quaſi in cuneum, Arietis quoque in ſignum, quod ſex lucidioribus nitet, facti bello clariſſimi; vel quia nedũ chlamyde & armis, ſed toga & faſce, aſſumpto Libræ typo, conſpicui. Propitiũ fauſtũq; aſpectũ eſſe duntaxat trinum atque ſextilem, perpectum eſt: vt fauſta igitur, vt fortunata eſſent omnia, ab vna baſis, in tres poſt binas, debuere faſtigiari Azzolinæ Stellæ: quæ etiam candido viſæ in campo, albo ſignanda lapillo, felicitatis omine cuncta portendunt: & dum iterum procul quaque morum labe, inculpatam produnt familiam, ſingulos primæ claſſis teſtantur ſtellas: quæ cum noſtrate ſtylo exarantur, cæteris atris, papyri albeſcunt candore. At nouis interdum aſtris ornatur æther; & ſeptimontium fuit Romæ feſtum; quòd Vrbi ſeptimus collis additus eſſet. Non abnues inde, ſi paragoge aut epentheſi, cæleſtibus caracteribus ludam, & præaltis inſignijs ſeptimam inuexero ſtellam. Arcturus immo ſeptem collucet, ideoque ſeptentrionis dat nomen Polo. Cardinem autem redoluit iam olim trabeata Progenies, quæ terque quaterque ſummos iactare potuit Cardinales. Decium qui tibi magis præluxit, emunctæ naris Pontifici Xiſto V. nouimus intimum; non ſecus ac ipſe Clementi nono aſtiteris à ſecretis. Hieronymi Azzolini item, ſæculo ante Xiſtum lapſo, Purpuram Orbis totus percoluit: cuius glorioſam factorum recordationem, etſi Saturnus rabido dente minuerit, obliterare nequiuit vel miræ iuriſprudentiæ memoriam; quæ aliarum virtutum radix eximium virum ad eminentem prouexerat dignitatem. Confoederata gelido huic ſeni mors frigida abſtulit in meridie, Epiſcopali pallio inſignitum Azzolinum Laurentium, Vrbano Octauo acceptiſſimum; ne inuida purpuratum videret, quem Azzolina me-

rita, Vrbis acclamatio, Pontificifque animus deftinauerat. Claret hinc autem, purpuram, Plinio tefte, quàm maximè tineis expofitam; dum vetuftate corrofa fenefcit Azzolinorum in fobole. Non ergo tàm fullere ftellæ tuæ Firmi, quâ in Firmamento, fiue in Ecclefia, quæ *firmamentum* dicitur *veritatis*. Sed heu intempeftiuè nimis retraxerunt fplendorem fuum! & vna de caufa Cardinales non fuiffe ftellæ videntur, quoniam arcticæ nobis nunquam difparent. Verùm fcandit in cęlo Caftor, fi Pollux occidit. Itaque in te reuixere illi, tunc immo, cum ad Hifpaniarum occiduum, Apoftolicæ legationis comes, magnos virtutum radios expandifti. Primula ætatis tuæ rofa, fic ibi omnium olfactus miro compleuit odore, vt conchyliatam fore facro Galero indubiè præfagirent. Tunc mereri coepit ftelligerum ftemma tuum, feptimum fydus; & hefperus tibi exoriens fuit lucifer. Cum verò aureo aliquantulum rutilaffet fplendore, ambiuit, (fas fuerit fic loqui) Innocentij columba te fecum collateralem; vt effent (quod dixit Pfaltes) *pennæ* eius, Mercurij tui acumine *deargentatæ, dorfique pofteriora*, ad fulfulciendam Ecclefiam, auro micarent. Verùm euolare debuit & quiefcere; fed viuacem oliuam tibi legauit: Mineruæ nimirum tefferam, ac fapientiæ. Hæc certè in te, *fuper omnem tuarum difpofitionem ftellarum, luci comparata inuenitur prior*. Innotuit id fuperaugufto Conclaui, cum nouo in creando Pontifice, tù primas (quod per omnium volitatora) obtinuifti: & vbi confueuerunt non rarò, pro rerum fumma, rubentia fluctuare Capita, Rubro per te ftrato mari, Ghigijs detectis montibus, fidam prope illos ftationem edocuifti. Inde Alexandro adorato feptimo, potiori certè licuit titulo, feptimam ab illius tuo ftemmati mutuari ftellam: vnde ingentis gloriæ corona, ceu triumphale plauftrum exornares. Quas ob id promerueris laudationes admirabundus prætereo; Te enim iterum arbitrum velut facri Senatus audiuimus, cum prudens fuprà ferpentes, fimplexque ficut columba fignum indicafti clementiæ Clemente in nono, Ecclefiamque veluti in quadro, inftar cæleftis Ierufalem, aureis cæruleifque Domus Rofpiliofæ tetrangulis ftabilifti. Poft hoc etiam exantlatum aufpicatiffimè facinus, ad corregimen euocatus Orbis, potuit Stellarum Aplanes, antiquorum fenfu, tanquam primum mobile haberi; & Quirinalis Parnaffus, vt de redderentur oracula, fuit biuertex. *Virum principatus oftendit*. Fabritium, Lucullũ, Brutum, Catonẽ affediffe à fecretis vifum eft. Tunc fides & pax & honor, pudor, prifcus, & virtus apparuit beata pleno copia cornu. Tunc inuentus eft Papæ verus, in commiffo fidelis, in fermone verax, in confilio prouidus, in iudicio iuftus, pius in affatu; Archon, Suffes, Conful, Dictator Romanæ fedis. Quamquam autem fit virtutis (quod ex Tullio) edax inuidia, feriantque fummos ideo fulgura montes, mutire nec aufus eft Momus, perperamque inftar Philippi Macedonis iacula vibraffet ad ftellas. Nequiffet Apuleij magia Azzolini extinguere fydera; eoquòd extra teli ictum Clementis thronus, tuum eximit quoque nomen; dum Sacra ex pagina, *fecundùm Iudicem populi, fic & miniftri*. Non gemuere pupilli, non doluit pauper, non funt oblocuti populi, non conquefti ciues, proceres non funt lamentati. Quæ quidem, eò magis commendationis merito præftant, quò difficillimis temporum, nedum Pontificiæ ditionis tranquillitati, fed Orbi Chriftiano, fupremo bellorum exitio, fuit infiftendum. Et vtinam quas validiores fuppetias Reipublicæ Sereniffimæ Venetæ pro Orientis tutando Regno *Deus exercituum* prouiderat, confors fecutus effet euentus; ftarent noftri propugnaculum grande, inconcuffa illa moenia; fpefque reuirefceret, altè exaltandam aliquando Arcam, Ecclefiam inquio, *fuper montes Armeniæ*. At ceffit folo æquata Arx inuicta; vis iura omnia calcauit. *Quid eis prodeft, fi vniuerfum mundum lucrentur?* Sed cum capta eft Arca foederis à Philifthijm, *cecidit de fella Heli & mortuus eft*. Sic quamuis innoxius omnino, audito ceffionis nuncio, nufquã deditionis, moeroris magnitudine elanguit, ferfimque ereptus eft de turbinibus tuus Clemens. Qualis & te hinc inde exauctus dolor inuaferit peneq; confecerit; quà, duræ foluendæ Turcarum obfidionis, expectatione fraudatum, quà fuo Clementiffimo Domino iactura irreparabili orbatum, tuæ prodant ftellæ in lachrymofas dolenti femper cataftrophe commutatæ. Non extra rem cecinit ille.

Pleiades incipient humeros releuare paternos
Quæ feptem dici, fex tamen effe folent.

Arridente profectò adfabulatione, vt Patrem Atlantides iuuerint; & Electra inter illas fit ideo obfcurior, quoniam admota oculis manu excidium Troiæ miferè fpectare nequiuerit. Inde amantis iuxta & fidelis correptus indole, quid mirum feruitij viduitatem fpontaneus voueris, fubtractis animo ftatim, tanto oneri humeris? Vt veriùs diceceris Atlas, alter ponderi fummo fuffectus eft Hercules. Nifi hæc tibi feciffet Deus ocia, licèt vt celebratus is Cæfar, præ humanitate facilis effes cunctis adiri, vix mihi datum effet te alloqui; minùs ad Galaxiam fperare meam; quæ tametfi illuftrium virorum Heroumque fit domus; at non nifi emeritis poft egregia patrata, dulcem in quietem, Si *lacteæ nomen habet pandere notabilis*

ipfa,

ipſo, compares ſunt ei ſtellæ tuæ, quæ candicante in areola fixæ ſunt. Sanè cùm prompſerit Iſaias diſertè, *complicabuntur ſicut liber cęli*, accineritque Ioannes, *cęlum receſſit vt liber inuolutus*, non fuerit abſonum cęleſti Galaxiæ circulo Pentateuchum comparaſſe meum. Atqui dum ipſam tuis glorioſis geſtorum itineribus offero, quibus heroinam calcando viam, premis veſtigijs ſplendidiſſima altiori ſemitæ lumina, à pedibus ictu oculi ad captut efferor, tanquam ad Muſarum ſacrarium, Virtutum contubernium, Sapientiæ domicilium; nec ita comptos ebore ac vitro Bibliothecæ parietes, vt mentis excultiſſimæ tuæ locum percupio: in qua nimirum non libri, ſed quod libris pretium facit, locatum eſt. Quæ animum meum impulerint, vt te, inter Purpuratorum tot lumina, Patronum, ac Mecoenatem præoptarem, multa ſunt. Si quidem me ipſum ſpecto, fuere incomparabilis facilitatis tuæ experimenta, qua, illæſo Eminentiæ decore, acceſſum pro ſuo voto cuique præſtas: fuere potentis patrocinij argumenta, quibus iuſtitiam tutari, honeſtum fouere, preſſos leuare ingenito tibi more conſueſcis: fuere ſyncera benignæ propenſionis teſtimonia: vnde fauoribus gratijs, protegendo prouehendo, etiam ſemel notos extraneos, ſtudio humanitatis proſequeris, teque ad eoſdem quacumque oblata occaſione munificentiſſimè geris. Si ad Religionem vertor meam, debui, vt te eius promotorem agnoui, colere ac deprædicare fautorem, dum præter Dominicani habitus laudabilem æſtimationem, piam venerarionem, beneuolam commendationem, ſanguinis tui cùm vniuerſa pietate, affectus domeſticos, operam Inſtituti zelo, dediſti, vt ciuium flore Firmi exornaretur Cœnobium, & clauſtri rigor in magnæ ſpei iuuentute diù floreret. Hinc ſancti Patriarchæ Dominici, quam geſtat fronte ſtellam, tui iuris, vt ita dixerim, cum alijs in ſymbolo glorioſæ Domus feciſti. Si denique librum meum recogito, non eo duntaxat fine ad te defero, vt tuis ab oculis, liceat ei fauſtitatem ominari; ſed ea fidentia, vt Regia manu, Aquilino intuitu, perſpicaci ingenio, excultiſſima mente, omnigena eruditione Sereniſſimæ Maieſtatis CHRISTINAE Suecorum Reginæ, vel vice vna, felici ſorte donetur. *Diuerſos mores diuerſa ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo amicitiam ſoluit*, dictum fuit Senecæ. Quare cum, inuidente Orbe, hæc Reginæ ad te; & tui viciſſim ad ipſam amicabile tantopere vigeat obſequium, facile diuinari eſt, vnde interturbata perennent. *Vera*, aiebat Hieronymus, *neceſſitudo eſt, & Chriſti glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non ſubdola & palpans adulatio, ſed Dei timor, & diuinarum litterarum ſtudia conciliant*. Non es veruntamen ſtirpis tuæ primus, Capitibus coronatis charior. Sufficiat magnum illum Trolum Azzolinum recolere, Federici Regis inter cætera Palatinum & conſiliarium. *Qui diligit cordis munditiam habebit amicum Regem*; certè non Regem immundum. Quali reniteat munditia regium Chriſtinæ pectus, de ſurſum claret; Petro edicente in Actis, *fide purificans corda*. In ea, ſubterraneis ab antris, ſpecubus è cimmerijs lux eſt orta: hyperboreum dedere olorem nigriores corui: Athenæam apem, viperinus parturijt venter: candidam progenuere Aquilæ feræ columbam. *Quæ cum non inueniſſet vbi pes eius requieſceret, ad Arcam* ſanctæ Eccleſiæ *reuerſa eſt; deferens virentis ramum oliuæ*, quia Palladis eſt olea inſigne, & inungi ſolent Reges in ſignum clementiæ. Iuuet hic apologum reminiſci ſacrum, *cum ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe Regem, dixeruntque Oliuæ, impera nobis*; & illa generoſo repudio ſe Regno abdicauit. Paternas itaque lauros, vna cum corona cum ſceptro, facta Reginæ Empyrei mancipium, Lauretana poſuit in AEde, feliciùs in cęlo regnatura. Tu Eminentiſſime Princeps, qui aſcita ſtemmati, gratitudinis ergo, Pamphilia columba is glorius, fulgeſque ſtellis, obtine (quod enixiùs efflagito) vt ſtellatam Galaxiam haud dedignetur mentis volatu, Auguſta, mirè alba auis, adire. Quod ſi felicior ſors dederit; id vnū mihi ſupererit exoptandum, vt Pneumatis almi columba, purpurei ſacri Collegij deſcendens ad aures, te illius in ſolio, qui & dictus eſt *Bar-iona*, aliquando collocet: quo, Chriſti ad nutum, Chriſtinæ advotum, Vrbis Orbiſque exultatione, detur id canere; *Imperium terris, nomen nam terminat aſtris*.

PIO, AC INTELLIGENTI
LECTORI MEO.

PIum in primis, propenſiori deuotionis affectu, exigunt Scripturarum eloquia lectorem; neque enim, vt ſapiant, ſunt ſacri codices humano ſtudio aut curioſitate perperam euoluendi. *Audi ſanctè dicta*, (2. capite cœleſtis Hierarchiæ aiebat Dionyſius) *diuinus, diuinorum in doctrina, factus*. Ex quo, iuxta Apoſtolum Titi 1. animi cordiſque dilectione, *amplectens* fias *eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem*. Qui ab his alienus acceſſerit, faſtidio correptus & nauſea, tanquam ab inſulſis ab iniucundis abibit: nimirum quia *palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis, & oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis*. Eccleſiaſt. 22. *cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam*; itemque Prouerb. 18. *non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius*. Vbi ait Dominus Matthæi 7. *neque mittatis margaritas ante porcos*; exponit præcedenti capite Angelicus, quoad ſpirituales ſenſus, non tradendos malis fidelibus: *Animalis*, certè, *homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*: 1. Cor. 2. At de animalibus immundis pios effici cultores, non fuerit difficile, ſi ſacræ paginæ Authographum, Deum ipſum agnouerint: *non enim voluntate humana* (2. Petri 1.) *allata eſt aliquando Prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirante, locuti ſunt ſancti Dei homines*. Aureo itaque ſtylo, digito Dei, apices etiam in his ſignati ſunt: quatenùs, *multifariam multiſque modis* (Hebræor. 1.) *locutus eſt Deus Patribus in Prophetis*; vnde qui erga Deum, cultus obſequia non reſpuit, nequit in Sacram Scripturam, quippe quæ ad Deum pertinet (2.2. 121. 1.) non eſſe officioſus. Priſcis Iudæis (quod ferunt) tanta in veneratione Libri ſancti fuere, vt nullo modo prope ipſos ſederent; ſed ne fortè irreuerenter ad eos ſe haberent, in alto locarent: & ſi caſu aliquo laberentur in terram, ieiunium vniuerſale pro incuria indicerent. Ad hæc (de arbore ſcientiæ boni & mali) Auguſtinus; *ſacram*, inquit, *Imperatoris, omnes ſuſcipiunt cum tremore & veneratione, & adorant viliſſimam chartulam atramento ſcriptam, atque velut diuinos, adorant apices: Scripturæ diuinę leguntur, verba Dei tonant, ipſe Dominus admonendo præſens præſentibus loquitur, & non auditur, aut faſtidioſè homines audiunt, aut quod peius eſt, ſedentes fabulis vacant. Imperator longè poſitus de chartula loquitur, & tremitur, & quaſi præſens in illa charta adoratur: Teſtamentum dominicum recitatur ab aliquibus hominibus & contemnitur; ipſum Prophetæ clamant, Apoſtoli prædicant, Euangelia loquuntur, & non auditur*. Huius ſanè aliud nihil eſt in cauſa, niſi piæ deuotionis abſentia, quæ in Patrem excellenter noſtrum, in Patrem luminum, erat filiali affectu excolenda. At dum minùs pios amandamus, fortiùs impios proſcribimus, & hinc arcemus. *Procul eſte profani*. *Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis aceſcit*. Impij (pſalm. 1. *non reſurgent hi in iudicio*) infideles ſunt: gentiles Iudæi hæretici, quorum quidem infidelitas (2.2.q. 10. 6.) peſſima eſt: & hi omnes execrabiliter adeo à pietate exciderunt, vt viperarum in morem, Sanctam Matrem Eccleſiam ſtuduerint necare. Veruntamen fruſtra exacuerunt in eam dentes, quia immo contriti ſunt, *alliſi ad Petram* (pſ. 136.) dum ſuper Petram ædificata eſt Eccleſia, (Matth. 16.) quæ itidem ex Apoſtolo (1. Timot. 3.) *columna & firmamentum eſt veritatis*. *Magna eſt veritas & prævalet*, Eſdræ 3. c. 4. Ipſa lydius eſt lapis, qui veras à falſis, genuinas à ſpurijs, apocriphas à legitimis Scripturis diſcernit. Hinc in Epiſtolam Manichæi Auguſtinus c. 5. palam ſe nec Euangelio crediturum teſtatus eſt, niſi illum Eccleſiæ moueret Authoritas: eoquòd, vt docet lib. 13. contra Fauſtum c. 4. & 5. & lib 28. c. 2. & 4. Scripturam diuinam eſſe, per ſuccedentium ſibi inuicem Eccleſiarum, ac ſanctorum Patrum demõſtramus teſtimonia: ideoque, in Sermone 129. de tempore, anathema dicit ei, qui præter eas, quas catholica receperit Eccleſia, Scripturas aliquas, vel authenticas habendas eſſe crediderit, vel vt authenticas veneratus fuerit. Quod & 1. Concilio Tolet. c. 21. decretum eſt. Anathema ergo Sadducæis Prophetas abnegantibus; Manichæis Teſtamentum vetus reſpuentibus; anathema Apelli, contradictione reſcindi eas blaſphemanti; anathema, cum eiuſdem farinæ cunctis, Luthero impio, Moyſen cum ſua lege ſpernenti. Hi *quæcumque ignorant* (Iudas in ſua Epiſtola) *blaſphemant*. Cæterum, *quid mihi* (1. Corinth. 5.) *de ijs qui foris ſunt iudicare? eos qui foris ſunt Deus iudicabit*. Interim damnat

istos Dominus dicens (Ioann. 5.) *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi*: & iterum (Lucæ 16) *habent Moysen & Prophetas, audiant illos*; rursumque (c. 24.) *necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me*. Contestatur etiam Sapientia: (Prouerb. 8.) *iusti sunt omnes sermones mei; non est in eis prauum quid, neque peruersum. Veritatem meditabitur guttur meum: labia mea detestabuntur impium*. Hinc meritò Augustinus: (lib. 3. de doctrina Christiana c. 10.) *nihil hæc scientia præcipit nisi charitatem: nihil culpat nisi cupiditatem. Quicquid ergo ad hoc pertinet, proprium eius est; quicquid autem ad hoc non pertinet, fictum esse cognoscat*. Cohæret his quod docet Angelicus 2. 2. q. 56. 13. doctrinam scilicet veteris testamenti ordinari ad præcepta decalogi, vt ad finem: (1. Timot. 1. *finis præcepti est charitas*.) Item Danielis Proœmio, vbi ait, *finis totius Sacræ Scripturæ est totale & completum hominis bonum*: & iterum in Proœmio Canticorum, *finis totius doctrinæ sacræ est Dei dilectio*. Sed heu cum Bernardo: *lingua amoris non amanti barbara est*. Ecclesiastici 2. *qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius*, & c. 32. *qui quærit legem replebitur ab ea: & qui insidiosè agit scandalizabitur in ea*. *Ecce*, inquit Augustinus, *ipsi Pharisæi legebant, Christum sonabant, venturum sperabant, & præsentem non agnoscebant*. Sadducæis autem ipse ait Dominus, Matth. 22. *erratis nescientes scripturas*. Idcirco adiecit c. 23. *auferetur a vobis Regnum Dei*, nimirum vt exponunt, *intellectus sacræ Scripturæ*: quoniam prædixerat Isaias c. 7. secundum aliam literam; *nisi credideritis non intelligetis*. *Omnis qui fallitur*, (Augustinus lib. 8. 3. quæst.) *id in quo fallitur non intelligit*. Intelligentem meritò velim lectorem. Et iterum Prou. 8. *recti sunt sermones mei intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam*. Sanè legimus Iob 32. *inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*; & Sapientiæ 9. *sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?* Sed *qui confidunt in illo* (Sapientiæ 3.) *intelligent veritatem*. *Aperuit illis* (Lucæ 24.) *sensum, vt intelligerent scripturas*. Quod firmans Augustinus dixit: *eodem spiritu quo sunt editæ, scripturas expositas*: Eccles. 24. *adhuc doctrinam, quasi prophetiam effundam*: iuxta quod Petrus secundæ cap. 1. docuit, *omnis prophetia scripturæ, propria interpretatione non fit*; vnde Scripturæ Interpretatio, primæ Corinth. 12. inter Spiritus Sancti dona connumeratur. Meritò igitur nedum lectori meo in fronte Epistolæ, sed & mihi optaui intelligentiam: semper memorans illud Philippi Act. 8. ad Eunuchum: *putasne intelligis quæ legis?* prudensque responsum; *& quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?* Hinc, Augustinus: (lib. 1. de moribus Ecclesiæ catholicæ) *quis mediocriter sanus non facilè intelligat, scripturarum expositionem, ab ijs petendam esse, qui earum Doctores se esse profitentur?* Quamuis autem erudito cuique liceat sacram Scripturam exponere, (id quod non improbat in Prologo ad Hannibaldum quæst. 2. 2. 4.) non tamen proprio ex capite sciola libidine; sed prout in Tridentino sessione 4. Decreto 2. sancitum est. ibi enim ad coercenda *petulantia ingenia* decernit, *vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia; cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum: aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat*. Quod quidem præmonuerat Augustinus (Epist. 59. ad Quæst. Paul.) dicens; *in Scripturis sanctis interpretandis, etsi multa dici possent, quæ improbanda non sunt: tamen in his, eligendum quod omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia* & alibi; *nemo tam eruditus tam doctus, qui superna illustratione non indigeat*: vti & Gregorius; *nisi intus sit qui doceat, in vanum lingua Doctoris laborat*. De quo eadem Sacra Scriptura nos erudit Deuteronomij 19. *non transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores*: & Prouerb. 22. *ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*. Iuuat itaque Ducem aliquem habere ac Magistrum, immo Duces & Præceptores, quos tanquam Antesignanos probat præfertque Ecclesia. Sane de Nazianzeno & Basilio scripsit Ruff. lib. 2. c. 9. quomodo, cum adolescentes essent, & sacris studijs operam dare cœpissent, earum intelligentiam, non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis, & authoritate hauriebant. D. Bernardus Epist. ad Hug. 77. de Hieronymo & Augustino loquens aiebat; *ab his columnis difficilè auellor*. Et meritò; quoniam si, (ex eodem Augustino ad Honorat. c. 7. & 17.) *vnaquaque disciplina quamquam vilis & facilis, vt percipi possit, Doctorem aut Magistrum requirit, quis ausit in sanctos libros irruere, & de ipsis sine præceptore ferre sententiam?* Quod si cunctis ad incedendum, ac proficiendum in sacris litteris, eiusmodi præscribitur semita, mihi certè præ alijs minimo expediens fuit, vt meminerim virium mearum: præsertim cum accessurus essem ad libros Moysi, de quibus aiebat Cyrillus in Euangel. Ioan. c. 3. *pleni sunt libri Mosaici figurarum, quæ ita latent, vt sine magno labore & studio interpretari rectè non possint*: rursumque in Apologia; *est enim vehementer profunda illius* (Moysi) *doctrina, etiam illis, qui potissimùm mente valent, & diuinas scripturas exquisitè versant, ægrè tanquam in ænigmate, & veluti in speculo cognoscibilis*. Pædagogum igitur quærens ceu puer nesciens loqui, vnum pro mille mihi præinueni & prælegi lacteum Angelicum D. Thomam, ratus in eo Hieronymum Ambrosium, Augustinum Gregorium, cæteros omnes eximios sacros Doctores me comparasse; à quibus (quod dicitur) nusquam *vel latum vnguem* discedit. Consilium autem meum quantùm cordatum fuerit & prudens, laudes, encomia plausus summorum Pontificum, illibatæ eius Doctrinæ donata manifestant. In tanta præconiorum congerie, quibus ei acclamarunt, sufficiat Innocentij sexti sanctionem recolere, vbi inquit; *huius Doctoris doctrina, præ cæteris, excepta Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum; ita vt, nunquam qui eam tenuit, inueniatur à veritatis tramite deuiasse: & qui eam impugnauerit, semper fuerit de veritate suspectus*. Laudatio certè cedro adamante prædigna; qua nulla queat esse maior: nisi quòd altiùs intonuit de Cruce Dominus; *benè scripsisti de me Thoma*; verba cognata ijs, quæ prompsit pro Moyse, dicens Ioannis 5. *de me ille scripsit*; addito, ne auderet quis refragari, de cathedra illa fidei, canone, *Benè*. Obmutescat, cum ijs, qui Apocalypsis 16. *commanducauerunt linguas suas præ dolore*, efferata Lutheri rabies, quem non puduit de tanto viro maledicacissimè obloqui, & *aperire* Apoca-

lypf.

lypf. 13. fœtidiſſimum *os in blaſphemias*: quaſi flatus fumuſque teterrimus abyſſi, poſſet præaltum ſolis iubar toti Orbi clariſſimum obſcurare. *Quid ad me* (iſthæc reſonuit bellua cornicia) *Thomas Aquinas? qui aliàs multa habet impia, abſurda, verboque Dei planè contraria. Thomas eſt veræ fidei corruptor, & Scripturarum dilacerator, diuinique verbi peruerſus interpres: veræque adulterator Theologiæ; hæreſum atque falſitatum plurimarum inuentor*. Rurſus etiam; *Thomas præcipuè ſine Patribus, ſine canonibus, ſine Scripturis, ſine rationibus plerumque loquitur*. Virulentus aper, vel vino madens, vel mania furens, vel cacodæmone arreptus abſona effutijt: agnoſcenſque coactua, poriſſimùm ſacri huius Apollinis ſe iaculis confodi, ſpiculis tranſuerberari, damnatorum euomit voces, & tanquam infenſiſſimum hoſtem ſuæ pſeudoſcholæ, inuerecundè contumelijs laceſſit, nuncupans amarore diabolico, *aſinum mulum*; non ſecus ac Satanas felleus almum Benedicti nomen inuerteret inclamans eum *maledictum*. Videat de infernali barathro excucullatus apoſtata, pro ſui æterni ſupplicij maiori augmento, num Scripturarum ſit inops aut deprauator. Vix, ac ne vix quidem eſt locus in lege, in agiographis, in Prophetis, quem non pia mente luſtrauerit, quemque inconcuſſæ ſapientiæ radijs non illuſtrauerit; modò litterali cum Hieronymo; modò tropologica cum Gregorio; nunc allegorica cum Ambroſio, nunc anagogica cum Auguſtino expoſitione. Hæc præ alijs fuit ratio aſſumpti laboris mei. Hac illac deuotus diſcipulus Angelici præceptoria excurrens opera, omnigenam, in primiſque ſacram non potui non mirari eruditionem; vbique etenim reperi, ceu validius dictorum robur, auctoritates Scripturæ: neque tot rutilat Cœlum ſtellis, quot cœlici ipſius libri ſcripturalibus coruſcant luminibus. Ex quo peramanter in dies illectus diſperſas commiſerans gemmas, non ſemel optaui, tanquam pretioſos lapillos ſedulo priùs conquirere, repertos deinde ſua referre ad loca; denique concinnè ſubnectere; quod in marginibus continuè intueri licet. Synopſin ergo condere fuit in votis; accitis vndequaque doctrinis rei opportunis, ſyntomia tamen quadam, methodo, non ſyllogizatione longiori, non ſcholari exercitatione, ſed ſcholijs (eoquòd ars longa) expediri. Ad illud Cant. 4. *fauus diſtillans labia tua*: D. Thomas Epheſior. 3. Lect. 1. *labium, breue quid eſt: & ſic labia Doctoris ſunt fauus diſtillans, quando breuibus & paucis verbis multa & magna inſinuat. Debet* ex Auguſtino *intendere Doctor, vt intelligatur: quandiu ad hoc laborat, verba ſua non ſunt ſuperflua; ſed ſi poſtquam intelligitur, eis immoratur, ſuperflua ſunt eius verba.* Aiebat Boetius de ſcholarium diſciplina c. 6. *nec angariare lectorem ſermonis breuitate curamus, nec dilatatione confundere*. Quàm libens, quàm feſtiuus, quàm lætus in amœnam falcem miſerim meſſem, quaque animi fruitione cœperim id executioni mandare, Deus ſcit. Excreuit quotidie voluptas, eoquòd in Sanctiſſimum Doctorem impensè affectus, dum crebræ illius lectioni addictus eram, in amorem rapiebar, in deuotionem, in cultum, in prææſtimationem ſemper maiorem: non immeritò quidem; at abſque merito, vtpote qui ad hæc neceſſitate pertractus, liberam electionem neſciebam. Nequit demereri de cœlo, qui cœlum impermiſtum deprædicat, demereri nequit de ſole, qui lucidiſſimum perhibet. Doctrinæ eius puritas, nullo vnquam verborum circuitu redundans, eorumdem proprietatis perpetuò tenax, rerum penetralia pertingens, ſolidiſſimo inceſſu gradiens, ſacris cuncta auctoritatibus muniens, cogit quæ id percipiunt ingenia, in præconia in admirationem, corda in prædilectionem, ora in ſcriptorum oſcula effundi. Exinde quemadmodum tantum Doctorem delegeram, iuuit vnum vnicum ferme doctorem mihi proſpicere; haud immemor Senecæ Epiſt. 43. dicentis; *qui quò deſtinauerit vult peruenire, vnam viam ſequatur: nihil ita ſanitatem impedit, ſicut remediorum crebra mutatio: non conualeſcit planta, quæ ſæpe transfertur*. Et iterum: *vide ne lectio Authorum & omnis generis voluminum habeat aliquid vacuum & inſtabile*. Sanctos Patres tamen alios, vbi opus eſſet, neutiquam neglexi conſulere: talentum etiam (ſi vel minimum dedit mihi Dominus) non fodi ſub ocio, monente D. Gregorio homilia 9. in Euang. *habens intellectum, curet omnino ne taceat*. (quamquam ex Auguſtino lib. 1. contra Fauſtum, *nihil ſit acutum ingenium & lingua expolita, niſi a Domino greſſus hominis dirigantur*) vnde & quandoque Magiſterij vſus ſum facultate, expoſitionem congruam venatus, vbi iuxta D. Bernardi documenta luis arrideret verbis Scriptura, & vbi aliàs fidei morumque doctrina, è textibus viſa myſticè emergere, fuerat in Eccleſia præcantata. Quicquid veruntamen aliorum ex penu, aut meo mentis ſcriniolo huc adnexi, totum Diuo Thomæ adſcripſerim, quia nunquam ab eo diſcors, ſemper concors. Adſciui non raró aliò ſpectantem Angelici præceptoris doctrinam, Scripturæ pro enucleatione; quandoque ad verbum deſcriptam, quandoque complexu, & additamento relatam: quod quia frequentiſſimè occurrit, nolui curſiuis characteribus imprimi; ſed communibus, cùm aliunde ſatis ſuppeteret diſcerni, quæ mea eſſent minuta æra, quæ ipſius aurea numiſmata Domini gazophylacium ditatura. Quamquam, ſi quid eſt meum, meum non eſt; quoniam quod fluit exiguo riuulo, fontis eſt. Quid Magiſtri, quid diſcipuli agnoſcet peritus. Stylus quippe Magiſtri aureus, plumbeus diſcipuli; plenus ille, iſte vacuus; acutus eſt ipſius, obtuſus meus; ſuccoſus ille, ego aridus; ſcitus ſermo eius, meus rudis: ſiculus meus, eius atticus; denique breuis, grata, celſa, clara, firma Magiſtri facundia; diſcipuli verboſa, dura, humilis, obſcura, nutans loquentia; niſi quatenùs qualecumque imitamentum, veſtigij ſimilitudine, minimum referre poteſt meus calamus. At recole mi candide lector ex Auguſtino de doctrina Chriſtiana lib. 4. c. 11. *bonorum ingeniorum inſignem eſſe indolem; in verbis, verum amare non verba; neque aurum minùs pretioſum, quoniam de terra tollatur; neque minùs ſapere vinum quòd vili ex ligno naſcatur*. Medullam cures non corticem; non literam, ſpiritum. Ipſe certè ſpiritualem præcipuè inhians rimari ſenſum, vix ad hiſtoriam deflexi, edoctus in Prooemio Machabæorum, *hiſtoriales etiam ſacræ Scripturæ libros, plenos eſſe diuinis myſterijs*. Eſt hæc, liber ille Ezechielis 2. *ſcriptus intus & foris: intus* (Apocalypſ. 5.) *per intellectum ſpiritualem, foris per intellectum literalem. In qualibet enim parte ſacræ diuinæ* (Canticorum 7. ibi *duo vbera tua*) *hi duo ſenſus aliqualiter aſſignari poſſunt*. Hinc Gregorius (quodlib. 7. a. 16.) *ſacra Scriptura omnes ſcientias, atque doctrinas ipſo etiam lo-*

rutionis suæ more transcendit; quia vno eodemque sermone, dum notat gestum, prodit mysterium. Vbi Isaiæ 5. legimus, *deserta Iudæ, versa in vbertatem*, exponitur de sacris Scripturis, versis in vbertatem intelligentiæ mysticæ ac spiritualis. *In ijs itaque* (Quodlib. 3. a. 3.) *quæ in veteri Testamento dicuntur, primò obseruanda est veritas literalis; sed quia vetus Testamentum est figura noui, plerumque in veteri, sic aliqua proponuntur, vt ipse modus loquendi aliquid figuratè designet.* Propterea aiebat Hieronymus ad Eustochium virginem: *historia, vt veritatis fundamentum amanda; magis tamen quærenda spiritualis intelligentia*; & alibi; *nec putemus in verbis Scripturarum fore Euangelium, sed in sensu; nec in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Cum enim possumus* (Augustinus Serm. 14. de verbis Domini) *de diuinis operibus, quæ leguntur, intellectum alicuius mysticæ significationis exsculpere, quasi de abstrusis fauorum cellis, mella decerpimus; vel Christi discipulos imitantes, spicas manibus confricamus, vt ad latentia grana perueniamus*: & Serm. 81. de tempore; *quoties lectiones vobis fratres carissimi de testamento veteri recitantur, non hoc solùm debetis attendere, quod sonat in verbo, sed quod intelligitur & sapit in spiritu.* Ex quo, de Genesi ad literam lib. 5. c. 8. non omnia scripta esse considerans, *ea tantùm commemorata*, inquit *esse, quæ non solùm ad rerum factarum notitiam, sed etiam ad futurarum præfigurationem valerent.* Cæterùm (Ecclesiastes 7.) *alta profunditas, quis inueniet eam? dixi sapiens efficiar, & ipsa longiùs discessit à me, multo magis quàm erat.* Ecclesiastici 18. *cum consummauerit homo tunc incipiet.* Nihilominus aiebat Hylarius (in lib. de Trinit. & fertur psal. 9.) *qui piè infinita prosequitur, etsi nunquam perueniet, proficiet tamen prodeundo*: quam ad rem subdit Augustinus (fertur Quodlib. 4. a. 23.) *tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem*: & Damascenus 4. lib. c. 10. *& qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur: pulsemus igitur in optimam Paradisum scripturarum, quæ odorifera, dulcissima, speciosissima.* Addo attamen ex Cyrillo (in præfatione thesauri sui:) *pulchritudo diuinæ veritatis sic latet, vt solis integro animo, & syncerè inquirentibus pateat*; atque etiam ex Cassiano; (lib. 5. de institutione Cœnob. c. 34.) *si cor vel vitijs diffluat, vel secularibus curis nubilum, vel carnis implicatum fuerit sordibus: quid quæso mirum est, si quæ sunt spiritus non intelligat homo carnalis?* Adnectoque Isaiam: (c. 28.) *quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus*; quò facere videtur illud (Prou. 1.) *si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* Diuinarum scripturarum lac, cum lacte non coit terreno; huius vbera lamiarum sunt, Scripturæ, de cœlo plena, nectareo exundantia libamine, quo viuunt, nutriuntur, pinguescunt fideles; Apostolus 1. Cor. 3. *lac vobis potum dedi, non escam*; & Hebræor. 6. *quibus lacte opus est, non solido cibo. Mel quippe & lac sub lingua eius.* Quamquam prouectioribus etiam alta hæc sapientia, tanquam lac propinanda est, dicentibus Ioanne, (in prima c. 2.) *scribo vobis infantes*, idest *humiles spiritu*, secundum glossam; Salomone, (Prou. 3.) *cum simplicibus sermocinatio eius*: Domino, (Matthæi 11.) *reuelasti ea paruulis*; idest ex Chrysostomo, *simplicibus*; Moyse tandem contestante, (Deuteronomij 33.) *& qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina ipsius*; atque monente Apostolo Roman. 16. *non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Quid mirum, dum hæc adultus etiam cœpi primis labris sugere ac delibare, si in mentem propterea obuenerit à lacte efformare titulum, & *Galaxiam* inscribere laborem meum? ex quo lectoribus id edicerem (Isaiæ 66.) *ad vbera portabimini; & inundationem maris* (Deuteronomij 33.) *quasi lac sugent*; quia resonat *Thomæ* nomen *abyssum*; abyssus autem profunditatem aquarum. *Duc in altum*, dictum est Petro; *hoc est in profundum disputationum. Galaxia* quippe lactea via est in cœlo, stellulis coagmentata pellucidis suo candore. Quoniam itaque Thomistico è fonte scatet hinc illinc doctrinæ dulcissimum nitidissimum purissimum lac, seu potius, quia passim seminat spargitque sapientiæ lumina, ceu sol Ecclesiæ refulgens: aliasque cœlum Scriptura ipsa appellatur; Apocalypsis 4. *ostium apertum in cœlo*; arrisit, his collectis in vnum, librum *nouam Galaxiam* nuncupare. Duo nomenclaturam coarctant; & primò quidem quòd ipse tametsi Commentator sim infans, non ab infantia (1. Timot. 3.) lac suxi, non *ab infantia sacras litteras* noui; immò proh dolor! nec ab adolescentia vixque à viro. Primam nimirum ætatem, post aliquod humaniorum litterarum tyrocinium, in Theoricis & Scholæ, & Cathedræ, blaterando saltem insumpsi: transactis quinque vitæ lustris, sedecim (longis nimium) annis, Patauina in Vniuersitate, Metaphysicæ studium sum professus; (Ecclesiastes 1.) *hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum; mundum tradidit* (cap. 3.) *disputationi*, &c. En vbi defloruit iuuenta. *Fuerunt etiam Philosophi* (ait Augustinus Tract. 45. in Ioan.) *de virtutibus & vitijs subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinantes, acutissimè concludentes, libros implentes.* Etsi autem quæcumque fiunt, fieri in Dei gloriam possint & debeant; (1. Cor. 10.) *omnia in Dei gloriam facite*: negabit nemo, æquè ac Scripturarum studium nihil in Deum reducere mentem, & cor firmare. Cathedris ergo vale dicto & exedris, me ad Templa ad suggesta sacra conuertens, eum ad finem, litterarum sacrarum studijs, scilicet pro animarum lucro (ad quod assiduè sanctus Patriarcha Dominicus hortabatur) me totum donaui. *Sed serò ille sapit, deflet qui tempora lapsa.* Calamo subinde in cella, lingua in Ecclesia pro modulo meo vti cœpi: at munus præpediuit munus, neque scribere licuit simul & concionari. Et ecce cur *Galaxiæ* potius sectionem, quàm *Galaxiam* integro circo, cœptum meum posset quis dicere. Fuit planè à prima die in animo, totum Scripturæ cœlum Zona hac præcingere; sed operi dum vires admoui, impares sum expertus, eoquòd expostceret annorum plurium impendium; & iam quinquagenarium, *me tempus*, (quod ait Paulus Hebr. 11.) *deficeret*. Consului itaque mihi, ne ædificare incipiens, nequirem perficere; & legem aggressus veterem, huic insudare decreui; deinde, vita comite, nouæ; hoc est Euangelijs, me totum mancipare; complexu nobili *proferens de thesauro meo noua & vetera. Comedetis vetustissima veterum, & vetera, nouis superuenientibus, proijcietis* (Leuit. 26.) ad rem exponitur. Certè, cum glossa, *meliora sunt fercula mentis, quàm dapes corporis.* Vtriusque mensæ lautities, cor illecat; atqui quoniam, *qui edunt*, inquit, *me adhuc esurient*; antiquata fercula tantam nouorum prouocarunt orexim,

vt ſtans veluti & cum feſtinatione, legalem, exempli gratia, guſtauerim agnum, aſſidere conuiuia præcupiens dicenti, *ecce prandium meum paraui: facientique nuptias filio ſuo, & cœnam magnam*. Quamuis igitur Moyſi menſam edulia inſtruant, immò onerent varia; atque ad reficiendas animas, allata ſint pro obſonijs exempla, mores myſteria, miracula; attamen hordeaceus eſt panis, nec debuerunt eſculenta condiri populo rudi, Ægyptios pepones cæpas allia appetenti; *fiat menſa eorum* prædixit ideo Pſaltes (de quo & Roman. 11.) *coram ipſis in laqueum*: Euangelij conuiuium regio ſplendens apparatu, *pro Pontificia*, quod aiunt, inſtitutum *cœna*, profuſiſſimo redemptionis ſumptu, exoticas offert epulas, frumenti adipe, manna abſcondito, pretioſa etiam margarita replet ac ſatiat. Iſthæc præſentiens cupedia, veteris legis annonam, vix primoribus deguſtare labris, vix gelaſino terere potui dente. Raptim ergo plura attigi, quæſtiones, controuerſias, theologica, excurri; ne ſi cuncta acu pingerem, calcar obtuſum fieret ad reliqua. Vt quid diu in obſcuris morari, dum dies, quod ait Apoſtolus, appropinquauit? Quid imagini hærere, quando res adeſt? Quid nimirum inſiſtere figuris, poſtquam figurata prodiere? Acum filumq; legi nouæ adſeruaui: vtpote quia Euangelia, diſſuta primo aſpectu videntur, non ordine tradi nobis exacto: nec apparet vnde omiſerint quandoque aut reſcripſerint quæ geſta ſunt. Quanti autem ſit res momenti, diſparatos vnire textus, ſcopum Euangeliſtarum quærere, ſyntaxim, ſiue ſyntagma in vnoquoque rimari ac deprehendere, penſet qui id percipit. Ex hoc planè adhuc non reperto non agnito compactionis Euangelicæ ordine, fiet illucente Domino palam, quam metam quem finem ſingillarim Matthæus Marcus, Lucas Ioannes ſibi ſtyloque Euangelico præſcripſerint ac præſtituerint; item cur hæc aut illa vna ſimul quatuor, tres, duo, vnus ex eis denarrauerint: puta Canæ Galileæ nuptias Ioannes ſolus: ſciſſumque Templi velum, alij non ipſe; Lucas ſudorem ſanguineum in Horto; cæteri minimè. Arduum opus, alta præſumptio, niſi Deo fidat, apud quem *non eſt impoſſibile omne verbum*. Sufficiat hæc adumbraſſe; & rudi ex meditationis meæ typo, liceat ad typographum iſtius voluminis, excuſatione aliqua declinare. Secundo mens grauida fœtu, nequiuit primum polire, eique blandiri; cum tamen ſub calcographica gemens obſtetricem deſideret indiuiſam. Scis docte perdocte lector, quid velim: veniam ſi mendis ſcatet, ſi erroribus. Redeunt è prelo interdum ſic deformata Authorum ſcripta vt genuina proles vix agnoſcantur. E prælio itaque potius remeare dixeris, dum à capite ad talos inflictis vulneribus, cæſa, ſaucia, hiulca, mutila, perdito ſenſu, faciei amittunt decorem. Mitto næuos minores & maculas, quas inuehunt puncta, commata, ſemicola, cola, aut perperam impreſſa, aut incuria neglecta. Mitto diphthongorum æquiuoca, literarum inuerſiones, accentuum obliuionem, tranſpoſitionem, variationem, acuti in grauem, circumflexi in ſimplicē: diæreſeos in ſyneresim & è contrà, neſcio. Quæ cuncta etſi vitare ac emendare ſtuduerit, nequiuit recognitoris peritiſſimi ſacræ Theologiæ Baccalaurei Patris fratris Ioannis Benedicti Perazzo Veneti accurata ſolertia: bis enim etiam notata ſic ignaros literarum concinnatores fugiunt, (dormitantes librarios dicit Hieronymus) vt denuo emergant, vel alibi offendant. Vbi oculus innuit, cœca eſt manus: vbi verò peccat manus, non videt oculus. Tu librum habens præ manibus, texturam ſub oculis, ſi rimulas, & apices notes, indulge clemens; & ſi adulterata ſint verba, illud cum Domino recole; *qui ſine peccato eſt mittat in eam lapidem*. Non it ſine ſpinis roſa, & lolia triticeæ ſe immiſcent meſſi, ſatore inuito. *Attende lectioni* (1. Timot. 4.) *& doctrinæ*; neque catellus ſub menſa latrans quærites micas; dum gemmas inuenias, ne cures eſſe conſperſas, obrutas etiam arena: dimiſſo denique orthographiæ ſeueriori ſtudio, ad amœniora orthodoxæ ſapientiæ te transfer totum. *Rogo te* (Hieronymus ad Ruſticum) *chariſſime. inter hæc viuere, iſta meditari; nihil aliud noſſe, nihil aliud quærere*. Fugit, quæ fugiunt aciem, minutula, oculus ſelendi auidus: nec decet remorari offendiculis velocem curſorem. Properantem currentem cupio lectorem meum, eorum inſtar diſcipulorum, qui (Ioann. 20.) *currebant ſimul*: neque enim incongruè huc aduoco, tanquam ad Chriſti Ieſu ſepulcrum, quando myſticis ſub miraculis, atque ſub legis cæremonijs, & ænigmatibus, latuit cou in monumento Diuinitas & humanitas. Te velim igitur Simonem Petrum, qui primus introeat, *Simonem, ad obediendum* (Roman. 1.) *fidei*; *Petrum* ſubinde, (interpretatur agnoſcens) *quia* vt ſuprà *niſi credideritis* (Iſalæ 27.) *non intelligetis*. Te velim etiam Ioannem: hoc eſt Aquilini obtutus, ad ſuſpiciendum ad contemplandum Thomiſticum cantatiſſimum Solis iubar. Radios quos vndique eiibrat cernis hiſce in pagellis à dextris, cernis à ſiniſtris: coeuntes mirari licet, quia ſemper concors, vna, clara eſt doctrina. Itaque ex tot allegationum compage ac nexu elucebit, an Geneſin, an Iſaiam, an Ieremiam, an Danielem, an Machabæos, an Matthæum, an Canonicas, an Apocalypſin bis, an ad Hannibaldum, an Opuſcula nonnulla hactenùs dubia, luſtrauerit, & illuſtrauerit. Eris quoque *Ioannes* iſta percurrens; edicente Hieronymo ad Paulinum; *ama ſtudia ſcripturarum, & carnis vitia non amabis*; Chryſoſtomo etiam homilia 1. de Dauid & Saule; *impoſſibile eſt, impoſſibile inquam eſt, animum in hoc genus hiſtorijs verſantem, à cupiditatibus ſuperari*. Eris iterum *Simon Petrus*, ab his, etiam tentatus, non abiturus: dicturus imò (Ioann. 6.) *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*: *habentes ſolatio ſanctos libros* (p. Machab. 12.) *qui ſunt in manibus noſtris: vt per patientiam, & conſolationem Scripturarum* (Roman. 15.) *ſpem habeamus*. Subdit autem Apoſtolus; *Deus autem patientiæ & ſolatij det vobis id ipſum ſapere in alterutrum*: cui conſonans Auguſtinus in earum laudem Sermone 38. ad fratres in eremo, meritò liminarem hanc epiſtolam ſignet. *Rogo vos* (inquit) *diſcite ſacram ſcripturam, ſæpe legite, quia omni melle dulcior eſt, fortior vino, lenior oleo, ſublimior auro, argento purior: corda illuminat, linguas purificat, conſcientiam probat, animam ſanctificat, fidem roborat: diabolum reijcit, peccata ſpernit, animas frigidas calefacit, lumen ſcientiæ oſtendit, tenebras ignorantiæ expellit: triſtitiam ſeculi extinguit, lætitiam Spiritus-Sancti accendit: ſitienti p. tum tribuit, de inſipientibus ſapientes facit, primos de nouiſſimis, magnos de minimis, nobiles de ignobilibus efficit: naturam frænat, probibet leuitatem, temperat dolorem, confert ſpem: coronat ſenem, docet iuuenem,*

mitt-

mitigat dedignantes, reuocat errantes, instruit ignorantes: sanat ægros, roborat infirmos, brutos facit sensatos: somnolentos excitat, otiosos increpat, laborantes lætificat, pigros incitat, credentibus gratiam dat: Reges humiliat, humiles exaltat, honores multiplicat. Quare qui hanc diligit, & diligenter legem implet, in Regno Cœlorum maximus vocabitur, & in præsenti Ecclesia præmia & munera obtinebit. Vtinam hæc aliquando cœlesti bombo Mahometanis feralis sectæ auribus insonarent; ex quo nebulonem suum execrati, agnoscerent quàm vafrè quàm callide, honestatis, morum, ac veræ fidei, ipsis viam omnem præcluserit veterator: interdicto nimirum (1. contra Gen. c. 6.) sequacibus, vel minimo literarum sacrarum studio. Verè *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Ioan. 1. At quid mirum? *lux venit in mundum*; (cap. 3.) *& dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera*. Faxit Deus Optimus Maximus, *qui dixit* (2. Cor. 4.) *de tenebris lucem splendescere*, vt per sacræ Scripturæ studium; quæ (2. Timot. 3.) *vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*, piè intellectæ; per legis diuinæ lumen (Prouerb. 6. *mandatum lucerna est, & lex lux*) tenebrarum Princeps, Paganorum, Turcarum, Schismaticorum, Apostatarum de cordibus eijciatur; *fulgeatque* cunctis, disiectis cæremoniarum vmbris, scissoque Templi velo reseratis mysterijs, *illuminatio* (2. Corint. 4.) *Euangelij gloriæ Christi*; cuius expositionem isti cognatã, dum meus cor calamus, gestiunt mox aggredi, & festinè anhelant pro Dei gloria perficere, te ibi etiam, quantocius per vires & otia licuerit, pietate excultum, ac intelligentia repletum lectorem meum, quemadmodum sospitem precor, spero propensum. Interim vale incolumis, viue felix.

FACVLTAS PRAESIDENTIS RELIGIONIS.

FRater Petrus Maria Passerinus de Sextula Sac. Theologiæ Magister, & totius Ordinis Prædicatorum humilis Procurator, & Vicarius generalis.

Harum serie nostrique auctoritate Officij, facultatem concedimus quantùm in nobis est, tibi admodum Reu. P. Magistro Fratri Innocentio Pencino Veneto, vt Opus, cui inscribitur *Mystica Galaxia*, hoc est *Commentaria luculenta in Pentateuchum*, à te compositum publicis typis mandare valeas; dummodo priùs fuerit reuisum, & approbatum ab adm. R. R. Patr. Mag. fratribus Hyacintho Istrana, & Xante Ponticoluo; seruatisque alijs seruandis, iuxta Decreta Sac. Concilij Tridentini, constitutiones nostras, & ordinationes Capitulorum generalium. In quorum fidem, &c.

Romæ 15. Iunij 1669.

Fr. Petrus Maria Passerinus Mag. Vicarius generalis.

Reg. fol. 2.

Locus sigilli.

Fr. Bernardinus de Venetijs Mag. & socius.

DE mandato Reuerendissimi Patris Magistri Fratris Petri Mariæ Passerini, Procuratoris, & Vicarij generalis Ordinis Prædicatorum, suspiciens legi, ac perlegi ego infrascriptus librum, cui titulus *Mystico-sacra Galaxia in Sacra Scriptura Cœlo*; opus verè Archimede dignum, Dædaleum opus, non sine labore, nō sine ingenio, non sine vigilijs conflatum: legi illectus, perlegi delectatus. Oblectat procul dubio lactei cinguli aspectus; & quo magis oculorum acies eò intenditur, dum plures pluresque amœnè emicant stellæ, quòd rideant cœlestia prata, corridet cor. At risus meus in morem Abrahæ (qui *risit dicens in corde suo*, &c. cuique ait Dominus; *numera stellas si potes*,) non fuit inanis gaudij, sed admirationis. Miratus sum itaque gestiens, quàm solidè congestis testimonijs legis, oraculis Prophetarum, Euangelicis adstipulationibus, fidei firmitas roboretur: quàm profundè, dissimulatis nunquam, se se in difficultates immergat calamus, & emergat: quàm acutè, magisterij stylo controuersiarum latibula penetrentur: quàm frequenter, quàm copiosè, modò Scripturæ, modò Sanctorum Patrum, modò Angelici Doctoris agglomerentur allegationes. Miratus sum præclari adeo facinoris arduitatem, incedendi securitatem, interpretandi subtilitatem; Sacrorum Textuum compactionem, arcanorum tropologias, sententiarum veritatem, sanæ doctrinæ puritatem, Theologicæ eruditionis vbertatem: miratus sum, omnia scitè, omnia strictim, altè omnia, omnia exactè, luculenter piè tractari. Quare vt illud semper reboet (Eccl. 5.) *danti sapientiam, dabo gloriam*; pro Dei Optimi Maximi exaltatione, pro maiori Sacrarum Litterarum cultu ac veneratione, pro D. Thomæ Aquinatis etiam honore; ad Christianæ Religionis ac orthodoxæ fidei defensionem, dignum, prædignum recenseo, typorum ope omnibus prouulgari: quo nulli sit inaccessa plana mysteriorum tot intelligentia; & queant plurimi hinc exoptare, vt, quam molitur in Euangelia lucubrationem huic similem, (addita ignota syntaxi illustriorem) faciat quamprimùm communis iuris Auctor, quem Deus sospitet. Taruisij in Conuentu Sancti Nicolai.

Frater Hyacinthus Istrana, Sac. Theol. Magister.

MYstico-sacram Galaxiam (doctissimum ac eruditissimum opus A. R. P. Sacræ Theologiæ Magistri fratris Innocentij Pencini Ordinis Prædicatorum) diligenti lustraui studio ego infrascriptus; idque non tam Reuerendissimi Patris Magistri generalis Vicarij eiusdem Ordinis iussu, quàm singulari ex propensione ac obsequio in Authorem. Porro si nullis vnquam peruadi tenebris, perpetnò candicantis Galaxiæ est: noua, in qua continuè Aquinatis solis fulget refulgetque claritas, nedum vel minimam longè abijcit vmbram erroris, ne fidei puritas, morum honestas, aut Religionis decus queat denigrari; sed, profanis quibusque exhalationi, & vapori adeo est inuisa, vt terrenum nihil, cœlestium potius florem, interpretationum subtilitate, candore doctrinæ, styli perspicuitate, vndequaque redoleat. Igitur postquam superum æmulata splendorem suis nitet stellis, non fuerit (me iudice) absonum, vt typorum ope nostratem lucem aspiciat. Ex quo nimirum maiori in dies coruscet Ecclesia lumine; hæresumque cimmerias victrix irradiatio proscribat. Quòd si *qui ad iustitiam erudiunt multos*, (Daniel 12.) *fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*; & ipsum Authoris nomen, inter lacteæ sydera, ad æquum laboris præmium, vt ibi æternum illuceat, exoptat censor.

Venetijs In Conuentu sanct. Ioannis & Pauli.

Fr. Xantes Ponticoluo in S. Theol. Magister.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per Fede del Padre Commissario del Sant'Officio nel Libro intitolato Mystica Galaxia in Pentateuchum del P. Maestro Innocentio Pencini Domenicano, non esserui cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza à Bortolo Tramontini di poterlo stampare, osseruando gl'ordini, &c.

Data à 29. Luglio 1669.

{ Aluise Contarini Cau. Proc. Refor.

{ Battista Nani Cau. Proc. Ref.

Angelo Nicolosi Segretario.

Ad Authorem.

Lex vetus vmbra fuit; clara tu luce refusum
Promis Aquinatis lumine Solis opus.

Ad Lectorem.

Nobile habes Epulum; non gemma, hîc astra liquātur:
Innocua *Angelicus condit arte sapor.*

Ad eundem.

Candidus es? legito: codex nam candicat astris.
Momus an ater? abi: hîc non habet vmbra locū.

Fr. Io. Benedicti Perazzo Ven. Ord. Præd.

Pro Operis Titulo.

Dum Solis radios exceptat mysticus Æther,
Queis mos est condi, cur magis astra mitent;
Iam potuit Psaltes verbo dissoluere nodum:
Sicuti clara dies, * *lumina noctis erunt.* * ps. 138.

Ad idem.

Vt geniti * modò, *lac pueri deposcitis almum?* * 1. Petri 2.
Voxque fouet Matris: suspice * nate *Polum?* * 2. Machab 7.
Ecce viam lactis sternit Thomistica Iuno:
Innocua *obstetrix vbera mille premit.*

N. N.

FRA-

INDEX RERVM.
Præcipuarum Summarius.

Primus numerus capita, secundus loca in margine signat.

A

Bona

D

Damo-

E

He-

H

I

INDEX.

L

N

O

Ope-

Per-

Re-

S

Tu-

Vrim

Errata præcipua, quæ in hoc volumine furtiuo excursu irrepserunt; minora verò docti Lectoris animaduersio emendabit.

Prior numerus paginam, secundus columnam, tertius numerum marginis refert.

Pag.	col.	num.		Lege
18.	1.	21.	sanctificantem.	sanctificante.
42.	2.	5.	deiecturus.	deiecturus
57.	1.	4.	seminastis.	seminastis
59.	1.	7.	peccatis.	peccantis
61.	1.	1.	vistui.	iustus
67.	2.	3.	scian.	sciat
74.	2.	8.	de vigiotis quatuor dies.	de viginti quatuor diebus
76.	2.	2.	adhuic erant.	adhuc erant
81.	1.	8.	Adam est Heuam.	Adam & Heuam
82.	1.	4.	calore igneo.	colore igneo
84.	2.	6.	latenre.	latente
ibid.			Ecclesiam luam.	Ecclesiam suam.
95.	1.		aposiosesi.	aposiopesi
100.	1.	2.	duplea est profectio.	duplex est perfectio
101.	2.		ergo idem sunt.	non ergo idem sunt
106.	1.	3.	nullus ager.	nullus piger
109.	1.	marg	2.1.110. 12.	1.2. 10. 11.
158.	1.	1.	an cæteros omnes.	cæteros omnes
159.	1.		erant eum.	oderant eum
178.	1.	1.	fiuolum.	fiuolum
201.	1.	14.	euangelizant; eum	euangelizantium
219.	1.	1.	Cœlumque sulpicat	cœlūque suspiciat.
247.	1.		Diuinam	gratiā diuinam quę
259.	2.		Aliud recolit simile &c.	*dele totum vsque ad ly* Rutlus
266.	1.	10.	vigore.	rigore
299.	2.	6.	omnia qua.	omnia quæ
346.	1.	8.	consolitur.	consulitur
346.	2.		in memoria & effectu.	in memoria & affectu
349.	2.	3.	opertionem.	apertionem
366.	1.		est aonum.	est bonum
400.	2.		Dicit aut.	Dicit autem
405.	1.	1.	carnem Christus.	carnem Christi
410.	1.		pertioenti.	pertinent
421.	2.	7.	vt ille.	vt illi
432.	2.		VERSVS II.	VERSVS XXIX.
451.	1.	4.	tota, literascatent.	tota litera scatent
ibid.		3.	in limine de Eucharistia dictū est.	in limine dictum est;
ibid.			intentione; & postea transit.	intentione : transit
456.	1.	2.	debeantur de libro.	deleantur de libro
457.	1.	4.	nossent vbi oam.	nosset vbin am
ibid.	2.	4.	ductum nobis.	ductum nubis
463.	1.	10.	quæ nausa.	quæ nausea
465.	1.	3.	similitudinibus somni.	similitudinibus somnij
468.	2.	1.	Deo rebelles.	Deo rebellis
471.	2.	5.	craderentur.	crederetur
491.	2.	8.	deprauatio in effectu.	deprauatio in affectu.
505.	1.	6.	Amalec significatum.	Amalec significato
ibid.			læsa fuissent.	læta isthæc fuissent
514.	1.	1.	hæreditas ad filium.	hæreditas ad filiam
510.	1.	1.	multi amplicamenta.	multa implicamenta
534.	1.		Præterqua via.	Præterquàm via
549.	1.	2.	Deo linquens.	Deo linquentes
ibid.	2.	4.	circundant.	circundantes
564.	1.	8.	optimo modo implet.	Optimo modo non implet
566.	2.	12.	per decem vires.	per decem vices
572.	2.	8.	eius ea patientiæ.	eius, & patientiæ
583.	1.	3.	vt possidens.	vt possideas
ibid.			quæ non apponet.	quæ non apparet
593.	1.	6.	primogenituram.	primogenita
594.	1.	9.	& tamen iudium.	& tamen iudicium
595.	2.	12.	Quod est Leo.	Quod & Leo
606.	2	1.	peccare.	peccare: *sic puella.*
6.6.	1.	3.	metaphora. Post quam.	metaphora. post qoam
637.			Caput XVII.	Caput XXII.
649.	1.	12.	contra re Baal	contra te Balaam
654.	1.	3.	Fotiem ergo.	Fortè ergo
657.	2.	9.	hoc taci è.	hoc tacitè
662.	1.	7.	iudi discussionis.	iudicio discussionis
661.	2.	4.	leuaueris cultum.	leuaueris culturum
679.	1.	11.	Maledictus eris.	Benedictus eris
687.	1.		ad calorem oimirū.	ad calorem nimium
689.	1.	5.	vt intelligas.	vt intelligaris
696.	2.		aliquando agnoscerent.	aliquando agnosceret
704.	1.	8.	reprobarum.	reproborum
706.	1.	14.	calidum in effectu.	calidum in affectu
Canticorum in Præfatione			Cor datum laudo iudicium	cordatum laudo iudicium.

Et dum in Canticorū margine vides literas quæ notant D. Th. loca inordinatè impressas, scito id euenisse, quoniam inter imprimendum & corrigendum fuerunt conquisita: ordo autem foliorū corrigendorū non est a primo, neque à prima pagina ternionis: vnde ne omitteretur doctrinæ ipsissimæ character, euaserunt Alphabeti literæ postpositæ & confusæ. Quo deprehenso in postremis quæ superant locis, asterisci insculpti sunt. Vale amice lector.

FRA-

FRATRIS INNOCENTII PENCINI VENETI

Ordinis Prædicatorum, Diui Thomæ Aquinatis collectoris ac interpretis, in Genesin

PROLOGVS.

SAnctum Moysen, librorum quos versamus, germanum fuisse Authorem, non est Latinorum aut Græcorum qui ambigat; attentis nimirum continua traditione, Patrum consensu, rerum notitia ac dignitate, sapientiæ altitudine, mysteriorum profunditate: quæ vt mirabiliter emicant, sic profecto singularem aliquem, eximium, illuminatum, (& quem nisi Moysen?) produnt scriptorem. Moyses autem præ cæteris sibi meruit encomia, nedum apud Eusebium dictus lib. 7. de præparatione Euangelica c. 2. & 4. præstantissimus Prophetarum; quod & Deuteronomij vltimo; non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moyses, vt claret 2. 2. q. 174. a. 4. sed & Ecclesiastici 45. vbi dicitur dilectus Deo & hominibus &c. ostendisse Deum illi gloriam suam: dedisseque eidem, docere Iacob Testamentum suum, & iudicia sua Israel. Quibus tamen omnibus missis, id palam fit manifestum & exploratum, eoquòd pluries in Euangelio introducitur; vt Matthæi 19. quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij? Marci 1. offer &c. quæ præcepit Moyses. Lucæ 16. habent Moysen & Prophetas. Ioannis 1. quē scripsit Moyses, & Prophetæ, inuenimus Iesum, & c. 5. de me enim ille scripsit, & ibidem 1. ne simus morosi, lex per Moysen data est; totum enim præsens volumen vocant hebræi thora idest legem, à verbo suo horah quod est docere. Neque obsit, si quandoque legitur in eo; dixit Dominus ad Moysen; siquidem more hebraico, de se loquitur Moyses tanquam de altero; quemadmodum & Daniel, de se inquit, 2. cap tunc Danieli mysterium per visionem reuelatum est; vt monet ibi pariter D. Thomas. Similiter non derogat, quòd Numeri 12. habeatur, erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra: quoniam, Esdram ferunt, vt caput vltimum Deuteronomij, sic talem addidisse commendationem; nactum, quod inquiunt, occasionem nonnihil de suo apponendi, quando per eum scribam in lege Domini velocissimum (Esdræ 1. c. 7.) diuina prouidit clementia, sacros eiusmodi codices reparandos. Amissos quippe fuisse in expugnatione Babylonica, testes extant Nicephorus lib 4. c. 15. Eusebius lib. 5. c. 8. Athanasius in Synopsi de sacra scriptura, & alij: fama enim est, inquit etiam Angelicus lib. 2. Machabæor. c. 2. Bibliam combustam à Chaldæis; eandemque, Esdram, qui vt testatur Iosephus lib. 11. Antiquit. c. 5. vniuersam Iudæorum doctrinam perspectè callebat, cælitus rescripsisse. Quocirca Chrysostomus in cap. Matth. 2. hom. 9. tradit Deuteronomij speciatim volumen, loco quodam defossum ac penè deletum, post multum tandem temporis repertum fuisse: quod quibus acciderit modis, fusiùs explicat 1. Cor. 2. hom. 7. dicens; Deuteronomij liber vix tandem repertus in ruderibus: siquidem magna librorum copia perijt; & pauca ex priori captiuitate volumina superfuerunt: quod ex reliquijs planè constat, & quid ego captiuitatem memoro? nam & ante captiuitatem multa abolita sunt librorum volumina, cum Iudæi in vltimam prolapsi sunt impietatem. Cæterum, vt Esdram, acceptum est, fuisse restitutorem, sic inconcussum manet Moysen Deuteronomij quoque fuisse Authorem, quando cap. 31 expresse legitur; scripsit itaque Moyses legem hanc. Vnde Hieronymus aduersùs Heluidium, consentiente Augustino lib. 2. de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, ait; siue Moysen dicere volueris Authorem Pentateuchi, siue Esdram eiusdem reparatorem operis, non recuso. Vterque tamen, non sine diuino afflatu executi sunt. Esdras quidem, ex quo appellatur scriba velox, dicente Angelico ad ps. 44. qui per studium quærunt sapientiam per partes, & etiam longo tempore student; qui habent eam à Spiritu Sancto velociter accipiunt: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis: Moyses etiam; eoquòd Pater Sophorum appellari solet, idest Prophetiæ, vnde & dicitur Doctor Prophetarum. Præteritorum etiam est Prophetia secundùm Gregorium homilia 1. in Ezechielem; quod traditur p. p. 46. 2. & 2. 2. 171. a. 3. Ecclesiastes. 8. multa hominis afflictio, quia ignorat

præterita, & futura nullo fine potest nuncio. Prophetico ergo spiritu in retroacta secula ductus immò in initium primi temporis raptus illud fideli prompsit stylo, In principio creauit Deus Cælum & Terram. Quàm sanctè autem sic corde & ore intonuerit, innotescit, si in quam impietatem excæcatus, Orbis deuenerat, recolatur. Etsi enim (quod notat 2. 2 q 94. a. 4. ad 2.) prima in ætate ob recentem creationis memoriam, Deum mundus agnouerit, sensim exinceps, in vitia prolapsus omnia, Creatoris oblitus, sic voluntate prauus, mente corruptus est, vt caligine obuolutus & tenebris Dei cognitionem amiserit, & loco Numinis idolorum factus sit cultor. Quare miserrimum miseratus statum in quem homo turpissimè præcepi ierat Plasmator omnium, per manum Moysi dignatus est eum erigere, ad agnitionem sui Nominis reuocare, & solemniter tradita lege, Iudæos cæremoniarum iugo, & Gentes rituum sacrorum fama & admiratione, in veri Dei cultu continere. Ecclesiastici 24. legem mandauit Moyses in præceptis. Ob tanti viri æstimationem, Sadducæi, qui sic impiè insanierunt, vt Prophetas, eorumque auctoritatem respuerent, Pentateucho ausi non sunt refragari; ideoque aduersùs illos Dominus Matthæi 22. prætermissis alijs Scripturæ testimonijs, ad euincendam resurrectionem illud Exodi 3. allegauit; ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: assumens; non est Deus mortuorum, sed viuentium. Quoad tempus: Chrysost. hom. 7. ad populum Antiochenum de Genesi inquit; non in principio aut statim post Adam, sed post multas tandem generationes, voluisse Deum scribi: Augustinus in lib. quæst. veteris testamenti c. 3. tunc id factum esse, cum creuisset error dubitantium de Mundi creatione. Ferunt alij admouisse conscribendis libris his calamum, postquam secessit in Madian, Exodi 2. quasi ad leuandos animos hebræorum, captiuam in Aegypto vitam agentium; aut post excussam Pharaonis tyrannidem in deserto; quod ait Theodoretus. Inde secundùm quosdam, nunquam suum nomen in fronte scriptionis posuit, eoquòd præsentibus fuisset superuacanea isthæc declaratio. Porro scripsisse inquiunt Moysen minimè interrupta oratione, per modum Diarij vel Annalium sacram historiam: ab alio in ordinem quem spectamus digestam; quidam quidem ab Iosue; veriùs tamen ab Esdra scriba doctissimo. Itaque in quinque partes distributum opus, Pentateuchi hoc est quinque voluminum nomen obtinuit: idque ex græco: hebræi namque non alia notant voce sectionem eius, præterquam scripturæ ex initio: vnde quem nos dicimus Genesin, Beresith vocant: quod sonat In principio: & sic de alijs; emphasi tamen quadam vsurpationis, vt Vaiecra Leuitici, & vocauit: quoniam eousque à mundi constitutione, tam magnifica, & gratiosa vocatio hominibus non contigerit. Ad hanc librorum partitionem putant spectare quinaria quadam in signum; vt quinque vectes tabulas Tabernaculi continentes; quibus Ecclesia ab omni præseruatur impetu, Exodi 26. & 40 quinque columnas, Exodi 27. Viros quinque in auxilium de cælo apparentes 2. Machab. 10. quinque talenta Matth. 25. quæ lucratus est seruus. Quinque panes Lucæ 9. quinque Porticus piscinæ Ioan. 5. & sic dixisse Apostolum 1. Cor. 14. leg in Ecclesia, volo quinque verba sensu meo loqui. Quoad Genesin attinet, meritò legem traditurus, priùs latoris, Dei nimirum innexit cognitionem. Sed Augustinus de ipsa ad litteram lib. 5. c. 8. non omnia scripta esse considerans, ea tantùm commemorata inquit esse, quæ non solùm ad rerum factarum notitiam, sed etiam ad futurorum præfigurationem valerent. Hinc tanto fuit sacra huiusmodi Historia in pretio, vt, referente Hieronymo in Proœmio in Ezechielem, à nemine ante annum trigesimum legeretur. Vt autem in Genesi, sic in alijs magna latent diuina Mysteria. Appellatur secundùm Augustinum lib. 23. de Ciuit. Dei c. 38. & Hieronymum in Ezechielem c. 6. Liber iustorum; idque propter Abraham Isaac Iacob Ioseph Sanctissimos Patriarchas, quorum illustria facta dicta, mores Religio denarrantur. Quoad Exodum, ex Augustino ad Honoratum de vtilitate credendi; si diligenter stationes eas mansionesque castrorum & conditiones locorum retractemus, magna in ipsis cælestis itineris mirabilia cernemus. Quoad Leuiticum ex Hieronymo ad Paulinum; singula sacrificia immo singulæ pene syllabæ, vestesque Aaron spirant sacramenta. Quoad Numerum; Christiani populi significatur profectus; ascensusque à terra in Cælum: & ex Hieronymo ad Paulinum, totius Arithmeticæ, Prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum per eremum mansionum, arcana continet. Deuteronomium denique, vocat idem Sanctus Hieronymus ad Fabiolam de quadraginta duabus mansionibus circa finem, & ad Paulinum de eodem c. 7. meditatorum Euangelij: quod vnum sufficiat. Neque tamen quòd spiritum intus claudat, literæ quidquam deperit veritatis: & hoc sit contra Origenem, qui puta Paradisi historiam, ad solam allegoriam traxit; etsi enim sensus mysticus detur; constans est narrationis firmitas, vt locus extaret corporeus: quod quidem ex Augustino apud D. Thomam hic e. 3. p. p. q. 102. a. 1. & secundo ad Annib. dist. 17. a. 4. vel hoc vno euincitur, quoniam si de Paradiso gratiæ foret accipiendum; non post moram, sed mox post peccatum, ab illa diceretur eiectus. In omnibus ergo tenenda veritas literæ, in qua substruantur etiam spiritualis sensus mysteria, à Deo vbilibet in sacra pagina intenta: sic vt in vtroque, fas sit cum eodem Augustino lib. Confess. 13. c. 29. Deum in hæc verba alloqui; vera est ista scriptura, quoniam tù verax & veritas edidisti eam. Itaque etsi nesciretur Scriba vel reparator; (combustos ægrè credunt Pererius hic, & Benzonius, lib. 1. in Magnificat c. 4.) ne simus auxij: (monet id D. Th. Cant. Proœmio) dũ, Spiritu S. Authore, Heb. 9. firmũ fundamentũ Dei stat, 2. Tim. 2. habẽs signáculũ hoc.

LIBER GENESIS HEBRAICE BERESITH.

CAPVT PRIMVM.

1 IN principio creauit Deus cęlum & terram ; 2 Terra autem erat Act.c.14.
inanis, & vacua , & tenebræ erant super faciem abyssi : & spi- 15. 17. P
ritus Dei ferebatur super aquas. 3 Dixitque Deus : Fiat lux. 24. Ps.32.a.6.
Et facta est lux ; 4 Et vidit Deus lucem quòd esset bona : & di- 135.a.5. Eccl.18.
uisit lucem à tenebris. 5 Appellauitque lucem , diem , & tene- a.1. Heb.11.
bras, noctem : factumque est vespere & manè dies vnus . 6 Di- a.3.
xit quoque Deus ; Fiat firmamentum in medio aquarum : &
diuidat aquas ab aquis. 7 Et fecit Deus firmamentum ; diuisit- Ps.135.a.
que aquas quæ erant sub firmamento ; ab his quæ erant super firmamentum. Et factum 5.
est ita. 8 Vocauitque Deus firmamentum, cęlum : & factum est vespere & manè dies Iere. 10.
secundus. 9 Dixit verò Deus ; Congregentur aquæ quæ sub cęlo sunt, in locum vnum: b. 12. 51. b. 15.
& appareat arida. Et factum est ita. 10 Et vocauit Deus aridam , terram : congregatio- Psal. 148. a. 4.
nesque aquarum, appellauit maria . Et vidit Deus quòd esset bonum , 11 & ait : Germi- Ps.32.b.7.
net terra herbam virentem , & facientem semen , & lignum pomiferum faciens fructum 88. b. 12. 135. a. 6.
iuxta genus suum ; cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita . 12 Et Iob 38. a. 4.
protulit terra herbam virentem , & facientem semen iuxta genus suum ; lignumque fa-
ciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundùm speciem suam : Et vidit Deus
quòd esset bonum. 13 Et factum est vespere & manè dies tertius. 14 Dixit autem
Deus : Fiant luminaria in firmamento cęli , & diuidant diem ac noctem ; & sint in signa,
& tempora, & dies, & annos : 15 vt luceant in firmamento cęli, & illuminent terram . Psal. 135. b. 7.
Et factum est ita . 16 Fecitque Deus duo luminaria magna : luminare maius , vt præesset
diei : & luminare minus, vt præesset nocti : & stellas. 17 Et posuit eas in firmamento cę-
li, vt lucerent super terram, 18 & præessent diei ac nocti , & diuiderent lucem ac tene-
bras. Et vidit Deus quòd esset bonum. 19 Et factum est vespere, & manè dies quartus.
20 Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viuentis , & volatile super terram
sub firmamento cęli. 21 Creauitque Deus cete grandia , & omnem animam viuentem,
atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm
genus suum. Et vidit Deus quòd esset bonum. 22 Benedixitque eis, dicens: Crescite ,
& multiplicamini, & replete aquas maris : auesque multiplicentur super terram. 23 Et fa-
ctum est vespere & manè dies quintus. 24 Dixit quoque Deus : Producat terra animam
viuentem in genere suo, iumenta , & reptilia , & bestias terræ secundùm species suas . Fa-
ctumque est ita . Et fecit Deus bestias terræ , iuxta species suas , & iumenta , & omne re-
ptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quòd esset bonum. 26 Et ait : Faciamus homi- Col. 3. b. 10.
nem ad imaginem & similitudinem nostram , & præsit piscibus maris , & volatilibus cęli , Infra 5.a. 1.9.a 6.
& bestijs, vniuersæque terræ , omnique reptili quod mouetur in terra. 27 Et creauit Deus 1.Cor.11.
hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum , masculum b. 7.
& fęminam creauit eos. 28 Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite , & multiplicamini, Sap. 1. c. 22.
& replete terram , & subijcite eam , & dominamini piscibus maris , & volatilibus cęli, & Mat.19.
vniuersis animantibus quæ mouentur super terram . 29 Dixitque Deus : Ecce dedi vobis a. 4.
omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semeti- Eccl. 17. a. 1.
psis sementem generis sui, vt sint vobis in escam : 30 & cunctis animantibus terræ, om- Infr. 8. c. 17. 9. a. 1.
nique volucri cęli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt ha- Inf.9 a.3.
beant ad vescendum. Et factum est ita . 31 Viditque Deus cuncta quæ fecerat : & erant Eccl. 39. c.21.
valde bona. Et factum est vespere , & manè dies sextus . Matt. 7. d. 37.

1 VERSVS I. *In principio creauit Deus*. Si aliâs vnquam, nunc ſanè [A] cum de Mundi opificio ſermo eſt habendus, Auguſtini ſuſcipiendum eſt documentum, vt *fideli pietate, ſcriptura ſiue intellecta, ſiue non intellecta, haùd contradicatur*; Prou. 25. *gloria Dei eſt celare verbum*. Et idemmet in Pſal. 140. *ſunt in ſcripturis ſanctis profunda myſteria, quæ ad hoc abſconduntur, ne vileſcant; ad hoc quæruntur, vt exerceant; ad hoc aperiuntur, vt paſcant*. Cumque infinitæ propemodum extent Doctorum intelligentiæ ac expoſitiones: dum tanta ſuppetit copia dictorum, vt vel ad vnum Geneſeos caput, immenſa conflentur volumina, operæ pretium itidem erit, eidem hærere Auguſtino; [B] *vt in primis, Scripturæ veritas inconcuſſè teneatur; deinde, quòd nulli expoſitioni aliquis ità præcisè inhæreat, quòd ſi certa ratione conſtiterit eſſe falſum, aſſerì præſumatur ſenſus ſcripturæ; ne ſcriptura ex hoc verbo ab infidelibus derideatur, & ne eis via credendi præcludatur*.

A 2. 2. 121. 1. 3.
B 1. p. 68. 1.

2 *In principio*. Magnum pondus primæua hæc vox habet, [C] ab illa enim Liber inſcribitur; quod & in alijs ritus Hebraicus obtinuit. Apud Latinos autem & Græcos, nomenclaturam accipit Geneſeos ſeu Generationis; quæ generalia ſunt [D] nomina, & ad primam rei conditionem, & ad eiuſdem propagationem. Prima litteralis quippe expoſitio eſt Baſilij, [E] ideſt *in principio temporis*; quod ſonat atque in primo *nunc* temporis; fecit enim Deus & ipſum tempus, in quantùm ab eo *nunc* incepit tempus, non quia in ipſo *nunc*, primò eſſet tempus; quod quidem [F] *nunc* temporis, non ſic memoratur quaſi extiterit menſura creationis, ſed tanquam adiacens creationi, quia ſimul cum tempore, Cœlum & Terra creata ſunt. Hic autem pulchra aſsignatur [G] ratio, cur in ſequentibus recolatur dies vnus, dies quartus &c. quia nimirùm opus Creationis conſiſtit in ſola Dei actione, in inſtanti rerum ſubſtantiam producentis: opus vero diſtinctionis & ornatus attenditur ſecundùm aliquam mutationem Creaturæ, quæ tempore menſuratur; & ideò quodlibet opus diſtinctionis & ornatus dicitur factum in die, creatio autem dicitur facta *in principio*, quod ſonat indiuiſibile aliquid. Vel quia dies accipitur pro diurno motu Solis & Lucis, in Creatione non memoratur dies, quamquam duratio pro qualibet menſura motus, aut productionis præceſſerit. Hinc Peripateticorum quorundam eliditur error, ponentium [H] mundum fuiſſe ab æterno: quamquam enim id fieri potuerit, manifeſtius tamen mundus ducit in cognitionem Diuinæ potentiæ creantis, ſi non ſemper fuit, quàm ſi ſemper fuiſſet: quapropter dixit Angelicus, [I] quòd reuelatio principij mundi vtilis erat ad manifeſtandum Deum eſſe omnium cauſam; ſed ſcire tempus determinatum finis Mundi, ad nihil eſſet vtile, ſed magis nociuum.

C Matthæi 1. pag. 6.
D D. Thomas hic.
E 2. cont. G. c. 19. & 1. p. 46. 3. & de potentia q. 3. 17. 5. & & p. p. q. 16. 4. 5. & op. 23.
F 2. d. 1. q. 1. a. 6
G 1. p. 74. 1. 1. hic c. 2.
H 1. p. 46. 1. 6.
I de potentia 5. 6. 2.

3 *In principio*, [L] ideſt ante omnia, vt excludat opinionem ponentium corporalia non fuiſſe creata cum ſpiritualibus. Quocircà ſciendum eſt fuiſſe ſententiam Doctorum Græcorum concorditer docentium, Angelos [M] fuiſſe creatos ante mundum corporeum; quam opinionem non reprobat Angelicus Iob 40. vt infra dicam c. 2. n. 13. vnde Hieronymus ſuper illud Titi primo, *quam promiſit qui non mentitur* inquit, *ſex millia nondum noſtri temporis complentur annorum, & quanta tempora, quantaſque ſæculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteriquc ordines Deo ſeruierunt?* Verùm loquitur D. Hieronymus ſecundùm ſententiam Græcorum. At quia fuit eiuſmodi opinio Gregorij Nazianzeni, cuius tanta eſt in Doctrina Chriſtiana auctoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præſumpſerit, vt dicit idem Hieronymus, non eſt erronea cenſenda. Sed S. Doctori vbique probatur magis Auguſtini ſententia, qui dicit Cœli nomine, cùm legitur *In principio creauit Deus*, intelligi creaturam ſpiritualem, ſicut per *terram* creaturam corporalem. Quare autem Moyſes clariùs non expreſſerit Angelos, fuit [N] ex Chryſoſtomo ob populi ruditatem; & iterum ad vitandam idololatriam, in quam proni erant; ad quam daretur eis occaſio, ſi plures ſubſtantiæ ſpirituales ponerentur præter vnum Deum, quæ eſſent Cœlo nobiliores; & præcipuè cum eiuſmodi ſubſtantiæ à Gentilibus Dij dicerentur.

L 1. p. 46. 3. & 61. 3. & hebræorum 5. 1. 5.
M 1. p. 61. 3. & op. 15 ... oc hic. & de ... q ... a 18 corp.
N de potentia q. 3. 18. ad 4 & p. p. q. 67. a. 4. & op. 15. c. 17.

4 *In principio*. Exponitur etiam in principio ideſt [O] in filio, vnde Auguſtinus, *In principio, ideſt in Verbo*. Ioannis 8. *ego principium qui & loquor vobis*, Pſalmus 102. *Omnia in Sapientia feciſti*. Sicut enim principium effectiuum appropriatur Patri propter potentiam, ita principium exemplare appropriatur Filio propter ſapientiam; vnde Apoſtolus, Coloſſenſium 1. *In ipſo*, ſcilicet in filio; *condita ſunt Vniuerſa*: ſunt enim vniuerſa [P] in filio, per modum quo artificiatum eſt in arte: de quo prima parte quæſt. 34. a. 3. & in 1. ad Annibaldum d. 32. q. 2. a. 2.

O Hic p. p. 47. 1. & 61. 3. hebr. 5. l. 5. & coloſſ. 1. l. 4.
P 2. d. 1. q. 1. 6.

5 *Creauit Deus*. Creare propriè eſt ex nihilo facere, [Q] ex gloſſa Bedæ, eſtque proprium ipſius Dei, vnde 2. Machab. 7. *Peto nate vt aſpicias ad Cœlum & Terram, & omnia quæ in eis ſunt; & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus; & hominum genus*. [R] & ideo damnatur error in primis [S] Simonis Magi & Mænandri diſcipuli eius, qui Creationem Mundi non Deo, ſed Angelis attribuere. Aduerſùs etiam Auicennam aſtruentem in prima Intelligentia creata à Deo vim creatricem ad alia. [T] *Deus*. Etiamſi appropriatiuè capi poſsit Deus Pater, cui attribuitur potentia; nihilominus [V] tenetur eſſentialiter, ideſt, Tota Trinitas; nanque vt eſt Theologorum proloquium, opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa; ſicut docet Auguſtinus l. 1. de Trinit. c. 3. & lib. 9. de Geneſi ad litt. cap. 15. dicens, *cuiuslibet naturæ Creator eſt Deus, ideſt ipſa Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*; & D. Dionyſius c. 2. de Diuinis nominibus dicens, *communia* [X] *totius Trinitatis eſſe omnia creabilia*, nec non Damaſc. l. 3. c. 18. Ideoque, Sanctiſsimæ Triadis myſterium, etſi ſub velamine litteræ, voluit maioribus indicari; legitur enim hebraicè, creauit *elohim*, quod [A] pluralitatem ſonat, ſcilicet Perſonarum: à qua abſtinet latinus interpres, ne occaſio obrepat erroris; quia non omni Idiomate ſanè pronunciaretur Dij; quemadmodum hebræo *elohim* Dij vel Iudices capiuntur, immultiplicata ſub

Q 1. p. 45. 1. cont.
R 1. p. 45. 5.
S op. 5. & op. 15. c. 17. & 2. 2. q. 100. a. 1. ad 1.
T p. p. 47. 1. & q. 65. 1. & 2. 38. 2. 2.
V D. Th. hic.
X 1. p. 45. 6. & quod l. 4. a. 6. 1.
A 1. p. 39. 3. 2. & de potentia q. 6. a. 8.

ſtan-

stantia, quamquam secundùm Hieronymum elohim vtriusque sit numeri, Deum & Deos significans. Pulchram autem excitat curiositatem Angelicus Doctor, [B] cur non eadem vtatur phrase Spiritus Sanctus, quam singulorum in factione vsurpat, sic vt diceret, *fiat cælum & terra*. Et facit satis dicendo quòd dicere *fiat*, &c. importat actum interiorem & effectum exteriorem; & ideo, si res imperfecta exprimeretur dicta, posset forsan intelligi actio Dei imperfecta: ante vero dies distinctionis & ornatus insinuatur mundi imperfectio; ideò dicitur: *creauit Deus*, non autem, *dixit Deus fiat cælum & terra*. Præterquàm, fuit conueniens, vt simpliciter exprimeretur facta creatio, antequàm modus innotesceret creationis: vel ex Basilio, priùs oportuit produci creaturam quæ obediret, quā fieri mentionem de diuino imperio.

B Hic & 1. p. q. 74. a. 3. & in 2. d. 12. q. 1. a. 5. ad 5.

7 *Cælum & terram*. Impius Manichæus reluctatur huic textui, siquidē vt refert Epiphanius hæresi 66. posuit [C] corporalia subiecta esse potestati principij mali; & ab eodem creata. Expugnat hanc hæresim Angelicus [D] pluribus locis, funditùs ipsius fundamenta euertendo. Arbitrabantur Manichæi obsequium se præstare vero Deo & Bono, eximendo ab ipsius potestate, & manu quæcunque essent vel imperfecta, vel alicui nociua; & quia corruptibilia respectu incorruptibilium, visibilia respectu inuisibiliū, & vetus Testamentum respectu noui, imperfecta sunt, non potuerunt esse à Deo bono, sed à contrario principio. Hanc erroris radicem extirpat Angelicus Doctor, quæstione tertia de veritate art. septimo ad 26. & prima parte 48. art. secundo ad 3. quia licèt aliqua sint imperfecta & minus bona, habito respectu ad particulare; non tamen habito respectu ad totum; alias totum corpus hominis debuisset fieri totum cor, aut oculus. Opusculo autem 6. §. 3. & p. p. 65. a. 2. inquit, alio ex capite errasse, quia nescierunt distinguere, quid sit malum, & quid bonum; vnde crediderunt, quòd omnia illa, quæ sunt aliqualiter mala, simpliciter essent mala, (sicut ignis quia vrit, dicitur ab eis simpliciter malus, & sic aqua quia suffocat) & à Diabolo facta. Contra hos ponit Augustinus tale exemplum, (p. p. q. 72. a. 1. ad 6. fusius ponit verba Augustini, nos ex opusculo 6. §. 3. hæc tulimus.) Si aliquis intraret domum Fabri, & inueniret instrumenta ad quæ impingeret, & læderent eum, & ex hoc reputaret talem Fabrum malum, stultus esset, cum Faber ea teneat ad opus suum: ita stultum est dicere, creaturas per hoc esse malas, quia sunt in aliquo nociuæ, nàm quod vni est nociuum, alteri est vtile. Hinc Augustinus. [E] *ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud quod malum dicitur, benè ordinatum & suo loco positum, eminentiùs commendat bona*: & iterum. [F] *Deus cum sit summè bonus, nullo modo fineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeò Omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo.* Conclusum est autem finaliter contra Manichæos; quia Apocalypsis 14. legitur, *& adorate eum, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aquarum*; vbi D. Thomas in Apocalypsin, (quam reor priuiò edidisse ante aliam expositionem, quæ operibus suis inseritur) inquit, [G] istud est valde contrà Manichæos, quia si malus Deus, nullo modo est adorandus; ille autem adorandus est, qui fecit Cœlum, & Terram, ergo Creator visibilium est bonus, immò optimus; Coloss. 1. *in ipso condita sunt vniuersa, siue visibilia, siue inuisibilia*, & Hebr. 1. *per quem fecit & sæcula*.

C 1. p. 8. 3.

D 1. p. 6. 1. & de ve. 11. a. 1 & op. 6. §. 3. & op. 15. c. 16. & op. 23.

E p. p. q. 48. a. 1. 5.

F p. p. q. 48. a. 3. & q. 2. a. 3. 1.

G Apocalypf. 14.

8 *Cælum & Terram*. Itaque, quemadmodum ait Dionysius cap. 4. de Diuinis nominibus; *sicut Sol radios suos emittit ad corporum illuminationem, ita Diuina Bonitas radios suos, idest participationes sui diffundit ad rerum creationem. Mundum*, addit Boetius de consolatione, [H] *mente gerens pulchrum, pulcherrimus ipse similique imagine formans*; & Apostolus Hebræorum 11. *fide credimus aptata esse sæcula verbo Dei; vt ex inuisibilibus visibilia fierent*; vbi Angelicus, [I] omnia autem ista expressè sunt contra Manichæos; ipsi enim dicunt quòd non est curandum quid homo credat, sed tantùm quid homo faciat. Item dicunt, quòd non est creden lum, nisi vnde habetur ratio: sed Apostolus principium omnis operis ponit fidem, vnde dicit quod *est substantia*, idest fundamentum, & quòd *non apparentium*. Item damnant vetus testamentum dicentes, quòd à malo principio, scilicet à Diabolo conditum est: contrà quod dicit, quòd *in hac* (fide) *testimonium consecuti sunt senes*. Reuertentes au rem ad textum, mirum est, quot quamquè varia fuerint sacrorum Doctorum placita circa duarum eiusmodi vocum intelligentiam. D. Augustinus [L] censuit cœli nomine intelligi creaturam spiritualem: per terram autem significari materiam informem corporum omnium; & sic nulla creatura prætermissa est. Secundùm Bedam & Strabum, cœlum quod legitur in principio factum, est cœlum empyreum, idest igneum, (p. p. 66. 3.) à splendore sic dictum; quod Angelis fuit repletum. Quicquid autem fuerit, certum est ex fide, extare huiusmodi cœlum, Domicilium Beatorum, de quo [M] antonomastice capi potest quod dicitur psalmo 113. *Cælum Cæli Domino* vt exponit Angelicus Danielis 3. & puto etiam Ioannis 6. quamuis forte per errorem typographi legatur *sydereum*, loco *empyrei*. Et sic Deuteronomij 10. *en Domini Dei tui Cælum est, & Cælum Cæli*.

H Prolo. go 2. sent.

I Hebræorum 11. Lect. 2.

L 1. p. 68 a. 1. a. 1 & q. 74 a. 3. ad 2. & de potentia q. 4. 1.

M Danielis 3. & Ioānis 6.

9 Rationem autē congruentissimam excogitauit Angelicus, vt à quibusdam creditur in Boetium de Disciplina Scholarium [N] c. 3. quoniam cœli omnes habent quandam bonitatem participatam, proportionatam ipsi primo; cumque participare sine motu & fieri, possit & sit nobilius; consectarium est vltrà cœlos qui mouentur, præextare cœlum immobile, quod vocatur empyreum. Veruntamen durum videtur talem expositionem legitimam D. Thomæ credere, quamquam erudita, & florida ipsius ætate dignissima, quoniam, præter alia, non omninò Sancti Doctoris stylum sonantia, extat capite quarto expressa sancti Thomæ allegatio sub his verbis; *nota secundum Thomam 2. 2. q. 115.* Alterius ergò fortassè, immo veriùs, fuerit Auctoris. Damascenò cœlum, quod legitur primò factum, est quoddam cœlum sphæricum sine stellis, de quo Philosophi loquuntur, dicentes esse primam sphæram, & mobile primum; quod mouetur motu diurno. Rabbi Moysis alia est opinio, quam tangit Augusti-

N De scholariū discipli na. & p. p. q. 102. a. 2. 1.

nus etiam, cœlum prima die factum, esse cœlum sydereum. Chrysostomus sentit, summariè his duobus verbis à Moyse dici, quid fecit Deus. Sicut si dicat quis; *artifex fecit Domum istam*; explicaturus deinde partes. Apud Basilium tandem [O] ponuntur cœlum & terra, tanquam duo extrema, vt ex his intelligantur media; præcipuè quia omnium mediorum motus, vel est ad cœlum, vt leuium; vel ad terram, vt grauium. Cuique harum sententiarum sit sua laus: ipse libentius Basilio subscribo, vt scilicet sub certo nomine cęli, superiora omnia; terræ autem nomine, omnia significentur inferiora: itaque cœli nomine tota cęlestis machina accipitur, quia ex D. Thoma hic, omnes cęli in vna natura consistunt luminosa, & in vna figura circulari, & in vna periodo vel mensura in esse corporali. Immo si velis, & ignis & aer, qui maximè quantum ad partem [P] superiorem computantur cum cęlo, vt inquit Augustinus: vnde & Chrysostomus [Q] vnum cęlum nominat totum corpus, quod est super terram & aquam: & Basilius posuit plures cęlos: & Damascenus ponit cęlum aereum, iuxta illud, *volucres Cæli*, quod est propter participationem alicuius proprietatis celestis corporis, scilicet sublimitatis, & luminositatis actu vel potentia.

[O p. p. 74. a. & de potentia q. 4. a. 7.] [P p. p. q. 68. a. 2.] [Q p. p. 68. & q. 70. a. 3.]

10. Terræ autem vsurpatione, non solùm ipsum terræ elementũ, sed quæ adiacet ipsi aqua, (de qua statim subdit nomine abyssi) intelligitur: immo, si mauis, etiam inferior pars aeris aquis cognata, quarũ exhalatione ingrossatur: immò quatuor [R] omnia elementa; sicut in psalmo 148. postquam legitur, *Laudate Dominum de terra*, adijcitur; *ignis grando nix*, &c. Tali complexu accipi videntur cęlum & terra capite 2. *in die quo fecit Dominus cęlum & terram*. c. 14. *Benedixit Abram Deo excelso, qui creauit cęlum & terram*: & c. 24. *vt adiurem te per Dominum cæli, & terræ*, nunquid enim *Dominus omnium non est?* Esther 13. *ipsius est quippe mare, & ipsius sunt omnia*: & Apostolus postquam dixit Actorum 17. *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt*, adiecit compendio; *hic cęli & terræ cum sit Dominus*.

[R p. p. 74. a. & de potentia q. 4. a. 7. c.]

11 Quare autem non expresserit Moyses & ignem & aerem, explicat D. Thomas, [S] quia nimirum non est ita manifestum rudibus, quibus Moyses loquebatur, huiusmodi esse corpora, sicut manifestum est de Terra & Aqua; immò quidam Philosophi aerem dixerunt nihil esse, plenum aere, vacuum nominantes: quamuis Plato, vt refert Augustinus 8. de ciuitate Dei cap. 11. intellexerit significari aerem, per hoc quòd dicitur, *Spiritus Domini*; quia etiam aer spiritus dicitur: ignem verò intellexerit significari per celum, quod igneæ naturæ esse dixit: sicut & Rabbi Moyses sensit per *Spiritum Domini* intelligi aerem vel ventum: quod quidem à sanctis Patribus communiter non probatur: Moyses attamen vt capacibus veritatem exprimeret, dat locum intelligendi aerem; vt infrà patebit.

[S p. p. 66. a. 2. & p. 68. a. 3. & p. p. 74. & p. 74. 1.]

12 VERSVS II. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi*. Alia litera septuaginta [T] habet, *inuisibilis, & incomposita*. Huiusmodi voces duæ *inanis & vacua* indicant duplicem quasi turpitudinem, seu informitatem terræ; erat enim *inanis*, idest nondum fęcundata herbis & fructibus; quod est esse inanem vel otiosam & vanam; vanum est enim quod non pertingit ad suum effectum vel finem: eo vel maximè quòd erat inuisibilis ob aquas: & vacua; quia nondum suis habitatoribus ornata, & vacua animalibus: idem sonat incomposita, ac non ornata. In psalm. 23. *inanis*, idest informis, & vacua arboribus; *& tenebræ*, idest, aquæ, *erant super faciem abyssi*, idest super terram: *& spiritus Domini*, idest Aer, *ferebatur super aquas*. Vel *terra erat inanis*, idest inuisibilis super aquas, vnde sequitur, *congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida*. Itaque sic exponuntur illæ voces ex Genesi hic etiam. Ornatus terræ refertur ad sextam diem, qua dictum est, [V] *producat Terra animam viuentem*, &c. Veruntamen, quia herbarum virentium germina, plantarumque pomiferarum productio, nonnihil ornatus afferunt terræ, idem Angelicus Doctor [X] sustinet, hoc ornamentum respondere vacuitati; non inanitati, nondum fœcundatæ terræ. Et sanè est inchoatio quędã consummati ornatus, quem erat habitura sexto die per animas viuentes: attamen pertinet magis ad distinctionem & perfectionem, quàm ad ornatum, vt primò dictum est; quia terram plantæ sapiunt, cui immobiliter hærent. [A]

[T p. p. q. 1. c. & 1. & q. a. 1. &] [de potentia q. 3. 1. 7.] [V 2. d. 12. in fine, & p. p. 74. 1.] [X p. p. 66. 1. & de potẽtia q. 3. a. 1. ad 7. & p. p. 69. 1. c.] [A p. p. 69. a. 1. de potẽtia q. 2. ad 30. & ad Annib. 2. 14 1. 2. etiam alio q. 1. 5. 6.]

Et tenebræ erant super faciem abyssi. Dat locum capacibus, vt aiebam ex Diuo Thoma, [B] intelligendi aerem, quia innotescit aliquod corpus diaphanum, capax lucis & tenebrarum. Rabbi tamen Moyses [C] dicit ignem significari, quòd is in propria sphera non luceat. Subori- 13
tur difficultas quidnam Abyssi nomine importetur; præsertim quoniam varius videtur Angelicus: [D] nunc expresè nomen *abyssi* in aquæ nomen commutat; nunc [E] ex Diuo Augustino *abyssum*, dicit, significare quandam immensitatem inordinatam aquarum: in Genesin; [F] nota, inquit, quid intelligitur nomine *terræ* & *abyssi*: terra enim dicitur *abyssus* ratione informitatis, inanitatis, & tenebrositatis sub quibus creata est. Concordia dictorum accipienda est [G] aliunde: dicitur enim *abyssus* ab *a*, quod est *sine*; & *bysso*, quod est genus lini candidissimi; idest *sine candore*: subdit autem, appropriari etiam alijs; & hoc accidit materiæ, ratione priuationis: addens; vel dicitur *abyssus*, quasi *sine basi*, de aliqua magna profunditate; & præcipuè aquarum secundùm Augustinum. Licèt ergò ad cęlum quod est superius, [H] pertineat informitas tenebrarum, quia ex eo est origo luminis; quoniam attamen expandebantur tenebræ à summo ad imum, super faciem *abyssi* dictæ sunt esse; hoc est extensæ super superficiem aquarum, profundarum adeò, vt basim non esset quasi inuenire; vel offusæ infimo aeri, qui erat facies semiaquea ipsius abyssi; hinc Iob 38. *& caligine mare obuoluerem*: vbi D. Th. fortè alludit ei quòd dicitur Gen. 1. quòd *tenebræ erant super faciem abyssi*: & paulò post, *numquid ingressus es profundum maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?*

[B p. p. q. 68. 3.] [C p. p. q. 66. 1. 2.] [D p. p. q. 68. 3.] [E p. p. 69. 1.] [F Hic & 2. Petri 3. & psalm. 23.] [G 2. d. 12. Expositione textus.] [H p. p. q. 69. a. 1.]

Spiritus Domini ferebatur super aquas. [I] Rabbi 14
Moyses per *Spiritum Domini*, intelligit aerem vel ventum; sicut & Plato intellexit; & dicit quòd dicitur *Spiritus Domini* secundùm quòd Scriptura consueuit vbique flatum ventorum Deo attribuere.

[I p. p. q. 66. a. 1. 2. & 74. 2. 1. 4.]

re. Huius opinionis tale eſto iudicium: non
L Hic. eſt negandum [L] quin ſæpius in Scripturis *Spiritus* pro acre legatur (acte ſcilicet concitato, flante vento) Exodi 15. *Flauit Spiritus tuus, & operuit eos Mare*, & Pſ. 147. *Flabit Spiritus eius & fluent aquæ*: ex quo, non omnino exploditur iſthæc expoſitio; vt patet [M] quarto contra Gentes; fuitque etiam Theodoreti: nihilominus non eſt, vt dicit Baſilius, [N] conſuetudo (intellige vniuerſalis & inconcuſſa) Sacræ Scripturæ, vt per *Spiritum Domini*, aer intelligatur; & ideo commune eſt Sanctis Patribus (maxime, quoniam alia habet litera, *Spiritus Domini incubabat ſuper aquas*,) [O] vt accipiatur pro *Spiritu Sancto*; ex quo tota Sancta Trinitas [P] deſignatur. Pater, Dei nomine, qui creauit: Filius nomine principij: Spiritus Sanctus nomine proprio, cum dicitur, *Spiritus Domini* &c. nam & Spiritus Sanctus eſt principinm creationis; [Q] emitte *Spiritum tuum* &c. quia ex bonitate, & amore vult Deus quòd alia ſint: & præterea, quia procedit per modum amoris; amor autem vim quandam habet impulſiuam & motiuam; ex quo motus qui eſt à Deo in rebus, Spiritui Sancto proprie attribui videtur; & cum prima mutatio in rebus à Deo exiſtens intelligatur ſecundùm quòd ex materia creata informi, ſpecies diuerſas produxit, ideo ſcriptura, hoc opus Spiritui Sancto attribuit dicens, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: per aquas eum Auguſtino intelligendo materiam primam, ſuper quam Spiritus Sanctus dicitur ferri, non quis ipſe moueatur, ſed quia eſt motionis principium: hinc Eccleſia; *Tu ſuper aquas fotiuus eas, numen tuum expandiſti Spiritus; Tu animabus viuificandis aquas fœcundas; Tu aſpirando, das ſpirituales eſſe homines*: Et Actor. 2. *Factus eſt repente de Cælo ſonus, tanquam ſpiritus vehementis*. Conſtans proinde vbique eſt Angelicus Spiritum Sanctum ſignificari, & ideo exponit primò [R] ad mentem Auguſtini, qui aquarum nomine etiam materiam informem, (non tamen tempore præcedentem formas) intelligit, vt dicatur ſuperferri aquis Spiritus Domini, ſicut voluntas artificis ſuperfertur materiæ, quam vult formare; ſicut dicitur quòd volũtas fertur in volitum, & amor in amatum; non enim ſuperfertur loco ſed præexcellente potentia, vt Auguſtinus dicit. Deinde exponit cum D. Baſilio; [S] ſuperferebatur elemento aquæ, ideſt fouebat, & viuificabat naturam aquæ, ad ſimilitudinem Gallinæ cubantis, vitalem virtutem his quæ fouentur inijciens; habet enim aqua præcipuè vitalem virtutem, quia plurima animalia generantur in aqua, & omnium animalium ſemina ſunt humida. Vita etiam ſpiritualis datur per aquam baptiſmi, Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*: vnde Angelicus idem Ioannis 3. inquit, hoc etiam myſterium in prima [T] rerum productione ſignatum eſt Geneſis 1. quando *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. & [V] in 4. ſententiarum, aſtruit conuenientiſſimè fieri baptiſmum in aqua, quo Creationi, reparatio Mundi reſpondeat. Huc mirè facit quod eloquitur Ambroſius de aqua ſuper Luc. 22. *O aqua quæ humano aſperſum ſanguine, vt præſentium lauacrorum figura præcederet, Orbem terrarum lauaſti! O aqua, quæ Sacramentum Chriſti eſſe meruiſti; quæ lauas omnia, nec lauaris! Tu incipis prima, tù comples perfecta myſteria. A te principium, in te finis; vel potius, tù facis, vt finem neſciamus. Per te fætor tabidæ carnis aboletur, & pereuntia ſitu viſcera, aſperſo ſale in multam ſeruantur ætatem. Per te arentibus æſtu corporibus, dulcis ad gratiam, ſalutaris ad vitam, ſuauis ad voluptatem potus infunditur. Tu nomen Prophetis & Apoſtolis, tu nomen Saluatori dediſti: illi nubes Cæli, illi ſal terræ, ille fons vitæ eſt. Quæ montibus preſſa non clauderis, quæ ſcopulis illiſa non frangeris; quæ terris infuſa non deficis, ſed intimis ſcaturiens venis, aut ſpiritum incluſa vitalem inhalas; aut ſuccum diffuſa fertilem præſtas; aut irrigatum ſuperfuſa accommodum miniſtras, ne ſiccatis exinanita vitalibus, ſolitos neget terra prouentus. Te prophetico percuſſa tactu, vt ſitientium rigares corda populorum, vomuit petra. Cum de latere Saluatoris erumperes, percuſſores viderunt & crediderunt; & ideo regenerationis noſtræ de tribus vna es teſtibus: tres enim teſtes ſunt; aqua, ſanguis, & ſpiritus: aqua ad lauacrum; ſanguis ad pretium; ſpiritus ad reſurrectionem.*

L Hic.

M 4. con. G. c. 23.

N de potentia 4. 1. 2.

O Hic.

P 1. d. 11. 1. 5. 1. & p. p. q. 74. 3. 3.

Q 4. Con. G. c. 20.

R p. p. q. 66. a. 1. & 4. con. G. cap. 20. & 23. & p. p. q. 74. a. 3. 1. & 4.

S p. p. q. 74. 3. ad 4.

T Io. 3.

V 4. d. 3. 1. 3. 1.

15 VERSVS III. *Dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux*. Optimam oſtendit Angelicus Mundi Inſtitutionem [X] dicens: hanc autem inſtitutionis rationem Moyſes ſubtiliter, & diligenter expreſſit, primò enim rerum productionem proponit: *In principio creauit Deus Cælum, & Terram*: deinde ſecundùm ordinem conuenientem, omnia diuinitus diſtincta eſſe denunciat, videlicet diem à nocte, à ſuperioribus inferiora, mare ab arida: hinc Cœlum luminaribus, auibus aerem, mare piſcibus, animalibus terram ornatam refert: vltimò aſſignatum hominibus, terræ animaliumque dominium: vſum verò plantarum tàm ipſi quàm animalibus cæteris, ex Prouidentia diuina denunciat.

X op. 20. c. 3.

16 Itaque *dixit Deus, fiat lux*. In aliquo certè ſubiecto vt docet p. p. q. 74. 1. 4. Particula huiuſmodi *Dixit*, altiſſimam condit Theologiæ contemplationem, dicere enim Dei [A] eſt gignere Verbum: vnde D. Thomas in 2. d. 12. q. 1. a. 3. ad. 5. *Dixit Deus fiat*, ideſt, Verbum genuit, in quo erat, vt fieret: & idem, Quodl. 4. a. 6. ex Auguſtino, & in Iob c. 2. ea quæ ſuprà tempus ſunt, per tempus deſignantur, ex aliquibus quæ dicuntur in tempore: ſicut in principio Geneſis dicitur Deus aliqua dixiſſe primo vel ſecundo die, quamuis eius dicere ſit æternum, propter hoc quòd ea quæ ab ipſo dicuntur, fiebant in tempore: & ideo, vt Sanctiſſimæ Triadis tertia indicaretur Perſona, nimirum Diuinus Amor, adiecit [A] Moyſes, *Vidit Deus lucem quòd eſſet bona*. Per hoc autem quòd dicitur Deum omnia feciſſe Verbo ſuo, Ioannis 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*, excluditur error ponentium Deum produxiſſe res ex neceſſitate naturæ: per hoc quòd fit mentio amoris, oſtenditur quòd Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit: & meritò ſanè hanc phraſin dicendi prompſit Propheta, quia in nomine Verbi [B] importatur reſpectus ad creaturas; dicitur [C] enim non ſolum Verbum, ſed & res quæ Verbo intelligitur, ſeu ſignificatur; vnde in pſalmo 148. *Ipſe dixit & facta ſunt*.

A p. p. q. 14. a. 1. ad 3. & op. 13 & 4. c. Gent. c. 13 & p. p. 74. 3.

A p. p. q. 12. 1. ad 1 & Annibal. 2. 13. 4. 1.

B p. p. q. 34. 3.

C p. p. 14. 1. 3. & 2. 1. 13. q. 1. 5.

17 *Fiat lux*. [D] In hoc quòd dicit, *Dixit Deus, fiat*, importatur ex Baſilio Imperium Dei de faciendo: per hoc quòd ſubditur, *& factum eſt*, Im-

D p. p. 74. a. 1. c. & ad 5.

por-

portatur complementum operis: idcirco exprimitur sermo [E] Diuinus per Verbum imperatiui modi. Per lucem multa possunt intelligi [F] ad literam, lux Corporalis; & pertinet ad sensum literalem: allegoricè, *fiat lux*, idest nascatur Christus in Ecclesia; quod recolit alibi [G] D. Thomas: anagogicè, *fiat lux*, idest vt per Christum introducamur ad gloriam: sensu denique morali, *fiat lux*, idest per Christum illuminemur in intellectu, & inflammemur in affectu. Redeundo autem ad sensum literalem; incipit rerum distinctio à luce, quia lux est qualitas primi corporis; [H] & in ea communicant inferiora corpora cum superioribus, atque per lucem omnia manifestantur. Circa huiusmodi lucem dixere quidam [I] (& talis opinio fuit Magistri) lucem illam fuisse quandam nubem lucidam; quod S. Doctor in 2. ad bonum trahit sensum, vt intelligatur secundùm similitudinem proprietatis; vt fuerit quoddam lumen imperfectum, quemadmodum est nubes translucida: aliàs quærendum esset, quid factum sit de illa nube, nec enim decet, desierit, cum tempus erat condendarum rerum: neque adhuc cohærere Soli, cùm superflueret: nec ex ea factum Solem, cum Solis materia vtpote Cœlestis, sub alia, & alia nequeat esse forma. Quamuis autem Angelicus hic, hos dicendi modos de nube admittat, tamen ad aliorum placitum credendus est fuisse locutus, vnde vtitur impersonali verbo *dicitur*: iunior enim fortasse scripsit in Genesin satis superque ingenita modestia ac humilitate cautus in asserendis, ideoque passim vsurpat hanc vocem *credo*: & forte Diuum Dionysium nondum legerat, cuius sifus auctoritati quid senserit de hac luce, clarius, cum de luminaribus quarto die factis agemus, patebit. Itaque eidem Sancto Doctori locis citatis arridet eiusdem Sancti Dionysij sententia capite 4. de Diuinis nominibus, vt lux primo die facta, sit lux Solis; [L] sic enim ait citato c. 4. locutus de Sole, *ipsum enim est illud lumen, quamuis tunc informe erat, quod diuinus dixit Moyses*.

18 VERSVS IV. Et *vidit Deus lucem quòd esset bona, & diuisit lucem à tenebris*. Quasi diceret, quòd vnumquodque ideo factum est, quia bonum est ipsum esse. Contra errorem Origenis p. p. 65. 2. & 2. c. Gen. c. 44. In hoc significatur [M] quædam complacentia Dei Opificis in re facta; non quòd alio modo cognosceret aut placeret ei creatura iam facta, antequam fieret; vnde illud quod sciuit Deus vel vidit bonum ab æterno, inquit Augustinus, [N] vidit bonum ex experientia, quando lux fuit formata. Dicitur autem lux à lucendo vel purgando; quia tenebrarum & sordium purgatiua est. *Diuisit*, &c. In singulis operibus [O] postquàm dicitur, *& factum est*, aliquis actus Dei subditur, vel *fecit*, vel *distinxit*, vel *vocauit*; præcipuè propter illos, qui posuerunt omnia visibilia per Angelos facta. Distincta est autem lux [P] quantùm ad tria; Primò quidem quantùm ad causam, secundùm quòd in substantia Solis, erat causa luminis, in opacitate vero terræ causa tenebrarum. Secundò quantùm ad locum, quia in vno hemisphœrio erat lumen, in alio tenebræ. Tertiò quantùm ad Tempus, quia in vno hemisphœrio secundùm vnam partem temporis erat lumen, secundum aliam tenebræ; & hoc est quod dicit, *appellauit lucem diem, & tenebras noctem*.

VERSVS V. *Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem; factumque est vespere, & mane dies vnus*. Obseruat Angelicus ex Rabbi Moyse; 19
[Q] vbicunque legitur *vocauit*, significari æquiuocationem nominis, vt in præsenti æquiuocè dicitur dies; nam *dies* etiam nuncupatur spatium vigintiquatuor horarum. Intelligitur autem vbique per hoc quòd dicitur *vocauit*, idest dedit naturam, vel proprietatem vt possit sic vocari; vnde hæc appellatio [R] non dicit aliquam expressionem idiomatis, sed hoc tunc præconcepit, quod postmodum compleuit, cum fuit qui illud idioma potuit concipere. *Vespere & mane*. D. Basilius [S] dixit per vespere & mane, quæ sunt termini diei illucentis, significari diem naturalem viginti quatuor horarum, tanquam totum a parte. Potest dici etiam quòd in prima distinctione rerum, congruum fuit, principia temporum memorari; vespere autem est principium noctis, & mane habet etiam quod sit principium diei sequentis. Si verò quæratur cur vespere præponatur mane? Prima ratio est Chrysostomi; quia dies naturalis non terminatur in vespere, sed in mane. Secunda ratio est D. Thomæ citato loco; quia priùs occurrit terminus lucis, nimirum vespere, quam ipsum mane: quod explicat magis hic; [T] quia mane dicit finem noctis præcedentis, & initium diei sequentis; vnde cùm primò facta est lux, non fuit propriè mane. Mysticam autem rationem tangit [V] Angelicus dicens: primi dies propter futurum hominis lapsum computantur à luce in noctem, nam aliàs dies incipere videtur ab ortu Solis.

Dies vnus. Videtur fuisse dies primus, cùm 20
in principio creauit Deus cœlum, & terram, maximè, quia secundùm communem Sanctorum [X] tempus vnum fuit ex concreatis. Quo circa inquit [A] Angelicus: quidam dicunt, quòd opus distinctionis statim cum opere creationis incepit, ita quòd opus creationis ad primum diem pertineat: sed melius videtur dicendum quòd creatio fuit ante omnem diem. Licèt ergo in prima creatione fuerit aliquod tempus, qui numerus esset motus cœlestis corporis; de quo cautè loquitur D. Thomas; [B] de quo non nihil tangit [C] alibi; attamen, non propterea dies aliquis esse dicebatur; qui vel discrimen & successionem importat tenebrarum post lucem, vel varietatem dependentem à Solis cursu. Dies itaque fuit solum post factam lucem, nam tunc videtur institutus [D] motus diurnus communis omnibus Cœlis. *Dies vnus*: non dicit, dies primus, quia [E] vltra ordinem, designare voluit quale spatium compleret diem: vnde per hoc quòd dicit *vnus*, præfigitur mensura diei naturalis; vel propter hoc vt significaret diem consummari per reditum Solis, ad vnum & idem punctum; vel quia primus, cum ad ipsum redeatur post septimum, vnus habet esse cum octauo, & hæc ex Basilio: vel potest dici ly *vnus* idem sonare ac *primus*, sicuti Marci 16. dicitur *vna sabbatorum*, & Ioannis 20. *vna Sabbati*, idest *prima Sabbati*.

VERSVS VI. *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*. Implexa valde est expositio huius textus. 21

si per

E 3. p. 78. ... 2. F ad Galat. 4. l. 7. G in ps. 47. H p. p. q. 67. a. 4. I p. p. q. 67. a. 4. ad ... & in 2. d. 13. q. 1. a. 4. L p. p. q. 8. 1. p. p. ... 70. 1. 2. ... ntè 13. ... 1. a. 4. ad ... An... ib. ibi. M p. p. 74 ... 3. N D. Thomas hic. O p. p. q. ... 4. 3. 5. & Annib. 13. q. 1. 4. ad 4. P p. p. q. ... 1. 2. & de potentia 4. ad 6.

Q p. p. q. 68. 1. 2. & p. p. q. 69. 1. 5. R D. Thomas hic. S p. p. 74. 3. 6. & in 2. d. 12. q. 1. a. 5. ad 8. T D. Th. hic. V 1. p. 52. 4. 1. & 3. p. 53. 2. 3. X p. p. 66. 4. A 2. Annib. 13. 3. B p. p. 66. 4. 1. C 2. d. 13. 4. 3. & hic c. 2. post principium. D p. p. 67. 4. 1. & de potentia 4. 2. 7. E p. p. q. 74. 3. 7.

si per hos dies intelligatur vera temporis successio, secundùm quam hucusque locuti sumus, quamque præsefert planities literæ; si enim caperetur præcedentia vnius & alterius facti, natura solùm non tempore ad mentem Augustini, facilè saluaretur firmamentum acceptum pro cęlesti corpore esse factum hac die: quod esset, informationem substantialem subsequi in posteriori, natura; sicut è contrà materia prima præcedit: vnde factum perlubèretur firmamẽtum posterioritate philosophica. Secundùm Bedam & Strabum, [F] qui vt suprà retulimus, censent cœlum prima die factum fuisse empyreum, firmamentum hoc die factum, est cęlum sydereum: non strictè accipiendo sydereum, vel firmamentum, pro Aplane in quo sunt stellæ fixæ; sed latius [G] prout diuiditur in octo sphęras, scilicet in sphęram stellarum fixarum, & septem sphęras Planetarum: in quo consentit Damascenus; qui tamen differt quoad principium, quia putat prima die factum esse cœlum sphœricum sine stellis, vt supra relatum est. Horum placita probari vix possunt, quoniam productio substantiæ rerum, & elementorum spectat ad opus creationis; his autem diebus creditur distinxisse, & ornasse: vnde ne confunderetur omninò creationis dies ab alijs diebus, oporteret ponere materiam firmamenti præfuisse sub alia forma; quod cęli incorruptioni repugnat. [H] Nisi dicatur esse cęlum ex elementis compositum, vt posuit Empedocles; nam si est quinta essentia, vt vult Aristoteles præter quatuor elementa, vel etiam elementum ignis iuxta Platonem, non debuit fieri secundum substantiam nisi in principio; quando *creauit Deus*, &c. Stante igitur quòd secundum substantiam fuerit creatum cœlum in principio, restat vt hoc secundo die, dicatur fieri idest formetur accidentario aliquo additamento, & consentaneo naturæ ipsius, & conferenti ad orbis nexum, & ad inferiorum esse, & propagationem, quemadmodum de luminaribus infra dicemus. Quomodo autem sit in medio aquarum, postquam formatio eius per situm aeri cœli seu firmamenti indicata est a Moyse, inquirendum est.

F p.p.68. 1. 3.

G p.p.68. a.4.& hic pag.6.

H p.p.68. 1. & p.p. 70.a. 1.

22 Secundùm viam Augustini, [I] qui nomine Terræ & Aquæ, significari vult in hoc loco materiam primam informem, vnde inquit, *Moyses non vocauit eam tantùm aquam, vel tantùm terram, ne videatur secundùm rei veritatem esse vel terra, vel aqua, cùm secundùm similitudinem sit vtrumque; terra in quantum subsidet formis; aqua, in quantùm est apta formari, sic vel sic*: secundùm hanc, inquam, viam facilis est enasio difficultatum; [L] firmamentum enim est inter corpus & materiam superioris cœli, & hæc inferiora, & sic diuidit aquas ab aquis. Incedendo autem via alia; non possumus tàm facilè admittere, vt suprà cœlum sint aquæ eiusdem speciei cum inferioribus: [M] (quam opinionem tangit Basilius) primò, ex parte ipsarum aquarum, quæ naturaliter fluidæ sunt, & ex innata grauitate, & materialitate superiorem locum occupare non debent. Nec iuuat recurrere ad Dei potentiam, quia vt inquit D. Augustinus, *quemadmodum Deus instituerit naturas rerum conuenit quærere, non quid in eis vel ex eis miraculum potentia sua velit operari*. Non suffragatur deinde quod essent ibi supra cœlum veræ aquæ sed non fluidæ, benè vero quasi glaciali soliditate firmatæ; quia, vt inquit Basilius, puerilis dementiæ, & insipientis mentis est, talem [N] de cœlestibus capere opinionem. Denique non valet excogitatio, vt nostrates aquæ, quasi sine fine rarescentes eo vsque potuerint ascendere; quia excessiuè rarefacta aqua exuit aquæ naturam, & ordo videretur confundi elementorum & vniuersi, si sydereum cœlum elementaris aqua transcenderet; maximè autem, quoniam nullus apparet naturæ fluxus, in tali aut situ aut ascensu: non enim ad temperandum cęlestium corporum calorem ibi fuissent aut creatæ aut subductæ, cùm peregrinæ impressionis capacia non sint illa corpora: nec posset refrigerari Saturnus, (quod astruunt,) nisi octauæ sphęræ stellæ infrigidarentur; cuius constat contrarium, multis earum calidis secundùm effectum. Nisi in opem huius sententiæ crederentur cœli de naturis elementorum, quæ videtur Empedoclis positio haud probata; aut crederetur esse infinitum aquarum corpus suprà cœlum, antiquata opinione eorum, qui [O] aquã, principium omnium corporum dicebant cum Thalete Milesio.

I p.p. 66, 1. 1.

L p.p.68. 2.

M p. p. 68. 2.c. & de potentia q.4. a. 1. 5. & quod lib. 4. a. 3. & in 2. dist. 14.

N de potentia 4. a. 1. ad 5.

O p. p. 68. 3.

23 Igitur verosimilior est opinio, vt aquarum nomine intelligatur illud cœlum, quod est suprà sydereum, quod ob diaphaneitatem dicitur aqueum; sicut empyreum, dicitur igneum, non quidem à calore sed à splendore. Hanc sententiam libens amplectitur vbilibet D. Thomas; subdens, huiusmodi cœlum aqueum ponitur ab Astrologis nona sphœra, & propter soliditatem dicitur crystallinum, sicut de omnibus cœlis dicitur Iob 38. quòd *solidissimi quasi ære fusi sunt*. [P] Adde dici ex ære ob perpetuitatem incorruptionis; sicut aiebat Horatius; *exegi monumentum ære perennius*. Fit autem diaphanum ad differentiam syderei, quod partim est actu lucidum, partim diaphanum. Itaque cœlum sydereum latè acceptum prò octo sphęris, quæ conueniunt in similitudine naturæ, distinguit corpora inferiora diaphana, quæ Moyses imbecillitati populi condescendens, [Q] aquarum nomine vocauit, à diaphanis corporibus superioribus. Sed quoniam nouissimis Astrologorum [R] obseruationibus deprehensi sunt supra octauam sphœram, translucidi & perspicui sine stellis duo cœli, idcircò fortasse Moyses, plurali voce aquas diuisas dicit ab aquis, vt rudem moneret populum, alia esse quasi aquea corpora suprà firmamẽtum, quæ non caderent in conspectum; nàm prisci quanquam studiosi, de numero sphœrarum ignari fuere, octo duntaxat rati, inter quas esset primum mobile, firmamentum.

P p.p. 68 4. & de potentia cit.

Q p.p.q. 68.4.

R 2. dist. 14. 4. 1.

23 Fuit etiam aliorum expositio, vt firmamentum diceretur pars illa superior aeris, in qua, vel supra quam generantur nubes, & pluuiæ, & dicatur firmamentum propter spissitudinem aeris in parte illa, eò enim non peruenit reflexio caloris à terra, quo attenuatur: Rabbi Moyses, sic æquiuoce accepit firmamentum; Veruntamen D. Thomas [S] non probat, quia subditur, posuisse *Solem Lunam & Stellas in firmamento cęli*; non ergo firmamentum est aliqua aeris pars. Præterquam legitur *diuisit aquas ab aquis, quæ erant super firmamentum*; & tamen ca-

S in vtroque 2. d. 14. & de potentia cit.

pite

pite 2. dicitur, *non enim pluerat Dominus super terram*; Vt quid etiam Moyses fuisset solicitus, de tradendo hoc firmamento, quod vix deprehenditur à Philosophis, & de distinctione pluuialium aquarum ab inferioribus, cùm ageret de conditu Orbis secundùm primænas partes, non de vaporum aut exhalationum calidarum ascensu? Præterquam in Cantico liquet discrimen, ait enim, *benedicite aquæ omnes quæ super cęlos sunt Domino*, & deinde; *benedicite omnis imber, & ros, Domino*. Verumtamen quoniam aliàs legitur in psalmis, 103. & 147. *qui tegis aquis superiora eius; aquæ omnes quæ super cęlos sunt*; quomodo & quales aquæ ibi sint, esse ibi eas minimè dubitemus. Maior est quippe scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas. Potiùs eruut cœli de naturis elementorum; potiùs vltrà hoc firmamentum aereum, erit firmamentum cęli, in quo posuit sydera; potiùs, quemadmodum pituita flegmaque cerebrumque in quo est frigiditas parui mundi, nempe hominis, obtinuere altiorem quàm cordis calor, capitis situm, sic aquæ erunt sursùm; potiùs excogitabilis modus quinis alius astruet indubitanter has aquas; potiùs Cęlum & Terra transibunt, quàm non stet reuelata veritas, quàmque non stet *firmamentum in medio aquarum*. Tandem hactenùs dictis adderem quoque, aquarum nomine hic memoratarū, posse intelligi cœlorū superiorum naturam, qui cum nostro non subdantur aspectui, neque facile capiantur, satiùs signari nequeunt, quàm per aquas: ex aqua quippe fit crystallus: sunt autem solidi, cęli illi translucidi, quasi vitrei; sicut Apocalypsis 4. *Et in conspectu sedis, tanquam mare vitreum, simile crystallo*. Eos dicit scripturas idcirco aquas.

24 VERSVS VII. Et *fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum, & factum est ita*. Apparet manifestè quomodocunque accipiantur aquæ & firmamentum, diuisas esse ad inuicem aut loco, aut loco simul & specie. Dicitur autem facta hæc diuisio, vel quia hoc die formationem aliquam habuit firmamentum, vel aer nubilosus coaluit: non addidit autem in hac secunda die, *vidit Deus quod esset bonum*, [T] quia opus distinctionis aquarum nunc inchoatur, & in tertio die perficietur, vnde quod ponitur in tertia, die refertur etiam ad secundam.

[T p.p. 74. 1. 1. & 2. Annib. 14. 2. ad 4.]

25 VERSVS IX. *Dixit verò Deus, congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida & factum est ita*. *Congregentur* motu locali naturali, quia iussio Dei præbet [V] naturalem motum corporibus: vel dici posset, quòd naturale esset aquæ esse vndique circa terram, & ideò iussit. Hieremiæ 3. *posuit arenam terminum Maris, præceptum sempiternum quod non præteribit*. Non vtitur autem verbo factionis, quia opus tertiæ diei perfectum fuit solummodo secundum motum localem. *In locum*; vel sic vt in maiorem altitudinem sint eleuatæ, vbi congregatæ sunt; nàm mare est altius terrà, vt experimento compertum est in Mari rubro. *In locum vnum*; quia omnes vnum terminum habent scilicet Mare, in quod confluunt; vel manifestè, vel occultis meatibus. Vel, *vnum* dicitur non simpliciter, sed comparatione ad locum terræ siccæ; & ita in *vnum locum*, idest seorsim à sicca: vnde ad signandam pluralitatem [illegible] *congregationes aquarum appellauit maria*. Et *appareat arida*. Quæ prius dicebatur terra secundùm suam naturam, nunc, inquit Basilius, ex sua principali proprietate dicitur arida, nempe ex siccitate. S. Petrus in sua secunda c. 3. *& terra de aqua, & per aquam consistens*, idest per aquæ congregationem; Beda, quia per Diuinam dispositionem venis aquarum est tota plena, sicut corpus animalis sanguine, [X] alioquin non staret sed redigeretur in minutissimum puluerem secundùm Philosophum; cùm enim sit maximè sicca, indiget humiditate, qua eius partes consistant; ideò dicitur in psalmis 23. & 135. *qui fundauit terram super aquas*. Hoc ipsum repetit Angelicus [A] in psalmo 23. terra indiget humore continente, & continuante, & sic fundatur, & confirmatur super aquas; & quia quasi in qualibet parte terræ fit generatio aquarum, tota ferè terra potest dici fundari super aquas; tamen addit, terram esse super aquas, non sub aquis, vt homines, & animalia possint in ea viuere: vel *super maria fundauit eam*, idest iuxta; sicut alibi *super flumina Babilonis*; idest iuxta flumina, nam maria sunt iuxta terram, vt patet. Húc facit illud Pl. *congregans sicut in vtre aquas maris*. Iob 38. *quis conclusit ostijs mare? vsque huc venies, & non procedes ampliùs; & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Et Ieremiæ 5. *posuit arenam terminum maris; præceptum sempiternum, quod non præteribit*. Sic *factum est vespere & mane dies tertius*; completique sunt dies distinctionis; cum enim de tribus fiat sermo, de Cęlo, de Aqua, & de Terra, tanquam de duobus extremis, & medio, informibus propter carentiam debitæ distinctionis, & consummatæ cuiusdam pulchritudinis; [B] (Ps. 145. *qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt*) primo die fit distinctio in cęlo per lucem: secundo die in aquis: tertio in terra seiuncta ab aquis: cuius etiam inchoatur ornatus dum dicitur, *germinet terra herbam virentem*. Igitur

[X 2. Petri 3. & hic c. 8.]
[A Ps. 23.]
[B p.p. 69. 1. & q. 70. p. c.]

26 VERSVS XI. *Germinet terra herbam virentem &c.* herbam vocat [C] omnia terrę nascentia, quantitatem breuem habentia, & raram substantiam: *lignum* autem *pomiferum*, vocat arbores, quę habent soliditatem maiorem ligneam, non raritatem herbalem. [D] Secundùm Augustinum non sunt productæ plantę in actu, sed secundùm quasdam rationes seminales; vnde fuerunt productæ plantæ hac die, causaliter solùm. Verùm alij Sancti Patres asseuerant secundum quod sonat litera, fuisse productas in actu; immo etiam ligna Paradisi hac die. Sunt autem herbę factę [E], in sua perfectione vt homo: plantęq; [F] formatæ ex prçiacente materia, vt animalia. Dicitur autem *germinet terra*, quia radicalem habet coaptationem ad hęc, magis quàm ad hoc vt iumenta & reptilia, ex terra fiant: nihilominus quia primas herbas, primasque plantas, non generauit ex seminibus, dicitur *protulit terra &c.* & ideo vt hanc radicalem coaptationem indicaret, adiecit, & *protulit terra*: quod nisi peculiarem aliquam præcontinentiam quasi seminalem, ad imperfectiora & quasi maternam ad perfectiora (de quo D. Thomas hic, & 2. d. 14. q. 1. a. 5. ad 6.) innueret, perperam post illa verba, & *factum est ita*, fuisset dictum. Et quia herbæ

[C D. Th. hic.]
[D p.p. 69. 2. & p.p. 102. 1. 5.]
[E p.p. 70. 2. 5.]
[F p.p. 70. 1. 2.]

quan-

quandoque in propagatione degenerant externæ dispositione in aliam speciem, sicut in filiginem [F] triticum, ait de herbis, *iuxta genus suum*; quoniam verò arbores non ita, de his dixit *iuxta speciem suam*. Non fit autem mentio de lapidibus, metallis, aut mineralibus; quia hæc habent [G] generationem occultam in visceribus Terræ; & iterum non habent tam manifestam distinctionem à terra, sed quædam terræ species videntur.

[F D. Th. hic.] [G p.p. 69 a. 3.]

27 VERSUS XIV. *Fiant luminaria in firmamento Cæli*. Quartus dies cum duobus sequentibus ornatui datur; & differt ornatus à perfectione, [H] nam perfectio cęli & terræ ad ea pertinere videtur, quæ cęlo & terræ sunt intrinseca; ornatus vero ad ea quæ sunt a cęlo & terra distincta: & quia rerum distinctio, manifestatur maximè per motum localem, quo ab inuicem separantur, ideò ad opus ornatus pertinet productio illarum rerum, quæ habent motum in cęlo, & in terra. Quarto ergo die producuntur luminaria quæ mouentur in cęlo, per relationem ad primum diem formationis itidem factæ in cęlo per lucem. Hic autem non astruimus propterea Ptolemæi sententiam, vt luminaria habeant motum [I] seorsum à motu sphęrarum; nam etiam secundum Philosophum, licèt luminaria non moueantur nisi motu suorum orbium, ad sensum apparet moueri ipsa luminaria, quod rudi populo facit, quem potissimum Sacer Chronista intendit instruere. Igitur, *fiant luminaria* &c. non quidem simpliciter, & secundum substantiam, quia dies ornatus creationem supponit; quare dicuntur fieri luminaria quarta die [L] secundùm D. Dionysium c. 4. de Diuinis nominibus, in quantum data est eis specialis & determinata virtus ad particulares effectus, secundum quod videmus alios effectus habere radium Solis, & alios radium Lunæ: vnde dicuntur fieri, eo modo, quo cum quis docet aliquem canendi artem, dicitur fecisse hominem musicū: patet etiam ex contextu; siquidem non dicuntur simpliciter fieri, sed fieri, *vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos*: quod est recepisse a Deo non solum determinatam vim ad agendum in hæc inferiora, sed tunc primò incepisse peculiari motu moueri; nam diuersitas diei ac noctis, dierum ad inuicem, temporum & annorum, vt præualeat vel temperetur calor, a luminarium & stellarum motu deriuatur. p. p. 70. a. 2. ad 3. & sic, *in signa, corporalium transmutationum, puta pluuiosi temporis vel sereni. Quocirca, non intelligimus*, inquit Theodoretus, *secundùm opinionem quorundam stultorum de cuiusque natiuitate, quam nec Pythagoras, nec Socrates, nec Plato, nec Stoici receperunt. Signa igitur vocat Diuina Scriptura, quibus cognoscamus tempus opportunum seminandi, plantandi, purgandi; & ligna cædendi, ad nauium & domuum constructionem idonea*. Astrologos iudiciarios, Planetarios Genethliacos, vndecunque confutari, damnari, ac rideri, vide Conimbricenses de cælo lib. 2. quæst. 9.

[H p.p. 70 a. 1. & de potentia q. 4. a. 2. ad 30.] [I p. p. q. 70. a. 1.] [L p.p. 67. 4. 2. & p. p. 70. a. 2. & de potentia a. 6. & in fi. a. in fine.]

28 Ex his exponitur magis quidnam sentiendum de luce, prima die facta; siquidem iuxta D. Dionysium ac etiam Gregorium [M] lux primæ diei fuit lux ipsissima Solis. Ratio autem Dionysij est, quia cum in lucis productione intelligatur proprietas luciditatis & diaphaneitatis (quæ ad genus lucis reducitur) collata tunc fuisse omnibus corporibus lucidis, & diaphanis, meritò Sol, qui est totius illuminationis fons & principium, intelligitur luce illa illustratus: cum ergò esset creatus informis, ad Diuini Imperij nutum erupit in lucem, cum qua motu communi solummodo, seu diurno reuolutus cœpit distinguere diem ac noctem, diuidendo lucem à tenebris, vt supra dictum est, in ęquinoctio ex Augustino 3. p. 46. 9. 3. Quare cū solum quarto die peculiarem motum receperint luminaria, creduntur permansisse tribus diebus prioribus in loco, & situ (nisi quod rapiebantur) vbi creata fuere. Itaque singulis ijs tribus diebus vespere redibant luminaria ad idem punctum; Luna scilicet, quę secundùm Magistrum historiarum fuit facta plena, erat, Sole occidente, in Oriente: quod autem esset circinata in orbem qualis est in plenilunio, probat per aliam translationem *luminare minus in inchoatione noctis*: [N] manè tamen creditur Deus molitus opera sua, vnde D. Thomas in quarto; [O] satis probabiliter dicitur a quibusdam, quòd Resurrectio erit quasi in crepusculo, Sole existente in Oriente, & luna in Occidente, quia in tali dispositione, Sol & luna creduntur creata: & huc facit quod retulimus ex eodem Angelico, [P] *factum est vespere, & mane dies vnus*: pręmittitur autem vespere, quia cum à luce dies inceperit, prius occurrit terminus lucis, quod est vespere.

[M de potentia 4. a. 2. ad 6. & 9. & in 2. d. 13. q. 1. 4. 2.] [N D. Th. hic & p. p. 70 a. 5.] [O 4. 43. q. 1. a. 3. ad 4. & hic. & op. 60. a. 25.] [P 1. p. 74. 3 6]

29 Hinc etiam magis exponitur quod dicit Magister in secundo & D. Thomas hic, quòd nimirum de luce primæ diei, quæ dicitur fuisse nebula, factus est Sol; exponitur inquam [Q] sano modo; vt dicatur ex ea factus Sol non secundùm substantiam, sed per additionem nouæ virtutis. Non potest autem non quæri à curiosis ingenijs, cur Moyses non potiùs dixerit Solem factum in principio, aut dicendo *fiat lux*, non dixerit *fiat Sol*: attamen multiplex potest esse ratio; primò quia dicens & docens mundi Creationem, paucis voluit omnia comprehendere, exprimendo cœlum & terram, vt dictum est supra; locum etiam ita relinquens menti D. Augustini, interpretatione varia rem expendentis. Deinde exprimere voluit lucem, & non Solem, quia Sol adhuc secundùm sibi propria nondum erat; aliasque luciditas communis diaphanorum omnium erat prænotanda his verbis *fiat lux*. Denique ideò vt ait Chrysostomus, [R] non fit mentio de luna & sole & stellis, vt remoueretur populus ab idololatria, ostendendo luminaria non esse Deos ex quo a principio non fuerunt: quod eis adhùc inhibetur Deuteronomij 4. *ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas solem, & lunam & omnia astra cœli, & deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium*: vnde idem D. Thomas, [S] vt populum ab Idololatria reuocaret, solùm tetigit esse facta ad hominum vtilitatem; & sic *vt luceant, vt sint in tempora, dies, & annos, & in signa*. Sicut etiam, vt dicit Basilius, voluit præmitti (quod & factum est, [2] quia prima viuentium procreatio non fuerat facienda virtute solis) productionem plantarum luminaribus ad excludendam idololatriam; qui enim credunt luminaria esse Deos, dicunt quod primordialem originem habent plantæ à luminaribus; quamuis, vt Chrysostomus dicit, sicut

[Q 2. d. 13. 1. a. ad 2. & de potentia. 4. 4. a. 2. in fine.] [R p. p. 70. 2. 1] [S p.p. 70. 2.] [S 2. Anno. 14 q. 2. 2. 2.]

agri-

agricola cooperatur ad productionem plantarum, ita etiam & luminaria per suos motus.

30 *Fecitque Deus duo luminaria magna*. Repetitio, ne creatura administra quicquam cooperata crederetur: vnde D. Augustinus, [T] qui aliàs tenet plantas esse factas secundùm seminales rationes in virtute & caualiter, id non asserit de luminaribus: non enim habet firmamentum virtutem productiuam luminarium, sicut habet terra virtutem ad plantas; vnde Scriptura non dicit, producat firmamentum luminaria, sicut dicit *germinet terra*. *Magna*; non tam quantitate, cum multæ stellæ secundùm astrologos sint luna maiores, quàm efficacia & virtute, [V] vt ait Chrysostomus: vnde effectus lunæ magis sentitur in his inferioribus: aliàs secundum sensum, hæc alijs maior apparet: & licèt non essent magna corpora præ alijs; tamen præ alijs, sunt saltem *luminaria* magna.

(T p.p.70. 1. c. & de potentia q. 4. a. 2. ad 30.)

(V p.p.70. 1. 4.)

31 VERSVS XVII. *Et posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras*. De stellis est hic sermo, quia legitur fæminini casus, *eas*, & non *ea*: poni autem in firmamento conuenit etiam soli & lunæ & planetis, quamquam dicerentur non esse fixa in firmamento ad mentem Ptolemæi: [X] sicut *posuit* hominem in Paradiso, nec fixit vno in loco. Multò pressiùs dicuntur poni in firmamento inerrantes, quas cum errantibus posuit, vt præessent diei & nocti; quod est præesse tempori per diem & noctem labenti. Ampliorem tamen præsidentiam habent nocti, quia lucent super terram, etiamsi terram non illuminent, quod faciunt Luna & Sol: & ideo in psalmo 135. *Lunam & Stellas in potestatem noctis*: nàm si solus Sol esset, [A] omnia tempora essent eiusdem dispositionis in calore aut frigore: accidit autem variatio propter alia luminaria, *Et diuidant lucem ac tenebras*. D. Thomas, [B] non completè & integraliter, sicut lux primò facta, vel Sol, qui diuidit diem ac noctem, sed *lucem* non diurnam, *ac tenebras*, quia incompletam illuminationem faciunt, quæ sufficit ad necessitatem, nec est tanta quòd excludat animalium quietem: lux enim magna est sensuum apertiua, & quiescere non sinit. Dicuntur autem hæc omnia in firmamento *Cæli*; vnde posset quis sustinere firmamentum factum secundo die esse aetem nubilosum, quoniam deest ly *cæli*. Vel si vtrumque accipiamus pro vno, secundùm quòd sensui apparet, [C] quantum ad inferiorem partem dicetur factum secunda die.

(X p.p.70. 1. 3.)

(A ad Annib. 2. d. 15. 1. ad 3.)

(B hic.)

(C p.p.70. 1. 1.)

32 VERSVS XX. *Dixit autem Deus, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli*.

Quintæ diei ornatus, correspondet distinctioni secundæ diei, [D] & ideò nominat aquas, & firmamentum cæli, de quibus facta fuit mentio secunda die. Sic apparet etiam relatio sextæ diei ad tertiam. Aquarum nomine generali acceptione intelligitur & aer, qui cùm non sit sensibilis, vt aqua, per se ipsum non nominatur: præcipuè quantùm ad inferiorem sui partem, quæ exhalationibus aquæ ingrossatur; vnde aiebat Augustinus: [E] *aquarum natura locum sortita est inferiorem hic in terra, & superiorem in aura flabili*. Quamuis autem & pisces, & aues habeant simpliciter exuperantiam terrestris elementi, (quod patet ex densitate, grauitate, & soliditate ipsorum, & hoc ad contemperationem mistionis) attamen facta comparatione ad animalia terrestria, præponderat in piscibus aqua: [F] nàm habent naturam humidiorem, rariorem, & frigidiorem: & in auibus aer abundat, ad cuius indicandam raritatem & leuitatem plumescunt. Ex hac terræ abundantia fit, vt motu naturali, qui ad elementa sequitur & elementata, moueantur aues, & pisces deorsùm, cum grauitent, & propterea quiescant in terra: ex eo autem, quòd præ terrestribus, sint mista aquea & aerea, propendent etiam magis, ex complexionis prærogatiua subtilioris, ad motum sublimiorem in aqua, & aere, siue dicamus in aqua, cum qua pro indiuiso aerem accipitur: vnde dicuntur volare aues sub firmamento cæli, etiamsi firmamentum pro nebuloso aere accipiatur. Ex hoc autem motu in aquis, quem vt animalia sibi vendicant, fieri etiam ex aqua dicuntur.

(D p.p.71. 1.)

(E D. Th. hic & p. p.q.70. a. 1. c. & q. 71. 1.)

(F hic & ad Annib. 2. 1. 2.)

VERSVS XX. *Producant aquæ Reptile animæ viuentis*. Vniuersaliter, quod corpus per aquas trahit, reptare dicitur. Quamquàm autem vltrà pisces, qui non nisi natant in aquis, sint quædam Animalia quasi media inter cælestia, & aquarica, (quia natura non transit de vno extremo ad aliud nisi per media) quæ reptant aut gradiuntur etiam in terra, vt ranæ, canceri, vituli marini, crocodili, computantur cum reptilibus, de quo hic apud D. Thomam, cum quibus magis communicant: & tamen vt includantur omnia huiusmodi, quæ habent aliquid speciale inter pisces, subiungitur, *creauit Deus cete grandia*: sicut alludendo huic loco, dicitur Danielis etiam 3. *benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis Domino; benedicite omnes volucres cæli Domino*. Dicit autem de piscibus *animæ viuentis*, propter nonnullam imperfectionem vitæ eorundem. [G] Sicut è contrà propter perfectionem terrestrium quoad membrorum distinctionem, & generationem; & propter plantarum vitæ imperfectionem maiorem, in ipsarum productione, nulla sit facta mentio de vita: constat enim de perfectis; & de plantis, parcè admodum viuere prædicatur. 33

(G p.p.72. 1. 1.)

VERSVS XXI. *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus suum*. 34

Creauit. Non sumitur creatio in rigore in quantùm est rei productio ex nihilo. Hæc autem fuerunt facta ex præiacente materia, vt statim dicitur etiam, *quam produxerant*: & ideo dicitur *creauit omnem animam*; non enim ad totum virtus Diuina se tunc extendit, eùm præextaret aqua ex qua fierent. Vsurpat autem hanc vocem *creauit*, à qua abstinuit, cùm ageretur de plantarum productione, quia vt proferat terra herbas, & plantas absque seminibus, est innata virtus, si cælestis corporis accedat pariter virtus, solo Dei generali concursu: non sic autem ad auium & piscium procreationem, nam exposcitur tanquam principium actiuum, verbum Dei specialiùs concurrentis: vnde & infrà sexta die exprimitur specialis Dei actio; & *fecit Deus bestias terræ*; quod æquiualet nuperrimæ voci *creauit*: quemadmodum dixerat suprà *fecit*

Deus

Deus luminaria, quoniam non habet cęlum
G p.p.70. 1. virtutem productiuam luminarium, ſicut habet terra virtutem productiuam plantarum. *Viuentem, atque motabilem*; non enim omne viuens motabile eſt ſecundum locum, vt patet de Plantis. *In ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum*, accipitur hic [I] genus pro ſpeciebus generis. Et fortè ad pulchrè texendam hiſtoriam abſtinet à repetitione eiuſdem vocis, licèt pro eodem accipiantur genus, & ſpecies. I D.Th. hic.

35 VERSVS XXII. *Benedixitque eis dicens, creſcite, & multiplicamini, et replete aquas maris: auesque multiplicentur ſuper terram.*

L 2.18.1.2. Ex D. Gregorio [L] benedictio Dei dicitur bonorum eius collatio, & eorundem multiplicatio: & ita D. Thomas [M] benedictio Dei dat virtutem multiplicandi per generationem. Et hoc ipſum intelligitur in terrenis Animalibus, poſtquam dictum eſt de piſcibus, & auibus. Plantæ autem nullum habent propagandæ prolis affectum, ac ſine vllo ſenſu generant; vnde indignæ iudicatæ sũt benedictionis verbis. Quoniam autem tria ſunt, quæ rem laudabilem reddunt: [N] debitum incrementum; cum aliud ex conſequenti ſimile facit; vt dicitur 4. meteororum, & ſeptimo metaphyſicæ; denique quando ſuum totum honeſtat, & proficit vniuerſitati; ſubiungitur; *creſcite, et multiplicamini, et replete aquas maris, auesque multiplicentur ſuper terram.* M p.p.q.72. 1.4. N D.Th. hic.

36 VERSVS XXIV. *Dixit quoque Deus: producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, et reptilia et beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas.*

O 3.q.44.4.1.& hic Piſces cum viuant in aqua [O] magiſque à natura hominum differant, in alio die ſunt facti; animalia autem bruta, cùm propinquè ſe habeant ſecundum genus ad hominem, eodem die cum homine facta ſunt. Secundùm Auguſtinum [P] animalia terreſtria producuntur potentialiter ſiue cauſaliter: ſecundùm verò alios ſanctos, in actu. Per iumenta vel pecora, intelliguntur animalia domeſtica, quæ homini ſeruiunt qualitercumque: per beſtias intelliguntur animalia ſæua, vt Vrſi & Leones: per reptilia verò, animalia, quæ, vel non habent pedes, quibus eleuentur à terra, vt ſerpentes; vel habent breues, quibus parùm eleuantur vt lacertæ, & formicæ. Memorat [Q] D. Thomas etiam quadrupedia, ſecundùm literam ſeptuaginta, fortè, quia ſunt quædam animalia quæ ſub præfatis non comprehenduntur, vt cerui, & caprei. Vel, quadrupedia præmiſit, quaſi genus; & animalia ſubiunxit quaſi ſpecies. Sunt enim etiam quædam reptilia quadrupedia, vt lacertæ, & formicæ. P p.p.q. p.72.1.2. & q.72.2.6. Q p.p.72.1.& 2. ad Annib. d. 59. q.1.3.1.

37 VERSVS XXVI. *Et ait; faciamus hominem ad imaginem, et ſimilitudinem noſtram; et præſit piſcibus maris, et volatilibus cœli, et beſtijs vniuerſæ terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.*

D. Ambroſius ſerm. 20. in pſ. 118. ver. 50. *Manus tuæ Domine fecerunt me; Beſtias non fecerunt manus tuæ; ſed dixiſti, producant aquæ reptilia animarum viuentium; et produxit terra quadrupedia, ſecundùm genus ſuum, et reptilia: me autem feciſti, me tuis manibus figuraſti.* Et Oleaſter ſuper c. 8. in Admot. ad mores. *Cætera produci præcepit; nobiliora autem per ſe ipſum produxit.* Fit autem homo poſt omnia, quia eſt finis omnium, & propter eum facta ſunt omnia Io. 12. *Omnia traham ad me ipſum.* Quod notat Angelicus in ſerm. de Exaltatione Sanctæ Crucis. Vtitur ſcriptura in productione hominis [R] ſpeciali modo loquendi, ad oſtendendum, quòd alia propter hominem facta ſunt; ea enim quæ principalius intendimus, cum maiori deliberatione, & ſtudio conſueuimus facere; vnde [S] homo ſingulariter à Deo eſt creatus, non dicendo ſolùm, ſicut cætera, *Deus fecit.* Iam verò incipit explicari ineffabilis Trinitatis Myſterium, cum dicitur *ait* ſingulariter, ad vnum Deum ſignandum; & ſubditur *faciamus*, ad pluralitatem Perſonarum oſtendendam. 2.2.2.8. in veteri Teſtamento multipliciter expreſſa eſt Trinitas Perſonarum, ſicut ſtatim in principio Geneſis, *faciamus hominem.* Congruè autem nunc primò fit huiuſmodi expreſſio; quia vt inquit gloſſa, [T] ante hoc nullus dogma de Trinitate percipere potuit: dum enim qui doceretur non erat, occulta fuit prædicatio veritatis. *Faciamus.* Quæritur, cuius ſit locutio? D. Thomas hic, [V] puto, inquit, dicendum, quòd eſt totius Trinitatis loquentis, ſub perſonarum diſtinctione & pluralitate; nec audeo dicere quòd fuerit locutio Patris loquentis ad filium, quia reſpectu creaturarum non legi diſtinctionem actionum; diſtinctio autem eſt inter loquentem, & audientem. Quare cùm idem S. Doctor [X] alibi inquit *non diceret Pater, faciamus* &c. intelligendus eſt ſecundùm appropriationem, quia Pater dicitur creator, cui attribuitur potentia. Non dirigitur ergo locutio ad Angelos [A] vt quidam peruerſè intellexerunt, quicquid [B] dicant Iudæi, erroneè putantes, Dei & Angelorum [C] eamdem eſſe formam. Senſus eſt ergo ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ideſt ad communem [D] Trinitatis imaginem: vnde ex conſequenti cùm mox ſubditur *ad imaginem Dei creauit illum*, non eſt ſenſus ad imaginem Filij [E] vt quidam expoſuerunt; ſed intelligendum eſt, quòd Trinitas Deus fecit hominem *ad imaginem ſuam* ideſt totius Trinitatis. Quod quidem patet ex Eccl. c. 17. *Deus creauit de terra hominem*, (certè Trinitas, cum opera Dei ad extra ſint indiuiſa) *et ſecundùm imaginem ſuam fecit illum.* R p.p.91.4.1. S op. 20.l.2.16. T D.Th. hic. V D.Th. hic. X p.p.93.5.4. A p.p.91.4.2. B D.Th. hic. C Danielis 10. D de ſpiritualibus creat. a. 10. c. E p.p.93.5.4.

Sed mirum eſt quam ſubtiliter quàmque Sanctè, Trinitatis æternæ Myſterium cum eſſentiæ Vnitate, in eiuſmodi verbis conſpexerint Auguſtinus [F] atque Hylarius; Auguſtinus quippe attendit conſignificatum pluralem numerum in ly *faciamus*, & *noſtram*; & ſic pluralitatem Perſonarum: Hylarius autem attendit ſimilitudinem in humanis, naſci ex vnitate qualitatis, ſed inferre diſtinctionem ſuppoſitorum, inter quæ eſt relatio; ſic in Diuinis vnum eſt, quicquid per modum qualitatis ſignificatur, vt Bonitas, ſapientia &c. emicatque diſtinctio Perſonarum: & eadem eſt ratio de hoc nomine imago, quæ dicit imitationem vnius ad alterum, ſecundùm aliquod vnum. Item ly *faciamus*, & *noſtram*, pluralitatem quidem Perſonarum inſonat, ſed vnitatem quoque eſſentiæ ratione conſortij, quod deſignatur in vtroque. Differunt tamen, quia Auguſtinus videtur accipere ſimilitudinem, & imaginem tantùm ad Deum, ſed Hylarius accipit ſimilitudinem, & imaginem vnius Perſonæ ad aliam: & quòd homo accedat ad illam ſimilitudinem quantùm poteſt. 38 F in p. d. 2. 1. expoſit. t.

39 G p.p.93 7. 1. Ad *imaginem*. In libro de Ecclesiasticis Dogmatibus dicitur, quòd imago Dei [G] attenditur secundùm æternitatem. Gregorius Nyssenus dicit, quòd cum scriptura dixit, hominem factum ad imaginem Dei, tale est ac si diceret, humanam naturam omnis boni factam esse participẽ; bonitatis enim plenitudo, Diuinitas est. Hac in re, Sanctus Doctor [H] innuit clarè, accipi imaginem secundùm esse intellectualis naturæ; & alibi [I] id docet expressè, (licèt aliàs perfectior reluceat ratio imaginis secundùm conformitatem gratiæ & gloriæ) vnde [L] articulo secundo concludit, solas creaturas intellectuales propriè loquendo esse ad imaginem Dei, repræsentantes quasi similitudinem in specie, in hoc quòd est intelligere: & ideò in cæteris rebus inuenitur solùm similitudo vestigij, scilicet per modum effectus, qui sic repræsentat suam causam, quòd tamen [M] ad speciei similitudinem non pertingit; impressiones enim quæ ex motu animalium causantur, dicuntur vestigia; & similiter cinis dicitur vestigium ignis, & desolatio terræ vestigium hostilis exercitus: ideo etiam, vt docet a. 3. simpliciter in Angelis est perfectior ratio imaginis, quàm in homine. Ad *imaginem*. Licèt satis perfecta sit Dei imago in homine, vt explicabitur infra, nihilominus, quia deficit in infinitum, cùm non sit in identitate naturæ, potiùs dicitur *ad imaginem*, quam imago; illa quippe præpositio *ad* [N] designare potest, non solum terminum factionis, vt sit sensus faciamus hominem taliter, vt sit in eo imago nostra: non solùm causam exemplarem, sicut cùm dicitur iste liber est factus ad illum, & sic imago Dei est ipsa diuina essentia, (quæ abusiuè dicitur imago, cum non sit expressa;) non solùm inquam significat præfata; sed ponitur etiam secundùm Augustinum [O] ad notandam distantiam, ex quo importat accessum. Hinc sequitur, vt quandocumque in recto dicitur homo imago Dei, vt primæ Corinth. 11. *Vir quippè non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est*, intelligatur de imagine simpliciter imperfecta, sicut est imago Regis, per Augustinum, [P] in nummo argenteo, non sicut imago Regis in Filio, *qui est imago Dei inuisibilis*.

H a. 2. 163 1. 2.

I p. p. q. 93. 4.

L cit. l. a. 2.

M cit. l. a. 6 & p. p. q. 93. 3.

N p. p. 93. 5. 4.

O p. p. 93. 1. & 2. d. 16. expo sit tex. & p. Cor. 11. lib. 3.

P p. p. 93. 1. 2.

40 Ad *Imaginem & similitudinem*. Posset quis credere addi perperam ly & similitudinem, tum quia similitudo includitur in imagine, [Q] tum quia videntur synonyma; veruntamen quemadmodum ait Augustinus [R] sunt qui non frustrà intelligunt, duo dicta esse, ad *imaginem & similitudinem*, cùm si vna res esset, vnum nomen sufficere potuisset. Quoad rem istam, sensit Author libri de spiritu & anima, vt [S] imago diceretur secundùm potentiã cognoscendi; similitudinem verò dici quantùm ad potentiam diligendi; Magister Historiarum; imago dicitur quantùm ad naturalia, & quoad dispositionem partium naturalium, sicut videmus quòd imago habet consimilem dispositionem in partibus quantitatis cum re imaginata: similitudo autem attenditur, quantùm ad gratuita: quod non reprobat D. Thomas infrà hic capite 5. Porrò ex D. Augustino [T] similitudo est quid communius, quàm sit imago, omnis enim imago similitudinem claudit, cum claudat vnitatem aliquam; non tamen è contra omnis similitudo est imago; ouum

Q p. p. 93. 1.

R p. p. 93. 9.

S D. Th. hic.

T p. p. 93. 1. & 9.

enim est ouo simile, sed quia non est expressum ab alio, non est imago. Non superfluit autem, neque synonymum est, *ad imaginem & similitudinem*, quia consideratur similitudo, non vt latiùs patet, & prout est de communioribus, sed vt subsequens ad imaginem, exprimitque imaginis perfectionem; dicimus enim imaginem esse similem, vel non similem ei, cuius est imago, in quantùm perfectè, vel imperfectè repræsentat ipsum; vt ergo innotescat, quod homo non habet esse imago impropriè de quo 1. Corinth. 11. lect. 2. sed est perfectè satis, (licèt non ad æqualitatem,) ad imaginem Dei, additur ly *& similitudinem*, assecutus est enim participationem Dei, non solùm quantum ad es. & viuere, sed quantùm ad intelligere. [V] Et hoc est quod dicit Damascenus, quòd hominem esse ad imaginem Dei, [X] significat intellectualem, & arbitrio liberum, & per se potestatiuum: ad cuius mentem potest exponi ly *ad similitudinem* de virtutibus naturaliter existentibus in anima, saltem secundùm quædam earum semina, quemadmodum exprimit magister in 2. d. 16. de Innocentia & Iustitia & praecipue Angelicus [A]. V p. p. 93. 2. X p. p. 93. 1. & 9. & Prologo 1. 2.

41 *Ad imaginem & similitudinem nostram*. Est ergo homo ad imaginem Sanctissimæ Trinitatis. Hoc intelligitur principaliter secundùm mentem, & primò, & principaliter secundùm actus, in quantum ex notitia quam habemus, cogitando, interius verbum formamus; & ex hoc in amorem prorumpimus: etiamsi secundariò, & quasi ex consequenti, imago Trinitatis possit attendi in anima secundùm potentias, & præcipuè secundùm habitus. [B] Igitur quando Augustinus 10. de Trinitate assignat hanc imaginem in anima, secundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem, loquitur de his secundùm actum, & non secundùm habitum: & licet actus non semper maneant in se ipsis, manent tamen semper in suis principijs, scilicet potentijs & habitibus; vnde idem D. Augustinus 14. de Trinitate, *si secundùm hoc, facta est ad imaginem Dei anima rationalis, quòd vti ratione atque intellectu, ad intelligendum & conspiciendum Deum potest, ab initio quo esse cœpit, fuit in ea Dei imago*. Attenditur autem imago Dei in anima, secundùm [C] quòd fertur, vel nata est ferri in Deum, per verbum de Dei notitia conceptum, & amorem inde deriuatum; & quia est aliqua Dei cognitio & dilectio naturalis, & naturale est, quod mens ad intelligendum Deum ratione vti potest, vt dictum est, ideò imago Dei dicitur esse in homine secundùm naturam, semperque esse, siue sit ita abolita, & quasi obumbrata vt nulla sit, vt in iis, qui non habent vsum rationis: siue sit obscura atque deformis vt in peccatoribus: siue sit clara, & pulchra vt in iustis. Sic D. Thomas illud Cant. c. 1. *O pulcherrima inter omnes mulieres*; & item c. 2. *formosa mea*, ad animam refert propter imaginis diuinæ dignitatem.

A q. p. 93. 9. 3. & in 2. 16.

B p. p. 93. 7.

C p. p. 93. 8. & 3. p. p. q. 4. 1. 2.

42 *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra*. Cohæret his, quod dicitur in psalmo 8. *omnia subiecisti sub pedibus eius, gloria & honore coronasti eum*: coronari Regum est, inquit ibi D. Th. *Et constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius*. Quocirca notant iuxta græca elementa in hoc

nomine Adam, quatuor mundi partes complecti *Anatolin*, ſiue ortum; *dyſin*, ſiue occaſum; *arctou*, ſiue ſeptentrionem; & *meſimbrian*, ſiue meridiem. Id obſeruat Cyprianus tract. de Sina & Sion; Auguſt. tract. 9. in Ioan. & ſanctus Beda in eundem: quod recolens ſanctus Doctor Io. 2. lib. 3. tradit; ſecundùm Græcos ex primis literis acceptis ex nominibus quatuor partium Mundi, componitur hoc nomen *Adam*, Hinc Sibylla 2. Oracul.

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,
Qui primus factus eſt, & qui nomine complet
Ortumque, Occaſumque, Auſtrum, Boreamque rigentem.

Præſidentiam molitur Deus hominis ſuper vniuerſam ſub cœlo creaturam; quam quidem habet, & naturalis præcellentiæ dignitate, & iure
D D.Th. hic. finis ad quem vniuerſa ſunt facta: [D] verùm vltrà eiuſmodi præeminentiam naturæ, voluit Diuina munificentia hominem dominatu politico decorare; quod exprimitur in ſequenti, & *dominamini piſcibus maris* &c. Itaque adeptus eſt homo, vt beſtijs etiam ferocibus imperaret; quæ quidem veluti ad nutum, non tamen neglecto ſtudio, eas & alliciendi, & cohibendi, blandimentis, minis, & cibo, ſuo quaſi Domino obediuiſſent. Cum enim ducantur animalia naturali æſtimatione ad quæcumque agenda, quadam participatione rationis, plùs minuſuè; eiuſdem æſtimarionis ductu, proſecuta fuiſſent humanum Imperium; non ſecùs ac grues [E] ſequan-
E p.p.96. 1.4.& hic tur Ducem, & Regi pareant Apes. Ex hoc autem apparet, hanc ſubiectionem & obedientiam, naturæ hominis conſentaneam fuiſſe; ſiquidem expoſcit naturæ ordo, vt omne quod eſt per participationem, ſubdatur ei, quod eſt per eſſentiam, & vniuerſaliter; cùm ergo in animalibus, inueniatur quædam participatio prudentiæ, ad aliquos particulares actus, in homine autem vniuerſalis prudentia, quæ eſt ratio omnium agibilium, decuit homini cætera eſſe ſubiecta.
F p.p.96. 1. & op. 20. l.3. 9. [F] Etſi autem tale dominium in ſtatu Innocentiæ non videretur homini neceſſarium, quia nec animalium cibo, nec vehiculo, nec indumentis eguiſſet; tamen alijs ex capitibus congruentiſſimè illi traditum erat: puta, vt nobilior eius conditio ſuo veluti frueretur iure; vt in delicium cederet Poteſtatis; & quàm maximè ad experimentalem cognitionem ſumendam de naturis brutorum. Hinc Eccl. 17. *poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium*.

43 Verùm quia ingratus homo inobediens fuit creatori reciproca quaſi pœna puniendo, detrectarunt parere ipſi, aliæ creaturæ, quemadmodum & intùs, rebelles euaſerunt vires rebelli rationi. Remanſit quippe homo ex peccato ſpoliatus gratuitis, & vulneratus in naturalibus, quamuis naturalia non amittantur per peccatum, vt ait Dionyſius 4. c. de diuinis nominibus: & qui prius ſuaui nutuū Imperio feras cicuratas coercebat, vix potuit deinceps eas ferro & arte domare. Et ſi id interdum obtineat; ſicut ait Iacobus c. 3. *omnis natura beſtiarum & volucrum, & ſerpentium & cæterorum domantur & domita*
G op. 20. l.2.c.9. & p.p.81. 3. 2. *ſunt à natura humana*. Naturale itaque politicum quaſi dominium tranſijt in duritiem Regalis, [G] quod tamen adhùc dicitur & eſt naturale; qui enim dixit *germinet terra herbam virentem*, dixit etiam *dominamini piſcibus maris* &c. ideoque Philoſophus primo politicorum, ex D. Thoma 2. Annib.d.19. 3. & p. p. 95.a.1. aſſerit venationem animalium eſſe iuſtam, & naturalem, quia per eam homo vendicat ſibi, quod naturaliter ſuum eſt; & pariter ex eodem [H] non eſt illicitum oc- H 2.2.64. 1.
cidere animalia in noſtrum vſum; vnde legitur Geneſis 9. (idque in ſubſidium naturæ, cui ligna, & herbæ, exilioris poſt diluuium virtutis non ſatis erant) *omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum*. Rideamus cum Auguſtino contra Fauſtum, & fertur in catena aurea D. Thomæ Matthæi 12. ibi. *Diſcipuli autem cœperunt vellere ſpicas*; Iudæos, & Manichæos, qui herbam non euellunt, ne homicidium perpetrent.

Multò magis remanſit in homine, etſi cum 44
labore & ærumna, naturalis dominij ratio, quoad exteriorum rerum poſſeſſionem, & vſum:
[I] quæ tamen potiùs eius miſeriam, & indigen- I 2.2.66. 1.
tiam demonſtrant, quàm dominatum proferant aut prætendant, quia cum multis impedimentis
poſſidet eas. [L] In quibuſdam etiam, Deo acce- L p.p.96 2.
ptis valde & innixis, ſanctioribus viris, complacuit ſibi Diuina Maieſtas priſtinum Innocentiæ ſtatum veluti oſtendere, ſic vt non ſolùm ad votum, victui neceſſaria cuncta ſuppeterent, ſed etiam vt beſtijs ferocioribus imperarent; ſicut vipera non læſit Paulum auctorum 28. ſic Antonio, leones manſuefacti effodiendo ſepulchrum ſeruierunt, ſic de alijs legitur, qui ſuper cocodrillos atrociſſimas beſtias, ſiue venenoſa reptilia Nilum vadarunt.

VERSVS XXVII. *Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & fœminam creauit eos.*

Ter dicit Sacer textus *creauit*: fortè, quia creauit Pater, creauit Filius, creauit Spiritus Sanctus; Neque ſuperfluit, quod repetit *ad imaginem Dei creauit illum*; quoniam ſicuti Pater, ita Filius ad imaginem Dei, ideſt ſui ipſuis, (*qui eſt imago Dei inuiſibilis*, Coloſſ. 1.) *creauit illum*: & quia Spiritus Sanctus eſt nexus Amoris, ſubditur, *maſculum, & fœminam creauit eos*. Quamuis autem rigore omni, homo primo factus nequeat dici creatus, quia pars eius altera nempe corpus humanum factum fuit ex limo, nihilominus propter animam, partem vtique nobiliorem factam ex nihilo, dicitur creari; non enim potuit dici genitus, cum etiam fuerit in inſtanti factus: ideoque ſequenti capite, tertia quædam vox exprimitur *formauit igitur Dominus Deus* de quo p. p. q. 90. 2. 1. & 98. 2. 1. 4.

Maſculum & fœminam creauit eos. Cùm ſexus 45
maſculinus & fœmininus pertineant ad corpus, manifeſtè eliditur [M] hæreſis Manichæorum. M D.Th. hic.
Creauit eos; ita quòd illud plurale *eos* diuiditur pro diuiſione ſubiecti; [N] ſicut ſi diceremus So- N D.Th. hic.c. 5.
crates & Plato habent duas animas; vnde ex Auguſtino dixit pluraliter *eos*, [O] ne intelligatur in O p.p.93. 4. 1. & Matt. 19.
vno indiuiduo vterque ſexus fuiſſe coniunctus; & ideo ad innuendam duplicitatem perſonæ dicitur bis *creauit hominem* & *ad imaginem creauit illum*. Ex quo patet etiam mulierem eſſe ad imaginem Dei, ſicut & vir; quod quidem vltra locum citatum, pulchrè oſtendit D. Thomas alibi: [P] nàm licèt Apoſtolus 1. Corinth. videatur P 1.Cor. 11.1.2.

virum dumtaxat dicere Dei imaginem *vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est; mulier autem gloria viri est:* tamen ex hoc ipso quòd Apostolus de muliere non dixit, quòd sit imago, & gloria viri, sed solùm quòd est *gloria viri*, datur intelligi, quòd primum, scilicet esse imaginem Dei, est commune viro, & mulieri; nam exprimitur disparitas dumtaxat in altero. Licèt etiam dici possit quòd specialiter vir est imago Dei, secundùm quædam exteriora, quia vir est principium totius sui generis, sicut Deus est principium totius vniuersi; & quia sicut Adam euenit, de latere Christi in cruce dormientis fluxerunt Sacramenta sanguinis, & aquæ, è quibus fabricata est Ecclesia; vel etiam quantum ad interiora, in quantùm in

Q I. c. & 2. d. 16. q. 1. 3.

viro, ratio magis viget. ℺ Hunc sacrum textum recolit Saluator Matthæi 19. tanquam quid præuium matrimonij indissolubilitati: vnde ibi D. Thomas [R] ex Chrysostomo, primò creauit masculum, & fœminam, ad significandum quòd licitum erat matrimonium; quidam enim dixere matrimonium non esse à Deo, sicut Taciani nuptias damnantes, & Manichæi; contra quos omnes Apostolus 1. Timoth. *in hypocrisi* inquit *loquentium mendacium*, &c. *prohibentium nubere*. & 1. Cor. 7. *mulier non peccat si nubat.* & Dominus Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet:* vnde capit. 2. dicitur *faciamus ei adiutorium simile sibi*: idest in adiutorium generationis; [S] ad quodlibet enim aliud opus, conuenientiùs iuuari potest vir per alium virum. Addit autem Angelicus citato loco Matthæi, singulariter dicit masculum, & fœminam, vt vnus vnam habeat. Quamuis igitur quantùm ad animorum consensum videatur matrimonium institutum, infra cum dicitur, *hoc nùnc os, ex ossibus meis*; tamen hic veluti præiactum est fundamentum, [T] data côiugali habilitate in distinctione sexuum, & organorum dispositione; quapropter idonea in ætate creati sunt, nimirum in iuuenili seu virili, vt ait Augustinus apud magistrum in 2. d. 17. [V] quæ circa triginta annos incipit, vt vult idem Augustinus: vnde & Haymo Isaiæ 15. *solent animalia tertio anno robustissima esse, vti homo tricesimo*: citiùs autem in fœmina, de quo Philosophi de paruis naturalibus agunt. In huius honestatem propagationis sequitur.

R Matth. 19. opusculo 3. in fine. & 1. Timot. 4 l. 1.

S p. p. 92. 1. & q. 98. a. 2.

T D. Th. hic.

V 4. d. 44 q. 1. a. 3. & p. p. 98. a. 2.

46 VERSVS XXVIII. *Benedixitque illis Deus, & ait crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

Iteratur in hominibus benedictio, quia in eis est quædam specialis multiplicationis ratio, [X] propter complendum numerum electorum; & ne quisquam diceret in officio gignendi filios, nullum esse posse peccatum, aut simpliciter aliquod esse peccatum. Deinde sit præceptum de generis propagatione, *crescite* &c. D. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum, ad hæc repetita c. 9. ait; consideranda est vis verbi; *& replete terram*: nuptiæ quippe terram replent: Virginitas Paradisum. Hic acuunt linguam, & calamum recentiores hæretici ventris & Veneris fœdissima facti mancipia, quia priùs fuere serui peccati; & cœlibatui infensi ac virginitati, obliti dignitatis animæ & illius immistionis; nec non Apocal. 14. *hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt:* obliti etiam vel igna-

X p. p. 72. 1. 4. 1. Corinth. 7 l. 1. & 4. d. 26. q. 1. 3.

ri commendatæ castimoniæ ac virginitatis ex voto apud Tertull. lib. 1. ad vxor l. de velandis virginibus c. 13. apud Ambrosium de Institut. Virg. c. 17. tract. ad virg. deu. c. 2. apud Hieronymum lib. 1. aduersùs Iouinianum: apud Augustinum lib. 1. de adult. coniug. c. 24. lib. de bono viduit. c. 11. apud Chrysost. epist. 6. apud Basilium proem. monast. constit. & lib. de virginit. illud clamitant, quasi esset Angeronæ præceptum; *crescite, & multiplicamini* &c. Sciant veruntamen, quos aut quomodo ligent præcepta, ex eorundem natura, pensato potissimùm fine, alijsque circunstantijs deprehendi oportere: vt enim ait Angelicus, [A] medium virtutis accipitur secundùm proportionem circunstantiarum ad rectam rationem; & quia tempus, est vna de circunstantijs, non est inconueniens aliquid esse illicitum vno tempore, quod est licitum vel virtuosum si alio tempore fiat. Tempore igitur institutionis humani generis, quia oportuit multiplicari populum Dei per successionem carnis, (*non enim priùs quod spirituale est, sed quod animale* 1. Corinth. 15.) viguit illud præceptum, & obligauit vnumquemque, [B] quia paucitas hominum exigebat, vt quilibet generationi vacaret: propterea namque diuturnam adeò ferme ad nillenos annos trahebant ætatem: sed obtento legislatoris fine, multiplicata humana sobole satis, repletaque terra, desiuit arctare singulos ad opus generationis, in cuius signum natura ipsa præluserit, multis sine dubio, (etiam præter mysteriosam sterilitatem exempli gratia Saræ) frigiditate, vel morbo, aut alio ex capite, ineptis vel impeditis. Hinc Angelicus inhæsitante docuit stylo; [C] illud præceptum non est perpetuum, sed datum vsque ad tempus sufficientis multiplicationis humani generis: quod sanè intelligitur, quantùm ad omnium & singulorum simul obligationem; & sic (Lect. 1.) fuit necessitas tangendi mulierem, circà institutionem generis humani, quamdiù oportuit multiplicari populum Dei per successionem carnis: sed hæc necessitas tanquam translata prætermittitur ab Apostolo & indulget matrimonio, solùm propter fornicationem; sed eo fine, quo reuerti dat ad vxorem, ne tentet eos satanas, propter ipsorum incontinentiam: cæterùm adiecit: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint; sicut & ego, quòd si non se continent, nubant*. Est autem iterum huiusmodi intelligentia consentanea naturæ præcepti simpliciter loquêdo, atque rationabilis; ne virtus ipsa pereat propter naturam: virtus scilicet secundùm perfectum virtutis statum, à quo cadit etiam per id quod est minus bonum, licèt non sit peccatum, vt 2. 2. q. 152. a. 2. Itaque cum natura dupliciter ad aliquid inclinet, [D] vno modo sicut ad id quod est necessarium ad perfectionem vnius; & alio modo sicut ad necessarium pro multitudine: præceptum quoque legis naturæ [E] bifariam ordinatur, vel ad tollendum defectum vnius singularis personæ, vel ad tollendum defectum totius speciei: primi generis inclinatio & præceptum est illud de comestione, & illud necesse est impleri ab vnoquoque, aliter indiuiduum conseruari non posset: [F] secundi generis est mandatum de generatione, quod respicit bonum multitudinis, cui sufficienter sit satis, si impleatur à

A 4. d. 33. 1. a. 2. ad 1.

B 4. 26. 1. a. 1.

C 1. Cor. 7. l. 6.

D 4. 26. 1. 2.

E Quodl. 7. a. 17.

F 2. 2. 152. 1.

mul-

multitudine, nec quilibet fingillatim tenetur; aliàs pariter quilibet homo obligaretur ad agriculturam, & ædificatoriam, quæ communitati humanæ funt neceffaria. Immò quia bonum fpeciei, non tenetur quilibet promouere, cùm fatis fit multitudinem infudare, *participatione enim fpeciei plures homines funt vnus homo*, datum eft in nona lege confilium, vt poftea explicabitur, de continentia, quæ licitè cadit etiam fub voto. Ratio autem dictorum funditus trahitur ex eiufdem multitudinis bono, fpirituali fcilicet, quod præeminet corporali. Sanè ficuti non folùm materialia entia, fed etiam immaterialia fuere pro complemento vniuerfi creanda; ficuti etiam in exercitu non omnes idem obeunt munus, fed quidam caftra cuftodiunt, quidam figna deferunt, quidam gladijs decertant; fic decuit, vt pulchra pro varietate, quidam iungerentur matrimonio, quidam contemplatiuæ vitæ inferuirent, vtique cœlibes, nàm vt Theophraftus probat lib. de nuptijs, vt fertur etiam op. 41. lib. 5. cap. 30. *fapienti non expedit nubere*; multò magis autem, vt inferuirent contemplatiuæ Diuinæ, à qua fine dubio detrahitur coniux, vt ait Apoftolus (1. Cor. 7.) *qui cum vxore eft, folicitus eft quæ funt mundi, quomodo placeat vxori & diuifus eft*: & de muliere, *quæ autem nupta eft, cogitat quæ funt mundi, quomodo placeat viro*; & è contra, *mulier innupta cogitat quæ Dei funt*; hoc eft fertur ad contemplationem, vt explicat 22. q. 88. 11. Vnde aiebat Auguftinus in foliloquijs lib. 1. c. 10. (22. 153. 2.) *nihil fic deijcit animam ab arce virtutis fuæ*, ideft à perfectione, *ficut contactus ille corporum, fine quo vxor haberi non poteft*; & ideo Exodi 19. dicitur populo accepturo legem Dei, *eftote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veftris*, & 1. Regum 21. dixit Abimelech ad Dauid, *fi mundi funt pueri maximè à mulieribus, manducent panem fanctum*[G].

G 1. Cor. 7. l. 1.

47 Radix autem adhuc profundior continentiæ ac cœlibatus, non folùm abfque peccato, fed laudabiliter, & meritoriè colendi, eft ex confideratione ftatus naturæ lapfæ, in quo concupifcibilis, excuffo placidæ obedientiæ iugo, reluctatur rationi; quia ergo concupifcibilis exardefcit & excandefcit, & venerea voluptas inordinatè titillans ciet perpetuò pugnam contra rationem, emerfit occafio virtutis, per cohibitionem, totamque abdicationem ab incentiuis; quæ quidem virtus propterea non fuiffet durante ftatu Innocentiæ: id quod docet Angelicus [H] p. p. fub his verbis, continentia in ftatu Innocentiæ non fuiffet laudabilis; quæ in tempore ifto laudatur, non propter defectum fœcunditatis, fed propter remotionem inordinatæ libidinis; quamuis non fit peccatum, fed pœna ex peccato, fcilicet ex malitia peccati primi Parentis: tùnc autem fuiffet fœcunditas abfque libidine, ficut in eo ftatu non oportuiffet affligi corpus, quia quamdiu homo fubditus erat Deo, caro totaliter fubdita erat fpiritui: in qua quidem mutua fubiectione confiftebat donum originalis iuftitiæ]. Ita eph. 5. lect. 9. In 4. autem fententiarum fic ait, dicendum, quòd virginitati non debetur Aureola, nifi in quantùm addit quandam excellentiam fuper alios continentiæ gradus: fi autem Adam non peccaffet, virginitas nullam perfectionem addidiffet fuprà continentiam coniugalem, quia fuiffent tùnc nuptiæ honorabiles & thorus immaculatus, nulla concupifcentiæ fœditate exiftente, vnde virginitas tùnc feruata non fuiffet; nec ei tùnc aureola deberetur: fed mutata humanæ naturæ conditione, virginitas fpecialem decorem habet, & ideò fpeciale præmium ei redditur. Pendet autem doctrina hæc altiori ex principio; [I] quia circà omne id quod contingit ratione ordinari, & moderari, contingit effe moralem virtutem: & ad rem, perfectum virtutis ftatum, vt 22. 153. 2. Quamuis autem coniugium fit bonum *honorabile connubium* ait Apoftolus Hebr. 13. vnde & Dominus primum fignum fecit in nuptijs, & matrimonium nobilitauit præfentia fua corporali, & nafci voluit de coniugata; poffitque exerceri actus matrimonialis abfque luxuria, nimirùm [L] abfque omni peccato etiam veniali, contra hæreticos; quod erit fieri actum meritorium, nempè cum fit, & ordinatur ad bonum prolis procreandæ, & educandæ ad cultum Dei, prædeftinatorumque numerum complendum, [M] quo pacto eft actus Religionis; vel etiam prout eft in remedium concupifcentiæ, quæ aliàs effrenis poffet ad peccatum pertrahere, quo pacto eft actus Iuftitiæ reddentis debitum, & dicitur fides alterutra nuptiarum; licèt inquàm, hæc poffint accidere, non tamen propterea excludendus eft cœlibatus, qui non eft inftitutus, quia vacare connubio fit peccatum, aliàs non effet confilij fed præcepti; fed quia actus coniugalis non finit fublimi quadam via vniri Deo; tanquam in aula eius intimos & familiares.

H p. p. 98. 2. 3. & in 4. 49. 5. 2. 3. q. 1. ad 3. p. 2. 34. 2. 1.

I p. 2. 59. 4.

L 1. 2. 153. 2. & 4. d. 26. 1. 1. & 4. & 3. cõt. Gen. c. 126. & Heb. 13. l. 1.

M 1. Cor. 7. l. 1. p. p. 72. 2. 4.

48 Vt autem plenè hoc percipiatur, fciendum eft, quod docet Auguftinus, [N] concupifcentiam & delectationem venereorum non fubiacere imperio & moderationi rationis, vnde infurgit concupifcentia inuitis nobis, & volita delectatio etiam inuitos trahit in plenam adhæfionem quæ quidem funt pænalia, in quantùm fcilicet ratio rebellis Deo, meruit habere carnem rebellem; ideircò, vt dicit Philofophus in ethicis lib. 6. c. 5. & lib. 7. c. 11. delectatio illa in tantùm abforbet rationem, quòd in ipfa, eft impoffibile aliquid intelligere; & vt ait Hieronymus, *in illo actu, fpiritus prophetiæ non tangebat corda Prophetarum*; vnde gloffa cit. q. 15. de malo a. 2. 9. fuper illud 1. Corinth. 6. *qui fornicatur in corpus fuum peccat; hic propriè feruit anima corpori, in tantùm, vt nihil aliud, ipfo momento & experimento flagitij, cogitare homini liceat, aut intendere, quia mentem captiuam fubdit ipfa fubmerfio & abforptio libidinis*, quod & 2. 2. q. 162. 3. 3. tradit D. Th. Et hoc eft, quod ait Angelicus, [O] per vfum maximè venereorum, mens maximè carnalibus inhæret, cum delectatio faciat quiefcere appetitum in re delectabili: quod intelligitur in ftatu naturæ lapfæ, cum ratio eft infirma, neque primum habet dominium fuper vires internas. Ex hac nimia, ac inuita adhæfione, & abforbitione, fequitur impedimentum cuiufcumque contemplationis, maximè diuinorum, quæ propria hominis funt vt mente pollet, fupra naturam brutorum; cum quibus, quæ carnis funt communia habet vt animal; & fic feparatio a Deo, non quidem fecundùm habitum gratiæ, [P] fic enim feparat folùm peccatum, fed fecundùm actum contemplationis & amoris, quos neceffe

N 2. 2. 151. 2. & p. 2. 34. 1. 1.

O 22. 186. 4. 1. 1. cõt. G. c. 136.

P 4. 26. 1. 3. 2.

est intermitti eo tunc; quod accidit absque omni peccato, absque contrarietate ad virtutem simpliciter; Q 22.153.2. [Q] sed non absque perfectionis iactura: & ideò sicut alia præcepta à præceptis charitatis, ordinantur ad remouendum ea, quæ sunt charitati contraria, cùm quibus scilicet charitas esse non potest; consilia ordinantur ad remouendum impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur, sicut est matrimonium. 22. 184. 3. Accedit etiam post hæc distractio æconomica, rei domesticæ anxietas, (vt 22. 186. 4.) atque solicitudo vxorijs curis, quomodo sibi mutuò complaceant; quòd laudabile est in illo coniugali statu, ad prolis bonum, & concupiscentiæ remedium, instituto; sed tamen à culmine perfectæ vnionis ad Deum, ex necessitate deturbat. Quis ergo ire possit inficias, postquàm sic exorbitauit pænalis concupiscentia, posse nos licitè, quasi studioso stratagemate, contra illam insidias moliri, totaliter respuendo, quod nos pertrahit, & coarctat ad ima, relicto summo? Hoc assequitur bonum, heroicum, virginitatis & continentiæ propositum, per quam nos immunes custodimus ab omni experimento venereæ voluptatis: quod quidem, R 2. 2. 152. 1. [R] tanquam excellentis virtutis, excellentem meretur laudem: quocircà Augustino aiebat Alippius, nullo modo posse nos securo ocio cum sapientiæ ardore viuere, si mulieres habeamus. Præsertim quando experientia sensualis delectationis, etiam secundùm Philosophum 3. Ethicorum 11. tametsi frequens, non minuit, sed auget concupiscentiam.

49 Alio etiam ex capite innotescit, quàm sit melius abstinere omninò quàm nubere. Etenim lubricus valde est lapsus in peccatum veniale, coniugatis; quia cùm non vale dixerint generosa abnegatione concupiscentijs, illæque insurgant S 4.26.1.4.5. acriores, etiam tamquam motus primi [S] non inordinati, post experimenta delectationis, aut vxoria ex occasione; facile est, ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitati, aut etiam in ipso actu, concupiscentiæ vehementia, & delectationis ardore, neglecto studio prolis, ac titulo remedij concupiscentiæ, rapi inordi- T 1.Cor. 7.l.1. natè, quòd est veniale. [T] Huiusmodi ærumnæ, & separationis à Deo, & periculi venialis, non fuissent in statu naturæ integræ, quamquàm ma- V p.p.98. 2. 3. ior extitisset delectatio; [V] ideò vt dictum est, non fuisset etiam post propagationem humani generis, laudabilis continentia: si tamen quis virginitatem seruasset, non fecisset contra præce- X 4. 33. 3.2.2. ptum, sed, inquit D. Thomas; [X] supra præceptum. Tempore autem legis quamdiu oportuit multiplicari populum Dei per carnis successio- A 3. p. 28.4.1. nem, inquit D. Thomas 3. p. [A] videbatur esse lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum semen super terram; nam lex Mosaica sterili maledictionem imprecabatur, vt in Exodo, & Deuteronomio manifestum est: quod notatur ab Angelico. op. 20. lib. 4. c. 15. Itaque cum bonum multitudinis fidelis augendæ præponderet bono & perfectioni singularium, licèt non expresso præcepto, (de quo Suarez tom. 2. 3. parte disputatio. 6. sectione 1. & 3.) saltem, quia B 4.49.5. 3.p.1. communiter sic erat insitum Iudæorum animis, non erat omninò [B] laudabile à commistione carnis abstinere, nisi ex diuino processisset instinctu, vt creditur de Hieremia & de Helia, quorum coniugia non leguntur. Quicquid dicatur de Essæis seu Essenis, quorum meminit D. Th. ad Philip. 3. lect. 1. de quibus apud Eusebium lib. 9. de Præparatione Euangelica c. 1. & citato loco Suarez. Immò D. Thomas q. 15. de malo a. 2. ad 13. ait quòd in statu in quo erat vacandum multiplicationi humani generis, non erat absque vitio, quòd aliquis ab actu generationis abstineret, tam secundùm legem humanam, quàm secundùm legem diuinam; sed tempore gratiæ insisti debet ad spiritualem propagationem, ad quam magis apti sunt, cœlibem vitam agentes. Tempore legis fuit dispensatio propterea plurium vxorum, vt dicemus ad finem 2. c. quod tamen non erat norma legis gratiæ: In qua, qui cœlibatum respuunt ex lege veteri, deberent etiam velle vxorum pluralitatem. Certum est autem post genus humanum multiplicatum & populum Dei augmentatum, non propagatione carnis, sed generatione, quæ est *ex aqua & Spiritu Sancto* vt dicitur Io. 3. licitum omninò esse, omninò laudabilem, consulendum omninò cœlibatum, cum prompserit os veritatis Matthæi 19. *& sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnum Dei*; ad quod gratiæ tempus saltem tùnc appropinquans, prælusit Isaias c. 56. dicens de eisdem, *non dicat eunuchus, lignum aridum sum ego; quia hæc dicit Dominus eunuchis* &c. *nomen sempiternum dabo eis*. Opportunè autem, quia nunc est tempus plenitudinis gratiæ, nunc tempus perfectionis Christianæ, sic vt quia *breue est*, liceat cum Apostolo optare; *volo autem omnes homines esse sicut me ipsum*. Duplicem expositionem affert Angelicus dicti Apostolici; prima est, vt intelligatur voluntate antecedente, non consequente; vel quòd volebat, (& est secunda) omnes homines esse cotinentes; de singulis intelligendo, quasi indeterminatè, neminem suo voto excipiens. Prima melior est. In eo autem quòd subdit; *sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius verò sic*; ostendit, non omnium indiscriminatim esse continentiam; sed, (cùm sit speciale donum Dei, iuxtà illud Sap. 8. *Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det*; eo quòd ad aliarum virtutum assecutionem, etiam vitiorum horrore excitamur; incontinentia autem est voluptuosa) ijs esse amplexandam, qui Deo auspice, nouerunt ad tam sublimem statum, ad tantam perfectionem vocari: Hebr. 6. *ad perfectum feramur*. Hoc ipsum docuit Saluator Matthæi 19. altis ijs verbis; *qui potest capere capiat*: &, *non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*: quod exponit Angelicus, [C] quia non quilibet tantæ virtutis donum accepit à Deo, vt scilicet C 1.Cor. 7.l.1.& 3. contra G. c. 136 & op.42.l.5. c.26. possit totaliter continere: Matthæi 25. *vni dedit quinque talenta, alij verò duo, alij verò vnum*: & propterea subdit Apostolus; *quòd si non se continent, nubant*; idest, si donum continendi non acceperunt, nubant; idest matrimonio iungantur: iuxta illud Prou. 5. *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, quare seduceris fili mi ab aliena?* quamuis, (quod ait Chrysostomus homilia 16. in Epistolam ad Hebræos) *multi continere non possunt, quia multi nolunt. Noli dicere non possum*. Addo ipse, si impossibile foret continere, non repromitteret Dominus Matth. 19. relinquen-

vxorem, centuplum, & vitam æternam. Hoc maximè certè vrget pro cœlibe vita.

50 Itaque hac in re, cum agitur de tàm arduo consilio, (arduitatem quippe huius viæ significant, ex D. Thoma [D] illa Christi Domini verba; *non omnes capiunt, sed quibus datum est*) consulendus est humillimè Deus, num sic expediat; rogandusque pro suo beneplacito, de idoneitate: etsi enim eiusmodi consilium de vita cœlibe, [E] quantùm est de se, omnibus sit expediens; tamē ex indispositione hominis contingit, (Diuina quoque sapientia aliter disponente, vt Deo [F] seruiatur in matrimonio) vt expediens non sit. Non est igitur, nisi explorata Diuina dispensatione, præuijs supplicibus votis, tàm arduum humana flexibilitate ductante, vouendum consilium: quanquam cuicunque diuino impulsui, sanctæque cogitationi, etiam dubijs, sit præparationis animo obtemperandum; oporteatque, teneros etiam pueros, & puellas, Diaboli anteuertendo astus, ad Religionem allicere ac inuitare: quemadmodum ostendit Angelicus. [G] Igitur quæ hucùsque diximus grano salis capienda sunt; siquidem Angelicus idem Doctor (op. cit.) [H] improbat manifestè tarditatem acquiescendi Deo vocanti, morosam deliberationem, & hæsitantem consultationem; quasi in dubium reuocando, quod iàm tanquam melius definitum est: cuiusmodi sunt Bona consiliorum. Sanè iniuriosum est Deo inspiranti, & conditioni status sublimioris, à quibuscunque terrenis auocanti, in re tàm sancta exquirere laudationem; Verùm cum propria imbecillitas, viresque corporis infirmæ aduersantur assumpto proposito, non tàm certò fas est conijcere, an sit à Deo, potiusuè ab humano studio; ideoque ad Deum recursus, vt si illud est operatus, confirmet, apprimè necessarius laudatur; quod innuit ibidem Angelicus sub his verbis; [I] *vnde eis deliberandi necessitas non imminebit, præcipuè si de suis corporalibus viribus non diffidant*; qui ergo diffidit de viribus; expertus præcipuè acriores carnis molestias, Deum, priusquàm se voto adstringat, exoret & consulat: maximè verò, vt dicemus, quia non intenditur à quibusdam Religio, sed temporale: ij nondum certè vocantur, ideoque mouendi. Hoc est expressè ab Apostolo traditum primæ Corinthiorum c. 7. dicente, *porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniciam*: vbi D. Thomas, *fornicationis, scilicet incontinentibus*; vnde suprà dixerat: *propter fornicationem autem*, scilicèt vitandam, *vnusquisque suam vxorem habeat; & melius est nubere quàm vri*: hac etiam de causa, (non quidem, principali intentione, qua continentiam suadet, vt exponit Angelicus ex Hieronymo) 1. ad Timotheum 5. dicit; [L] *volo autem iuniores nubere, nè primam fidem irritam faciant*; scilicet castitatis quæ vouetur.

Vtinam hodie metiretur vnusquisque vires suas ex Domino, Dominumque rogaret de vocatione, nec cæco ferrentur studio, ignorando Religionis statum, nescientes quid voueant. Error est itaque ad arduam continentiæ perpetuitatem, sibi de proprijs viribus polliceri. Firmanda est ergò voluntas in sancto proposito; hæc est enim potentia, & idoneitas, inquit Angelicus, [M] de qua dicitur, *qui potest capere capiat*:

D op.18. c. 8.
E p. 2 108. 4. 1.
F 1. Cor 7. l. 1.
G op. 17. c. 1. 2. 2. q 189. a. 5. & 9.
H op 17. c. 9. & 2. 2. 189. 10.
I op. 17. c. 10.
L 1. Timot. 5.
M p. 2. 108. 4. 1. Mat. 19.

sed sit Dominus firmamentum, adiutor atque refugium, quo innixi nullos paueamus incursus; vbi recolendus est Augustinus 8. confessionum; *propriarum virium continentiam esse credebam: tàm stultus eram, vt nescirem quod scriptum est* Sap. 8. *neminem esse posse continentem, nisi tù dederis: & quidem dares, si gemitu interno pulsaremus aures tuas, & fide solida in te iactaremus curam nostram*. Error est quoque, passim quotidie compertus eorum, qui Cœnobiticam capiunt vitam, non excitante, quod laudabile est, sed terminante fine & obiecto, cuiusmodi est, vt scopulos Mundi euadant; vt victum securiùs habeant: commoda & tectum; & quietius mentes degant: non est huiusmodi diuina vocatio, sed cogitatio terrena mercenaria, & vilis; ideoque non mirum, si nullo spiritu ducti nonnulli Religiosorum, quærant *quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi*; non mirum si expergefacti, (somniculosi enim semique dormientes habitum susceperunt) doleant de surreptione, eiurent paupertatem, & cœlibem vitam impetant, carnis calumnia. Erit ergo Prælatorum zelantium, rudium examinare mentem, nouitiorum instruere insipientiam, accedentesque omnes monere, ac excitare ad altitudinem status præ oculis adamussim habendam, ne communem arbitrentur esse salutis viam (sic enim & in sæculo viuitur) sed perfectiorem, sublimiorem, Deo cariorem: *probate spiritus si ex Deo sunt*, dicitur *primæ Ioannis* 4. Sic fiet, vt non promiscuè absque delectu, coaceruetur Ecclesiasticus numerus, qui sanè nimium exorbitat, cum tamen paucorum sit continentia, & per illam incedere arduum, ex illo; *qui potest capere capiat*: [N] vt malum exitum, claustri introitus non habeat; &, *væ Mundo a scandalis*, Ecclesiasticorum præcipuè, non dicatur. Quantumcumque veruntamen insudetur delectui, & recipiantur verè vocati, alta accidit permissione, quosdam in perditionem abire: immobili enim Dei consilio, quibusdam [O] datur propositum Religionem intrandi, quibus in ea perseuerandi donum non datur: sed *perditio tua Israel*, Oseæ 13. Non satis est, *cecidisse semen in terram bonam*, nisi excolatur; *diligenter*, inquit Spiritus Sanctus, Prou. 24. *exerce agrum tuum*: caput integrum composuit Angelicus, [P] de his quibus homo iuuatur ad continentiam seruandam: debilitantur, inquit 3. contra G. c. 136. [Q] concupiscentiæ per abstinentiam, & alia exercitia corporalia, quæ conueniunt his, qui continentiæ propositum habent. Aiebat Augustinus [R] de verbis Domini; *Sicut inimicus occisus non facit tibi iniuriam, sic caro mortificata non turbat animam*: & Valerius maximus, *quòd à Cerere* [S] *& libero Patre, propinquus est locus ad Venerem*: & Chrysostomus [T] *Sperma quod in nobis est, præcipuè habet fontes, à proposito incontinendi, & mente negligente; nec ita abscissio membri comprimit tentationes, vt cogitationis frenum*. Fuga ergo vincat concupiscentiam, iuxta illud, *fugite fornicationem*, confugiendo ad Deum. Ad illa verba Ioan. 1. 2. *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & vicistis malignum*, inquit S. Doctor; Adolescentibus ascribitur victoria; quia illa ætas specialiter impugnatur incentiuis vitiorum. Quomodo autem Abrahæ decantetur, non obstante coniugio, perfectio,

N op. 18. c. 9. op. 41. li. 5. c. 62.
O op. 17. c. 10.
P op. 18. c. 9.
Q 3. cōt. G. c. 136.
R 1. Cor. 7. l. 7.
S 1. Timoth. 5. l. 2.
T 2. a. 65. 1. 3.

dice-

dicetur infra c. 17. num. 2. Interim conſtans eſt quod aſſumit S. Doctor. 2. 2. 88. 11. hominem totaliter Dei ſeruitio mancipari, nô poſſe ſtare ſimul cum matrimonio, in quo incumbit neceſſitas procurandæ vxoris, & prolis, & familiæ, & rerum, quæ ad hoc requiruntur, vt ſuprà ex 1. Cor. 7. tactum eſt. Qui ſtudioſiùs cupit colere caſtitatem, legat Caſſianum Collat. 12. Qui latius hæreticos expugnare, in controuerſiarum actoribus Bellarmino, Grauina. Quamuis benè perpenſis hic dictis & profligentur hæreſes, & triumphet veritas.

VERSVS XXIX. & XXX. *Dixitque Deus, ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſemen generis ſui; vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ*, &c. Eſus terræ naſcentium, quæ cum modico ſtudio in magna copia [T] procurantur, quæue ſpontè etiam germinant, pertinere videtur ad quandam ſimplicitatem vitæ, quæ Innocentiæ tempus decebat: tùnc vſus animalium non erat. Non videtur quòd Deus voluerit [V] hominem quærere pretioſos cibos, qui eandem eſcam aſſignauit ei cũ iumentis. Ratio autem fuit, [X] quia voluit homini dare Deus occaſionem humiliationis; ne ſuperbiret ex conſideratione Prælationis, & dignitatis.

T p. 1. 102. 6. 2.

V op. 41. l. 5. c. 24.

X D. Th. hic.

VERSVS XXXI. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et factum eſt veſpere & manè dies ſextus.*

Exploditur Origenis error; [A] cuncta enim perhibentur facta bona, ideoque facta, vt ipſis communicaretur Dei bonitas: non ergo creaturæ corporales factæ ſunt, (quaſi præter intentionem qua ſint) ad puniendum peccatum ſpiritualium creaturarum, vt ſibi finxit. Eſt autem valde notandum, (quod pluribus locis animaduertit Angelicus, eſtque Auguſtini in Enchiridio, p. p. 25. 6. 3.) [B] quomodo cùm ſingillatim de hoc vel illo fit ſermo, dicitur *bonum*; cùm autem de cunctis, additur *valde bona*. Quod quidem dicitur propter ordinem vniuerſi, qui eſt vltima & nobiliſſima perfectio in rebus, & ſic etiam Eccleſiaſtici 39. *opera Domini vniuerſa, bona valdè*: à bono enim Actore nihil eſt niſi bonum, ait S. Doct. 1. ad Timoth. 4. nàm, vt docet p. p. q. 22. a. 1. in rebus creatis non ſolùm inuenitur bonum quantùm ad ſubſtantiam, ſed etiam quantùm ad ordinem earum in finem, & præcipuè in finem vltimum, qui eſt bonitas Diuina: hoc ergo bonum eſt præcipuè volitum à Deo; ex quo diuina emicat Prouidentia. Cenſet etiam Angelicus, [C] ſignanter poſt productionem naturæ rationalis, additum eſſe, ly *valde bona*, quia ex conditione hominis, (cùm ſit finis omnium, & proinde quodammodo omnia) memorata in textu, ex ipſo habent neceſſitatem, bonitatem & ordinem. Addatur etiam, *valde bona*, quia vniuerſum, [D] (ſuppoſitis iſtis rebus, ordine etiam quem in eiſdem diuina ſapientia præfixit) non poteſt eſſe melius; decentiſſimus eſt enim ordo his rebus attributus à Deo; quarum ſi aliqua eſſet melior, corrumperetur proportio ordinis; ſicut ſi vna chorda plùs debito intenderetur, corrumperetur cytharæ melodia. Poſſet autem Deus alias res facere; vel alias addere iſtis rebus factis; & ſic eſſet illud vniuerſum melius.

A p. p. 42. 2. & p. p. 65. 2. & 0 23. & de potentia q. 3. 18. & 2. cont. G. c. 44.

B p. p. 47. 2. 1. 2. cõt. G. c. 45. & 3. cõt. G. a 64. & de potẽtia 3. a. 10. c.

C D. Th. hic.

D p. p. 25. 6.

CAPVT II.

Exod. 20. b. 11. 31. d. 17. Deut. 5. b. 14. Hebr. 4. b. 4.

1 IGitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. 2 Compleuitque Deus die
ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod
patrarat. 3 Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat
ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret. 4 Iſtæ ſunt generationes cęli, & terræ,
quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus Deus cælum, & terram: 5 Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret:
non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram.
6 Sed fons aſcendebat è terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. 7 Formauit igitur
Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. 8 Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formauerat. 9 Produxitque Dominus
Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in
medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali. 10 Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita. 11 Nomen vni
Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum. 12 Et aurum
terræ illius optimum eſt. 13 Et nomen fluuij ſecundi, Gehon; ipſe eſt qui circuit omnem
terram Aethiopiæ. 14 Nomen verò fluminis tertij, Tigris: ipſe vadit contra Aſſyrios.
Fluuius autem quartus, ipſe eſt Euphrates. 15 Tulit ergo Dominus Deus hominem, &
poſuit eum in Paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum: 16 Præcepitque
ei, dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede: 17 De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne
comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. 18 Dixit quoque

1. Cor. 15. f. 45.

Eccl. 24. c. 35.

Domi-

Dominus Deus: Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi
19 Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volati-
libus cęli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, omne enim quod vocauit Adã
animæ viuentis, ipsum est nomen eius. 20 Appellauitque Adam nominibus suis cuncta
animantia, & vniuersa volatilia cęli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non inueniebatur
adiutor similis eius. 21 Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdor-
misset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. 22 Et ædificauit Dominus
Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. 23 Dixit- [1.Cor. 11 b.9.]
que Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, [Matt. 19. a. 5.]
quoniam de viro sumpta est. 24 Quam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem [Marc. 10. a. 7.]
& adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. 25 Erat autem vterque nudus, Adam [Ephes. 5. g. 1. 1 Cor. 6. d. 16.]
scilicet, & vxor eius: & non erubescebant.

VERSVS I. & II. *Igitur perfecti sunt Cœli, & terra & omnis ornatus eorum, compleuitq; Deus die septimo opus suum quod fecerat.*

1 [E p.p. 74. 2. 4.] Vt ordo setuaretur naturæ, quæ procedit ab imperfecto ad perfectum, [E] vtque ostenderetur vniuersi perfectionem esse ab aliquo, nempe à Deo, (cùm præcesserit imperfectio,) [F] non autem ex impotentia facientis, [F 2. Annib. 12. art. 1.] septimo solùm die exprimitur; *Igitur perfecti sunt cœli & terra.* Plurificat *cœlos*, quia post rerum distinctionem, clariùs dicenda sunt, & enucleanda, quæ indistinctè priùs innotuerant sub vno nomine cœli, ac firmamenti. *Compleuit.* Quale complemẽtum? Videtur compleße sexta die, non sequenti, qua nihil fecit. Responsio multiplex est: sanè post sextum nihil denuò molitus est Deus, rerum institutione præmissa: atqui poterat [G] [G p.p. 73. 1. 2.] sine dubio post diem sextum, plures adhùc creaturas facere, ergo die septimu dicendus est consummasse. Item *compleuit* perficiendo, non quidem prima perfectione, secundum quòd res in sua substantia est perfecta; sed creaturam administrando, & ad propriam operationem eam mouendo; incepit enim septimo die propagationis [H] [H 2. Annib. 15. a. 4. & d. 17. 2. 3.] opus: quod spectat, ad secundam rei perfectionem, vt dicitur in secundo de anima. Vel dicendum quod quanquam complementum reuera habuerit vniuersum sexta die, tamen quia complementum [I] [I D. Th. hic.] sonat factum esse, non debuit exprimi sexta die, qua recensetur adhùc fieri rerum. Fortaße ob huiusmodi difficilem intelligentiam, alia translatio [L] [L p.p. 73. 1. 2. 2. Annib. 15. 4. & alio.] (quæ est secundùm literam 70. quamque exponit Augustinus,) habet, *Compleuit Deus die sexto.* Nostra tamen translatio est secundùm Hebraicam veritatem. *Et requieuit die septimo ab vniuerso opere, quòd patrarat.*

2 Potuisset Moyses, nisi altioris sensus mysteria obstitißent, dicere, *cessauit Deus*, ab alijs condendis; sed vsus est verbo *requieuit*, vt arcana sapientiæ præsignaret. Cessauit ergò Deus ab vniuerso opere quod patrarat, quia deinceps nihil, quod ad institutionem, integritatem, & perfectionem Mundi requireretur, molitus est, vniuersi enim perfectio [M] [M 2. cont. G. c. 84. & 2. Annib. 17. 2. 3.] attenditur quantùm ad species, non quantùm ad indiuidua. Et quamuis sit, (quod scribit Philosophus in libro de animalibus) vt frequenter [N] [N Annib. 2. d. 15. 4. 3 & p. p. 73. 2. 3. & hic.] appareant nouæ species animalium, quæ nunquàm apparuerunt, inquit D. Thomas in 2. ad Annib. quòd præextiterunt in seminalibus rationibus; & p. p. ait, species etiam nouæ, si quæ apparent, præextiterunt in quibusdam actiuis virtutibus; sicut animalia ex putrefactione generata, producuntur ex virtutibus stellarum, & elementotum, quas à principio acceperunt, etiam si nouæ species talium animalium producantur. Animalia etiam quædam secundùm nouam speciem aliquando oriuntur, ex commistione animalium diuersorum secundùm speciem, sicut cum ex asino, & equa generatur mulus; & hæc etiam præcesserunt causaliter in operibus sex dierum. Verbo ergo, dicatur cum Ecclesiaste c. 1. *nihil sub Sole nouum*; omnia enim, quæ de nouo videntur fieri, præceßerunt, vel in rationibus seminalibus, vel in suis similibus, vel saltem in potentia obedientiæ, vt miracula: [O] [O 4. 48. 2. 1. 3.] vnde subdit Angelicus, [P] [P de potentia q 6. 1. 9.] miraculum non fit à Deo nisi in creaturis præexistentibus, quæ aliquo modo in operibus sex dierum præextiterunt. Dictum est autem *in suo simili*; vel secundum genus, vel secundùm speciem; & idcircò etiamsi animæ rationales de nouo creentur, præextiterunt secundùm similitudinem speciei, in primis operibus, [Q] [Q p.p. 71. 1. & p. p. 118. 3. 1. & 2. 17. 2. 2. 1. & potentia 3. 10. 13.] in quibus anima Adę creata fuit: cessauit igitur Deus à nouis simpliciter condendis, quemadmodum propriè loquitur D. Thomas; non tamen cessat quotidie operari, iuxtà illud Ioannis 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*; creaturas in esse conseruando, & gubernando: propagatione, generatione, & creatione, ad se ipsum tanquam ad vltimum finem, (directo homine) omnia ordinando, quæ condidit: iuxta illud Prou. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.*

3 *Requieuit.* Quia omnis operatio dicitur motus, [R] [R p. p. 73. 2. & 2. Annib. 15. a. 4.] cessatio à nouis condendis, vocatur quies, quasi terminus motus: non ergo secundùm quod quies [S] [S Hebræorum 4. lib. 1.] opponitur labori: sed quia, etsi Deus producendo non moueatur, de ipso non loquimur nisi per sensibilia, in quibus non est operatio sine motu: vnde omnis operatio largè loquendo dicitur motus. Verùm vt nos doceret Spiritus Sanctus, quòd Deus quiescit tantùm in sua bonitate, inspirauit Moysen, vt scriberet, *ab operibus*, non verò *in operibus suis*. Alitet quippe operatur Deus, & quilibet alius artifex; artifex enim agit propter indigentiam suam, sicut Domificator facit domum, vt in ipsa quiescat; & faber facit cultellum propter lucrum: vnde desideriũ cuiuslibet artificis quietatur in opere suo; sed non sic est de Deo, qui non agit propter indigentiam suam, sed prnpter bonitatem communicandam; vnde non quiescit in opere, sed ab opere: vtique in se ipso, [T] [T p. p. 73. 2.] quia

ſufficit ſibi, & [re]pleuit deſiderium ſuum. Et quamuis ab æte[rn]o in ſe ipſo requieuerit, tamen quòd poſt ope[ra] condita in ſe ipſo requieuit, hoc pertinet ad [ſe]ptimum diem.

Ratio [it]aque propter quam transferunt *requieuit*, c[u]m potuiſſet vſurpari verbum *ceſſauit*, vt legit[ur] Exodi 31. fuit, vt Deum eſſe vltimum finem, [h]aud indigentem creaturarum, agnoſceretur. Quoniam autem per requiem Dei ab operibus, [V] deſignatur requies æterna, quam poſt ſex dies, quibus ob perfectionem ſenarij ſignificatur præſens tempus, habituri ſumus, ideò inquit Angelicus; [X] ſignanter verbo requietionis Moyſes eſt vſus poſt opera Dei, vt ſignaret ſpiritualem requiem, quam Deus exemplo quietis ſuæ, fidelibus poſteà, qui bona fecerint opera, arcana ſignificatione pollicebatur; vnde etiam poteſt exponi [A] quies Dei, in quantùm, nos facit a ſuis, & noſtris operibus, in ſe ipſo requieſcere. Hinc etiam Matth. 17. dicitur poſt ſex dies gloriam ſuam demonſtraſſe diſcipulis Chriſtum Dominum, quia, ibi ait D. Thomas, per illos [B] ſignificantur ſex ætates, poſt quas ſperamus venire ad gloriam futuram: & ſubdit, ſex diebus perfecit opera ſua; quia niſi eleuemur ad Deum ſuper omnes creaturas, quas Dominus his diebus creauit, non poſſumus peruenire ad Regnum Dei: & alibi, [C] operandum eſt ergo in ſenario huius temporis, vt ſabbatum aſſequamur; quod ſignatur Geneſis 2.

[V Hebræorum 4. l. 2.] [X Io. lib. 2.] [A p. p. 73. 2. 3.] [B Matt. 17.] [C Apoc. 14.]

VERSVS III. *Et benedixit diei ſeptimo.*

5 Incepit ſeptimo die, vt ſuprà dictum eſt, propagationis opus, ideoque dicitur Deus *benedixiſſe diei ſeptimo*; ad multiplicationem enim pertinet benedictio; [D] vnde ſupra, creaturis quas benedixit ait, *creſcite, & multiplicamini*. Vt autem plenius intelligatur, quare ſpeciatim dies hic benedicitur, recolendum eſt, quòd docet Angelicus [E] ad Corinthios; nàm dicere Dei, eſt facere; pſ. 148. *dixit & facta ſunt*; vnde *benedicere* Dei, eſt bonum facere, & bonum infundere. Quamuis autem alij ſex dies benedicti à Deo dici poſſint, quia bonum Diuinum ſe in eiſdem, creaturis diffudit; vnde toties legitur, *vidit Deus quòd eſſet bonum*; tamen quia propter abundantiam ſuæ bonitatis, [F] dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicauit; & hanc ſeptimo die ad actum cœpit promouere, ſecundùm influentiam vniuerſalis propagationis, atque conſeruationis; (de quo alibi D. Thomas [G]) idcirco diei ſaptimo benedixit; nàm hac die promotum eſt vniuerſum ad vltimam perfectionem, quæ eſt ſecundùm finem, & ſecundùm operationem, [H] per quam bonum, anteà creaturæ collatum, quodammodo diffunditur. Aliud caput etiam tangit Angelicus; [I] nàm perfectio diuinæ bonitatis in hoc maximè oſtenditur, quòd in ipſa ſola, & ipſe requieſcit, & nos requieſcere facit, ea fruentes; vnde his tactis hac die, meritò de benedictione fit mentio.

[D p. p. 73. 3.] [E 2. Cor. 1. lib. 2.] [F p. p. 22. 3.] [G p. p. 104. 1. & 2.] [H 2. Annib. 15. 4. ad 5.] [I p. p. 71. 4. 2.]

VERSVS III. *Et ſanctificauit illum; quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret.*

6 Meruit ſanctificari hic dies, quia ſanctificatio cuiuslibet maximè attẽditur [L] in hoc, quòd in Deo requieſcit, vnde & res Deo dedicatæ ſanctæ dicuntur; & in lege, ſanctificari, quæ diuino cultui applicantur. Exponitur autèm Dei requies memorata hoc die, in quantùm etiam nos in ipſo facit requieſcere vt viſum eſt; igitur hoc ab euentu erat ſanctus dicendus. Quoniam verò requies æterna per noſtrum *ſabbatum*, quæ vox hebraicè *quietem* ſonat, [M] ſignificatur, dum diem ſeptimum Deus ſanctificauit, nos ſanctos potiſſimùm die illo intendit eſſe: & quia hoc nomen *ſanctus*, ſiue græcè ſiue latinè etymologia penſetur, [N] munditiam importat, dùm ſanctum diem ſeptimum fecit, nos illo die præcipuè addictos diuino cultui eſſe voluit; quemadmodùm Templum, & Vaſa, & alia huiuſmodi ſanctificari dicuntur, quia diuino cultui mancipantur; atqui ſubindè munditiam, & puritatem exegit: mens autem humana inquinatur ex hoc, quòd inferioribus rebus coniungitur, ſicut quælibet res, ex immiſtione peioris ſordeſcit, vt argentum ex immiſtione plumbi; vnde oportet quòd mens humana ab inferioribus rebus abſtrahatur, ad hòc quòd ſupremæ rei poſſit coniungi; & ideo mens ſine munditia Deo applicari non poteſt: vt ergo hac die recurrente, ſpecialiùs Deo vacaremus, orationi ac diuino cultui addiceremur, ac etiam creationis beneficium recoleremus, [O] ſanctificauit illum; ideſt ſanctitati ac munditiæ deſtinauit.

[L p. p. 71. 4. & 2. 2. 122. ar. 4. 1.] [M D. Th. hic & Hebr. 4. l. 2.] [N 2. 2. 81. 8.] [O D. Th. hic.]

Quoniam autem fit ſermo de ſabbati ſanctificatione; ſciendum eſt, quòd obſeruantia illius, (præcepto morali iniuncta Exodi 20. & ad legem naturæ pertinens, ſicut alia [O] moralia) non debuit eſſe inconcuſſa, circa cæremonialia quæ inuoluit, immo debuit ceſſare, ſicut figura, adueniente veritate: fuit autem obſeruantia ſabbati cæremonialis quoad plura ſignificata, [P] puta in quantùm determinatur ſpeciale tempus, ad Deo vacandum, (quod morale eſt) in ſignum creationis mundi. Item ſecundùm allegoricam ſignificationem, prout fuit ſignum quietis Chriſti in ſepulchro, quæ fuit ſeptima die. Item ſecundùm moralem ſeu myſticam ſignificationem, prout ſignificat ceſſationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo; vel in præſenti [Q] per gratiam, vel in futuro per gloriam: quod ad anagogicum ſpectat. Igitur ſecundùm huiuſmodi cæremonialia determinatiua [R] præcepti moralis communis, illo ceſſante præcepto, ſucceſſit in noua lege obſeruantia diei Dominicæ, ex conſtitutione Eccleſiæ [S] & conſuetudine populi Chriſtiani, meritò inductis, quia tempus vmbræ non eſt, & quoniam quietem completam corporis & animæ habuit Chriſtus reſurgens Dominica die: de quibus alia ſuis locis. 7

[O p. 2. 100. 1.] [P 2. 2. 122. 4. & hic.] [Q p. 2. 100. 5. 2.] [R p. 2. 100. 7. 2.] [S 2. 2. 122. 4. 4. & hic]

VERSVS III. *Quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo*, &c.

Cauſam inducit ſanctificationis diei ſeptimi; iure enim, Dei cultus indicitur, expoſcitur gratiarum actio, & commendatur beneficiorum memoria; ſemper [T] quidèm, ſed exactiùs, cùm ad ſummum complementum ea deuenerunt. Congruè etiam ex ceſſatione ab operibus ſanctum ocium, quod magnum eſt negocium, præſcribitur. Fortè quoque ad benedictionem refertur ceſſatio; completis enim cunctis operibus, cum nihil ſupereſſet ad mundi perfectionem, (quod eſt ceſſaſſe à nouis con- 8

[T D. Th. hic.]

dendis)

dendis) erat benedictio donanda ſeptimo diei. Additur autem, *ab omni opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret*: & ſenſus eſt, [Y] *creauit* in materia informi, *vt faceret* poſtmodum; quia informitas materiæ præceſſit formationem accidentariam tempore, iuxta ſanctos Græcos, vel ſubſtantialem natura, per Auguſtinum. Vel eſt ex phraſe hebraica, *creauit vt faceret*, ideſt in opere vel de facto; ſicut dicimus aliquid generatur in effectu, contrà generationem in potentia, ſecundum modum loquendi Auicennæ, & Ariſtotelis; Ariſtoteles enim dicit, *in actu*; Auicenna, *in effectu*. Vel dico ego, *creauit, vt faceret*, faciendo poſteà per ſuas creaturas aliarum propagationem, & conſeruationem, vt dictum eſt.

Y D. Th. hic & p. p. 66. 1. & 2. d. 12. 4.

9 Hactenùs de opere creationis completo dictum eſt, iuxtà mentem Sanctorum Patrum præcipuè Græcorum, qui vt plurimis locis refert D. Thomas, [X] cenſuere diſtinctionem dierum memoratorum in ſacra Geneſi fuiſſe reuerà per temporis ſucceſſionem; non quidem ex impotentia [A], laſſitudine, vel neceſſitate, ſed vt ordo ſeruaretur in rerum inſtitutione; (congruè ſatis ad rerum diſtinctarum diſtinctionem,) non tamen quòd diem totum inſumpſerit Deus in quoquam faciendo, ſtatim enim, ac *dixit, facta ſunt*. Itaque ſex diebus inſtituit, diſtinxit, atque ornauit vniuerſum; ſenarius etenim numerus, quod ſuprà tactum eſt, [B] eſt primus perfectus numerus, vt potè vndequaque conſurgens ex ſuis partibus aliquotis ſimul ſumptis, quæ ſunt vnum, duo, tria; (partes aliquotæ ſunt quæ iunctæ, nec in defectum, nec in exceſſum conflantur) ſexies enim vnum, ſunt ſex, ſimiliter ter bis, & bis ter, & vnum duo tria, ſunt ſex. Primus ergo dies, ex prima diſtinctione primæ creaturæ corporalis, quæ cœlum dicitur; [C] (ſub quo nomine clauditur etiam ignis, & aer [D] ſecundum ſuperiorem partem) memoratus eſt; in quo etiam opus creationis, [E] ſcilicet cœlum & quatuor elementa facta ſunt, ſed dierum horum productio non enumerat, quia [F] opus creationis conſiſtit in ſola diuina actione, in inſtanti, rerum ſubſtantiam producente; & ideo dicitur factum *in principio*, quod ſonat indiuiſibile, non in die: opus autem diſtinctionis, & ornatus, attenditur ſecundùm aliquam mutationem creaturæ, quæ mutatio tempore menſuratur; & ideo dicitur factum in die. Quod autem diximus de primo, de alijs ſimiliter diebus dicendum eſt; quælibet enim additio [G] variabat ſtatum Mundi, & faciebat vnum diem; & ideo oportuit vt diuerſis ſtatibus Mundi diuerſi dies deſeruirent. Sicut autem per ſequens opus, nouus perfectionis ſtatus, Mundo eſt additus, ita poſt ſex dies, fuit aliquid additum, quia tunc incepit ſtatus propagationis: [H] vnde, & fecit Deus eodem modo ac res alias, diem ſeptimum, quia ad propagationem [I] pertinet, vt ſuccedant dies.

X p. p. 74. 2. & 2. 12. 1. a 2. ad. 5.
A p. p. 74. a. 4. & 2. d. 12. q. 1. a. 2. ad 5.
B p. p. 74. 1. & Hebræorum 4. lec. 1. & de potentia q. 4. a. 2. ad 29. ac Daniel 1.
C p. p. 74. 1.
D ibi ad 1.
E Hebræorum 4. lec. 1.
F p. p. 74. 1. 1.
G Hebræorum 4. lec. 1.
H cit. 1. & 2. Annib. 15. 4.
I p. p. 74. 1. 3.

10 Aliter autem D. Auguſtinus de his diebus exponit: & quidem ſubtili, nec diſſona aut reprobanda literali [L] interpretatione; quoniam auctoritati Sacræ Scripturæ [M] in nullo derogatur, dum diuerſimodè exponitur, ſalua fide; quia maiori veritate Spiritus Sanctus eam fœcundauit, quàm aliquis homo adinuenire poſſit. Itaque Sanctus Antiſtes non cenſet, eſſe plures dies ſecundùm ſuceſſionem temporis, aut productionis rerum; [N] præcipuè propter hoc, quòd cùm Deus, non ſucceſſiuè operetur, ſed ſolo imperio, conſtat, totum opus, quod vni diei aſcribitur, in momento temporis eſſe completum; vnde reſiduum tempus ſuperfluere videretur: vult ergo creata eſſe omnia ſimul, iuxtà illud Eccleſiaſt. 18. *qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul*, quod ita etiam accipiunt alij Sancti Patres, ponentes & ipſi quoque, in prima rerum creatione, fuiſſe materiam omnem ſub formis cœlorum, & elementorum concreatam; quamuis diſſentiant de diſtinctione rerum, & ornatu, & ſucceſſiuè facto, & in actu quoad plantas, & animalia. (Ipſe hunc Eccleſiaſtici locum, expono eo ſenſu, vt quæ cuncta ad vniuerſi ſpectant perfectionem creata ſint *ſimul*: non proinde cogit hæc auctoritas, vt omnes animæ ante corporis vnionem, creatæ ſint ab initio, vt Origenes finxit.) Quomodo autem id intelligat Auguſtinus, refert & exponit pluribus locis Angelicus, [O] nàm quoties contingit fieri illuminationem, dici pariter poteſt diem eſſe; inquit autem Auguſtinus; natura Angelica intellectualis cùm ſit, lux quædam eſt, (& propriè quidem, [P] ſecundùm quòd eſt in vſu loquentium, licèt non ſecundùm primam nominis impoſitionem) ergo illuſtratio ex tali luce dies dicetur: atqui natura Angelica in principio conditionis rerum, earundem cognitionem accepit; ergo quot fuerunt cognitarum genera rerum, tot illuxerunt dies, licèt neque fuerit ſucceſſio cognitionis, nàm multa ſimul poteſt cognoſcere Angelus. Certum eſt autem, nihil produxiſſe Deum in rerum natura, quod non impreſſerit menti Angelicæ: quod ait ſignificari, per illa verba, *& fecit Deus*; ſicuti res in ſua natura per ly *& factum eſt*, & eaſdem [Q] in verbo, per ly *dixit Deus*: ergo lux illa ſeptem fecit dies. Primus fuit dies, [R] cognitio creaturarum ſpiritualium; ſecundus orbium cœleſtiũ; tertius elementorum; quartus ſtellarum; quintus auium, & piſcium; ſextus animalium, & hominum. Et hi ſunt ſecundùm conſiderationem [S] rerum, prout egrediuntur à ſuo Auctore, conſideratio autem earundem, ſecundùm ordinem quem habent in finem, prout ſcilicet earum Auctor creaturis conditis, in ſe ipſo ficut in fine requieſcit, ſeptimum aperuit diem; & conſequenter ad hæc diſtinguit Auguſtinus duplicem Angelorum cognitionem matutinam [T] ſcilicet, quæ eſt primordialis eſſe rerum in verbo, & veſpertinam de eſſe earundem rerum in propria natura exiſtentium, ſiue per ſpecies innatas, ſiue etiam in ipſo verbo; de quo D. Thomas. [V]

L 2. 12. 1. 1. c.
M ibi. a. 1. ad 7.
N p. p. 74. 2. & Annib. 2. d. 12. a. 3.
O cit. 1. & 2. d. 12. 1. 3.
P p. p. 67. 1. & 2. 13. §. 1. 2.
Q 2. Annib. 13. 4. ad 4.
R d. 12. 1.
S 2. Annib. d. 15. 4.
T p. p. 58. 6.

Occaſio autem excogitatus Auguſtini, cur vſitatos hos dies, non crediderit recenſeri, fuit multiplex: alteram, & alteram expendemus. Prima quidem quoniam Sol cuius ductu, & circuitu dies peraguntur, ſolummodo quarta die factus dicitur. Secunda verò, quia non viſum eſt ſibi conueniens; [X] vt prætermiſerit Moyſes ſpiritualis creaturæ productionem: voluit ergo vt cùm dixit, *in principio creauit Deus cœlum, & terram*; per *cœlum* intellexerit, ſpiritualem creaturam, per *terram* autem, materiam corporalis creaturæ, vtrumque autem informe ſuo modo,

V p. p. 58. 7. & 2. d. 12. 1. 3.
11
X p. p. 67. 4. & p. p. 74. 1. ad 2.

prio-

prioritate originis; tribus primis diebus formandum. [A] Itaque operæ pretium erit ad mentem Augustini creatarum rerum ordinem tangere. Cœli nomine intelligi posse spiritualem creaturam, non est qui ambigat, si proprietates amborum, puritatem, claritatem, incorruptionem, & huiusmodi expenderit Psal. 148. *Laudate eum omnes Angeli eius; laudate eum omnes virtutes eius, quia ipse dixit, & facta sunt.* Terram autem latè accipit, vnde ne pressè credatur dictum, vtque intelligatur materia corporalium circumscribi, modò terra, modò aqua dicitur, nam aquam sonat abyssus, vt suprà diximus ex D. Thoma: [B] habet autem materia similitudinem cum terra in quantùm subsidet formis; & cùm aqua, in quantùm est apta formari pluribus formis: immò primordialis materia dicitur aqua, propter ductibilitatem eius, & obedientiam ad formas diuersas; terra propter informitatem; abyssus propter obscuritatem. Prima die formatur creatura spiritualis: intelligitur autem formatio, non quæ est per gloriam [C] perfecta, cum qua creata non fuit, sed per gratiam, cum qua creata fuit. Quia autem simul tempore fuit *in eis condens naturam, & largiens gratiam*, non interponitur, & *fecit Deus lucem*, quia sui ipsius cognitionem [D] Angelus habere non potuit, antequam in propria natura esset. Diuisit lucem à tenebris (intelligendo per tenebras peccata Dœmonum) secundùm Dei [E] præscientiam; nam Diabolus non fuit creatus malus, sed Deus præsciuit omnia. *Fiat firmamentum.* Intelligitur secunda die formatio corporum superiorum [F] nimirum cœlestium. Firmamentum autem notum præ stellis, diuidit aquas ab aquis, [G] quia quicquid est inter corpora superna, & infima, diuidit aquas ab aquis, materiam scilicet hinc & hinc præintellectam informem. Tertia die *congregentur aquæ in locum vnum*. Intelligitur formatio corporum inferiorum: & ideo terra priùs accepta pro materia prima, [H] nunc accepta pro elemento, dicitur arida. Per hoc ergo quòd dicitur, *congregentur aquæ*, significatur, quòd aqua suam formam acceperit: [I] per hoc verò quòd dicitur, *appareat arida*, significatur idem de terra. Ideò verò his verbis vsus est in formatione horum elementorum, & non verbo *factionis*, sicut dixerat, *fiat firmamentum*, vt significaret imperfectionem harum formarum, & earum propinquitatem ad informem materiam. Verbo verò *congregationis* vsus est ad aquam, vt significaret eius mobilitatem: verbo verò *apparentiæ* in terra, vt significetur eius stabilitas: vnde inquit Augustinus, aqua est labiliter fluxa; terra stabiliter fixa: & sub nomine aquæ, etiam alia elemenra [L] superiora, formata intelliguntur. Censet autem D. Augustinus causaliter dictum esse, *& protulit terram herbam virentem*. [M] Transitur tribus sequẽtibus diebus àd ornatum; sed circa ornatum cœlorum per luminaria, non dissentit Augustinus ab alijs Patribus; ait enim cum illis luminaria esse facta in actu, non [N] in virtute tantùm; non enim habet firmamentum virtutem productiuam luminarium, sicut habet terra virtutem productiuam plantarum: vnde Scriptura non dicit, producat firmamentum luminaria; sicut dicit, *germinet terra herbam virentem*. Censuit etiam D. Augustinus animalia, & homines dici producta sequentibus diebus [O] in rationibus seminalibus, postmodum verò in naturis proprijs producta post senarium dierum, cum creaturam productam cœpit administrare. De homine redibit mox sermo.

A p.p.74. 1.

B p.p.66. 1. ad 1. & de potentia q. 4 a. 2. ad 31. & 2. Petri 3.

C p.p.67. 4. 4.

D 2. Annib. d. 13. 4. 4.

E p.p.63. 5. 2. & 67. 4. 4.

F p.p.74. 1.

G p.p.63. 2. & 3.

H p.p.69. a. 1. ad 5.

I de potentia 4. a. 1. ad 17.

L potentia 4. a. 2. ad 29.

M p.p.69. 2. & potencia 4. 2. ad 30.

N p.p.70. a. 1.

O 2. d. 12. 1. 2. & p. p. 91. 2. 4.

12 Post hactenus dicta iuuat audire S. Thomam in Iob c. 40. ad illa verba; *ecce Behemoth, quem feci tecum*. Et si quidem inquit, hoc referatur ad tempus inchoationis vtriusque, quantùm ad figuram veritas apparet, nam sexto die simul cum homine terrena animalia sunt producta. Si referatur ad Diabolum, de quo figuraliter, siue metaphoricè hæc dicuntur, non videtur simul diabolus factus cùm homine, nàm homo factus legitur die sexto; Sathan autem inter Angelos factus creditur in principio, quo creauit Deus cœlum, & terram. Sed si illa dierum enumeratio, non designat temporis successionem, sed diuersa genera rerum productarum secundùm sententiam Augustini, nulla repugnanria inuenitur. Si autem secundum aliorum expositionem, Angelorum creatio duratione præcessit hominis productionem, potest dupliciter hoc verbum intelligi; vno modo, vt sit sensus, *quem feci tecum*, idest quem feci, sicut & te: & hoc dixit ad excludendum errorem eorum, qui considerantes malitiam diaboli, æstimauerunt eum non esse Dei boni creaturam: Alio modo vt sit sensus, *quem feci tecum*, idest similitudinem tecum habentem, quantùm ad naturam intellectualem, vnde huius etiam similitudinis aliquod vestigium in elephante apparet: dicit enim Aristoteles in 8. de animalibus, quòd maximè domesticabile animalium syluestrium est elephas: ad multa enim eruditur, & intelligit; quoniam etiam adorare Reges docetur. Quod non ideò dicitur, quia habeat intellectum, sed propter bonitatem naturalis æstimatiuæ.

15 Hæc de sacra Genesi ad literam sint generali clausa compendio. Non deest infinita propemodum ad intellectum mysticum expositio; qui quidem [P] vt ait D. Thomas, trahi quouis modo potest de litera, dum tamen per alium sensum literalem possit probari. Passim D. Thomas in hoc etiam est diues. Sunto exempla; *creauit cœlum & terram*: per terram intelliguntur actiui, [Q] per cœlum contemplatiui. *Fiat lux*, prima die: secunda, *firmamentum*; per lucem intelligitur Christùs, [R] per firmamentum Ecclesia designatur, sicut pro abysso [S] profunditas peccatorum. *Tenebræ erãt super faciem abyssi*, idest ignorantiæ erant super faciem humani cordis ex diaboli deceptione. op. 58. c. 6. *Congregentur aquæ* [T] idest omnes mali. *Et appareat arida*, idest [V] Ecclesia. *Germinet terra herbam virentem*. idest faciat [X] homo opera bona. & huiusmodi.

P D. Th. hic c. 8. fine.

Q Hebræorum 1. 1. 5.

R Ps. 47.

S Apocal. 9.

T Apoc. altera c. 16.

V eadem c. 14.

X Hebr. 6. 1. 2.

VERSVS IV. *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creatæ sunt.*

Quoniam propagationem tetigit Moyses die septimo; hanc multiplicem recolens, & recolligens inquit, *hæ sunt generationes cœli, & terræ*; non quòd cœlum, ac terra sint genita, sed quia sub cœlo, & in cœlo animalia, vt *volucres cœli*: itèmque in terra. Quia autem huiusmodi propagatiua generatio rerum tunc cœpit, addit *quando creatæ sunt*; creatæ enim sunt res,

deinde

deinde genitæ ex similibus, saltem potentialitet, vt mox dicetur.

VERSVS V. *In die quo fecit Dominus Deus cælum & terram, & omne virgultum agri,&c. & omne virgultum agri, antequam orireetur in terra, omnemque herbam regionis antequam germinaret.*

Non cogit ly *in die*, &c. vt repudiemus sanctos distinctionem plurium dierum intelligentes; quoniam dies quandoque accipitur pro tempore etiam plurium dierum. Vnde Augustinus [A] in simili inquit, *cum dicimus vltimum diem diuini iudicij, nouissimum tempus significare intendimus*. Præterquàm sustineri potest, *in die*, & primo die fuisse factum inter cætera *omne viride agri*, quam literam sequitur Augustinus, quia secundùm ipsum non fuerunt eiusmodi facta, nisi causaliter: & hoc potuit esse tertia die indistincta, vt ipse vult; vel prima rerum institutione, vt alij existimant. [B]

Virgultum agri, antequam orireetur; fecit Deus cælum, &c. Vtitur præuia factione cęli; quia cum memoretur tertia die viride super terram, cęlum fuerat, & creatum & factum, idest distinctum per lucem velutique formatum. *Antequam orireetur*, vel *antequam germinaret*, idest antequam [C] ex similibus similia producerentur; sicut nùnc naturaliter fieri videmus, secundùm viam seminationis. Quare etiamsi iuxtà sanctos Patres fuissent virgulta antecedenter in actu per diuinum imperium, verificaretur ly *antequam*, quia ante generationem vnius ab alio, Recapitulat autem hìc de ornatu terræ, [D] vt gradatim viam paret ad dicendum de homine collocando in Paradiso, herbis & arboribus consito.

VERSVS V. *Non enim pluerat Dominus super terram, & homo non erat qui operaretur terram.*

Fecerat ergo Deus omne virgultum &c. quia non eruperat per germinationem, eo quòd non pluerat Dominus: & sic innuitur, [E] ad actum germinationis naturalis, requiri communiter humorem pluuialem; atque, ad perfectionem germinationis, humanum opus, quo excolatur terra.

VERSVS VI. *Sed fons ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ.*

14 Fontis nomine singularis, pluralitas intelligitur, more Sacræ [F] Scripturæ multis in locis, sicut nuper dictum fuerat, & *homo non erat, qui operaretur terram*, idest, homines. (Licèt non desint, qui vnum in singulari fontem accipiant, qui irrigaret Paradisum, & hoc sit vniuersam superficiem terræ; à quo, etiam quatuor flumina vt infrà.) Huiusmodi fontem inquit D. Damascenus [G] esse Oceanum. Certè origo præcipua fontium est mare. Tunc ergo ascendebant fontes, quia quamuis aqua peculiari naturæ suæ conditione fluat deorsùm, [H] tamen ex impressione cœli, naturaliter mouentis elementa ad mistionem, absque vlla violentia supergreditur aqua terram: igitur *ascendebat*, quemadmodum adhùc ascendit, vt etiam suprà cacumina montium fit scaturigo fontium, & fluuiorum: irrigabaturque vniuersa superficies terræ, dulciter expansis vbilibet aquis, nondum cauis in alueis fluentibus. Quamuis autem alia quoque via aquarum fontes interdum gignantur, intrà scilicet sinus terræ; resolutis (primò clausis) vaporibus: quod docuit Philosophus, & probat Angelicus (misso Meteororum 1.) ad Psalmum 17. super illa verba, *& apparuerunt fontes aquarum*: [I] tamen de memorato hic fonte id dici nequit; tùm quia sicut in pluuias nondum vapores deciderant, ita nec subterraneis in locis tàm citò aquarum materiam suppetijsse verosimile est; tùm quia Sacer textus inquit, *ascendebat fons*; ergo origo, potiùs erat è mari, non ex halitibus, immò lapsis in terræ cauitates, non ascendentibus, cùm coguntur in aquas; tùm denique, quoniam eiusmodi fontes, tertia die in orbis terrarum beneficium libratos fuisse, necesse est credere; iuxtà illud Prouerbiorum 8. *quando æthera firmabat sursùm, & librabat fontes aquarum*. Non sine mysterio autem singulariter, fons ascendere dicitur; eo quòd [L] Christus per illum signatus est: sicut enim fons terram rigat, & sine sui diminutione herbas innumeras, & arbores nutrit; sic Christus Ecclesiam pascit: vnde & glossa, *irrigans vniuersam superficiem terræ*; idest, *inspirans cordi vtilia & honesta*. Mirum est etiam cur legatur; *non enim pluerat Dominus super terram*; siquidem satis visum fuisset; *non enim pluerat super terram*: verùm signanter recolitur *Dominus*, cum de pluuia est sermo, quia cum nubium, & pluuiarum Dominus perlubetur, quantùm ab illius largitate pendeat cunctorum vita, innotescit; cum aquarum inopia, & sterilescant omnia, & pereant: hinc toties in sacris literis, vltionem comminatur per subtractionem nubium, & pluuiarum; vt Isaiæ 5. *nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem*; aliasque de suorum donorum effusione quasi gloriatus, *quis est* inquit Iob 38. *pluuiæ Pater?* ad quæ moralem intelligentiam addens Augustinus [L] ait; *sicut terra, quæ ante peccatum fonte irrigabatur, post peccatum indiguit pluuia de nubibus descendente, ita mens humana, quæ per terram significatur, fonte veritatis ante peccatum fœcundabatur; post peccatum verò, indiget doctrina aliorum, quasi pluuia de nubibus descendente*. Heb. 6. *terra bibens imbrem*.

VERSVS VII. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.*

Enarrat sacer textus modum, quo à Deo factus est primus homo; sexta quidem die, vt supra expositum est. *Formauit*: quia corpus humanum [M] ad nobilissimam formam producitur, conuenienter præ cæteris dicitur esse formatum. Quamuis autem Deus instantaneo [N] imperio formauerit hominem, creando vnà simul, & vniendo animam corpori, (quod [O] solus facere potest, quia solus potest immediatè [P] mouere materiam ad formam) circumscribitur tamen factum, vt verborum pondere & varietate, facturæ innotescat præstantia. Quocirca describit Cassiodorus hominem; *Procerum animal in effigiem pulcherrimæ speculationis erectum*; & Poeta.

Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Decepti sunt ergo, [Q] qui intellexerunt corpus hominis priùs tempore formatum fuisse; postmodum verò, Deum formato iam corpori animam infudisse; nam quod dicitur, *formauit ho-* 15

A D.Th. hic.
B p.p.74. a. 1.
C p.p.69. 2.
D D.Th. hic.
E D.Th. hic.
F D.Th. hic.
G 2. Anmb. d.17. 4. 3.
H 2. d.14. q. 1. a. 5. ad 4.
I in psal. 17.
L opusc. 58. c. 14.
L de Veritate 11. art. 1. sed contra.
M 2. Anmb. d.15. 1. 1.
N D.Th. hic.
O p.p. 91. 2.
P p.p. 105. 1.
Q p. p. 91. 4. 1.

R q. de anima a. 9. ad 8.

minem R de limo terræ, non præcedit tempore, hoc quod sequitur, & *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, sed ordine naturæ tantùm; vnde ly *inspirauit*, est quasi expositorium eius quod fuerat præmissum, *formauit* &c. nàm anima est

S q. cit. a. 1.

corporis forma, vt docet etiam S ibidem. *Formauit igitur Dominus Deus*; vt indicet esse productam animam per creationem: T sicut cum dicitur Ecclesiastici 17. *Deus de terra creauit hominem. de limo terræ*; hoc intelligitur quantùm ad corpus: nàm ad mistionis æqualitatem, cum teneritudine tamen quadam, necessum fuit, vt elementa minoris virtutis, secundùm quantitatem in homine abundarent; hæc autem sunt terra & aqua, per limum significata, V quia limus dicitur terra aquæ permista.

T p. p. 90. a. & de spiritualibus creaturis art. 10. c.

V p. p. 91. 1. & 4. & hic & Iob 4.

16 *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*. Exprimitur his verbis præcellentia rationalis animæ supra brutorum; nam primo capite de alijs legitur; *producant aquæ reptile animæ viuentis*; X & *producat terra animam viuentem*: ad significandum quidem, quòd illorum anima, ex virtute aliqua corporea producitur; anima verò humana à Deo: vnde & Ecclesiastes vltimo; *reuertatur puluis in terram suam, vnde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui fecit illum*. Non intelligitur per illa verba *inspirauit* &c. quòd homini tunc dederit Spiritum Sanctum, A vt quidam finxerunt; nam ex eo quòd inspirauerit &c. *factus est homo in animam viuentem*; quod ad vitam animalem refert Apostolus 1. Corinth. c. 15. vt obseruauit Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei c. 24. quare & subdit, *sed non prius quod spirituale est; sed quod animale; deinde quòd spirituale*. Quamuis autem Cyrillus exposuerit de Spiritu Sancto: huiusmodi intelligentia non potest B esse literalis, sed solùm allegorica. *Inspirauit*. Non accipitur inspirare C corporaliter, sed idem est Deû inspirare, quod spiritum facere. Meritò autem assumitur hæc figuratiua locutio, nàm figuratiuè D dicitur Deus flare; Isaiæ 57. *flatus ego faciam* (vbi D. Thomas omniscius legit cum Magistro *omnem flatum ego feci*: hebræo nimirum more, sumpto futuro pro priori, vt apud Cornelium à Lapide: meritò inquam, assumitur tropica hæc locutio; vt indicetur anima humana spiritualis, inuisibilis, seu incorporea, quia omnis substantia inuisibilis dicitur spiritus; E vnde aer quoque spiritus nominatur. Vtitur etiam sacer textus hoc verbo *inspirauit*, vt insinuetur F similitudo cuiusdam imperfectæ imaginis in esse vitæ cum Deo; *spiritus enim est Deus*, vt dicitur Ioannis 4. & 2. Corinth. 3. Vel etiam, inquit, *inspirauit*, quia maximè elucet Dei bonitas, quæ attribuitur Spiritui Sancto, in animæ creatione; in eam enim se se effundit, secundùm nobilissimum intellectualitatis gradum, vt dicitur ad p. p. q. 50. 1. Non ergo quia dicit *inspirauit*, occasio sit erroris, vt dicatur anima nostra de Dei substantia; nam Deo & creaturæ nihil esse potest vniuocum, vt citatis omnibus in locis luculenter docet Angelicus: immò neque homo corporaliter spirans, emittit aliquid de sua substantia, sed de natura extranea. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*. In faciem, quia cum in hac parte corporis G sint plurium sensuum organa, euidentius in facie vita monstratur, quia ergo inspirauit in faciem, decuit, vt faciem, in qua sensus præcipuè vigent, & opera vitæ rationalis relucent, non haberet homo pronam ad terram, sed erectam; vt per sensus, H & præcipuè per visum liberè posset ex omni parte sensibilia cognoscere, & cœlestia, & terrena; atque ex omnibus intelligibilem colligere veritatem. *spiraculum vitæ*. Nobile animæ nostræ encomium! ex quo ad Dominum perpeti redeat cogitatione; relatu enim *spiraculum* I ad spirantem dicitur. Licèt etiam *spiraculum*, & ipsa aliunde vocetur, quia eleuatiori ac eminentiori informatione dat homini intellectualitatis gradum, qui spiritum sonat. Brutorum anima principium quippe est vitæ; atqui non ita spiraculum dici potest.

X p. p. 75. 6. 1. & 2. contra G. c. 87.

A p. p. 91. a. 4. 1. & 1. Cor. 15. l. 7.

B opusc. 1. 17.

C p. p. 90. 1. 1.

D 2. d. 17. q. 1. ar. 1. d 1.

E Hebræorum 1. l. 5.

F 2. cont. G. c. 85.

G 2. cont. G. c. 85. & p. p. 91. 4. & hic.

H p. p. 91. 3. 3.

I D. Th. hic.

Et factus est homo in animam viuentem. Idest 17
vitam corpori L dantem, scilicet M animalem: vita, scilicet N animali. Memoratur itaque quòd sit factus homo: quo loci supponit quidem pro Adamo, sed significato comprehendit Heuam etiam, & homines creandos ita in animam viuẽtẽ. Quale ergo fuerit *spiraculum*, nõ Spiritus Sanctus ipse, vt dictum est, ex adiecto constat, *factus est homo in animam viuentem*: homo ergo factus est, vtique per *spiraculum*; sed *in animam viuentem*; nàm forma humana, O & anima est & spiritus; in quantùm enim intendit curæ corporis, scilicet vegetando, nutriendo, & generando dicitur anima: in quo tanquàm in aliquo communi, conuenit cum alijs animabus; quia, & anima vegetabilis, quæ est principium vitæ in his inferioribus, vt dicitur 2. de anima, hæc habet; scilicet alimento vti, & generare, & augeri: in quantùm verò intendit cognitioni, scilicet intelligendo, volendo, & huiusmodi, dicitur spiritus: & meritò, quia secundùm propria sibi, & non alijs animalibus communia, nempe secundùm virtutem intellectiuam immaterialem, speciali debuit nomine vocari: vnde quia in vltimo statu post Resurrectionem humana anima, quæ dicta sunt communia, corpori non præstabit, sed sibi propria duntaxat, puta immortalitatem &c. dicetur *corpus surgere*, quemadmodum ait Apostolus 1. Corinth. 15. *spiritale*.

L p. p. 97. 1.

M p. p. 94. 2.

N 1. Cor. 15. l. 7.

O p. p. 97. 1. & 1. Corinth. 15. l. 7.

Hanc expositam hactenùs hominis formationem, nùnc primò de facto secutam, non verò duntaxat enarratã, credit Augustinus; P sexto autè die, factum perhiberi hominem quoad corpus, quod secũdùm causales rationes fuerat præexistẽs, (antequã formaretur in actu) in operibus productis; secundùm tamen potentiam passiuam tantùm, in quantum de materia præexistente fieri potuit à Deo, vt exponit Angelicus. Quicquid autem sit, in vtraque & D. Augustini, & Sanctorum sententia, vitatur error de animæ nostræ creatione ante corpus; de quo pluribus in locis D. Thomas Q aduersùs Origenem, de omnibus animabus nostris; & aduersus quosdam de anima Adami, id opinatos ex Augustino; siquidem Sanctus Pater, vt pluries explicat D. Thomas, non asserendo, sed inquirendo ac disputando pronunciat; vnde inquit, *credatur* R *si nulla scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, vt corporis quidem ratio causalis in elementis mundi, anima verò iam ipsa crearetur sicut primus conditus est dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tem-* 18

P p. p. 91. 2.

Q p. p. 47. 1. p. p. 75. 7. p. p. 90. 4. p. p. 118 2. hic & alibi vt de malo q 5. a. 5.

R p. p. 90. 4 & 1. 17. 3. 2. & q. 2. & hic

pore

pore sufflando, hoc est inspirando, formato ex limo corpori insereret. Vt autem ad mentem eiusdem Augustini sustineatur, requieuisse Deum ab operibus de nouo condendis, dici potest animam humanam præcessisse in operibus sex dierum, secundùm quandam similitudinem generis, prout conuenit cum Angelis in intellectuali natura. Ipsa in se fuit creata simul cum corpore, vt dicitur in li. de Ecclesiasticis Dogmatibus.[S] Quòd

S p. p. 118. 3.

autem animę hominum simul cum Angelis creatæ non sint, & pro meritis diuersitatem vitæ huius sortitæ iuxta Origenem, ostendit Angelicus Rom. 9. l. 2. ex illo Iob 38. *vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei?* Hinc Augustinus serm. 191. de Tempore; *eorum quoque condemnamus errorem, qui eas ante peccasse, vel in cælo conuersatas esse dicunt, quàm in corpora mitterentur*.

VERSVS VIII. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat*.

19 Quia omnes plantæ productæ sunt in actu secundùm alios Sanctos tertia die, quod hic dicitur *plantauerat*, intelligitur [T] per recapitulationem. *Paradisus* vox est ex Græco, atque in Latinum vertitur *Hortus* [V] *voluptatis*. Translatio 70. dicit; *Paradisum in Eden*; quod interpretatur *deliciæ*; quam sequitur Augustinus:[X] vnde sensus est, quòd Deus fecit Hortum, diuersis plantis consitum, amœnum, & deliciosum: & fortè hac de causa dicitur à Deo, & plantatus, & omni pulchro suauique ad vescendum ligno exornatus, vt operis innotescat magnificentia: (Plantas, & ligna in communi, non dicitur die tertia aut plantasse aut produxisse,) quia enim, vt ait opusc. 2. cap. 187. vnicuique debetur locus, secundùm conuenientiam suæ conditionis, positus est homo in loco temperatissimo, & delicioso, vt non solùm interiorum molestiarum, sed etiam aliorum exteriorum, omnis ei vexatio tolleretur. *A principio*. Idest [X] tertia die, sicut dictum est. Litera autem septuaginta secundùm Hieronymum habet *ad orientem*, & sic, *à principio*, idest in prima parte habitabili, versus Orientem. Credendum est enim, quòd in nobilissimo loco [A] terræ sit constitutus; Oriens autem, cum sit dextra cœli secundùm Philosophum, est pars nobilior, vt constat; Docet autem D. Isidorus 14. Etymolo. quòd Paradisus terrestris vernalem semper temperiem habet: vnde credendum est, inquit Angelicus, [B] *In loco temperatissimo constitutum esse* (vel sub æquinoctiali, vel alibi) idoneo conseruationi vitæ; quia, vt Damascenus dicit, *est locus temperata, & tenuissimo, & purissimo aere circumfulgens, plantis semper floridis comatus*: Occasione eiusmodi temperiei, quæritur de situ illius. Statuit quidem Angelicus collocatum esse [C] in alto; immo altissimo [D] loco; non tamen altitudinem montium censet excessisse: [E] quin potius aquæ diluuij ad illum pertigissent, nisi loci obstitisset puritas: [F] licèt Magister in Historijs, & Isidorus dicant, ad illum aquas ob altitudinem non pertigisse, vt hic D. Th. c. 7. refert. Ratio est etiam, quoniam, in tali eminentia magna est intemperies, noxia valdè, ineptaque conseruationi vitæ propter excessum subtilitatis: vnde ad montium excelsorum cacumina, qui conscendunt, spongijs oleo repletis, aerem qui respiretur ingrossantibus, vti dicuntur. Denique [G] idem Angelicus respuit, quòd quidam dixere, ad medium aeris interstitium, in quo generantur pluuiæ, venti, & huiusmodi, ascendisse; tum quia, inquit, ibi est maxima intemperies; tùm quia locus ille non est temperatus complexioni humanæ, sicut aer terræ vicinior: ergo sibi suadet potuis, esse citrà regionem secundam instructum; (in confinio tamen,) quia [H] hic sentit, vt astruat loci illius salubrem temperiem, radiorum à terra reflexionem eò non peruenisse: vnde & Gregorius citatus Apocal. 11. *in cœlum aereum, quod terræ est proximum, Elias subleuatus legitur*, & S. Doctor 3. p. relata; Elias subleuatus est in cœlum aereum, & similiter etiam Henoch raptus est ad Paradisum terrestrem, vbi cum Elia simul creditur viuere, vsque ad aduentum Antichristi. Est ergo factus in situ, vbi aeris esset subtilitas, & puritas, quæ calore proinde non tàm forti affici posset; quia in materia subtili, & rara, non tam exardescit ignis; non enim sicut in ferro, & in stipula; & illa eadem subtilitas irriguis ibi aquis temperabatur. Quod autem Beda atque Magister [I] dixerint pertingere vsque ad lunarem circulum: vel hyperbolicè dictum est, quia est præalto in loco; vel per quandam similitudinem, incorruptionis & temperiei extrà turbines, quæ lunarem ad globum, tanquam ad nobis viciniorem inter sphæras, cęlestiumque corporum terminum, ideò refertur. Ex hactenùs dictis deprehenditur esse communem Ecclesiæ sententiam [L] de esse physico & corporali Paradisi. Vnde damnatur omnino Origenes, qui ea quæ de Paradiso dicuntur, allegoricè de Paradiso spirituali, duntaxat intelligenda esse somniauit. Aiebat Augustinus; [M] *tres sunt de Paradiso generales sententiæ: vna eorum, qui tantummodo corporaliter Paradisum intelligi volunt: alia eorum, qui spiritualiter tantùm: tertia eorum, qui vtroque modo Paradisum accipiunt, quam mihi fateor placere sententiam*. Et quidem aduersùs Origenem illud vrget; quia postquam [N] homo peccauit, in Paradiso spirituali non remansit; dicitur autem cap. sequenti, quod per aliquod temporis spatium remansit ibi; ergo.

Potest inquiri an adhuc Paradisus terrestris extet; an potius, vel saltèm vniuersali aquarum inundatione fuerit adobrutus, & conuulsus, sic vt nullum post fuerit vestigium illius deliciarum loci. Recentiores aliquot ita inquiunt. 20
Verùm communis est Patrum sanctorum, atque scholasticorum sententia, vt licèt nobis ignotus, vigeat & vireat. Ita expressè tuetur Angelicus [O] dicens, non propter hoc locus est frustra, quia non est ibi hominum habitatio post peccatum; per hoc enim etiam ostenditur benignitas Dei ad hominem, & quid homo peccando amiserit: quamuis, vt dicitur, nunc Henoch & Elias in illo Paradiso habitent; addit autem 2. 2. non esse frustrà, quia seruit homini ad documentum, dum cognoscit propter peccatum se tali loco priuatum, & dum ex illò instruitur de his quę pertinent ad Paradisum cęlestem, quò aditus homini præparatur per Christum. Vnde, etiam alibi pluries id docet, pręsertim verò [P] 3. parte dicens; & similiter etiam Henoch raptus est ad Paradisum terrestrem, vbi cum Elia simul

T p. p. 102. 1. 5. & hic.
V p. p. 102. 1. c. & hic & lo. 18. l. 1.
X D. Th. hic.
X D. Th. hic & 2. d. 24. 1. 5.
A p. p. 102. 1.
B p. p. 102. 2. 4.
C 3. p. 49. 5. 2.
D D. Th hic.
E D. Th. hic c. 7.
F 2. d. 17. 3. 2.
G p. p. 102. 1. 1.
H D. Th. hic.
I D. Th. hic & p. p. 102. 1. 1. & 2. Aunib. 17 a. 4. & alio loco q. 3. 2.
L cit. locis.
M p. p 102. 1.
N 1. Anmb. 17. a. 4.
O p. p. 102. 2. 3. & 22. 164. 2. 4. & 2. 29. 1. 5. 3.
P 3. p. 49. 5. 2. 2. 29 1. 5. 4. & 1. 18. 1. 6. 2.

creditur viuere, vsque ad aduentum Antichri-sti: de quo, largiente Domino, pleniùs dicetur infrà c. 5. & attinent quoque ad Ecclesiastici. c. 44. Locus autem ille, vt ait Augustinus, creditur à cognitione hominum remotissimus: vt autem ait D. Th. seclusus est à nostra habitatione, ali-
Q p. p. 102. 1. & 2. 2. 164. 2. 5. & 2. 29. 1. 5. 3. quibus [Q] impedimentis, vel montium, vel Marium, vel alicuius æstuosæ regionis, quæ pertransiri non potest; & ideo scriptores locorum, de hoc loco mentionem non fecerunt: præcipuè autem videtur inaccessibilis propter vehementiam æstus in locis intermedijs, ex propinquitate solis; & hoc significatur per *flammeũ gladium*: de quo infrà capite 3. Hanc & huic cognatas quæstiones vberrimè pertractat eruditissimus noster Thomas Maluenda opusculo suo celebri de Paradiso.

VERSUS IX. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum, pulchrum visu, & ad vescendum suaue, lignumque etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali.*

21 Priusquam textum hunc explicemus, præmittimus fecisse Deum, vt dicitur Ecc. 7. *hominem rectum*, hoc est, creasse illum in gratia sanctificantem: hæc est, sublimis Dei naturæ, vt in se est, (sic loquuntur Theologi) participatio: immò, *pudicitia armatum, temperantia compositum, claritate splendidum*, vt ait Augustinus: verbo, omnibus naturæ & gratiæ egregijs dotibus: id quod docet Angelicus [R] pluri-
R p. p. 95. 1. & 2. 3. bus in locis: ex quo, Dei dono, subdebatur humana ratio Deo; taliter, vt durante ea subiectione essent totaliter vires inferiores subiectæ rationi; in quo consistit originalis iusti-
S p. p. 95. 1. p. 2. 113. 1. 1. 2. 58. 2. tia, vt pluries docet; [S] quatenus irascibili, & concupiscili imperabat ratio ineluctabili dominatu, vt nec tantillùm exorbitarent: sed melodiam suauiter constarent, ex Augustino, op. D. Th. 20. l. 4. c. 23. vnde non potuit homo, in
T p. 2. 89. 3. statu Innocentiæ [T] peccare venialiter; quemadmodum accidit hodie, viribus non ita plenè subiectis, quamquam simus in gratia. Itaque videtur iustitia illa originalis fuisse distincta ab in-
V p. p. 100. 1. stitia gratuita, quia hæc [V] illius erat radix: attamen, vtraque fuisset proles Adami à Deo donata; iustitia quidem originali tanquam ad na-
X p. 2. 91. 2. turam speciei [X] spectante; (ex quo diceretur traducta) iustitia verò gratuita, tanquam radice illius; quæ tamen iustitia seu gratia non fuisset naturalis, quia non fuisset transfusa per virtutem seminis; sed fuisset collata homini, sta-
A p. p. 100. 1. 2. tim cum habuisset [A] animam rationalem, sicut etiam statim cum corpus est dispositum, infunditur à Deo anima, quæ tamen non est ex traduce. Itaque licèt gratia sanctificans esset in radice iustitiæ originalis, non tamen diceretur traduci, quia supernaturalia suprà naturam, ac supra omnem naturæ operationem eleuantur: iustitia verò originalis, qua potissimùm coercebantur vires inferiores, etsi gratuitum esset donum, non tamen ad supernaturalem ordinem per se spectabat. Et si dicas, ergo æquiuocè
B p. p. 95. 1. processit D. Thomas [B] colligens ex subiectione non naturali virium ad rationem, &c. fuisse rationem subiectam Deo per gratiam, hoc est per donum supernaturale. Respondeo, Ita quidem in superficie videri: verùm non ita rem funditùs intuenti; nam discursus Angelici tali pacto est medullitùs enucleandus: extabat subiectio virium rationi, &c. plena vtique, vt exponit ali-
bi, [C] igitur neque exorbitans aliquando in ordine supernaturali, siquidem cum inordinatione in hoc ordine, non stat rectitudo naturę; ergo gradatim ascedendo, debuit esse firmiter vndequaque ratio subdita Deo, atque adeò per donum supernaturale; eo quòd similiter cum inordinationē supernaturali non cohæret ordinatio naturæ. Cum quo stat tamen vt iustitia originalis traducenda, gratia gratis data formaliter in se ipsa dicenda sit. Ed ad hunc sensum dixisse videtur Ephes. 5. L. 9. quamdiu homo subditus fuit Deo, caro totaliter subdita fuit spiritui: in qua quidem mutua subiectione consistebat donum originalis iustitiæ. C p. 1. 89. 1.

Hæc autem originalis iustitia non solùm hominem rexisset interiùs, sed alterius subiectionis, nimirùm vt corpus subiectum esset animæ, atque adeò immortale, fuisset in causa. 22
Id probat Angelicus, [D] quia cum anima rationalis excedat proportionem corporalis materiæ, conueniens fuit, vt in principio ei virtus daretur, per quam corpus conseruare posset suprà naturam corporalis materiæ: quemadmodum si artifex obstaret, [E] ne rubiginem ferrum contraheret, ad quam tamen ex ratione materiæ ferrum propendet. Pressiùs autem philosophatur idem Angelicus [F] alibi, nàm rationabile est vt Diuina Prouidentia singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptarit: subinde ita superiorem naturam inferiori coniunxerit, vt ei dominaretur, tollens quæ ex defectu materiæ contingerent impedimenta, speciali excedente naturam beneficio; cumque anima rationalis sit altioris naturæ quàm corpus, credendum est tali conditione corpori fuisse coniunctã, vt nihil corpori adesset, quod immortali suæ vitæ principio aduersari posset, quod S. Doctor mirificè magis explicat Romanorum 5. Lect. 3. dicens, hoc autem Prouidentia diuina disposuit propter diuinitatem animæ rationalis; quæ cum naturaliter sit incorruptibilis, debebatur sibi incorruptibile corpus: sed quia corpus, quod est ex contrarijs compositum, oportebat esse organum sensus; & tale corpus secundùm naturam suam, incorruptibile esse non potest, suppleuit potentia diuina quod deerat naturæ humanæ, dans animæ virtutem continendi corpus incorruptibiliter. Verùm quia Deus *disponit omnia suauiter*, non solùm prouidit, (quòd ait Augustinus) [G] *vt animæ inesset vis quadam supernaturaliter diuinitùs data per quã posset corpus ab omni corruptione conseruare, quandiu ipsa Deo subiecta mansisset*; sed etiam vndequaque mortalitati sapienter obstitit. Et quia duplex insurgere poterat defectus occasio; primò quidem deperditio humidi per actionem caloris naturalis, qui est animæ instrumentum: huic delectui prouiderat Deus, vt occurreretur per esum [H] aliorum lignorum, sicut, & nunc subuenitur nobis per cibos. Secundò insurgit defectus, quia virtus speciei sensim debilitatur, non solum quia omne agens simul patitur, vt dicitur 6. Physicorum, sed quia illud quod aggeneratur, quasi extraneum, non pertingens ad perfectissimam assimilationem, (quemadmodum patet in vino aggenerato ex aqua)

D p. p. 97. 1.
E 2. 2. 164. 1. 1. 2.
F 4. contra G. c. 52.
G p. p. 97. 1.
H p. p. 97. 4. & 2. d. 19. 1. 1.

imper-

imperficit virtutem speciei; ideò lignum vitæ habebat virtutem fortificandi virtutem speciei, contrà debilitatem prouenientem ex admistione eiusmodi extranei, in quantùm etiam, illius vi, [I] denuò conuersum ex cibis, reducebatur in perfectissimam adsimilationem: principalis tamen causa immortalitatis erat virtus à Deo animæ collata, erat enim ligni virtus finita, vnde semel assumptum, etsi confortaret virtutem naturalem ad diutiùs durandum, secundùm determinatum [L] tempus; eo expleto, iterum frequenter assumendum erat, donec transferretur homo ad vitam spiritualem in gloria, vbi suprema esset animæ suprà corpus victoria, ipsum reddendo agile, [M] lucidum, spirituale, & impassibile, non vltrà indigens hac medicina præseruationis, quando vt ait Augustinus, [N] *tam potenti virtute agnoscetur anima, vt ex eius beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, & incorruptionis vigor*. Hinc idem sanctus Antistes de ciuit. Dei c. 26. lib. 4. *Cibus aderat, ne esuriret, potus, ne sitiret; lignum vitæ, ne illum senecta dissolueret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore, vllas molestias, vllis eius sensibus ingerebat; nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus: summa in carne sanitas: in anima tota tranquillitas*. Hac arbore Vitæ vesci creduntur [O] Henoch & Elias, quousque ad finem mundi appareant morituri pro Christo.

I 2. Annib. 19. a. 4. — L de malo 5. a. 5. ad 9. 2. 19. 1. 5. 5. — M 2. 19. a. 5. — N p. p. 97. a. 1. — O Apocalips. 11. & 1. 19. 1. 5. 4.

23 Non desunt autem spiritualis sensus mysteria; nàm mysticè accipitur lignum Vitæ [P] pro sapientia, vnde Prouerbiorum 3. dicitur, *lignum Vitæ est his qui apprehendunt eam*: quod quidem D. Thomas pluries expouit [Q] de incarnata sapientia: præsertim verò idem sanctus Doctor [R] refert glossam dicentem; *sicut in Paradiso fuit lignum Vitæ, ita per sapientiam Dei, quæ est Christus, viuificatur Ecclesia. In medio Paradisi*. Apostolus Hebræorum 2. fert illud psalmi 21. *in medio Ecclesiæ laudabo te*: vbi D. Thomas [T] dicit, *in medio*, quia sicut columna in medio domus ipsam sustentat; lucerna in medio domus illuminat; cor in medio, corpus viuificat, ita Christus in medio Ecclesiæ. Item *in medio*, quia non ad vnum populum tantùm, sicut Moyses missus fuit: sed ad salutem totius mundi, psalmo 73. *operatus est salutem in medio terræ*. Item super illa Verba psalmi 45. *Deus in medio eius*, idem S. Doctor, [V] *in medio eius*, idest Ecclesiæ, vt ostendatur, quòd non est acceptor personarum, & subdit, Genesis 2. *Lignum Vitæ erat in medio Paradisi*. & postea; vel ideo dicit *in medio*, quia cor dicitur esse in medio hominis: quia ergo habitat in cordibus nostris, dicitur esse in medio. Similia alibi docet Apocalyps. 1. *& in medio septem candelabrorum* [X] *aureorum*, & iterum c. 5. *& ecce in medio Throni*, &c. Ad literam autem pro merito ligni adeò æstimabilis, fuit in medio tanquam pulchrius, a Deo plantatum: & sanè sicut cor quod est vitæ principium, sic lignum vitæ decuit locari in medio.

P p. p. 102. 1. 4. & 2. Annib. 17. a. 4. 1. — Q op. 58. c. 1. c. 6. & 26. — R op. 58. c. 13. — T Hebræor. a. l. 3. — V Ps. 45. — X Apocalips. 1. cap. 5. sed 1. Comment.

24 *Lignumque scientiæ boni, & mali*. Inquit Angelicus; [A] nomina sunt arboribus Paradisi imposita ex effectu, sicut lignum scientiæ boni & mali dicebatur propter euentum futurum; quòd per eius esum experimentaliter homo sciuit distantiam inter bonum, & malum. Repetit & [B] alibi, quòd didicit homo per experimentū pœnæ, quid intercesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Constat autem huiusmodi intellectum literæ germanum esse; nàm aliàs homo habuit rerum scientiam, cum animalibus imposuerit nomina, [C] & debuetit prolem, quemadmodum generate posse, sic instruere, & gubernare: vt quid etiam voluisset ipsum ignarum, inhibendo ne de hoc ligno comederet? Theodoretus, quoniam *consuerunt* post lapsum, *folia ficus*, sentit sine controuersia lignum vetitum fuisse ficum.

A 2. Annib. d. 19. 4. & op. 2. c. 188. — B p. p. 102. 2. 4. — & 2. Annib. 17. a. 4. 2. & hic — C p. p. 94. 3.

VERSVS X. *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum; qui inde diuiditur in quatuor capita*.

De medio istius Horti, vel de qualibet eius parte *fluuius egrediebatur*. [O] Nisi fortè cum dicitur, *de loco*, intelligatur de aliquo singulari & determinato. Quamuis autem fluminum omnium prima origo sit oceanus; vt tradit Damascenus; nàm vt dicitur Eccl. 5. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur*: tamen proximè, ab hoc [E] Paradisi fonte, memorati fluuij nascuntur. Vtrum autem per apertos alueos, tùnc primò diuideretur fluuius in quatuor capita, nescitur. Certùm est nonnè à Paradiso egressa sub terra demergi, & post tractus prolixarum regionum [F] sub terras, alijs locis erumpere: nàm hoc solere alias quoque aquas facere, quis ignorat? In sermone Sancti Michaelis, exponit anagogicè, *locum voluptatis*, pro cœlo empireo. 25

D. D. Th. hic. — E 2. Annib. 17. a. 4. 1. — F p. p. 102. 1. 2. & a 17. 1. 1.

VERSVS XI. *Nomen vni Phison: ipse est qui circuit omnem terrãm Heuilath. vbi nascitur aurum*.

D. Hieronymus dicit quòd *Heuilath* est Regio Iudeæ, quæ possessa est ab *Heuila* filio Iectam, filij Heber Patriarchæ Hebræorum, sicut dicitur 1. Paralip. c. 1. communiter tamen pro hac [G] terra *Heuilath*, intelligitur India, vnde etiam *Physon* græcè, appellatur *Ganges*, Indiæ fluuius maximus; cuius quidem Fontes incertos esse pletique aiunt: India autem secundùm Plinium, est terra, quæ venis aureis præ cæteris abundat: fluuius quoque aureas trahit arenas. *Physon* autem interpretatur *mutatio oris*; nàm mutatur à facie sua, idest à specie, quam habuit in Paradiso, secundùm diuersa loca; quia in vno est clarus, in alio est turbidus: alibi paruus, alibi magnus: alibi calidus, alibi frigidus. 26

G D. Th. hic.

Ibique inuenitur bdellium, & lapis onychinus. Bdellium secundùm aliquos est genus lapidis; secundùm Plinium est arbor aromatica, ad magnitudinem oliuæ, cuius lachryma lucida, gustui amara & boni odoris. Onix, ex glossa, est pretiosus lapis; sic dictus, quia habet candorem permistum cum rubedine, ad similitudinem vnguis humani; quia onyx græcè, vnguis latinè dicitur. Antiqua translatio habet, *carbunculus*, qui est ignei coloris. 27

VERSVS XIII. *Et nomen fluuij secundi Geon: ipse est, qui circuit omnem terram Aethiopiæ*.

Geon interpretatur *hiatus terræ*; quia impetu suo dissoluit terram, & [H] terram aperit, & secum trahit. De illius ignorato ortu hæc Lucanus l. 10. sui Poematis.

Arcanum natura caput non prodidit vlli,
Nec licuit populis, paruum te Nile mirari,

H D. Th. hic.

Amoutique fiuni, & gentei maluit ortus
Mirari, quàm noffe tuos.

Confentiunt autem patres, vt fit *Geon* ipfe Nilus; ipfe quippe vergit in Æthiopiam, ac alluit Ægyptum.

VERSVS XIIII. *Nomen fluminis terty Tigris: ipfe vadit contrà Affyrios, fluuius autem quartus, ipfe eft Euphrates.* Tigris dicitur obuelocitatem [I] fui curfus, à tigride, quod eft animal velociffimum; eft enim velociffimus, & decurrit contra Affyrios. Hæc tria flumina, tanquam remota & ignota, per circunftantias innotefcunt; & hoc quia pro magna parte, ex natura fluuiorum, eft nobilitas terræ.

I D. Th. hic & Danielis 10.

Fluuius autem quartus, ipfe eft Euphrates. Expeditùs de hoc loquitur, innuens effe notum, dicendo *ipfe eft Euphrates*: eft enim vnus limes terræ promiffionis. Euphrates autem [L] ex gloffa, *frugifer* interpretatur. Subfunt huic literæ fpirituales nobiliffimi fenfus. *Fluuius egrediebatur* [M] intelligitur ipfe Chriftus, habens fcilicet omnes gratias, quæ in alijs membris diuiduntur. *Diuiditur in quatuor capita: quia de plenitudine eius* [N] *omnes accepimus.* Per hunc etiam fluuium fignificatur fpiritus fancti gratia, *lætificans ciuitatem Dei* [O]: & rectè fluuio comparatur, quia diuerfas generationes rigando, poft vnam in alteram fluit. In quatuor capita defignari poteft doctrina quatuor [P] Euangeliorum.

L D. Th. hic & 2.2. 58.8.
M 1.Cor. 12.l.1.
N Serm. 14. feftiuo.
O Apocalyp.22.
P Apocal. 7.1.Comment.

28
Et aurum terræ illius optimum. Per aurum fignificatur charitas; [Q] eft enim fulgida, & rubea. Item *aurum terræ illius optimum*, D. Thomas, *terræ Heuilath*, [R] quod interpretatur *dolens*, vel *parturiens*; qui enim dolet de præteritis offenfis, & cauet de futuris, parturit opera difficultatis, & perfectionis, & habet perfectam charitatem. Per *aurum* quoque intelligi poteft [S] fapientia, ob magnum præcipuè fplendorem, pondus, & pretium, nàm Prou. 3. *pretiofior eft cunctis opibus.* Hinc 1. Cor. 3. allato ly *fuadeo tibi emere aurum ignitum*, inquit, ideft fapientiam cum charitate. Per *aurum* denique eiufmodi notatur [T] bona vita. Aurum pulchrum eft in colore; & quia pulchritudo confiftit in luminibus, & caracteribus, intelliguntur virtutes illuminatiuæ, perficientes intellectum, affectiuæ voluntatem. Aurum eft pretiofum in valore: bonæ vitæ pretium eft humilitas: hinc de humili dicitur Ifaiæ 13. *pretiofior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* Aurum eft ponderofum: vitæ bonæ, pondus eft, morum honeftas; Pfal. 34. *in populo graui laudabo te.* Denique aurum eft incorruptibile in foliditate: cui refpondet in bono perfeuerantia. Per Euphratem, ex gloffa, [V] Iuftitia fignificatur. Eft quippè frugifer, nec dicitur contrà quos vadat, quia Iuftitia ad omnes animæ partes pertinet, per quandam fcilicet redundantiam, ex imperio voluntatis, in qua eft Iuftitia.

Q Pf.44.
R Apoc. 3. vetus interim.
S Prologo in Epiftolas Pauli.
T Serm. 13. feftiuo.
V 2.2.58. 8.

VERSVS XV. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & pofuit eum in Paradifum voluptatis, vt operaretur, & cuftodiret illum.*

29
Non fuit ergò primus homo factus in Paradifo, fed in eum latus; ne præfumeret, ne fuperbiret, [X] ne effet ingratus, ne denique negligeret, quæ gratuitò receperat dona. Locus ille fua puritatis temperie immortalitatem foucbat: [A] meritò igitur, vt agnofceretur Dei beneficium, gratiosè tulit hominem in Paradifum. Verùm, dùm motum exprimit facer textus; neque enim dicit in Paradifo, fed in Paradifum, non eò tuliffe intelligitur, vt ibi perennaret; fed vt illinc ad Paradifum gloriæ perueniret; quò quidem qui peruenit, non ferri fed *transferri*, quia & vltrà & fuprà naturam, dicendus eft: quemadmodum prædeftinatio Theologis, non eft miffio fed *tranfmiffio creaturæ rationalis in vitam æternam.*

X D.Th. hic.
A p. p. 102 4.

Vt operaretur & cuftodiret illum. Vno modo exponitur ab Auguftino, [B] vt Deus per hominem operaretur quantùm ad effe iuftitiæ, per gratiam fcilicet operantem: quamquam enim præiuftificatus fuiffet; tamen, vt operaretur adhuc Deus illum eò tulit, quia fi Dei operatio [C] ab homine ceffet, continuò obtenebratur; ficut aer obtenebratur, fi ceffet influentia luminis. Itaque vt conferuaret eum in iuftitia, tulit in Paradifum. Quod exprimit Moyfes, vt fciatur, quòd *Deus malorum intentator non eft* Iacob. 1. & quòd *ipfe mortem non fecit*. Sap. 1. Alia via, inquit Angelicus; [D] *vt Deus operaretur hominem*, ficut homo operatur terram, vt faciat eam fructiferam; *fic Deus operaretur hominem, vt iuftus effet.* Metaphoram fic operandi aliàs probat Deus, cùm dicitur habere vineam, & vt hortolanus apparuit Magdalenæ: animam quippè non ceffat excolere, & ita, operari. Sic etiam *vt cuftodiret hominem*, ab omni corruptione & malo, fine enim adiutorio eius tutus effe non poteft. Alio modo poteft intelligi, vt homo ipfe *operaretur & cuftodiret Paradifum*; non tamen illa operatio effet laboriofa, ficut poft peccatum; [E] fed fuiffet iucunda propter experientiam virtutis naturæ: ac iterum delectabilis, [F] propter comitem confiderationem diuinæ Prouidentiæ; labor enim non fequitur operationem, nifi improportionatam [G] agenti, debili infirmo, ac paffibili: habebat autem Adam robur [H] corporis, nec ex coactione, fed quantùm volenti fatis effet, terram coluiffet; atque adeò in delicium, & voluptatem, ficut agricultura fert hodie ciuibus, ad id liberè datis. Et licèt Deus locum illum fufficienter cuftodiret, & nùnc etiam cuftodiat; decens tamen fuit, vt nonnulla eius cuftodia homini etiam committeretur; vnde quælibet incommoda, quæ poterant vel ab auibus, vel ab alijs animalibus, vel etiam à Dæmonibus contingere, poterant per hominem remoueri, vel impediri. [I] Vel cuftodia illa non effet contra inuaforem; fed effet ad hoc, vt homo fibi Paradifum cuftodiret, ne ipfum peccando amitteret: hoc totum in bonum [L] hominis cedebat. Hæc tandem omnia, ne inutiliter torperet inerti ocio primus parens. Moraliter omnes homines funt operarij in vinea, ideft in Ecclefia, quia *pofuit Dominus Adam in Paradifo, vt operaretur.* [M]

B 1. Annib.29.2. 2.
C p. p. 102.3.
D 2. 17. 3.2.
E p.p.102 3. & op. 20.l.4.12.
F 2.17.1. 2. ad 7.
G D.Th. hic.
H p.p.96. 1.
I D. Th. hic.
L p. p. 102.3.
M Matthæi 20.

VERSVS XVI. *Præcepitque ei dicens: ex omni lignò Paradifi comede.*

Suaue Domini præceptum, eft hoc quod dicitur præceptum naturæ, [N] aliter indiuiduũ 30
conferuari non poffet: vnde non folùm Adamo intelligitur effe datum, vt fibi fubueniret de cibo, [O] aliàs peccaffet, fed omnibus & fingulis: vnde neceffe eft, vt quatenus claudit abfolutè comeftionem, ab vnoquoque impleatur.

N 2. 2. 112.1.2.
O p.p.97. 3. 3. & 2. 19.1 2. ad 3.

P Quodl. 7.a.17. Q p.p.96 1.3. [P] Animalibus ergò nô indigebat Adam, [Q] quia lignis Paradisi vescebatur ; quæ virtutis erant conseruatiuæ : vnde probabile est, inquit Angelicus, R Apoc c.11. [R] quòd corpora Henoch , & Eliæ , post mortem fœtorem non dabunt, quia comedunt de fructibus Paradisi.

VERSUS XVII. *De ligno autem scientia boni & mali ne comedas,in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

31 Quemadmodum præcipiendo Deus esum aliorum lignorum, reliquit hominis arbitrio, hoc vel illud degustare ; ita ipsius cohibere voluit tantillùm libertatem, vno dumtaxat vetito ligno: & quia lignum vetitum non erat secundùm se malum; [S] colligitur , illud præceptum non fuisse morale, [T] sed præceptum disciplinæ: *addidit illis disciplinã*, Eccl. 17. vnde docuit Aug. 8. super Genesin, nullam habuisse rationem, *nisi vt hominis obedientia probaretur*. D. Thomas op. 2. c. 188. quia status ille hominis dependebat ex hoc, quòd humana voluntas Deo subijceretur; vt homo statim à principio assuesieret ad Dei voluntatem sequendam; proposuit Deus homini quædam præcepta : & ligni esus, non ideò prohibitus est,quia secundùm se malus esset , sed vt homo saltem in hoc modico, aliquid obseruaret, ea sola ratione, quia esset à Deo præceptum. Et D. Augustinus in op. 41. l. 5. c. 37. in hæc fertur verba, *oportebat vt homo sub Domino positus, ab aliquo prohiberetur , vt esset ei virtus merendi obedientia*. Ipsa tamen prohibitio, [V] habuit aliquam rationem in ordine ad aliud , more cæremonialium præceptorum , in quantum scilicet, aliquid figurabatur. De moralibus autem non oportebat dari expressa præcepta , quia ad moralem rectitudinem erat satis per virtutem inclinatus : [X] & ita præceptum de esu lignorum , non tantùm fuit ad hoc , vt subueniret naturç , (ad quod sicut ad cætera bona inclinabatur) quantum ad largitatem creatoris commendandam, atque contumaciam hominis, si quando transgrederetur præceptum de vno vetito , exprobrandam. Fuit autem eiusmodi præceptum etiam Heuæ datum, immò, & toti posteritati , hac eadem disciplina exercendæ : vnde sequenti capite dicitur; *præcepi, nobis*. Sed Adamo fortè specialiter dicitur factum , quia ipsum fuit caput humanæ naturæ & per ipsum in miseram sobolem, erat inobedientiæ peccarum traducendum.

S p. 2. 102.1.2. T D.Th. hic & 1.d. 33. expo sit. text. V p.a.1.c. X D.Th. hic.

32 A D.Th. hic. Arbitratur hic D.Thomas, [A] fuisse promulgatum hoc præceptum voce aliqua sensibili, & etiam fortè intelligibili; cum sit etiam sensibilis ipse homo ; quamuis hoc non sit clarum ex scriptura . Familiaritas etiam Dei ad hominem, ex qua colligit [B] fuisse Adamum in gratia , astruit apparentis Dei colloquium sensibile; vnde non desunt opinantes , potuisse Deum corpus quoddam , Angelicum ad ministerium assumere ; & quidem humano simile, tùm quando Adamum Heuamque *formauit* , tùm quando ad eum cunctas animantes , ipsamque Heuam *adduxit* , tùm denique quando *ad auram post meridiem ambulabat* , Adamumque pellibus contexit , & ex illo deliciarum Domicilio exturbauit: & ideo specialiter D. Augustinus [C] docuit apparitionem Dei deambulantis , factam fuisse *per creaturam visibilem siuè formam* ; vnde, & auribus sensibilibus , inquit Angelicus , audierunt aliquam vocem corporalem : & hoc vt ipsi homines cum Deo, tanquàm cum homine colloquerentur ; sicut Abraham locutus est cum Deo *ad quercum mambre* . Quod quidem factum fuerit mysterio ; nam [D] omnes apparitiones veteris Testamenti , ad illam apparitionem ordinatæ sunt, qua filius Dei apparuit in carne . Est tamen valde obseruandum , quòd ex Augustino [E] omnes apparitiones patribus factæ in veteri Testamento,fuerunt per Angelos administratæ. Decentia autem habetur à D. Dionysio ; [F] quia *lex Diuinitatis est,vt vltima à primis per media perficiantur* ; vel *infima , per media , in supremam reducere* . Corpora ergò, inquit citato loco de potentia , in apparitionibus Angeli assumpserunt , sed in eis Deus apparuisse dicitur , quia ipse Deus erat finis , in quem per repræsentationem huiusmodi corporum , Angeli mentem hominis eleuare intendebant ; & ideo in illis apparitionibus,scriptura quandoque, commemorat Deum apparuisse,quandoque Angelum : cuius rei plurima congerit D. Thomas [G] exempla infrà. Ratio autem ibidem adducta euincit, quia Genesis 32. cum apparuit Deus Iacob , dicitur *vidisse Dominum facie ad faciem , illiusque nomen mirabile* , & tamen Oseæ 12. legitur quòd , *inualuit Iacob ad Angelum* . Sic antea c. 31. ait Iacob, *dixitque Angelus Dei ad me : & statim ; ego sum Deus Bethel vbi vnxisti lapidem & votum vouisti mihi* . Fortiùs autem id comprobat Angelicus cit. loco , [H] quia Moyses alijs Prophetis excellentior fuisse videtur; sed Moysi facta est diuinitus reuelatio mediantibus Angelis ; vnde ad Galatas 3. dicitur, *lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris* ; & Actorum 7. de Moyse ; *hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina* : ergo de omnibus ita dicendum est . Idem etiam sentit D. Gregorius relatus in 4. d. 49. 2. 7. 1. & sati s ex contextu Sacræ historiæ deprehenditur , nam Exodi 34. loquitur aliquando Deus,aliquando certè Angelus, nam legitur , *noli adorare Deum alienum, Dominus Zelotes nomen eius* . Cur non inquit nomen meum ? & Genesis 16. dicitur inuenisse Agar *Angelus Domini* : & posteà legitur ; *vocauit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam , Angelus* , ait Greg. *quia exterius loquendo deseruit: Dominus , quia interius præsidens loquendi efficaciam tribuit* : & hæc est etiam sententia Augustini 2. de Trinitate.

D p.p. 11. a. 1 & op. 60. a. 1. E de potentia q. 6. a. 7. a. 1 3. de veritate q. 12. 8. F p.d.16. q. 1. a. 4. & ad Ammb. G D.Th hic c. 16. H de veritate 12. a. 8.

In quocunque enim die : Translatio Symmachi [I] habet , *mortalis eris* : vnde intelligitur per se primò necessitas moriendi incurrenda. Iustissima autem,inquit Angelicus, est hæc sententia, qua destruatur homo per mortem , [L] dum se primò per peccatum destruit , nihil factus, vt ait D. Bernardus, in virtute & valore . Hùc faciunt quæ aliàs in sacris literis dicuntur de peccato ac peccante , vt scilicet non sint, nihilque sint. Iob quippe 18. legitur, *habitent in tabernaculo eius , socij eius qui non est , & Ezech. 28. nihil factus es , & non eris in perpetuum* . Quocirca D. Thomas [M] inquit,hæc societas est Dæmonum ; vnde D. Gregorius item apud D. Thomam in Boetium [N] inquit , quòd *Diabolus dicitur , non esse , quia à summa essentia recessit ; & per hoc quotidie excrescente defectu , tendit ad non esse ; quoniam ab eo qui verum est esse , cecidit* . 33

I D. Th. hic & 1. d. 19. 1. capositione textus. L op. 41. l.3. c. 10. M 1. Cor. 10. l. 5. N in Boetium l. 4. de cons. Prosa 2.

Et

Et fuper illa verba Rom. 4. *qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non funt, tanquam ea quæ funt*, D. Thomas pariter; [O] *vocat ea, quæ non funt*, ideft Gentiles ad gratiam: fignificat autem Gentiles per *ea quæ non funt*, quia erant omninò alienati à Deo, ficut 1. Corinth. 13. *fi charitatem non habuero nihil fum*. Hinc fuper illa 2. Corinth. 5. *fi qua ergo in Chrifto noua creatura*; [P] Qui carent gratia nihil funt. Hoc ipfum de peccato dicendum, ex Auguftino Iob 18. *habitent in tabernaculo eius focij eius, qui non eft*, ideft peccati, [Q] nàm *peccatum nihil eft, & nihil fiunt homines cum peccant*. Quod & repetit idem Angelicus [R] 2. Corinth. 5. *Morte morieris*. Comminatur Deus peccanti pœnam. Cùm autem fatis videretur dixiffe, *morieris*, adiecit, *morte morieris*. Sane figura hæc, quæ *Pleonafmus* dicitur, crebra eft in Sacra Scriptura; quemadmodum profanis eft in vfu, vt cùm dicitur, *viuere vitam*, *pugnare pugnam*, *iter ire*; fic tamen, vt dictio abundans, non fit fuperuacanea, & otiofa, (nam euadit pleonafmus vitiofus) fed emphafin faciat, & vim orationis intendat. Quod quidem accidit in præfenti comminatione: nam vt inquit Sanctus Doctor, [S] duplex infinuatur mors; fcilicet mors culpæ; & per hanc mors naturæ. Immò triplicem [T] innuit mortem; quia ftatim cum comedit lignum vetitum, mortuus fuit fpiritualiter, & habuit neceffitatem moriendi corporaliter, & quantùm eft de fe æternaliter: quamuis mors hæc damnationis æternæ, vt ait Auguftinus, non tangatur apertè in litera, [V] fed tantùm occultè, quia huius mortis explicatio, ad nouum Teftamentum fpectabat; in quo fecunda mors apertiffimè declaratur. Hæc quippe mors traducenda in pofterioritatem, erat carentia Diuinæ vifionis: tunc ergo apertè innotefcere decuit, cum Paradifi ianuam Saluator aperuit; relictis, fi quando per actuale peccatum claudatur denuò, clauibus Regni cœlorum. Sanè circunftantiæ pœnalis æternæ mortis ftatus, non ita vt in nouo Teftamento patent; etfi de inferno apud Iob, & alibi fatis tradatur. *Morte morieris*. Palam ergo mors ipfa corporalis exprimitur: ex quo manifeftè patet, effe reatum mortis, mortemque ipfam, pœnam à Deo exactam pro hac culpa. Oftendit autem Angelicus pluribus locis, [X] mortem, & alios corporales defectus, in nobis effe propter primi parentis peccatum: ex quo, prohibens, & illam, & iftos, nimirum donum originalis Iuftitiæ, (de quo fuprà dictum eft) Adamo, & foboli confequenter ablatum eft. Euidentem autem horum comprobationem adducit Angelicus; [A] nàm Adam certè eo die quo comedit mortuus non eft; ergo oportet fic intelligi, quòd dicitur *morte morieris*, ideft neceffitati mortis eris addictus: fed hoc fruftrà diceretur, fi homo ex inftitutione fuæ naturæ neceffitatem moriendi haberet; ergo mors & neceffitas moriendi eft pœna homini pro peccato inflicta: hinc Apoftolus Romanorum 5. *ficut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors*. Quamquam, vt ait Auguftinus 2. 2. 164. 1. ad 8. *illo die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in fenium veterafcerent, acceperunt*.

[O Romanorum 4.]
[P 2. Cor. 5. l. 4.]
[Q Rom. 11. l. 5. ad finem.]
[R 2. Cor. 5. l. 4.]
[S Apoc. 3. fecundo Comment.]
[T Præfatione in canonicas]
[V D. Th. hic.]
[X p. 2. 85. 5. & 2. 2. 164. 1.]
[A 4. cont. Gen. c. 50.]

Hinc fequitur Catholicæ veritatis dogma,
34 vt originalis primi Parentis culpa traducatur in omnes, vnde Apoftolus ibi; *ita & in omnes homines mors pertranfijt*. Sanè nõ infligitur iuftè pœna, nifi propter culpam, fed in homine inuenitur pœna hæc abfque aliqua actuali culpa, vt patet in mox natis, *de vtero translatis ad tumulum*, igitur oportet dicantur puniri, & mori propter originalem contractam culpam. Hac in re duæ funt explanandæ Theologis quæftiones, vt Pelagij hærefis in Infernum cum illo deijciatur. Prima quidem eft, quomodo peccatum verè dicatur ineffe infantibus, cùm non fit peccatum nifi voluntarium. Sed circà hoc Apoftolus citato 5. ad Romanos Spiritu Sancto dictante, difficultatem, duobus benè intellectis verbis, omnino euacuat; ait enim *in quo omnes peccauerunt*. Peccauimus ergo omnes in Adamo: tota quippe pofteritas humana, cum Adamo, qui fuit principium humanæ naturæ, peccauit; nàm certum eft plures homines cenferi ex quadam ciuili, & Politica vnione, vnum quid; vnde homines qui funt vnius communitatis, reputantur quafi vnum corpus; & tota communitas quafi vnus homo. Immò non folùm plures, fed omnes homines, verè dicuntur vnum quid, vnde aiebat Porphyrius quod *plures*, & fic omnes, *homines participatione fpeciei funt vnus homo*: fimili quadam ratione, fed fortiori, omnes homines vnum fuere, morali vera vnitate cum fuo principio, & capite; & propterea, cum illo peccante, omnes fimul tunc primò peccauerunt. Fuimus enim in illo vniti, fortiori vt dixi ratione, quàm cæteri fimus ad inuicem, quia in illo fuimus tanquam in principio totius naturæ; & propterea vt dicamur in illo peccaffe, non eft neceffe, vt habuerimus aliquam actualem, ex nobis in Perfonis proprijs malam actionem, vt optimè D. Thomas: [B] fed fatis eft, quòd pertinuerimus ad naturam ipfius, in quantum tota pofteritas præfuit in illo, ficut riuuli omnes præextant in fonte; & ideò de proceffu originalis peccati dicitur quod Perfona infecit [C] naturàm, fcilicet Adam peccans vitiauit naturam humanam, ideòque vocatur peccatum naturæ, Ephef. 2. *eramus natura filij Iræ*; & hac de caufa, quamuis peccatum Adæ fuerit per fuam pœnitentiam deletum, iuxta illud Sapientiæ 10. *eduxit illum à delicto fuo*, quod Cant. 4. intelligit D. Thomas de primo homine cum omnibus faluãdis per Chriftum; non tamen fanata eft natura, & confequenter nec potuit delere peccatum pofterorum, vt mox dicetur. Dicet fine dubio Nouitius, cur peccatum potens fuit inficere totam naturam, & pœnitentia Adami, non potuit totam naturam fanare? nam maioris virtutis eft in agendo, bonum quàm malum. Huic quæfito fatisfacit Angelicus, [D] animaduertens difcrimen inter actum peccati, & actum pœnitentiæ Adæ; nàm cum peccauerit, natura collato beneficio perfecta, nempe originali iuftitia, non folùm fe ipfum perfonaliter læfit, fed naturam felici dono fpoliauit: cum autem pœnitentiam egit, actus eius fimpliciter fuit perfonalis, vt dicit etiam [E] alibi: qui proinde vltrà perfonam non fe extendit; vnde non potuit fatisfacere pro tota natura, neque naturam ipfam reintegrare. Fuit quippe neceffaria cõnexio iuftitiæ originalis, & gratię fanctificantis in Adamo; quia peccatum ipfius actuale fecit eum cadere a gratuito

[B 4. cont. Gen. c. 52.]
[C Rom. 5. lec. 3. & 1. p. q. 8. 5. ad 1.]
[D 4. cont. Gen. c. 52. ad 12.]
[E Rom. 5. l. 3. & 2. d. 33. expofitione textus.]

dono naturæ, dum gratiam amiſit: non ſic autem ſuit nexus perſonalis pœnitentiæ, ac reſtaurationis in deperditum donum naturæ; vnde originali peccato quantùm ad carnem, quamquam iuſtificatus manſit infectus, non ſecus, ac hodie poſt baptiſmum, ablato originali quantùm ad reatum, [F] remanet actu quantùm ad ſomitem, vt loquitur Auguſtinus; & ſanata mente, remanet infectio carnis, ſicut dixit Apoſtolus Rom. 5. *ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati*. Quocirca D. Thomas op. 2. c. 192. quia appetitus ſenſitiuus (ſicut & cæteræ ſenſitiuæ vires) per inſtrumentum corporeum operatur; ratio autem abſque aliquo organo corporali: quòd ad appetitum ſenſitiuum pertinet, carni imputatur; quod verò ad rationem, ſpiritui: ſicut ſpirituales ſubſtantiæ dici ſolent, quæ ſunt à corporibus ſeparatæ.

F p. 2. 81. 3. 2. & 2. Annibal. 32. 2. 1. ad 2.

35 Ex his conſtat, vt citatis locis docet Angelicus, quòd ſolum primum peccatum primi Parentis, & quidem Adæ, eſt quod per originem traducitur in poſteros, quia per ſolum illud ſublatum eſt bonum naturæ, quòd erat per originem traducendum, vt ſcilicet mens ſubderetur Deo, inferiores vires eſſent ſub mente, corpus ſub anima, & omnia exteriora ſub homine, vt ei omnia ſeruirent, & nullum ex eis nocumentum ſentiret, de quo p. p. 97. 2. vnde, nec alia Adæ peccata, nec peccata aliorum hominum traducuntur in filios, (de quo in 2. d. 33.) nec Heuæ ipſius peccatum, ſi Adam non deliquiſſet, traſmeaſſet in poſteros: de quo p. 2. 81. 5. & Rom. 3. l. 5.

36 Secunda quæſtio eſt quomodo huiuſmodi originalis culpa traducatur in poſteros? Quærebat enim impius Iulianus, vt refert Auguſtinus lib. 3. contra Iulianum c. 24. *non peccat iſte, qui naſcitur, non peccat iſte, qui genuit, non peccat ille, qui condidit; per quas igitur rimas, inter tot præſidia innocentiæ, peccatum fingis ingreſſum?* Reſpondetur autem ab Auguſtino, [G] *quid quæris latentem rimam, cum habeas apertiſſimam ianuam?* nàm ſecundùm Apoſtolum, *peccatum per vnum hominem in hunc mundum intrauit*. Itaque non ſolùm omnes in illo peccauimus, ſed ipſe Adam tanquam principium, ceu nos, peccauit; vnde nobis catenus eſt voluntarium originale peccatum, quatenus fuit voluntarium primo parenti, & ſic tranſit in omnes, qui ab ipſo humanam naturam accipiunt, quaſi in quædam membra ipſius. Et poſt peccatum illud, omnes abſque originali iuſtitia, & cum defectibus conſequentibus ſunt exorti: ſicut ſi Rex det ſeudum militi, tranſiturum per ipſum ad hæredes; ſi miles contra Regem peccat, vt ſeudum mereatur amittere, non poteſt poſtmodum ad eius hæredes deuenire: vnde iuſtè priuantur poſteri per culpam parentis. opuſc. 2. c. 195. & 196. Poteſt hoc explicari exemplo totius integralis; nàm multi homines ex Adam deriuati, ſunt tanquam multa membra vnius corporis: conſtat autem quod peccatum, puta homicidium imputatur etiam manui, in quantùm eſt aliquid hominis: ſicut autem voluntate, anima mouet membrum ad aliquem actum, ſic omnes, qui totaliter deriuantur ab Adam, mouentur motione generationis ab illo; ergo qui ſic deſcendunt ab Adam per ſeminalem rationem, quæ eſt vis [H] actiua, infecti meritò dicuntur ipſius Adæ culpa; ſic, vt vitiata natura, inficiatur perſona: nàm cum in generatione noſtra ſit non ſolùm materia corporalis, quam fœmina miniſtrat, ſed vis actiua, quæ eſt in ſemine maris, & vtrumque ſecundùm originem ſit ab Adam, prout effectus eſt in principio actiuo; ea de cauſa dicitur mouere omnes ad generationem; & ideò per actum generationis, in quo propagatio attenditur, & in quo è contra fuiſſet traductio iuſtitiæ, tranſit etiam in prolem culpa originis, etiamſi parens ſit mente renouatus baptiſmate; quia, natura totaliter non ſanatur, cùm remaneat infectio carnis ac inobedientia: vnde etiamſi in actu generationis in ſe nullum ſit actuale peccatum, tamen, quia eſt actus naturæ infectæ, & non actus ſanatæ mentis, tranſmittitur vitium ad naturam pertinens, & ſic non nouitas Chriſti, ſed Adæ vetuſtas, de quo q. 4. de malo a. 7. ad 4. Preſſiùs autem enucleandus eſt modus, quo traducitur peccatum originis. Non eſt autem, ad huius euidentiam, neceſſarium diſceptari, [I] an anima rationalis traducatur cum ſemine; nàm data etiam hac erronea opinione, immò hæreſi, poſt Auguſtini tempora (circa quæ nondum erat expreſsè definitum,) [L] damnata ab Eccleſia, non in hoc vis dumtaxat eſſet facienda, ſed alio ex capite; quia ſuppoſita pariter emundatione animæ Adami ab originali peccato, & ſic cæterorum parentum, adhuc proles, quæ naſcitur, contrahit peccatum; vt pluribus [M] locis tradit Angelicus. Peccatum ergo originale traducitur, quia traducitur natura, infecta ex primi parentis peccato, in qua manet peccatum originale quaſi in radice, & quidem cum commiſtione libidinoſa, (quæ initium ſumpſit ex peccato originali primi parentis) in deciſione ſeminis, Pſal. 50. *& in peccatis concepit me mater mea*, & Iob. 14. *de immundo conceptum ſemine*, de quibus p. 2. 82. 2. & 4. contr. Gen. c. 50. non eſt autem nouum aut inauditum, infici & maculari receptum ex recipiente. Aiebat Poeta, *ſincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis aceſcit*. Corpus etiam inquinatur per contactum corporis [N] immundi, *qui tetigerit cadauer, immundus erit*. Leuit. 11. Sanè omne receptum ſequitur modum recipientis: [O] & ſic omnes formæ commenſurantur materijs. Maximè verò perdurante, veluti in virtute, voluntate primi parentis, quæ tanquam principij totius naturæ, vicem geſſit noſtrarum omnium voluntatum; vnde non eſt mirum, ſi natura & corpore ſic infecto, inficiatur & anima. Hinc S. Doctor ad hebræos 10. l. 2. vocat peccatum originale quaſi corporale, quia inquit, anima ipſum contrahit per vnionem ad carnem fœdam. Huius traductionis inſtrumentum eſt ſemen corporale; [P] quod licèt in actu non contineat culpam, dicitur tamen continere culpam virtute, [Q] quia per virtutem actiuam ſeminis, traducitur humana natura, quam concomitatur talis culpa. Verùm huiuſmodi ſemen in tantùm habet efficaciam traducendi in prolem [R] originale peccatum, in quantùm cum libidine deciditur. Sed hic valde eſt obſeruandum ex D. Th. [S] quòd libido, quæ tranſmittit peccatum originale in prolem, non eſt illa actualis inordinata concupiſcentiæ delectatio in actu generatiuæ; quia dato, quòd virtute Diuina quis nullam

G Rom. 5. l. 3.

H p. 2. 81. 4. & 1. P. 194. 1.

I vtroque 2. d. 18. & p. p. 118. 2. quodl. 12. a. 11.

L Rom. 15. l. 3.

M p. 2. 81. 3. & 2. diſt. 31. q. 1. a. 2. & ad Annib. d. 31. 3.

N 2. Annib. 31. 2. 2.

O 2. Annib. 30. 2. 1. & Roman. 5. l. 3.

P p. 2. 83. 1.

Q p. 2. 81. 1. 3.

R 2. Annib. 31. 2. 1.

S 2. 31. 1. 3. 3. & a 1 Annib. d. 31. 2. 1. & 4. ac p. 2. 82. 4. 3.

inordi-

inordinatam libidinem in actu generationis sentiret, adhùc transmitteret in prolem originale peccatum, quia semper remaneret libido habitualiter, in quantùm appetitus sensitiuus, soluto vinculo originalis iustitiæ, non continetur sub ratione. De facto tamen vltra hanc habitualem inordinationem, patitur coniugium actualem libidinem, quia absque voluntatis Imperio, motus ad coniunctionem rebelli in carne consurgit; atque etiam in actu non potest ratio moderari feruorem concupiscentię; seu libidinis ardorem; ita vt concupiscibilis delectationi illi non inhęreat immoderatè; nàm adeò quiescit concupiscibilis, vt impediatur rationis vsus, per quandam veluti einsdem rationis ligationem, quæ oritur ex adiuncta corporali trasmutatione vehementer cogente concupiscibilem, rationemque illò quasi victam, atque inuitam coarctante. Hæc autem primi peccati miseria, moralem quidem nullam habet malitiam, quia non est peccatum mortale, nec veniale; sicuti nec somnus quò ligatur vsus rationis moraliter est malus; prouenit tamen ex præfato primi Parentis peccato: & ideò in statu innocentiæ non fuisset; in quo ad concipiendum, non libidinis appetitus, sed voluntarins vsus naturam vtramque coniunxisset, libera remanente ratione; immò maiori delectatione, mensuratam adhærentiam concupiscibilis, præfigente. [T] Conuenientia autem excogitata sunt, & relata à S. Doctore exempla, ad explicandam traductionem culpabilis defectus in prolem, etiamsi Parens sit renatus baptismate, nàm [V] attonsi generant capillaros, & circumcisi præputiatos. Item ad explicandum quomodo, non sit necessum ponere, animam traduci per originem ex semine; plerumque enim defectus traducuntur in aliqua subiecta, quæ non idcircò à sapientibus dicuntur præfuisse in semine; sicut cùm ex amente generatur amens, vel ab iracundo iracundus: [X] non propterea cogimur dicere animam, quæ est radicale subiectum iræ & amentiæ, præfuisse in semine, sed satis saluatur euentus, eo quòd in semine est virtus dispositiua ad animam. Similiter cùm ex leproso nascitur leprosus, vel podagricus ex podagrico, non cogimur dicere, quòd pes qui est podagræ subiectum, sit in semine; sed satis est, vt sit in semine virtus aliqua formatiua, non antem de facto receptiua pedis. Denique intelligitur quomodo, quamuis defectus ipse culpabilis deriuetur per semen, semen non dicatur culpatum; nàm neque semen corruptum dicitur propriè podagra vel lepra, quam tamen inducit. [A]

T p.p. 95. a. 2. ad 3. & 4. p. 2. 34. a. 1. ad 1. & a. 4. 2. & q. 77. 1. 2. & 3.
V 2. Annib. § 1. a. 3.
X p. 2. 81. 1. & Roman. 5. l. 3.
A p. 2. 81. 1. & 2. Annib. § 1. a. 1.

Superesset discutere quid sit huiusmodi originale peccatum; nàm adest priuatio originalis iustitiæ; adest inordinata dispositio, proueniens ex dissolutione illius harmoniæ, 37 in qua consistebat ratio originalis Iustitiæ; adest concupiscentia effrænis contracta per originem; suntque infectæ præsertim, vis generatiua, vis concupiscibilis, & tactus, quæ ad actum per quem peccatum traducitur, magis concurrunt. Docet Angelicus, formale in peccato originali esse carentiam originalis iustitiæ; sic tamen vt non sit pura priuatio, sed habeat rationem inordinatæ dispositionis totius animæ, sitque languor naturæ; & materiale sit concupiscientia. Et ad Rom. 4. l. 1. exponit quomodò dicatur iniquitas Ps. 50. *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*; quia est carentia originalis iustitiæ, per quam, secundùm æquitatem, ratio hominis subijciebatur Deo; inferiores vires rationi; & corpus animę; sed per originale hæc æquitas ablata est. De quibus tanquam omninò scholasticis videri poterit D. Thomas citatis locis, & quęst. 4. de malo. Nos alia vocant.

VERSVS XVIII. *Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.*

Secundùm D. Augustinum, qui posuit in operibus sex dierum, non fuisse factum Adamum, nisi in quantùm corpus eius fuit secundùm causales rationes sexto die memoratum; sic, & 38 de Heua: [B] vnde pariter Augustino pręextitit corpus mulieris in primis operibus; non tamen secundùm potentiam actiuam, sed secundùm potentiam passiuam tantùm, in ordine ad potentiam actiuam Creatoris; & consequenter nunc agitur de mulieris formatione, tanquam actualiter facta. At iuxtà alios sanctos, cum sexto die fuerit, & mulier formata, hìc, ob ipsius etiam dignitatem, quemadmodum de viro factum est, operis enarratur modus, quo Deus primam parentem molitus est, expositiuè, vt air D. Thomas hic c. 5. *Non est itaque, inquit Dominus Deus, bonum hominem esse solum.* Vide quomodo tanquam de præcellenti creatura agendum esset, pręmitti intelligitur Sanctæ Triadis deliberatum consilium. *Faciamus*; quod & supra primo capite dictum fuerat. *Non est bonum*. Dùm neutrius articulum vsurpat, indicat de bono communi, nimirùm speciei sermonem haberi; & ideò *non est bonum* &c. Bonum per Dionysium [C] est sui diffusiuum: si solus autem esset homo, non posset se diffundere: & ita pręsentia tangit Sanctus Moyses, sed futura prospicit; nàm ad sobolis propagationem, exposcebatur vltra virum, mulier. *Faciamus ei adiutorium*: præsertim ad opus generationis, vt in superioribus dictum est. Sed quoniam, non in vno duntaxat mulier virum adiuuat, societatem enim colit, proli blanditur, domus curam habet; idcircò non dicitur adiutrix, sed in *adiutorium*. Facta est autem, *ei*. Ostenditur esse factam propter virum; & ideò naturaliter est mulier minoris virtutis & dignitatis; semper enim honorabilius est agens patiente, [D] vt ait Augustinus. Et sic aiebat Apostolus Corinth. 1. *non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*. *Simile sibi*. Intelligitur sine dubio in natura. Hinc tamen alias trahit similitudines S. Doctor, [E] vt quisque accipiat sibi vxorem similem, scilicet nobilem, si est nobilis; ignobilem, si sit ignobilis, vnde poeta *si cui voles aptè nubere nube pari*. Quę paritas attendenda est vltra, in ætate, & pulchritudine: quando enim iuuenis, & pulchra nubit seni & deformi, habet eum exosum, & Adultera efficitur. Et quia omne bonum *de sursum est; rara auis est in terris bona vxor*, vt ait Philosophus. Certè ita, nisi detur a Deo; nam vt dicitur Prouerb. 19. *Domus & diuitiæ dantur à parentibus; à Domino autem propriè vxor prudens*. Ideò volens inire coniugium, orando & orari faciendo, & eleemosinas dando debet eam à Deo quęrere; nec eam ducere causa luxurię, & libidinis exaturandæ,

B p.p. 92. 4. 1.
C D. Th. hic.
D p.p. 92. a. 1. 2. & 4. Annib. d. § 2. a. 1.
E op. 41. l. 5. c. 25.

dę, ſed cauſa prolis procreandę; vtque habeat hętedem, Dei cultorem, & fornicationem deuitet. Quàm pauci hodie, rectam habent intentionem; quàm pauci nubunt, præmiſſa confeſſione & in gratia!

VERSVS XIX. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus Cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea; omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.*

Mirum eſt primo aſpectu, quomodo ſacer textus ſermonem interſerat de animātibus, poſtquam de facienda muliere premiſerat: ſed hoc fit idcircò, vt intelligatur lydio ex lapide cognitionis omnigenę ipſius Adæ, non eſſe inter cuncta animantia creaturam, quę poſſit ęquipatari homini; non enim inter tot *inueniebatur adiutor ſimilis* eius; Quare adhuc erat homo ſolus, iuxta doctrinam Angelici; [F] non enim tollitur ſolitudo per aſſociationem alicuius, quod ėſt extraneę naturę; dicitur ſiquidem aliquis ſolus eſſe in horto, quamuis ſint ibi Plantę & Animalia. Vtitur autem ea voce *formatis*, quam ſuprà diximus cum de Adamo, habere pondus; certè, vt intelligatur qualiter omni ſibi debita perfectione animantia exculta, non eò perueniunt, vt rationalem naturam participent, nàm neque ex tot formatis inuenitur adiutor ſimilis, eius intellectuali naturæ.

F p.p. 31. 3. 1.

39

Miniſterio autem Angelorum, vt ait Auguſtinus, ſunt [G] adducta animalia ad Adam, nàm poteſtate humana id fieri nequibat: licèt enim Paradiſus non eſſet locus congruens brutis; [H] vnde ait Damaſcenus, *ibi nullum irrationalium habitat*; tamen ex quadam diſpenſatione, fuerunt illuc diuinitùs adducta. Fuerunt autem re ipſa, & non imaginaria aliqua viſione adducta [I] animalia; non enim ſcriptura ſolemniter iſtam adductionem deſcriberet, nec modum iſtum enarraudi ſeruaſſet. *Vt videret quid vocaret ea.* Habebat autem homo naturalium ſcibilium ſcientiam; [L] ſed quantum ad modum ſciendi proficere poterat, ſciturus per experimentum, quæ præſciebat intellectualiter per inditam ſcientiam: & ita, cum Animalibus non indigeret; neque ad tegumentum, quia nudus erat abſque erubeſcentia; neque ad cibum, quia lignis Paradiſi veſcebatur; neque ad vehiculum, propter corporis robur; indiguit illis ad experimentalem [M] cognitionem habendam. Et hoc ſignificatur per adductionem eorum ad eum, vt eis nomina imponeret, quæ eorum naturas deſignarent; nomina enim debent naturis rerum congruere, quia vt dicitur 4. metaph. *ratio quam ſignificat nomen, eſt definitio*; & aiebat Plato, *nomina eſſe à natura*. Et hoc fecit Adam, quia habens naturalium omnium ſcientiam, potuit per comparatiuas habitudines & analogias, ex prænotis nominatiſque rebus, (ad placitum vt plurimum excogitatis) rationabilem nomenclaturam animalibus dare; nomen quippe eſt quaſi notamen: vnde nonniſi prudentiſſimè, vt animalium indicarent naturam, creduntur impoſita; & ſi ſecus ad placitum appellitentur, non erunt illa nomina eorum; *omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Ex hoc apparet, [N] ſcribente Moyſe, linguam Adæ ad Hebræos perueniſſe, & tali idiomate nomina fuiſſe expreſſa. Etſi autem Adam non alta voce expreſſerit animalium vocabula; tamen decuit ad experimentalem capiendam notitiam, figurarum corporis, & proprietatum, ante ipſum, quaſi ante ſuum dominum ſiſterentur. Et quia animalia ferocia adhùc in ſtatu innocentiæ fuiſſent, & inter huiuſmodi viguiſſet naturalis diſcordia, vt tradit [O] Angelicus; non omnia ſimul crediderim eſſe adducta; vt nouo miraculo cohibenda eſſent, ne placidiſſimo in loco cierent pugnam. Moſes Barcephas, apud Pererium hìc, tradit Adamum editiore loco inſidentem, radiati capitis auguſta maieſtate ſpectabilem, animalibus nomina indidiſſe: & illa ſymbolo quodam venerationis, ad vocem appellantis præterijſſe: quam ad hominem reuerentiam, poſt peccatum, ait Philo, brutas animantes depoſuiſſe. Exploditur ex dictis vana, quam liber Zoar cum Rabbinis aſtruit, phantaſia; inquiſiſſe Adam, ad nomina iſthæc imponenda, literas, quæ tactus & influxus ſyderum, brutis ſpeciatim dominantium, ſignificarent. De piſcibus non fit mentio, quia piſces non poſſunt extrà aquas commodè viuere. [P] Deinde non ſic homini ſunt ſitu, & vita cognati; vnde ſecundùm quòd dicit Papias, fuerunt eis nomina impoſita pòſtmodum cum paulatim ad hominum notitiam venere, ex ſimilitudine ad terreſtria. Aliud caput huius adductionis animalium fuit, vt experimento comperiret Adam, quòd nullum ſufficiebat ſibi ad ſapientialem collocutionem, nec ad amicitiam ſocialem, nec ad Dei laudem; ideoque deſideraret ſociam ſimilem, vnde illud verbum *faciamus adiutorium* &c. & *non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*, dixit Deus non tantùm [Q] intra, ſed etiam illuſtratæ menti ipſius Adæ.

G p.p. 96. 3. 1.
H p. p. 102. 2. 2.
I D. Th. hic.
L p.p. 94. 3. de veritate 18. 4.
M p.p. 96. 1 [illegible]
N D. Th. hic & c. 11.
O p.p. 96. 1. 2.
P D. Th. hic.
Q D. Th. hic.

VERSVS XX. *Appellauitque Adam* &c. De hoc dictum eſt.

VERSVS XXI. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea.* 40

Septuaginta habent [R] *ecſtaſin*, ideſt mentis exceſſum. Symmachus habet *grauem & profundum ſoporem*. Ecſtaſis ſeu ſopor ille non fuit ſine dubio naturalis, nàm immiſit illum Dominus. Ecſtaſis autem, raptus, & exceſſus mentis habentur, inquit Angelicus, [S] cùm aliquis actu abſtrahitur ad aliqua ſupernaturaliter videnda. Duplicem autem raptum diſtinguit Auguſtinus, vnum quo mens rapitur a ſenſu ad imaginariam viſionem; & ſic accidit in Petro & Ioanne Euangeliſta in Apocalypſi, vt idem Auguſtinus dicit: alium, quo mens rapitur à ſenſu, & imaginatione ſimul, ad intellectualem viſionem: ſecundùm quòd intellectus intelligit Deũ per aliquas intelligibiles immiſſiones; (quod eſt propriè Angelorum) & ſic fuit Ecſtaſis Adæ, vt dicitur Geneſis 2. in gloſſa; *Ecſtaſis rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt mens Adæ particeps Angelicæ curiæ, & intrans in ſanctuarium Dei, nouiſſima intelligeret.* Fuit ergo tunc eleuatus Adam, [T] ſicut ſolet mens Prophetarum eleuari ad diuina myſteria intuenda, ſiue ad cognoſcenda quædam [V] profundiora de diuinis myſterijs, quæ ſecundùm communem modum, humanæ cognitionis, ſibi competebant: vnde, inquit idem Angelicus, [X] cum Dominus in eum ſoporem

R D. Th. hic.
S de veritate 13. a. 2. ad 9. & Matthæi 19.
T de veritate q. 18. a. 5. a 1 2.
V loc. cit. a. 1. ad 14.
X 2. 4. 1. q. 1. a. 2. ad 1.

immi-

immiſit, creditur diuinam habuiſſe reuelationem. Et ſi quæritur, quid ſpecialiter in eo raptu cognouerit? dicendum cum eodem S. Doctore, [A] quòd raptus eſt Adam in ſpiritu, & interfuit curiæ cœleſti, vbi agnouit virtutem matrimonij, & eius rei ſacramentum; & erat Adam tùnc corpore in Paradiſo terreſtri, mente verò in Paradiſo cœleſti: & alibi; [B] ante ſtatum peccati homo habuit explicitam fidem de Chriſti incarnatione, ſecundùm quòd ordinabatur ad conſummationem gloriæ; non autem ſecundùm quòd ordinabatur ad liberationem à peccato, per paſſionem & reſurrectionem; quia homo non fuit præſcius peccati futuri. Videtur autem Incarnationis Chriſti præſcius fuiſſe, per hoc quòd dixit; *propter hoc, relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit vxori ſuæ*. Et ita de Redemptore non habebat Adam in ſtatu Innocentiæ fidem explicitè, ſed tantùm [C] implicitè, in quantùm credebat, Deum ſibi prouiſurum in ijs omnibus, quæ ſuæ ſaluti neceſſaria eſſent.

41 An autem in eo raptu clarè viderit Diuinam eſſentiam. Reſpondet Angelicus [D] quod communis opinio tenet non vidiſſe, quia adhùc erat in via ab Beatitudinem; & certè non expreſsè habetur contrarium: attamen quamuis hoc non competeret Adæ, non eſt inconueniens, inquit, vt hæc gratia illi potuerit à Deo conferri: immò tandem relinquit [E] rem ſub dubio, in Summa dicens, niſi fortè dicatur quòd viderit in raptu, quando Deus immiſit ſoporem in Adam. Hinc [F] licèt doceat in ſtatu Innocentiæ, per eſſentiam nec Angelos vidiſſe, inquit alibi; [G] ſi ſopor Adæ intelligitur talis extaſis fuiſſe, qualis raptus Pauli, nihil prohiberet dici, quin in illo raptu Angelos per eſſentiam viderit. Habuit autem ſopor ille myſticam ſignificationem; & ita inquit Angelicus; [H] dormire dicitur quaſi parùm, ſoporari verò quaſi multùm: vnde alia litera dicit; *ego dormiui: & ſomnum cœpi*, ideſt profundè dormiui. Sic Chriſtus dicitur dormiuiſſe, quia ſponte ſe obtulit Paſſioni; & quia ſoporatus eſt, mors ſubſecuta eſt; vnde à dormitione tranſiuit ad ſomnum: iſte ſopor ſignatur in ſopore Adam.

42 Occaſione literæ huius, quæritur an Adam in ſtatu Innocentiæ naturaliter dormijſſet. Refert Angelicus [I] Auguſtinum non definijſſe; & cum iunior eſſet, aliquibus quaſi plaudit ſentientibus, non fuiſſe ſomnum: attamen [L] in 2. inquit, ſecundùm quoſdam homo in primo ſtatu non dormiuiſſet; ſed quia hoc ratione, aut auctoritate firmari non poteſt, probabilius videtur, vt ex quo vitam animalem habebat, ea quæ talem vitam cōſequuntur ſibi non deeſſent. Somnus autem quandoque conuenit ex cauſa naturali, ſicut ex vaporatione alimenti, vel ex humiditate cerebri, vt in prima ætate; & ſic videtur, vtraque de cauſa potuiſſe eſſe ſomnum in primo ſtatu. Hoc ipſum tradit alibi; [M] quia cibus aſſumptus erat ei cauſa ſomni: rationem autem ex fine tangit, nuper ſupra citato loco, quia ſomnus quantùm in ſe eſt, eſt paſſio ad perfectionem totius Animalis pertinens; eoquòd in ſomno intenduntur vires naturales, & quietantur vires animales; nam ſecundùm Philoſophum, ſomnus [N] eſt quies animalium virium, cum intenſione naturalium (ſopor, addit, eſt quies animalium cum intenſione intellectualium), vt animales poſtmodum fortiores ſint in actibus ſuis: & ideo concludit [O] ſomnum ad bonum naturæ ordinari: ſubditque ad Annibaldum; & licèt actu impedirentur aliquæ operationes vitæ per ſomnum; tamen eo confortabatur natura ad diutius perſiſtendum; vnde ſomnus cōnumerandus eſt inter alias paſſiones, quæ ad perfectionem pertinent patientis. Quia verò nùnc inſurgit etiam ſomnus ex cauſa innaturali, ſicut ex labore, aut ægritudine; [P] huiuſmodi non fuiſſet in ſtatu Innocentiæ. Inquit autem D. Auguſtinus de ſomnijs illius ſtatus; *iſta tamen ſomnia tàm felicia fuiſſent in ſtatu Innocentiæ, quantùm* [Q] *viſa vigilantium*.

VERSVS XXI. *Cumque obdormiſſet, tulit vnam* &c.

43 Decuiſſe vt mulier formaretur ex viro, oſtendit pluries [R] S. Doctor: ſed cur ex viro dormiente? non enim immiſit ſoporem, ne ſentiret dolorem; quia non fuit coſta illa ſeparata doloroſè; [S] quia illa coſta, non fuit de perfectione corporis Adæ, ſecundùm eſſe indiuidui; ſed in quantùm erat principium ſpeciei: ea proportione, qua in alijs ſemen requiritur ad procreationem natorum. Si autem deciſio ſeminis non eſt cum paſſione, immo cum delectatione reſoluitur, multò magis potuit abſq; dolore extrahi coſta: præterquā, docuit Magiſter miraculosè virtute diuina non ſenſiſſe dolorē: quod & in vigilia fieri potuiſſet. Igitur *ex viro dormiente*, magno myſterio; figuratur enim [T] per mulierem Eccleſia, quæ de latere Chriſti mortui, hoc eſt dormientis in Cruce, formata eſt; fluxit enim inde *ſanguis, & aqua*, quibus conſecratur Eccleſia; vnde ſubdit Angelicus; [V] figuratur enim per hoc quòd Eccleſia à Chriſto ſumit principium; vnde Ephes. 5. *Sacramentum hoc, magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Eſt autem formata mulier [X] non de pedibus viri, tanquam ancilla; nec de capite, tanquam domina; ſed de latere, tanquam ſocia: ex quo etiam colligit S. Doct. *opuſc. 4. ſexto præcepto*, parificari virum & mulierem in fide matrimonij ſeruanda. Quemadmodum autem ex illa coſta, vtique cum carne, [A] nam paulo poſt dicitur, *caro de carne mea*, formata eſt mulier; ita potuiſſet à Deo [B] formari equus, vèl animal quodlibet. Fuit autem facta additio ad præexiſtentem materiam coſtæ, vt integrè formaretur mulier: proinde tranſijt coſta illa in Heuam; atque adeo in Reſurrectione [C] erit Heuæ non Adæ, tanquam de indiuidua perfectione illius, non huius. An miniſterium Angeli exhibuerint Deo in formatione mulieris, [D] inquit D. Auguſtinus, *neſcimus*. Certum tamen eſt, quòd ſicut corpus viri de limo, non fuit formatum per Angelos; ita nec corpus mulieris de coſta viri. Suprà tactum eſt, non poſſe creaturam aliquam ſeparatam, mouere materiam immediatè ad formam. [E]

VERSVS XXII. *Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem; & adduxit eam ad Adam.*

44 Rectè dicitur *ædificauit*: fortè vt ea vocis ſignificatione, cohabitationem vtriuſque coniugis indicaret; quia ſicuti Philoſophus dicit, [F] mas & fœmina coniunguntur in ho[illegible]on

A op. 41. l.5.26.
B 2.2. q. 2. 7. & 4. 26. q. 2. expoſit. t.
C de veritate 18. a.3. ad 4.
D de veritate 18. a. 1. & ad 13. ac 14.
E p.p.94. 1.
F cit. l.a. 2.
G de veritate 18. a.5. ad 2.
H in pſal. 3.
I D. Th. hic.
L 2.d.19. q. 1. a. 1. ad 3.
M 2. Annib. 19. 2. 4. ad 5.
N D.Th. hic.
O 9. p. [illegible] 2. 2.
P 2.d.19. q.1.3.1.
Q D.Th. hic.
R p. p. 92.2.
S 2.18.1. 1. & p. p. 92. 3.2. & 97.2. 3. & 3.p. 31.5. 2.
T pſ.3. & Io.19.l.2.
V p.p.92. 2. & 2.3.
X p.p 92. 3. & 1. Corinth.7. l. 1. & 4. d. 29. expoſit. textus.
A D.Th. hic.
B 4.40.1. 3.1.
C 2.18.1. 1. 3. & 4. 44.1. 2.3. 2.
D p.p.92. 4.2.
E p. p. 105. 1.
F p.p.92. 2.

ſolùm propter neceſſitatem generationis, vt in alijs animalibus; ſed etiam propter domeſticam vitam. Edificauit quoque, quoniam quaſi foret ædificium, altiorem partem inferioremque exſtruxit: alta quippe eſt mulier, quia facta eſt in Paradiſo de nobiliori, quàm ſit limus, materia [G]; comparem in natura cum viro ſortita nobilitatem: inferior eſt etiam; quia licèt ſit par quoque & ſocia in debito coniugali, tamen quoad [H] miniſtrationem & diſciplinam, ſubdita eſſe debet; quia *vir eſt caput mulieris*; vt dicitur 1. Corinth. 11.; & quicquid habet dignitatis, materiæ, & loci, ex viro habet. Hùc facit, quòd etiam docet Angelicus, [I] vt ſcilicet ſubiectione œconomica, vel ciuili, ſecundùm quam præſidens vtitur ſubiectis ad eorum vtilitatem, & bonum; (iure ante peccatum etiam habenda) decuerit fœminam viro eſſe ſubiectam; quia naturalitèr in homine magis abundat diſcretio rationis.

G D.Th. hic.
H 1.Petri 3.p.p. 102 4. 1.
I p.p.92. 1.2.1

45 *Aedificauit coſtam* &c. Vt tanquam fratres ſe omnes homines amarent, [L] ex vno ſe eſſe cognoſcentes: Actor. 17. *fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ*. Non ſic legimus factum [M] in Angelis, vel animalibus brutis: vnde Auguſtinus; *ſi putamus non eſſe proximos, niſi qui de ijſdem parentibus; Adam vel Heuam intendamus; & fratres ſumus*: additque eo in opuſculo D. Thomas, quòd verò illi fœmina ex eius latere facta eſt, ſatis indicat quam chara mariti & vxoris debeat eſſe coniunctio. Iuxtà cor ſine dubio [N] quantùm ad vitam, principale membrorum, locantur coſtæ. *In mulierem*. Mulier nùnc primò deprehenditur poni pro ſexu, ſcilicet pro fœmina, non [O] autem pro corrupta: Heua quippe tùnc virgo [P] erat. Sicuti etiam quando infrà dixit Adam; *Mulier* [Q] *quam dediſti mihi*: & tamen nondum cognouerat eam, nàm, vt inquit Auguſtinus, *primi Parentes in Paradiſo non coierunt, quia formata muliere, poſt modicum, propter peccatum, de Paradiſo eiecti ſunt*: [R] vel quia expectabatur diuina auctoritas ad determinatum tempus commixtionis, à qua acceperant vniuerſale mandatum; *Creſcite* &c. Hinc poſteà legitur, *Adam autem cognouit vxorem ſuam*. Et, *adduxit eam ad Adam*. Vult S. Doctor expetitum fuiſſe conſenſum Adæ ad vxorem habendam, ijs verbis; *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*: addens; nec de ſubſtantia ſua debebat quicquam fieri, ſine eius aliquali conſenſu; ſicut nec Chriſtus voluit de Beata Virgine [S] concipi, niſi conſenſiſſet. Attamen dici poteſt, nùnc ad id proximè recipiendum, viciſſim adductam Heuam; ſic eam præſentando, & in vxorem [T] tradendo: vnde fuit adductio ad quandam familiaritatem, ex extraneitate.

L 2. Annib. 18. 1.
M op.41. l.2.c.12.
N 4.d.29. q. 1. a. 4. expoſitione textus.
O 3.p.28. 1. 3.
P 3. d. 3. expoſitione text.
Q ad Galat. 4. l.2. & Io. 2. l. 1.
R p.p 98. 2. 2.
S D.Th. hic.
T D.Th. hic.

VERSVS XXIII. *Dixitque Adam; hoc nùnc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.*

46 Matrimonium ſecundùm habilitatem, quæ fundatur in diſtinctione ſexuum fuit inſtitutum cap. primo, quando *maſculum* [V] *& fœminam, fecit eos*; ſeu etiam tùnc fuit datum de matrimonio [X] præceptum; *creſcite* &c. vnde Saluator Matthæi 19. reſpondens quæſtioni de vxore dimittenda, illud inducit; *maſculum & fœminam fecit eos*. Factum verò fuit & contractum, cum adducta muliere ad Adam; expreſſum per effectum, innotuit conſecutæ dilectionis vtriuſque conſenſus. Dixit tùnc Adam; *hoc nùnc os ex oſſibus meis*. Sic ad excitandum in corde Dauid amorem, dixerunt ei vniuerſæ tribus Iſrael; *ecce nos os tuum, & caro tua ſumus*; 2. Reg. 5. Sanè cum eſſet in ſopore, dum Deus tulit vnam de coſtis, eius; conſtat, huiuſmodi facti cognitionem habuiſſe à Deo, vel in ipſa ecſtaſi, vel antecedènter: quemadmodum diximus ſupra, Deum dixiſſe etiam menti Adæ illuſtratæ diuinitus; *non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus* &c. quod indicatur per particulam illam, *ergo. immiſit ergo Deus*: quæ ponitur ad Concluſionem, relatu nimirùm ad antecedentia. (quod etiam obſeruat Angelicus Ioannis 6. ad illud, *litigabant ergo Iudæi*). Comperto itaque ab Adam experimentali notitia, quod non inueniebatur ſimilis eius, *immiſit Dominus Deus, ad faciendum ſimile adiutorium, ſoporem in eo*. Hæc autem verba tanquam, contractiua matrimonij, ſeu expreſſiua contractus, dicuntur ab Adam in perſona propria: vt verò ſunt inſtitutiua eiuſdem, ſunt verba Dei. Sic de ſequentibus, *quam ob rem relinquet homo* &c. inquit Angelicus; [A] Adam autem verba illa protulit à Deo inſpiratus; vt intelligeretur matrimonij inſtitutionem à Deo factam. Sanè ſecunda integritas matrimonij, quæ attenditur in operatione [B] & coniunctione carnali, exprimitur tùnc ab Adam. Hinc alibi D. Thomas exponit dicta eſſe ab Adam & à Deo, [C]: Adam vt à Deo inſpiratus hoc dixit: Deus autem vt Adam inſpirans & docens: Conſtatque Matthæi 19. vbi Saluator inquit de Deo, *& dixit; propter hoc dimittet homo* &c.

V D.Th. hic & 4. 16. 2. 2.4.
X 4. 26. 1. 2.
A 4.d.26. 2. 2. ad 4.
B cit. l. art. 4. & ad Annibal. a. t.
C Ephes. 5. l. 10.

Mirum eſt autem quomodo dicat Adam: *hoc nùnc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*: vt quid enim addit ly *nùnc*? antequam ſanè ipſam videret, fuerat *os ex oſſibus*, idque, vt diximus, prænouerat ſaltem in ſopore. Sed vt dictum eſt; hæc ſunt expreſſiua prioris inter vtrumque matrimonialis conſenſus, ſecuti fortè per nutus, (quod ſufficit) [D] in copulam coniugalem, & dilectionis maritalis inde exurgentis. *Nùnc* ergo quaſi in amoris mutui teſtimonium, inquit; *os ex oſſibus meis, & Caro de carne mea*; dilectio enim (qua quis primò ſe ipſum diligit & ſibi ſimile) caſtè æſtuabat. At cur has voces vſurpet ſi quis quæſierit? dici poteſt in oſſe ſignificari fortitudinem coniugalis dilectionis, nàm Can. 8. *fortis eſt vt mors dilectio*: in carne verò teneritudinem redamationis; ſed heu nùnc, *mulierem fortem*, Prouerb. 31. *quis inueniet?* illarum pudicitiæ arx facilè expugnatur lenocinijs, cupidine, & auro; & heu quàm è contrà pauci illud Apoſtoli implent, *viri diligite vxores veſtras*; Coloſſ. 3. Non vocetur mulier virago, quia ſexum nimis imbellé prætendit; nec fortis eſt, niſi *iniqua mulier* vt dicitur Eſdræ 3. c. 4. ad ſeducendum, ad laqueandum. Viri tamen ex mulieribus mutuant appellationem, quia effeminati, nimiſque molles.

D 4. 27. q. 1. 2.

VERSVS XXIV. *Quam ob rem relinquet homo Patrem, & Matrem & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duò in carne vna.*

Quamobrem. Matthæi 19. dixit Dominus; *propter* hoc. Ex quo euidenter conſtat pauló ante, ſermonem fuiſſe de matrimonio; *propter hoc enim relinquit homo Patrem & Matrem*, quod in-

[E 2.2.26. 11. 3. & hic.] telligitur [E] quantùm ad vnionem carnalis copulæ & cohabitationis, propriæque domus regimen ac diſpenſationem. Et quia vir, & mulier ſunt *duo in carne vna*, non ſolum Pater & Mater [F 1. Cor. 5. l. 3. & 4. 40. d. 3. a. 3. & 4.] relinquuntur [F] in contractu matrimonij, ex naturali reuerentia filij ad parentes, ſecundùm omnem ſtatum & legem; ſed etiam vxor Patris ſecunda, repellitur à matrimonio cum filio Patris: iuxtà illud Leuit, 18. *turpitudinem vxoris Patris tui, ne diſcooperias*. Et hoc eſt horribile etiam, apud Gentiles, hinc Apoſtolus 1. Cor. 5. *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem Patris aliquis habeat*. [G Epheſ. 5. l. 10. & Matth. 19] Myſticè exponuntur hæc verba [G] de Chriſto Domino; *relinquet homo*; ſcilicet Chriſtus, *Patrem & matrem*; reliquit inquam *Patrem*, in quantùm eſt miſſus in mundum & incarnatus, Io. 16. *exiui à Patre, & veni in mundum*: *& Matrem*; ſcilicet ſynagogam; Ieremiæ 12. *reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam*. *Et adhærebit vxori ſuæ*, Eccleſiæ; Matthæi vltimo, *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*, &c. Sic ad Chriſtum Eph. 5. refertur ly *os ex oſſibus meis*, &c. dicente Apoſtolo, *quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius*. Vel propter participationem naturæ, vt ibi l. 9. D. Th. Vel *de carne* myſticè, quantùm ad debiles, qui ſunt carnei; & *de oſſibus* eius, quantùm ad fortes, qui ſunt oſſei. Et ſic matrimonium inſtitutum in officium naturæ in ſtatu innocentiæ, licèt non [H 4. d. 1. q. 1. 3. 2. & 3. p. q. 61. 2. 3.] eſſet propriè Sacramentum; [H] (quia ſacramenta cùm ſint quædam ſpirituales medicinæ, non ſunt neceſſaria ſanis) tamen aliquid ſignificabat futurum circà Chriſtum & Eccleſiam; ſicut, & omnia alia, quæ in figura Chriſti præceſſerunt; & ſecundum hoc, in quantùm repræſentat myſterium coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, in[I 4. 26. 2. 3.] ſtitutionem [I] habuit in noua lege; ſignificat enim coniunctionem Chriſti ad Eccleſiam, quæ eſt vna; ſecundùm autem quòd remedium præbet contrà vulnus peccati, inſtitutum fuit poſt peccatum, tempore legis naturæ; ſecundum determinationem perſonarum, habuit inſtitutionem in lege Moyſi; de quo D. Th. in 4. d. 40. q. 1. a. 4. Tamen neque in veteri lege propriè erat ſacramentum; quia nondum erat facta con[L p. 2. 102. 5. 1.] iunctio Chriſti & Eccleſiæ: vnde [L] & in veteri lege dabatur libellus repudij; quod eſt contra ſacramenti rationem.

Erunt duo in carne vna. Animalia etiam, [M 3. d. 8. q. 1. 3.] ſecundùm Philoſophum, [M] in coitu ſunt quaſi [N Epheſ. 5. l. 10.] vnum generans: hinc D. Thomas [N] *in carne vna*, idest in carnali opere; in qualibet enim generatione eſt virtus actiua, & paſſiua; ſed in plantis vtraque eſt in eodem; in perfectis autem animalibus diſtinguuntur: & ideo in actu generationis, ita ſe habent maſculus, & fœmina in animalibus; ſicut in plantis ſolo eodem vno corpo[O 1. Cor. 6. l. 3.] re fit. Et alibi; [O] *in carne vna*, idest per mixtionem carnalem vna caro efficiuntur; & ſic membra vnius fiunt membra alterius. Eſt autem intelligendum, ſicut dicit Philoſophus in lib. de Generatione Animalium, quòd in animalibus quæ ordinantur ad altiores actus vitæ, ex duobus fit vnum in actu generationis. Hæc & alia [P Matthæi 19.] colligit Angelicus in Matthæum [P] dicens; *in carne vna* ſcilicet, quod ait Hieronymus, *in carne prolis*, & hic eſt fructus matrimonij, Chryſoſtomus exponit, *in vna carne*, idest *in vno carnali affectu*. Vel *erunt duo in carne vna*, idest *in vno carnali opere*: & adducit Philoſophum vt ſuprà: hic [Q] autem; ſunt vnum per vim indiſſolubilis coniugij, per quam vnus indiſſolubiliter [Q D. Th. hic.] alteri alligatur.

Duo denique eliduntur errores: primus 47
eorum qui communes mulieres eſſe dixerunt; ſecundus accipientium pro ſuo arbitratu plures vxores. Primum errorem inquit Angelicus [R] [R op. 20. l. 4. c. 4.] videtur impoſuiſſe Ariſtoteles in ſuis politicis Socrati & Platoni; quia non videtur credibile, viros virtutibus deditos, pluſquam beſtiale docuiſſe naturæ humanæ commercium. Huius aſſertæ Platonicæ opinionis meminit alibi [S] S. [S 1. cont. Gentes c. 124.] Doctor, recolens etiam Nicolaum vnum de ſeptem Diaconibus, de cuius ſectarijs Apocalypſis 2. *tenentes doctrinam Nicolaitarum*: Vbi D. Thomas; [T] idest eorum qui ſequuntur Nicolai [T Apocalyp. 2.] doctrinam, in communi vſu mulierum; quod abominabile eſt, quia eſt ſumma immunditia, diſſipans pacem humanam, contrà legem naturæ, & inſtitutionem diuinam. Et ſubdit; Nicolaus fuit vnus de ſeptem Diaconibus, de quibus Actorum 6. & fuit ab Apoſtolis & alijs diſcipulis reprobatus, quia ad vxorem redibat: vnde indignatus, prædicabat omnes mulieres communicandas.

Secundum errorem de vxorum arbitraria 48
pluralitate, iuxtà cenſuram orthodoxæ fidei, tanquam naturæ diſſonum oſtendit pluriès ſanctus Doctor; [V] pro quo; ſciendum quòd ius [V 4. 33. q. 1. 1. item ad Annib. hic c. 4. & 16. & 3. cont. G. c. 124.] naturale vno modo ſtrictiſſimè acceptum, eſt (quemadmodum dicitur in principio Digeſtorum) *illud, quod natura omnia animalia docuit*: quo pacto, quæ attinent ad hominem vt homo eſt, ſcilicet per rationem, non dicuntur de iure naturæ, quia immò ratio diuiditur contrà naturam. Hac acceptione, ſingularitas vnius comparis, non eſt de iure naturæ; neque pluralitas contrà naturam; quia videmus quædam animalia plurificari coitu, vt patet in Canibus, Gallinis, & huiuſmodi. Secundo modo dicitur ius naturale, ex principio actionis alicuius à natura indito; ſic, vt naturaliter ſit dictamen vel propenſio ad conueniens ſuæ ſpeciei vel generi; ſecundùm quòd dixit Tullius 2. Rhetoricorum; *ius naturale eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata vis inſeruit*: quod quidem ius à lege æterna dependet, in quantùm ex impreſſione eius habent omnia inclinationes in proprios actus & fines; de quo D. Thomas [X] p. 2. Hoc pacto [X p. 2. 91. 2.] pluralitas comparium eſt contra ius naturæ: & ad homines deſcendendo, eſt contra legem naturalem, participatam vt ſupra, à lege æterna. Patet hoc ex pugna naturaliter inter animalia exorta, ad vitandum conſortium comparemque in coitu: vnde quodlibet animal deſiderat ſuo modo liberè frui ea voluptate, ſicut & cibi: & in hominibus deprehenditur innatus zelus ſuprà conſortem; meritò quidem, quia inuicem poteſtatem ſui corporis ſibi tradunt. 1. Corinth. 7. *mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autē & vir ſui corporis poteſtatem nō habet, ſed mulier*. Probatur ex aliorum animalium obſeruatione; in ipſis enim quando maſculus eſt de prole educanda ſolicitus, vnus mas non habet niſi vnam fœminam; ſicut patet in turture

& columba, & omnibus auibus quæ simul nutriunt pullos: (quæ ratio deficit in Canibus, Gallinis, &c.) masculo autem, inter omnia animalia, in specie humana est cura præcipua de prole: igitur ius naturale [A] quod continetur in naturali indicatorio rationis humanæ, dictat vnam vni, vnique vnum non plures iungi. Tertio modo naturale dicitur, quod etiam est à principio extrinseco, sed superiori; sicut motus, qui sunt in elementis ex impressione corporum cœlestium, naturales dicuntur; vt Commentator docet in 3. de Cęlo & Mundo, & hoc pacto, & quæ sunt de iure diuino, dicuntur esse de iure naturali, cum sint ex infusione superioris principij, scilicet Dei; & sic accipitur ab Isidoro; qui dicit, quòd *ius naturale est, quod in lege, & in Euangelio continetur*. Est autem hoc expressum in prima hominis institutione; *erunt duo in carne vna*; ergo, &c. & sic Dominus in Euangelio, pluraliter quidem de fratribus, & de sororibus & de alijs relinquendis: de vxore semper in singulari. Quamuis in quantùm coarctans omnino ad vnam, fuerit potius cordi impressam, [B] quã verbo, aut literis tráditum. Ex his constat fuisse, & esse illicitum omni tempore, atque adeò peccatum, plures vni sociari coniugio; ideòque gentilium libidinosa ex corruptela, fuisse contrarium in praxin deductum. De Hebræis autem aliter sentiendum; nam ex diuina dispensatione, non quidem ante tempora Abrahæ, siquidem vsque ad ipsum neminem legimus licitè habuisse plures vxores; sed tùnc primò & deinceps, quando gentilitate post vanos deos abeunte, hic vnus supererat ampliandi diuini cultus modus; vt prolis multiplicandæ fidelis gratia, pluribus darent opera viri vxoribus; sic Deo inspirante Sanctos primo Patres; (etiam ad mysterium) quo, deinde ad ipsorum exemplum, diuina dispensatio promanaret: Vnde S. Thomas opusc. 20. l. 4. c. 15. quamuis in lege Mosaica ad multiplicandam generationem, plurium vxorum fit facta concessio; hoc non fuit, nisi ad virtutem, referendo ad cultum diuinum, sicut Augustinus dicit de Ciu. Dei. Et quia lex de vnitate vxoris, non fuit nisi corde impressa, sic dispensatio nonnisi per inspirationem internam facta est. Nondum quippe aduenerat tempus dilatandi Dei populum per gratiam fidei Redemptoris, ac etiam prædicationis Euangelij in toto orbe; quando dispensationem ablaturus Dominus noster, noua condidit, proiectis veteribus, quo perfectior innotesceret noua lex. Fuit autem facta huiusmodi dispensatio, absque matrimonij essentiali aliquo detrimento; nam finis, qui est procreandæ prolis ac educandæ præcipuus, intactus mansit; quamuis secundarius finis, qui est communicatio operum in vita pacifica, non tàm facilè cum pluralitate vxorum posset haberi. De hoc redibit sermo infra c. 16. de Abraham qui duxit Ancillam; & c. 30. de Iacob.

A p. 2. 71. 6. 4.

B 4. 11. 1. 2.

Non sic autem vlquam est dispensatum à Dèo, aut alicui nationi quantumcumque barbaræ acceptũ, vt vnius mulieris plures essẽt viri: ratio est; quia pluralitate virorum non potest intendi maior prolis multiplicatio: etsi enim non totaliter tollatur, quia contingit post imprægnationem primam, iterum mulierem imprægnari, vt dicitur in 9. de animalibus; tamen multùm impeditur, quia vix potest accidere, quin corruptio accidat quantum ad vtrumque fœtum, vel quantùm ad alterum. Immò quamuis matrix post imprægnationem claudatur: tamen ex delectatione, vt ait Auicenna, mouetur, & operatur; & ex hoc imminet periculum abortus: & ideò Hieronymus vituperat accessum viri ad vxorem imprægnatam; non tamen ita, quòd semper sit peccatum mortale, nisi fortè quando probabiliter timetur de periculo abortus: ita D. Thomas in 4. d. 31. q. 2. post art. 3. expositione textus. Præterea educatio totaliter tollitur; quia ex hoc, quòd vna mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu Patris, cuius cura necessaria est in educando; & ideò nulla lege aut consuetudine permissum est. De quo etiam Exodi 20. nu. 17. 49

VERSUS XXV. *Erant autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non erubescebant.*

Mirè constat, quæ hactenus dicta sunt de contracto primorum parentum matrimonio, textui esse conformia, dum statim subditur, Adam habere vxorem: nulla autem erat erubescentia, quia nulla aduerti poterat turpitudo: erubescentia quippè secundùm Aristotelem, est de factis inglorijs & turpibus; quę autem rationis ductu fiunt, turpitudinem omnèm excutiunt: in illo autem felici statu, cohibebantur iustitia originali inferiores vires, ne turpiter pulsarent rebelli genio; non enim ad concipiendum [C] libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturam vtramque, absque vlla fœminei claustri corruptione, pudicè iunxisset; nunc fœditas nuditatem non patitur: de quo [D] D. Thomas, & ex 2. 2. q. 141. 2. 3. nec non q. 143. 4. & 144. Item 2. 4. non poterant tunc erubescere, quia nulla erat in eis turpitudo, sed claritas & pulchritudo ex lumine rationis; cui vires inferiores subdebantur. 50

C p. p. 98. 2. 4.

D D Th. hic.

* * *

C A P V T III.

1 SEd, & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.
Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni li-
gno paradiſi? 2 Cui reſpondit mulier: De fructu lignorum, quæ ſunt in paradi-
ſo, veſcimur: 3 de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus
5. Cor. 11. a. 3. ne comederemus: & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. 4 Dixit autem ſerpens ad
mulierem: Nequaquam morte moriemini. 5 Scit enim Deus, quòd in quocumque die co-
mederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum, & malum. 6
Eccl. 25. d. 33. 1. Tim. 2. d. 34. Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectu-
que delectabile, & tulit de fructu illius & 7 comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.
Et aperti ſunt oculi amborum: cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus,
& fecerunt ſibi perizomata. 8 Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in para-
diſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in me-
dio ligni paradiſi. 9 Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? 10 Qui ait:
Vocem tuam audiui in paradiſo: & timui, eo quòd nudus eſſem, & abſcondi me. 11 Cui
dixit: Quis enim indicauit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno de quo præceperam
tibi ne comederes, comediſti? 12 Dixitque Adam: Mulier, quam dediſti mihi ſociam,
dedit mihi de ligno, & comedi. 13 Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fe-
ciſti? Quæ reſpondit: Serpens decepit me, & comedi. 14 Et ait Dominus Deus ad ſer-
pentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pe-
ctus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ: 15 Inimicitias ponam
inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſi-
diaberis calcaneo eius. 16 Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conce-
1. Cor. 14. f. 34. ptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. 17 Adæ
verò dixit: Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam
tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus
vitæ tuæ, 18 Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. 19 In ſudo-
re vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es: quia puluis es, &
in puluerem reuerteris. 20 Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Heua: eo quòd mater
eſſet cunctorum viuentium. 21 Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas
pelliceas, & induit eos. 22 Et ait: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bo-
num, & malum: nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, &
comedat, & viuat in æternum. 23 Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis,
vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt. 24 Fecitque Adam, & collocauit ante paradi-
ſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam
viam ligni vitæ.

VERSVS PRIMVS. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit &c.*

7 Quemadmodum dicitur Sapientiæ 2. *inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum:* hinc canit Eccleſia, *nàm quòd corruerit proditor Angelus, conceſſis meritò pulſus honoribus, ardens inuidia*, &c. Inuidebat autem homini, [E] quem ſibi ſuperiorem futurum putabat, ſi illùc aſcenderet, vnde ipſe deſcenderat; & in hoc ipſo iam ſuperiorem, quòd ad bonum illud habendum paratus erat homo, quod ipſe Dæmon in perpetuum amiſerat. Viſum eſt autem diuinæ ſapientiæ, ex quo creauerat in manu conſilij ſui, *Deus ab initio*, Eccl. 15. *conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui*, permittere hominem tentari, [F] immò & cadere: nàm vt inquit Angelicus, [G] ex rationabili cauſa, licèt nobis non perfectè nota, peccatum hominis impedire non debuit.

E 2. 21. 2. 2. 1. & Apocalypſ. 8. ad illa verba, ardens igne & 5. Ioan. c. 3.

F 2. 23. 1. 2. & 2. 2. 165. 2. 2. G 2. Annib. 23. 2. 2. 3.

Deus ſanè inquit Auguſtinus, [H] *cùm ſit ſummè bonus, nullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis, niſi eſſet adeò omnipotens, & bonus*, vt *benefaceret etiam de malo*. Tangit autem rationem, ex qua peccauit, Angelicus, [I] quia ſcilicet, ad diuinum auxilium recurſum non habuit: & tamen quia in primo felici ſtatu nihil erat [L] interius impellens ad malum, ſicut modo eſt; etiam ſine gratia poterat tunc magis reſiſtere tentationi, quàm modò. Permiſit ergo Deus, vt tentationi inſiſteret Diabolus, quia quantùcumque Diabolus [M] ſit in ſe fortis, tamen non poteſt hominem cogere ad peccandum; vnde aiebat Bernardus; *debilis eſt hoſtis*, qui *non poteſt vincere niſi volentem*. Quia verò in ſtatu innocentiæ, nullam habebat Diabolus poteſtatem in homine, non potuit eius imaginationem mouere, per quem modum inuiſibiliter [N] tentat; ideòque neceſſe habuit viſibiliter tentare.

H p. p. 2. 3. ad 1. I p. p. 94. 4. ad 5. L p. p. 95. 4. ad 3. M 2. Annib. 21. a. 1. 3. N 1. e. a. 3. 2.

Voluiſſet tamen Diabolus alias ſpecies, in qui-

O 2.11.1.1. quibus magis [O] lateret virus, aſſumere, ſed prohibitus eſt: vnde ait Magiſter, *maluiſſet ſi permitteretur, in columbæ ſpecie venire*; ſed voluit P l. c. ad Annib. & 2. 2. 165. 2.5. de veritate 18. 6.4. Dominus, vt per ſerpentem tentaret [P] ne tentatio nimis eſſet violenta, poſſetque facilè deprehendi; & ſic inquit Magiſter, *vt autem forma ſuæ malitiæ congruenti veniret, diuinitùs factum eſt.* & D. Aug. *non debemus opinari, quòd ſerpentem ſibi per quem tentaret Diabolus elegerit; ſed cum eſſet in illo decipiendi cupiditas, non niſi per illud animal potuit, per quod poſſe permiſſus eſt.* Dum ſerpens quippe apparet, venenum negare nequit, quo inficiat: peccatum autem præ cæteris, primi parentis, venenum futurum erat, ſerpens in totam ſobolem, trahenſque ad mortem; *à facie colubri* Eccl. 21. *fuge peccatum*. Quam caute audire ſerpentem monebatur hinc mulier! adſtrinxit etiam Deus Dæmonem ad huiuſmodi formam ſerpentis, in ſignum fœditatis accidentariæ ex peccato: idcircò communiter Q D.Th hic. [Q] non permittuntur aſſumere niſi corpora turpia, eorum deformitati conuenientia. Diabolus autem naturę fuit pulcherrimæ, vnde Apocalypſis 9. R Apoc. 9. dicitur *ſtella*; ſed talis natura [R] per peccatum eſt obſcurata? licèt naturalia eſſentialiter remanſerint integra, vt [S] ait D. Dionyſius. Sic Iob S D.Th. hic. 26. *eductus eſt coluber tortuoſus*: quocirca Diuus Thomas in Prologo ſecundi ſentent. *coluber dicitur quaſi colens vmbram, ſonatque in priuationem lucis: & obliquitatem, in hoc quòd dicitur tortuoſus; diſtortum enim eſt, quod à rectitudine obliquatur. Et ideò per hunc colubrum tortuoſum, creaturæ illæ intelligi poſſunt, quorum pulchritudo eſt per peccatum obſcurata, & rectitudo obliquata. Et præcipuè Diabolus, cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum.*

2 Quamuis autem Diabolus diuerſis appellari poſſit nominibus, nam dicitur *Behemoth*, *Leuiathan*, *Satanas*, *Leo*, & huiùſmodi; de quibus ſuis in locis: tamen *ſerpens* ſic dici debuit, propter ipſius indicandam aſtutiam atque malitiam; multis autem de cauſis T Iſaiæ 27. [T] Diabolus dicitur *ſerpens*; primò propter renouationis ingenium; ſecundò, propter incedendi modum; tertiò, propter venenoſum morſum; quartò propter inuolutionis modum: quæ cuncta ibi exponit Angelicus ex ſcripturis. Hæc autem omnia reducuntur ad duo, quæ memorat D. Thomas, V Apoc. 12. [V] vt dicatur *ſerpens*, propter aſtutiam, & venenum malitiæ, quo intoxicat per errorem & peccata.

Et quia ſerpens antiquus dicitur eſſe *Draco*; Diabolus ipſe appellatur *Draco* frequenter, vt patet Apocalypſi ſæpe, & ita c. 12. dicitur *ſerpens antiquus*. Draco autèm nuncupatur ex vno X Apoc. 20. capite, [X] quia violenter opprimit; ex alio autem, quia A Apoc. 16. [A] Draco occultè inſidiatur; vnde & Draco dicitur propter aſtutiam. Quod docuit B Apoc. 12. etiam Auguſtinus in quodam ſermone [B] dicens, *Leo apertè iraſcitur, Draco occultè inſidiatur*: hinc Gregorius vtrumque expreſſit, *priùs leniter ſubrepit, poſtmodum verò etiam violenter rapit*. Non potuit ergo Diabolus non præſeferre in animali malitiam; nam in ijs quæ viſibiliter C 2.4.21. expoſitione text. gerebantur, ea quæ non [C] videntur, intelligi poterant; ſerpens autem habet aſtutiam ad nocendum homini corporaliter; vnde aſtutia exterior ſerpentis, aſtutiam ſpiritualem dæmonis deſignat: & ideò *callidior* omnibus animalibus dicitur, propter aſtutiam Dæmonis, qua mouebatur, per quam & Diabolus ſignificabatur.

Sanè ſacer textus vtramque aſtutiam deſignat, copula illa relatiua *&*, dicens *ſed & ſerpens*; ſupponit enim ly *&*, aliud callidum, nempem Diabolum. Alia litera ſeptuaginta his de cauſis habet, [D] *Serpens erat prudentiſſimus omnium beſtiarum*: eo modo quo dicitur ab Apoſtolo, Rom. 8, *prudentia carnis mors eſt*; & à Chriſto Domino, *filij huius ſæculi prudentiores* Lucæ 16. *filijs lucis*; nam quædã in vtrumq; accipi poſſunt, & in bonum, & in malum. Sic etiam eſt de ſerpente, vnde dicitur Matth. 10. *eſtote prudentes ſicut ſerpentes*; & Saluator ſignificatus fuit per ſerpentem; Ioan. 3. *ſicut Moyſes exaltauit in deſerto*: & per hircum; *in ſimilitudinem carnis peccati* Roman. 8. Quamuis, non habuerit venenum, immò fuerit ignitum ex charitate. Acceſſit ergo per operationem Diaboli ſerpens; [E] & quia ſerpens fuit primum Dæmonis inſtrumentum ad hominem decipiendum, [F] plerumque incantationes per Dæmones; ſortiuntur effectus præcipuè in ſerpentibus. Sanctus Doctor [G] iunior, fuit propenſus in ſententiam, quæ dicit non fuiſſe verum ſerpentem, ſed ex vaporibus formatum; quo pacto Angeli aſſumunt corpora: ſed poſteà, vt patebit ex dicendis, videtur non reuocaſſe in dubium, an eſſet verum animal: quod quidem ſacro textui magis conſentit; vndè infrà inquit, vult Auguſtinus 11. ſuper Gen. 36. quòd fuit verus ſerpens.

D 2. 2. 165.2.4.

E p.p.102 2. 2.

F 2. 2. 96. 4. 2.

G D.Th hic.

3

Qui dixit ad mulierem. Permiſſus eſt ad ſexum fragiliorem accedere: [H] aggreſſus eſt, inquit D. Thomas op. 2. c. 189. hominem ex parte debiliori, tentans fœminam, in qua minùs vigebat ſapientiæ donum, vel lumen. Mulier autem dicta eſt quaſi *molliens*, & *molliens virum*. Eſt autem difficultas, cur mulier non horruit ſerpentem? Reſpondetur, quòd in quantùm erat appropinquatio animalis, læſionem nullam timebat: in quantùm autem audiuit beſtiam loquentem articulatim humana verba, inquit D. Thomas, [I] quòd mulier credidit, ſerpentem vſum loquendi diuinitùs accepiſſe; non quidem per conditionem naturæ, (in rerum enim naturalium cognitione, nemo dixit, hominem tunc falli potuiſſe) ſed per miniſterium intellectualis creaturæ; nec contulit, *Vtrum hoc fieret virtute boni vel mali Angeli*: aut, *Vtrum fieret Deo permittente, vel Deo iubente*. Magiſter ſententiarum diſtinctione 21. inquit; *quæri ſolet quare mulier non horruit ſerpentem? quia cum nouerit creatum eſſe, etiam officium loquendi à Deo accepiſſe putauit*: ad quod D. Thomas [L] ait, intelligendum eſſe *accepiſſe*, non per naturam, ſed aliqua ſupernaturali operatione: & ſubdit; quamuis non ſit neceſſarium auctoritatem Magiſtri ſequi in hac parte. Beda, vt refert hic D. Thomas, [M] putauit fuiſſe quidem ſerpentem, ſed habuiſſe vultum muliebrem virgineum; (pingitur ſic aliquando) vt ſic quaſi ex ſimilitudine formæ, ei mulier plauderet. Gratis excogitatum; nec vnquam à D. Thoma probatum. *Dixit* &c. [N] ſic locutus eſt ſerpens homini, ſicuti Aſina in qua ſedebat Balaam: niſi quòd illud fuit opus Angelicum, iſtud Diabolicum. Nec propterea ſerpens verborum ſonos intelligebat; quandoquidem nec

H D.Th. hic & 2. Annibal. 21. 3.

I 2.23. 2. 3. 2. & de veritate 18. a.6. ad 1.

L p.p.94. 4. ad 2.

M D.Th. hic.

N 2. 2. 165. 2. 4. & 2. Petri 2.

ipſi homines, quorum rationalis natura eſt, cum dęmon in eis loquitur, ſciunt quid loquantur? *Cur præcepit?* Anteſignana [O] inobedientiæ vox. Non ſic fecit Abraham, filium iuſſus immolare.

[O op. 41. l. 5. c. 16. & 19.]

4 Non poterat tentator corrumpere rectam æſtimationem mulieris in particulari ſenſibili, [P] quia hæc per delectationem & paſſionem labefactatur: delectationes autem tunc ineſſe homini non poterant præter regulam rationis: & ideò intendit vniuerſali æſtimationi inſidiari. Ideòque mulier *ſeducta eſt*, ignorantia in vniuerſali, credens quod ſerpens dixit. Adam, etſi non fuerit ſimpliciter ſeductus; in particulari eligibili præuaricatus, & veluti ſeductus eſt; quicumque enim peccat ſeducitur quaſi ignorantia electionis in particulari eligibili: & ſic ipſe, quòd gerẽdus eſſet mos vxori, & cum ea comedere deberet. Ita 1. ad Tim. 2. Et quamuis exiſtimaret præceptum Domini [Q] hærere mulieris memoriæ, commemorauit, vt impugnaret. Fortè etiam ex hoc deprehenditur, Deum, humana venerabili in ſummo ſub ſpecie, allocutum fuiſſe Adam, cum ei præcepit, &c. nàm aliàs non apparet, quomodo conſcius Dæmon potuerit eſſe præcepti. Nec Angeli boni cognoſcunt [R] cogitationes cordium, vt docent ſcholæ.

[P 2. 2. 1. 2. 1. 5. & 1. Timot. 2. l. 3.]
[Q 2. Anim. 21. a. 3. ad 5.]
[R p. p. 57. 4.]

Cur præcepit vobis Deus. Iam tentator incipit. Stans, inquit, Magiſter 2. d. 21. *ſtans coram fœmina hoſtis ſuperbus, non audet in verba perſuaſionis exire, metuens deprehendi; ſed ſub interrogatione eam aggreditur, vt ex reſponſione colligeret, qualiter in malitia procedere poſſet*. Aſtus Diaboli animaduertit Angèlicus; [S] Diabolus, inquit, ex parte debiliori ſemper tentat, vnde in primo homine ſuadebat, quòd comederet de ligno, quod ad peccatum carnale, ſcilicet gulæ directè pertinebat: ſed latenter inducebat ad ſuperbiã. & auaritiam, quæ ſunt peccata ſpiritualia. Et poſt aliqua repetit; primò de gula, ſecundò de gloria, *eritis ſicut Dij*, tertiò de auaritia ſiuè ambitione. Fert S. Doctor [T] gloſſam ad hunc locum dicentem; *Diabolus tentauit primum hominem*, de gula, ſuperbia, & auaritia. Exponit autem Angelicus [V] hanc gloſſam apud Magiſtrum; vt auaritiæ nomine ſignificetur appetitus immoderatus ſcientiæ; nam generaliter quicquid ſic appetitur, quamuis non ſit pecunia, auaritia dicitur: immò dum eſt appetitus immoderatus propriæ excellentiæ, cum ſuperbia coincidit. Alibi idem S. Doctor [X] diſtinguit fallaciam Dæmonis in hæc tria, vt promiſerit immortalitatem; *nequaquam moriemini*: libertatem; *eritis ſicut Dij*: & ſcientiam; *Scientes bonum & malum*; Veruntamen in peccato primi parentis etſi fuerit peccatum gulæ, gula fuit materiale: ſed formale fuit [A] & principale; peccatum ſuperbiæ, (quia ad finem excellentiæ conſequendæ omnia ordinauit) quo homo noluit ſub regula diuini præcepti contineri; & ex hoc ſecuta eſt rebellio carnis ad ſpiritum, vt dicit Auguſtinus 14. de Ciuitate Dei, non autem ex vitio gulæ. Hinc inquit [B] 3. parte; ſolicitauit mentem primi hominis de ligni vetiti eſu, ſecundò de inani gloria, cùm dixit; *aperientur oculi veſtri*; tertiò perduxit tentationem ad extremam ſuperbiam, cum dixit; *eritis ſicut Dij, ſcientes*, &c.

[S in Matthæum c. 4.]
[T de malo q. 13. a. 1. ſed cõtrà.]
[V 2. d. 21. expoſitio ne textus, & d. 22. q. 1. a. 1. ad 7.]
[X Apocalypſis 8. & 12. 1. commentatio.]
[A de malo q. 15. a. 2. ad 7. & 2. 2. q. 1. 1.]
[B 3. p. 41. a. 4.]

5 Audiamus reſponſum mulieris. *De fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur*.

Vide Diaboli calliditatem: coegit ſubdola interrogatione; *non comederetis ex omni ligno*, mulierem ad diſtinctionem: nàm immò Deus dixerat; *ex omni ligno Paradiſi comede*, addens vnius exceptionem. Verboſa autem dignoſcitur mulier, dùm *neque tangeremus*, adiecit. Sed mirum eſt, quomodo incertam dixit mortem pro tranſgreſſione, *ne fortè*: vnde, ait Magiſter diſt. 21. *Deus affirmauit: mulier quaſi ambigendo, illud dixit*. S. Doctor hactenùs excuſari poſſe inquit à culpa, [C] vt potuerit hæſitare, an ſententia illa eſſet data omninò irreuocabiliter; aut quod ſic inferretur, niſi Deus vellet pęnam illam miſericorditer remittere: vel non credidit Deum falſum dixiſſe, & ſic nec Adam poſteà; [D] ſed credidit fortè alio modo intelligendum fore; metaphoricè, vel ad aliquid ſignificandum dictum. Audita huiuſmodi ſecundùm verborum ſaltem ſonum hæſitatione, inualuit ſerpens dicens; *nequaquam morte moriemini*: mulier omiſerat ly *morte*: Diabolus mendacij Pater, infenſus Diuinæ veritati, ex diametro negat: *Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis* &c. *Aſtuta*, inquit Gregorius [E] *eius conſilia, dum dulcia reſonant, ad noxia cor inclinant*. S. Doctor op. 41. [F] interpretatio in deteriorem partem eſt diabolica: fecit Diabolus talem interpretationem Heuæ dubitanti. Mulier credidit [G] verum eſſe, quod ſerpens ſuaſit. Apoſtolus hoc dicit, p. ad Timoth. 2. *mulier ſeducta in præuaricatione fuit*: vbi gloſſa; [H] *hanc propriè ſeductionem appellauit Apoſtolus, per quam id quod ſuadebatur, cum falſum eſſet*, verum eſſe, putatum eſt. Sed hic naſcitur difficultas, quomodo potuerit mulier decipi in ſtatu innocẽtiæ, & ante [I] peccatum, nàm ignorantia eſt pæna peccati, & pœna præceſſiſſet culpam. Sed pluries ſanctus Doctor aſſignat cauſam, non ſolùm citatis locis, ſed alijs: [L] & quidem eſt D. Auguſtini dicentis; *verbis ſerpentis mulier non crederet, niſi iam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de sè ſuperba præſumptio*. Et rurſus; [M] *non eſt arbitrandum*, ait ſanctus Antiſtes, *quòd eſſet hominem deiecturus tentator*, (ſcilicet in exteriorem actum peccati) *niſi præceſſiſſet in anima hominis quędam elatio comprimenda*: quæ quidem fuit primum hominis, inquit Angelicus, peccatum mortale. Si autem quæratur ordo talis elationis, & cauſa. Reſpondetur, præmittendo nouiſſe mulierem ſubſtantiam aliquam ſpiritualem Angelicam, ſiue bonam, ſiue malam ſibi loqui. Cauſam ergo vnam aſſignat Angelicus Doctor 1. ad Timothæum [N] dicens; ſtatim ad verba ſerpentis fuit elata, eo quòd alius eſſet, (tàm nobilis ſubſtantia) de ea ſolicitus. Fortè ergo ad primam propoſitionem interrogationis intumuit, dico ego. Deinde, quia vt inquit Ambroſius, [O] *perturbamur, & à noſtro alienamur affectu, cùm perſtringimur alicuius ſuperioris poteſtatis occurſu*: & ideò turbata fuit etiam Virgo ad Angeli apparitionem. Aiebat autem D. Antonius; *ſi poſt timorem ſucceſſerit gaudium, à Deo ſciatur veniſſe Angelum; quia ſecuritas animæ, præſentis Maieſtatis eſt indicium*: Si autem *incuſſa formido permanet, hoſtis eſt*

[C D. Th. hic.]
[D 2. 22. 1. 1. 1.]
[E Apoc. c. 6.]
[F op. 41. l. 5. 10.]
[G 2. 2. 163. 4.]
[H 2. 2. 163. 1. 4. & op. 2. c. 191.]
[I p. p. 94. 4. & 2. 23. 2. 1.]
[L 2. 2. 163. 1. 4. & 1. ad Timot. 2. l. 3.]
[M p. 2. 89. 1. 2.]
[N 1. ad Timot. 2. l. 3.]
[O 3. p. q. 30. 3 ad 3. op. 60. c. 1. & alibi & Daniel 10.]

qui videtur (licèt in primo limine, ex D. Bernardo, consoletur: gaudens tandem relinquere animam desolatam.) Ad rem nostram, serpens se in Angelum lucis, quoad verba transfigurauit: vnde fuit fortè elata [P] ex blando modo loquendi, & reuerenti verborum expressione. Plura, fortasse præcesserunt verba, quasi introductoria ad tentationem, cuius initium tantùm exprimit Spiritus Sanctus, cætera meditationi relinquens; vt facer stylus succum cum grauitate redoleat. Sic de locutione mulieris ad virum, inquit Magister dist. 22. *dedit viro suo, fortasfus cùm aliqua suasione, quam scripturæ intelligendam reliquit*. Mulier autem, inquit Angelicus, est à natura magis gloriosa, & magis gloriæ cupida; & ideò, alibi [Q] ait, illam seductionem præcessit mentis elatio, qua suam excellentiam inordinatè appetijt, quam concepit statim ad verba serpentis; sicut homines frequenter ad verba adulatoria, supra se ipsos efferuntur: & hæc quidem elatio præcedens, fuit excellentiæ propriæ in generali, quæ est primum peccatum, quod consecuta est seductio, quia credidit esse verum, quod serpens, dicebat; & sic consecuta est elatio, qua determinatè hanc excellentiam appetijt, quam serpens promittebat. Igitur sanctus Doctor sensit ad primam interrogationem, fuisse elatam, vt supra diximus: & fortè Diabolus ly *vobis* emphaticè pronunciauit; quasi diceret *vobis*, tàm magnis, tàm nobilibus, tam liberis, cur? ideò mulier confessa est seductionem dicens *serpens decepit me*. Specialiùs autem explicatur à D. Thoma [R] quam mentem mulier habuerit, & trahitur ex D. Augustino supra citato, *nisi inesset amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio*. Inquit ergo Angelicus, admittens dubitasse, illam dubitationem mulieris in verba prorumpentem, (*ne fortè*) elatio quædam in mente eius præcessit, ex verbis serpentis, quibus solicitauit eam, de hoc quòd præcepto superioris contineretur: statim enim in mentem mulieris surrexit elatio, per quam fastidiuit præcepto Dei cohiberi: & id repetit, [S] dicens, in quandam elationem erupit, quod præcepti mentionem à serpente audiuit, quasi nollet sub præcepto contineri. Licèt autem per esum ligni non tàm facilè appareat posse acquiri scientiam &c. cibus enim agit in ventrem, non in mentem, restaurat corpus non mentem: [T] tamen non visum est incredibile, nec incautè Diabolus promisit, quia in ligno vitæ prodigiosa quoque latebat vis. Detrectauit igitur corde mulier præcepto subijci Dei: sed hæc inobedientia etiam in Adam, fuit [V] secundùm interiorem motum superbiæ, sic in peccato primi parentis fuerunt plures deformitates, scilicet superbiæ, inobedientiæ, gulæ, & alia huiusmodi 1. 2. 82. 2. Declarat autem Angelicus Doctor [X] dicens, quòd huiusmodi reluctatio ad obediendum, siue inobedientia, non potuit esse primò & propter se volita, nisi prius ex alio obiecto esset inordinata voluntas. Sic autem accidit, nàm inordinatè appetijt propriam excellentiam: secutus est autem hic appetitus in muliere elationem præfatam; & excellentia expressa in ly *eritis sicut dij*, illexit magis ac illaqueauit; ex qua in appetitum scientiæ [A] inordinatè pariter prorupit: hinc aiebat Augustinus, [B] *Adam & Heua rapere voluerunt Diuinitatem, & perdiderunt felicitatem*. Docet autem Angelicus [C] quòd non peccauir mulier in hoc, quòd appeteret scientiam eorum, quæ ad ipsam non pertinebant, quia hæc curiositas fuisset; sed in hoc, quòd in scientia eminentiam desiderauit, vt in hoc quodammodo Deo æquaretur; non quidem æqualitate [D] similitudinis, sed similitudine imitationis: tamen vltra hoc, quòd ei competebat; & ideò subdit, appetere similitudinem Dei absolutè quantum ad scientiam, non est peccatum; sed appetere huiusmodi similitudinem inordinatè, idest suprà mensuram suam, peccatum est: verumtamen quantùm ad aliquid appetijt [E] Deo æquiparari, in quantùm sibi inniti voluit, contempto diuinæ regulæ ordine.

P D. Th. hic. Q de veritate 18. a.6. ad 5. R de malo 7. a. 7. ad 13. S p. 2. 89. 3. 2. T D. Th. hic. V Rom. 5. 1. 3. fine & 2. 2. 105. 2. 4. X 2. 2. 163. 1. 1. A 2. 2. 163. 1. 1. B ibi art. 2. C 2. 2. 1. 1. ad 5. D 2. Annib. 22. q. 1. a. 1. ad 1. E 2. 2. 163. 1. c.

6 Et si roges specialim quid intenderit Heua, in ly *eritis sicut Dij* &c. Dicendum, quòd post illam superbam elationem, quæ fuit peccatum mortale, vt dictum est; maiorque in illa, [F] quam in viro, quia credens ita esse, vt dixerat serpens, adhùc appetijt tanta superbia, vt contra Dei voluntatem voluerit id obtinere; ad suggestionem Dæmonis, quæ post, mente phantasiæ corruptæ ad impressionem, non appetijt similitudinem Dei in naturalibus, hanc enim sciebat se habere; neque quantum ad cognitionem rerum, hanc siquidem indiris scientijs habebat: quare intellexit similitudinem furari in potestate, & sic scientiam voluit boni, & mali; idest per propriæ naturæ virtutem, determinare sibi quid esset bonum, & quid malum ad agendum, vel etiam per se cognoscere, quid sibi boni vel mali esset futurum. Itaque quasi legifera concupiuit esse, & genethliaca. Secundariò etiam peccauit appetendo similitudinem Dei quantum ad potestatem operandi, vt scilicet virtute naturæ operaretur ad beatitudinem consequendam, tanquam præPelagiana. Hæc fermè ad verbum D. Thomas: [G] quæ de viro censenda sunt, licèt non tanta contumacia se gesserit, vt dicemus. Tamen etsi appetierit virtute propriæ naturæ beatitudinem consequi, debet intelligi, vt exponit Angelicus, [H] non quòd etiam quantùm ad modum habendi suam beatitudinem voluerit æquiparari Deo, nàm non est credendum, vt ibi primo argumento ait Augustinus, *quòd vir spirituali mente præditus, esse voluerit sicut Deus*; sed à Deo, & sub Deo, secundùm quod in omni natura operatur: gratiæ itaque ordine & neglecto & contempto. Sic etiam Angelus.

F 2. 2. 163. 4. & 2. Annib. 22. q. 1. a. 2. c. G 2. 2. 163. 2. c. H 2. d. 5. q. 1. a. 1. & d. 22. q. 1. 2.

VERSVS VI. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum, ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius* &c.

7 *Vidit*, potest exponi quòd probauerit; atque adeò quòd etiam dæmon ligni commendatione illexerit, vnde apponitur illatio illa *igitur*. S. Doctor [I] refert ly *vidit* ad Cogitatum; & sanè quod esset lignum ad vescendum suaue, quod ponitur ante pulchritudinem & deceptionem, non potuit nisi cogitatione teneri. Peccauit ergò mulier peccato etiam gulæ, sed ex fine superbiæ, ex qua processit [L] ad actum gulæ: vnde bonitas, & pulchritudo cibi non [M] fuit primum motiuum ad peccandum, sed suasio serpentis. Op. 2. c. 190. ait D. Thomas Heuæ peccatum multiplex inuenitur: primò

I D. Th. hic. L 2. 2. 148. 3. M 2. 2. 163. 1. 2.

qui-

quidem ſuperbiæ, qua inordinatè excellentiam appetijt. 2. curioſitatis, qua ſcientiam vltrà terminos præfixos concupiuit. 3. gulæ, qua, ſuauitate cibi, permota eſt ad edendum. 4. infidelitatis, per falſam æſtimationem de Deo, dum credidit verbis Diaboli contrà Deum loquentis. 5. inobedientiæ, præceptum Dèi tranſgrediendo. Defecit igitur Heua, & hæc ſunt initia doloris. At vtinam ſtetiſſet Adam: non in hac miſeriarum eſſemus valle. Certum eſt enim, Heua peccante, & non viro, transfundendum non fuiſſe originale; [N] quia ſecundù n Philoſophos, principium actiuum in generatione eſt à Patre, materiam verò mater miniſtrat: peccatum autem originale traducitur à primo parente, in quantum mouet ad generationem natorum, iuxtà quod, habet rationem principij, vt dictum eſt ſuprà. Aliquibns tamen viſum eſt, quòd illi qui naſcerentur ex Adam non peccante, & Heua corrupta, [O] eſſent paſſibiles, & mortales; propter hoc quòd illa ſequnntur ex neceſſitate materiæ: non quaſi in pœnam, ſed quia ſunt defectus naturæ: non tamen contraherent peccatum. Et hoc ipſum non improbauit [P] in 2. dicens, naſcituros tamen ſine defectibus, qui ſe tenent ex parte animæ. Sed prima 2. citata, & in diſputatis de malo, inquit, non videri id conueniens, quia immortalitas, & impaſſibilitas primi ſtatus non erat ex conditione materiæ, ſed ex originali iuſtitia: ſi autem Adam non peccaſſet transfudiſſet originalem inſtitiam in poſteros: ad qnod pertinet, vt non ſolùm anima ſubdatur Deo, ſed etiam corpus ſubdatur animæ. Si tamen è conuerſo Adam peccaſſet, Heua non peccante, filij nati fuiſſent [Q] infecti. In primo autem caſu, fortè Heua in peccato ſuo ſecundùm quid originali, mortua fuiſſet, & Deus aliam vxorem ei prouidiſſet. Sed quis poteſt ſcrutari conſilium Dei? Interim verè dicitur cum Eccleſiaſtico c. 25. *à muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.* Quod expendens D. Thomas ad Galat. 5. l. 3. firmat iterum, quòd ſi Adam non peccaſſet, Heua peccante, non per hoc fuiſſet peccatum traductum ad poſteros; quia cum peccatum originale traducatur ſimul cum natura, ſicut per virtutem actiuam viri, muliere materiam miniſtrante, natura traducitur, ita & peccatum originale. Illa enim eſt cauſa, quare Chriſtus peccatum originale non traxit, quia ex ſola fœmina, ſine virili ſemine, carnem accepit. Docet autem Caietanus p.p. q.95. a.1. quòd quamquam Heua peccans perdiderit ſtatim gratiam gratum facientem, non tamen ſtatim amiſit originalem iuſtitiam, cuius illa erat radix, nàm ſubmota radice, poſſunt aliquandiù rami viuere. Probat, quia nondum erubeſcebat, cum tamen nuda eſſet; non totaliter ergò euſque amiſerat effectiuè huiuſmodi donum: ſimpliciter autem adimenda reſeruabatur peccato Adæ, ſecundùm ordinem diuinæ Prouidentię omnia pręſcientis; vt donum naturæ, de quo principium generis inueſtiuerat, ab eodem priuſquam ab alijs auferretur. Morale colligit Angelicus [R] ex Heuę caſu, quia frequenter per oculos mors intrat ad animam: & iterum ex Hieronymo, [S] quandiù Heua in Paradiſo abſtinuit, Virgo fuit: quàm citò abſtinentiæ præceptum violauit, corruptionem ſenſit.

N p.2. 81. 5.

O de malo 4. a. 8. ad 5. & l. cit.

P 2. d. 31. 3. 1. 4.

Q 1. l. c.

R op. 41. l. 5. 18.

S op. 41. l. 5. 52.

Dedítque viro ſuo qui comedit. Summariè fa- 8
cer textns tentationem mulieris, lapſumque Adę perſtringit: nihilominus, vt ait Magiſter in 2. d. 22. *fortaſsli cum aliqua ſuaſione, quam ſcriptura intelligendam reliquit* vt vidimus: immo cum enarratione eorum, quæ audierat à ſerpente; quibus tamen non dedit ipſe fidem; *non enim fuit ſeductus Adam*, inquit Apoſtolus 1. ad Tim. 2. Ex auditis tamen etſi non fuerit ſeductus, (non enim habuit primam elationem mulieris) excitatus eſt infelix in appetitum ſomniatę excellentiæ, atque adeò ſuperbiuit: ex quo conſtat, illius appetitum fuiſſe ſub conditione, [T] ſi poſſibile foret: vnde non fuit tam procax, vt vellet diuinam ſimilitudinem conſequi contra Dei voluntatem; ſed in hoc ſuperbiuit, [V] quòd voluit eam conſequi per ſe ipſum; de quo, ſupra dictum eſt. Et addi poteſt, vt propria ratione [X] abſque ſuperioris lege vel mandato, ſe & ſibi ſubdita gubernaret. Aliquam tamen dubitationem in ipſum etiam talis ſuperbia iniecit; vnde exemplo mulieris, quæ præuaricata fuerat nec tamen mortua, ad experiendum inclinabatur, vt ait Auguſtinus; tandemque amicabili beneuolentia, [A] ne vxorem contriſtaret, multipliciter fortè ſuadentem, comedit; eo vel maximè, quòd vt idem ait Auguſtinus, *inexpertus diuinæ ſeueritatis, æſtimauit ſe in Dei oculis ita charum, quòd ſententiam de morte, non exequeretur ſuper eum*, & credidit quòd facilè ei remitteretur. Itaque & ipſe, vt dictum eſt, ex ſuperbia proceſſit ad actum gulæ; quæ tamen gula & in ipſo mortalis culpa fuit, non ſolùm propter inobedientiæ caput, ſed quia cibum comedit, [B] ex quo tota conditio eius vitæ immutanda erat. Tunc ergo iacta eſt alea: perijmus infeliciter omnes: (Magiſter in 2. diſt. 23. aliorum in perſona inquit, de primis parentibus; *cur voluntatem eorum non vertit in bonum? Et reſpondet, quia noluit; cur noluit, ipſe nouit: non debemus plus ſapere, quàm oportet ſapere.* Et ibi D. Thomas 2. 2. vtrum Deus debuerit permittere hominem tentari, vel peccare.) At ruina noſtra fuit ex elatione & ſuperbia, vt colligit [C] ſapientiſſimè Angelicus dicens; ibi fuit primum peccatum hominis, vbi potuit eſſe primus appetitus inordinati alicuius finis; non potuit autem eſſe prima inordinatio appetitus humani, ex hoc quòd appetierit aliquid ſenſibile bonum, in quod carnis concupiſcentia tendit præter ordinem rationis, quia in ſtatu Innocentiæ, nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum; ergò primò appetiuit bonum ſpirituale: non autem inordinatè appetiuiſſet, ſi ſecundùm ſuam menſuram ex diuina regula præſtitutam; ergo peccauit in quantùm appetijt ſupra menſuram; quod pertinet ad ſuperbiam. Sed ſic appetendo altitudinem, deiectus eſt. Lignum ex interiori ſuperbia eſum attulit naturæ [D] languorem: (quod eſt formale originalis peccati ex carentia donatæ iuſtitiæ) noluit ſubijci Deo, & cecidit ſub tyranno; in quantùm per inordinationem inferiorum virium, iniuſtè & quodammodo tyrannicè, ratio in ſeruitutem peccati trahitur: noluit teneri legi Dei, & ſubditus fuit legi carnis, legique membrorum. Rectè ergo dicitur Eccleſiaſt. 10. *initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo*; &, *initium omnis peccati*

T 2. 22. 1. 3. & Annib. a. 2.

V 2. 2. 163. 4.

X 2. Annib. 21. 2. 1. 1. & alio ſcripto d. 21. q. 1. 2. ad 2.

A D. Th. hic 2. 2. 163. 4. 2. & 3. & 2. ſent. cit. & 1. Tim. 2. l. 3.

B 2. 2. 154. 2. 6.

C 2. 2. 163. 1.

D 2. 10. expoſitione textus.

ſuper-

E p.2.84. 2. & 2. 2. 162.7. F 2. 22.1. a. 1. ad 1. & 6. & d. 43. 6.

superbia. E Ex hac elatione, quæ Adam traxit in electionem falsò promissæ similitudinis Dei, oculus mentis F fuit impeditus, ne actualiter veritatem diuini dicti, (prout oportebat) attenderet, vnde intercessit vnà simul omissio quędam, quia non habuit ad Deum recursum, & diuini præcepti pondus non tanti fecit, putans illud peccatum esse veniale, idest de facili G remittendum.

G 2. 2. 163.4.3.

Huius sopiti & somniculosi discursus fuit occasio tentator; suppressit enim impius terrificæ potestatis vocabulum. Sanè ex D. Ambrosio; H *Dominus nomen est potestatis*.

H 1. Timoth. 6. l. 3. & Io. 13.l.3.

Non est mirum ergo, si Diabolus ab Adam & Heua longè proscripsit timorem, dum *Deum* vtique, sed *Dominum* nunquam dixit. Leuitici 19. ad singula, quæ tradit præcepta, addit, veluti calcar cæcæ obedientiæ clausulam, per quatuordecim sanè vices; *ego Dominus*: vnde Malachiæ primo legitur; *si ego Dominus, vbi timor meus?* Obseruatione igitur magna dignum est, quanta calliditate sit serpens locutus: *cur præcepit vobis Deus?* & iterum; *scit enim Deus*. Pariter occęcata mulier, *præcepit* inquit *nobis Deus*; nunquam de dominatu facta mentione: quod non perperam factum esse indicat sacer textus, anteà, & post immediatè *Dominum* dicens, impræteermissè pluries, quoties occurrit. Sic & assecla Diaboli Iudas, nec ad pedum ablutionem creditur *Dominum* appellasse, sed *Rabbi*, sicut in Horto; *Aue Rabbi*. Petrus quidem *Domine* ait, *tu mihi lauas pedes?* Oblitus itaque Dominum, non semetipsum perpendit seruum; idcòque non mirum, si vt I seruus noluit teneri præcepto: nunc D. Thomas op. 41. l. 5. c. 36. inobediens Deum pro domino verè non habet; etsi ore Dominum vocet.

I 2.2.163. 2.2.

9 L D.Th. hic.

Quæri potest de tempore & hora, qua peccauit Adam. Respondet hic Angelicus L dicens ad illa verba; *ad auram post meridiem*; idest hora nona; nàm sexta hora, secundùm quosdam peccauit. Alibi autem animaduertit M Christum Dominum mortuum hora nona, idque competere transgressioni primi parentis; quia Adam post meridiem peccauit; ideò Christus satisfacere voluit illa hora.

M Matthæi 27.

Et in psalmum 29. ad illa verba; *ad vesperum demorabitur fletus*, inquit; N post meridiem vergente iam Sole ad occasum, peccauit Adam: vnde litera Hieronymi, ait hic Angelicus, habet, *ad vesperum*.

N in ps. 29.

VERSVS VII. *Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*.

10 O 2. 2. 164. a. 2. ad 9.

Sicut Augustinus dicit, O non est credendùm, quòd primi parentes essent producti clausis oculis, præcipuè cùm de muliere dicatur, *vidit lignum, quòd esset pulchrum: aperti ergo sunt oculi amborum* ad aliquid intuendum & cogitandum, quod anteà nunquam aduerterant; scilicet, ad inuicem concupiscendum, quod ante non fuerat. Hinc Angelicus, P Adam factus inobediens suo superiori, inobediens habuit suum inferius: & glossa Augustini, super hunc locum; *anima rationalis motus bestiales in carne sua erubuit*; & subdit; *motus iste de transgressione veniebat*. Quamuis priùs scirent se nudos; hoc tamen dicitur, quia priùs non habebant id sicut verecundum. *Consuerunt*, Q fortè cum aliqua herba, vel iunco tenui ad modum fili; *& fecerunt sibi perizomata*, idest circumcinctoria quasi braccas instar lombaris, à *peri*, quod est circum, & *zoma*, quod est corpus; hinc R Bernardus, *qui gloriatur de veste, similis est furi glorianti de canterio, quia propter peccatum Adæ, vsus vestium introductus est*.

P op. 41. l.5.37.

Q D.Th. hic.

R op.41. l.5.c.55.

VERSVS VIII. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso &c.*

tt

Deus qui de se ipso loquens Malachiæ 3. *ego Dominus, & non mutor*: nunc perhibetur moueri, sed vt inquit S S. Doctor, metaphoricè intelligendum est.

S 4.cont. Gen.23.

Explanat autem in quo fundetur huiusmodi figurata locutio quæ potest dici *Anthropopathos*, T his verbis; dicitur Deus motus, sicut ad omnia ambulans seù procedens: & magis lectione 4. quia scilicet circà diuersa suam præsentiam exhibet, nosque diuersis adesse non possumus nisi moueamur: & alia etiam ratione in quantùm perueniunt ex sua Prouidentia, ad omnia existentia, operationes, & processiones suorum donorum.

T in Dionysium de Diuinis nominibus c. 9.l.1.& 4.

Sic sapientiæ 7. dicitur; *omnibus mobilibus mobilior est sapientia*. Ad rem ergo. adfuit Dominus primis Parentibus tanquam Iudex; V sed huiusmodi apparitio motum expressit, quia sui alicuius doni, nempe timoris ad pęnitentiā inducentis, deriuatio fuit.

V D.Th. hic.

Sanè secundum Gregorium, X *in via Dei à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur*: nàm hæc est praxis conuersionis.

X Apoc. 14.

A Timor autem non solum initialis, quo refugimus peccata vel separationem à Deo ex incurrenda vindicta; B Sed etiam timor, quo refugimus pœnam Dei, secundum quòd Deum timemus, laudabilis est: quamuis in quantùm nondùm refugit peccatum, sit malus seruilitate vigente.

A 3 p.85. 5.

B Rom. 8. l. 3. & 2.2. 19. 4.

Incussit ergo Deus timorem parentibus, quem priùs non habuerant relicto Domino Deo. Magna Dei læsi clementia, & dignantis irradiatio Sapientiæ. Sap. 10. *vt educeret hominem à delicto suo!* Inquit Angelicus; C *primus actus timoris, qui est timor gehennæ, præparat locum charitati, & eam tandem introducit, sicut seta vel acus filum*, vt ait Augustinus; hinc Spiritus Sanctus, *qui sine timore est, non poterit iustificari*. Ecclesiastici 1.

C 1. Ioan. c 4.

Respondet exterior Adæ fuga interiori motui, nàm, vt inquit Augustinus D *timor animi fuga est; progrederis animo cum appetis, fugis animo, cum metuis*. Quàm verùm est quod ait Gregorius, E *pœna oculos aperit, quos culpa clausit!*

D p. 2. 113. 5.

E Apoc. 15.

13 F D.Th. hic.

Iudicem ergo suum sentiebant, non F tantū fide, non tantum mente, sed etiam corporali specie, nam vt diximus suprà, & hæc fuit apparitio visibilis ministerio Angeli, Dei personam gerentis facta. Quam vocem audierint non dicit Sacer textus. Iratum certè Deum prodidit sonus ille. Quemadmodum ait Augustinus; *iam si extorserit vocem, indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum eruptione ipsa testantem*: indignationē sine dubio zeli. Ex quo fortasse reluxerunt G quædam diuinæ Maiestatis insignia, & auctoritatis; vnde emittebatur audientibus sensus Diuinæ præsentiæ.

G D.Th. hic.

Quæritur quomodo Adam fuit ita demens, quod Deo, cuius oculus intima omnium rerum penetrat, se occultabat. Respondet Augustinus, non esse mirum, si ex passione pudoris, & timoris, fecit aliqua dementiæ similia; cùm & hominibus prudentibus, ex pas-

ſionum vehementia id poſſit accidere. *Ad auram* deambulabat Dominus, ad modum refrigerium quærentis in Horto propter nimium æſtum, æſtuabat enim in hominem iuſta ira. Notant ex radice hebræa, *ad auram*, ideſt *contrà auram*. Vbi Abulenſis; *qui contra ventum ambulat, tardiùs mouetur: ſic Deus ad puniendum peccatum primorum parentum tardus veniebat, quia Deo miſereri proprium ſemper & parcere*. Sed ipſe dixetim, *ad auram*, ideſt ad Spiritus Sancti, *qui ferebatur ſuper aquas*, dulcedinem ſpirandam, & reſpirandam. *In medio ligni*; ideſt, in medio lignorum.

VERSVS IX. *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei vbi es?*

H D.Th. hic.

Vocat Adam ad comparendum [H] coram Iudice pro meritis recepturum; culpa enim ſua coram Deo ipſum accuſabat. Adam vbi es? quæſtio non quidem Dei ignorantis, ſed eius reſponſionem, de miſeria in quam eeciderat, extorquentis. Dans etiam per hoc [I] intelligere, quòd quaſi neſciat peccatores, iuxta illud Matthæi 7. *nunquam noui vos*: & ſecundùm gloſſam, [L] per hæc inducitur Adam ad cognitionem peccati. Vocat etiam Dominus Adam, figurata interrogatione, ceu comminatus; idque ex dilectionis ardore, *opera manuum ſuarum non deſpiciens*. Pſalm. 137. *Rugire quippe videtur vt Leo; intonat de cælo Dominus & altiſsimus dat vocem ſuam*. Pſal. 17. *ſi habes brachium vt Deus*. Iob 40. *& voce ſimili tonas; ſed, fulgura in pluuiam facit*; quia eſt Agnus, de cuius ſub pede fons viuus emanat. Magis proprium eſt Deo [M] miſereri & parcere, quàm punire, propter eius infinitam bonitatem; illud enim ſecundùm ſe Deo conuenit, hoc autem ſecundùm noſtra peccata. Quamuis eluceat etiam iuſtitia, iuxta illud Auguſtini; *iuſtitia eſt in miſerendo miſeris*; quem fert D. Thom. in ſerm. Sancti Franciſci; & iuxta Anſelmum dicentem; *Cum punis malos, iuſtum eſt, quia illorum meritis conuenit: cum verò parcis malis, iuſtum eſt, quia bonitati tuæ condecens eſt*: De quo idem D. Thomas in 4. 46. 2. 2. ad 3. de veritate q. 28. 1. ad 8. & p. p. q. 21. 1. 3. Vocat ergo Adam; quia Romanorum 4. *viuificat mortuos. & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*; ideſt, inquit Angelicus, [N] *gentiles ad gratiam*. Significat autem gentiles, *per ea quæ non ſunt*, quia erant omninò alienati à Deo: ſicut 1. Corinth. 13. *ſi charitatem non habuero, nihil ſum*. Sanè ſi corporeis oculis, foret qui eſt in gratia & charitate viſibilis, in peccatum lapſus euaneſceret ab oculis, tanquam non eſſet: potiſſimum, nobiliſſimumque eſſe amittit peccator, dum gratiam, quæ eſt diuinæ naturæ prout in ſe eſt, participatio, non habet. Vocat Adam; per Adam vocari volens vxorem: *quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit*. Rom. 8. *& quos vocauit, hos & iuſtificauit*. Interrogatur autem prior Adam, quia ipſe erat principalior; & corruptio generis humani, magis ad ipſum ſpectabat. [O]

I in lo.c. 11.l.5.

L 4.22.q. 2. 1. q. 2. 2.

M 2. 2. 31. 2.

N Rom. 4.l.1.

O D.Th. hic.

VERSVS X. *Qui ait, vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me*.

Quali tremore, colligitur ex timoris effectibus; tremit vox, tremit labium, tota tremit mandibula; tremunt manus, & brachia, genua tremunt, prima 2. 44. articul. 3.

VERSVS XI. *Cui dixit Dominus: quis enim indicauit tibi, quòd nudus eſſes; niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?*

Procedit Dominus more hominum inquirentium occulta, per patentia: [P] inobedientia autem in comeſtione conſtiterat, velut Iudici in foro exteriori; & huic inobedienti cibationi, tanquam conſummatæ ſuperbiæ, cognitam nuditatem attribuit. Prou. 29. *ſuperbum ſequitur humilitas*: & Apoc. 3. *Veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio, nuditatis tuæ*.

P D.Th. hic.

VERSVS XII. *Dixitque Adam: mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi*.

Excuſatoriam facit delicti confeſſionem.

VERSVS XIII. *Qui dixit ad mulierem: quare hoc feciſti? quæ reſpondit; ſerpens decepit me, & comedi*.

Obſerua mulieris, quæ mollierat virum, confuſam mentem. Dominus interrogat quare dederit viro? & ipſa de ſe loquitur, *ſerpens decepit me*. Prona cum Adam ad excuſandum ſe, vterque in alium refert [Q] peccatum ſuum, vt alleuient: non tamen ex toto excuſabiles; quia habuerant libertatem, ſcientiam, cognitionem, & gratiam, quibus poterant peccato reſiſtere.

Q D.Th. hic.

VERSVS XIV. *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem; quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia &c.*

Dicit Auguſtinus, non interrogaſſe ſerpentem; quia hoc fecerat non per ſe ipſum, [R] ſed per diabolum mouentem ipſum: & alibi; [S] *ſerpens non eſt interrogatus cur hoc fecerit, quia non in ſua natura ipſe hoc fecerat; ſed diabolus in illo, qui tam ex peccato ſuo, igni deſtinatus fuerat ſempiterno*. Quod autem ſerpenti dicitur, ad eum, qui per ſerpentem operatus eſt, refertur.

R D.Th. hic. S 2.2.165. 2.4.

Maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ. Pecora illi præponuntur, non in poteſtate [T] ſed in conſeruatione naturæ ſuæ, quia pecora non amiſerunt beatitudinem aliquam cœleſtem, quam nunquam habuerunt, ſed in ſua natura, quam acceperunt, peragunt vitam. Pergit Dominus fallacis & callidi ſerpentis Inferni detegere, & coram primis Parentibus propalare verſutias, & aſtus; quo diabolo cedat in ſupplicium, eruditam eſſe, & monitam Adæ poſteritatem, de arte & armis, quibus præcipuè impugnare poteſt & fallere. Deinde modum, quo, & ipſius poſſit reſiſti inſidijs, tradit; & ſic vt ait Auguſtinus, *nùnc quidem* [V] *diaboli pœna, quæ nobis cauendus eſt, dicitur, non ea, quæ vltimo iudicio reſeruatur*. Igitur: *ſuper pectus tuum gradieris; & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Secundùm aliam literam dicitur, *pectore & ventre repes*: vbi [X] nomine pectoris, ſignificatur ſuperbia, quia ibi dominatur impetus animi; nomine autem ventris, ſignificatur carnale deſiderium, quia hæc pars mollior ſentitur in corpore; His autem rebus, ſerpit ad eos quos vult decipere. Et quod dicitur, *terram comedes*, tertium genus tentationis, ideſt cupiditatis ſignificat. Quod hic ſcripturæ ſacræ ad reuerentiam & maieſtatem, obſcurè & ænigmaticè dicitur,

13

T l. c.

V 2. 2. 165.2.4.

X l. cit.

vt

vt astruatur in hominibus humilitas, quando præ superbia ab innocentiæ statu exciderunt. Palàm ab effectibus in mundo visis, prompsit Ioannes; *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis*; (hæc ad ventrem) *concupiscentia oculorum*; (hæc ad terram) & *superbia vitæ*; quæ ad pectus potest referri. Aliam expositionem de huiusmodi cupiditate tangit Angelicus dicens, accipi cupiditatem pro curiositate; terram enim qui manducat, profunda & tenebrosa penetrat: per hoc etiam studet diabolus homines ad Infernum trahere; qua via & Adamum decepit, vt curiosè comederet. His figuratè dictis lumineque gratuito intellectis, potuit Adam sobolem de diaboli astu instruere & commonefacere. Vel; si superbia, & carnalibus affectionibus quicquam efficies maligne serpens, non nisi *terram comedes*; non nisi peccatores vorabis, quos terrena cupiditate deceperis: nullum rapies prædestinatum ad gloriam, *non rapiet eas quisquam*, dixit Io. 10. Saluator *de manu mea*. Qua extabuerit inuidia his auditis inuidus spiritus! Per terram significari peccatores, hìc docet Angelicus aliisque locis. [A] Apocalypsis 12. ad illa verba; *proiectus est in terram*, idest in hospites terrenos; quia terrenorum amatores grauiùs impugnant, quando vident se ab electis expelli, & non habere locum in eis; dictum est enim serpenti, *terram comedes*. Et Apocalypsis 7. ad illud, *ne flarent super terram*, idest super homines amantes ea quæ sunt terræ; & ita efficiuntur terra per vilitatem: Augustinus; *talis est quisque, qualis sua dilectio; si terram diligis, terra eris*. Item Augustinus; *dictum est diabolo terram manducabis: datus est ergo in cibum diabolo peccator; non simus terra, si nolumus manducari à serpente*. Vtitur autem Sacra Scriptura hac phrase comestionis, quia vt inquit D. Gregorius; [B] *membra diaboli sunt omnes iniqui*: vnde sicut Christus per se & per suos semper studet membra diaboli præscindere, & suis membris incorporare; secundùm illud Actorum 10. *surge Petre, occide manduca*; sic diabolus per se, & per suos. Potest intelligi etiam, *supra pectus tuum ambulabis*, seu *gradieris*; idest *semper eris in peccato*: sic exposuit Origenes, nec improbat D. Thomas p. p. 63. a. 6. 2. & potest explicari, quia nunquam ad gloriam faciem est erecturus. Posset etiam intelligi damnatus ad pœnas Inferni, quibus *omnibus diebus*, vtique interminis, suffocabitur; nàm secundùm Gregorium [C] *Infernus est sub terra*. Et super illa verba [D] *proiectus est in terram*; idest, in Infernum qui est intra terram secundùm Gregorium; & ipse etiam Infernus quandoque terra dicitur, ratione firmitatis; vnde Iob 10. *terram miseriæ*. Igitur & serpenti vt dicitur Isaiæ 65. *puluis panis eius*: serpentique [E] assimilantur, qui non quærunt nisi puluerem terrenorum; & [F] alibi; *serpenti*, idest terrenis *puluis panis eius*; nam mysticè, terrigenæ dicuntur peccatores, qui terræ adhærent, vnde serpenti comparantur.

A D. Th. hic & ps. 18. ad calcem.

B op. 58. c. 14.

C Apoc. 1.

D Apoc. 12.

E Apoc. 9. 1. commentario

F ps. 48.

VERSVS XV. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*.

14 Ne eat superbus, deceptor serpens, quòd quamquam detecti sint astus, tamen in malum proficiet, dum repet super pectus, & ventrem terramque comedet, ad intentanda huiusmodi permittendus; figuratam locutionem pœnaleque punitionem actura & auctura Diuina Maiestas, quo superbiam ipsius retundat: non de viro attexit sermonem; sed de imbecilliori potiùs sexu; vt repellendus à muliere, cui audaculus insultaret; ad virum, obsita via, appropinquare desperet.

Pendet literæ huius intellectus ex significato per serpentem, & per mulierem. D. Augustinus in libro 1. contra [G] Manichæum; serpentem attribuit sensui; mulierem, concupiscentiæ, vel sensualitati; virum, rationi, dicens, *si cupiditas nostra mota fuerit, tam quasi mulieri persuasum est; sed aliquando viriliter ratio commotam cupiditatem refrænat atque compescit; quod cùm fit, non labimur in peccatum*. Verum in 12. de Trinitate; serpentem attribuit sensualitati; mulierem inferiori rationi; virum superiori. Hanc expositionem sequitur D. Thomas [H] pluribus locis. Significatur autem per serpentem, quia sensualitas, quæ dicit vires interiores, fomite corruptas, inclinat ad malum; concupiscibilis quidem in delectabile, irascibilis in arduum præter ordinem rationis; sicut serpens inclinauit mulierem in affectum peccati. Hinc expressè [I] inquit, in quolibet genere peccati inueniri ordinem primæ tentationis; in quantùm videlicet, præcedit in sensualitate, quæ per serpentem signatur, peccati concupiscentia; in ratione inferiori, quæ signatur per mulierem, delectatio; in ratione superiori, quæ signatur per virum, consensus peccati, ex Augustino. De ratione superiori & inferiori [L] tractat præcipuè S. Doctor. Exponit itaque in disputatis, quomodo ratio superior deliberet de agendis, puta, ex hoc quòd aliquid Deo est acceptum, vel diuina lege præceptum, vel aliquo huiusmodi modo. Iudicium autem inferioris rationis accidit, cum deliberatur de agendis, per causas inferiores; vtpote considerando turpitudinem actus, dignitatem rationis, hominum offensam & huiusmodi. Consensus ergo in actum attribuitur rationi superiori, quæ finem vltimum respicit; sed delectatio siue delectationis complacentia sine consensu, attribuitur rationi inferiori ab Augustino. Mulier igitur, quæ primò in apprehensa sui excellentia, elata mente sibi complacuit, præceptique Diuini vim omninò neglexit ac spreuit, iure in rationis inferioris typum aptatur: altissimus proinde sermo Domini, quo serpentis superbam calcet præsumptionem, *inimicitias* inquit *ponam inter te, & mulierem*; ne credas, semel deceptam atque deuictam tuis suggestionibus, ceca pareat deinceps mente: non tibi facilè fidem dabit, quia inimicitias ponam: *inimico suo non credet in æternum*; Eccl. 12. Vbi videtur ad rem, de serpente alludi; subditur enim; *Et si humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & custodi te ab illo*.

G de veritate 15. a. 4. ad 7.

H p. p. 81. 1. 3. & ar. 3. ad 1. 1. p. 18. 2. 2. & 1. ad Annibal. d. 17. 2. 3. & p. 2. 74. 3. & 1. Caruch. 13. l. 1.

I 1. 2. 165. 2. conc.

L p. p. 89. 9. & de veritate 15. a. 5.

Ponam inimicitias. Ac si dicat, perpetua erit pugna; nàm *ponere* sonat stabilitatem, iuxta illud; *præceptum posuit, & non præteribit*; & ita cum *posuit hominem in Paradisum*, quantùm ex Deo fuit, ibi perennasset ad finem. Durant inimicitiæ positæ, nàm Galat. 5. *caro concupiscit* vtique *aduersùs spiritum*; *spiritus* tamen etiam 15

aduersùs carnem; eò vel maximè, quòd assistentiam habet viri, nempe rationis superioris: vnde, si *oculus Iacob in terra*. Deut. 33. Si ratio inferior temporalia attendit; *Israel*, quod interpretatur, *vir videns Deum*; [M] ratio superior rebus æternis intenta, tanquam Dux pugnæ fortior venenatam sensualitatem vincit & necat. Hinc D. Thomas; [N] per hoc autem quòd inimicitiæ ponuntur inter serpentem, & mulierem, ostenditur nos non posse à Diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem gerit, siuè ostendit. Semen autem Diaboli est peruersa suggestio; semen mulieris, fructus boni operis; quo peruersæ suggestioni resistit. Hæc D. Thomas. Præterquam, cum nobis sint insita semina virtutum, his velut armis vtitur ratio inferior, ad bonorum operum fructus, postquam maturuere, custodiendos. Denique inquit Dominus; *ipsa conteret caput tuum*; nam ratio inferior obseruare facilè potest caput serpentis, vt eum, inquit Angelicus, in ipso initio malæ suasionis, serpentinæque suggestionis, excludat: quod fuerit conterere caput eius, nàm si quis principijs obstet, tentationem extinguit. Pandit Dominus tandem subdoli tentatoris, ne occultum quid moliatur, externi conatus insidias, quo dum illas prænouimus caueamus. Per calcaneum ergò, extrèmum vitæ signatur: tùnc, quia oppressos ægritudine, ac in angustijs ad pœnitendum, nos inuenit, nisibus totis callidè aggreditur: Sed nos commonefacti, quod insidiatur calcaneo, prænia præparatione eludemus astus. S. Doctor [O] *insidiaberis calcaneo eius*, quia in morte maximè insidiatur Diabolus. Vel *insidiaberis calcaneo eius*, [P] idest, *insidiaberis* ei vsque ad extremum vitæ. Ne igitur somniculosi torpeamus ad aspidis morsum: immò *super aspidem & basiliscum*, toto exilij cursu, *ambulemus*. Psalm. 90. & *conculcabimus Leonem & Draconem*: Draconem insidiantem, Leonem ferocientem: de quo aiebat Propheta; *ne quando rapiat vt Leo animam meam*. Ps. 7. Cassianus l. 4. c. 37. *Versutus serpens calcaneu nostra semper obseruat, idest insidiatur exitui nostro, & vsque in finem vitæ nostræ nos supplantare conatur: Et ideò bene cæpisse nihil proderit, si congrua etiam finis similiter non commendauerit, atque concluserit*.

Aliam expositionem de muliere fert Angelicus, [Q] quæ tenet figuram Ecclesiæ: *ipsa conteret caput tuum*. Vitium superbiæ caput est antiqui serpentis; cuius capitis contritioni maximè est insistendum. Serpens modica percussione capitis occiditur: si capiti parcatur, frustra cætera membra ipsius percutiuntur, amputata enim cauda, nihilominùs viuit: Sic frustrà alia vitia à se amputare nititur, qui superbiam non relinquit. Hieronymus; *lubricus est antiquus serpens; & nisi capite teratur, totus statim illabitur*. Ecclesiastici 25. *non est caput nequius super caput colubri*: contrito hoc capite, facilè alia vitia destruuntur: & cap. 21. *quasi à facie colubri fuge peccata*. Chrysostomus; *Tolle vitium hoc, vt non velint homines hominibus apparere; & sine labore omnia alia vitia resecabuntur*. Alibi etiam, [R] pro muliere exponit Ecclesiam, vbi dicitur; *& iratus est Draco in mulierem. Et tu insidiaberis calcaneo eius*; idèst minoribus, qui erunt in fine; quamquàm nec hos omnes vincet, &c.

Hæc dicta per punitiuam sententiam serpenti infernali, capiuntur etiam in animal ipsum, tamquam in nequitiæ instrumentum à Deo prolata, vt id quo vsus est Diabolus horridum sit. Sic bruta animalia quæ carent ratione, iussa sunt interfici pro peccato Amalecitarum: [S] vindicta enim in huiusmodi exercetur, quia per hoc puniuntur illi quorum sunt; & iterum propter detestationem peccati. Hoc ad rem nostram facit. Ad quædam ergo, quæ habuit tale animal ex sui natura, arctatur etiam in pœnam: vt quòd supra pectus gradiatur, vt comedat terram: ex quo odiosum euadit mulieribus, præsertim post peccatum pauentibus: vnde fermè viget inimicitia, conceptò horrore speciali ad venenosum id animal: ex quo velut rationis esset compos, dum talem timorem incutit & horrorem, inimicitias & ipse habere dicitur cum muliere, illiusque calcaneo, tanquam proximiori insidiari. Ita [T] D. Thom. Præterquam hanc mulieris & serpentis antipathiam sic nonnulli deprehensam scribunt, vt si in turba frequentissima virorum vna dumtaxat sit mulier, serpens ipsius calcibus, relictis viris, insidiari consuescat.

VERSVS XVI. *Mulieri quoque dixit: multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*.

Mulierem puniturus alloquitur, in eaque 16
totam posteritatem parientium, sola Virgine
Sanctissima excepta: nàm dolor partus consequitur [V] in muliere commixtionem virilem; quapropter subditur; *sub viri potestate eris*. Hinc D. Augustinus; *ab hac sententia excipitur Virgo Mater Dei*. Vir propriè sonat maritum, contracto matrimonio vxorem habentem: vnde apertè distinguit S. Doctor [X] inter sponsum, & virum: sponsalia enim & hodie à matrimonio discrepant. Ad omnes autem [A] aliqualiter pertinent huiusmodi pœnæ: vnde si aliqua nupta non concipit neque parit, patitur sterilitatis defectum, qui præponderat pœnis prædictis. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*. D. Hieronymus dicit [B] quòd vbi nos sic habemus, septuaginta legunt, *tristitias tuas, & gemitus tuos*. Signanter autem coniunguntur *ærumnæ & conceptus*, quia multiplicatio prolis eatenus est pœnalis, quatenus trahit [C] multitudinem afflictionum, quas mulier patitur, ex hoc quòd portat fœtum conceptum: multitudinem ergò habet inopiæ & miseriæ, postquàm concipit, dum fœtus crescit, & augmentatur: & post hæc sequitur: *in dolore paries filios*: quàm magni dolores! *ibi dolores, vt parturientis*. Psal. 47. grauis quidem pœna, acerba torsio. [D] Non sic fuisset in statu Innocentiæ, in quo, sicut ait Augustinus, quemadmodum [E] nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus vxoris; non sic ùs, ac salua integritate fœminei genitalis, ex vtero virginis nùnc fluxus menstrui cruoris emittitur; sic ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus materna viscera relaxaret.

Sub viri potestate eris. Duplex est subiectio, 17
vna œconomica vel ciuilis, [F] secundùm quam
Præsidens vtitur subiectis ad eorum vtilitatem & bo-

[M] Isaiæ c. 44.
[N] 2. 2. 165. a. 4.
[O] Apoc. 21. 1. commentario
[P] in ps. 48.
[Q] op. 41. l. 6. c. 8.
[R] Apoc. 12. in fine 2. commentario
[S] 2. 2. q. 168. 4. 3.
[T] D. Th. hic.
[V] 3. p. 35. 6. 1.
[X] 2. 2. q. 2. 8. 2.
[A] 2. 2. 164. 2. 3.
[B] D. Th. hic.
[C] 2. 2. 164. 2. 2.
[D] D. Th. hic.
[E] p. p. 98. 2. 4. & 2. 2. 164. 2. 1. & D. Th. hic in calce capitis
[F] p. p. 92. 2. 2.

& bonum; & iſta ſubiectio fuiſſet etiam ante peccatum: defuiſſet enim bonum ordinis in humana multitudine, ſi quidam per alios ſapientiores gubernati non fuiſſent; quia cum ſit naturalis ſocietas inter homines, [G] oportet aliquos præſidere, qui ad bonum commune intendant. Et huiuſmodi eſt dominium correſpondens ſubditis qualitercumque, non in ordine ad ſeruos: vnde aiebat D. Auguſtinus, quòd *iuſti non dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi:* hoc naturalis ordo præſcribit; ita Deus hominem condidit: vnde quamuis doceat Angelicus 2. 2. 10. a. 10. Dominium & Prælationem introducta eſſe ex iure humano, ſubdit, eſſe ex naturali ratione: & idem Auguſtinus 18. de Ciuitate Dei relatus opuſc. 20. l. 3. c. 11. *licèt in primo ſtatu fuiſſet Dominium, non tamen niſi officio conſulendi, & dirigendi; non libidine dominandi:* vnde ipſe S. Doctor l. 2. c. 9. præmiſerat, non fuiſſet regale regimen, ſed politicum, eo quòd tunc non fuiſſet dominium, quod ſeruitutem haberet, ſed præeminentiam & ſubiectionem, in diſponendo, & gubernando multitudinem, ſecundùm merita cuiuſcumque &c. Ex tali autem ſubiectione, naturaliter fœmina [H] ſubiecta eſt viro, quia naturaliter in homine magis abundat diſcretio rationis. Hinc dicitur 1. Cor. 11. *caput autem mulieris vir;* & repetitur Epheſ. 5. *quoniam vir caput eſt mulieris;* & hoc quia cum *ſapientis oculi in capite eius vt dicitur* Eccleſiaſt. 2. vir debet gubernare mulierem; & hæc regiminis præcellentia fuiſſet [I] etiam ante peccatum; & ad hanc agnoſcendam in viro, monet vterque Apoſtolus; Paulus quidem Epheſiorum 5. *mulieres viris ſuis ſubditæ ſint*: & Petrus 1. c. 3. *ſimiliter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis*; nàm vt dicitur Eccleſiaſtici 25. *mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo*: & ad hunc ſenſum aiebat idem Paulus ibidem, *vxor autem timeat virum ſuum*; [L] timore ſcilicet reuerentiæ & ſubiectionis. Veruntamen hæc ſubiectio non eſt ſerui ad Dominum in rigore, ſed in ſimilitudinem: vnde idem Apoſtolus; *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino*. Vbi D. Thomas, [M] quia proportio viri ad vxorem, quodammodo eſt ſicut ſerui ad Dominum; in quantùm debet regi mandato Domini: ſed differentia eſt in hoc, quòd Dominus vtitur ſeruis ſuis, quoad id quod eſt ſibi vtile; ſed vir vtitur vxore, & liberis, quantùm ad vtilitatem communem: & in hoc ſenſu Geneſis 18. Sara dixit, *poſtquàm ſenui, & Dominus meus vetulus eſt*: quod memorans D. Petrus [N] inquit; *ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans*; vbi gloſſa relata à D. Thoma; *ex reuerentia*. De ſeruitute ſecundùm iura gentium, qua capti iuſto bello gratis ſeruantur ad vitam, eſt alia ratio: de quo D. Th. Geneſis c. 9. ij enim vendi etiam poſſunt tanquàm iumenta. Verùm Dominatum quem non habet vir ex creatione, quia non eſt facta mulier de pedibus vt dictum eſt, eſt adeptus, vel habere permiſſus in mulierem ad pœnam, recepitque priſtina, & naturalis ſubiectio additamentum & pondus; vnde dicitur, *Dominabitur tui*. Condigna pœna affectatæ excellentiæ & poteſtatis. Dupliciter autem contingit; vel ſi quando renuat ſubijci, prout ab initio etiam dictaſſet natura; mulier enim contra propriam etiam [O] voluntatem, neceſſe habet viri voluntati parere, velit, nolit; ſicque ciuile & œconomicum regimen, tranſijt [P] in politicum & regale: vel etiam contingit in quantùm ſeruili quadam vilitate, reluctantia, & diſplicentia, [Q] plerumque fermè cogitur obtemperare; vix enim poteſt eſſe, quòd vir propter qualitatem corruptionis naturæ, non exerceat poteſtatem ſuam in mulierem immoderatè, & ſuperbè; præcipuè propter magnum hominis zelum, quem habet ad vxorem ex inordinata libidine. Tùnc autem aliquis dominatur alicui vt ſeruo, quando eum cui dominatur, ad proprium [R] commodum refert: ſicut tunc dominatur alicui vt libero, cum cedit in bonum eius cui dominatur, aut in bonum commune: contriſtabile eſt autem vt proprium bonum ſubditi, in ſe Dominator retorqueat, atque adeò pœnale. Ad hoc autem imperij pondus, & auſteritatem vitandam, ſollicita debet [S] eſſe vxor, vt viro placeat, patienter viri defectus ſuſtinere, pudicitiæ vbique odorem ſuauiſſimum halare. Refert Hieronymus quod Duellus, qui priùs Romæ nauali certamine triumphauit, illam Virginem vxorem duxit, quæ tantæ pudicitiæ erat, vt illo quoque ſæculo pro exemplo fuerit, quo pudicitia non vitium ſed monſtrum erat. Is ergo iam ſenex ac trementi corpore, in quodam iurgio, ſibi os fœtidum exprobari audiuit, & triſtis ſe domum contulit; cùmque ad vxorem conqueſtus eſſet, cur ſe nunquàm vt huic vitio mederetur, admonuiſſet; *hoc*, inquit, *dixiſſem, niſi os omnibus viris olere putaſſem*. Plura alia in mulierum vxorumque diſciplinam citato cap. congerit S. Doctor: quò amantiùs ſeruient viris, eo faciliùs ſeruitutis excutient iugum; ex quo, vt ait Auguſtinus, ſubditas & penè famulas lex eſſe voluit vxores.

G p.p.96. 4. & 2. 44. 1. 3.
H p.p.92. 1. 2.
I 2. 2. 164. 2. 1.
L Epheſ. 5. l. 10.
M Epheſ. 5. l. 8.
N 1. Petri 3.
O 2. 2. 164. 2. 1.
P p.p. 81. 3. 2. & p. 2. 56. 4. 3.
Q D. Th. hic.
R p.p. 95. 4.
S op. 42. l. 5. c. 60.

VERSVS XVII. *Adæ verò dixit: quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ.*

Hic notatur pœna inflicta viro ob pecca- 18
tum. Fuit autem conſenſus priùs; *quia audiſti*: actus poſtea inobedientiæ; *& comediſti*. Turpitudinem peccati exaggerat Dominus; nàm virum auſcultare mulieri, multòque magis, contempta Dei voce, degeneris vilitatis & dedecoris eſt. Ex D. Thoma [T] hic; prima pœna eſt miſerabilis in ipſa vita afflictio; ſecunda, mortis corruptio. Eſtque actus [V] vindicatiuæ iuſtitiæ, in Adam & poſteros, non verò impoſitio pœnitentiæ alicuius ſacramentalis. Egerunt autem aliàs vterque pœnitentiam, interno voto implorantes miſericordiam; nàm, Sap. 10. *eduxit illum à delicto ſuo*. *Maledicta terra*. Declarat malum homini ex terra euenturum; ſicut ſententia Iudicis [X] promulgat reo hanc vel illam pœnam; maledicere enim, eſt dicere malum, quod fit etiam modo præfato. Licitus eſt autem hic maledicendi modus, quo per modum cauſæ imperatiuo ſigno, præcipitur iuſta pœna inferri, ſicut Eccleſia [A] maledicit anathematizando: eſtque maledictio per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, ſed ad bonum. Euaſit ergo Dei nutu terra homini mala, hoc eſt *ſterilis*, vt ſic, per eius ſterilitatem homo puniretur: & mala etiam in opere ſuo; nàm

T D.Th. hic.
V 4. 22. 2. 3. 2.
X Iob c. 3.
A 22. 76. 1. & 2. & in Matth. 11.

priùs fine fatigatione, & labore poterat lignis
Paradisi frui, postea verò expellendus è Paradi-
so, non fine labore comesturus erat ex ea, om-
nibus diebus vitæ suæ; quia vel animi vel corpo-
ris fatigatione, cogitur ne fame pereat vnusqui-
que, præsertim habens vxorem, insistere: & ta-
men adhùc *maledicta terra in opere*, quia menda-
ces agri, spe quæ alit agricolas, sæpe fallunt;
vel, non quantùm protulisset anteà & quale, nùnc
affert messis.

VERSVS XVIII. *Spinas & tribulos germi-
nabit tibi, & comedes herbas terræ.*

Terra, pt iusquam etiam peccaret Adam,
germen spinarum protulisset, inquit Angelicus,
B p.p.69. [B] sed non euasissent homini in pœnã, & in impe-
2.2.2. An- dimenta, vt scilicet terra, quam propter cibum
nibal. 15. coleret, infructuosa quædam & noxia germina-
2.& 4. sẽ- ret; vnde dictum est, germinabit tibi: aliàs au-
tent.48.2. tem terræ fœcunditate, cœlique influxu, erupis-
a. 3. ad 3. sent [C] spinæ & huiusmodi, non homini in pœ-
C D.Th. nam, sed animalibus in cibum, ad terræ ornatum,
hic & 2.2. ad vniuersi complementum, ad medicamen bru-
164.2.1. torum &c. Spinarum etiam nomine, intelligen-
D Io. 19. dæ [D] veniunt pœnalitates quæ affligunt. Item
1.2. sterilitas terræ, siue caristia [E] temporalium,
E op. 58. Per terram etiam exponi potest propria caro,
c.18.
F ps.36. [F] quæ spinas & tribulos germinat; & hanc inha-
bitare monemur, Psalmo 36. *inhabita terram*,
extirpando vitia, & inserendo virtutes. Secùs
si simus desides & negligamus exercere agrum
nostrum Prou. 24. *diligenter exerce agrum tuum*,
sumus, vt ait Apostolus Hebræorum 6. *terra re-
proba proferens spinas & tribulos*; spinas quidem,
G Hebr. [G] idest minora peccata; tribulosque, idest maio-
6.1.2. ra; quæ pungunt conscientiam propriam, quan-
doque etiam alienam, terra *maledicto proxima*,
subdit Paulus, *cuius consummatio in combustionem*.
Et tùnc exponenda est multò magis præfata ma-
ledictio; *maledicta terra in opere tuo*, secundùm
Hieronymum in hebraicis quæstionibus, vt non
H D.Th. intelligatur [H] opus ruris colendi, sed peccatum
hic. hominis; vnde, *in opere tuo*, idest pro peccato i
& huic expositioni concordant Aquila, qui po-
nit, *maledicta humus propter te*; & Theodotion;
maledicta terra in transgressione tua. Terra autem
dicitur maledicta, quia deteriorata; sicut sentit
I 4.48.2. glossa, [I] omnia propter hominem facta, in
3.3. eius lapsu peiorata fuisse. *Et comedes herbas ter-
L D.Th. ræ*; pœnalis commutatio, loco [L] pretiosissimo-
hic. rum fructuum: priùs vniuersa ligna cum omni
herba dedit eis capite 1. nùnc vix secernitur ci-
bo à brutis.

VERSVS XIX. *In sudore vultus tui vesce-
ris pane tuo; donec reuertaris in terram, de qua sum-
ptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

20 Qualitatem laboris & anxietatem, ne leuis
fortè crederetur ab Adam, qui corporis vigebat
robore, exponit Dominus dicens; *in laboribus,
in sudore vultus tui*, ad indicandam laboriosam
vitam, dùm non solùm pectore alijsque corpo-
ris partibus, sed etiam in vultu nudato, & refri-
M D.Th. gerijs capiendis idoneo, exundabit sudor. [M]
hic. Quicquid operatus fuisset in innocentia, suauio-
N p. y. rem fecisset vitam, [N] fruitus operatione iucun-
101.3. da ad experimentum naturalis virtutis. Transtu-
lit peccatum in mœrorem iucunditatem · postea
enim vt dicitur Iob 5. *homo ad laborem nascitur, &
auis ad volandum*: nec ab huiusmodi labore quis

it immunis, quia cùm victus non sponte è terra
suppetat, nec sit lignorum Paradisi donata co-
pia, in præceptum transit pœna, si ad victum
non alia [O] pateat via; qui casus accidere nequi- O 2. 2.
bat in illo statu. In vniuersum autem, qui ha- 187. 3. ad
bet vt sine manuali opere aliunde viuat, non Ephes. 4.
ideò eximitur à labore; quia non sedebit ocio- lect. 9. &
sus, qui enim manibus ipsis non laborat, labo- quodl. 7.
rabit pede, lingua, oculo, vt cursor, Aduoca- 17.
tus, & vigil; vel animi cura affligetur, quæ nec
Reges quiescere sinit; vel denique, pauore in-
currendæ inopiæ, subeundique, vel inuitè, labo-
ris, sciens inflictam esse humano generi pœnam,
coarctabitur. De diuitiarum diuitijsque fine,
Ecclesiastes cap. 5. *Cunctis diebus vitæ suæ comedit
in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque
tristitia.*

Donec reuertaris &c. præfixo laboris nobis 21
impositi termino, ponitur specialis pœna pecca-
ti primi parentis, & posterorum, scilicet cor-
poris resolutio in terram. Quemadmodum er-
go vexatio & labor, sic vilitas resolutionis hu-
miliat [P] hominem: fortè hac de causa non dixit P D. Th.
Dominus *morieris*, sed exposuit terminum mor- hic.
tis, quò priusquam Iob cogitaret c. 17. *Putredi-
ni dixi, Pater meus es; Mater mea, & Soror mea,
vermibus*. Docet Angelicus [Q] quomodo mors Q 2. 2.
sit pœna dicens; mors dupliciter accipi potest, 164.1.7.
vno modo pro ipsa priuatione vitæ; & sic mors
sentiri non potest, cùm sit priuatio sensus & vi
tæ, & sic non est pœna sensus, sed pœna damni;
alio modo secundùm quòd nominat ipsam cor-
ruptionem, quæ terminatur ad priuationem
prædictam: de corruptione autem sicut & de ge-
neratione dupliciter loqui possumus; vno modo
secundùm quòd est terminus alterationis, & sic
in ipso instanti in quo primò priuatur vita, dici-
tur inesse mors, & secundùm hoc etiam mors
non est pœna sensus; alio modo corruptio potest
accipi cum alteratione præcedente, prout dici-
tur aliquis mori, dùm mouetur in mortem, sicut
dicitur aliquis generari dùm mouetur in gene-
ratum esse, & sic mors potest esse afflictiua. Om-
nes ergo ex Iudicis Dei sententia, vel inuiti, mo-
rimur. Imò Sapientiæ 5. *sic & nos nati continuò
desinimus esse*. Christus autem mortem susce-
pit [R] spontanea voluntate, vt pro nobis satisfa- R 3.p.15.
ceret, non quasi ex necessitate illius sententiæ, 61. & He
quia ipse mortis debitor non erat. Io. 10. *nemo* bræorum
tollit à me animam meam, sed ego pono eam: pote- 9.l.5.
*statem habeo ponendi eam, & potestatem habeo, ite-
rum sumendi eam.*

Si autem curiosè quæratur, cur si mors est 22
pœna peccati, non æqualiter omnibus accidit,
quibusdam citiùs grauiùsque quam alij, morien
tibus: maximè quia originalis culpa in omni
bus æqualis est. Occurritur cum S. Doctore
[S] dicendo, mortem & huiusmodi pœnalitates, S p.2. 85.
sequi per accidens ad peccatum; non solùm 5.
quia sunt præter intentionem peccantis, sed
quia nec peccatum ipsum est causa per se mortis
& defectuum, sed tanquàm remouens id, quod
mortem & huiusmodi pœnas prohibebat, nem-
pe originalem iustitiam; sicut diuellens colum
nam, per accidens mouet lapidem columnæ
superpositum. Quamuis autem sit verum, quòd
causa per se æqualis æqualem causat effectum,
non sic æqualitas causæ remouentis prohibens, si

quis enim æquali impulsu diuellat duas columnas, non ſequitur quòd lapides ſuperpoſiti æqualiter moueantur, ſed ille velociùs mouebitur qui grauior erit, ſecundùm proprietatem ſuæ naturæ, cui relinquitur remoto prohibente: ſic remota originali iuſtitia, natura corporis humani relicta eſt ſibi; & ita ſecundum diuerſitatem naturalis complexionis, quorundam corpora pluribus defectibus ſubiacent, quorundam verò paucioribus, quamuis exiſtente originali peccato æquali. Id ipſum tradit Angeli-

T 2. 2. 164.1.4.

cus T animaduertens, neque ab iudice huiuſmodi conſecuta per accidens, intendi; vnde ſi iudex quempiam faciat excæcari pro culpa, isque in via labatur, excæcati lapſus tanquam per accidens ſecutus, non eſt intentus, ſic ergo pœna taxata pro primo peccato, proportionaliter ei reſpondens, fuit ſubtractio diuini illius beneficij, quo rectitudo & integritas humanæ naturæ conſeruabatur: hæc pœna æqualis eſt: defectus autem conſequentes ſunt mors, & aliæ pęnalitates præſentis vitæ, quas, ex dictis, non oportet eſſe æquales. Verùm quia Deus præſcius eſt omnium, ex diſpoſitione diuinæ præſcientiæ & Prouidentiæ, huiuſmodi pęnalitatés diuerſimodè in diuerſis inueniuntur, & ordinantur; vel in pęnam paternorum peccatorum, in quantùm filius eſt quædam res patris; vnde frequenter parentes puniuntur in prole; vel etiam propter remedium ſalutis eius, qui huiuſmodi pęnalitatibus ſubditur; vt ſcilicet per hoc à peccatis arceatur, aut etiam de virtutibus non ſuperbiat, & per patientiam coronetur.

Et ſi inquiras vlterius cur nùnc per baptiſma, & olim per circumciſionis ſacramentum, alijſque vijs, dimiſſo originali peccato, adhuc moriamur.

23 Dicendum cum eodem Sancto Doctore, ſupponendo conuenienter debuiſſe pro peccato

V 3.p.50. 1.

præſertim originis Chriſtum mori; V vt pluribus oſtendit 3. parte rationibus, ad ſatisfaciendum pro humano genere, quod erat morti adiudicatum, quæ potiſſima eſt. Nam cum primus parens & ſemetipſum occidiſſet & ho-

X op.58. c.27.

mines omnes, X ſi lege ſancitum erat, vno ex homicidio homicidam occidi, expòſcebatur qui Deo pro læſa ſatisfaceret maieſtate, pro eo moriturus. Poſtquam autem ex fide in Redemptorem mortuum, mundamur à culpa, ſumuſque per ipſum, immortalitatem gloriæ, (ad quam tandem poſt innocentiæ ſtatum perueniſſemus)

A 2.19.1. 5.

A feliciùs conſecuturi, non decuit vt transferremur ad illam difformes

B p.2.85. 5.2. & 3. p.52. 54.

B à Chriſto Ieſu, qui eam acquiſiuit: vt ergo ad immortalitatem & impaſſibilitatem gloriæ, quæ eſt in Chriſto inchoata, perueniamus, oportet quòd ad tempus paſſibilitas in noſtris corporibus remaneat, vt illam promereamur conformiter Chriſto; vnde renouamur ſecundùm ſpiritum quidem, ſed nondum ſecundùm carnem. Rom. 8. *corpus quidem mortuum eſt propter peccatum; ſpiritus verò viuit propter iuſtificationem*. Ratio huius

B 3.p.49. 3.3.

adhuc profundior eſt, B quia ſatisfactio Chriſti habet effectum in nobis, in quantum incorporamur ei, vt membra ſuo capiti; membra autem oportet capiti conformari: hinc aiebat Apoſtolus Rom. 8. *ſi tamen compatimur, vt conglorificemur*: & propterea de Adamo loquens

C p.p.97. 1.2.

C iuſtificato quidem per pęnitentiam, cmu datoque per fidem in Redemptorem ab originali (nam Deus, Sapientiæ 10. *eduxit illum à delicto ſuo*,) inquit, quamuis gratiam recuperauerit ad remiſſionem culpæ, & meritum gloriæ, non tamen ad amiſſæ immortalitatis effectum; hoc enim reſeruabatur Chriſto, per quem naturæ defectus in meliùs reparandus erat. D. Thom. op. 2. c. 186. differt impaſſibilitas & immortalitas quam primus homo habuit, ab ea quam in reſurrectione ſancti habebunt, qui nomquã, poterunt nec pati, nec mori, voluntate eorum omnino confirmata in Deum. Húc facit illud Apoſtoli, Rom. 8. *viuificabit mortalia, non dicit mortua, corpora veſtra*; quia in reſurrectione, non ſolùm à corporibus veſtris auferetur quòd ſint mortua, ideſt neceſſitatem mortis habentia, ſed etiam, quòd ſint mortalia, ideſt potentia mori: quale fuit corpus Adam ante peccatum: nam poſt reſurrectionem corpora noſtra erunt penitùs immortalia. Iſaiæ 26. *viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent*. Oſeæ 6. *viuificabit nos poſt duos dies*. Hoc ipſum tradit Angelicus

D 4.cont. G.c.55.& Hebræorum 2. l. 4.

4. contra Gentes D dicens, ſic decuit vt fideles ad immortalitatem peruenirent, quaſi portantes in ſe ipſis inſignia paſſionis Chriſti, vt ſimilitudinem gloriæ eius conſequerentur. Aiebat Apoſtolus Philippenſium 3. *& inueniar in illo*, &c. *ad cognoſcendum* &c. *ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti eius, ſi quomodo occurram ad Reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis: reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Subditque Angelicus ſi homines venientes ad Chriſtum ſtatim immortalitatem, & impaſſibilitatem conſequerentur, plures homines ad Chriſtum accederent propter hæc corporalia benefitia, quam propter ſpiritualia bona; quòd eſt contra intentionem Chriſti venientis in mundum vt homines ab amore corporalium ad ſpiritualia transferret: & denique quia ſi accedentes ad Chriſtum ſtatim impaſſibiles, & immortales redderentur, hoc quodammodo compelleret homines ad fidem Chriſti ſuſcipiendam; & ſic meritum fidei, & ſpei minueretur, vel periret. De quo etiam 3. p. q. 69. a. 3. vbi ait; peccatum originale hoc modo proceſſit, quòd primò perſona infecit naturam, poſtmodum verò natura infecit perſonam: Chriſtus verò conuerſo ordine, prius reparat id quod perſonæ eſt, & poſtmodum ſimul in omnibus reparabit id quod naturæ eſt. Et ideò culpam originalis peccati & etiam pęnam carentiæ viſiònis diuinæ, quæ reſpiciunt perſonam, ſtatim per baptiſmum tollit ab homine; ſed pęnalitates præſentis vitæ (ſicut mors, fames ſitis, & alia huiuſmodi) reſpiciunt naturam ex cuius principijs cauſantur, prout eſt deſtituta originali iuſtitia: & ideò iſti defectus non tollentur, niſi in vltima reparatione naturæ per reſurrectionem glorioſam, & ſic, vt ait a. 7. ad 3. baptizatus non eſt obnoxius morti & pęnalitatibus vitæ præſentis, propter reatum perſonæ, ſed propter ſtatum naturæ. Quę pęnæ cũ morte ſunt meritoriæ ad vitam æternam, Actor. 14. *per multas tribulationes*, vt Hebr. 2. l. 4. & 2. 2. 164. 1. 6. Voluit ergo Deus illud de ſingulis, & omnibus verificari, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Eſt ſanè

puluis, quia inde trahit originem: Sed quoniam non omni modo reuertitur aliquid in id quod est, immò mutatur in quod non est, quia *motus est è contrarijs, aut medijs, vt ait Philosophus 12. Metaphysicæ*, & ex non animali fit animal, primo physicorum, sicut ex non albo fit albus; oportet vt ex non puluere, fiat homo puluis: etsi autem dici potest esse puluerem virtute, reuersurum in puluerem actu: attamen altiorem ad mores Philosophiam ex Diuino verbo astruemus; puluis es, quia superbus: puluis facilè extollitur, *omnes eos auferet ventus*, inquit Isaias cap. 57. quod exponitur pro [E] superbia, & elatione. Erat ergo puluis, illumque inducere intendit ad supernecessariam virtutem [F] humilitatis, & *in puluerem reuerteris*. Item puluis in se diuisus, siccus & [G] aridus est; ideò impij comparantur pulueri, *tanquam puluis quem projicit ventus*, quia sunt diuisi, in charitate non adunati: & quia *inter superbos semper sunt iurgia*, Prouerb. 13. Item puluis aridus, est impius, quia sine aqua gratiæ, Genesis 3. *puluis es*: ergò meritò *in puluerem reuerteris: per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Sap. 11.

E Isaiæ 64. & Hier. 22. F D. Th. hic. G ps. 1.

34 Quamquam tamen cum primo parente, post Christi quoque mortem debeamus mori, priùsquam beatum illud tempus adueniat, quo *mors vltrà non erit*. Apocal. 21. dulcore nunc plena mors est, postquam 1. Petri 3. *deglutiens mortem*, & ad se vocauit, cuius *sub lingua mel, & lac* perennant. *Dulce* euasit Crucis *Lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera*, quia Christus moriendo nos à timore [H] mortis liberauit; vnde dicitur Hebræorum 2. quòd *communicauit morti & sanguini, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*, idest Diabolum; *& liberaret eos qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti*: vndè etiam dixerat ante, *vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem*: vbi D. Thomas, [I] gustauit sicut medicus gustat medicinam, ne infirmus abhorreat, sed vt securiùs bibat, ita ipse gustauit mortem, vt quia sine morte, exigente necessitate, non est salus, nullus mortem refugiat. Hinc Eccl. 38. dicitur, *nonne a ligno dulcorata est amaritudo*? ex quo D. Thomas; [L] quod memoria passionis Christi aquas dulcorer, significatum est Exodi 15. vbi lignum ostensum est Moysi à Domino, vnde aquæ dulcoratæ sunt. *Omnes quippe*, 2. Reg. 14. *morimur & quasi aquæ dilabimur super terram*. Vnde Gregorius, *si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est adeò durum, quod non æquo animo toleretur*: & D. Petrus prima c. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini* [M] Threnorumque 3. *dabo eis scutum cordis, laborem tuum*. Augustinus etiam, [N] *magna consolatio membris ex capite*. Igitur postquam *absorpta est mors in Victoria*, quo pacto cum septuaginta legit Apostolus 1. Corinth. 15. illud Oseæ 23. *ero mors tua ò mors*; verificatur illud de Christi fidelibus, *inundationem*, (Deuteron. 33.) *maris, quasi lac sugent*: mortem læti aspiciunt, dormire dicuntur in Domino; cupiuntque dissolui & esse cum Christo, & postquam, *ascendit iter pandens eis*, patriam cęlestem sperantes post dies istos peregrinationis, dulce arbitrantur & decorum pro patria mori. Hinc Cyprianus serm. de mortalitate; *eius est mortem timere, qui ad Christum nolit ire: eius est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare*, 1. Thessal. 4. *vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent*. Et D. Bernardus relatus op. 60. a. 24. O vita secura! vbi absque formidine mors expectatur; immò exoptatur cum dulcedine, excipitur cum deuotione. Quocirca recolenda est D. Thomæ doctrina 3. p. 21. a. 4. tripliciter nos posse velle, vel nolle aliquid; vel secundùm affectum, seu motum sensualitatis; vel secundùm motum voluntatis simplicis, quæ consideratur vt natura: vtroque hoc modo refugitur mors; & in hoc sensu ait Apostolus, 2. Cor. 5. *ingemiscimus grauati; eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est a vita*, & Isaias c. 59. *quasi columbæ meditantes gememus*; vt ibi Angelicus; Vel secundùm rationem deliberatam, quod est velle simpliciter, quia voluntas simpliciter hominis, est rationis voluntas, Hoc pacto, ait Philipp. 1. *desiderium habeo dissolui & esse cum Christo*. Aliàs voluntas, sensualitatis affectu, vel naturæ motu, est potiùs velleitas, quàm absoluta volontas, quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsisteret; & sic cum refugitur mors post Christum, non simpliciter, sed secundùm quid timetur. Ratio autem huius triplex est: prima, quia Christus resurgens *primitiæ dormientium*, 1. Cor. 3. ostendit nobis futuram immortalitatem; ex quo paruipendimus mortem temporalem. Secunda, quoniam prægustauit pro nobis illam: ex quo promptiores efficimur ad illam subeundam pro ipso. 1. Petri 2. *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Tertia, eo quòd aperuit aditum ad gloriam, & ex hoc non solùm non timemus mortem, sed desideramus eam; *desiderium habens dissolui, &c.* Dum antea diceretur Eccl. 41. *O mors quàm amara est memoria tua!*

H 1. p. 50. 1. I Hebræorum 2. l. 3. & l. 4. L op. 41. l. 5. c. 35. M 1. Petri 4. N op. 41. l. 7. 2.

VERSVS XX. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Heua: eò quod Mater esset cunctorum viuentium.*

Mirum videtur cur nominatio vxoris hic ponitur: sanè prius dicta est virago à suo naturali principio, [O] quia de viro sumpta est. Verùm arbitror nunc primò mutasse veluti Adam vxori nomen, quia dolenter ex vtriusque lapsu, noua cogebat occasio; audita Dei sententia de laborioso partu futuro, & de prolis miseria, in hac lacrymarum valle nasciturae: præuidens ergo, vel prima sui ortus luce posse extingui, nisi quam hausit vitam, mater præsertim tueatur & foueat, vxorem suam (& in ea matres omnes) nouo donatam nomine monere voluit, ne vnquam excideret memoria, quòd esset parientis munere, incipientis teneræ vitæ præsidium, ideoque appellauit Heuam. Heua quippe secundùm Hieronymum in libro Hebraicarum quæstionum, interpretatur vita; [P] ita hic D. Thomas, & legunt septuaginta: quasi diceret Adam flebilis, tu vxor in dolore paries, continuò incipientes mori (*sic*, Sap. 5. *& nos nati continuò desinimus esse*) miseros natos: non sic, si non peccasses, si tu non peccasses, fuisset siquidem soboles immortalis; vt memineris ad seruandam filiorum vitam sedulò sinu fouere, lacte pascendo, fletibus blandè admouere, vtque recolas a quo [illegible] lamentabili vnde excideris, esto non vltra vitæ, fragilis deprehensa nimis naturæ, 35

O D. Th. hic. P D. Th. hic.

sed

sed Heua sit tibi nomen mater viuentium. Nisi dicas *Vitam* ei dedisse nomen, lætitia quadam, quòd non statim cum illa mortuus esset.

VERSUS XXI. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.*

26 Induit eos propter honestatem, quia erubescunt homines nudari post lapsum, præcipuè in pudendis, vbi viget carnis rebellio, vt ait Augustinus; sunt etiam apprimè necessaria indumenta, ne calor nimius humorem omnem absumat, neue frigus vehemens calorem extinguat. Induit etiam illos ad ostensionem pietatis, vt spem conciperent de reparatione; ex quo tecus læsus dignabatur de eis curare: ex tunc quippe incepit necessitatem hominum releuare. *Pelliceas fecit tunicas*: Angelorum ministerio intelligitur. Ex quibus poterant in suæ miseriæ considerationem vocari quando ijs, quæ animalium sunt exuuiæ indigebant: hæc D. Th. [Q] Quocirca, inquit Athanasius: *acceperat autem Adam tunicas pelliceas ex animantibus mortuis factas, in signum mortificationis, quæ illi per peccatum accesserat*: quod & D. Th. 22. 164. 2. c. dicens in signum mortalitatis eorum. Sed Theodoretus num. 39. pelles dicit etiam appellari, quæ sunt ab arboribus detractæ, vt cortices; & ex ijs, Deo suggerente, sibi eos vestimenta composuisse.

Q D.Th. hic & 2.2. 164.2.8.

VERSUS XXII. *Et ait, ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Nunc ergò ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.*

Ironicè inquit Angelicus [R] dictum est: addit Theodoretus; *demonstrans promissionis diabolicæ mendacium*. Quod quamquam verum sit, in quantùm, vt ait Augustinus, voluit Dominus [S] cæteros deterrere; propter nos enim ista scribenda erant; ne auderet superbire mens nostra, quando Adam elatus, non solùm, quod fieri voluit non fuit, sed nec illud, ad quod factus fuerat, conseruauit. Attamen relata ad personam Adæ ea verba, *ecce Adam* &c. increpatoria vtique sunt; sed magis per compassionem, quàm per insultationem accipienda: [T] quod quidem ex mox subiunctis deducit. *Nunc ergo, ne fortè sumat* &c. Verum quoniam vbi Prouerb. 1. legitur, *despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis*: *subiungit*; *ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, aduenerit*; videtur optimè posse accipi textus hic, per *Anthropopathos*, quod est humana propassio, cum quod est creaturæ aliquando attribuitur Creatori; sicut de ira exponit S. Doctor in Psalm. 2. Et hoc vlteriùs significet Adam de se ipso considerasse: quod quia fuerit ei in confusionis, & pudoris pœnam, immissum in cogitationem Adæ à Deo, à Deo veluti dictum, scripserit Moyses. An ante peccatum comederit de ligno vitæ cùm Scriptura [V] hoc non dicat, nec ratione probari possit, quamuis Magister nitatur ex Augustino asserere, incertũ est. Deterret his quoque verbis, esus illius cauta priuatione. Adæ tamen quodammodo miseretur neque insultat, quia cum beneficio illius ligni daretur vitam diù prolongari etiam post lapsum, sicut de Henoch & Elia creditur, non erat conueniens, vt homo [X] tandiù in miseria huius vitæ permaneret. Vbi notandum quod ly æternum, non sumitur pro interminabili (quemadmodum aliàs in scripturis, sentit sexcentis alijs ex contextibus, cui astat Spiritus Sanctus Catholica Ecclesia,) sed sumitur ibi æternum [A] pro diuturno. Hinc idem Angelicus Doctor in Psalmum 44. [B] inquit, *in Græco idem est æternum, quod sæculum, vel annus*. Et hic ait hyperbolica [C] est locutio, vel excessiua idest longissimo tempore.

R Serm. 59. festi-no.

S 2.2.164. 2.7.& hic

T 2.2. 164. 2. c. 2.29. 1.5. 4. & Annib.a.3.3.

V 2. 29. expositione textus.

X 2.29.1. 5. 4. & 2. 2. 164. 2. 6.

A 2. 2. 164.2.6.

B psalm. 44.

C D. Th. hic.

27 Sanctissimæ Triadis mysterium iterum homini exponitur cùm pluralitas exprimitur Personarum; *ecce Adam quasi vnus ex nobis*; statimque ad vnitatem signandam, singulariter attexitur sermo *emisit eum* &c. Sic etiam Isaiæ 6. dicitur *quem mittam, & quis ibit nobis?* vbi D. Thomas; *mittam*: in quo notatur vnitas essentiæ; *nobis*: in quo pluralitas Personarum. *Ne fortè mittat manum suam*: dicit Diuina Maiestas *fortè*, ad astruendam arbitrij libertatem, nec enim præceptum derogat, nec Dei decretum vim infert voluntati: sic alibi vt Ioannis 4. vbi inquit Saluator *tu forsitan petijsses ab eo*, animaduertit Angelicus [D] poni ly forsitan propter liberum arbitrium quo, homo aliquando desiderat, & petit gratiam, aliquando non: aliàs incertum nihil est Deo, qui nouit abscondita cordis, & præscit futura. *Mittat manum suam*: exponitur desiderium de opere complendo. *Sumat* significat opus iam consummatum; *& comedat*; quod complacentiam præuaricationis ostendit. Idcircò circuitu verborum arcano, non perperam, quid sit facturus homo demonstrat. Et quoniam diuina prouidentia dispositum est, vt non vltra daretur Adæ ipsiusque soboli vesci de ligno vitæ, id exprimitur hac verborum phrasi; *ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ*.

D Ioan. 4. l. 2.

VERSUS XXIII. *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis; vt operaretur terram de qua sumptus est.*

28 Ex fine expresso, *vt operaretur terram*, indicatur quò fuerit emissus. Magister in historijs Adam credit [E] fuisse emissum in angulum vel agrum Damascenum; siquidem extra Paradisum factus fuerat. Hieronymus autem sentit, quòd fuit eiectus ante fores Paradisi, & quòd habitare fecit eum contra Paradisum voluptatis. Sublatus est eis locus qui statui integritatis [F] competebat. Locus temperatissimus & delicatissimus extitit, vbi nullam molestiam ex rebus exterioribus sentiret. [G] Postquam autem decidit ab illo innocentiæ statu, debuit locum deserere delicijs plenum, & ad turbulentum ac ærumnosum traduci. Non erat Paradisus terrestris locus peccantium; sicut nec spirituum [H] rebellium empyreum. Et quia propter superbiam præcipuè erat puniendus, humilis meritò locus [I] ei debebatur. In desertum, refert [L] ex Diuo Ambrosio Angelicus, eiectus est. Immo in exilium [M] mundanę miseriæ: ex quo, inquit similiter, non congruunt deliciæ loco in quo sumus, non enim eiecit Dominus hominem de [N] loco deliciarum, vt sibi delicias procuraret. Hinc autem manifestè constat huiusmodi Paradisum intelligi corporalem fuisse, quia in spirituali Paradiso statim ac peccauit desijt esse. [O] at post peccatum antequàm eijceretur, mansit per aliquod temporis spatium, ergo. Credendum

E D.Th. hic.

F 2.2.164. 2.

G 2. vtroque de-functione 29.

H 4.47. 2. 2.

I 2.2.148. 3. 1.

L 3. P.41. 2.

M op.18. 21.

N op.42. 1.5.24.

O 2. In-aid.17. 2. 4.scd.

eſt autem eductum de Paradiſo ſenſibili, Ange-
lorum opera, nam ſunt Angeli in miniſterium
Dei; fortè in ſolamen miſeri exulantis. Secun-
P Apoc. 11. dùm gloſſam, per hanc eiectionem [P] ſignificata
eſt electio, quæ fit ab Eccleſia per excommunica-
tionem.

VERSVS XXIIII. *Eiecitque Adam: & collocauit ante Paradiſum voluptatis cherubim; & flammeum gladium atque verſatilem ad Cuſtodiendam viam ligni vitæ.*

Videtur mirum, quare poſtquam dictum eſt,
emiſit eum, poſteà repetatur, *eiecit Adam*: ſed
emitti dicitur Adam, cum pro tota accipitur
ſpecie propaganda, nec minus in deperdita Pa-
radiſi amœnitate punienda, atque etiam laboro-
ſo in opere grauanda. Verùm quemadmodùm
nos in illo emiſſi ſumus; ipſe tanquàm reus prin-
ceps ſeueriori plectendus pœna eijcitur.

39 Eiectus eſt Adam, emiſſi poſteri omnes.
Ne quiſpiam autem intentaret reuerti, vnde de-
ciderat (nec enim perituræ huic vitæ conſenta-
neus locus fuiſſet) appoſita decreuit Deus impe-
dimenta, quæ ne ſomniaret humana temeritas
vinci poſſe, munita expreſſit inexpugnabili bo-
norum ſpirituum cuſtodia. Etſi autem ſufficere
videretur ad hominem illinc arcendum angelica
poteſtas; quia tamen homo non ſolùm mente
præditus eſt, ſed anima conſtat & corpore, erat-
Q 1. Annib. 29. a. 4. ad 3. que Paradiſus [Q] terreſtris locus vitæ animalis,
meritò debuere impedimenta, ex parte eſſe cor-
poralia. Refert Magiſter in 2. d. 17., qui arbi-
trantur longo interiacente ſpatio vel maris vel
terræ, à regionibus quas incolunt homines eſſe
R p. 5. 102. 1. 1. ſecretum, (quomodo & nos [R] ſupra diximus,)
ſeclusum eſſe à noſtra habitatione, vel monti-
um vel marium, vel æſtuoſæ Regionis quæ per-
tranſiri non poteſt, impedimentis. Verùm ſi hæc
obſtant impedimenta multiplicia, cùm non ex-
primatur niſi gladius flammeus, certè locus ille
S 2. 29. 1. 5. 3. 2. ad Annib. p. p. cit. & 2. 2. 164. 2. 5. voluptatis credendus eſt eſſe inacceſſus [S] præci-
puè ob illum. Pro flammeo gladio, ſiue ignea
romphæa, vt loquitur Magiſter 3. ſentent. d. 18.
intelligit perpetuò D. Thomas citatis nuper lo-
cis, æſtuoſam aliquam regionem, ſeu vehemen-
tiam æſtus in locis intermedijs, ex propinquita-
te Solis: & ſanè non eſt veriſimile, vt ne quis eò
accedere poſſit, geſtent cherubim igneum ali-
quem gladium materialiter viſibilem, quo ictus
comminentur & vibrent: ſed dicitur gladius
igneus per tropum, vt hac penſata metaphora,
ſpiritualis ſenſus myſteria, de quibus mox dice-
mus, accuratiùs elucidentur; & ideò huiuſ-
modi gladius verſatilis dicitur ad innuendam
T 2. 2. 164. 2. 5. proprietatem [T] motus circularis talem æſtum
cauſantis: & quia motus corporalis creaturæ,
diſponitur miniſterio Angelorum, vt patet per
Auguſtinum, fit mentio de cherubim: vnde
idem Auguſtinus; *hoc per cæleſtes vtique poteſtates, etiam in Paradiſo viſibili factum eſſe credendum eſt, vt per Angelicum miniſterium eſſet ibi quædam ignea cuſtodia*. Hac de cauſa non dicit in ſingulari che-
rub, ſed *cherubim* in plurali, quia cum de motu
æſtus cauſatiuo ſit ſermo, & iſte tum ex motu
diurno, tùm ex obliqui Circuli motu oriatur,
Intelligentias memorari neceſſum erat; cùm ſin-
gulis orbibus adſint ſingulæ, etiam ex Philoſo-
phis. Quamquam ſi ab vna dumtaxat id pende-
V p. 2. 82. 2. ret, adhuc nil diſſonum eſſet; vel quia [V] mos
eſt diuinæ Scripturæ, vt frequenter ponatur plu-
ralis numerus pro ſingulari, iuxta illud Matthæi
2. *defuncti ſunt qui quærebant animam pueri*, & pſal-
mo 50. & *in peccatis concepit me Mater mea*; vel
etiam, quia quod agit intelligentia inferior, per
primam quoque ex diuina ordinatione fieri in-
telligitur: quo pacto omnes ſunt adminiſtratorij
ſpiritus, Hebr. 1. Eſt autem hic valde notan-
dum, quod eruditè abſeruat Angelicus, [X] nimi- X 2. 9. 2. 4-7. & Iſaiæ 6.
rùm nomina cherubin, & ſeraphim, ſi quidē de-
ſināt in *m*, neutrius eſſe generis pluralis numeri,
ponique pro toto collegio vnius ordinis: ſi au-
tem deſinant in *Im*, ſunt maſculini generis &
pluralis numeri, & ponuntur pro pluribus perſo-
nis vnius ordinis (hæc puto apud latinos; nàm
hebraicè nunquàm niſi per *mem* finalem reperio
ſcribi). Cherub autem & ſeraph ſunt maſculini
generis, & numeri ſingularis. De quo & Iſaiæ
c. 6. licèt errore typographi, non benè diſcrimen
iſtud enucleetur.

Si roges cur Cherubim nominentur? Re-
ſpondetur conſuetum eſſe in Sacra Scriptura,
effectum præſtitum proximè ab Angelis inferio-
ris Hierarchiæ, & ordinis, attribui ſupremis;
eò quòd per ſupremos Seraphim immediatiùs
exequitur Diuina Maieſtas ordinem ſuæ Proui-
dentiæ; quia, *quæ à Deo ſunt ordinata ſunt*: Rom.
13. *Seraph*, qui Iſaiæ 6. eſt miſſus ad purgandum
labia Prophetæ, [A] fuit vnus de inferioribus A p. p. 112. 2. 2.
Angelis, ſed dictus eſt *Seraph*, ideſt incendens,
æquiuocè, propter hoc quòd venerat ad incen-
dendum labia Prophetæ; vel quia inferior An-
gelus virtute ſuperioris id fecit; communicant
enim ſuperiores alijs propria dona; ſicut Papa
dicitur abſoluere aliquem, etiam ſi per alium
officium abſolutionis impendat. Sic etiam ex
Diuo Dionyſio [B] Seraphim volantes duabus alis B 4. d. 50. in fine expoſitione text.
apud eundem Iſaiam, ſignificant eo volatu pro-
ceſſum reuelationis eorum in nos, quia nos An-
gelorum miniſterio inſtruimur curſu vitæ præ-
ſentis; & tamen certum eſt, immediatam nobis
reuelationem nō fieri per Seraphin, quamquam
deriuetur à Deo per illos. Ita igitur in præſenti
Cherubim nuncupantur, quia ab ſcientia, ſine
immoderata ſcientiæ cupiditate, præcluſa fuit
Adæ felicitas Paradiſi. Neque dicuntur Sera-
phim; quoniam illud nomen amoris, cùm iuſta
ex ira, reo infligitur pœna, vſurpandum non
erat. Sicut de Diabolò legitur, *tu Cherub ex-
tentus* Ezech. 28. cùm tamen credatur [C] fuiſſe C p. p. 63. 7. 1.
ſupremus Seraphim. Flammeus tamen dicitur
gladius, quia vindictam ſic innuit, iuxtà illud
Theſſal. 2. 1. *in flamma ignis dantis vindictam*.

Cæterum hæc literaliter dicta, nàm intel- 30
lectus metaphoricæ locutionis [D] in Scripturis D p. 2. 102. a. 2. 2.
literalis eſt. Subſtruuntur myſteria, ſenſuſque
ſpirituales: hinc aiebat Angelicus [E] cit. 2. 2. E 2. 2. 164. 2. 5.
loquens de hoc; *ſaluis ſpiritualis ſenſus myſterijs*.
Item D. Auguſtinus [F] ſibi arridere ſententiā, F p. p. 102. 1.
quæ vtroque modo accipit Paradiſum, ſcilicet
& corporaliter, & ſpiritualiter: ſicut per Agar
& Saram deſignantur ex 4. ad Galatas [G] *duo te- G D. Th. hic.
ſtamenta*; & nihilominus fuerunt duæ veræ mu-
lieres: & per realem petram de qua traxit Moy-
ſes aquam, figuratur ſecundùm Apoſtolum 1.
Cor. 10. Chriſtus. Poteſt ergo Paradiſus Ter-
reſtris, vt ait Magiſter etiam 2. d. 17. & præ-
ſentis Eccleſiæ & futuræ tenere typum, & ſigni-

ficare

ficare vt hic ait D. Thomas Paradisum gratiæ, & gloriæ: hinc idem Angelicus [H] Romphea posita in Paradiso terrestri significabat impedimentum quod prohibebat ingressum Regni cœlestis: & 3. parte [I] memorans flammeum huiusmodi gladium, &c. inquit per peccatum primi parentis præcludebatur homini aditus Regni cœlestis: reuerà enim per tale peccatum, fuit [L] exclusio hominis à vita gloriæ. Per gladium etiam [M] docet significari aduersitatem præsentis vitæ Ezech. 11. *gladium metuistis*; item iudicialem sententiam Apo. 5. *ex ore eius gladius vtraque parte acutus*; ac etiam Infernalis pœnæ acerbitatem Genesis 3. *constituit gladium flammeum*, &c. & Matthæi 26. exponit hunc textum, de [N] gladio condemnationis. Sic etiã Apocalypsis 22. Lignum vitæ spiritualiter accipitur, *vt sit potestas eorum in Ligno vitæ*, idest [O] vt possint esse participes gloriæ Christi, qui dicitur lignum vitæ, Apocalypsis 2. *Vincenti dabo edere de Ligno vitæ*, [P] vbi apprimè explanat quomodo dicatur Saluator lignum vitæ, & bene in hac Paradiso dicitur esse lignum vitæ; quia extrà Ecclesiam non est salutare Sacramentum, sicut nec salus: & paulò post, exponit de Paradiso gloriæ: & cum & ibi memoretur Romphæa; gladius inquit potestatis iudiciariæ, qua perimantur impij: quam Deus à nobis auertat.

H 3.d.28. in expositione t.
I 3.p.49. 5. c.
L 3 p.52. 5.
M Serm. 15.
N Matthæi 26.
O Apoc. 22.
P Apoc. 2.

C A P V T I V.

1 ADam vero cognouit vxorem suam Heuam: quæ concepit, & peperit Cain, dicens
Possedi hominem per Deum, 2 Rursumque peperit fratrem eius Abel. Fuit
autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. 3 Factum est autem post multos Heb. 11. a. 4.
dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. 4 Abel quoque obtulit de primogenitis
gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera
eius. 5 Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit, iratusque est Cain vehementer,
& concidit vultus eius. 6 Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies
tua? 7 Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum
aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. 8 Dixitque Cain ad Abel
fratrem suum: Egrediamur foras: Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem
suum Abel, & interfecit eum: 9 Et ait Dominus ad Cain. Vbi est Abel frater tuus? Sap. 10. a. 1. Matt. 23. e. 35. 1. Io. 3. b. 12. Iudæ 1. d. 11.
Qui respondit: Nescio: Num custos fratris mei sum ego? 10 Dixitque ad eum. Quid fecisti?
vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 11 Nunc igitur maledictus eris super
terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. 12 Cum
operatus fuerit eam, non dabit tibi fructus suos: vagus, & profugus eris super terram. 13
Dixitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. 14 Ecce
eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra:
omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me. 15 Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita
fiet: sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum,
vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum. 16 Egressusque Cain à facie
Domini, habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden. 17 Cognouit autem
Cain vxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch, & ædificauit ciuitatem, vocauitque
nomen eius ex nomine filij sui, Henoch. 18 Porrò Henoch genuit Irad, & Irad genuit
Mauiael, & Mauiael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech. 19 Qui accepit
duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. 20 Genuitque Ada Iabel, qui fuit
pater canentium cithara, & organo. 22 Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator,
& faber in cuncta opera æris, & ferri. Soror vero Tubalcain, Noema. 23 Dixitque
Lamech vxoribus suis Adæ & Sellæ: Audite vocem meam vxores Lamech, ausculate sermonem
meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meũ.
24 Setuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagiessepties. 25 Cognouit
quoque adhuc Adam vxorem suam: & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens:
Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. 26 Sed & Seth natus
est filius quem vocauit Enos: ille cępit inuocare nomen Domini.

VERSVS I. *Adam verò cognouit vxorem suam Heuam: quæ concepit, & peperit Cain, dicens, possedi hominem per Deum,*

1 Verbum huiusmodi cognoscendi, hic ad coitum [A] refertur, vnde ait Angelicus [B] *cognouit*, idest carnaliter. Tàm Scriptura quàm Sancti Patres honestissima vsi sunt circumlocutione, vt quantùm possent cogitationes turpes lougè [C] amandarent: & ait Rabbi Moyses, quòd Patres non habuerunt pro pudendis nomina ptopria, sed transumpta & accommoda-

A 3.p.18. 5.3.
B in Matth. 1
C D.Th. hic.

ta,

ta. Magnum pudicitiæ vexillum! hinc aiebat Apostolus, *fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis.* Videtur superfluere reappellatio nominis *Heuæ*: sed cùm supra dixerimus matrem viuëtium dictam esse, quia laboriosè ad natorum vitam erat insudatura, repetitur meritò *concepit, & peperit;* vtrumque extra Paradisum: & ita Augustinus, [D] *expectarunt Diuinam auctoritatem, ad determinatum tempus commistionis, sicut acceperunt prius vniuersale mandatum. Dicens, possedi hominem per Deum*; potest referri ly *dicens* ad vtrumque, scilicet ad Adam & Heuam: vt possedisse dicatur vterque hominem, per Deum tanquam per causam motiuam; quo pacto [E] operatur quis per alterius imperium. Vel Dei timore perculsi, sibi quidpiam arrogare non audent, sed prout decet Deo acceptam referunt prolem: quo pacto Baliuus dicitur operari per [F] Regem, quia virtus Regis facit quòd actio Balliui consequatur effectum: reuera *per Deum*, quia virtus causæ primæ coniungit causam secundam effectui, & quanto suppositum est prius in agendo, tantò virtus eius est immediatior effectui. Dicit autem *possedi*; & hinc dat nomen filio: nàm *Cain* [G] interpretatur possessio siue acquisitio, Quod quidem nomen ab Adam sine dubio fuit impositum, Inuoluitur autem mysterium, quia cum Ecclesia malorum ab ipso Cain inceperit, [H] præsignatur futura malorum soboles in possessione & diuitijs radicanda. Et si quæritur, quare Cain malus, fuit prior Abel? Responderi potest: [I] ne quispiam probitatem morum, donaque Dei ad ipsũ Deum nos ducentia, Pelagiana superbia, in naturam referret. Quàm odit Deus superbiam! sic Esau quoque præscitus: & consonat in superbiam factum esse, *quia maior seruiet minori*, de quo infra c. 48. vbi inquit, translatam esse primogenituram à Cain ad Abel, propter vitium malignitatis & duritiei indeuotæ.

D p.p.98, §. 2.
E p.p.16. §. c.
F p.p.36. §. ad 4.
G D.Th. hic.
H Apocalip. 13. 1. commentario.
I D.Th. hic & c. 48.

VERSVS II. *Rursumque peperit fratrem eius Abel, Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola.*

2 Duplex est nominis Abel interpretatio; siquidem scribitur per hebræum *He*, significat vanitatem, siuè vt ait D. Thomas [L] *nihil hoc*; Bonorum enim Ecclesia ex pauperate surgit, & super paupertatem fundatur; nam *nihil est iniquius* Eccl. 10. *quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet.* Ecclesia quippe Catholica incepit [M] ab Abel; fuit enim primus innocens & immaculatus, typusque Christi innocenter occisi; Apocalyps. 13. *agnus qui occisus est ab origine mundi.* Hanc D. Gregorius; *qui habet vineam, Vniuersalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto*, &c. Sancta quippe est Ecclesia, non habens *maculam neque rugam*, vt ait Apostolus Ephesios 5. *& tota pulchra*, vt cant. 4. ait D. Thomas; & addit Angelicus, cap. 4. in fine, si ab Adam incepisset Ecclesia fuisset discontinuata, quia cum peccauerunt Parentes primi, nullus iustus fuit. Tu autem dices, cur postquam rediit Adam & Heua ad Deum, non incepit ab ipsis Ecclesia? respondeo quia initium sanctæ Ecclesiæ non decebat aut esse, aut fuisse culpatum. In suo principio, debuit tanquam sponsa esse virgo. Si vero *Abel* scribitur *per Aleph*, significat luctum: hanc fert [N] interpretationem hic D. Thomas; nam Heua sicut & Adam postquam deseruere Deum, planxerunt suam culpam: & in duobus his filijs, ordo pęnitendi notatur; motus scilicet primò in Deum, deinde in peccatum. Fuit autem Abel Pastor ouium & Cain agricola: & ad diuitias naturales [O] seruandas, vocati sunt, vt ostenderetur, huiusmodi diuitias [P] institutas esse ad indigentiam vitæ. Fortiorem filium deputauit Adam agriculturæ, minorem Pastorem voluit, vt in vtroque simplicioris vitæ, operis, & non otij [Q] præluceret exemplum.

L Apocalip. 13. 1. commentario.
M op. 6. § 12. & hic c. 4. in calce.
N D. Th. hic.
O p. 2. q. 2. 1.
P op. 20. l. 4. 12.
Q D. Th. hic.

VERSVS III. *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.*

Non est verisimile obtulisse filios nisi quia 3
à parentibus fuerant [R] & edocti & instructi ad Deum colendum: hinc docet Angelicus [S] quòd immediatè post peccatum primi parentis propter doctrinam ipsius Adæ (qui plenè instructus, fuerat de Diuinis) adhuc fides, & ratio naturalis in tantùm vigebat in homine, quòd non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei, & salutis; sed vnusquisque fidem suam aliquibus signis protestabatur. Et alibi; [T] quòd oblationes sacrificia, & holocausta offerebant antiqui ante legem, ex quadam deuotione propriæ voluntatis, secundùm quòd eis videbatur conueniens, vt in rebus quas a Deo acceperant, quas in reuerentiam diuinam offerrent, protestarentur se colere Deum; qui est omnium principium & finis, & [V] rursus, illi qui non erant sub lege tenebantur ad aliqua exteriùs facienda in honorem diuinum, & in protestationem diuinæ subiectionis, secundùm condecentiam ad eos inter quos habitabant; & sic Adam creditur obtulisse; vnde Gregorius dicit, quòd *per sacrificiorum oblationes remittebatur pueris originale*, & potest esse ratio quare non legitur de Adam, ne quia in ipso notatur origo peccati, simul etiam in eo sanctificationis origo significaretur: & adhùc non de omnibus sacrificijs, sed solùm de ijs, circa quæ speciale aliquid accidit, fit mentio in scriptura. Et quia [X] ante legem fuerunt viri præcipui prophetico spiritu pollentes, credendum est, quòd ex instinctu diuino, quasi ex quadam priuata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum: & addit, qui & conueniens esset interiori cultui. Nàm, vt vberiùs docet 2. 2. [A] id quod offertur exteriùs, significat interiùs spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo: & propter hoc, & quia fit in honorem summi Rectoris totius vniuersi, est illi acceptum. *Nunquid manducabo carnes Taurorum* &c. Psal. 49. & sic in processu legis naturæ, erant, vt ait Hugo, tria sacramenta, scilicet [B] oblationes, decimæ, & sacrificia; quibus quadam generalitate nostra sacramenta, & illorum causam nimirum passionem Christi significabant.

R D.Th. hic.
S 3. p. 70. a. 1.
T p. 2. 103. 1.
V 2. 2. 85. a. 1. 2. & 2. 4.
X p. 2. 103. 1. c.
A 2. 2. 85. 2.
B 4. 2. 1. 2. 4.

His ergo de causis oblationes fecere Cain 4
& Abel: quæ quidem computari possunt pro sacrificijs [C] quia Deo offeruntur; sed dispari valde interiori cultu, proinde & exitu. Oblatio Cain dicitur nomine communi; *non de optimis terræ frugibus.* [D] Abel autem offert *de primogenitis suis, & de adipibus.* Obtulit Cain ait [E] Angelicus, spicas corrosas, & alibi, [F] male obtulit scilicet de tristi corde & facie.

C p. 2. 101. 4. 5.
D D. Th. hic & Hebræorum 11. 2.
E op. 48. l. 5. 5.
F op. 58. c. 19.

VER-

VERSVS IV. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.*

De oblatione Abel loquitur Paulus Hebræorum 11. dicens, *fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo*. Dicit autem *plurimam* G non quantitate: (non enim ex hoc prælaudaretur, nàm Marci 12. ex sententia Domini, vidua illa pauper, quæ duo tantùm misit minuta in gazophylacium, pluris omnibus misit) non igitur *plurimam hostiam*, quamuis & re fuerit, nisi pretiositate. Vel *plurimam* idest H acceptabiliorem, & plus sibi valentem. *Vel plurima* fide, dando glossæ vt sit ablatiui Casus: I & tùnc sit sensus, fide meliore & præstantiore quàm Cain, obtulisse Abel; intellexit enim Abel, & credidit in Agno, L quem Deo obtulit hostiam meliorem, ideſt Saluatorem; quod non Cain, nec ceteri indigni. *Et respexit Dominus*. Declaratur Abel iustus, quia respectus M Domini est specialiter super iustos Psal. 33. *oculi Domini super iustos*: & ecce contextus Apostoli, *per quam, testimonium consecutus est, esse iustus*. Hebr. 11. Matthæi exinde 23. *à sanguine Abel iusti*. Sed mirè obseruat pluries Angelicus, quomodo inquit Spiritus Sanctus; *respexit* priùs *ad Abel*, deinde *ad munera eius*, N quasi perprius acceptans offerentem, quàm ea quæ offeruntur; O quia prius acceptatur anima à Deo, quàm eius opera. Et iterum P ad Hebræos; prius respexit ipsum offerentem, quàm oblationem eius, quia ex bonitate offerentis acceptatur oblatio, quæ non est sacramentalis; quia sacramentalem bonitatem non immutat ministri malitia. Hic autem inquit Q *respexit* prius &c. quia Deus magis acceptat sacrificium cordis, quàm exterioris operis; illud enim est sacrificium sibi gratissimum; de alio non ita curat, nisi quia illud concomitatur & sequitur, vt quasi faciat sacrificium cordis, sacrificio operis viam ad oculos Dei. Psalmo 28. id ipsum docet ad illa verba, *affe te Domino filij Dei*; R Deus primò respexit ad Abel, & ad munera eius posteà, quia debet homo primò Deo placere, & posteà ei oblationem facere. Denique S quia nisi homo sit Deo gratus, non sunt accepta munera eius; *respexit Dominus ad Abel*, primò, *& ad munera eius*, consequenter. Sanè Ecclesiastici 34. *dona iniquorum nō probat altissimus*. Et homo T sine gratia, per quam solam est Deo acceptus, non potest sibi mereri vitam æternam; vnde quantum ad huiusmodi meritum, inquit Aggæus c. 1. *seminastis multum*, V *& intulistis parum*, & paulo post de illorum mercede; *& qui mercedes* X *congregauit, misit eas in sacculum pertusum*. Sic fecit Cain. Iste respectus ad Abel, & munera eius, explanatur ab Apostolo Hebror. 11. *testimonium perhibente muneribus eius Deo*: vbi D. Thomas, A quod fortè fuit, quia igne cælesti incendebantur munera; & hoc fuit respectus Dei. Apud homines frequenter munera reddunt acceptum offerentem.

G Hebr. 11.4. — H op. 58. c. 5. — I Hebr. hic. — L op. 58. c. 1. — M Hebr. 11. 4. — N 2. 2æ. q. 85. a. 3. — O 2. Ansibal. 16. a. 1. — P Hebr. 11.4. — Q D. Th. hic. — R Psl. 28. — S 2. Cor. 8. lec. — T p. 2. 109. 5. & q. 114. 2. — V 3. p. 89. 6. 3. — X Matth. 6. in principio. — A Hebr. 11.4.

VERSVS V. *Ad Cain autem & ad munera illius, non respexit: iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius.*

Dixerat D. Thomas B hoc ipsum in Genesi; credo quòd Deus aliquo signo ostendit, quòd illa approbaret, ista repudiarat; vnde fortè illa inflammabat, & conuertebat in flammam, & fumum odorabilem ascendentem; quasi innueret quòd ea superiùs ad se traheret, & acceptaret, alia autem dimitteret: sicut fuit in primo sacrificio Aaron leuitici 9; *& ecce egressus ignis à Domino, deuorauit Holocaustum, & adipes qui erant super Altare*: & de Eliæ sacrificio 3. Regum c. 18. vnde secundùm Hieronymum Theodotionis translatio habet; *inflammauit Dominus super sacrificium eius*. Qua ex causa pressiùs non placuerit Cain Domino, & in quo primùm ei displicuerit, inquit Augustinus apud D. Thomam C de ciuitate Dei, non est facile inuenire: nisi quòd Ioannes in prima sua canonica c. 3. *propter quid occidit eum? quoniam opera eius maligna erant; fratris autem eius iusta*; sed quoniam vt exponit ibi D Angelicus, ex inuidia dicitur occidisse Abel, & opera eius maligna, idest inuidentia dicuntur, non apparet quæ fuerint Cain peccata priora, ex quo Deo non placuerit eius oblatio. Certè crimina sensibilia vt fornicationes & furta E non poterat commisisse, quia non erat cui posset furari, & cum qua daretur ei mœchari aut fornicari. Dicendum ergo videtur, quod suprà tetigimus, ex Apostolo, fidem non habuisse de Agno Redemptore, quam habuit Abel; F & ideo commendatur Abel, *fide plurimam* &c; vel etiam, *fide plurima*, quia meliore, & præstantiore, in quantùm G Sacrificium exterius, signum fuit fidei interioris. Vel etiam peccauit Cain secundùm literam 70. *nonne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti?* Quod potest intelligi bifariam, aut quia deteriora ex agris obtulit Deo, & corrosas spicas, vt diximus ex D. Thomas H vnde incurrit male dictionem, iuxta illud Malachiæ 1. *maledictus fraudulentus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Deo*; aut quia malè diuisit, quia dedit Deo I aliquid suum, sed se ipsum Deo non obtulit: mali enim volunt aliquid dare Deo, vt fruantur mundo; ex quo patet non placuisse Deo, quia non habuit charitatem.

Deprehensus coram Parentibus inacceptus Deo, iratus est vehementer, primogenitura superbus, percitus impatientia in Dominum, inuidia pessima in fratrem. Bonum diuinum est ita commune, quod omnibus communicatur nisi stet ex nobis: Matth. 5. qui solem *suum oriri facit super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos*. propterea peioris est notæ, huius inuidentia (cū sit peccatum in spiritum sanctum 22. q. 14. 2.) quàm temporalis alicuius boni, quod à duobus possideri non potest. *Concidit vultus eius*; quià ab interiori consternatione mentis vel cordis, exterior aspectus faciei cadit. Pulchrè inuidi faciem pingit Gregorius L *cum deu&tum cor liuoris putredo corruperit, color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescunt, in cogitatione rabies, in dentibus stridor; nil lætum de proximis libet, quia tabescentem meatem sua pæna sauciat, quam felicitas torquet aliena*. & Isidorus tertio l. de summo bono. *liuor alieni boni suum permit auctorem, nam vnde bonus proficit, inuidus contabescit*. Et Cyprianus; Huic mundo, vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, tremor in labijs, stridor in dentibus, verba rapida, effrænata ceruix, manus ad violentiam prom-

B D. Th. hic. — C D. Th. hic. — D 1. Io 3. — E D. Th. hic. — F op. 58. c. 1. — G Hebr. 11.4. — H op. 41. l. 5 c. 5. — I D. Th. hic. — L Apoc. 8. post in d. um.

prom-

prompta, quæ etsi interdum gladio vacet, odio tamen furibundæ mentis armata est.

VERSVS VI. *Dixitque Dominus ad eum, quare iratus es & cur concidit facies tua?*

M op.17. c.9. Innuit sanctus Doctor [M] sensibiliter audisse Cain Domini vocem. Magna dignatio & magna Dei clementia! necessum est fateri; *perditio tua* Oseæ 13. Ait ergò: certè Cain priusquam fratricidium opere perpetraret, audiuit *peccasti, quiesce*, sed quià culpis suis exigentibus, sola voce est admonitus, non vnctione spiritus, audire verba Dei potuit, sed seruare contempsit. Iratus erat Cain vehementer. Crediderim fuisse immoderata ex ira in insaniam direptum; factumque velut mania furiosum. Huiusmodi mentis ligamen [N] facit exardescens & excandescens passio. Et satis indicatur ex corporali transmutatione. Victus fuerat omnino ab iracundia: & hac certè de causa protulit Dominus; *sub te erit appetitus tuus*. In signum etiam huius alienationis, tam durus fuit, vt Deo nihil responderit, & tamen Deus capacem ipsum expostcebat rationis, non enim ex ignorantia interrogat sed vt ignorantem (quia omnis ex Philosopho prauus est ignorans) commonefaciat. Culpabiliter tamen tali premitur delirio, quia vt mox dicemus, ratio prædominium habet.

N p.2.10. 3.& 9.77. 1.

VERSVS VII. *Nonne si benè egeris recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.*

6 Præmio & pœna quibus totus regitur orbis, quibusque tot viam salutis arripuere, impius nec rapi nec absterreri potuit a Deo. Dulcius tamen de punitione tangit misericors Dominus, solùmque sibi innotescere culpam, statim ac est patrata, pronunciat; esseque *in foribus*, hoc est patere Deo: quod potissimum est. Eccl.16. *non dicas à Deo abscondar*, immò fugientem sequetur indiuisa comes, quia in foribus, qua & vnde fuga arripitur, peccatum est. Secundùm Hieronymum in hebraicis quæstionibus in hebræo est, *nonne si benè egeris, dimittetur* [O] *tibi etiam delictum?* Chaldæa; *& si non benè egeris, peccatum tuum in diem iudicij seruatum est*: Iam ex retributione, quam noster exprimit, claret tangi iudicium. Sed adhuc id innotescit ex ly *in foribus*: olim enim Iudices in portis sedere solebant, vt recolit Iob 5. l. 1. vbi populus congregabatur, quod notat 1. Cor. 5. l. 1. sicut Deuteronomij 16. legitur. *Iudices constitues in omnibus portis tuis*. Iudices præsto estote: Adeste ianuis, pauperi, viduæ, pupillo. *Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Ordo naturalis est, vt ratio appetitui sensibili dominetur. [P] Multa sunt inferiora, quæ iugum excussere: non ita de appetitu; siquidem, & ille est *sub te, & tu dominaberis*. Vel sumitur imperatiuè quasi dicat *dominare*, hortando; est enim [Q] mos scripturæ accipere futurum pro præsenti imperatiui; Exodi 20. *non furaberis* &c. litera habet, *sub te erit appetitus eius*, & sic fertur à D.Th. [R] pluribus locis: *eius*, idest peccati; ad malum enim inclinat; sed nihilominus alibi sæpe vsurpatur in recto, *sub te erit* [S] *appetitus tuus*: septuaginta legunt; *ad te conuersio eius: & tu ipsius dominaberis*. Quomodo autem liget passio rationem, culpabiliter tamen, sicut cum quis voluntarie inebriatur: quomodo possit ratio insurgen-

O D.Th. hic.

P Rom. 1. l. 7. & alibi.

Q D.Th. hic.

R 1.2.58. 2. & de veritate 21.2.9.ad 6.& hic.

S p.2. 10. 3.9.77. 3. de veritate 25. 4. & in psal. 17.& 16.

tem comprimere, præ multis, docet citatis locis de veritate; atque in psalmus præfatis, monemur, quo subijciamus nobis motus, peccata, & dæmones, de recursu ad Deum.

VERSVS VIII. *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum, egrediamur foras: cumque essent in agro &c.*

Egrediamur foras. Damascus metropolis est Syriæ quæ quondam [T] contra filios Israel, vt potè fortissimos, & crudelissimos Reges habens, dimicabat. Ferunt ibi Abel interfectum: interpretatur autem Damascus, *sanguinis potus*, vel *sanguinis osculus*; ideoque significat potentes huius sæculi, qui sanguinis potum sitiunt, quia voluptatibus, & illecebris carnis, & sanguinis delectantur. Significat etiam aereas potestates, quę animarum nostrarum sanguinem sitiunt. T Cantic. 7.

VERSVS IX. *Cumque essent in agro consurrexit Cain, aduersum fratrem suum Abel, & interfecit eum.*

Quo facinus perpetrandum parentes, & sorores lateret; [V] proinde nec accusari posset, nec puniri Cain, trahit Abel, auræ forsan captandæ prætextu, solitarium in agrum: agrum fraterna cæde fœdaturus; qui prius horrendæ animæ agrum non diligenter exercuerat, ad monitum Spiritus Sancti, Prou. 24. *diligenter exerce agrum tuum*; sed sterilescere fecerat in tribulos peccatorum. Sapientiæ 10. *ab hac vt recessit iniustus in ira sua, per iram homicidij fraternitas deperijt. Consurrexit*, qui prius inuidentiæ flagello exanimis squalore vultus tremebat, euocatis ad fratricidium quasi ab orco spiritibus; consurgit minax, minasque vnà simul, & ictus ferino rictu, crudeli aggressu conglomerans, *interfecit eum. Consurrexit*: ly *con* à D. Thoma 2. Petri 3. dicitur esse præpositio associatiua: ad rem autem ait D. Ambrosius, *consurrexit, surrexit cum Diabolo*. Habemus in canone, *si quis suadente Diabolo clericum percusserit*. Io. 8. *ille homicida erat ab initio*. A tanto scelere non impium [X] cohibuit, fędus maximum, & fortissimum naturæ vinculum, quod debet esse inter fratres, qui manant immediatè ab vna carne; nec timor comminatæ paulò ante pęnæ, nec reuerentia iustitiæ in fratre (sibi vtique nota ex probato holocausto) nec simplicitas humilitatis, & innocentiæ, nec promptitudo obedientiæ ad agrum. Permisit Deus Innocentem occidi in figuram occisi Iesu; [A] signa enim gratiæ plura etiam in lege naturæ præcesserunt: hinc Apocalypsis 13. *Agnus qui occisus est ab origine mundi*, idest inquit [B] Angelicus, præfiguratus ab origine mundi occidi: sicut in occisione Abel. Pastor Abel, & Christus Pastor bonus. Io. 10. Innocens Abel, Innocentissimus Christus. Ecce agnus. Io. 1. ille à fratre occisus, iste à fratribus crucifixus: *ex quibus est Christus secundùm carnem*. Rom. 5. Fęcundatus est ager Ecclesiæ sanguine agni.

7 V D. Th. hic.

X D.Th. hic.

A 4. 2. 1. 2. 4.

B Hebr. 9. l. 5. & c. 11. l. 4.

VERSVS IX. *Et ait Dominus ad Cain; vbi est Abel frater tuus? Qui respondit nescio; nunquid custos fratris mei sum ego?*

Quam clemens Dominus! inquit hic D. Thomas, non est interrogatio ignorantis; (certè) sed ad pęnitentiam inuitantis. [C] Cœperat tunc mundi prima ætas, quæ comparatur infantiæ, [D] in qua nec lex scripta erat, nec punitio. *Nescio*: quod refertur ad pertinaciam [E] intellectus.

C D. Th. hic.

D Hebr. 9. l. 5.

E D. Th. hic.

ctus. *Nunquid custos?* quod pertinet ad obstinationem affectus. Respondit indignanter & pertinaciter. Postquàm clementiam respuit vocantis, tanquàm iudex procedens Dominus, *quid inquit fecisti?* Inquit Theodoretus in Genesin, numero marginali 37. *primis legum transgressoribus supplicia infliguntur, vt alij punitione conspecta transgredi non audeant. Sic Cain primus homicida, affectus fuit supplicio, ne talia alij perpetrare auderent.*

VERSUS X. *Dixitque ad eum, quid fecisti? vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.*

Quasi dicat licèt non confitearis, tamen factum euidens, & sanguis [F] fratris tui tenet locum, & vicem accusatoris: vnde interlinearis glossa dicit, *euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.* Id ipsum repetit [G] dicens, Deus vtitur conscientia peccatis quasi accusatore, secundùm illud Rom. 2. *inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium.* Vel etiam euidentia facti, quantùm ad ipsum, secundùm illud, *vox sanguinis fratris tui:* & ibi ad 2. fert citatam glossam. Vel petit sanguis effusus fieri iustitiam, sicut si [H] alta voce clamaret. Quod quidem habet ex merito fidei vt ait [I] Apostolus Hebræorum 11. *& per illam defunctus adhuc loquitur.* Crescit quippe delictum, ex fidelis, & innocentis nece. Licèt & homicidium qualecumque sit vnum ex quatuor peccatis, quæ dicuntur clamare ad [L] Dominum *clamat* ergo accusando: [M] & alibi, *clamat* [N] vindictam. Vbi Apostolus, sicut & capite vndecimo, inquit, *loquentem;* vel quia distinctis grauioris sceleris circunstantijs omnibus, & apicibus, non est coram summo iudice confusus clamor, sed articulata veluti facti delatio. In Proœmio veræ expositionis in Cantica Canticorum ait Angelicus, ferens illud, *sonet vox tua;* si volumus secundùm quandam adaptationem loqui, dicere possumus Deum habere duas aures; vnam iræ, aliam pietatis: secundum aurem iræ, audit clamorem, secundùm quem modum dixit ad Cain; *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4. secundùm aurem pietatis dicitur audire cantilenas; idest, affectiones, cogitationes, orationes, desideria deuotarum mentium.

VERSUS XI. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.*

8 Maledictus super terram, idest plusquam terra, sicut dicitur, *Rex magnus super omnes Deos.* Psalm. 94. maledicta autem suprà fuerat terra, spinas, & tribulos prolatura, Ieremiæ 4. *nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Ex peccato in peccatum trahendum Cain ob impœnitentiam, indicat Deus. Vel *super terram;* quia omnes tanquam scandalosum homicidam, & Diaboli asseclam, (ille homicida erat ab initio Io. 8.) tanquam malum, ac pessimum erant enunciaturi. Talia [O] ex D. Thoma. Vel vt ait opusc. 58. *maledictus eris super terram,* idest, [P] plusquam caro tua: erat enim tanquam contumax puniendus non solùm corpore, quod terra est ac in terram ibit, sed & anima in inferno. Verùm quia subditur; *quæ aperuit os suum,* ex illo relatiuo, *quæ,* pressiùs colligitur, sermonem esse de terra quam pedibus calcamus: viuimus quippe super terram, & Cain vitam ducturus erat maledictam. *Quæ aperuit os suum,* (quo cruenta lingua clamaret ad Dominum) *& suscepit de manu tua;* Consultò ponitur *tua,* quod de ministro iustitiæ dici nequiret, manu enim iustitiæ, rei plectuntur; denique quia, *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Sap. 11. Forsan vt abscondere corpus Abel, haurireturque quasi crudelis bestiæ ore, illius hiatu innocentis cruor, terram impius effoderat [Q] *sic aperuit illa os suum.*

VERSUS XII. *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.*

En sterilitas, & agri mendacium in pœnam. *Vagus* solum quæsiturus pes eius: *profugus* ex timore hostium; vnde in hebræo habetur *timidus* [R] vel vagus timore corporis: profugus agitatione mentis furiosæ.

VERSUS XIII. *Dixitque Cain ad Dominum maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.*

Desperat de Dei indulgentia. Si credidit simpliciter a malitia vinci sapientiam contrà id quod dicitur sap. 7. fuit infidelis [S] Vnde si quis in vniuersali existimaret [T] misericordiam Dei non esse infinitam, infidelis esset. Hoc tamen non existimat desperans, sed quòd sibi in statu illo, propter aliquam particularem dispositionem, non sit de Diuina misericordia sperandum. Vndecunque nihilominùs oriri potest desperatio, quia aut putat impius Deum nolle dimittere, [V] aut non posse, tanquàm aut omnia non possit, aut inuideat saluti.

VERSUS XIV. *Ecce eijcis me hodie à facie terræ* &c.

9 Eoquòd audierat *vagus, & profugus, seu timidus eris super terram,* (*cùm enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia* Sap. 17.) intellexit iratum Deum, atque adeò consectarium erat, vt se ciectum &c. non ignoraret. Aut quia iudicem Deum audierat; post latam sententiam, sciebat se vltrà iudicis ante conspectum non esse admittendum, secundum illud Nahum 1. *non consurget duplex tribulatio,* siue secundùm aliam literam, quod ait D. Thomas 3. p. 59. 5. *non iudicabit Deus, bis in idipsum.* Ergò, inquit *eijcis me hodie à facie terræ.* Sed arbitror, dixisse *à facie terræ,* quia terram quæ susceperat sanguinem, (reuerentiæ ac studij obsequendi verbum est in scripturis *suscipere, suscepit Israel puerum suum; suscipe Verbum Virgo Maria;* quamquam Cain terram quasi facinori consentientem velut aspiciens in delictum) erat horrori habiturus, quia contrà eum clamabat *& à facie tua abscondar.* eiectus similiter dicitur Hieremiæ 15. *eijce illos à facie mea,* vbi D. Thomas, [X] *vt me non videant,* & mea præsentia non defendantur, & adducit hunc textum, *ecce eijcis me* &c.

VERSUS XV. *Dixitque ei Dominus: nequaquàm ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. posuitque Dominus in Cain signum.*

Vel dixit paulò ante ex desiderio, omnis qui, inuenerit me *occidet,* idest occidat me, [A] vt secundùm glossam interlinearem, *compendio mortis, præsentes cruciatus euaderet:* Quod accidit desperantibus. Vel timuit vt quisque executor diuinæ iustitiæ, ipsi mortem inferret. *Dixitque ei Dominus, nequaquam ita fiet* Non ità citò morieris.

F D.Th. hic.
G 2.2.q.87. a.2.
H D.Th. hic.
I D.Th. hic & Hebræorum 11.l.2.
L Iacobi 5.
M Ioan. in ep.1.c.7.
N Hebr. 12.l.4.
O D.Th. hic.
P op.58.
Q D.Th. hic.
R D.Th. hic.
S D.Th. hic.
T 2.2.q.20. a.1.
V op.41. l.2.7.
X Hier. 15.
A D.Th. hic.

rieris.

rieris, vt credis, misericors Dominus *expectat* omnes Isaiæ 30. ad pœnitentiam; quia *perditio tua Israel*; oseæ 13. nec ita te à cura mea eieci, quin grauissimè puniam qui te occiderit. Acutissimè hic quærit Angelicus, quare non dicitur qui occiderit *te* sed *Cain?* Dicendum quòd Cain est nomen naturæ: per hoc igitur ostendit quòd nôn licet in naturam insurgere, etsi in peccatorem sit licitum, puta iudicibus, carnifici, quorum interest, ratione culpæ. *Septuplum* &c. homicidij peccatum summopere se detestari ostendit Dominus, nec sustinet transeat in exemplum malitiæ. Immò grauiùs puniendum qui occiderit Cain; & meritò, quoniam vna simul cum corpore animam perdet; de hoc D. Thomas [B] & è regione ad tempus pœnitentiæ, numero septenario dicitur habenda vltio [C]. *Posuitque Dominus in Cain signum* &c.

B op. 41. l.7.c.11.

C Danielis 9.

Hoc signum secundùm magistrum historiarum [D] fuit tremor capitis, vt sciretur à Domino punitus, & iudicatus; & ita nemo auderet in illum manus inijcere. In hoc signum consentit etiam alibi [E] D. Thomas, insinuans fuisse ad meritum desperationis; nam diffidens aut desperans de Deo, habet, inquit, caput cordis tremulum à procella tentationis. Theodoretus etiã inquit *ipsa Dei sententia, quæ prohibebat illum occidi, signum erat; & ipsa membrorum concussio notum manifestumque eum reddebat*.

D D.Th. hic.

E op. 41. l.1.c.7.

VERSVS XVI. *egressusque Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.*

Egreditur à facie Domini. Perseuerans in desperatione, quem eijcientem sine clementia conceperat Dominum, deserit contumaci abscessu, faciem eius non visurus, incuria, perfida optione, & contemptu. Eo autem pacto dicitur egredi, quo alibi legitur, recessit à Deo salutari suo Deut. 32. & Augustinus, inuenit se longè a Deo in regione dissimilitudinis. Egreditur a Deo; quia *in ipso viuimus & mouemur, & sumus* Act. 17. sumusque ac manemus in illo, per gratiam & charitatem. Egreditur impius non reuersurus. Abijt autem quamquam profugo pede orientem versùs, in Eden ad delicias maiores ibi captandas, vnde Adam exulauerat, nec eò audebat.

VERSVS XVII. *Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch, & ædificauit Ciuitatem vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Henoch.*

Tacuit scriptura quæ nam fuerit vxor; cùm tamen ex necessitate soror illius fuerit, quia non erat in exemplum trahenda coniunctio huiusmodi. *Henoch* interpretatur *dedicatio*; huic quamquam non fuerit primogenitus, ceu prædilecto sua cuncta addixit, ideoque sic vocauit; & ciuitatis ædificatione voluit perennare. Vixit diù Cain; & sic potuit gentem multam propagasse. [F] sunt hæc consona sancto Doctori. Vixit sanè post genitum Lamech, qui tamen fuit ab Adam [G] septimus per Cain. Propter hominum præsertim commoda, Ciuitates extructæ sunt, sic & à Cain; [H] retorquendo tamen in suum dominium, & præsertim ad securitatem: hinc ait Iosephus, [I] quod rapina, & violentia opes congregans, suos ad latrocinia inuitabat. Sic timens quos lædebat, suos ob securitatem in ciuitate collegit: Ciuitas quasi ciuium vnitas. [L] (vnde aiebat Augustinus cit. op. c. 2. quòd ciuitas, est multitudo hominum, in vno societatis vinculo colligata) ad quam requiritur quòd habeat sufficientiam per se, in vico enim non inueniuntur omnia necessaria vitæ humanæ: aliæ etiam expenduntur conditiones ad Ciuitatem. Verùm non momento euasisse in ciuitatem credendum. Rerum omnium exordia tenuia sunt. D. August. in Apoc. exponens cap. 16. illa verba *væ ciuitas magna* capitis 18. ait *ipsa est ciuitas quam Cain fratris sui sanguine fundauit, & vocauit nomine filij sui Henoch idest posteritatem*.

F D. Th. hic.

G Hebr. 11. l. 2.

H op. 10. l. 4. c. 2. & 3.

I D. Th. hic.

L psalm. 45.

VERSVS XVIII. *Porro Henoch genuit Irad, &c.*

Alius Henoch per Seth septimus ab Adam, optimus fuit, vt notat Angelicus Hebræor. 11. l. 2. de quo cap. sequenti.

VERSVS XIX. *Qui accepit, Lamech, duas vxores.*

Nisi radices plantemus, ramos non colligimus. Secundùm glossam [M] peruenitur ad Lamech; qui fuit pessimus, vtpote qui contra naturam primus introduxit bigamiam. Vsque ad versum 23. non est opus immoremur. Diuus Thomas percurrens singula, singula eruditissime hic lustrat, & illustrat de artium memoratarum inuentione: vnum ex illo noto, Organum generale nomen esse omnium instrumentorum, & dicitur ab *Orge*, quod est colere, quia solebant his vti ad cultum Dei. Remanet adhuc in sancta Ecclesia vigetque; id nomen; introducto sacro Organorum vsu per Vitalianum Pontificem anno 637.

M D.Th. hic & Hebr. 11. l. 2.

VERSVS XXIII. *Dixitque Lamech vxoribus suis Ada & Sella: audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum.*

Perdifficilis, & salebrosus est textus præsens. D. Thomas [N] hic, non omninò probat occisum ab Lamech esse Cain, quamquam Magister, quem citat, historiarum id dixerit: vnde quia non solùm ferox, sed carnalis & voluptuosus erat Lamech, propendet his de causis, quod & passim accidit hodie, perpetrasse viri & adolescentis cuiusdam necem; intentasque ideò non mirum voluerit vxores, vt pertimescerent sanguinarium maritum: fortè enim inuitas iunxerat connubio, alijque, garrularum mulierum relatu, minacem Lamech lædere non auderent. Caueat vnusquisque, subinde adnectit Lamech, quia si, vt per omnium volitat ora, qui occiderit Cain magis punietur; magis adhùc multòque magis propter me sumenda esset vltio. Quod quidem comminatus est; vel ex paritate Dominicæ comminationis, suadens præsto esse vltionis rigorem, attento quantùm horreat Deus homicidia; vel excandescendo in ruinas (vltrà irã Dei) in quemuis qui aduersùs ipsum, insidias moliri auderet.

N D.Th. hic.

Verùm quia plurium Sanctorum Patrum est sensus occisum istum virum fuisse Cain, quamquam id Thodoreto haud arrideat, qui immò putat, non duos sed vnum occisum, hoc est *virum agentem iuuenilem ætatem*, alibi Sanctus Thomas satis concedit: [O] opusculo 41. inquit, iustitia sine misericordia est cœcus furor,

O op. 41. l. 1. 15.

ror,

ror, & eſt vt cæcus ſagittarius, occidens hominem cum debet occidere vitium, ſicut Lamech, qui ſagittauit Cain, & occidit, volens occidere

P 2.2.64. 8. 1.

feram. Iterum autem 2. 2.[P] inquit primo argumento; videtur quòd aliquis caſualiter occidens hominem incurrat homicidij reatum; legitur enim Geneſis 4. quòd Lamech credens interficere beſtiam, interfecit hominem, (verum eſt quod hic cautius loquitur non dicit Cain, occiſum ſed hominem, attamen probat occiſionem caſualem, quam hoc in facto prima ſententia negat.)

Mihi igitut dicendum videtur, occiſum fuiſſe Cain ab Lamech inſcienter; cohæret textus, nam ſi inimicum necaſſet, non ipſum appellarer *virum*, à virtute à virore, [Q] à vigore à virilitate dictum: pro viro autem habebatur Cain, qui erat Pater primus [R] omnium de terra illa, magnaque habitus in reuerentia.

Q Iacobi 2.

R D.Th. hic.

Neque facilè apparet quomodo Lamech ſcienter omninò, præmeditatò duos auſus fuiſſet occidere, Dei indignationem non veritus. Itaquè veroſimile eſt, (implexa hae in quæſtione) non quidem quia præ ſenectute caligaſſent Lamech oculi, ſed quia monitus fuerat ab ſocio armigeto adoleſcente de fera latente, vibraſse ſagittam, ſufficienti non adhibita diligentia, in Cain, inibi ad auram inter frondoſa incedentem, auditoque venatorum ſtrepitu, fugam timore comite maturantem, vibraſſe inquam ſagittam, atque præcordijs ictum, Dei permiſſu, occidiſſe: indeque percitus ira, comitantem adoleſcentem ſuſte fortè, tanquam reatus ſui cauſam, necanit. Fauet huic ſenſui alloquentis vxores intentio, & ſermo Lamech. Fieri poteſt vt ab ipſis, vel ab alijs ipſarum pro deſenſione, quòd eſſent oppreſſę ſæua mariti vita, ſibi inſidias paueret; ideoque vt vxores natura timidiores, per illaſque, conſanguineos abſterreat, *audite* inquit *vocem meam vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum*; feriæ grauiſque locutionis præludia hæc ſunt; quæ facili periphraſi exponi poteſt. Ego ſi ſcitis, recolite, *occidi virum*, non quidem ſpontè ſed quaſi inciderit ipſe *in vulnus meum*, ideoque etiam dico *in vulnus meum*, quia æquè animo ſenſi necem illatam: *adoleſcentulum* etiam occidi *in liuorem meum*, ipſe pariter veluti in percuſſiones meas irruit, quia noluiſſem adoleſcentulo vſque ad necem inijcere manus, ideoque non gladio percuſſi vel iaculo, ſed ligno: atqui grauiter nimis verberatus, quamquam non effuſo ſanguine, liuoribus atque vibicibus perijt: hunc itaque occœcatus paſſionis ira nollens, quemadmodum & virum, vnus ego inter omnes occidi; & quamuis ignoranter hæc egerim, me tamen diuina manet vltio, ſeptuplùm punitura; Quid opinamini ſit futurum de illo, qui mihi data opera & ex induſtria mortem intentaret? *de Lamech* quidem *ſeptuagies ſepties dabitur vltio*. Cauete, caueant, *audite, auſcultate*. Sic expoſitus remanet verſus 24. & adhùc tamen meditamur clariorem ad intelligentiam, ſecuritatem vitæ ſuæ intendiſſe ſine dubio Lamech, per hunc ſermonem, qui vt arctiùs vxorum cordibus eſſet impreſſus, magnam captare conatus eſt attentionem dicens; *audite vocem*

S in pſ. 3.

meam; ideſt procedentem [S] ex corde; vox enim quæ non procedit ex corde dum loqnor, non eſt mea: *& auſcultate*; quod importat diligentem attentionem, ſermonem meum: quocirca D. Hieronymus Prologo in Ioel, legit, *audite verba mea vxores Lamech, auribus percipite ſermones meos*, præmittens. *Vbicumque hæc duo verba iuncta ponuntur, non ad ſimplicem tantùm verborum ſonum, ſed ad reconditam quoque dictorum intelligentiam pertinere, intelligendum eſt*. Captat etiam beneuolentiam, quod patet ex eo, quòd appellat eas vxoris affectu *vxores Lamech*. *Sermonem*. Sermone priuatim, & ſingulariter aliquos [T] inſtruimus.

T 1.Cor. 2.l.1.

Eò ergò pergit ſermo, vt paueat vnuſquiſque tangere Lamech; illo a fortioti argumento, quia ſi qui occidere auſus fuiſſet Cain, pœnam ſeptuplicem erat daturus; & hanc ego effugere non poſſum, tametſi, *in vulnus meum*, quia ex ignorantia, quæ excuſat à tanto, licèt non à toto: vnde doleo pluſquam, vel æquè ac vulneratus: quid erit de mei occiſore, non caſu, neque ſubita ira me vulnerante? *occidi* etiam *adoleſcentulum*, ſed captus repente iracundia; *in liuorem meum*, (en alia expoſitio,) quia tenerè amabam ætatulam adoleſcentis, atque adeo, quemadmodum occiſio Cain ceſſit *in vulnus meũ* (*conuertetur dolor eius in caput eius*. Pſalm. 7.) (*gladius eorum intret in corda ipſorum*. Pſalm. 36.) (*Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur*, Prouerb. 1.) ita occiſio adoleſcentis *in liuorem meum*, amoris, & pœnitudinis amarum teſteu; amor enim ſummè intenſus [V] facit euacuationem ſpirituum, & ſic relinquitur color pallidus vel liuidus; Poeta, *palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti*: deprehenditur amor, ex vocis teneritudine, *adoleſcentulum*. Neſcio quare Chaldea legat; *Non occidi virum, vt propter eum, ego portem peccatum: neque adoleſcentulum diſperdidi, vt propter eum, conſumatur ſemen meum*.

V 1. Petri 2.

VERSVS XXV. *Cognouit quoque adhùc Adam vxorem ſuam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain*.

Seth interpretatur Reſurrectio, quia quaſi Abel in [X] iſto iuſto filio reſurrexit. Quod propheticè præuidiſſe Adam crediderim, quia inquit, *poſuit mihi Deus ſemen*: non dicit dedit, ſed *poſuit*, hoc eſt ſtabiliuit non defecturum: an autem ante Seth, alios habuerit, dicemus ſequenti capite.

X D.Th. hic.

VERSVS XXVI. *Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos: iſte cœpit inuocare nomen Domini*.

Trina perſonarum recenſione Adæ Seth, & Enos, forſan non ſine myſterio ſtabilita innuitur Adæ in mundi finem poſteritas. Poſt diluuium quippe ſola remanſit [A] generatio Seth in Noè. *Iſte cœpit inuocare nomen Domini*. Enos interpretatur inuocatio. Colligo, & huic, inſtinctu Diuino, impoſitum fuiſſe nomen, *Enos*, futuri preſagium & index. Non quod antea non fuerit Dei cultus; nam Adam & vxor, ſimiliter Seth Deum ſine dubio piè & ſanctè coluerunt; ſed quoniam inuenit [B] modum aliquem ſingularem, colendi, vel orandi, aut inuocandi Deum. Fortè ſolemni quadam ratione, pluriumque conuentu. A tertio voluit ſolemnius Sancta Trinitas coli, & inuocari. Ecclesia autem, vt ſuprà dictum eſt incœpit in Abel, non deinceps interrupta, quia pœnitentia Adam & Eua iuſtificati, etiam mortuo Abel in ſe ipſis

A D.Th. hic.

B D.Th. hic.

Ecclefiam fanctam feruauerunt. Non cepit autem in Adam, quia eo lapfo perijffet; nec eo ftatu non permanfuro fundanda erat Ecclefia, quæ in typum, poft Adam futura erat, quia poft ipfum de latere facta eft. Vnde Sanctus Doctor [C] ad illud Ioannis 19. *exiuit fangui. & aqua*; Aqua ad Sacramentum baptifmi; ad Eucharistiam fanguis; quia ficut de latere Chrifti dormientis in Cruce fluxit fanguis & aqua, quibus confecratur Ecclefia; ita de latere Adæ dormientis formata eft mulier, quæ ipfam Ecclefiam præfigurabat. Hoc recolui fupra c. 2.

C Io. 19. l. 5.

CAPVT V.

Sap. 2. d. 24. 1 HIc eft liber generationis Adam. In die, qua creauit Deus hominem, ad fimili-
Eccli. 17. a. 1. tudinem Dei fecit illum. 2 Mafculum, & fœminam creauit eos, & benedixit
illis, & vocauit nomen eorum Adam, in die quo creati funt. 3 Vixit autem
Sap. 1. d. 28. Adam centum triginta annis: & genuit filium ad imaginem: & fimilitudinem fuam, voca-
Iof 9. a. 6. uitque nomen eius Seth. 4 Et facti funt dies Adam, poftquam genuit Seth, octingenti an-
1. Par. 1. a. 1. ni, genuitque filios, & filias, 5 & factum eft omne tempus, quod vixit Adam, anni non-
genti triginta, & mortuus eft. 6 Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit
Enos. 7 Vixitque Seth poftquam genuit Enos, octingentis feptem annis, genuitque filios,
& filias. 8 Et facti funt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus eft.
9 Vixit verò Enos nonaginta annis, & genuit Cainan. 10 Poft cuius ortum vixit octin-
gentis quindecim annis, & genuit filios, & filias. 11 Factique funt omnes dies Enos non-
genti quinque anni, & mortuus eft. 12 Vixit quoque Cainan feptuaginta annis, & genuit
Malaleel. 13 Et vixit Cainan poftquam genuit Malaleel octingentis quadraginta annis,
genuitque filios, & filias. 14 Et facti funt omnes dies Cainan nongenti decem anni, &
mortuus eft. 15 Vixit autem Malaleel fexaginta quinque annis, & genuit Iared. 16 Et
vixit Malaleel poftquam genuit Iared, octingentis triginta annis: & genuit filios & filias.
17 Et facti funt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus eft. 18
Vixitque Iared centum fexaginta duobus annis & genuit Henoch. 19 Et vixit Iared poft-
Eccl. 44. c. 15. quam genuit Henoch octingentis annis, & genuit filios, & filias. 20 Et facti funt omnes
Hebr. 11. b. 5. dies Iared nongenti fexaginta duo anni, & mortuus eft. 21 Porro Henoc vixit, fexaginta
quinque annis, & genuit Mathufalem. 22 Et ambulauit Henoch cum Deo: & vixit, poft-
quam genuit Mathufalem, trecentis annis, & genuit filios, & filias. 23 Et facti funt omnes
dies Henoch trecenti fexaginta quinque anni. 24 Ambulauitq. cum Deo, & nō apparuit
quia tulit eam Deus. 25 Vixit quoque Mathufalem centum octoginta feptem annis, & ge-
nuit Lamech. 26 Et vixit Mathufalem, poftquam genuit Lamech, feptingentis octoginta
duobus annis, & genuit filios, & filias. 27 Et facti funt omnes dies Mathufalem nongenti
fexaginta nouem anni, & mortuus eft. 28 Vixit autem Lamech centum octoginta duobus
annis, & genuit filium: 29 vocauitque nomen eius Noe, dicens: Ifte confolabitur nos ab
operibus, & laboribus manuum noftrarum in terra, cui maledixit Dominus. 30 Vixitque
Lamech, poftquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios, &
filias. 31 Et facti funt omnes dies Lamech feptingenti feptuaginta feptem anni, & mor-
tuus eft. Noe verò cum quingentorum effet annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet.

VERSVS I. *Hic eft Liber generationis Adam, in die qua creauit Deus hominem ad fimilitudinem Dei fecit illum.*

Fit recapitulatio Adæ, tamquam propter hominem dicta fint omnia & facta: titulufque ponitur generationis; quia propagatio ab Adam defcribitur: & confonat Primo noui Teftamenti libro, in quo legitur, *Liber generationis Iefu Chrifti*, vt vetus, & nouus, primus & fecundus homo fimili memorentur exordio. Lege D. Th. [A] Adam nunc fumitur pro fingulari; non enim mulierum texuntur generationes.

A D.Th. hic.

VERSVS II. *Mafculum & fœminam creauit eos: & benedixit illis: & vocauit nomen eorum Adam, in die qua creati funt.*

Nunc accipitur Adam pro homine communiter. Adam quippe à terra dicitur, [B] ficut homo ab humo; vnde vterque radicitus mole corporea, in qua, & elementum terræ quantitate pollet, de terra factus eft. Potuit dici & mulier Adam, quia refoluto nomine hoc in quatuor literas, complere omnes partes mundi deprehenditur ad græcum idioma expreffas: *Anatole*, enim dicitur oriens. *Dyfis*, occidens; *Arctos*, feptentrio; *mefimbria*, meridies. Iuxta hanc cabalam, fcrutati funt nomen Adam D. Cyprianus in tractatu de fina, & Sion; D. Auguftinus tractatu 9. in Ioannem, & Beda in eundem: de quo D. Thomas Ioann. 2. l. 2. & nos fuprà c. 1. num. 42. hinc Sibylla.

1 B D.Th. hic.

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,
Qui primus factus eft, & qui nomine complet,
Ortumque occafumque, Auftrum, Boreamque rigentem.

Signatur fortè id græco idiomate (vbi viuere debuit fapientia) quafi Regem Orbis totius creatum Hominem; cui vt dicitur in pfalmo, *omnia fubiecit*. Per quandam tamen excellentiam vir fibi retinet nomen: mulierique eft impofitum nomen fpeciale.

VER-

VERSVS III. *Vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth.*

Ad imaginem & similitudinem suam genitum Seth, habemus ex Moyse, non inquit vt supra, eum conditus est homo, ad imaginem &
C D.Th. hic. similitudinem Dei; erat enim per peccatum C in naturalibus deturpata, in gratuitis abolita; sed ad suam (erat sanè & Seth *natura filius* iræ, vt dicitur Eph: 5.) cumque superuacaneum sit id asserere, in quantùm omne simile, ex Philosopho 7. metaphysicæ, generat sibi simile, putat Angelicus insinuari posse, Ptolis quamquam electæ, per peccatum originis, infectionem. Sed ipse adhuc putanerim dictum, quia specialiter ex penitente, & iustificato Patre filius natus erat victus.

Vixit autem Adam centum triginta annis & genuit filium &c.

2 Statim pulsat animum quæstio, an annorum pondus tantum esset, quantum hodie, plurium scilicet mensium complexu ad cursum Solis; non enim defuere, qui tot annis longioris vitæ auditis, æstatem, & hyemem pro duobus annis,
D D.Th. hic. vel quatuor anni D tempora pro quatuor, vel lunatem mensem pro vno anno, ponerent. Germanior sententia est, vt intelligatur facer textus de communibus annis: prouidere enim voluit Altissimus, quo terra postet repleri, de longo annorum curriculo, vt sic disseminaretur genus humanum: ad quam quidem vitæ diuturnitatem, non tam vis naturæ, quàm robur diuinitus acce-
D 2.32.1. 3.4. ptum faciebat D Nec enim defecit longa ætas ob naturæ languorem; quia ob eandem prolixioris languoris causam, non idem perstitisset naturæ vigor à Moyse ad Dauid vsque, & vsque ad nos, cum tamen diceret iste, *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni* &c. ps. 89. Rationabile etiam est, vt hac in re, vnde generationum series mundique ætas attenditur, non sic æquiuoca loqueretur Moyses, paulo post Abraham & Saram circà centenarium, steriles vetulosque prompturus; & pressius c. 8. non exprimeret decimum mensem, sed decimum annum; nec mensium essent expressi vsque ad vigintiseptem dies, vt notat August. 14. de Ciuit. Dei, c. 14. *Vixit autem Adam centum triginta annis.* Fortene absque liberis toto hoc cursu? Friuolum est quòd à quibusdam dicitur, Heuam scilicet propter desolationem de morte Abel continentiam
E D.Th. hic. vouisse, Deumque postea dispensasse; quod videtur E dicere Methodius & Strabus. Commentum gratis excogitatum. Audierant de propagatione præceptum: non verosimile est, absque speciali instinctu ausos fuisse abstinere, Igitur ante Seth & post, filios genuerunt & filias; licet enim legatur post generationem Seth, quod Adam genuit filios & filias, benè potest intelligi dictum pro antea, & postea etiam, genitis, neque enim est quicquam cogens, vt postea solùm genuisse explicetur: in cuius signum non legitur, *postea genuit* sed *genuit*, dumtaxat: & si in sacris literis quædam subsecuta, dicuntur per anticipa-
F 4.43.1. 3.1.3.& 3. p.53.3.2. & op.60. a.22. tionem, vt illud Matthæi 27. *multa F corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt*; quare antecedentia similiter postpositiuè nequeunt enarrari? sic quippe expressè dicit Angelicus hic in calce
G D.Th. hic. capitis 4. quia quamuis alios Adam G post mortem Abel genuerit, tamen similes in bonitate non erant. Ratio autem fundamentalis trahitur ex fine sacre Historiæ, eò enim collimat, vt generationum annorumque supputatione,
mundi cursus, & ætas innotescant H vtque præsertim ij recenseantur geniti, per quos ad Christum deueniendum erat, *finis* quippe *legis Christus* Roman. 10. Posteritas autem quorumcumque præterquam Seth, cuius generatio stetit in Noè, erat per diluuium, Dei præsciētia extinguēda, fuitque de facto extincta. Hic est sensus Augustini, probatque per exemplum genealogiæ Christi, vbi primò dicitur Abrahā genuit Isaac, & non fit mentio de Ismaele primogenito: deinde, Isaac genuit Iacob, relicto Esau. In hoc sensu D. Thomas Hebræorum 11. l. 2. Henoch vocat per Seth, septimum ab Adam; quod prius dixerat sanctus Iudas in sua canonica; vbi D. Thomas, *septimus* vtroque computato. H D.Th. hic.

In scopulum autem periculosum ferimur, nisi spiritusancto flante euadamus. vbi legimus, centum triginta annorum, iuxta hebræos; Septuaginta habent, ducentos, triginta annos: atqui non solum de hac Adæ ætate, sed de sequentibus quoque, coaceruant supra nostram litteram *centum*: vt vbi est; *vixit autem Enos nonaginta annis & genuit Cainam*, legitur vixisse centum nonaginta. Quodque mirum est, quantum angent de numero annorum antequam generent, subtrahunt, de annis qui sunt in nostra, postquam genuerunt, vnde conuenimus in ætate qua mortui sunt. Sic obseruat D. Hieronymus in Hebraicis quæstionibus, hic apud I D. Thomam, qui ait, vnde processit nescio, nisi ex vitio scriptorum: quod non est impossibile; quia semel irrepente errore in annis Adæ, potuit credi detrahendos esse centum de vita posteriori, mutatoque numero annorum in vno, imperitus aliquis potuit hanc eandem resectionem, & proinde transpositionem annorum facere in alijs. D. Hieronymus, quod sit verius, non asserit. I D.Th. hic.

Ipse verumtamen crediderim, non tam facile fuisse errorem ex mendis scriptorum, ideoquè recolens ex Præfatione Hieronymi in Pentateuchum, Septuaginta in traductione liberos deficientesque fuisse, præsertim in ijs quæ pluralitatem tangunt Personarum in Deo; quod, inquiunt hebræi, prudenti factum consilio, ne cum esset vnius Dei cultor, apud Iudæos secus arbitraretur: puto similiter fieri potuisse, vt animaduertentes ipsi septuaginta, Ægyptijs priscis annum menstruum fuisse, pariterque Chaldæis, vnde ante monarchiam Alexandri, vt refert Diodorus Siculus, supputant mundi tria, & quadraginta millia annorum, scilicet menstruorum, vt ait Xenophon in libro de Æquiuocis; hoc inquàm animaduertentes, timentesque ne Ptolemæus tot centenis auditis annis vitæ, id opinaretur, ne exinde ridiculum arbitraretur, impuberi adhuc ætate genuisse filios, transposuerint centum annos de illorum vita, postquam genuerunt, ad ætatem præcedentem priusquam genuerint, æquè enim totá illorum ætas integrè capiebatur. Suspicatur certè D. Augustinus hic apud Cornelium à lapide, sciolum aliquem, hac de causa mutasse numerū in Septuaginta, tatum esse annos menstruos; vtque uon ei obijceretur, vbi legimus centum, quomodo in ætate tam

parua potuerint generationi incumbere, dixisse ducentos; hinc demens, illic addens. De huiusmodi varietate infra.

VERSUS V. *Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta & mortuus est,*

3 Non sic certus est locus sepulchri. Verumtamen communior est sanctorum Patrum humatum vbi & vitam degerat, Hinc magister in historijs relatus hic c. 3. a D. Thoma id ipsum sensit, dicens, Adam eiectum de Paradiso, fuisse positum in angulum vel agrum Damascenum, iuxta quem postea ipse & Heua sepulti sunt; &

L D. Th. sic c. 3. subdit Angelicus; L vnde autem hoc habet, nescio; nisi quòd Iosue 14. dicitur quòd *Hebron*, quæ fuit data Caleb, *ante vocabatur Cariath-Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est*. Idem Sanctus Doctor c. 11. in Hebron Adam legitur

M D. Th. c. 11. M esse sepultus: & iterum loquens de Abraham

N D. Th. c. 23. quærenti vbi sepeliret Saram, N puto, inquit, quòd tam ex reuelatione, quàm ex speciali deuotione ad sanctum & primum Patrem Adam, ibi sepulchrum hoc fecerit, vnde signanter nomen ciuitatis Hebron vocatur *Arbe*, propter quatuor Patriarchas ibi sepultos; *Arbe* idem sonat, ac *quatuor*; & addit, spelunca dicitur, quia sepulchrum illud erat in saxo, vel rupe vel in cauerna saxea: duplex verò dicitur, quia duplicem habebat loculum, vnum scilicet pro Adam, aliud pro Heua. Et apud Tirinum; quatuor perecensentur ibi Patriarchæ sepulti Adam, Abrahaam, Isaac, Iacob. Quoniam autem Adam etiam pro homine solet poni, anceps est Auctor iste cum alijs, num stet pro primo Parente. Quidam secundùm Chrysostomum, dicunt,

O In Io. 19. l. 3. quòd in illo loco, O qui Caluariæ dicebatur, Adam mortuus fuit, & sepultus: idipsum refert Matthæi 27. Golgotha quod est Caluariæ locus;

P Matth. 27. P eo quòd Caluaria dicitur apud homines denudatum, sicut patet in cœmeterijs; vnde dicitur in græco Cranios: & dicunt aliqui quòd in illo sepultus fuit Adam. Hieronymus istud improbat, quia sepultus fuit in Hebron, vt habetur Iosue

Q 3. p. 46. 10. 3. 14. Denique alibi Q refert talium sententiam ex Hieronymo: & reprehendit, quemadmodum citato loco, in Matthæum & Ioannem, sub his verbis. Quidam exposuit Caluariæ locum in quo sepultus est Adam, & ideò sic appellatum, quia ibi antiqui hominis sit conditum Caput. Fauorabilis interpretatio, & mulcens autem populi, non tamen vera; extra vrbem enim, & foras portam, loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum, & caluariæ idest decollatorum sumpsere nomen. Adam ergò sepultum iuxta Hebron, & Arbe, in Iesu filij Naue volumine legimus. Hæc Hieronymus. Tradit Iacobus Edessenus, qui fuit Magister Sancti Ephrem apud Barcepha l. 1. c. 14. quòd Noë ossa Adami (sic ex Cornelio à lapide) in Arcam religiosè susceperit, & post diluuium inter suos liberos distribuerit, & Semfilio, quem anteferebat cæteris caluariam dederit, & cum eo Iudæam petierit: hinc cranium Adæ sepultum esse in monte caluariæ. Hæc sanè non pugnant cum ijs, quæ dicta sunt, quia potuit primò sepeliri in Hebron, durasseque ad locum illum deuotio, etsi, non ibi essent ossa Adami.

VERSUS XXIV. *Ambulauitque Henoch, cum Deo, & non apparuit quia tulit eum Deus,*

Ambulauit cum Deo; quod est R consentire, 4
& placere Deo; Malachiæ 2. *in pace, & æquitate* R Hebr. 11. l. 2.
ambulauit mecum; & ps. 100. *ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*. Specialiter placuit Deo per fidem; vnde *fide Henoch translatus est*. Ex hoc autem quòd legimus, *ambulauit*, innuitur quòd semper profecit, atque adeo peruenerat ad singularem perfectionem. Sic Ephesiorum 5. *vt filij huius ambulate*. & cap. 2. *creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*, S vbi D. Thomas: *Signanter* autem dicit *ambulemus*, vt designet boni operis profectum. S Ephes. 2. l. 3.

Et non apparuit, quia tulit eum Deus. Ecclesiastici 44. legitur, *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum*, Apostolus etiam cit. cap. 11. ad Hebræos, *quia transtulit illum Deus*. Diximus supra cum de Terrestri Paradiso esset sermo, ibi perennare Henoch. Vltrà loca allegata, idipsum tradit Angelicus, T Hebræorum 11. T Hebr. 11. l. 2.
L. 2. dicens, sicut enim conueniens fuit, quòd iustus introduceretur. Vbi præmittit, quare mors Henoch & Eliæ dilata est, quia doctrina veteris testamenti ordinatur ad promissa noui testamenti, in quo nobis spes vitæ æternæ promittitur, Matthæi 4. *appropinquabit enim Regnum Cælorum*; & ideò data sententia mortis, voluit Dominus ducere homines in spem vitæ æternæ, quod fecit in Partibus cuiusque status scilicet naturæ, legis, & gratiæ; vnde in primo statu dedit spem euadendi necessitatem mortis, & hoc in Henoch: in Lege in Elia; in tempore gratiæ in Christo, per quem datur nobis effectus huius promissionis; & ideo alij moriuntur, sed *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*: Sed duo primi morientur per Antichristum. Theodoretus; *transtulit Henoch, vt huius prædicatione futuram indicaret resurrectionem*,

Si autem ad huc quæratur, quare Henoch & Elias ibi reseruentur: etsi iudicia Dei V occulta, V D. Th. hic.
non sint temerè aut præsumptuosè dissentienda, sed potiùs veneranda, & metuenda; & sic eius arcana opera & consilia non sint curiosè, aut præsumptuosè perscrutanda, sed fideliter magnificanda, & sobriè speculanda, aliqua tamen congruentia adduci potest; quia scilicet reseruantur in tempus iudicij tanquam testes fidei, quemadmodum habetur in Apocalypsi cap. 11. vbi D. Thomas; & ita X homines cuiuslibet X Apoc. 11.
temporis dabunt testimonium Christo, & contradicent Antichristo: Henoch, qui pertinet ad tempus ante Legem; Elias (de quo Regum 4. c. 2. *ascendit Helias per turbinem in Cælum*,) qui est de tempore Legis; & Christiani Prædicatores, qui erunt de tempore gratiæ. Alia motiua cur fuerint à Deo selecti tangit hic D. Thomas. Interim autem vt citato cap. 11. ait pariter creduntur in Paradiso vesci Ligno Vitæ, & viuunt in magna quiete carnis, & spiritus, dantes operam delectationi quæ est in Deum, nec eorum uita longa est eis afflictio, sicut in alijs hominibus multis, quia secundùm animam sunt in iucunditate quietis internæ, sicut ait Gregorius; & etiam secundùm corpus, habent quietem; suntque per Augustinum l. 9. in Genesin, quasi in quodam medio statu, inter statum gloriæ. Viuunt

nunt etiam de alijs lignis Paradiſi pretioſis: ita
X D.Th. hic. hic D. Thomas 10.

VERSUS XXVII. *Et facti ſunt dies Mathuſalæ, nongenti ſexaginta nouem anni; & mortuus eſt.*

Omnes translationes in hanc Mathuſalæ ætatem conueniunt, tàm noſtra quàm ſeptuaginta, [A] ut hic ait D. Thomas. Hæc ætas Mathuſalæ debuit ſine dubio terminari ante diluuium, nàm nemo præter octo animas, ut hic conſtat, & dicitur à D. Petro Epiſtolæ 1. cap. 3. ſuperſtes fuit. Terminata autem deprehenditur in puncto, anno quo fuit diluuium; nàm cum genuit Lamechū erat centum octoginta ſeptem annorum: Lamech filius eius cum genuit Noë, erat centum octoginta duorum: Noë cum uenit diluuium erat ſexcentorum; ergo, cum hi ſexcenti cum primis Mathuſalæ centum octoginta ſeptem, & primis Lamechi centum octoginta duobus, emergant in nongentos ſexaginta nouem, conſtat uſque ad diluuium, & non ultra perueniſſe Methuſalem; voluntque paucis diebus ante præmortuum fuiſſe. Quamuis D. Auguſtinus in primo Libro quæſtionum in Geneſin, qua neſcitur ſupputatione ſex annis ante diluuium obijſſe Mathuſalem aſſeruerit. Verba Auguſtini hæc ſunt. *Quæri ſolet quomodo Mathuſalem, ſecundùm annorum computationem viuere poſt diluuium potuerit: ſed hanc quæſtionem plurimorum codicum mendoſitas peperit. Non ſolùm quippe in Hebræis aliter inuenitur; verùm etiam in ſeptuaginta interpretatione, Mathuſalem in codicibus paucioribus, ſed veracioribus, ſex annos ante diluuium reperitur fuiſſe defunctus*: Quod etiam explicat lib. 15. de Ciuitate Dei. c. 11. & 13. Verum quidem eſt, quòd Lamech, cum uixerit ſolùm ſeptingentos ſeptuaginta ſeptem annos non vidit Noë, niſi quingentorum nonaginta quinque annorum ætate, & ſic mortuus eſt ſexto ante diluuium: uerumtamen, non ita Mathuſalem. Fortaſſe D. Auguſtinus ſupputationem fecit de annis 777. Lamech filij, & de annis centum octoginta ſeptem Mathuſalem Patris, & hi quidem, cum ſint nongenti ſexaginta quatuor, præcedunt diluuium ſexto anno.

Grauior immò grauiſſima, inquiunt ſancti Patres Auguſtinus, & Hieronymus in Hebraicis quæſtionibus, eſt difficultas, ſi attendamus Septuaginta: ipſi enim, vt refert hic Angelicus, [B] dant Mathuſalem generanti non *centum octoginta ſeptem*, ſed demunt viginti duos ab octoginta ſeptem, legentes, *ſexaginta quinque*.
B D.Th. hic. Quamuis D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis, D. Auguſtinus referant literam Septuaginta eſſe de annis ſexaginta ſeptem, & cum illis hic D. Th. tamen, & in hoc tranſcribentium fuit error: nàm græca nunc palam habent *execontapente*. 65. Lamech autem generanti dant, ſex annos amplius, dicentes ſuprà centenos, habuiſſe octoginta octo; ex quo ſequitur vt ſupputata ætas Mathuſalem, qui ſecundùm ipſos iunior genuit, non exhauriatur ab anno diluuij; ſed ſuperabundet de annis ſexdecim, quibus poſtea vixerit. Quia ætas eius fuit nongentorum ſexaginta nouem; & facto nuperrimo Septuaginta interpretum calculo, vſque ad diluuium excurrunt ſolùm nongenti quinquaginta tres; vnde viuere adhuc debuiſſet poſt diluuium annis ſexdecim. Quod cum ſit erroneum, quia *octo* ſolùm *animæ ſaluæ factæ ſunt*, ſupereſt ex neceſſitate dicendum, Septuaginta literam, eſſe ſcriptorum vitio mendoſam atque corruptam; ne hebraicam, & noſtram damnantes, cogamur cum quibuſdam relatis à D. Auguſtino comminiſci, fuiſſe Mathuſalem, cum Henoch Patre ſuo in Paradiſo terreſtri, præſeruatum; quod improbat Sanctus Pater. Igitur Henoch ſolus eò translatus eſt, in quo inquit Angelicus [C] figurata fuit Chriſti aſcenſio. C Apoc. 5. primo commentatio.

VERSUS XXIX. *Vocauitque nomen eius Noë, dicens iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum in terra cui maledixit Dominus.*

Prophetice ſine dubio id dictum eſt. [D] Conſolationem autem habituri erant, quia vir iuſtus, & rectus ſolatium eſt parentibus, Prouerb. 10. & 15. *Filius ſapiens lætificat Patrem*; & quia Deo conformes, *lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*. Pſalm. 57. malorum punitionem, futuram illius in vitæ curſu prænouerant. Cruciabantur ſine dubio, & ipſi de peſſima corruptorum hominum vita, in dies innaleſcente. De Loth, ſimile inquit D. Petrus Epiſtola 2. cap. 2. *de die in diem animam iuſti ſuis iniquis operibus cruciabant*. *Et laboribus manuum noſtrarum*. Fuit quippe auctor ruralium inſtrumentorum, ex quibus colendi ruris labor alleuiatur: vineamque erat culturus, ex quo non exiguum ſpiritibus labore langueſcentibus eſt ſolatium. Noë interpretatur requies: multiformis autem tequies per ipſum toti expurgato mundo obuentura erat. Sic inquit Angelicus, terminatur generatio primæ ætatis, quæ continet nouem generationes. Addo ex D. Thoma [E] Noë requies interpretatur, & ſignificat Chriſtum, in quo eſt requies animarum. 5 D D.Th. hic. ti

Hic operæ pretium eſt de mundi ætatibus quicquam dicere. Inquit Angelicus [F] Mundo non aſſignantur ætates quantùm ad ſubſtantiam; quia ſic in perpetuum durabit, ſed quantùm ad ſtatum, ſic enim tranſibit mundus, & ſic antiquatur, & ſeneſcit, & ſecundùm hoc diſtinguuntur ætates mundi metaphoricè, ſecundùm diuerſas notabiles varietates. Prima ætas fuit ab Adam vſque ad Noë, in qua fuit humani generis inſtitutio, & lapſus, (in qua, inquit [G] Hebreorum 9. nec lex ſcripta, neque punitio, ſicut infantia.) Secunda à Noë vſque ad Abraham, in qua fuit humani generis deſtructio per diluuium, & renouatio. Tertia ab Abraham vſque ad Dauid, in qua fuit circumciſionis & legis inſtitutio. Quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, in qua lex floruit ſub Regibus, & Prophetis. Quinta à tranſmigratione Babylonis, vſque ad Chriſtum, in qua fuit populi captiuatio, & liberatio: Sexta à Chriſto vſque ad finem mundi. Subiungit autem [H] in Pſalmum 6. currunt ſimul ſexta, & ſeptima ætas, ſcilicet laborantium, & quieſcentium: & poſt has, erit octaua ætas reſurgentium. Sic in primam Petri [I] ait, per hoc quòd octo animæ ſaluæ factæ ſunt, intelligitur quòd nullus ſaluatur, qui non habet fidem reſurrectionis, quæ ſignificatur per octonarium, quia Chriſtus octaua die reſurrexit, & reſurrectio generalis erit octaua ætate. Huc facit etiam 6 F 4.40. ex poſitione textus. G Hebr. 9.l.5. H pſ.6. I 1. Petri 3.

quòd confiderat Ambrofius in Catena Lucæ 7. Idoneum inquit eft dicere, quòd feptem refurrectiones ante Dominicam narrantur; quarum prima eft filij Sareptanæ; (3. Regum 4. ab Elia) fecunda filij Sunamitidis; (4. Regum 4. ab Elifeo.) tertia quæ facta eft in reliquijs Elifei; (4. Regum 13.) Quarta quæ facta eft in Naim; (Lucæ 7.) quinta filiæ Archifynagogi; (Matth. 9.) fexta Lazari; (Ioan. 11.) feptima in Chrifti paffione; multa namque corpora Sanctorum furrexerunt; (Matth. 27.) octaua eft Chrifti, qui ex pers mortis remanfit vlterius: in fignum quòd communis refurrectio futura eft in octaua ætate &c.

CAPVT VI.

1 Cvmque cępiffent homines multiplicari fuper terram, & filias procreaffent 2
Videntes filij Dei, filias hominum, quod effent pulchræ, acceperunt fibi vxores ex omnibus quas elegerant. 3 Dixitque Deus. Non permanebit fpiritus meus in homine in æternum, quia caro eft: eruntque dies illius centum viginti annorum. 4 Gigantes autem erant fuper terram in diebus illis, poftquam enim ingreffi funt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, ifti funt potentes à fæculo viri famofi. 5
Videns autem Deus, quod multa malitia hominum effet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta effet ad malum omni tempore, 6 pęnituit eum, quod hominem feciffet in terra. Et tactus dolore cordis intrinfecus. 7 Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ, ab homine, vfque ad animantia, à reptili, vfque ad volucres cęli, pęnitet enim me feciffe eos. 8 Noè verò inuenit gratiam coram Domino. 9 Hæ funt generationes Noè. Noè vir iuftus, atque perfectus fuit in generationibus fuis, cum Deo ambulauit. 10
Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth. 11 Corrupta eft autem terra coram Deo, & repleta eft iniquitate. 12 Cumque vidiffet Deus terram effe corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam fuam fuper terram,) 13 dixit ad Noè. Finis vniuerfæ carnis venit coram me; repleta eft terra iniquitate á facie eorum, & ego difperdam eos cum terra. 14
Fac tibi arcam, de lignis læuigatis: manfiunculas in arca facies, & bitumine, linies intrinfecus, & extrinfecus. 15 Et fic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. 16 Feneftram in arca facies, & in cubito confummabis fummitatem eius: oftium autem arcæ pones ex latere: deorfum, cænacula, & triftega facies in ea. 17 Ecce ego adducam aquas diluuij fuper terram, vt interficiam omnem carnem: in qua fpiritus vitæ eft fubter cęlum: vniuerfa, quæ in terra funt confumentur. 18 Ponamque fędus meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tecum. 19 Et ex cunctis animantibus vniuerfæ carnis bina induces in arcam, vt viuant tecum: mafculini fexus, & fœminini. 20 De volucribus iuxta genus fuum, & de iumentis in genere fuo, & ex omni reptili terræ fecundùm genus fuum: bina de omnibus ingredientur tecum, vt poffint viuere. 21 Tolles igitur tecum ex omnibus efcis, quæ mandi poffunt, & comportabis apud te: & erunt tam tibi, quam illis in cibum. 22 Fecit igitur Noè omnia, quæ præceperat illi Deus.

Infr. 8. d. 21. Matt. 15. d. 19. Eccle. 44. c. 17.

Hebr. 11. b. 7.

VERSVS I. *Cumque cœpiffent homines multiplicari fuper terram, & filias procreaffent,*

Magnum pondus habent verba Moyfi. Prima, inquit, ætate mundi percurrente, excreuerant homines numero fuper terram; vt inde intelligamus frequentem inter homines confuetudinem, amicitiarum vincula, contubernalis vitæ domefticam focietatem: Cumque natura ex peccato prona effet ad malum, ex promifcua viuendi ratione, morum fine dubio corruptelam, ac vitiorum inundationem. Morbida facta pecus totum corrumpit ouile. *Comedẽtes & bibentes*, inquit Matthæus c. 24.: *edebant & bibebant*, Lucæ 17. Non mirum, dicantur multiplicati *fuper terram*, quia non tanquam Cęlicolæ, quod aiebat Apoftolus, Philipp. 3. *noftra Conuerfatio in Cælis eft*; fed vt terrigenæ ad ima depreffi, vitam agebant. *Venter* inquit Hieronymus [A] *& genitalia fibi metipfis vicina funt, vt ex vicinitate membrorum, confœderatio intelligatur vitiorum.* Ofeæ 4. *comedent & non faturabuntur, fornicati funt, & non ceffauerunt.* Non mirum exarferint in libidinem. Tangit facer textus punitionis futuræ proximam caufam, dicens, *& filias procreaffent.*

A 2. 2. 151. 3. 3. & Apoc. 16. primo commẽt.

VERSVS II. *Videntes filij Dei, filias hominum quòd effent pulchræ, acceperunt fibi vxores, ex omnibus quas elegerant.*

Dicuntur filij Dei à Moyfe, inquit Angelicus, [B] filij Seth qui boni erant: filias autem hominum nominat fcriptura eas, quæ natæ erant de ftirpe Cain. Id ipfum tradit opufc. 41. [C] nec non in 2. ad Annibaldum; & in præfenti ait, [D] Dicendum, quòd ficut tota generatio Saracenorum vel Schifmaticorum fegregata eft à generatione bonorum Chriftianorum, fic tota generatio Cain, erat tunc fegregata à generatione Seth. Addit Theodoretus, *propter illatam eis à Deo maledictionem*: & hi vocantur hic filij Dei, alij verò vocantur filij hominum. Hic notandum intelligi à D. Thoma Saracenorum nomine Turcas feu Mahometanos. Sic etiam [E] 4. contra Gentes memorat errorem Iudæorum & Saracenorum, qui

1 B p. p. 51. 1. 6.

C op. 41. l. 5. 28. & 2. Annib. 8. 3. 2.

D D. Th. hic.

E 4. cont. G. c. 83.

qui ponunt quòd in reſurrectione homines cibis, & venereis vtentur. Dicuntur autem Saraceni, vt Stephanus qui de vrbibus ſcripſit teſtatum reliquit, apud Antonium Zara in Anatomia Ingeniorum ſectione 4. c. vnico, non à Sara vxore Abraham; nam appellantur Agareni ab Agar, & Iſmaelitæ ab Iſmaele filio Agar, ſed à Saraca, quæ eſt Regio Arabiæ poſt Nabathæos, cuius habitatores Saraceni vocantur. Ad rem noſtram, videtur hæc germana textus intelligentia, tum quia Saluator citatis locis, abſolutè pronunciat *nubentes, & nuptui tradentes; ſiue vxores ducebant, & dabantur ad nuptias*. tum quia Sacer textus, inquit, *acceperunt vxores*; ſi autem pro filijs Dei, Dæmones intelligerentur, nunquam diceret *acceperunt in vxores; & ex omnibus quas elegerant*; nec Dæmones corporali pulchritudine fuiſſent illecti.

2 Diſplicuit autem huiuſmodi connubiorum ligamen in oculis Domini, quia ad communicationem vitæ, ſequitur facillimè morum infectio: mulier quippe inter fortia enumeratur Eſdræ 3. c. 4. nàm *multi dementes facti ſunt propter vxores ſuas*; hinc ſemper Zelator Dominus, pluries inhibuit populo ſuo, cum alienigenis connubia, Exodi 34. *nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis*: & Deuteronomij 7. *filiam ſuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipiet filio tuo*: vnde 1. Eſdræ 10. propter huiuſmodi tranſgreſſionem vehementer iratus eſt Dominus, dicente, quo placaretur, Eſdra, *ſeparamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis*. Hinc etiam 3. Regum c. 11. *non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras; certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos illarum*. Quamuis autem in prima

F 1.2.94.4.2. ætate, propter [F] recens beneficium creationis non fuerit idololatria, maxima ſine dubio fuit morum corruptela, magna vniuerſalis culpatæ vitæ proteruitas, immoderatuſque libidinis æſtus: ex quo forſan, ſolemni quodam conſenſu, hinc & hinc iniri coniugia decreuerant, *nam ex omnibus quas elegerant*. (Studioſus nimis effræni ex libidine vxorum delectus,) aitque Dominus, *nubentes, & nuptui tradentes, & vxores ducebant & dabantur ad nuptias*; fortè etiam poſt Lamech ſcandalum, impotenti luxuriæ œſtro, in bigamiam. Luxuriæ exceſſum indicat conſentanea poena. Inquit Angelicus, [G] primum iudicium Dei factum eſt per aquam, quia in primo ſtatu viguit luxuria, in qua ſunt duo, ſcilicet ardor & fœditas, propter quod tùnc facta eſt purgatio per aquam, quæ eſt refrigerans & purificans. Docuit Dominus quibus indigeret, laſciuientis mundi ſpurcitia. Quamuis autem concupiſcentia accenſa minuat iram, & ira accenſa minuat concupiſcentiam ex p. p. 81. a. 2. tamen, quia vt ibidem tradit, paſſiones iraſcibilis incipiunt à paſſionibus concupiſcibilis, propter hoc enim pugnæ animalium ſunt de concupiſcibilibus; ſcilicet de cibis & venereis, vt dicitur in 8. de animalibus, crediderim ego vtrumque ignem, & libidinis, & iræ exarſiſſe, *nam cuncta cogitatio cordis intenta erat ad malum omni tempore*; eratque homo *caro*, ideſt carnalibus victus paſſionibus; & ideo meritò & concupiſcentiæ & iræ ignis abſorptus eſt aqua. Ira indicatur triumphaliſſe; Sap. 10. vbi poſt tactam iram Cain ait; *propter quod, cum aqua deleret terram*.

G 2. Petri 3. & Matthæi 24. & 4. 47. 2. 3. 2. ad 2.

Mirum autem forſan videbitur carnali homini, excidium Vniuerſi ob luxuriam legenti, cùm maximè inſederit laſciuientium animis opinio, vt Deus facilè indulgeat hoc peccatum: & ideò in primis extirpandus venit hic error, deindeque rationes diuinæ iræ, expendendæ. 3
Sciant, vbique in Sacris Scripturis exaggerari hoc delictum, condignamque pœnam. D. Paulus 1. Corinth. 10. *neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vna die*, &c. 1. Theſſalonic. 4. poſtquam monuit de carnalibus ſubdit, *quàm vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus*. Epheſiorum 5. *nemo vos ſeducat inanibus verbis, propter hæc enim*, (ſcilicet carnalia quæ præmiſerat) *venit ira Dei in filios diffidentiæ*. Et Hebræorum 13. *fornicatores & adulteros iudicabit Deus*, vbi D. Thomas, [H] *iudicabit*, ideſt *condemnabit*; in quo elidit errorem aliquorum dicentium, quòd Deus peccata carnalia non punit, nec curat. Hinc Epheſ. 5. *omnis fornicator, aut immundus non habet partem in Regno Dei, & Chriſti*, & quod mirum eſt, typus decantatus reproborum nempe Eſau, Malachiæ 1. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, hanc habuit maculam; vnde D. Thomas [I] Hebræorum 12. Eſau autem non ſolùm fuit guloſus, ſed etiam luxurioſus, quia contra voluntatem parentum, duxit vxores alienigenas. Similes Eſau, tunc erant carnales innumeri in mundo; & ideo inquit Angelicus [L] diluuium fuit inductum propter peccata luxuriæ (quod ſupra tetigimus) præcedenti ex gula occaſionata. Puto autem modeſtè ſupponi, ſcelerum infandorum colluuiem, quia eloquia Domini caſta. Satis fuit concupiſcentiam oculorum, & carnis prodere, vt & Ioannes in ſua prima c. 2.

H Hebr. 13. l. 1. & ſermone 20. de tempore.

I Hebr. 12. l. 3.

L 2. 2. 148. 3. 1.

Ratio autem quarè meritò Deus iraſcatur in iſtis, multiplex eſt; quia huiuſmodi peccata, cum quis inceperit committere, vix vnquam ceſſat. Hinc D. Petrus 1. c. 2. *oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti*; ideſt ibi Diuus Thomas, [M] *Luxuriæ*. Oſeæ 4. *Fornicati ſunt, & non ceſſauerunt*. Propterea aiebat D. Auguſtinus; *Diabolus maximè gaudet de peccato luxuriæ*, [N] *quia*, ait Angelicus, eſt maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo poteſt eripi, inſatiabilis enim eſt delectabilis appetitus; ideoque idem Auguſtinus [O] *dum ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo, & dùm conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*. Patet in caſu noſtro; non enim audierunt Noè prædicantem, comminantem, Arcam ſtruentem, ſed præuaricati ſunt Matthæi 24. *vſque ad illum diem, quo intrauit Noè in arcam*. 4

M 1. Petri 2.

N p. 2. 73. 5. 2.

O 2. 2. 142. 2.

Hi ſunt prætereà dicti ab Apoſtolo Epheſiorum 5. *filij diffidentiæ*; & ad Coloſſenſes 3. *filij incredulitatis*. Quia ſic peccantes [P] diffidunt de vita æterna: ad mentem Apoſtoli, qui dixerat Epheſ. c. 4. *qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ*: luxuria quippe eſt filia deſperationis [Q] quia multi ex deſperatione ſpiritualium, dant ſe totaliter carnalibus: ſicuti è contrà, per hoc quòd affectus eſt infectus amore delectationum corporalium, & præcipuè venereorum faſtidit homo bona ſpiritalia, & non ſperat ea quaſi quædam bona ardua, & ſecundùm hoc deſperatio cauſatur ex luxuria, vt traditur 22. q. 20. 4. quod intelligo inchoatiuè, incipit enim pecca-

P Epheſ. 5. l. 1.

Q Coloſ. 3. l. 1.

tor

tor desperare postquam se dedit luxuriæ. Deinde magis magisque desperans, se totaliter carnalibus mergit, nec facilè emergit. Vel *diffidentiæ* quia quantùm est de se, non est confidendum vt corrigantur; & ideo venit ira Dei, Genesis 6.

5 Posttemò exosum est Deo hoc peccatum quia præ cæteris, Dei imaginem in homine delet: psalmo 48. *homo cum in honore esset non intellexit*, [R] similitudinem scilicet Diuinæ imaginis, propter rationem, *comparatus est iumentis*: nàm præcipuè circa appetitum sensitiuum bestialis quædam deordinatio pertinet ad peccata carnalia; eò quod delectationes tactus circa quas sunt gula, & luxuria, manifestè sunt communes nobis & brutis, & ideò sunt magis exprobabiles, quasi magis brutales, vt dicit Philosophus 3. Ethic. c. 10. & hoc significatur per immunditiam, quia scilicet homo per huiusmodi peccata maximè conuertitur, & trahitur ad id quod est infrà ipsum: vnumquodque enim dicitur esse impurum siuè immundum, ex commistione vilioris, sicut argentum ex commistione plumbi. Hoc innuit Dei verbum, *delebo hominem quem creaui*; non enim dixit delebo homines, vel pęnituit eum quòd homines, sed quòd *hominem fecisset in terra*, (quamuis posteà in deletione pluraliter loquatur *delebos eos*, in executione) quia imaginem videns abolitam, in eo quem creauerat, pęnituit fecisse hominem; velut diceret, vt quid illi dedi rationem, & non brutum feci? postquam brutali more suam vitam trahit: videant ergo qui luxurijs inquinantur, quòd, *nihil inquinatum in eam incurrit*, Sapientiæ 7. Isaiæ 35. *via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus*: audiantque Apostolum, immò Deum in Apostolo 1. Corinth. 6. nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt, & Apoc. 22. *foras impudici*.

R Rom. 1.1.7.

6 Exposuimus quid intelligatur pro *filijs Dei*. Sed quia Iosephus exponit illud [S] de Dęmonibus incubis: refertque D. Augustinus gigantes, [T] de quibus hic dicitur, primo fuisse Angelos malos, ex quorum commistione cum fęminis, sunt postmodum alij gigantes homines nati; ideò pro certo tenendum est Syluanos, & Faunos, (quos vulgus incubos vocat) improbos sæpè extitisse mulieribus, & carnis [V] expetisse atque peregisse concubitum; hausto prius semine ab aliquo viro, cui fuerit Dœmon succubus. Plures celebriores viros, quemadmodum & impium Lutherum ex incubis Dæmonijs genitos denarrat Maluenda L. 2. de Antichristo c. 9. primæ impressionis Romanæ. Quod quidem non competit puritati bonorum [X] Angelorum, sed immunditiæ malorum: vnde Angeli Dei Sancti nullo modo sic labi ante diluuium potuerunt: ex quo egrè pro filijs Dei, Dœmones intelligi possunt; vt opinabatur Iosephus; de quo & infra num. 8.

S 2. d. 8. 1. 4.
T D. Th. hic.
V p. p. 51. 3. 6.
X 2. Anth. 8. a. 1. ad 2.

VERSVS III. *Dixitque Deus; non permanebit spiritus meus in homine in æternum quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.*

7 Hæc verba Altissimi difficilia sunt humano imperfectissimo captui. Glossa hic, quam citat Angelicus in 4. inquit accipi spiritum [A] pro indignatione; & hanc sequitur idem S. Doctor alibi. [B] In præsenti quoque refert expressè Hieronymum, qui in [C] Hebraicis quæstionibus ait; *non iudicabit spiritus meus homines in sempiternum, quia caro sunt*; idest, *quia fragilis est in homine conditio*, non eos ad æternos cruciatus seruabo; sed hic illis restituam quod merentur; ergo non seueritatem, subdit Hieronymus, vt in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator pro suo scelere visitatur. Non improbat Angelicus ergò hanc sententiam. Sanè indignatio Dei qua veluti exufflat peccatores, in scripturis consueuit appellari spiritus, Exodi 15. *in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ*. Psalmo 17. *ab inspiratione spiritus iræ tuæ*. & Ps. 138. *quo ibi à spiritu tuo?* Isaiæ etiam 2. *cuius spiritus in naribus eius est*, vbi D. Thomas, [D] loquitur ad similitudinem irati, qui propter multiplicationem spirituum exufflat per nares. Clementissimus ergo Dominus miscet in puniendis nobis misericordiam, quod per os Dauid testatus est, psal. 76. *aut continebit in ira sua misericordias suas*; ideoque dat terminos ter quadragenos pœnitendi; *eruntque dies illius centum viginti annorum.*

A 4. 46. 2. 3. 2.
B op. 41. l. 5. 14
C D. Th. hic.
D Isaiæ 2.

Verùm, quia vt innuimus ex Hieronymo, litera nostra in alterum accinit sensum, ideò mirari oportet Diuini verbi vim, & omni ex latere venerari; Igitur non *permanebit Spiritus meus*, idest dilectio [E] mea vel voluntas mea. *Quàm bonus, & suauis est Domine spiritus tuus*. Sap. 12. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Idest non diù feram, dilectione in sæcula sustinente, corruptum hominem, *quia caro est*; nimis carnalibus desiderijs & operibus mersus. D. Augustinus; *si terram diligis terra es*. apud D. Thomas Apocalypsis 7. *Caro concupiscere habet aduersus spiritum*: Galat. 5. at nunc totus euasit caro, carnalis homo: etsi enim ad vxores esset coniunctio, verisimile est, in tanta morum laxitate profusaque libidine, diluuij vltionem prouocasse; in ipsis vxoribus, meretricio [F] amplexu, sine vllo frœno peccasse; sic vt posthabito prolis fine, essent quod ait Ieremias c. 5. *Equi emissarij in fœminas; hinniretque vnusquisque ad vxorem proximi sui; dum omnis caro corruperat viam suam*. Igitur inquit Dominus, spatium quod homini do ad resipiscendum, erit *centum viginti annorum*: hi erunt dies: de cœtero tenebras sibi timeat post illuminationes externas, & internas quas respuerit, & plagam mortis. Et sic est alia intelligentia, *non permanebit spiritus meus*, idest anima rationalis à me creata nō permanebit in homine, in æternum; idest diù vel longo tempore: sic enim accipi quandoque æternum, dictum est suprà & dicemus ad caput 13. Vt quid enim qui repleat orbem propagari, quando rationalis anima moraliter non est spiritus, sed contagione carnali facta caro? Non permanebit: mors separabit amara aquis diluuij.

E D. Th. hic.
F 4. 31. 2. 1.

Hæc est intelligentia huiusmodi annorum; quamuis non defuerint, qui ad cursum vitæ hominum, illos referant. Verùm D. Hieronymus, & Augustinus reijciunt horum [G] interpretationem, cùm plures inueniantur per ampliores annos vixisse; dumque comminatur Deus vltionem, videtur ad deletionem hominis, quam statim promulgat, verius debere referri. Solùm ebullit difficultas, quia hæc dicta sunt cum Noè

G D. Th. hic.

eſſet quingentorum annorum; cœpitque diluuium cum eſſet ſexcentorum: vt patet in litera: non ergo fluxerant centum & viginti. Occurrit Hieronymns quòd excreſcente mundi malitia, decreuit exhibitus ad penitendum annorum numerus. Et S. Doctor [H] alibi, inquit, in vindictam acceleratum fuit diluuium, poſt centum annos. D. Auguſtinus in Geneſin putat dictum hoc fuiſſe à Deo, priuſquam Noè haberet quingentos annos, quamuis tranſpoſitiuè referatur; quia præmiſſa eſt filiorum Noè generatio, antequàm de excidio vniuerſi fieret ſermo. Præterquamquòd acceleratio diluuij, multorum potuit cedere in bonum, ſicut quandoque plerique rapiuntur, ne malitia mutet intellectum eorum, Sap. 4.

VERSVS IV. *Gigantes autem erant ſuper terram, in diebus illis; poſtquàm enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illaque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.*

8 *Gigantes erant.* Secundùm Auguſtinum [I] gigantes ſunt homines ſtatura maximi, viribus fortiſſimi, & voluntate peſſimi, & crudeliſſimi. Quantùm ergò ad eſſe illorum, certiſſimum eſt fuiſſe: vnde, & memorantur Iob 26. *ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis*: vbi D. Thomas [L] ecce Gigantes, ſcilicèt antiqui *gemunt* ſcilicet in pœnis Inferni; ſub aquis, ideſt qui fuerunt ſubmerſi aquis diluuij. Verùm quia Gigantes interdum dicuntur [M] fortes corpore, non ita conſtat, an proceritate immani eſſent ij gigantes: tamen admittit Angelicus quòd tales fuerint dicens, [N] neque enim omnes Gigantes fuerunt, ſed multò plures ante diluuium quàm poſt. Difficultas eſt præcipuè ſi fuerunt Gigantææ ſtaturæ, à quibus geniti ſunt. Gloſſa quædam, quam refert D. Thomas, [O] inquit non eſt incredibile, à quibuſdam Dæmonibus, qui mulieribus ſunt incubi, huiuſmodi homines ſcilicet Gigantes eſſe procreatos; & non ſolùm quòd genuerint Gigantes, ſed quòd ipſi primò dicantur Gigantes, refert [P] Auguſtinus. Verùm cum ex ſacro textu videantur geniti à filijs Dei, non poteſt hæc expoſitio facilè admitti, non enim Dæmones merentur *filij Dei* nuncupari; boni enim Angeli *filij Dei* dicuntur Iob 1. *cum veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino*; & c. 38. *cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*; & ideò nullibi inuenitur D. Thomas aſſerere, quòd per Dæmones facti ſint hi Gigantes: licèt admittat, interdum ex coitu Dæmonum naſci, explicans quomodo id fieri poſſit hic, & pluribus locis. *Filij Dei*, ergo de quorum abſurdo connubio priùs dixerat, innuens tacitùs id ipſum, (vt patet ex Euangelio, *ducebant enim vxores, & dabantur.*) etiam de filijs hominum, robuſtioris naturæ, tanquam voluptatibus deditì: *edebant & bibebant*. Lucæ 17. ingreſſi ad filias hominum impetuoſa ardentique libidine, genuere Gigantes; non quidem ſemper, ſed primis ingreſſibus, nondum nimia Venere languidi, *poſtquàm enim ingreſſi ſunt*. Igitur præter ea quæ ſuprà dicta ſunt, nota ex Angelico, [Q] *filij Dei* ſunt filij Seth, deſcendentes nimirum ab illo, qui erant Dei filij per gratiam. Vel filij Deorum, vt legit Aquila, eo quòd ſecundùm Hieronymum *Elohim* vtriuſque numeri eſt, Deum & Deos ſignificans, & intelligit Aquila Sanctos

H Daniel 9.
D. Th. ic.
Iob 26.
Iſaiæ
P. p. 51.
de po... ria 6. ... c.
D. Th.
de po... tia q. ... 8.

vel Angelos, vnde *filij Deorum* primæua educatione, per ſanctam imitationem. Quod fortè alta mentis eleuatione poſuit Moyſes, vt inde vnde deciderant innoteſceret, eorumque ingratitudo emicaret. Et quia robur corporis fouet ſuperbiam, nomen ex potentia militari, & ex violentia ſibi aucupari ſtudebant [R] inde dicuntur *potentes à ſæculo, viri famoſi*. Hinc à Symmacho vocantur [S] violenti: in hebræo autem habetur cædentes. Tu nota hanc interpretationem cædentes à nullo adduci: ſed optimè ſuſtineri à radice *gabar*, quod ſonat *præualuit*. Incontinentes erant igitur, quia *ingreſſi* &c. ſuperbi, quia *potentes à ſæculo*; & ſcandalum alijs ferentes, quia *famoſi*.

VERSVS V. *Videns autem Deus, &c.*

Peccatum ex malitia grauius euadit. *Multa* 9
erat hominum malitia in opere: *& in terra*; quia terrenorum amore, & voluptatibus erant abſorpti. Verùm (vt ait alias Hieronymus) etſi non omnes mali ſecundùm actum, erant tamen [T] omnes mali ſecundùm pronitatem (non ſolùm naturæ corruptæ fomite) ſed conſentiente animo ad malum. Quam ingens malum! *cuncta cogitatio cordis*, non aliqua intenta, non rapta ad malum, non interruptione, ſed *omni tempore*. Quoniam verò poſt etiam legitur, *corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta iniquitate*; & iterum, *cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam*, (quocirca etiam Moyſi, vel Cœli ſuppreſſo nomine interijcitur teſtimonium, quamquàm eſſet indubitabile, quia Deus viderat) *omnis quippe caro, corruperat viam ſuam ſuper terram*; manifeſtè liquet, quòd Diuinis ab eloquijs docemur, pigritari veluti Deum, cùm ad vltionẽ vocatur, & egrè exequi minas: immò minari, & minitari nè puniat, emendationis præ cupidus, vnde hic legimus, dulcia illa verba, *& tactus dolore cordis*. Magis quippe proprium eſt Deo [V] miſereri & parcere, quàm punire, propter eius infinitam bonitatem; illud enim ſecundùm ſe Deo conuenit, hoc autem ſecundùm noſtra peccata. Liquet etiam, quàm certò debeat conſtare Iudici de culpa, dum Moyſi in prænarratione pœnæ interſeritur teſtimonium; dum inquit firmatque *omnis quippe caro, corruperat viam ſuam. Pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terra.*

Memorat S. Doctor [X] primo cont. Gentes quorundam Indæorum errorem attribuentium Deo iram, triſtitiam, pœnitentiam, & omnes huiuſmodi paſſiones ſecundùm proprietatem, non diſtinguentes quòd in ſcripturis ſacris propriè & metaphoricè vſurpatur. Non ita quidem: iraſci dicitur, non propter hoc [A] quòd in eo ſit commotio iræ, ſed quia ad modum irati ſe habet quantùm ad punitionis effectum: vnde illud quod eſt ſignum talis paſſionis in nobis, [B] ſignificatur in Deo per nomen paſſionis; & ſic metaphoricè dicitur iratus cum punit, quia punitio eſt ſignum iræ, & apud nos irati punire conſueuerunt. Hinc Iſidorus l. 1. de Summo Bono, *horum motuum apud Deum perturbatio nulla eſt, ſed ipſam æquitatem iuſtitiæ, qua reos punit, iracundiam ſacra lectio nominauit: & ait; tam clementer Deus humanæ contulit infirmitati, vt quia eum ſicut eſt, non poſſumus agnoſcere, noſtræ locutionis more ſeipſum nobis inſinuaret.* Sic in præſenti

R in pſ. 9.
S D. Th. hic.
T Matth. 7.
V 2. 2. 21. 2.
X 1 contra Gent. c. 92.
A Rom. 12. 14.
B p. 0. 19. 22. & Apoc. 16.

peni-

pœnitet, quia ad modum pœnitentis se habet; cùm enim nos pœnitet retractamus, vel destruimus quod [C] fecimus. In cuius doctrinæ confirmationem statim clarius legitur, ex quo pœnitere dicatur, *delebo inquit hominem*: quamquam ex præuio & generali affectu pœnitentium, & non solùm à determinato effectu deletionis, pœnitere dici queat, velutque tristari. Hæc est in vsu figura, appellaturque Anthropopathos, quando passiones hominum Deo attribuuntur secundùm hominum [D] motem, qui ex cordis displicentia, velut dolore anguntur: sic ingens notatur Dei, similitudinariè metaphorica passio, quia tactus cordis dolore intrinsecus, non enim dolore solummodo tactus: vtitur autem Spiritus Sanctus hisce metaphoricis locutionibus, nostro condescendens misericorditer captui. Immò Isaiæ 2. iram Dei sic instar hominum signat, vt Deum [E] *hominem* vocet ad eandem figuram Anthropopathos, vt obseruat Angelicus. Hæc autem Dei pœnitudo si mutationem inuoluere cocipiatur, non est in Deo: sic enim verificatur illud 1. Regnm 15. *triumphator in Israel non parcet, neque pœnitudine flectetur*, quod ipse eatenus intimari nobis opinor, quatenus discamus, non esse triumphantis de hostibus vi deuictis parcere, quamuis humiliter se se dedentibus indulgeatur. *Parcere*, aiebat ille, *subiectis, & debellare superbos*, & Psalm. 109. *iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*. Est ergo intelligenda absque omni mutatione voluntatis, [F] cum etiam aliquis homo absque mutatione interdum velit aliquid facere, simul intendens postea illud destruere; immò consilium etiam Dei est immutabile & indissolubile, quo mutabilia facit, vt pluribus vltrà citata loca, docet Angelicus: Isaiæ 46. *consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet*, præsertim [G] quoque 2. 2. & op. 17.

C p.p.19. 7.1.
D D.Th. hic.
E Isaiæ c. 2.
F p.p.19. 7. 1.
G 2. 2. 189.10.2. & op. 17. c.10.

VERSVS VII. *Delebo &c. à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres Cœli*.

10 Noe sanctissimo vito, de quo statim subditur, hæc à Deo dicta credantur, quemadmodum, & Moysi post tot secula inspirata fuere. Delere ergo comminatur non hominem simpliciter, nam nihil à Deo, etsi possit, in nihilum redigitur, [H] sed *à facie terræ*, sicut & pœnitere dictus est quòd fecisset hominem, non simpliciter, sed *in terra*, prout inquinatum sceleribus. Sed quæres hic cum Angelico [I] quare deleturum se inquit animantia. Respondet in signum detestationis eorum, pro quibus erant facta, & vt ostenderetur quòd non sunt, nec conseruantur nisi propter hominem: id ipsum etiam alibi [L] docet, dicens, in bruta verò animalia, & quascumque alias irrationales creaturas vindicta exercetur, quia per hoc puniuntur illi, quorum sunt; & iterum propter detestationem peccati, Sic legimus præceptum fuisse Saul primi Regum 15. de animantibus Amalec.

H p. p. 104. 1. & 4.
I D.Th. hic.
L 2. 2. 108.4.3.

VERSVS IX. *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis: cum Deo ambulauit*.

Perfectio Noë, præsertim meriti [M] in opere, ex excellentia vitæ significatur; *ambulauit*, vt supra cum de Henoch. Quàm vtile est ad hærere perfectis! illi qui Noe adhæserunt [N] saluati sunt à diluuio.

M Matthæi 5. in fine.
N Matth. 24.

VERSVS XIII. *Finis vniuersæ Carnis venit coram me; repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego dispergam eos cum terra*.

Culpa in scripturis non dicitur à Deo videri & venire ad faciem vel conspectum eius, [O] nisi quando disponit eam punire. Sic ergo pro merita pœna in culpa, finis & extinctio vniuersæ carnis venit coram me, quam clemens Dominus! reatus culpæ veluti extimulat ipsum, non ipse procliuis in pœnam. Malis obuenit finis [P] antequam cogitent de fine; *finis vniuersæ Carnis venit coram Deo*, qui noodum venerat coram eis. *Repleta est terra iniquitate*. continens [Q] pro contento. Adeò superabundauit malitia, vt nulla sit vacuitas: & ad hanc plenitudinem malitiæ significandam transit ad metaphoram terræ, *repleta est iniquitate, à facie eorum*. quasi dicat ex maculatis conscientijs exuperat eorum iniquitas. Super illud Matthæi 6. *faciem tuam laua*. Chrysostomus, *facies*, [R] *est conscientia*. Vel dictum est ad exaggerandam malitiam, quasi terra vltra nequeat sustinere, & ipsa eorum sceleribus inquinata. *Et ego dispergam eos cum terra*: aquis enim diluuij fuit veluti exterminata & dispersa terra, subducta ab oculis: [S] vel etiam quoad vigorem & fœcunditatem; vndè dicit glossa, *tradunt Doctores terræ vigorem, & fœcunditatem longè esse inferiorem post diluuium, & ideo hominibus esum carnium esse concessum*.

O D.Th. hic.
P Apoc. 16.1. com mentario
Q D.Th. hic.
R Matth. 6.
S D. Th. hic.

VERSVS XIV. *fac tibi Arcam de lignis lauigatis* &c.

Dulcis Dominus, adhuc supersedet ab vltione, & nititur reuocare lapsos! Iubet fieri Arcam, in conspectu [T] eorum ad terrorem; vt manifesta operatione fabricationis tantæ Arcæ, toti orbi apertè prædicaret futurum diluuium. [V] Hinc dicitur secundæ Petri 2. Noë *Iustitiæ præconem custodiuit*, glossa, [X] *qui iustitiæ opera faciens, qualiter viuendum esset coram Deo ostendit*. Item per hoc quòd fabricabat Arcam, eos ad iustitiam monebat: & sic prædicasse dicitur p. Petri 3. Christus Dominus illis, *spiritu*, idest per inspirationem internam, quamuis nondum per carnem assumptam; non in persona propria, [A] sed per Noë, & alios Sanctos illius temporis. Quæres, an fructum apud aliquos reportarint? Respondeo affirmando cum S. Doctore dicente hic c. 8. quot enim ad Deum [B] traxit? verumtamen plurimi increduli fuerunt, putantes quòd eos patienter sustineret, vel expectaret ad pœnitentiam: & præterea quot putas derisiones in credulorum sustinuisse? [C] Immò ad fabricationem Arcæ creditur Noë alios vocasse mercede: [D] qui tamen non curanerunt intrare, quia nec verum credebant, quod ille prædicabat, sed panem suum lucrabantur.

T 1. Petri 3.
V D.Th. hic c. 7. &
X 2. Petri 2.
A 1. Petri 3.
B D.Th. hic 8.
C 1. Petri 3.
D D.Th. hic.

Fac tibi Arcam &c.

Statim rogabis quare potius Deus voluit saluare Noë per Arcam, quàm solo miraculo? tetigimus causam vnam, vt monerentur, aliasque exponit S. Doctor [F] hic cap. 8. Addi autem potest, quia mirabiliora non facit Deus, cum mira sufficiunt: sicuti inquit Chrysostomus de vino, in nuptijs Canæ Galilææ; non enim ex nihilo [F] sed ex aqua factum est vinum. Suauiter quippe disponit omnia. Voluit fugere in Ægyptum, cum vbilibet, ipse qui est salus saluari posset. Igitur iubet structuram Arcæ. *fac tibi*: præcipuè siquidem

F D. Th. hic c. 18.
F Io. 2. 1.

dem ob Noè merita, tota Domus eius fuit præseruata. *De lignis leuigatis*. Septuaginta habent, *de lignis quadratis*. Omnia quæ de Arca dicuntur, allegoricè & mysticè altissima Dei sapientia explanantur, vt mox post literalem sensum dicemus. Et hac etiam de causa Deus, qui est omnipotens & bonus, benefaciens vt ait Augustinus, etiam de malo, ita ordinauit permissæ culpæ pœnam & præseruationem dilecti Noè, vt mysteriorum indè intelligentia, magnificaretur illorum Auctor, & fidelis populus fluctiuago etiam ex opere stabiliretur.

VERSVS XV. *Trecentum cubitorum &c.*

11 Pendet intelligentia magnitudinis Arcæ ex cubiti intellectu. Sciendum est igitur quòd minima mensura in demetiendo aliquo spatio, est digitus, qui constat quatuor granis hordeaceis: quatuor digiti secundùm latitudinem inter se iuncti faciunt palmum: quatuor huiusmodi palmi faciunt pedem: pes vnus & dimidius faciunt cubitum; qui proinde constat sex palmis, siue vigintiquatuor digitis. Hic est cubitus communis de quo videri possunt Vitruuius c. 1. l. 3. Vegetius l. 1. de re militari c. 5. Cœlius l. 3. c. 21. & alij. Est autem vt hic etiam [G] aduertit S. Doctor cubitus geometricus, qui continet sex communes cubitos, & ideò D. Augustinus plaudit Origeni dicenti, fuisse cubitos geometricos, vt tot Animalium commodè capax esset. Obseruat autem D. Augustinus [H] fuisse Arcam proportione ad hominis mensuram: habet siquidem homo suam longitudinem sexies tantam, quanta est latitudo à latere ad latus; & decies tantam, quanta est altitudo corporis iacentis ac supini, siue quanta est grossities à dorso ad ventrem. Si autem non fuit alta nisi triginta cubitis, videtur non formosè, potuisse arctari in cubitum verticis, & propterea censet D. Augustinus, cum fuerit partita in tres Domos, quamlibet domorum habuisse triginta [I] cubitorum altitudinem, ita vt tota fuerit nonaginta cubitorum altitudinis. Et tertius tricenarius cubitorum, quia arctabatur paulatim, sensim consummaretur pyramidali veluti ascensu in latitudinem cubiti.

G D.Th. hic c. 6.

H D. Th hic c. 8.

I D. Th. hic c. 6.

VERSVS XVI. *Fenestram in Arca facies &c. ostium Arcæ pones ex latere: deorsum cœnacula & tristegas facies in ea.*

In parte superiori erat Fenestra, & dicunt Iudæi secundùm magistrum in Historijs, [L] quòd erat vitrea. Litera septuaginta quam sequitur Augustinus, vbi nos habemus *cœnacula*, & *tristega*, habet, *bicamerata*, & *tricamerata*. Locorum diuisio, & multiplicitas expetebatur ad tot viuentium genera recipienda; contignationes & tabulata vocant Græci tristega. De speciali locorum partitione videantur Auctores.

C A P V T VII.

1 DIxitque Dominus ad eum. Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te- 1. Petr. 1. a. 5.
enim vidi iustum coram me in generatione hac. 2 Ex omnibus animantibus
mundis tolle septena & septena; masculum & fœminam: de animantibus verò
immundis duo, & duo, masculum, & fœminam. 3 Sed & de volatilibus cæli septena, &
septena, masculum & fœminam: vt saluetur semen super faciem vniuersæ terræ. 4 Adhuc
enim, & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta-
noctibus: & delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ. 5 Fecit ergo
Noè omnia, quæ mandauerat ei Dominus. 6 Eratque sexcentorum annorum, quando
diluuij aquæ inundauerunt super terram. 7 Et ingressus est Noè, & filij eius, vxor eius, & Math.
vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij. 8 De animantibus quoque- 24. d. 12.
mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur super terram, 9 duo Luc. 17. f. 26.
& duo ingressa sunt ad Noè in Arcam, & masculus & fœmina, sicut præceperat Dominus 1. Petr. 3. d. 20.
Noè. 10 Cumque transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram. 11
Anno sexcentesimo vitæ Noè, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt om-
nes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt: 12 & facta est pluuia super terram
quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. 13 In articulo diei illius ingressus est Noè,
& Sem, & Cham, & Iapheth filij eius: vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis in-
Arcam: 14 ipsi & omne animal secundùm genus suum vniuersaque iumenta in genere-
suo, & omne quod mouetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundùm-
genus suum, vniuersæ aues, omnesque volucres 15 ingressæ sunt ad Noè in arcam, bina
& bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ. 16 Et quæ ingressa sunt, masculus, & fœ-
mina, ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus de-
foris. 17 Factumque est diluuium quadraginta diebus super terram, & multiplicatæ sunt
aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra. 18 Vehementer enim inundauerunt: &
omnia repleuerunt in superficie terræ. Porrò arca ferebatur super aquas. 19 Et aquæ præ-
ualuerunt nimis super terram opertique sunt omnes montes excelsi, sub vniuerso cælo. 20
Quindecim cubitis altior fuit aqua super omnes montes, quos operuerat. 21 Consumpta- Sap. 10. a. 4. Ecc. 39. c. 28.
que est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum-
omniumque reptilium, quæ reptant super terram, vniuersi homines, 22 & cuncta, in- 1. Petr. 3. d. 20.
quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. 23 Et deleuit omnem substantiam, quæ

erat ſuper terram ab homine vſque ad pecus, tam reptile, quam volucres cęli: & deleta ſunt de terra, remanſit autem ſolus Noè, & qui cum eo erant in Arca. 24 Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

VERSVS I. *Dixitque Dominus ad eum: ingredere tu & omnis domus tua in Arcam, te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac.*

VERSVS II. *ex omnibus animantibus mundis, tolles ſeptena, & ſeptena.*

Dominus præcedenti capite monuerat Noè de futuro diluuio, & ad quem finem fieri iuſſiſſet Arcam, vt nempe ipſe cum ſuis animantiaque ſeruarentur: & quia ne perirent illorum genera, inducenda erant à Moyſe, bina & bina inquit induces. In hoc autem capite mouet ad executionem tempus inſtate, *tolles* &c. de omnibus animantibus mundis &c. cum, in lege dumtaxat fiat diſcretio mundorum ab immundis, quæritur quomodo nunc diſtinguantur. Reſpondet hic Sanctus Doctor, [A] primò, prænouiſſe ijs verbis Noè, diuina ex reuelatione, aliqua munda & immunda per legem determinanda. Deinde appellari hic immunda, non eo ſenſu quo determinantur in lege; ſed immunda ideſt abominabilia propter horrorem. Quia ergo immundum vel mundum dicitur in ordine ad eſum, de alijs qui non ſunt in hominis cibum, ſupponebatur bina tantum tollenda, vt verbi gratia Leo, & Leæna, lupus & lupa. De quibuſdam autem quæ ad eſum horrori ſunt, bina etiam erant. Equi qui alicubi comeduntur, alibi non, poterant eo ſenſu dici immundi. Boues non ita, nec ſues; quamquam hi ſecundùm legem eſſent immundi & illiciti. Sed audiamus Angelicum 1. 2. [B] Diſtinctio mundorum animalium & immundorum, non fuit ante legem quantùm ad eſum, cum dictum ſit Geneſis 9. *omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum*; ſed ſolùm quantùm ad ſacrificiorum oblationem, quia de quibuſdam determinatis animalibus ſacrificia offerebant. Si tamen quantùm ad eſum erat aliqua animaliũ diſcretio, hoc non erat, quia eſus illorum reputaretur illicitus, cùm nulla lege eſſet prohibitus, ſed propter abominationem, vel conſuetudinem; ſicut & nunc videmus, quòd aliqua cibaria ſunt in aliquibus terris abominabilia, quæ in alijs comeduntur. Igitur potuit ob ſacrificia & eſum poſt diluuium, maior numerus eſſe mundorum. Quęrit D. Auguſtinus [C] ſi propter animalia quæ viuunt carnibus, poſita ſunt in arca plura ad eorum eſum. Dic quòd ſunt aliqua, quibus omnia Animalia, vt dicitur, vegetantur, vt ficus, Caſtaneæ, propterea dixerat *tolles igitur tecum ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi quàm illis in eſcam.*

A D.Th. hic.

B p.2 101. 1. 4.

C D.Th. hic in calce c.6.

Grauior eſt difficultas, an dùm inquit ſeptena, & ſeptena, ſit ſenſus tolles ſeptem boues maſculini ſexus, & totidem fœminini: an potius tolles ſeptem quorum tres & tres ſint in paria, tria maſculos & fœminas, ſeptimusque ſuperſit. Rabanus [D] hic citatus, putauit eſſe vnum ſeptenariũm in ſingulis generibus, quem defendit etiam S. Doctor in præſenti, ſicut quando dicitur bina, & bina non intelligitur niſi vnus binarius de omni ſpecie. Sed tamen non cogimur Rabano adhærere. Quia infrà verſu 15. & 16. legitur, *ingreſſæ ſunt ad Noe in arcam bina & bina; & quæ ingreſſa ſunt maſculus & fœmina, introierunt:* ergo videtur etiam ſeptenaria ſic paria introijſſe maſculusque, & fœmina. Quamuis (quod ait hic Angelicus) loquendi modus huiuſmodi aliquod videatur permittere ſinè compari. Sicut bini imus proceſſionaliter, licet vnus vel alter ſit impar. Cùm autem dicitur bina, & bina, non ideò aſtruenda ſunt duo binaria: quia illa repetitio ob ordinatum ſucceſſiuumque ingreſſum poſita eſt. Quod de ſeptenis, & ſeptenis dici non poteſt.

D D.Th. hic.

VERSVS V. *Fecit ergo Noè omnia quæ mandauerat ei Dominus.*

VERSVS VI. *Eratque ſexcentorum annorum quando aquæ inundauerunt ſuper terram.*

Cum quingentorum annorum eſſet Noè ad præceptum Arcæ, & nùnc perhibeatur ſexcentorum, centum impendiſſe [E] annos deducitur, multis ex capitibus, nempe vt ligna eſſent cõſolidata, & deſiccata & compaginationes eſſent confirmatæ. Id tempus etiam profuit ad commodè animalia coadunanda. Sed quòniam non omnia potuiſſet humano ſtudio conquirere, ab extremis terris & inſulis, Dei virtute ad Noè adducta opportunè fuiſſe, credendum eſt. Hinc D. Auguſtinus 16. de Ciuitate Dei c. 7. *Beſtiæ quæ non ſicuti ranæ naſcuntur ex terra, ſed ſola commiſtione maris, & fœminæ propagantur, credi poſſunt poſt diluuium ad inſulas natando tranſiſſe*, Sed proximas. Sunt autem quædam tàm longè poſitæ à continente, vt ad eas nulla videatur natare potuiſſe beſtiarum: quòd ſi homines eas captas ſecum aduexerunt, & eo modo vbi habitabant eorum genera inſtituerunt, venandi ſtudio fieri potuiſſe incredibile non eſt; quamuis iuſſu Dei ſiue permiſſu, etiam opere Angelorum, negandum non ſit potuiſſe transferri; de quo c.8. fine. Prouidentia Dei etiam factum eſt, quòd animalia, ait hic Angelicus, ferocitatem ſuam deponebant, & arcam manſuetè intrabant.

E D.Th. hic c.7.

Narratur itaque executio Imperij diuini facta per Noè & inundatio aquarum.

Menſe ſecundo. Iuxta Hieronymum in Maio. Iudæi enim & Moyſes annum legalem ab Aprili incipiunt. Sed ego accipio in ordine ad ætatem Noè: hoc eſt menſe ſecundo ipſius ſexcenteſimi anni; nã vt in textu, & ſupputanti conſtat, decurſis decem menſibus & diebus aliquot, cap. 8. recolitur annus ſexcenteſimus primus Noe. Niſi velimus natum eſſe Noè menſe Aprili. *Septimo decimo die menſis,* (Septuaginta habent, *vigeſimo ſeptimo,* (de quo infra) *rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ.* Diximus ſuprà, immenſitatem aquarum profundarum dici abyſſum. Terræ viſceribus conduntur quippe Aquæ ab Oceano deriuatæ, quæque erumpunt in fontes ſuaui lapſu ex montibus fluentes: tunc *rupti ſunt fontes omnes abyſſi magnæ,* repente & impetu ruituri. *Et cataractæ cæli apertæ ſunt.* Cataractæ propriè acceptæ ſunt viæ ſubterraneæ aquarum, inquit hic D. Thomas; & alibi [F] ſunt occulti meatus, per quos aqua tranſit; & appropriantur oſtijs Ni-

F Iſaiæ c.24.

li.

li. Hic transferuntur ad aerem, vel ad aquam pluuialem, ab aere cum copia maxima, & impetu, descendentem. Sicut in ostijs fluuiorum cum aperiuntur. Ergò *Cataractæ cœli*, idest nubes apertæ sunt, vt inde insolitæ maiores pluuiæ funderentur. Vel si vis, ruptio fontium, est illius legis ruptio, Prouerb. 8. *legem ponebat aquis ne transirent fines suos*. Apertio autem cataractarum, est maxima resolutio vaporum, ex quibus pluuiæ generantur. Quæritur statim an diluuium vniuersale naturæ vi acciderit? affirmarunt aliqui, Planetis ac stellis signis in humidis concurrentibus. Sed respuit Angelicus [G] ex verbis Domini, *ecce ego adducam aquas diluuij*; & iterum, *ego pluam super terram*. Licèt ergo ex coniunctione in signis pluuialibus, aliquot Prouinciales cataclysmi fuerint, vt Niliacus, Atticus, Thessalicus; fictitium tamen est, existimare vllam esse in natura vim, quæ toti terræ inundationem aut incendium inuehere possit, vt l. 1. meteororum c. 14. animaduertit Philosophus.

G D. Th. hic c. 6. & 7.

VERSVS XIII. *In articulo diei illius ingressus est Noë, & Sem*, &c.

D. Thomas hic, ab *artu*, quod est membrum, articulum efformati docuit, tanquam paruum membrum; & ita mane illud subobscurum, tanquam pars diei, quo ingressus est Noë, appelletur articulus. Huius nominis deriuationem & traductionem ad particulas rerum, exponit ex Græco Arthron 2. 2. [H] Verùm optimè etiam accipi potest pro tempestiua rerum faciendarum hora. Videtur autem primo aspectu, superuacaneè iteratò enarrari ingressum Noë & aliorum in Arcam: atqui non ita est. Præ cæteris id efficit Moyses, [I] vt non omittat congruum ordinem, quo intrauerunt. Ordo quippe est, *parium dispariumque sua loca cuique tribuens dispositio*; & Pax ex D. Augustino, [L] *est tranquillitas ordinis*. Intrauerunt ergò homines, masculi priusquam fœminę: (hic notatur ex glossa, quòd viri quando intrauerunt Arcam intrauerunt diuisi à suis vxoribus: cùm autem infrà dicitur quòd egressi sunt, legitur quòd egressus est quilibet cum sua vxore, ad notandum quòd in Arca non debuerunt generationi vacare) post homines introierunt irrationalia, prius Iumenta, deinde volatilia, deinde aerea animalia. Fortè tamen Noë vltimus hominum intrauit, quem Sanctus Petrus 2. c. 2. appellat *octauum iustitiæ præconem*; licèt aliter [M] possit exponi, vt deinde ipsum sequerentur animalia: & tùnc est dicendum, hic recenseri primum, ob dignitatem; ad quam insinuandam datus sit ei ingressus primatus. Ad singularia etiam notanda repetit sacer textus ingressum, & ideò inquit, *in articulo diei illius*. Hinc legitur etiam quòd inclusit eum *Dominus deforis*, vbi glossa inquit, *quòd exterius bituminauit, ne aquæ introirent*; quod homo facere non posset. Crediderim autem animalia quietè, & placidè ad nutum Noë, Deo iuxtà Innocentiæ statum sic disponente, ingressa in Arcam, & speciali eisdem dato instinctu, non absimili ab eo, quo tempestatem maris præsentiunt Delphini. Sic Theodoretus; *ipsum Noë ingredientem Arcam, leo, pardus, & reptilium atrocissima quaque, ouium more, sequebantur*. Addo repetijsse Moysen huiusmodi ingressum, quia Arca & ingressus est multiplex, ob spiritualis

H 2. 2. q. 1. 6.

I D. Th. hic.

L Matth. 5. & alibi.

M 2. Petri 2.

sensus mysteria, quæ posteà tangemus.

VERSVS XXI. *Consumptaque est omnis caro* &c.

Hoc & sequentibus, exaggerat Moyses excidij illius cursum: *consumpta est*: excrescentibus aquis, priùs omnia, quæ esui deseruire possent periere, & sic extabuit consumpta omnis caro: *consumentur fame*. Deuteronomij 32. Omnia deinde mortua sunt; & post mortem deleuit Deus omnem substantiam; repetitque, *deleta sunt de terra*, quia vnde deliquerant, fuere homines, & ob ipsos cuncta exterminata. Congrua itaque pęna, tùm ex dictis suprà, tùm [N] iterùm vberiùs, quia tunc erat sensibilis fęditas vniuersalis, & indurata obstinationis firmitas, & ideò ad purgandam fęditatem factum diluuium. Contrà Gigantes superbos & obstinatos irruit impetus fluctuum subiugantium eos; & denique quia resolutos, in aqueos mundi humores, decuit submergi in aquis. Hinc inquit Angelicus [O] protegimur per Christum à spirituali diluuio, scilicet peccatorum: & adhuc, quia vt dicit [P] Psalmo 28. diluuium est mundus, & carnales homines mundi. Explicat autem S. Doctor alibi, [Q] quomodo per mare voluptuosi & superbi significentur.

N D. Th. c. 8.

O quodl. 1. 2. 30.

P psal. 28.

Q Apoc. 7.

Vna superest difficultas, qui fieri potest, vt nullus præter octo animas debuerit effugere animaduersionem, præsertim cùm verosimile sit, probos alios in Vniuerso fuisse. Sed iam est in promptu Responsio, *quia omnis caro corruperat viam suam*; quod licèt non accipiatur absque alicuius exceptione, qui potuit resipuisse; attamen adhuc stat, quòd nullo excepto omnes mortui sint. Inquit enim Angelicus [R] dicendum quòd, Si Noë ante diluuium aliam prolem habuit, nisi ante diluuium obierint, quamuis ad pœnitentiam confugissent, submersio illorum fuit ad purgationem delictorum suorum; sicut & alijs tunc pœnitentibus, & ad cor redeuntibus creditur in purgationem fuisse. Sic quando numeri 11. ignis in vindictam populi murmurantis immissus est, ait S. D. in 4. d. 45. 2. 1. in ipso mortis articulo fuit locus pœnitentiæ, iuxta illud ps. 77. *cum occideret eos, quærebant eum*. Iob 15. *etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*. Addendum est autem, quòd vt ait idem Sanctus Doctor, [S] pœna temporali, quandoque vnus punitur pro peccato alterius; primò, quia vnus homo temporaliter est res alterius; (sicut filij secundùm corpus sunt quædam res Patris) maximè quia hoc in eorum bonum cedit, ne si reseruarentur, essent imitatores paternæ malitiæ. Secundò, ad commendandam vnitatem humanæ societatis, ex qua vnus debet pro alio solicitus esse ne peccet, & ad detestationem peccati, dum pœna vnius redundat in omnes, quasi omnes essent vnum Corpus, vt Augustinus dicit. Tertiò maximè, quia plurimi videntur insontes, & non sunt, propter aliquem consensum vel dissimulationem; sicut etiam interdum boni simul puniuntur temporaliter cum malis, quia eorum peccata non redarguerunt. Sic Matthæi 18. aliquando Dominus permittit bonos cum malis punit, quare? quia non corripuerunt malos. Et Ephes. 5. l. 4. ex D. Augustino; Deus punit communicantes insontes, quia aliqui boni non reprehendunt malos. Igitur expurgabat vnus-

R D. Th. hic c. 7.

S 2. 2. 108. 4.

quifque ad proximi culpam. Si qui tamen fuiffent, etiam innocentes in fceleribus, pro quibus imminebat diluuium, alia fortè habuere crimina expurganda, & fic pęna fuit medicina, vel purgatiua vel præferuatiua; Præterquam, mors & aliæ pęnalitates præfentis vitæ poffunt ex difpofitione diuinæ præfcientiæ & prouidentiæ ordinari ad finem aliquem fpecialem, T puta ne
T 2. 2. 164.14. quis de virtutibus fuperbiat; & per patientiam coronetur. De hac autem quæftione, an quis puniatur pro peccato alterius. Videatur S. Doctor Fufius 22.q. 108. a. 4. & p. 2. q. 87. a. 8. vbi ad marginem aliæ plures funt citationes.

VERSVS XXIV. *Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.*

Quoniam fupra v. 11. habemus diem, *quando rupti funt fontes abyffi magnæ*; atque etiam v. 14. *in articulo diei illius, ingreffus eft Noè*; ab eo die numerari hos centum quinquaginta, cum communi interpretum fenfu, & D. Thoma hic, inconcuffum efto. *His autem diebus centum quinquaginta*, cum aliquot alijs, in menfes redactis, menfe feptimo, die vigefima feptima, fequenti c. 8. requieuiffe dicitur *Arca fuper montes Armeniæ*. Hunc autem menfem feptimum, feu potius hos feptem menfes, ab exordio alluuionis, accipi æquum eft: non verò quafi effet feptimus fexcentefimi anni Noè. Sic pariter cum, eodem c. 8. adiectum eft; *Decimo menfe, prima die menfis, apparuerunt cacumina montium*, ab ipfomet initio diluuij, intelligitur. Nouem ergo erant expleti menfes, & decimus prima die inchoatus; quæ prima dies menfis, fuit etiam, prima dierum quadraginta, quos tranfire expectauit Noè, cum alijs bis feptem. Quoniam itaque c. 8. v. 13. habemus poft horum menfium & dierum excurfum, *fexcentefimo primo anno, primo menfe, prima die menfis, imminutæ funt aquæ fuper terram*, fatis manifeftè innuitur, interiectos menfes & dies ab anno fexcentefimo vitæ Noè, vnum complere annum, & quidem folarem, vitæ Noè. Quod vt ob oculos fubijciamus dicamus fic

Menfes nouem, finguli dierum vigintinouem & dimidij faciunt.	Dies.	265. ½.
Quos primò expectauit Noè, fuere.	Dies.	40.
Quos expectauit poft regreffum columbæ.	Dies.	7.
Quos poft iterum emiffam columbam.	Dies.	7.
	Dies.	319. ½.
Quibus fi addamus menfem vnum feu primum, qui ex curterat ante initium diluuij, funt.	Dies.	29. ½.
Itemque dies fexdecim, nam cępit diluuium menfe fecundo, die decima feptima.	Dies.	16.
En quomodo exurgunt	Dies.	365.

Qui Anni Solaris vnius funt dies, excedentes curfum duodecim innouationum Lunarium, de diebus vndecim. Etfi autem vt videbimus c. 8. ex D. Thoma Scriptura Lunares annos supputet: cum de vitæ, & ætatis duratione fit fermo, iuxta Solis curfum claret heri, ex hactenus percenfitis, computationem.

Itaque tempus, quod pertranfijt antequam terra in fua fuperficie effet exficcata, exceffit menfes decem, de vigintis quatuor dies & dimidio. Arefactio autem plenior terræ infumpfit dies alios quadraginta quinque: poft quos, decurfus apparet etiam integer annus, fed folaris; vnde reuertitur facer textus c. 8. num. 14. ad menfem fecundum, ficuti c. 7. n. 11. fed non reuertitur ad diem decimum feptimum; benè verò ad diem vigefimum feptimum, propter exceffum anni Solaris fupra Lunarem, vt infrà dicemus. Vno ergo verbo, quoto anno cœperit diluuium, ab ætate Noè in chronologiam trahendum eft; qualiter fuerit diluuij progreffus, decrementum, & omnimoda ceffatio, per dies, & per menfes defignatos, innotefcit; fit enim mentio in calce capitis feptimi, *de centum quinquaginta diebus*: cap. 8. *de feptimo menfe, & de die vigefimo feptimo*: *de decimo menfe*, deque eius *prima die*: *de quadraginta diebus*: *de feptem diebus*; iterumque *de diebus feptem*. Denique de reuolutione ad primum diem fexcentefimi primi anni Noè: & de reuolutione pariter menfis fecundi, & diei, non decimi feptimi, ficut cap. 7. fed vigefimi feptimi. Mirum eft autem de varietate translationum, circa numerum dierum, in quorum vltimo, cap. 7. dicuntur *rupti fontes*; cap. 8. dicitur *Arca quieuiffe*; & in eodem cap. dicitur, *exficcata fuperficies terræ*: nam, non eft concors noftræ litera Septuaginta, nec Thargum: nec iterum Thargum concordat cum Septuaginta. Vis Hebraica nobifcum eft, in primo loco, fcilicet c. 7. v. 11. exprimitque, *feptimo decimo die*; fic etiam confentit cap. 8. v. 14. fed v. 4. aliter ac nos; nam legitur Hebraicè *menfe feptimo, die feptima decima*; vbi nos habemus *vigefima feptima*. Septuaginta primo loco legunt; *vigefima feptima*, fic, fecundo; fed tertio loco legunt, *decima feptima*. Thargum iuxta Hebraicam, primo & fecundo loco, *decima feptima*; tertio loco, *vigefima feptima*. Vnde autem oborta fit difcrepantia, Deus fcit: fortè accidit ex fcriptorum incuria, feu potius ex fciolorum infcitia, qui diluuium in fuis circunftantijs proprio marte expendentes, quia incepit die decima feptima, etiam die tali, requiem donaffe Arcæ, opinati funt: aut è contra arcanam varietatem fcripturæ vnius & alterius textus nefcientes, pro fuo arbitratu, errorem effe rati fcriptorum, contextus alterauerunt. Nofter pro certo tanquam verus habendus, non folùm ex ijs quæ paulo poft, cum de corui dimiffu, fed ex faciliori lapfu, in literis Hebraicis, circa decimum, loco vigefimi, aut è contra: eædem enim funt fermè literæ, nec magis difcrepant, quàm nomen fingulare à plurali, in Hebræa lingua *decimus*, & *vigefimus*.

C A P V T VIII.

1 RECORDATUS autem Deus Noè, cunctorumque animantium, & omnium iumen-
torum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminu-
tæ sunt aquæ. 2 Et clausi sunt fontes abyssi, cataractæ cęli: & prohibitæ sunt
pluuiæ de cęlo. 3 Reuersæque sunt aquæ de terra euntes, & redeuntes: & cęperunt minui
post centum quinquaginta dies. 4 Requieuitque arca mense septimo, vigesimoseptimo
die mensis super montes Armeniæ. 5 At verò aquæ ibant, & decrescebant vsque ad de-
cimum mensem: decimo enim mense prima die mensis, apparuerunt cacumina montium.
5 Cunque transissent quadraginta dies, aperiens Noè fenestram arcæ, quam fecerat dimi-
sit coruum: 7 qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super ter-
ram. 8 Emisit quoque columbam post eum, vt videret si iam cessassent aquæ super faciem
terræ. 9 Quæ cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam:
aquæ enim erant super vniuersam terram, extenditque manum, & apprehensam intulit in
arcam. 10 Expectatis autem vltra septem diebus alijs, rursum dimisit columbam ex Arca.
11 At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo,
intellexit ergo Noè quòd cessassent aquæ super terram. 12 Expectauitque nihilominus se-
ptem alios dies: & emisit columbam, quæ non est reuersa vltra ad eum. 13 Igitur sexcen-
tesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram: &
aperiens Noè tectum arcæ, aspexit, viditque quod exiccata esset superficies terræ. 14
Mense secundo, septimo, & vigesimo die mensis arefacta est terra. 15 Locutus est autem
Deus ad Noè dicens: 16 Egredere de arca, tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum
tuorum tecum: 17 Cuncta animantia, quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatili-
bus, quam in bestijs, & vniuersis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & in-
gredimini super terram: crescite & multiplicamini super eam. 18 Egressus est ergo Noè, Sup. 1. d. 28.
& filij eius, vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo. 19 Sed & omnia animantia iu- Inf. 9. a. 1
menta, & reptilia, quæ reptant super terram secundùm genus suum, egressa sunt de arca.
20 Aedificauit autem Noè altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus
mundis, obtulit holocausta super altare. 21 Odoratusque est Dominus odorem suauitatis,
& ait: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio hu- Sup. 6. a. 5.
mani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur vltra percutiam omnem
animam viuentem sicut feci. 22 Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus, & æstus, Matt. 15. b. 19.
æstas, & hiems, nox & dies non requiescent.

VERSVS I. *Recordatus autem Deus Noè, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cùm eo in arcam, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.*

1 Angelicus hic inquit, quòd sicut semper, vel communiter, accipitur visio peccatorum in malum, scilicet pro deliberatione ad puniendum [A] Genesis 18. *descendam & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*; ita recordatio in scripturis accipitur in bonum, siuè in clementiam; *recordare Domine* Tren. vlt. *quid acciderit nobis*, nam recordatus est quasi iterum cordi datus: fuit autem Deus recordatus Noè principaliter, sed animantium per accidens, & quasi per quandam attributionem. Verùm quoniam recordatio obliuionem supponit, expedit enucleari, an Deus obliuisci dicatur. Sanè, videtur Deus obliuisci, pluribus alijs ex scripturis: Ezechielis 18. *omnium iniquitatum eius non recordabor*: & iterum; *omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur* in ps. 78. *ne memineris iniquitatum nostrarum*; & Apocalypsis 16. *& Babylon magna venit in memoriam ante Deum.* quo loci [B] Sanctus Doctor ait, obliuio propriè non cadit in Deum, quia priuat propriè memoriam, siuè notitiam præcedentem; sed largè loquendo dicitur obliuisci, scilicet quantùm ad effectum, cùm instar hominis obliti offensam non punit, vel non benefacit; immò apud nos stante etiam recordatione consuetum est, dici nos oblitos; sicut Dominus aliquis posset dici oblitus seruum suum, à quo fuisset offensus, quia non ei vltra benefaceret. Videbatur autem Deus more humano aliqualiter oblitus Noè, in quantùm Arcæ veluti carcere, per menses clauserat, fluctibus quaque versus iactandum: itaque *recordatus est*, nouo Diuinæ suæ misericordiæ effectu prosecuturus Noe: cuius gratia, aquas paulatim decreuerat renouato Orbe amandare. Quod est repetit hic Angelicus dicens, in effectu ad modum recordantis se habuit.

A D. Th. hic.

B Apoc. 16.

Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.

Cùm non dicat adduxit spiritum suum, quemadmodum suprà; neque similiter dicat venit spiritus Domini, conuenienter exponitur de [C] Vento. Igitur exufflatione venti, disiectis nubibus, ex quibus tenebrosum & pluuiosum adhùc erat Cœlum, prohibitæ sunt, vt ait Sacer textus, pluuiæ, factoque sereno Cœlo, non parum euaporationis aquarum cœpit ascendere sursum, atque dispergi. Adduxisse etiam dici potest spiritum, quia impulsu quodam reuersæ sunt aquæ,

C D. Th.

vnde venerant: *euntes*, inquit, *& redeuntes*, quoniam in decliuia ibant proprio pondere ductæ, ad loca verò altiora, vnde & fluxerant, non ibant quasi sua sponte, potius redibant. Ex clementia etiam & Amore indicat Dominus ad ducendo spiritum, velle diluuio finem imponere, nouisque replere Orbem generationibus; eo quòd nomen spiritus, quod in rebus corporeis impulsionem [D] quandam, & motionem significat, amorem, qui mouet & impellit voluntatem amantis in amatum, apprimè designat.

D p.p.36.

VERSVS VI. *Cumque transissent quadraginta dies*, &c.

E p.p.46. a. 6.

Cùm transitus intelligatur [E] semper de termino ad terminum, statim exquiret sacræ paginæ studiosus, quis nam fuerit terminus, vnde cœperint transire dies quadraginta. Pro rei huius luce tãquam certum tenendum esse arbitror, Sanctum Noè apprimè nouisse tempus, quo duraturum erat diluuium, quemadmodum eidem reuelatum fuerat, & futurum esse, & post septem dies venturum. Colligitur etiam ex euentu, non enim casu, excursis quadraginta primò diebus, & deinde bis septem, deuenit ad punctum, in quo imminutæ sunt aquæ. Immò nouisse cœtera cuncta, priusquam euenirent, aliunde constat, puta non reuersurum coruum in Arcam, columbamque primò reuersuram, non verò secundò; ideoque Coruum, atque Columbam postera vice dicitur dimisisse, prima, emisisse: quod emittitur non dimittitur; dimittitur, de quo non vltra curandum. Igitur id factum est, vel vt experimento comperiret quæ futura præscierat; vnde legitur, *vt videret si iàm cessassent aquæ*, quod & de experimentali notitia exponitur suprà de Adam respectu animalium, *vt videret quid vocaret ea*; & iterum, *intellexit ergo Noè quòd cessassent aquæ super terram*; non inquit, cognouit, aut didicit, sed *intellexit*, quod etiam de antea præcognitis verè enunciatur; vel vt posteris esset exemplo, ne agendorum incuria, reique præsertim domesticæ cura, somniculosi aut desides essent. Deinde animaduertendum, non ideò dies istos enumerari, vt tempus inuoluentis diluuij inde sciatur; satis enim per mensium recensionem agnoscitur; sed quoniam omnia in figura contingebant illis, percensentur non sine mysterio dies; quandoquidem, vt ait Augustinus, *Quadragenarius numerus est sacratus*. Septenarius etiam repetitus non est otiosè. Videtur ergo Noè post menses nouem diluuij, *cum decimo mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium*. (Sic quippe inuenitur, vt vidimus, integer annus diluuij percurrere) quadragesimam expectationem veluti familiæ suæ indixisse, vt septima die post septem dona Spiritus Sancti in columbæ emissione signata, iuxta illud, *emitte spiritum tuum*, secura quiete, imminutis omninò aquis perfruerentur. Quadragenarius quippe numerus pœnitentiæ statum indicat [F] & rursus ex suis partibus aliquotis surgens euadit in quinquaginta, qui est numerus remissionis, ad quam ducimur per pœnitentiam: & iterum, bis septem etiam multiplicati in se ipsos emergunt in numerum proximum remissioni, qui est quinquagesimus Iubilæi [G] vnde Leuitici 25. *sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ*, *ipse est enim iubilæus*. Hinc canit Ecclesia, *Sacro dierum numero, quo lege fit remissio*. At de mysticis huc spectantibus infrà.

F Apoc. ...

G Daniel. 9. & 9.

VERSVS VII. *dimisit coruum qui egrediebatur, & non reuertebatur*.

Nouerat non reuersurum in Arcam. Signanter ergo vt dictum est *dimisit*; mysteria sub cortice claudens. Poterat tamen mundi status dignosci, [H] si madefactus, volatu fessus rediret, aut desiccatum quid reportaret: atqui *non reuertebatur*. Hieronymus & septuaginta legunt; *& egressus non rediit ad eum, donec siccarentur aquæ*. In Hebræo autem, *& egressus est exiens & reuertens, donec siccarentur aquæ de terra*; Verùm quia postquam dictum est *& egressus*, additur, *exiens*; quamuis sciam esse posse pleonasmũ, vt ire iter, viuere vita, puto egressũ ab Arca semel, & nõ reuersum in Arcam, vt noster legit; exiisse & rediisse, circumuolando veniendo, & recedendo ab Arca, vt ait hebræa: quia enim imperfectè præteritum tempus, *egrediebatur*, sonat multiplicationem: non enim aptè continuationem, sui egressus; argumento est, nunquam fuisse reuersum in Arcam: & rursus quia secundùm Hæbræum egressus est exiens, necesse est vt reuersus fuerit ad Arcam (sed non in Arcam quia non legitur Noè extendisse manum) siquidem egressus exibat. Canus l. 2. de locis c. 13. catalogum nobiscum legentium conficit; quare hebræo textui minor sit fides; immò nulla, si vulgatę derogent veritati.

2

H D.Th. hic.

VERSVS VIII. *emisit quoque columbam post eum*, &c.

Cacumina montium erant retecta, ante emissionem columbæ, quia *decimo mense, prima die mensis, apparuerunt*. Non est autem asserendum id de fastigijs omnium Montium: quia cum gradatim recederent aquæ, excelsi sunt primò discooperti, ergò etiam si pertransissent ante emissionem columbæ adhuc quadraginta dies, montium minorum, nundùm latera apparuerant: quare columba tenui volatu rapta huc & illuc, ad vertices ægrè conscendens, lateribusque non quiescens, nec tandem inueniens planitiem, ad Arcam reuersa est, aquæ enim ad huic erant super vniuersam Terram. S. Doctor [I] hic exponit, *non inuenit &c. aquæ enim erant &c.* vt intelligatur de terra non montuosa. Vel & si Arca insedisset supra montes, aliquantula tamen aqua erant montes irrigui, vnde non inuenit vbi requiesceret. Quocirca ait idem Angelicus, [L] Spiritus Sanctus per columbam designatus fugit aquam carnalis voluptatis: non sic coruus, in typum vitiosæ suetæque gulæ acceptus, [M] legitur reuersus ad Arcam.

I D.Th. hic.

L op. 4I. l. 1. c. 10.

M op. 41. l. 5. 24.

VERSVS XI. *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs* &c.

Mirè Sanctus Doctor 3. parte aptat proprietates columbæ donis Spiritus Sancti, [N] subditque, columba est animal mansuetum, & ideò dicit Chrysostomus. Super Matthæum; *in diluuio apparuit hoc animal, ramum ferens oliuæ, & communem orbis terrarum tranquillitatem annuncians*. Spiritus Sancti ergò clementiam amoremque indicauit, quia [O] oliua semper virens virorem, & misericordiam Spiritus sancti significat. Quod tangit etiam Ioannis 1. [P] dicens, columba deferens ramum virentis oliuæ ostendit, signum

3

N 3. p. 39. 6. 4.

O 3. p. 72. 2. 3.

P Ioan. 1. l. 14.

clementiæ Dei, his qui reſidui fuerant ex aquis
Q Hebr. 6.1.4. diluuij. Et iterum ad myſterium refert, Q quòd
non quieuerit, quia nihil in præſenti vita eſt firmum, vbi poſſit anima firmari & quieſcere.

VERSVS XIV. *menſe ſecundo, ſeptimo, & vigeſimo die menſis areſacta eſt terra.*

4 Recentiores aliqui vel rem iſtam ſilentio prætereunt, vel inquiunt, duraſſe Diluuium per annum integrum, & adhuc per decem dies, qui videntur iuxta literam excreſcere. Sed noſter intemerato percēſet ſtylo, quod Dei digitus ſcripſit, firmiter credens, Cœlum tranſiturum & terram, priuſquam iota vnum, aut vnus apex pariat errorem. Vgo Cardinalis doctiſſimus notat, idcirco apparere diſcrimen inter diem exordij, & finem diluuij, quia cum durauerit integro anno, annuſque Solis, vndecim dierum numero, excedat annum lunarem, excurſa reuolutione dierum trecentorum ſexaginta quinque, per ductum dierum ſupputatorum cum luna, deprehenditur augmentum vndecim dierum, qui ſunt Epacta. Nota ex D. Thoma, Danielis 9. quòd Scriptura computat annos lunares & menſes, quia primam diem menſis vocat Neomeniam, ſeu lunam primam: & decimam diem menſis vocat lunam decimam, vt patet Exodi 12. & in multis alijs locis ſcripturæ; & tamen nec prima luna prima dies eſt, nec decima luna eſt decimus dies menſis ſolaris. & præterea omnes tabulæ Hieroſolimitanæ ſactę ſecundùm Hebræos, curruut per annos lunares, & menſes; De quo vide Maluendam l. 1. c. 24. Verùm hoc ſemel audito, videtur non quieſcere ingenium. eo quòd calculatór dierum, vnum diem quaſi negligeret, non pronunciat areſactam terram menſe ſecundo, die vigeſima octaua, quod eſſet ob incrementum dierum vndecim, ſed die *vigeſima ſeptima*. Nihilominus, ſi quis rem accuratè perpendat, reperiet ita omninò eſſe, vt in litera dicitur. Si enim decima ſeptima lunaris dies ſecundi menſis, in qua *rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*, nuncupata fuiſſet nomine tertiæ literæ Alphabeti, nimirum c, ſine dubio dies quo annus lunaris expleuiſſet, appellari debuerat b. vtpotè finiendus in die immediatè anteriori ad c. Si ergo adhuc ad complementum anni ſolaris progrediamur oportet, numerando poſt illum diem, quo explicit annus Lunaris, qui fuit dies b. & ſextadecima dies, oportet inquam numerando dies vndecim Epactæ, atque dicendo decem & ſeptem, decem & octo, progrediendoque, decem & nouem. &c. vt finiatur ſolaris annus in nuncupatione diei vigeſimæ ſeptimæ. Deficiebat autem calculatori vnus dies, quia iſte ſurripiebatur ab anno Lunari iterum exordiente, die decima ſeptima, quaſi tunc finiretur, quando rurſùs capiebat exordium.

VERSVS XX. *Ædificauit autem Noë altare Domino*, &c. *obtulit holocauſta*.

5 Inter ſacrificium & holocauſtum diſtat, quia
R op. 18. c.11. omne holocauſtum R eſt ſacrificium, & non
omne ſacrificium holocauſtum: in ſacrificio enim pars pecudis, in holocauſto verò totum pecus offerri conſueuerat. Sacrificium, aut erat de inanimatis, puta pane vel thure, & tunc diceS
S Hebr. 10.h.1. batur oblatio; S vel de animatis, & tùnc, vel ad placandum Deum, & dicitur holocauſtum, quod erat digniſſimum, quia totum comburebatur, & cedebat in honorem Dei. Aut erat pro emendatione peccati, & dicitur ſacrificium pro peccato, & iſtud habebat duplicem partem, quia vna pars comburebatur in altari, altera cedebat in vſum miniſtrorum. Aut erat pro beneficijs Dei, & iſtud minùs dignum, quia tantùm tertia pars comburebatur, & dabatur miniſtris vna, alia offerentibus, & iſtud dicitur ſacrificium pacificorum. Dicebatur autem Holocauſtum, quaſi totum T incenſum; ab *Olon* quod T p. 2. 102.1.8.
eſt totum, & *cauma* quod eſt incenſum: V additque D. Thomas, huiuſmodi ſacrificium offerebatur Deo ſpecialiter ad reuerentiam maieſtatis ipſius, & amorem bonitatis eius, & conueniebat perfectioni ſtatus: & ideò totum comburebatur, vt ſicut totum animal reſolutum in vaporem ſurſum aſcendebat, ita etiam ſignificaretur totum hominem, & omnia quæ ipſius ſunt, Dei Dominio eſſe ſubiecta, & ei eſſe offerenda. V Ifaiæ 1.

Tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis.

De cunctis ſumit, vt multipliciter repræſentata præſignet. In agno vel vitulo, figurabatur Chriſtus; in capra, pœnitentia; X in boue, vita robuſta, & actiua; in aue, ſublimis, & contemplatiua; & ſic de cœteris. Indigni erant qui illa ſacrificia tantùm carnaliter attendebant; digni autem qui ea ſpiritualiter intelligebant, & in eis Chriſtum figuratum, vel implicitè vel explicitè credebant. Sic autem obtuliſſe Noè certum eſt, quia *odoratus eſt dominus odorem ſuauitatis*; immò, non ſolum Noè, ſed ipſius familiam per illum, aliàs Deo non placuiſſent, ex parte offerentis; ſicut inquit D. Thomas, A tempore Prophetarum, propter peccata populi, Deo non placebant ex parte offerentis, ſed tantum in quantum erant ſignum. Igitur. X op. 58. c.1. A Ifaiæ 1.

VERSVS XXI. *Nequaquam vltrà maledicam, &c.*

Quàm placatus eſt Dominus! oppignorat ſidem ſuam de futura indulgentia. *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt.* inquit Angelicus B proni ſunt ſpiritus hominis in malum, ideſt in peccatum ab adoleſcentia. Eccli. 11. *adoleſcentia & voluptas vana ſunt.* hinc Iob c. 8. *conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ*, vbi Ambroſius, principium ætatis magis ad vitium eſſe lubricum conſueuit. C Auguſtinus in lib. Confeſſionum, *exarſi*, inquit *Domine aliquando ſatiari inferiùs in adoleſcentia, & ſilueſcere vmbroſis amoribus auſus ſum*. Poteſt exponi etiam de peccato originali, ſicut facit D. Thomas, citato pſalmo, D ad illa verba, *delicta iuuentutis*, quia homo naſcitur filius irę, Epheſ. 2. & addit *iuuentutis*, ideſt, peccata ex ſuperbia commiſſa; iuuenes enim naturaliter ſunt ſuperbi & pręſumptuoſi. Sic ſanè etiam peccatum traductum ab adoleſcente Adamo ſuperbia fuit. Si tamen ptonitatem habet ad malum, virtutem mentis dat ei ſpiritus ſanctus, quæ ſignificata eſt per ramum E oliuæ ſoliorumque virorem. ó B pſal. 24. C op. 41. l.5.c.44. D pſ. 24. E Hier. 41.

VERSVS XXII. *Cunctis diebus terræ ſementis, & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent.*

Apoſtolus Petrus in ſua ſecunda Epiſtola c. 3. inquit *ille tunc Mundus aquis mundatus perijt*, vbi D. Thomas, *ille tunc Mundus*, F quia fuit alterius modi tunc, quàm nunc, & terræ naſcen- F 2. Petri 3.

tia meliora, quàm nunc, & subdit glossa, *perijt terra, quia tanto tempore submersa fructificare destitit*. Posteà, ait Angelicus, ratio huius mutationis est, quia ex longa, & profunda commistione terræ aquæ, & aeris, terra facta est lutosior, aer crassior, & aqua densior; Cœlum enim aereum fuit per diluuium aquæ & terræ immistum, & ideo aer modo est spissior seu densior, & turbulentior; & terra similiter, quæ nunc est, est à prima qualitate mutata, quia modo rarior est, & subtilior propter aquæ immistionem. Ne ergo ita defeciisse credatur mundus à perfectione primæua, vt sensim sterilescere debeat, aut intermina halituum copia obtenebrescere, consolamini, veluti inquit, *Cunctis etenim diebus, terræ terendæ prosemente, ac messe*, non requiescent frigus, & æstus, æstas & hyems; cursus namque Mundi conseruationi rerum expediens [G] non peribit: quod forsan timor suadebat. Sic ps. 118. *ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi*. Nostram ad increpationem nam vt ait D. Th. serm. 5. de Tempore; nihil inuenit in creaturis inobediens Creator, nisi peccatorem & diabolum. Erit quippe alternatio & differentia, non solum Æstatis & hyemis, sed & impressionum in mundo, [H] frigoris, & æstus, noctis, & diei. Quod est verbo dicere, conseruationi rerum adero semper, & non cessabunt quæ requiruntur ad hoc, seu non requiescent, quia irrequietè motu cientur Cœli, sicque nox per motum diurnum, dies varij, Zodiaci obliquo non requiescent. Intellige, donec generationi & corruptioni locus erit; nam peracto finali iudicio, Apoc. 10. *Tempus amplius non erit*: vt docet Angelicus singillatim 4. cont. G. c. 97. Et addi ad hæc potest eum Ecclesia in hymnis. *Qui temperas rerum vices, splendore mane instruis, & ignibus meridiem: extingue flammas litium* &c. & iterum; *Rerum Deus tenax vigor* &c. *largire clarum vespere*, &c. Deus ad hæc semper præsto est. De diluuio huiusmodi, profanis etiam testibus, lege Eusebium de præparatione Euangelica l. 9. c. 4.

[G D. Th. hic.] [H Dan. 4.]

7 Sed iam opportunè ad figuras post literam transeamus. Super illa verba psalmi [I] *Dominus diluuium in habitare facit* ait S. Doctor, diluuiū idest aquas Baptismales, quas inhabitat per effectum gratiæ. Alibi autem [L] docet diluuium fuisse signum nostris baptismi, quantùm ad saluationem spiritualis vitæ, siue fidelium in Ecclesia: & traxit ex Damasceno, qui lib. 4. cap. de baptismo, distinguit nouem genera baptismatū, accipiendo [M] baptismata largè. Pressius autem allegoria diluuij cum baptismo habetur ex D. Petro Epistola prima c. 3. *quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium*; etenim tunc facta est salus iustorum, cum inundauit aqua diluuij, & sic vita spiritus in carnis exterminio habita est. Vel ex Epistola 2. c. 3. vbi inquit *ille tunc mundus, aqua mundatus perijt*; quocirca [N] Angelicus, hæc autem mundatio signum fuit spiritualis mundationis: & ideo, hic ait [O] baptismus enim totum veterem hominem cum suis vitijs spiritualiter occidit & sepelit, secundùm Apostolus ad Romanos 6. saluato interiori homine, renouato ac regenerato. Inquit etiam S. Doctor [P] Iudicium mundi per diluuiū, figuram fuisse vltimi iudicij, per ignem; nam ad imprimendum illius timorem & fidem, congruum fuit, aliquod grande iudicium [Q] præmitti in hac vita, sic præ exigente grauitate culparum, & ideo D. Petrus Epistola 2. c. 3. comparat iudicium aquæ ad extremum iudicium, quod erit in igne. Mirè alias hic tangit Angelicus mysticas expositiones.

[I ps. 28. & hic.] [L 4. d. 4. q. 3. 1. & 3. p. 66. a. 3.] [M 1. Cor. 10. l. 2.] [N 2. pet. 3] [O D. Th. hic.] [P 2. Pet. 2] [Q D. Th. hic.]

Per Arcam (sine qua certè potuisset Deus præseruare quos vellet, vnde non sine mysterio,) millies habemus significari Ecclesiam: [R] ideo sicuti extra Arcam nullus est saluatus, sic nullus extra Ecclesiam saluari [S] potest: quia non est nisi vna Ecclesia, & propterea nullus pati [T] debet ab ista Ecclesia abijci & expelli. In arca autem diuersa animalia [V] in mysterium seruauit, vnde aiebat Apostolus Coloss. 3. *vbi non est masculus & fœmina, gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, barbarus & scytha, seruus & liber*; quæ quidem ad rem tangit D. Thomas, [X] ad illa verba, *habitabit lupus cum Agno, Pardus cum Hœdo*, &c. Isaiæ 11. Huius Arcæ ostium, per allegoriam accipe [A] latus Christi Domini, per quod intrant animalia diluuio non peritura. Nisi dicas Arcam significare adhuc Ecclesiam, quia fluctuat interdum & eleuatur agitata [B] vento Diabolicæ tentationis. Hinc multiplicatis aquis eleuabatur; quia per tribulationes crescit [C] Ecclesia, Quod licèt pluries doceat, perspectè id facit [D] proemio 1. Thessalonicensium, dicens, per aquas significantur tribulationes, tùm quia aquæ impellunt ruendo, tum quia extinguunt impetum concupiscentiarum. Subleuatur autem Ecclesia per eleuationem mentis ad Deum. Gregorius, *mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt*, secundò per spiritualem consolationem; tertiò per multiplicationē fidelium, quia tempore persecutionum Deus multiplicauit Ecclesiam. Quæ quidem aptari possunt singulis iustorum [E] afflictis: quod facit idem S. Doctor, dicens, *multiplicatæ sunt aquæ*, idest tribulationes, *& eleuauerunt arcam in sublime*, idest Ecclesiam, vel animam viri iusti.

[R 2. 2. 173. 3. & 3. p. 66. 11. ad 3.] [S 1. pet. 3.] [T op. 6. parag. 12.] [V op. 60. 2. 24.] [X Isaiæ 11.] [A Ioa. 20. l. 5.] [B Matt. 14.] [C 1. Pet. 5] [D Procemio 1. Thessal.] [E op. 4. parag. 3. & Apoc. 13. comm. 1.]

Arca itidem significat Christum, per cuius latus, vt dictum est, inuenimus salutis securitatem: & quia omnes motus [F] fuerunt pacati in Christo, præcessit omnium animalium concordia ibi in figura. Christus tamen significari etiā potest per Noë. Noë siquidem requies [G] interpretatur, & ipse quies est animarum. Quamuis Noë qui inter fluctus Arcam rexit, sanctos [H] Doctores designet.

[F 3. d. 17. q. 1. art. 2. q. 2.] [G 1. pet. 3] [H Cant. 6]

Denique Arca Crucem præsignauit ex materia: vnde D. Augustinus id innuens [I] aiebat, *humanum genus arca ligneæ liberauit*, & sic quasi Noë [L] in Crucis arca nos Christus Iesus saluauit.

[I 3. p. 46. 4. & op. 60. 2. 22.] [L D. Th. hic.]

Post hæc superest, vt de toties repetitis enumerationibus dierum & mensium, nonnihil dicatur mysticè; non enim tàm accuratus temporis relatus à mysterijs vacare credendus est. Diluuium ergo, cùm deletionem hominum operatum sit, rationabiliter cœpit *mense secundo, die decima septima*; hoc est si ad numerum dierum redigamus, quadragesima sexta die, nàm mensis vigintiouem dies, & dimidium haurit, quibus, si addantur decem & septem, exurgit numerus sextus supra quadragenarium. Ratio est quia conceptio & firmatio humani corporis, secundùm Augustinum in lib. 83. quæst. perficitur

tur quadraginta quinque diebus hoc modo. Primis fex diebus, corporis hnmani conceptio, quafi lactis habet fimilitudinem: nouem diebus fequentibus conuertitur in fanguinem: duodecim inde diebus folidatur in carnem: reliquis decem & octo diebus formatur vfque ad perfecta lineamenta omnium membrorum: vnde verfus.

Sex in lacte dies, ter funt in fanguine terni
Bis feni carnem; ter feni membra figurant.

Ita ex D. Th. Ioan. 2. L. 3. & in 3. d. 2. q. 5. 2.

Igitur *quem creaui* inquit Dominus, *hominem delebo*: Creatorem itaque fe oftendit ex numero prænio dierum, qui nunc eft deletor: atqui non delet, hoc eft non annihilat fimpliciter, fed *à facie terræ*. Septem tamen, priufquam id executioni mandet, præmittit expectationis dies: pœnitentiæ & remiffionis: *non folùm fepties*. Matthæi 18. Quoniam verò, pœnæ huius vitæ, funt medicinales, vt patet 2. 2. q. 68. a. 1. & diluuium ftat etiam ex D. Th. fup. ad verf. 21. & in Sylua allegoriarum, pro inundatione vitiorum, vt ficut peccat quis puniatur, aquis obruitur; *diebus quadraginta*, fpatium pœnitentiæ, pluit *fuper terram* c. 7. In calce autem eiufdem capitis; *obtinuerunt aquæ terram centum quinquaginta diebus*: pariter non fine myfterio; quia quinquagenarius eft numerus remiffionis, & Iubilæi, vt nuper dictum eft: ter quinquaginta, quia fanctiffimæ Trinitatis fide iuftificamur. *Menfe feptimo*, quiefcit Arca, & incidit quies huiufmodi in diem etiam feptimum vltra vigefimum: fortè, vt indicetur quomodo feptima ætas eft quiefcentium; & cum fit *cor impij quafi mare feruens*. Ifaiæ 57. metonymicè incipit quiefcere: fed cum duo fint præcepta charitatis: *Et plenitudo legis dilectio*. Rom. 15. oportet præcedat Decalogi obferuantia, ductu duplici horum præceptorum, & fic vigefima, non decima feptima die. Denarius, inquit S. D. 3. p. q. 31. a. 3. tanquam iuftitiæ numerus in decem præceptis legis oftenditur, de quo p. 2. q. 100. a. 10. Attacto menfe decimo, feu decima innouatione, (& fpiritum rectum innoua. pfal. 50.) verfu 5. apparent *cacumina montium* eo quòd qui legem obferuat, non deficiens in vno, ne fit omnium reus, infimum gradum fcandit dilectionis Dei vt docet Angelicus 2. 2. q. 184. 3. 2. quare eft ei, occafio vt humiliter fufpiciat cacumina montium; fanctorum fcilicet fublimitatem. Poft hæc *quadraginta* percurrunt dies: pœnitentiæ agendæ præfixa morâ. Deinde feptem dies, qui dona feptiformis fancti Spiritus, innuunt; emiffa columba. Et nihilominus expectantur alij feptem dies pro confirmandis, nouis charifmatibus. Io. 14. *alium paraclytum dabit vobis*. Tunc *exficcata eft fuperficies terræ*, vt lapfus vix timeatur; aliàs lubrica eft vitæ huius via. Thre. 4. *lubricauerunt veftigia noftra in itinere platearum noftrarum*. Reuoluto autem completè anno, menfe fecundo die vigefima feptima, quando *tempus non erit amplius*, Apoc. 10. deprehendetur *arefacta omnino terra* v. 14. lapfus omnis periculo fubmoto.

C A P V T IX.

1 BEnedixitque Deus Noè, & filij eius. Et dixit ad eos: Crefcite, & multiplicami- Sup. 1. c.
ni, & replete terram. 2 Et terror vefter, ac tremor fit fuper cuncta animalia 22. 8. c. 17.
terræ, & fuper omnes volucres cæli, cum vniuerfis, quæ mouentur fuper ter-
ram: omnes pifces maris manui veftræ traditi funt. 3 Et omne, quod mouetur, & viuit, Sup. 1. g.
erit vobis in cibum: quafi olera virentia tradidi vobis omnia, 4 Excepto, quod carnem 29.
cum fanguine non comedetis. 5 Sanguinem enim animarum veftrarum requiram de ma- Ier. 17. d 14.
nu cunctarum beftiarum: & de manu hominis de manu viri, & fratris eius requiram ani-
mam hominis. 6 Quicumque effuderit humanum fanguinem fundetur fanguis illius ad Matt. 26.
imaginem quippe Dei factus eft homo. 7 Vos autem crefcite, & multiplicamini, & c. 52.
ingredimini fuper terram, & implete eam. 8 Hæc quoque dixit Deus ad Noè, & ad filios Apoc. 13. c. 19.
eius cum eo. 9 Ecce ego ftatuam pactum meum vobifcum, & cum femine veftro poft Sup. 1. d.
vos: 10 & ad omnem animam viuentem, quæ eft vobifcum, tam in volucribus, quam in 28. 8. c. 17.
iumentis, & pecudibus terræ cunctis, quæ egreffa funt de arca, & vniuerfis beftijs terræ. 11 Ifa. 54. c.
Statuam pactum meum vobifcum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis di- 9.
luuij, neque erit deinceps diluuium diffipans terram. 12 Dixitque Deus: Hoc fignum fœ-
deris, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eft vobifcum in
generationes fempiternas: 13 Arcum meum ponam in nubibus, & erit fignum fæderis inter
me, & inter terram. 14 Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nu- Eccl. 43. b. 12.
bibus; 15 & recordabor fœderis mei vobifcum, & cum omni anima viuentes quæ car-
nem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuerfam carnem. 16 Erit-
que arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis fempiterni, quod pactum eft
inter Deum, & omnem animam viuentem vniuerfæ carnis, quæ eft fuper terram. 17 Di-
xitque Deus ad Noè: Hoc erit fignum fœderis, quod conftitui inter me & omnem carnem
fuper terram. 18 Erant ergo filij Noè, qui egreffi funt de arca, Sem, Cham, & Iapheth:
porro Cham ipfe eft pater Chanaam. 19 Tres ifti filij funt Noè: & ab his differninatum eft
omne genus hominum fuper vniuerfam terram. 20 Cœpitque Noè vir agricola exercere
terram, & plantauit vineam. 21 Bibenfque vinum inebriatus eft, & nudatus in taberna-

culo

culo ſuo, 22 Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nunciauit duobus fratribus ſuis foras. 23 At verò Sem, & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum; operuerunt verenda patris ſui: facieſque eorum auerſæ erant, & patris virilia non viderunt. 24 Euigilans autem Noe ex vino, cum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, 25 ait: Maledictus Chanaan: ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. 26 Dixitque, benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius. 27 Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſeruus eius. 28 Vixit autem Noe poſt diluuium trecentis quinquaginta annis. 29 Et impleti ſunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus eſt.

VERSVS I. *Benedixitque Deus Noë & filiis eius, & dixit ad eos creſcite, & multiplicamini, & replete terram.*

Mirum videtur tribus vicibus poſt diluuium a Deo concedi, & præcipi, generis humani multiplicationem: nam c. præcedenti ſemel, in hoc bis: immò quater, quia ſuprà c. 1. Sed factum eſt, vel quoniam ad tertiam & quartam vſque generationem, & ſub harum nomine, ad interminam iubet multiplicari; vel quia capite octauo, communi quadam animalitatis ratione, tam hominibus quàm brutis fuerat præceptum: deinde hic hominibus in ſpecie mandatur; vnde præit benedictio, ſingillatim Noë & filijs. (beſtijs reor in communi: ſed hominibus ſuperſtitibus, ſingulis, ſicut ſingulorum eſt Angelus cuſtos p.p. q. 113.2.) Tertiò verò iterum v.7. dicitur, *creſcite & multiplicamini* vt ad implendum numerum electorum, vacetur generationi; proinde actus matrimonialis fit meritorius, potiſſimùm vt proles ad cultum Dei procreetur, vt traditur in 4.26. q. 1. a. 4. & p.p. 72. a. 4. & ideò additur, *ingredimini terram*, beatæ ſcilicet promiſſionis, neque dicitur *replete*, vt initio capitis, ſed *implete*; impleri autem dicuntur quæ primò id obtinent, vel euacuationem pati nequeunt, ex quo repleri denuò dicantur. Cœleſtis Patria ab hominibus implenda fuerat quidem, ſed nunquam replenda: non enim beatitudo ſemel habita poteſt amitti pſ. 109. *implebit ruinas*. Niſi dicatur tertiò legi, *creſcite, & multiplicamini*; quia inhibitioni præmiſſæ de non occidendo, opportunè innectitur, finis conſeruationis.

VERSVS II, *Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ*, &c.

1 Quia Dominus concedere intendit hominibus eſum animalium, (eſus enim carnium non legitur conceſſus ante diluuium, [A] fortè ob deteriorationem terræ naſcentium, vt hic ait D. Thomas, & aliàs non ſine myſterijs;) quoniam pariter, animalia non ſine magno ſtudio capiuntur, & ſylueſtria præſertim pugnare aduersùs hominem poſſunt, quaſi diceret, ne deſperetis quorumcumque capturam, vice antiqui deperditi placidi dominatus, erit inquit, *terror veſter & tremor ſuper omnia animalia*: territum ac trementem fa[ci]lè eſt vincere & capere. Itaque vt inquit Augu[st]inus, iuſtiſſima ordinatione creatoris, [B] & vita, & mors eorum noſtris vſibus ſubditur. Dum au[...]tem inquit, *quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*, innuit in ſupplementum vigoris terræ naſcenti[...]m, conceſſa animalia. Occiduntur igitur licitè, vt citato docet loco Angelicus: immò debemus [...] alio ex capite animalia occidere, cum beſtiali [C] [...] nimirum impetu, aut noxia conditione, nobis [...]nadunt nociua. Pſalmo quippe 8. dicitur *omnia [...] ſubiecisti ſub pedibus eius*. Paſſim tamen, & abſque rationabili cauſa animalia interficere illicitum eſt. Quamuis ergò ſecundùm affectum rationis, non referat quid homo circa [D] bruta animalia agat, quia in hoc etiam ſenſu ait Apoſtolus 1. Corint. 9. *non eſſe curam Deo de bobus*: tamen ſecundùm affectum paſſionis, & miſericordiæ cuiuſdam ad eorum afflictionem, & pœnam, quamuis abſolutè licitum ſit: prout quandam crudelitatem ſonat, inducitque indiſpoſitionem ad miſerendum, illaudatum eſt. Hac de cauſa Dominus, vt populum Iudaicum ad crudelitatem pronum, ad miſericordiam reuocaret, voluit eos exercere ad miſericordiam, etiam circa bruta animalia, prohibens quædam circa animalia fieri, quæ ad crudelitatem quandam pertinere videntur, vt Exodi 23. *non coques hædum in lacte matris ſuæ*, & Deuteronomij 22. vt ex auibus non occideretur *mater cum filijs*. Ad rem ergò noſtram.

VERSVS IV. *Excepto quòd carnem cum ſanguine non comedetis.*

VERSVS V. *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum.*

Præcauet Dominus, & prohibet crudelitatem: quia enim permiſerat animalium interfectionem, ne aſſueſcerent, inde homines, facti Sectatores Cain, ad fratrum occiſionem, compeſcuit viſcera crudelia dicens, *carnem cum ſanguine non comedetis*; animalia enim ſuffocata, [E] vel ſtrangulata multùm affliguntur: & expreſſius deinde Hebræis prohibitus eſt vſus ſanguinis, ad hoc vt horrerent humani ſanguinis [F] effuſionem: & ad huiuſmodi intelligentiam nectit S. Doctor Geneſis 9. *carnem cùm ſanguine non comedetis; ſanguinem enim animarum veſtrarum requiram*. Ideò ait S. Doctor [G] ad magis elongandum homines ab omni crudeli effuſione ſanguinis, & voracitate, quæ generat, & includit quendam beſtialem appetitum ſanguinis, & quamdam brutalem rabiem in vorando. In ſimili legis obſeruatione de ſuſcitando ſemine fratris, ait infra c. 37. D. Th. quædam cæremonialia fuiſſe per inſpirationem diuinam, à Patribus inſtituta, & ſeruata. Hoc ipſum dictum in præſenti. Præterquam ſatis liquet, id eſſe à Deo vetitum non tamquam malum; ſed ad diſciplinam, & inſtructionem; nàm, *pædagogus noſter fuit*, vt dicitur Galat. 3. *At iam non ſumus ſub pædagogo*; ideòque huiuſmodi inſtitutionis præcepta, poſtquam omnis Chriſti actio facta eſt noſtra inſtructio, non arctant; fortè etiam ne propagationi humanæ fraternæ aliqua cæde obuiaretur, à ſanguine abſtinendum præcipit, poſt diluuium. Alia autem, inſpiratione ſingulari ſeruata, legis quæ nondum ſcripta erat, vim non habebant. *Requiram de manu cunctarum beſtiarum.* 2

Si Beſtia quæ hominem de facto occidit, in horro-

A Rom. 14. l. 1. & p. 2. q. 102. 6. 2.

B 2. 1. 64. 1. 1.

C D. Th. hic & 3. cont. G. c. 112.

D p. 2. 102. 6. 8.

E p. 2. 102. 6. 1.

F p. 2. 102. 3. ad 8.

G D. Th. hic & 3. cont. G. c. 112.

horrorem talis facti, vt homines ab homicidio fortius deterreantur, interficienda est (quod expressius legitur Exod. 21. *Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius*: quid fiet de homine occisore ? Aduerte de opere bestiarum requiri *sanguinem*. Sanguis quippe est maximè necessarius ad vitam [H] ratione cuius dicitur *anima carnis esse in sanguine*: Leuit. 17. de manu autem hominis inquit, occisi hominis animam requiri. Materialis ergo veluti est vindicta sumenda de bestijs, de hominibus vero formalis; quia homicidæ directè vitam auferre intendunt, & animam veluti feriunt, gladio animam fratris, peccato propriam, & nihilominus præcipit condignam ex culpa pœnam etiam temporalem, dicens, *quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius*.

H p. 1. 102. 3. 8.

De manu Bestiarum; sic etiam, vt Bestia sumatur hic pro homine, [I] bestiali furore moto ad occidendum; *& de manu hominis*, qui quasi rationabiliter sibi suadet hominem occidendum esse: *de manu viri*, idest fortis siue potentis, & quasi in hoc strenui siue virilis: *& de manu fratris*, siue cuiuscumque secundùm carnem propinqui. Potest etiam exponi sic *de manu cunctarum bestiarum* irrationalium scilicet, *& hominis*, idest rationalium. In singulari autem fortè inquit, vt consanguineos nos omnes esse, quia *fecit ex vno*, Act. 17. *hominum genus*, (quemadmodum, ait Augustinus, *Adam est Heuam intendamus, & fratres sumus*) commoneat; descenditque postea ad eos, qui ius quoddam super alium obtinuisse videntur, vt vir super sponsam, fraterque natu maior in fratrem. Quicumque ausus fuerit, sciat, *animam hominis de manu illius requiram*: non enim qui in fratrem potest, aut in vxorem, in hominem potest, *Ad imaginem quippe Dei factus est homo*; ita claudit: ex quo æquipatamur omnes in ingenita dignitate.

I D. Th. hic.

VERSVS IX. *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & ad omnem animam viuentem*, &c.

Dignatur clementissimus Dominus, quamuis hoc nomen *Dominus*, quod potestatis est, vt diximus ex Ambrosio, veluti seponat, Deumque solummodo, quod beneficientiam inuoluit se dicat: dignatur inquam, nostro condescendere captui: futurum esse ait, vt paciscatur. Post lapsum non habemus spem, aut societatem cum Deo, nisi per gratuitæ [L] reconciliationis pactum, quod quidem init Deus nobiscum, non cum brutis, ad quæ tamen nostri ratione, veluti extenditur, vt in litera patet.

L D. Th. hic.

VERSVS XI. *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltrà interficietur omnis caro*.

De quo futurum sit pactum declarat.

VERSVS XII. *Dixitque Deus, hoc est signum fœderis*, &c.

Per signa sensibilia, ostendit inuisibilia sua Deus. Rom. 1.

VERSVS XIII. *Arcum meum ponam in nubibus: & erit signum fœderis*.

En speciale signum, in generationes sempiternas. Suprà dixerat, *hoc est signum fœderis*: nunc ait *erit*; quia non semel, *sed iteratò, pluries, in æuum*, apparet arcus.

VERSVS XIV. *Cumque obduxero nubibus Cælum*

In speciali, quando apparere debeat arcus fœderis docet; immò, cum nubes potius pluuias portendent: inde se recordaturum fœderis pollicetur.

VERSVS XVI. *Eritque arcus meus in nubibus, & videbo illum*.

Non perperam repetit, vt innuat non fore, vt auertat oculos ab arcu, & veluti ægrè recordetur. immò inquit *videbo illum*. Videre Dei est approbationis, & miserationis. *Vidit Deus quòd esset bonum*; vide Domine afflictionem meam. Thren. 1.

VERSVS XVII. *Dixitque Deus ad Noë*. Veluti compendio perorat; & factum esse, quod fuerat in proposito, ostendit, dicens, *hoc est pactum quod constitui*; loquiturque Noë soli tanquam maiorem, Patremque familias: & si pactum cum filijs quoque per Noë fiat, & cum semine illorum post eos.

VERSVS XIII. *Arcum meum ponam in nubibus* &c.

Quidam dixerunt idcirco ante diluuium non fuisse nubes, aut pluuias; [F] proinde nec arcum: sed hos respuit S. Doctor; est enim arcus aut Iris, effectus naturalis, vt patet. Deus autem naturalia assumit, vt tegat suæ sapientiæ mysteria, similitudine congruenti. Sic etiam suprà dixit *& terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ*. Nunquid non naturaliter homo terrorem animalibus incutit? planè sic exemplificat de naturali timore [G] S. Doctor, inducens hunc textum. Sed ne hunc terrorem in hominem homo iaciat, arctari ostenditur diuino iussu ad bruta; crudelitatem enim ab hominibus intendit proscribere, vnde & vetat sanguinis esum, cæremoniali tamen quodammodo [H] præcepto, & ideo non fuit iniunctum, quasi perpetuò ligaret. Patebunt hæc ad Leuiticum. c. 7. versu 27. c. 17. versu 10. & 12. & c. 19. v. 26. Quam congruè autem signum futuri non vltra diluuij assumatur arcus, exponit hic [I] S. Doctor; quia fert iris tempestatem quandam, ac modicam rationem nubis, procul certè à diluuij periculo. Sed alibi clarius, quia iris [L] procedit naturaliter ex causis, quæ repugnant diluuio; non enim apparet Iris vaporibus omninò in aere supetabundantibus. Et licèt nonnullis exiguæ pluuiæ, signum possit esse remotum ipsamet iris; attamen ob diuina mysteria, ipsa potius assumitur ad securitatem signandam ab aquis diluuij: & etiam quia totalis vaporum humidorum ablegatio rorem diuinæ pietatis non refert, immò æstus, & sol cum ardore, sunt in scripturis in typum afflictionis magnæ ac cœlestis vindictæ; vt passim constat, præcipue Iacobi 1. *Exortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum* & Isaiæ 4. *in vmbraculum diei ab æstu; & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia*. Meritò igitur est arcus fœderis signum, quia in eo deprehenditur temperamentum refrigerij, [M] irroratio suauis stillicidij, dilatatio amplexus, refulgentia solaris radij, gratiositas aspectus, & venusta emissio veluti iaculi amoroſi: ad inferiora quippe se aperit, & expandit: hinc in Sermone de Magdalena [N] comparans illam arcui inquit, brachiorum vsque ad terram extensio, est ma-

F D. Th. hic.

G Apoc. 15. commentatio.

H D. Th. hic.

I D. Th. hic.

L quodl. 3. 10.

M D. Th. hic.

N Serm. de Magdalena.

gna quam habet ad peccatores misericordia ; immensa itaque Dei bonitas primò in tali signo innotescit.

O quodl. 5.a.10. Deinde Iris significat O Christū, per quem protegimur à spirituali diluuio. De Christo enim dicitur Isaiæ 42. *& dedi te in fœdus populi*,
P Isa. 42. vbi D. Thomas, P quia Christus dicitur datus in fędus conseruandæ salutis, explendę promissionis diuinæ dilectionis, &c. *arcum meum ponam in nubibus*: Immò paulò ante, *dedi te in lucem*, &c. quasi inquit mediatorem, *arcum meum*, &c. Arcus quippe inter cœlum & terram medius apparet. Significat etiam arcus Beatam Virginem, quæ fuit aquosa aquis gratiarum, Q in
Q Apoc. 4. quam intrauit radius æterni Solis, ex cuius subintratione generata est Iris, idest inde habita via ad obtinendam pacem, & misericordiam.

R Apoc. 6.1. commentario. Arcus etiam alia significatione est Sacra Scriptura, in quo lignum R est duritia veteris testamenti, chorda est gratia noui; vel lignum est iustitia, quam flectit, vt extollat misericordia, Iacobi 2. *misericordia superexaltat iudicium*. Qui debeant hunc arcum præferre, habetur hoc loco, *ponam in nubibus cœli*, idest, in ijs qui à terra sunt eleuati, per contemptum terrenorum, & desiderium æternorum: à quo sunt per compunctionem lucidi, per cognitionem clari, alti per contemplationem, placidi per prædicationem, agiles per obedientiam, molles per compassionem, coruscantes per bonam operationem, tonantes per comminationem. Qui talis non est, non debet portare arcum, idest habere prædicationis officium. Per nubes, prædicatores significari constat Isaiæ 60. *qui sunt isti, qui vt nubes volant?* quod probat S. Th. Rom. 1. l. 5. & Hebr. 13. l. 3. ex illo etiam Iob 37. *nubes spargunt lumen suum*. opusc. pariter 19. c. 10. & op. 58. cap. 10. denique in p. d. 16. q. 1. 3. Extollit denique hunc arcum Angelicus in præsenti dicens, arcus iste est Veritatis à Patre genitæ, & Charitatis æternæ radiosa expressio: posita pri-
S D. Th. hic. mò in nubibus, idest S in profundis eloquijs, Diuinorum testamentorum, in cęlicis, & profundis cordibus Patriarcharum, & Prophetarum; in humanitate Christi Domini; tùm ex Deitatis vnione, tùm ex singulari illius animæ irradiatione, & inebriatione; in vtero Virginis: vnde cor & brachia instar arcus expandit: Deinde in mentibus Apostolorum per fidem semper feruidam & prædicationem. In 1. commentario Apocalypsis, meditatus est, aduentum eius ad iudicium, fuisse figuratum in arcu cęli post diluuium, & in calore igneo. *c. 5. in principio.*

VERSVS XIX. *Tres isti filij sunt Noë, & ab his disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram.*

Nullus alius post diluuium natus legitur Noë filius; ab illo, etenim fuisset disseminatum genus humanum. *Tota* inquit Augustinus l. 6.
T Rom. 14.l.1. contra Faustum, T *illius veteris populi vita, figuralis fuit*. Fuit ergo, ex diuina Prouidentia vt ex his tribus propagaretur genus nostrum; primò
V D.Th. hic. V propter mysterium Trinitatis in vnitate firmatæ. (faue illa articulatio *tres isti filij* signanter videtur fieri. Cur enim non fuisset satis, ea omissa, subdere; *& ab his disseminatum est omne genus hominum*?) Secundò propter maiorem nexum generationum sequentium. Tertiò in commendationem iteratam diuinæ potentiæ, & ordinis suæ sapientiæ, in eo quòd ex paucis seminibus, multas messes facit mirabili ordine propagari.

Et ab his disseminatum est omne genus hominum, &c.

De humani generis disseminati per istos in omnes mundi partes successione fusè tractat Iosephus l. 1. antiquitatum: collegitque regionum inde partitionem, accuratè satis Episcopus Petinensis Antonius Zara in Anatomia ingeniorum sectione 4. capite vnico. A semo quidem, prout legitur infrà c. 12. inter cæteros liberos fuit Arphaxad, vt ait Iosephus Chaldæorum Parens: vnde Christus Dominus X de Sem de- X D.Th. hic.
scendit. Cham inter alios Filium habuit Chanaam, à quo dicta est Chananæorum Regio. A Iaphet natu maior fuit Gomer, deinde Magog, Madai, & alij. Iaphet *latitudo* interpretatur: propterea dicitur; *dilatet Deus Iaphet*; nam secundum Hieronymum populus A gentium ex A D.Th. hic.
ipso ortus est; de quo c. 10. sequenti.

VERSVS XX. *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam bibensque vinum inebriatus est.*

Secundum magistrum in historijs, naturales labruscas transplantando, & excolendo, ad vsum vini reduxit: nihil tamen refert, B si di- B D.Th. hic.
catur, quòd bonas vites inuenit, & in vineas plantauit: ait quippe Isidorus; *vitis plantationem primus Noë instituit, rudi adhùc sæculo*; & secundùm hoc videtur ante diluuium non bibisse homines, saltem ex vinea culta. *Initium vitæ hominis aqua & panis*. Ecclesiastici 29. *Bibensque vinum* &c. Inquit Angelicus C ebrietas vt nomi- C 2. 2. 150.1.
nat actum, quo quis in huiusmodi defectum incidit, potest accidere sine omni peccato, ex nimia vini fortitudine, præter opinionem bibentis; præcipuè, si non ex negligentia hominis contingat, & sic creditur Noe inebriatus fuisse. Alibi etiam, D nisi ebrietas contingat absque D de malo q.13.a.2.ad 9.
peccato, sicut in Noë accidit, propter inexperientiam fortitudinis vini.

VERSVS XXII. *Quod cum vidisset Cham Pater Chanaam, verenda scilicet Patris sui esse nudata, nunciauit fratribus suis foras.*

Fortasse ex magna mentis præsumptione Patris simplicitatem, & casum eius, superbè contempsit; & sic proprium Patrem derisit; & in cumulum sui contemptus rem occultam cęteris detractoriè propalauit. Vnde patet hoc esse non potuisse, nisi priùs a soliditate virtutis, & à reuerentia diuinorum vehementer decidisset. Magnum fuit ergo scelus Cham Patrem sexcentenarium seruatum specialissimè à Deo, in eo vnde castè genitus fuerat, ridere. E E D.Th. hic.

VERSVS XXIII. *At verò Sem, & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis*, &c.

Qui portat humeris aliena errata, compatitur: vterque portat, quia *alter alterius* ait Apostolus *onera portate*. Gal. 6. Incedunt *retrorsum*, vt detractoris studium contrario affectu doceant nos repudiare. *Faciesque eorum auersæ erant*: sic debet auerti facies cum detrahitur proximo, Prouerbiorum 25. *Ventus Aquilo dissipat pluuias*, F *& facies tristis linguam detrahentem*. *Et Patris* F 2.2.73. 4.2.2.
virilia non viderunt. Non est nugatoriè additum, postquam se ita modestè in incessu gesserunt,

quia

quia fuit huiuſmodi finis Intentus: monemurque detractiones auditas, non tàm facilè credere, aut perſcrutari, ſed non videre; hoc eſt, velut neſcire; ſic ergo ſe incurioſè ad delata habuerunt, vt adhùc licuerit phyſicè dubitare de facto. Abſit itaque, vt detractores dementi aliquando interrogatione trahamus aut exſtimulemus, ad retegenda, quæ tacent, aut enucleanda, quæ acuto linguæ gladio tacta ſunt.

VERSVS XXIV. *Euigilans autem Noë ex vino, cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius minor* &c.

5 G D.Th. hic.

Ex zelo tanti delicti illiuſque in deteſtationem, [G] potuerunt Sancto Patri, filij referre quæ acciderant. Aduerto fortè interrogatos à Patre de pallio, non auſos fuiſſe mendacium proferre, maximè ſi præcipiendo quæſiuit. Prælato præcipienti, (quod accidit in Cenobiorum viſitatione) debet ſubditus obtemperare denunciando, quæ cuncta Religionis decus concernunt, quamuis correptionis, & emendationis fratrum nulla ſit ſpes: non enim hæc directè intenditur, ſed boni communis ratio præcipuè habetur. Quocirca videri poteſt D. Thomas & quodl. 4. a. 12. & 22. q. 33. a. 7. ad 5. vtrobique enim, monet, Prælato præcipienti vt reueletur crimen, niſi ſit omninò occultum, ſed ſaltem per aliquas ſuſpiciones manifeſtatur, eſſe parendum: ſicut & iudex ſecularis vel Eccleſiaſticus poteſt exigere iuramentum de veritate dicenda, vt dicit quædam Decretalis de purgationibus. Quàm leui inceſſu, quàm leni lapſu, pallio operuerunt Patris verenda, vt inde non fuerit experrectus Noë, ſed euigilauerit ex vino! Quia tamen non exprimit ſacer textus, à quo audierit factum, quod non fuiſſet omittendum, quia poterat ab vno dumtaxat, & ab ambobus rem iſtam accipere, non diſſonum arbitror, poſtquàm ſtatim propheticè loquitur, diuinitùs recepiſſe facti notitiam: cui quidem meditationi fauet verbum illud *cum didiciſſet*, ſuppreſſo, à quo vel à quibus, nam diſcere à Magiſtro eſt, eſtque *in cœlis vnus Magiſter*, Matth. 23. cui audiens Eccleſia inquit, *Magiſtrorum Optime*.

VERSVS XXV. *Maledictus Chanaam* &c.

Euigilans hæc pronunciat ac prænunciat tota mentis attentione, non ſemiſomnis. Præter ea quæ tacta ſunt de maledictionibus capite 3. ad illud, *maledicta terra in opere tuo*: ſciendum eſt, maledictiones multoties in Sacra Scriptura non tàm pronunciari, quàm propheticè prænunciari: vnde hic [H] debet ſuppleri, *maledictus eſt, vel erit*, quare inquit, *ſeruus erit*. Sic de imprecationibus, vt dicitur pſ. 9. *conuertantur peccatores in Infernum*, ait S. D. [I] poſſunt intelligi per modum prænunciationis; & ſimiliter, [L] *erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei*. Solent Prophetæ in figura imprecantis futura prædicere, vt Auguſtinus dicit. Vel ſi locutus eſt per modum optantis, fuit ex Zelo diuinæ Iuſtitiæ, vt ſic deſiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, ſed ad Iuſtitiam punientis; ſecundum illud pſ. 57. *lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*: quia nec ipſe Deus puniens *lætatur in perditione impiorum*, vt dicitur Sapientiæ 1. ſed in ſua Iuſtitia: & ſic diuinæ Iuſtitiæ conformant iuſti voluntatem ſuam. Quæ docet D. Thomas locis citatis. Quibus adde ex 22. q. 108. a. 1. & 2. Vindicationem eſſe vitutem; eſtque licita, ſi intentio

H D.Th. hic.
I 2. 2. 25. a. 1.
L 2. 2. 83. a. 1.

vindicantis feretur principaliter ad aliquod bonum: puta ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iuſtitiæ conſeruationem, & Dei honorem: & ſic fortè fratres, aut alij accuſauerunt (quod licet 22. q. 68. a. 1.) Cham, vel denunciarunt Patri. Aliàs non eſt omninò ſecretum, quod per ſufficientes teſtes poteſt probari, vt in eadem q. 68. a. 1. ad 3. *Maledictus Chanaam.* Memorat hanc maledictionem Angelicus duobus in locis, [M] Et quærit, quare ſit lata in Chanaam filium, cum deliquerit Pater, & vtrobique Reſpondet, quandoque a Deo puniri Patrem in filijs, in quantum ſunt res quædam Patrum, nunquam tamen quantùm ad animam pœna æterna: de quo etiam ſupra diximus cum de omnibus in Diluuio mortuis ageretur. Vt tamen aduertit ibi ad 2. nunquam ſecundùm humanum iudicium, aliquis debet puniri ſine culpa, pœna flagelli, vt occidatur, vel mutiletur, vel verberetur; quia vt ait Auguſtinus, *iudicium humanum debet imitari diuinum iudicium, in manifeſtis, non autem in occultis*; quia homo non poteſt comprehendere horum iudiciorum rationes, vt ſciat quod expediat vnicuique: pœna tamen damni quis etiam ſecundùm humanum iudicium punitur, non tamen ſine cauſa, quamuis ſine culpa; vt cum bonum vnius dependet ex bono alterius; ſicut in crimine læſæ Maieſtatis, filius amittit hæreditatem pro peccato parentis. Similiter hic [N] monet, non eſſe trahendum infirmis in exemplum, vt exoptent inſtar ſanctorum peccantibus malum, quia quandoque quod zelo iuſtitiæ ſe facere putant, contingit fieri liuore vindictæ. Cur enim non potiùs orant, vt reſipiſcant, cut in amicos, & cognatos non ſic zelantur?

M 2. 2. 108. a. 1. & 4. d. 46. 2. 2. 2.
N D.Th. hic.

Maledictus Chanaam. Ac ſi diceret, tu & generatio tua eſtis maledicti à Deo. Decenter autem, [O] ſicut ſe malum fecit filium, malam ſobolem habiturus prædicitur. Itaque in ſpiritu vidit Noë, Chananæorum genus exterminandum, & ſubiugandum per Iudæos. Iudæi autem deſcenderunt ex Sem; & de hoc præcipuè ad literam videtur Noë loqui, quamuis aliàs Aſſyrij, qui de Sem pariter orti ſunt, & Romani etiam, qui de Iaphet, inualuerint in ſtirpem Cham: ex quo Chus, Meſraim, & Phut, filij Cham, non maledicuntur. Pœnale magis fortè fuit puniri in minori prædilecto alijs filio.

O D.Th. hic.

VERSVS XXVI. *Dixitque, Benedictus Dominus Deus Sem: ſit Chanaam ſeruus eius*.

Abiectam ſeruitutem prædixerat dicens, *ſeruus ſeruorum*; quemadmodum in altum ſonat Dominatum, *Dominus Dominorum*: nunc è regione ad fratrum benedictionem, ſpecialiùs grauiuſque notatur pena. Vnius quippe Dei cultus in ſola ſtirpe Sem remanſit tempore [P] Abrahæ.

P D.Th. hic.

VERSVS XXVII. *Dilatet Deus Iaphet*.

De latitudine etiam poteſtatis [Q] exponit Angelicus: *& habitet in tabernaculis Sem*; ideſt, populus eius ciuiliter [R] commoretur ſub Regno Aſſyriorum, & Chaldæorum, veriuſque ſub Regno Chriſti, qui fuit de Sem: ſub quo, & in quo per fidem omnes Gentes vocantur: & vſque hodie in Orientem profundum, quem incoluerunt poſteri Sem, vſque ad intimos Iaponios penetrat fides. De fidei verò vbique terrarum diſſeminatione, videat admiraturus Chriſtianus

Q Malac.
R D.Th. hic.

eru-

eruditiſſimum Maluenda l.3.de Antichriſto c.6. & ſequentibus, *Sitque Chanaam ſeruus eius:* quod ſatis impletum eſt ſub Imperio Græcorum, & Romanorum. Temporalem ergo infelicitatem Cham in ſua poſteritate, tùm pronunciando, tùm prædicendo declarat.

Sed non in cortice literæ ſiſtendum eſt: non enim vt in litera marceſcat intelligentia, memorat Noè Iudæorum proſperitatem, expulſis de terra promiſſionis Chananæis: nam, & ipſis paria demeritis obuenere: & prætereà cum ex Sem etiam multa poſteritas in Idololatriam prouoluta fuerit, non inde illi dignitas erat, regnare ſuper Chanaam, nec Iaphet cedebat in decus, imperio filiorum Sem idololatrantium
S D.Th. hic. cohabitare. Igitur hic & vbique [S] in toto Teſtamento regulariter obſeruandum eſt, quòd ſub temporalibus benedictionibus, & promiſſis, atque è contra in maledictis, & comminationibus, latitant ſpiritualia myſteria; vnde bella, & geſta populi Hebræi exponuntur myſticè, non autem bella, vel geſta Aſſyriorum, [T]
T p. 2. 204.2.2. vel Romanorum, quamuis longè clariora ſecundùm homines fuerint. Pro certo igitur tenendum eſt, quòd Noè plùs intendit hic prophetare de æternis, & ſpiritualibus bonis complendis ſub Chriſto; (*nam multifariam, multiſque modis loquitur Deus patribus in prophetis*, Hebræot. 1.) quàm de tranſitorijs & terrenis. Hinc etiam eſt (quod animaduertit D. Auguſtinus 16. de Ciuitate Dei c. 2.) vt poſt benedictum Sem, & Iaphet, tanta ſerie temporum, non alius quiſ-
V D.Th. hic in calce. piam vſque ad Abraham legatur [V] benedictus, aut tanquam pius Dei cultor celebratus; quamuis non ſit credendum, nullos fuiſſe: nàm vt ait
X D.Th. infr. c.27. S. Doctor infrà, non oportet ſola illa [X] eſſe facta, quæ ſunt in Canone ſcripta. Igitur non omnes commemorantur, quia id magis eſſet hiſtorica diligentia, quàm prophetica Prouidentia. Sic pariter ad rem noſtram: in Cham intelliguntur reprobi omnes, quorum generatio, velit nolit, ſeruit electis, ſiue exercendo eorum patientiam, ac virtutes, ſiue quia eorum malitiæ, ſanctorum virtus prædominatur, & poſt hanc vitam æternaliter conculcabit. Per Sem autem præſignanturconuerſi ex Iudæis, & per Iaphet ex gentibus vocati ad Chriſtum, Quæ magis mox exponentur.

6 Mirum quandoquidem videtur, quomodo Sacra Scriptura de plurimis ſine dubio egregijs factis, & occurſis Noè, hoc vnum ſelegerit denarrandum, in ſe potiùs modicum, & quod potiùs laudaretur celandum. An vt innoteſceret mundo, quantùm Deus horreat ebrietatem, vt pote in ſancto etiā viro, turpitudinis quamquā inculpatæ parentem? Noè ſiquidem per ebrie-
A Apoc. 16.1.com mētatio. tatem nudauit fœmora ſua, quæ ſexcentis annis per ſobrietatem [A] obtexerat. An vt memorabile factum filiorum inde ſecutum poſteritas nō ignoraret? [B] Sed altiùs eleuando mentem, ſpe- B D.Th. hic.
ciali exarata ſunt hæc myſterio, vt ſummi Patriarchæ Chriſti euentura confuſio præſignaretur. Nimia ſanè charitate ſuæ vineæ, captus veluti ebrietate, (nam vinea Domini eſt Eccleſia, quam plantauit, de qua Iſaiæ 5. & Ieremiæ 2. vnde Dominus Matth. 15. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur*, & alibi, *Pater meus agricola eſt*, & Apoſtolus, *Dei agricultura eſtis*, 1. Cor. 3. nudatus iacuit in Cruce, ſummo pudore, etſi *confuſione contempta*, quod ait Apoſtolus. *Calix meus inebrians*. Pſal. 22. Ob hoc, paſſionis ſuæ memoriale expreſſius inſtituit ſub ſpecie vini; dicendo, *hic calix*, &c. quia calix turbat, & [C] quia in- C 1.Cor. 11.1.6.
ebriat. *In tabernaculo ſuo*, ideſt in medio populi ſui, deriſus à ſynagoga: fideles autem non viderunt aſpectu carnali curioſo & contemptiuo Chriſti humilia, & infirma, ſed operuerunt pallio Diuinæ Maieſtatis, reuerendo ea tanquam diuiniſſima, & latenre Diuinitate tremenda: in hoc etiam pallium ſuis humeris impònentes, ideſt immenſitatem Maieſtatis, & charitatis, maturitatis & honeſtatis Chriſti portantes; inquantum ſe totos per obedientiam & humilitatem, diuinæ Sapientiæ captiuantes etiam intellectum in obſequium fidei, ſubiecere.

Hęc Noè allegoria ad Chriſtum fuit D. Cypriani D. Auguſtini, & communis Sanctorum Patrum. Alias autem, poſt hanc, myſticas tangit hic Sanctus Doctor. Per pallium etiam poſſunt ſignificari animæ noſtræ; ſic enim dicitur Geneſis 49. *expectatio gentium lauabit* [D] *in ſanguine Vuæ, pallium ſuum*: per ſanguinem enim eius D op.58. c.12.
loti ſumus. Hoc pallium operuit nuditatem Saluatoris, quia vbi confuſionem crucis eſt paſſus, nunc glorioſus regnat in nobis, vnde & Iſaię 63. legitur, *iſte formoſus in ſtola ſua*: & ſic eo loci Angelicus [E] *lauabit in vino ſtolam ſuam*; id. E Geneß 49.
eſt corpus ſuum, quia per hoc, eius gloriam meruit, & obtinuit: & per hæc etiam, lauit Eccleſiam ſuam, quę eſt quaſi veſtis eius. Et ſimiliter Ioannis 20. veſtimenta Chriſti [F] diuiduntur F Ioannis 20.1.4.
in quatuor partes, quia Eccleſia per quatuor mundi partes diffuſa eſt; Iſaię 49. *viuo ego dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa*. Quocirca alibi [G] inquit, veſtimentum Chriſti ſunt ſancti G Pſ.44.
omnes. Fuit autem ſynagoga tanquam rudior & inconcinnior, quaſi pallium: tranſijt deinde in veſtem ornatus, cum ſucceſſit ſynagogę gentium Eccleſia. Veſtimentumque huiuſmodi, ſeu veſtimenta ſplendentia ſiunt, [H] in ſupernę H 9.p.45. 2.3.
claritatis culmine, iuſtitiæ fulgore; & ſpecioſa, ex participatione [I] diuinę eſſentię, ſapientię, I Iob 40.
& iuſtitię: ex quo & Angelorum decor redundat in honorem Dei, in quantùm exinde eius bonitas commendatur.

CA-

C A P V T X.

1 HAe funt funt generationes filiorum Noè, Sem, Cham, & Iapheth: natique funt 1.Par.1.
eis filij poft diluuium. 2 Filij Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Ia- c.5.
uan, & Thubal, & Mofoch, & Thiras. 3 Porrò filij Gomer: Afcenez, & Ri-
phath, & Thogorma, 4 Filij autem Iauan: Elifa, & Tharfis, Cetthim, & Dodanim. 5
Ab his diuifæ funt infulæ gentium in regionibus fuis, vnufquifque fecundùm linguam fuam,
& familias fuas in nationibus fuis. 6 Filij autem Cham: Chus, & Mefraim & Phuth, &
Chanaan. 7 Filij Chus: Saba, & Heuila, & Sabatha, & Regma, & Sabatacha. Filij
Regma: Saba, & Dadan. 8 Porrò Chus genuit Nemrod: ipfe cępit effe potens in terra,
9 & erat robuftus venator coram Domino. Ob hoc exiuit prouerbium: Quafi Nemrod
robuftus venator coram Domino. 10 Fuit autem principium regni eius Babylon, & Ara-
ch, & Acad, & Chalanne, in terra Sennaar. 11 De terra illa egreffus eft Affur, & ædifi-
cauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale. 12 Refen quoque inter Niniuen, & Chale,
hæc eft ciuitas magna. 13 At verò Mefraim genuit Ludim, & Anamim, & Laabim,
Nepthuim, 14 & Phetrufim, & Chasluim: de quibus egreffi funt Philifthijm, & Caphto-
rim. 15 Chanaam autem genuit Sidonem primogenitum fuum Hethæum, 16 & Iebu-
fæum, & Amorrhæum, Gergefæum. 17 Heuæum, & Aracæum; Sinæum, 18 & Ara-
dium, Samaræum, & Amathæum: & poft hæc diffeminati funt populi Chananæorum. 19
Factique funt termini Chanaan venientibus à Sidone Gerarum vfque Gazam, donec ingre-
diaris, & Sodomma Gomorrham, & Adamam, & Seboim vfque Lefa. 20 Hi funt filij
Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus terrifque & gentibus fuis. 21 De 1.Par.1. b.17.
Sem quoque nati funt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore. 22 Filij
Sem: Aelam, & Affur, & Arphaxad, & Lud, & Aram: 23 Filij Aram, Vs, & Hul, &
Gether, & Mes. 24 At verò Arphaxad genuit Sale, de quo ortus eft Heber. 25 Natique
funt Heber filij duo: nomen vni Phaleg, eo quòd in diebus eius diuifa fit terra: & nomen
fratris eius Iectam. 26 Qui Iectan genuit Elmodad, & Saleph, & Afarmoth, Iare, 27
& Aduram, & Vzal, & Decla, 28 & Ebal, & Abimael, & Saba, 29 & Ophir, & He-
uila, & Iobab omnes ifti, filij Iectan. 30 Et facta eft habitatio eorum de Meffa pergen-
tibus vfque Sephar montem orientalem. 31 Ifti filij Sem fecundùm cognationes, & lin-
guas, & regiones in gentibus fuis. 32 Hæ familiæ Noè iuxta populos, & nationes fuas.
Ab his diuifæ funt gentes in terra poft diluuium.

VERSVS II. *Filij Iaphet; Gomer & magog, & madai &c.*

Recenfentur ex Iaphet quatuor & decem, quibus ipfe Iaphet connumeratus efficit numero quindecim generationes. Ab his, vt paulò poft legitur, diuifæ funt infulæ gentium in regionibus fuis; *vnufquifque fecundùm linguam fuam, & familias fuas, in nationibus fuis*. Notandum eft autem, quòd relatis filijs Iaphet, ex duobus tantùm, & non ex cunctis denarratur propagatio: [A] non quia alij non habuerint pofteros, fed quia Gentes, & linguas per fe non fecerunt, fed alijs gentibus adiuncti funt; idque ex Auguftino. Quod de fobole pariter dicitur aliorum filiorum Noè, Cham fcilicet & Sem. A D.Th. hic.

VERSVS VI. *Filij autem Cham; Chus, & Mefraim &c.* Enumerantur hac ferie viri triginta.

VERSVS VIII. *Porro Chus genuit Nemrod.*

Seruitus de qua fuprà dictum eft, ex qua fubijcimur aliquando Dei permiffu tyrannidi dominanti, ob peccatum, & culpam, tanquam debita pœna inflicta eft, Iob 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi*: & Ofee 13. *Dabo tibi Regem in furore meo*. Vnde & primò Dominantes in mundo, fuerunt [B] homines iniqui, vt Hiftoriæ tradunt, ficut Cain, Nemrod. In hac fecunda mundi ætate ab hoc impio Nemrod [C] fecundùm quofdam adinuenta eft Idololatria. Itaque *Nemrod* fecùndum Ifidorum interpretatur *Tyrannus*. [D] Licèt autem Babylon, & terra Chaldæorum fpectauerint ad filios Sem, nam fecùndum Hieronymum de Arphaxad filio Sem fuerunt Chaldæi; tamen per tyrannidem creduntur à Nemrod vfurpata; & videtur Moyfes hic innuere, quòd effet Rex in Babylone, quando diuifæ funt linguæ. B op.20. 3.c.7. C 2..294. 4.2. D D.Th. hic.

VERSVS IX. *Et erat robuftus venator coram Domino.*

D. Auguftinus ait, fuiffe gigantææ ftaturæ; diciturque venator, quia homines [E] quafi feras infectabatur, vt fibi impiè crudeliterque fubijceret. Et licèt ex Auguftino præpofitio græca exponi poffit per *coram* vel *contrà*, & vt ait hic D. Th. attentà malitia impij, videatur melius legi *contrà Dominum*: attamen quoniam, vt fuprà retulimus, Dei permiffu fit impius virga cædens propter peccata, Ifaiæ 10. *Virga furoris mei*, meritò legitur, etiam *coram Domino*: non enim eft malum huiufmodi pœnale, *quod non fecerit Dominus*: Amos 3. vel *coram Domino* interdum Deo vidente & tacente: *& taces*, ait Habacuc *deuorante impio iuftiorem fe*: vide vberrimè Thomam Maluenda de Antichrifto l. 5. c.3. E D.Th. hic.

VERSVS XIX. *Donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham; & Adamam & Seboim vſque Laſa.*

Legitur infrà c.19. in ſubuerſione Sodomę præſeruatam fuiſſe Bala dictã deinde Segor; hoc eſt, [F] parua. Hæc ciuitas hoc loci non exprimitur. Fuerunt autem principaliores [G] Sodoma & Gomorrha, ideoque præcisè tanguntur 2.Petri 2. Hic nota ex Hieronymo, [H] quod gentes deriuatæ à Mesraim, (exceptis ijs quæ deſcenderunt per Laabim & Cailuim) ignotæ nobis ſunt; quia bello Æthiopico ſubuerſæ, vſque ad obliuionem nominum peruenere. Quæritur ſtatim cur paulò ante inter filios Cham recolatur Aſſur [I] Reſpondet Angelicus fieri, vt innuatur quòd Prophetia Noè de ſubiugatione filiorum Cham ſub filijs Sem, in Aſſur cœpit impleri. Tamen eſt dubium, an cum ſuprà v. 11. dicitur, *de terra illa egreſſus eſt Aſſur*, intelligatur de homine ſingulari hoc, filio Sem, vel de gente Aſſyriorum. Secundùm Auguſtinum, propriè ſignatur filius Sem: ſecundùm Hieronymum, per Aſſur ſignificatur Aſſyriorum Imperium; & poſſet intelligi; quod Aſſyriorum gens *ædificauerit Niniuen*, ſed longè poſt. Certè per Aſſur, tanquam ex quo traxit gens illa nomen, ſignificatum eſt Imperium Aſſyriorum, quorum monarchiæ caput fuit [L] Ninus, tempore Abrahæ Patriarchæ: vnde & alij Aſſyriorum Reges, nomine Aſſur vocati ſunt, & ſic legitur Iſaiæ 5. *Aſſur virga furoris mei* &c. quæ Prophetia impleta eſt, quando Ieruſalem obſeſſa eſt à Chaldæis per Nabuchodonoſor Regem Aſſyriorum; vt [M] in fine quarti libri Regum, videre eſt.

F D.Th. hic c. 19.
G 2.Petri 2.
H D.Th. hic.
I D.Th. hic.
L op.20. l.3.12.
M loco cit c.7.

VERSVS XXXII. *Hæ familiæ Noè iuxta populos & Nationes ſuas: ab his diuiſæ ſunt gentes in terra poſt diluuium.*

2 Videtur, vnamquamque memoratorum familiam, in ſpecialem populum, & nationem propagatam fuiſſe; & ſic gentes diuiſas: quare tot communiter aſſeruntur linguæ in vniuerſo fuiſſe, quot enumerati ſunt ex Noè in præſenti capite. Intelligitur autem de matricibus linguis; tales ſunt Hebraica genitrix Syriacæ, Arabicæ; Latina, Italicæ, Valachiæ, Gallicæ, & Hiſpanicæ; Græca, Doricæ, Ionicæ, Æolicæ, Atticæ; Sclauonica, Polonicæ, Boemicæ, Moſconiticæ; Germanica, Helueticæ, Anglicæ, Flandricæ; Tartarica, Turcicæ, Sarmacanicæ; Abyſſina, Æthiopicæ, Sabęæ; nón comprehenſis, ſingularum mutatione accidentaria, Dialectis. Vide Genebrardum in ſua Chronologia. Non ſine cauſa verò ad hunc numerum diuiſæ ſunt; nam ſub eodem numero delecti ſunt ſeniores, Numeri 11. vt refert Angelicus hic & op. 19. [N] Similiter Chriſtus Dominus, *Septuaginta duos diſcipulos* Lucæ 10. *miſit*. Sanè ſenarius numerus primus eſt, qui ex omnibus ſuis aliquotis partibus ſurgit, atq; adeò perfectus eſt: ſeptuaginta duo autem ſunt duodecim ſenarij; duódenarius etiam perfectus eſt, ex ternario in quaternarium ducto emergens: ac duplici ex ſenario, vt alibi dicetur; ideòq; ſunt numeri qui referunt vniuerſitatem. Nec ab hoc ſeptuagenario numero linguarum, diſcordat Auguſtinus, licèt ſequatur literam ſeptuaginta Interpretum, Interſerendo Cainam, ex quo viderentur augeri linguæ ad ſeptuaginta tres; nam inquit, *ponitur Cainam vtique, quia vnam linguam inchoauit; ſed Heber & Phaleg, vnam locuti ſunt, non duas*. Ad excluſionem attamen Cainam, adhuc ſeptuaginta duæ recenſeri poſſunt, etiamſi in Phaleg lingua Heber durauerit, quia in Heber fuit veluti in fonte, & ante diuiſionem; poſt diuiſionem verò, quaſi poſt naufragium redempta, innouata eſt in Phaleg. Phaleg etiam interpretatur diuiſio, eoquòd in diebus eius diuiſa ſit terra: vnde lingua quæ in Heber floruit, dilata longiùs diuiſione, in Phaleg remanſit. Ab Heber tamen voluere gentilitium trahere nòmen Iudæi, tanquam à quo non fuit primæua auulſa lingua: de quò hic D. Thomas; ex quo, puto legi v. 21. *Patre omnium filiorum Heber*; quia Heber inter filios & nepotes Sem, omnibus eſt prælatus, vt hic ex Auguſtino S. Doctor.

N D.Th. hic & op. 19. c. 4. ante medium.

CAPVT XI.

Sap 10. 5.
1 ERat autem terra labij vnius, & ſermonum eorundem. 2 Cumque proficiſcerentur
de oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. 3 Di-
xitque alter ad proximum ſuum: Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni.
Habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento: 4 & dixerunt: Venite facia-
mus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cęlum: & celebremus nomen
noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras. 5 Deſcendit autem Dominus, vt vide-
ret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam, 6 & dixit: Ecce, vnus eſt popu-
lus, & vnum labium omnibus, cęperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus
ſuis, donec eas opere compleant. 7 Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi lin-
guam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui. 8 Atque ita diuiſit eos Do-
minus ex illo loco in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem. 9 Et idcircò vo-
catum eſt nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ: & inde diſperſit
1. Par. 1. b. 17. eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum. 10 Hæ ſunt generationes Sem: Sem
erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio poſt diluuium. 11 Vixitque
Sem poſtquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios, & filias. 12 Porrò
Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. 13 Vixitque Arphaxad poſtquam
genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios, & filias. 14 Sale quoque vixit triginta

annis,

annis, & genuit Heber. 15 Vixitque Sale poſtquam genuit Heber, quadringentis tribus
annis: & genuit filios, & filias. 16 Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit
Phaleg. 17 Et vixit Heber poſtquam genuit Phaleg, quadringentis, triginta annis, &
genuit filios & filias. 18 Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu. 19 Vixitque 1. Par. 1.
Phaleg poſtquam genuit Reu, ducentis nouem annis, & genuit filios & filias. 20 Vixit b.19.
autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. 21 Vixit quoque Reu poſtquam genuit
Sarug, ducentis ſeptem annis: & genuit filios & filias. 22 Vixit verò Sarug triginta annis,
& genuit Nachor. 23 Vixitque Sarug poſtquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit
filios & filias. 24 Vixit autem Nachor viginti nouem annis, & genuit Thare. 25 Vixit-
que Nachor poſtquam genuit Thare, centum decem & nouem annis: & genuit filios & fi- 1. Par. 1.
lias, 26 Vixitque Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. 27 b.28.
Hæ ſunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran Ioſ. 24. 2.
genuit Lot. 28 Mortuuſque eſt Aran ante Thare patrem ſuum, in terra natiuitatis ſuæ in 2.
Vr Chaldæorum. 29 Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores: nomen vxoris Abram,
Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran patris Melchæ, & patris Ieſchæ. 30 Ioſ. 24. 2.
Erat autem Sarai ſterilis, nec habebat liberos. 31 Tulit itaque Thare Abram filium ſuum, 2. Nehe. 9.
& Lot filium Aran, filium filij ſui, & Sarai nurum ſuam, vxorem Abram filij ſui, & eduxit b.7.
eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan: veneruntque vſque Haran, & habi- Iudit. 5.
tauerunt ibi. 32 Et facti ſunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus eſt a. 6. Act. 7. a.
in Haram. 2.

VERSUS I. *Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorumdem.*

Vnum erat adhuc hominum idioma; quod eleganter exprimit Moyſes per labium, cuius videlicet beneficio formantur completè verba. Labium terræ meritò dicitur ob terrenas ferè omnium cogitationes, quas mutuò promentes in eoſdem conſpirabant ſermones, de moliendis ſuperbè, & Vrbe, & Turri. (A D. Th. hic.) Refert Magiſter [A] ex Philone, quòd ex tribus filijs Noë, adhuc ipſo viuente, propagatum fuerat humanum genus ad viginti quatuor millia virorum præter paruulos, & mulieres. Horum itaque, niſi omnes, pars maior.

VERSUS II. *Cum proficiſcerentur de Oriente inuenerunt campum in terra Sanaar, & habitauerunt in eo,* &c.

Quo conſilio eò ſint profecti, tangit Angelicus; præcipuè nimirum, vt magis ad medium habitabilis terræ accederent, vbi à noua, & magnifica ſede, figerent principatum, & regimen diffundendi per Orbem populi. Campeſtri loco itaque Senaar inuento, in quo poſtea Nabuchodonoſor adorandam [B] erexit ſtatuam, (B Danielis 3.) de Babylone Chaldæa condenda, turrique ſublimanda, certatim ab ijs in conſilium itum eſt; cœptumque re ipſa opus, euectamque molem, ex D. Hieronymo l. 5. in Iſaiam, ad caput 14. vſque ad quatuor millia paſſuum, ſeu ad germanicum milliare.

Non ſuſtinuit Dominus perfici opus, quod ambitus & tyrannis Nemroth præ cæteris contendebat exſtruere. Superbis quippe *filijs Adam*, propterea ità hic nuncupatis, ſemper reſtitit Dominus Deus. Itaque deſcendit Dominus, vt videret, &c. (Anthropopathos.) Vſurpatur autem eiuſmodi figura, vt ſenſibilius, & terribilius, (C D. Th. hic.) [C] hominibus ingerat Dei præſentiam iuſtitiamque punitiuam: & quia paucis Sanctorũ Patribus demptis, (qui fortè prauis erant contemptui) concordes erant ad malum, indomito cordium nexu, linguas diuiſit. *Venite, igitur* ait Deus Angelis, quorum Miniſterio ipſius iuſſa implentur, *& confundamus ibi linguam eorum.* Facta proinde idiomatum pluralitate, alterum non audiebat alter, nouæ locutionis ignarus; (quod eueniſſe mirificè credendum eſt in dirigentibus alios Architectis, etſi minores mutuò alloquerentur) & ita confuſionem linguarum ſecuta mentis confuſio, hùc illùc maiores traxit atque diſperſit, & territos ab inuicem ſegregauit. Hebræa autem lingua ab Heber, in quo floruit, dicta, non ab Abraham, vt tradit Sanctus Doctor, [D] remanſit in eiuſdem Heber familia, cum cultu vnius Dei. (D hic c. 11 & 14. 2. Cor. 11. l. 5. & Phi lip. 1. l. 1.) Declinantibus ad Idololatriam gentibus, nè tàm facilè alius ad tantum peccatum pertraheret alium, linguarum diuerſitatem inflixit Deus, poſteà in Apoſtolis opportuno remedio, [E] dono linguarum ſcilicet, ad eaſdem reuocandas Gentes, occurſurus. (E 2. 2. 176. 1.) Nota ex Angelico Comm. p. in Apocalypſ. c. 14. diuerſa idiomata ſub eadem lingua contineri, vt verbi gratia Gallicum Lombardicum. Notandum ad verſum 10. & infrà nunquam ſubdi, *& mortuus eſt*, quod licèt poſſit ſubintelligi, tamen non perperam omiſſum certè fuiſſe, credendum eſt; ſiquidem cum ad Abram vſque perueniatur, cui de æterna vita hominum, per regenerationem gratiæ, facta eſt promiſſio, non decuit memorari mortem, [F] vnde, & Abram hìc eſt decimus, incipiendo à Sem; & ab Noë ad ipſum, currunt decem generationes: quia per obſeruantiam Decalogi, ducimur ad vitam. (F D. Th. hic.) Hinc fortè opinari poſſemus, ob myſticum huiuſmodi retinendum numerum, ſubticuiſſe Moyſen generationem Cainam.

VERSUS XII. *Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.*

Celebris, & ardua exoritur quæſtio, eo quòd D. Lucas Euangeliſta cap. 3. in ſua genealogia interſerit Cainam, de quo nihil hìc facer textus, nec in 1. Paralipomenon c. 1. nec Ioſeph l. 1. Antiq. c. 6. *qui fuit*, inquit, *Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad*. Arphaxad ergo videtur eſſe Pater Cainam, & Cainam Pater Sale. In Chaldæa etiam interpretatione nulla fit mentio de Cainam. Hæretici expungunt ab Septuaginta, & à D. Luca Cainam, temerè

quiſque ad proximi culpam. Si qui tamen fuiſſent, etiam innocentes in ſceleribus, pro quibus imminebat diluuium, alia fortè habuere crimina expurganda, & ſic pena fuit medicina, vel purgatiua vel præſeruatiua; Præterquam, mors & aliæ penalitates præſentis vitæ poſſunt ex diſpoſitione diuinæ præſcientiæ & prouidentiæ ordinari ad finem aliquem ſpecialem, T puta ne quis de virtutibus ſuperbiat; & per patientiam coronetur. De hac autem quæſtione, an quis puniatur pro peccato alterius. Videatur S. Doctor Fuſius 22.q. 108. a. 4. & p. 2. q. 87. a. 8, vbi ad marginem aliæ plures ſunt citationes.

T 2. 2. 164. 1. 4.

VERSVS XXIV. *Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus,*

Quoniam ſuprà v. 11. habemus diem, *quando rupti ſunt fontes abyſſi magnæ*; atque etiam v. 14. *in articulo diei illius, ingreſſus eſt Noè*; ab eo die numerari hos centum quinquaginta, cum communi interpretum ſenſu, & D. Thoma hìc, inconcuſſum eſto. *His autem diebus centum quinquaginta*, cum aliquot alijs, in menſes redactis, menſe ſeptimo, die vigeſima ſeptima, ſequenti c. 8. requieuiſſe dicitur *Arca ſuper montes Armeniæ*. Hunc autem menſem ſeptimum, ſeu potius hos ſeptem menſes, ab exordio alluuionis, accipi æquum eſt: non verò quaſi eſſet ſeptimus ſexcenteſimi anni Noè. Sic pariter cum, eodem c. 8. adiectum eſt; *Decimo menſe, prima die menſis, apparuerunt cacumina montium*, ab ipſomet initio diluuij, intelligitur. Nouem ergo erant expleti menſes, & decimus prima die inchoatus; quæ prima dies menſis, fuit etiam, prima dierum quadraginta, quos tranſire expectauit Noè, cum alijs bis ſeptem. Quoniam itaque c. 8. v. 13. habemus poſt horum menſium & dierum excurſum, *ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis, imminutæ ſunt aquæ ſuper terram*, ſatis manifeſtè innuitur, interiectos menſes & dies ab anno ſexcenteſimo vitæ Noè, vnum complere annum, & quidem ſolarem, vitæ Noè. Quod vt ob oculos ſubijciamus dicamus ſic

Menſes nouem, ſinguli dierum viginti nouem & dimidij faciunt, —	Dies. 265. ½.
Quos primò expectauit Noè, fuere. —	Dies. 40.
Quos expectauit poſt regreſſum columbæ. —	Dies. 7.
Quos poſt iterum emiſſam columbam. —	Dies. 7.
	Dies. 319. ½.
Quibus ſi addamus menſem vnum ſeu primum, qui excurrerat ante initium diluuij, ſunt. —	Dies. 29. ½.
Itemque dies ſexdecim, nam cępit diluuium menſe ſecundo, die decima ſeptima. —	Dies. 16.
En quomodo exurgunt	Dies. 365.

Qui Anni Solaris vnius ſunt dies, excedentes curſum duodecim innouationum Lunarium, de diebus vndecim. Etſi autem vt videbimus c. 8. ex D. Thoma Scriptura Lunares annos ſupputet: cum de vitæ, & ætatis duratione fit ſermo, iuxta Solis curſum claret fieri, ex hactenus percenſitis, computationem.

Itaque tempus, quod pertranſijt antequam terra in ſua ſuperficie eſſet exſiccata, exceſſit menſes decem, de vigintis quatuor dies & dimidio. Areſactio autem plenior terræ inſumpſit dies alios quadraginta quinque: poſt quos, decurſus apparet etiam integer annus, ſed ſolaris: vnde reuertitur ſacer textus c. 8. num. 14. ad menſem ſecundum, ſicuti c. 7. n. 11. ſed non reuertitur ad diem decimum ſeptimum; benè verò ad diem vigeſimum ſeptimum, propter exceſſum anni Solaris ſupra Lunarem, vt infrà dicemus. Vno ergo verbo, quoto anno cœperit diluuium, ab ætate Noè in chronologiam trahendum eſt; qualiter fuerit diluuij progreſſus, decrementum, & omnimoda ceſſatio, per dies, & per menſes deſignatos, innoteſcit; fit enim mentio in calce capitis ſeptimi, *de centum quinquaginta diebus*: cap. 8. *de ſeptimo menſe, & de die vigeſimo ſeptimo*: *de decimo menſe*, deque eius *prima die*: *de quadraginta diebus*: *de ſeptem diebus*: iterumque *de diebus ſeptem*. Denique de reuolutione ad primum diem ſexcenteſimi primi anni Noè: & de reuolutione pariter menſis ſecundi, & diei, non decimi ſeptimi, ſicut cap. 7. ſed vigeſimi ſeptimi. Mirum eſt autem de varietate tranſlationum, circa numerum dierum, in quorum vltimo, cap. 7. dicuntur *rupti fontes*; cap. 8. dicitur *Arca quieuiſſe*; & in eodem cap. dicitur, *exſiccata ſuperficies terræ*: nam, non eſt concors noſtræ litera Septuaginta, nec Thargum: nec iterum Thargum concordat cum Septuaginta. Vis Hebraica nobiſcum eſt, in primo loco, ſcilicet c. 7. v. 11. exprimitque, *ſeptimo decimo die*; ſic etiam conſentit cap. 8. v. 14. ſed v. 4. aliter ac nos; nam legitur Hebraicè *menſe ſeptimo, die ſeptima decima*: vbi nos habemus *vigeſima ſeptima*. Septuaginta primo loco legunt; *vigeſima ſeptima*, ſic, ſecundo; ſed tertio loco legunt, *decima ſeptima*. Thargum iuxta Hebraicam, primo & ſecundo loco, *decima ſeptima*; tertio loco, *vigeſima ſeptima*. Vnde autem oborta ſit diſcrepantia, Deus ſcit: fortè accidit ex ſcriptorum incuria, ſeu potius ex ſciolorum inſcitia, qui diluuium in ſuis circunſtantijs proprio marte expendentes, quia incepit die decima ſeptima, etiam die tali, requiem donaſſe Arcæ, opinati ſunt: aut è contra arcanam varietatem ſcripturæ vnius & alterius textus neſcientes, pro ſuo arbitratu, errorem eſſe rati ſcriptorum, contextus alterauerunt. Noſter pro certo tanquam verus habendus, non ſolùm ex ijs quæ paulo poſt, cum de corui dimiſſu, ſed ex faciliori lapſu, in literis Hebraicis, circa decimum, loco vigeſimi, aut è contra: eædem enim ſunt fermè literæ, nec magis diſcrepant, quàm nomen ſingulare à plurali, in Hebræa lingua *decimus*, & *vigeſimus*.

CA-

CAPVT VIII.

1 RECordatus autem Deus Noè, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ. 2 Et clausi sunt fontes abyssi, cataractæ cęli: & prohibitæ sunt
pluuiæ de cęlo. 3 Reuersæque sunt aquæ de terra euntes, & redeuntes: & cęperunt minui
post centum quinquaginta dies. 4 Requieuitque arca mense septimo, vigesimoseptimo
die mensis super montes Armeniæ. 5 At verò aquæ ibant, & decrescebant vsque ad decimum mensem: decimo enim mense prima die mensis, apparuerunt cacumina montium.
6 Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noè fenestram arcæ, quam fecerat dimisit coruum: 7 qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram. 8 Emisit quoque columbam post eum, vt videret si iam cessassent aquæ super faciem
terræ. 9 Quæ cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam:
aquæ enim erant super vniuersam terram, extenditque manum, & apprehensam intulit in
arcam. 10 Expectatis autem vltra septem diebus alijs, rursum dimisit columbam ex Arca.
11 At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo,
intellexit ergo Noè quòd cessassent aquæ super terram. 12 Expectauitque nihilominus septem alios dies: & emisit columbam, quæ non est reuersa vltra ad eum. 13 Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram: &
aperiens Noè tectum arcæ, aspexit, viditque quod exiccata esset superficies terræ. 14
Mense secundo, septimo, & vigesimo die mensis arefacta est terra. 15 Locutus est autem
Deus ad Noè dicens: 16 Egredere de arca, tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum
tuorum tecum: 17 Cuncta animantia, quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus, quam in bestijs, & vniuersis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredimini super terram: crescite & multiplicamini super eam. 18 Egressus est ergo Noè, Sup. 1. d. 28.
& filij eius, vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo. 19 Sed & omnia animantia iumenta, & reptilia, quæ reptant super terram secundùm genus suum, egressa sunt de arca. Inf. 9. a. 1
20 Aedificauit autem Noè altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus
mundis, obtulit holocausta super altare. 21 Odoratusque est Dominus odorem suauitatis,
& ait: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur vltra percutiam omnem Sup. 6. a. 5. Matt. 15. b. 19.
animam viuentem sicut feci. 22 Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus, & æstus,
æstas, & hiems, nox & dies non requiescent.

VERSUS I. *Recordatus autem Deus Noè, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cùm eo in arcam, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.*

1 Angelicus hic inquit, quòd sicut semper, vel communiter, accipitur visio peccatorum in malum, scilicet pro deliberatione ad puniendum [A] Genesis 18. *descendam & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*; ita recordatio in scripturis accipitur in bonum, siuè in clementiam; *recordare Domine* Tren. vlt. *quid acciderit nobis*, nam recordatus est quasi iterum cordi datus: fuit autem Deus recordatus Noè principaliter, sed animantium per accidens, & quasi per quandam attributionem. Verùm quoniam recordatio obliuionem supponit, expedit enucleari, an Deus obliuisci dicatur. Sanè, videtur Deus obliuisci, pluribus alijs ex scripturis: Ezechielis 18. *omnium iniquitatum eius non recordabor*: & iterum; *omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur* in ps. 78. *ne memineris iniquitatum nostrarum*; & Apocalypsis 16. *& Babylon magna venit in memoriam ante Deum.* quo loci [B] Sanctus Doctor ait, obliuio propriè non cadit in Deum, quia priuat propriè memoriam, siuè notitiam præcedentem; sed largè loquendo dicitur obliuisci, scilicet quantùm ad effectum, cùm instar hominis obliti offensam non punit, vel non benefacit; immò apud nos stante etiam recordatione consuetum est, dici nos oblitos; sicut Dominus aliquis posset dici oblitus seruum suum, à quo fuisset offensus, quia non ei vltra benefaceret. Videbatur autem Deus more humano aliqualiter oblitus Noè, in quantùm Arcæ veluti carcere, per menses clauserat, fluctibus quaque versus iactandum: itaque *recordatus est*, nouo Diuinæ suæ misericordiæ effectu prosecuturus Noe: cuius gratia, aquas paulatim decreuerat renouato Orbe amandare. Quod est repetit hic Angelicus dicens, in effectu ad modum recordantis se habuit.

A D. Th. hic.

B Apoc. 16.

Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.

Cùm non dicat adduxit spiritum suum, quemadmodum suprà; neque similiter dicat venit spiritus Domini, conuenienter exponitur de [C] Vento. Igitur exufflatione venti, disiectis nubibus, ex quibus tenebrosum & pluuiosum adhùc erat Cœlum, prohibitæ sunt, vt ait Sacer textus, pluuiæ, factoque sereno Cœlo, non parum euaporationis aquarum cœpit ascendere sursum, atque dispergi. Adduxisse etiam dici potest spiritum, quia impulsu quodam reuersæ sunt aquæ,

C D. Th.

vnde venerant: *euntes*, inquit, *& redeuntes*, quoniam in decliuia ibant proprio pondere ductæ, ad loca verò altiora, vnde & fluxerant, non ibant quaſi ſua ſponte, potius redibant. Ex clementia etiam & Amore indicat Dominus ad ducendo ſpiritum, velle diluuio finem imponere, nouiſque replere Orbem generationibus; eo quòd nomen ſpiritus, quod in rebus corporeis impulſionem [D] quandam, & motionem ſignificat, amorem, qui mouet & impellit voluntatem amantis in amatum, apprimè deſignat.

D p.p.56. ...

VERSVS VI. *Cumque tranſiſſent quadraginta dies*, &c.

Cùm tranſitus intelligatur [E] ſemper de termino ad terminum, ſtatim exquiret ſacræ paginæ ſtudioſus, quis nam fuerit terminus, vnde cœperint tranſire dies quadraginta. Pro rei huius luce tãquam certum tenendum eſſe arbitror, Sanctum Noè apprimè noriſſe tempus, quo duraturum erat diluuium, quemadmodum eidem reuelatum fuerat, & futurum eſſe, & poſt ſeptem dies venturum. Colligitur etiam ex euentu, non enim caſu, excurſis quadraginta primò diebus, & deinde bis ſeptem, deuenit ad punctum, in quo imminutæ ſunt aquæ. Immò nouiſſe cœtera cuncta, priuſquam euenirent, aliunde conſtat, puta non reuerſurum coruum in Arcam, columbamque primò reuerſuram, non verò ſecundò; ideoque Coruum, atque Columbam poſtera vice dicitur dimiſiſſe, prima, emiſiſſe: quod emittitur non dimittitur; dimittitur, de quo non vltra curandum. Igitur id factum eſt, vel vt experimento comperiret quæ futura præſcierat; vnde legitur, *vt videret ſi iàm ceſſaſſent aquæ*, quod & de experimentali notitia exponitur ſuprà de Adam reſpectu animalium, *vt videret quid vocaret ea*; & iterum, *intellexit ergo Noè quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram*; non inquit, cognouit, aut didicit, ſed *intellexit*, quod etiam de antea præcognitis verè enunciatur; vel vt poſteris eſſet exemplo, ne agendorum incuria reique præſertim domeſticæ cura, ſomniculoſi aut deſides eſſent. Deinde animaduertendum, non idcò dies iſtos enumerari, vt tempus inuoluentis diluuij inde ſciatur; ſatis enim per menſium recenſionem agnoſcitur; ſed quoniam omnia in figura contingebant illis, percenſentur non ſine myſterio dies; quandoquidem, vt ait Auguſtinus, *Quadragenarius numerus eſt ſacratus*. Septenarius etiam repetitus non eſt otioſè. Videtur ergo Noè poſt menſes nouem diluuij, *cum decimo menſe, prima die menſis, apparuerunt cacumina montium*. (Sic quippe inuenitur, vt vidimus, integer annus diluuij percurrere) quadrageſimam expectationem veluti familiæ ſuæ indixiſſe, vt ſeptima die poſt ſeptem dona ſpiritus Sancti in columbæ emiſſione ſignata, iuxta illud, *emitte ſpiritum tuum*, ſecura quiete, imminutis omninò aquis perſruerentur. Quadragenarius quippe numerus pœnitentiæ ſtatum indicat [F] & rurſus ex ſuis partibus aliquotis ſurgens euadit in quinquaginta, qui eſt numerus remiſſionis, ad quam ducimur per penitentiam: & iterum, bis ſeptem etiam multiplicati in ſe ipſos emergunt in numerum proximum remiſſioni, qui eſt quinquageſimus Iubilæi [G] vnde Leuitici 25. *ſanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ*, *ipſe eſt enim iubilæus*. Hinc canit Eccleſia, *Sacro dierum numero, quo lege fit remiſſio*. At de myſticis huc ſpectantibus infrà.

E p.p.46. ...6.

F Apoc. ...7.

G Daniel. ...& 9.

VERSVS VII. *dimiſit coruum qui egrediebatur, & non reuertebatur*.

2 Nouerat non reuerſurum in Arcam. Signanter ergo vt dictum eſt *dimiſit*; myſteria ſub cortice claudens. Poterat tamen mundi ſtatus dignoſci, [H] ſi madefactus, volatu feſſus rediret, aut deſiccatum quid reportaret: atqui *non reuertebatur*. Hieronymus & ſeptuaginta legunt; *& egreſſus non rediit ad eum, donec ſiccarentur aquæ*. In Hebræo autem, *& egreſſus eſt exiens & reuertens, donec ſiccarentur aquæ de terra*. Verùm quia poſtquam dictum eſt *& egreſſus*, additur, *exiens*; quamuis ſciam eſſe poſſe pleonaſmũ, vt ire iter, viuere vita, puto egreſſũ ab Arca ſemel, & nõ reuerſum in Arcam, vt noſter legit; exiiſſe & rediiſſe, circumuolando veniendo, & recedendo ab Arca, vt ait hebræa: quia enim Imperfectè præteritum tempus, *egrediebatur*, ſonat multiplicationem: non enim aptè continuationem, ſui egreſſus; argumento eſt, nunquam fuiſſe reuerſum in Arcam: & rurſus quia ſecundùm Hæbræum egreſſus eſt exiens, neceſſe eſt vt reuerſus fuerit ad Arcam (ſed non in Arcam quia non legitur Noè extendiſſe manum) ſiquidem egreſſus exibat. Canus l. 2. de locis c. 13. catalogum nobiſcum legentium conficit; quare hebræo textui minor ſit fides; immò nulla, ſi vulgatæ deroget veritati.

H D.Th. hic.

VERSVS VIII. *emiſit quoque columbam poſt eum*, &c.

Cacumina montium erant retecta, ante emiſſionem columbæ, quia *decimo menſe, prima die menſis, apparuerunt*. Non eſt autem aſſerendum id de faſtigijs omnium Montium; quia cum gradatim recederent aquæ, excelſi ſunt primò diſcooperti, ergò etiam ſi pertranſiſſent ante emiſſionem columbæ adhuc quadraginta dies, montium minorum, nondùm latera apparuerant: quare columba tenui volatu rapta huc & illuc, ad vertices ægrè conſcendens, lateribuſque non quieſcens, nec tandem inueniens planitiem, ad Arcam reuerſa eſt, aquæ enim ad huc erant ſuper vniuerſam Terram. S. Doctor [I] hic exponit, *non inuenit* &c. *aquæ enim erant* &c. vt intelligatur de terra non montuoſa. Vel & ſi Arca inſediſſet ſupra montes, aliquantula tamen aqua erant montes irrigui, vnde non inuenit vbi requieſceret. Quocirca ait idem Angelicus, [L] Spiritus Sanctus per columbam deſignatus fugit aquam carnalis voluptatis: non ſic coruus, in typum vitioſæ ſuetæque gulæ acceptus, [M] legitur reuerſus ad Arcam.

I D.Th. hic.

L op. 42. l. 1. c. 10.

M op. 42. l. 5. 24.

VERSVS XI. *At illa venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ virentibus folijs* &c.

3 Mirè Sanctus Doctor 3. parte aptat proprietates columbæ donis Spiritus Sancti, [N] ſubditque, columba eſt animal manſuetum, & ideò dicit Chryſoſtomus. Super Matthæum; *in diluuio apparuit hoc animal, ramum ferens oliuæ, & communem orbis terrarum tranquillitatem annuncians*. Spiritus Sancti ergò clementiam amoremque indicauit, quia [O] oliua ſemper virens vitorem, & miſericordiam Spiritus ſancti ſignificat. Quod tangit etiam Ioannis 1. [P] dicens, columba deferens ramum virentis oliuæ oſtendit, ſignum

N 3. p. 39. 6. 4.

O 3. p. 72. 2. 3.

P Ioan. 1. l. 14.

clementiæ Dei, his qui residui fuerant ex aquis
Q Hebr. 6.1.4. diluuij. Et iterum ad mysterium refert, Q quòd
non quieuerit, quia nihil in præsenti vita est firmum, vbi possit anima firmari & quiescere.

VERSVS XIV. *mense secundo, septimo, & vigesimo die mensis arefacta est terra.*

4 Recentiores aliqui vel rem istam silentio prætereunt, vel inquiunt, durasse Diluuium per annum integrum, & adhuc per decem dies, qui videntur iuxta literam excrescere. Sed nôster intemerato percesset stylo, quod Dei digitus scripsit, firmiter credens, Cœlum transiturum & terram, priusquam iota vnum, aut vnus apex pariat errorem. Vgo Cardinalis doctissimus notat, ideirco apparere discrimen inter diem exordij, & finem diluuij, quia cum durauerit integro anno, annusque Solis, vndecim dierum numero, excedat annum lunarem, excursa reuolutione dierum trecentorum sexaginta quinque, per ductum dierum supputatorum cum luna, deprehenditur augmentum vndecim dierum, qui sunt Epacta. Nota ex D. Thoma, Danielis 9. quòd Scriptura computat annos lunares & menses, quia primam diem mensis vocat Neomeniam, seu lunam primam: & decimam diem mensis vocat lunam decimam, vt paret Exodi 12. & in multis alijs locis scripturæ; & tamen nec prima luna prima dies est, nec decima luna est decimus dies mensis solaris. & præterea omnes tabulæ Hierosolimitanæ factę secundùm Hebræos, currunt per annos lunares, & menses; De quo vide Maluendam l. 1. c. 24. Verùm hoc semel audito, videtur non quiescere ingenium. eo quòd calculator dierum, vnum diem quasi negligeret, non pronunciat arefactam terram mense secundo, die vigesima octaua, quod esset ob incrementum dierum vndecim, sed die *vicesima septima*. Nihilominus, si quis rem accuratè perpendat, reperiet ita omninò esse, vt in litera dicitur. Si enim decima septima lunaris dies secundi mensis, in qua *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*, nuncupata fuisset nomine tertiæ literæ Alphabeti, nimirum c, sine dubio dies quo annus lunaris expleuisset, appellari debuerat b. vtpotè finiendus in die immediatè anteriori ad c. Si ergo adhuc ad complementum anni solaris progrediamur oportet, numerando post illum diem, quo explicit annus Lunaris, qui fuit dies b. & sextadecima dies, oportet inquam numerando dies vndecim Epactæ, atque dicendo decem & septem, decem & octo, progrediendoque, decem & nouem. &c. vt finiatur solaris annus in nuncupatione diei vigesimæ septimæ. Deficiebat autem calculatori vnus dies, quia iste surripiebatur ab anno Lunari iterum exordiente, die decima septima, quasi tunc finiretur, quando rursùs capiebat exordium.

VERSVS XX. *Ædificauit autem Noë altare Domino, &c. obtulit holocausta.*

5 R op. 18. c. 11. Inter sacrificium & holocaustum distat, quia omne holocaustum R est sacrificium, & non omne sacrificium holocaustum in sacrificio enim pars pecudis, in holocausto verò totum pecus offerri consueuerat. Sacrificium, aut erat de inanimatis, puta pane vel thure, & tunc dice-
S Hebr. 10.l.1. batur oblatio; S vel de animatis, & tunc, vel ad placandum Deum, & dicitur holocaustum, quod erat dignissimum, quia totum comburebatur, & cedebat in honorem Dei. Aut erat pro emundatione peccati, & dicitur sacrificium pro peccato, & istud habebat duplicem partem, quia vna pars comburebatur in altari, altera cedebat in vsum ministrorum. Aut erat pro beneficijs Dei, & istud minùs dignum, quia tantùm tertia pars comburebatur, & dabatur ministris vna, alia offerentibus, & istud dicitur sacrificium pacificorum. Dicebatur autem Holocaustum, quasi totum T incensum; ab *Olon* quod T p. 1. 102.3.8.
est totum, & *eauma* quod est incensum: V addit- V Illuc 1.
que D. Thomas, huiusmodi sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reuerentiam maiestatis ipsius, & amorem bonitatis eius, & conueniebat perfectioni status: & ideò totum comburebatur, vt sicut totum animal resolutum in vaporem sursùm ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem, & omnia quæ ipsius sunt, Dei Dominio esse subiecta, & ei esse offerenda.

Tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis.

De cunctis sumit, vt multipliciter repræsentata præsignet. In agno vel vitulo, figurabatur Christus; in capra, pœnitentia; X in boue, X op. 58. c.3.
vita robusta, & actiua; in aue, sublimis, & contemplatiua; & sic de cœteris. Indigni erant qui illa sacrificia tantùm carnaliter attendebant; digni autem qui ea spiritualiter intelligebant, & in eis Christum figuratum, vel implicitè vel explicitè credebant. Sic autem obtulisse Noë certum est, quia *odoratus est dominus odorem suauitatis*; immò, non solum Noë, sed ipsius familiam per illum, alias Deo non placuissent, ex parte offerentis; sicut inquit D. Thomas, A tempore A Ilai 1.
Prophetarum, propter peccata populi, Deo non placebant ex parte offerentis, sed tantum in quantum erant signum. Igitur.

VERSVS XXI. *Nequaquam vltrà maledicam, &c.*

6 Quàm placatus est Dominus! oppignorat fidem suam de futura indulgentia. *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt*. inquit Angelicus B proni sunt spiritus hominis in B psal. 24.
malum, idest in peccatum ab adolescentia. Eccli. 11. *adolescentia & voluptas vana sunt*. hinc Iob c. 8. *consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*, vbi Ambrosius, principium ætatis magis ad vitium esse lubricum consueuit. C Augustinus in C op. 41. l.5.c.4.
lib. Confessionum, *exarsi*, inquit *Domine aliquando satiari inferiùs in adolescentia, & siluescere vmbrosis amoribus ausus sum*. Potest exponi etiam de peccato originali, sicut facit D. Thomas, citato psalmo, D ad illa verba, *delicta iuuentutis*, quia D ps. 24.
homo nascitur filius irę, Ephes. 2. & addit *iuuentutis*, idest, peccata ex superbia commissa; iuuenes enim naturaliter sunt superbi & præsumptuosi. Sic sanè etiam peccatum traductum ab adolescente Adamo superbia fuit. Si tamen pronitatem habet ad malum, virtutem mentis dat ei spiritus sanctus, quæ significata est per ramum E E Hier. 11.
oliuæ soliorumque virorem.

VERSVS XXII. *Cunctis diebus terræ sementis, & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.*

Apostolus Petrus in sua secunda Epistola c. 3. inquit *ille tunc Mundus aquis mundatus periit*, vbi D. Thomas, *ille tunc Mundus*, F quia fuit
alterius modi tunc, quàm nunc, & terræ nascen- F 2. Petri 3.

tia meliora, quàm nunc, & subdit glossa, *periit terra, quia tanto tempore submersa fructificare desiit*. Posteà, ait Angelicus, ratio huius mutationis est, quia ex longa, & profunda commistione terræ aquæ, & aeris, terra facta est lutosior, aer crassior, & aqua densior; Cœlum enim aereum fuit per dilnuium aquæ & terræ immistum, & ideo aer modo est spissior seu densior, & turbulentior; & terra similiter, quæ nunc est, est à prima qualitate mutata, quia modo tarior est, & subtilior propter aquæ immistionem. Ne ergo ita desciuisse credatur mundus à perfectione primæua, vt sensim sterilescere debeat, aut intermina halituum copia obtenebrescere, consolamini, veluti inquit, *Cunctis eterum diebus, terræ terendæ pro semente, ac messe*, non requiescent frigus, & æstus, æstas & hyems; cursus namque Mundi conseruationi rerum expediens [G] non peribit: quod forsan timor suadebat. Sic ps. 118. *ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi*. Nostram ad increpationem nam vt ait D. Th. serm. 5. de Tempore; nihil inuenit in creaturis inobediens Creator, nisi peccatorem & diabolum. Erit quippe alternatio & differentia, non solum Æstatis & hyemis, sed & impressionum in mundo, [H] frigoris, & æstus, noctis, & diei. Quod est verbo dicere, conseruationi rerum adero semper, & non cessabunt quæ requiruntur ad hoc, seu non requiescent, quia irrequietè motu cientur Cœli, sicque nox per motum diurnum, dies varij, Zodiaci obliquo non requiescent. Intellige, donec generationi & corruptioni locus erit; nam peracto finali iudicio, Apoc. 10. *Tempus amplius non erit*: vt docet Angelicus singillatim 4. cont. G. c. 97. Et addi ad hæc potest cum Ecclesia in hymnis. *Qui temperas rerum vices, splendore mane instruis, & ignibus meridiem: extingue flammas litium* &c. & iterum; *Rerum Deus tenax vigor* &c. *largire clarum vespere*, &c. Deus ad hæc semper præsto est. De diluuio huiusmodi, profanis etiam testibus, lege Eusebium de præparatione Euangelica l. 9. c. 4.

G D. Th. hic.

H Dan. 4.

Sed iam opportunè ad figuras post literam
7 transeamus. Super illa verba psalmi [I] *Dominus diluuium in habitare facit* ait S. Doctor, diluuiũ idest aquas Baptismales, quas inhabitat per effectum gratiæ. Alibi autem [L] docet diluuium fuisse signum nostris baptismi, quantùm ad saluationem spiritualis vitæ, siue fidelium in Ecclesia: & traxit ex Damasceno, qui lib. 4. cap. de baptismo, distinguit nouem genera baptismatũ, accipiendo [M] baptismata largè. Pressius autem allegoria diluuij cum baptismo habetur ex D. Petro Epistola prima c. 3. *quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium*; etenim tunc facta est salus iustorum, cum inundauit aqua diluuij, & sic vita spiritus in carnis exterminio habira est. Vel ex Epistola 2. c. 3. vbi inquit *ille tunc mundus, aqua mundatus perijt*; quocirca [N] Angelicus, hæc autem mundatio signum fuit spiritualis mundationis: & ideo, hic ait [O] baptismus enim totum veterem hominem cum suis vitijs spiritualiter occidit & sepelit, secundùm Apostolus ad Romanos 6. saluato interiori homine, renouato ac regenerato. Inquit etiam S. Doctor [P] Iudicium mundi per diluuiũ, figuram fuisse vltimi iudicij, per ignem; nam ad imprimendum illius timorem & fidem, congruum fuit, aliquod grande iudicium [Q] præmitti in hac vita, sic præ exigente grauitate culparum, & ideo D. Petrus Epistola 2. c. 3. comparat iudicium aquæ ad extremum iudicium, quod erit in igne. Mirè alias hic tangit Angelicus mysticas expositiones.

I ps. 28. & hic.

L 4. d. 4. q. 1. 1. & 3. p. 66. 11. 3.

M 1. Cor. 10. L. 2.

N 2. pet. 3

O D. Th. hic.

P 2. Pet. 2

Q D. Th. hic.

Per Arcam (sine qua certè potuisset Deus præseruare quos vellet, vnde non sine mysterio,) millies habemus significari Ecclesiam: [R] ideo sicuti extrà Arcam nullus est saluatus, sic nullus extra Ecclesiam saluari [S] potest: quia non est nisi vna Ecclesia, & propterea nullus pati [T] debet ab ista Ecclesia abijci & expelli. In arca autem diuersa animalia [V] in mysterium seruauit, vnde aiebat Apostolus Colos. 3. *vbi non est masculus & fœmina, gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, barbarus & scytha, seruus & liber*; quæ quidem ad rem tangit D. Thomas, [X] ad illa verba, *habitabit lupus cum Agno, Pardus cum Hædo*, &c. Isaiæ 11. Huius Arcæ ostium, per allegoriam accipe [A] latus Christi Domini, per quod intrant animalia diluuio non peritura. Nisi dicas Arcam significare adhuc Ecclesiam, quia fluctuat interdum & eleuatur agitata [B] vento Diabolicæ tentationis. Hinc multiplicatis aquis eleuabatur; quia per tribulationes creuit [C] Ecclesia, Quod licèt pluries doceat, perspectè id facit [D] proemio 1. Thessalonicensium, dicens, per aquas significantur tribulationes, tum quia aquæ impellunt ruendo, tum quia extinguunt impetum concupiscentiarum. Subleuatur autem Ecclesia per eleuationem mentis ad Deum. Gregorius, *mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt*, secundò per spiritualem consolationem, tertiò per multiplicationẽ fidelium, quia tempore persecutionum Deus multiplicauit Ecclesiam: Quæ quidem aptari possunt singulis iustorum [E] afflictis: quod facit idem S. Doctor, dicens, *multiplicatæ sunt aquæ*, idest tribulationes, *& eleuauerunt arcam in sublime*, idest Ecclesiam, vel animam viri iusti.

R 2. 2. 173. 3. & 3. p. 66. 11. ad 3.

S 1. pet. 3.

T op. 6. parag. 12.

V op. 60. 2. 24.

X Isaiæ 11.

A Ioa. 20. L. 5.

B Matt. 14.

C 1. Pet. 3

D Proœmio 1. Thessal.

E op. 4. parag. 5. & Apoc. 23. comm. 1.

Arca itidem significat Christum, per cuius latus, vt dictum est, inuenimus salutis securitatem: & quia omnes motus [F] fuerunt pacati in Christo, præcessit omnium animalium concordia ibi in figura. Christus tamen significari etiã potest per Noè. Noè siquidem requies [G] interpretatur, & ipse quies est animarum. Quamuis Noè qui inter fluctus Arcam rexit, sanctos [H] Doctores designet.

F 3. d. 17. q. 1. art. 2. q. 2.

G 1. pet. 3

H Cant. 6

Denique Arca Crucem præsignauit ex materia: vnde D. Augustinus id innuens [I] aiebat, *humanum genus arca lignea liberauit*, & sic quasi Noè [L] in Crucis arca nos Christus Iesus saluauit.

I 3. p. 46. 4. & op. 60. a. 12.

L D. Th. hic.

Post hæc superest, vt de toties repetitis enumerationibus dierum & mensium, nonnihil dicatur mysticè; non enim tàm accuratus temporis relatus à mysterijs vacare credendus est. Diluuium ergo, cùm deletionem hominum operatum sit, rationabiliter cepit *mense secundo, die decima septima*; hoc est si ad numerum dierum redigamus, quadragesima sexta die, nàm mensis vigintinouem dies, & dimidium haurit, quibus, si addantur decem & septem, exurgit numerus sextus supra quadragenarium. Ratio est quia conceptio & firmatio humani corporis, secundùm Augustinum in lib. 83. quæst. perfici-

tur

tur quadraginta quinque diebus hoc modo. Primis sex diebus, corporis humani conceptio, quasi lactis habet similitudinem: nouem diebus sequentibus conuertitur in sanguinem: duodecim inde diebus solidatur in carnem: reliquis decem & octo diebus formatur vsque ad perfecta lineamenta omnium membrorum: vnde versus.

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni
Bis seni carnem; ter seni membra figurant.

Ita ex D. Th. Ioan. 2. L. 3. & in 3. d. 2. q. 5. 2.

Igitur *quem creaui* inquit Dominus, *hominem delebo*: Creatorem itaque se ostendit ex numero præuio dierum, qui nunc est deletor: atqui non delet, hoc est non annihilat simpliciter, sed *à facie terræ*. Septem tamen, priusquam id executioni mandet, præmittit expectationis dies: pęnitentiæ & remissionis: *non solùm septies*. Matthæi 18. Quoniam verò, pœnæ huius vitæ, sunt medicinales, vt patet 2. 2. q. 68. a. 1. & diluuium stat etiam ex D. Th. sup. ad vers. 21. & in Sylua allegoriarum, pro inundatione vitiorum, vt sicut peccat quis puniatur, aquis obruitur; *diebus quadraginta*, spatium pęnitentiæ, pluit *super terram* c. 7. In calce autem eiusdem capitis; *obtinuerunt aquæ terram centum quinquaginta diebus*: pariter non sine mysterio; quia quinquagenarius est numerus remissionis, & Iubilæi, vt nuper dictum est: ter quinquaginta, quia sanctissimæ Trinitatis fide iustificamur. *Mense septimo*, quiescit Arca, & incidit quies huiusmodi in diem etiam septimum vltrà vigesimum: fortè, vt indicetur quomodo septima ætas est quiescentium; & cum sit *cor impij quasi mare feruens*. Isaiæ 57. metonymicè incipit quiescere: sed cum duo sint præcepta charitatis: *Et plenitudo legis dilectio*. Rom. 15. oportet præcedat Decalogi obseruantia, ductu duplici horum præceptorum, & sic vigesima, non decima septima die. Denarius, inquit S. D. 3. p. q. 31. a. 3. tanquam iustitiæ numerus in decem præceptis legis ostenditur, de quo p. 2. q. 100. a. 10. Attacto mense decimo, seu decima innouatione, (& spiritum rectum innoua. psal. 50.) versu 5. apparent *cacumina montium* eo quòd qui legem obseruat, non deficiens in vno, ne sit omnium reus, infinitum gradum scandit dilectionis Dei vt docet Angelicus 2. 2. q. 184. 3. 2. quare est ei, occasio vt humiliter suspiciat cacumina montium; sanctorum scilicet sublimitatem. Post hæc *quadraginta* percurrunt dies: pęnitentiæ agendæ præfixa morâ. Deinde septem dies, qui dona septiformis sancti Spiritus, innuunt; emissa columba. Et nihilominus expectantur alij septem dies pro confirmandis, nouis charismatibus. Io. 14. *alium paraclytum dabit vobis*. Tunc *exsiccata est superficies terræ*, vt lapsus vix timeatur; aliàs lubrica est vitæ huius via. Thre. 4. *lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum*. Reuoluto autem completè anno, mense secundo die vigesima septima, quando *tempus non erit amplius*, Apoc. 10. deprehenditur *arefacta omnino terra* v. 14. lapsus omnis periculo submoto.

CAPVT IX.

1 Benedixitque Deus Noë, & filij eius. Et dixit ad eos: Crescite, & multiplicami- Sup. 1. c.
ni, & replete terram. 2 Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia 22. & c. 17.
terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super ter-
ram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. 3 Et omne, quod mouetur, & viuit, Sup. 1. g.
erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia, 4 Excepto, quod carnem 29.
cum sanguine non comedetis. 5 Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de ma- Ier. 17. d 14.
nu cunctarum bestiarum: & de manu hominis de manu viri, & fratris eius requiram ani-
mam hominis. 6 Quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius ad
imaginem quippe Dei factus est homo. 7 Vos autem crescite, & multiplicamini, & Matt. 26. c. 52.
ingredimini super terram, & implete eam. 8 Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios Apoc. 13. c. 19.
eius cum eo. 9 Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post Sup. 1. d.
vos: 10 & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum, tam in volucribus, quam in 28. & c. 17.
iumentis, & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, & vniuersis bestijs terræ. 11 Isa. 54. c.
Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis di- 9.
luuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram. 12 Dixitque Deus: Hoc signum fę-
deris, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in
generationes sempiternas: 13 Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter
me, & inter terram. 14 Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nu- Eccl. 43. b. 12.
bibus: 15 & recordabor fęderis mei vobiscum, & cum omni anima viuentes quæ car-
nem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuersam carnem. 16 Erit-
que arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fęderis sempiterni, quod pactum est
inter Deum, & omnem animam viuentem vniuersæ carnis, quæ est super terram. 17 Di-
xitque Deus ad Noë: Hoc erit signum fęderis, quod constitui inter me & omnem carnem
super terram. 18 Erant ergo filij Noë, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iapheth:
porro Cham ipse est pater Chanaam. 19 Tres isti filij sunt Noë: & ab his disseminatum est
omne genus hominum super vniuersam terram. 20 Cępitque Noë vir agricola exercere
terram, & plantauit vineam. 21 Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in taberna-

culo

culo suo, 22 Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nu-
data, nunciauit duobus fratribus suis foras. 23 At verò Sem, & Iapheth pallium imposue-
runt humeris suis, & incedentes retrorsum; operuerunt verenda patris sui: faciesque eorum
auersæ erant, & patris virilia non viderunt. 24 Euigilans autem Noe ex vino, cum didi-
cisset quæ fecerat ei filius suus minor, 25 ait: Maledictus Chanaan: seruus seruorum erit
fratribus suis. 26 Dixitque, benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. 27
Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan seruus eius. 28 Vi-
xit autem Noe post diluuium trecentis quinquaginta annis. 29 Et impleti sunt omnes dies
eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est.

VERSVS I. *Benedixitque Deus Noë & filijs eius, & dixit ad eos crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

Mirum videtur tribus vicibus post diluuium a Deo concedi, & præcipi, generis humani multiplicationem: nam c. præcedenti semel, in hoc bis: immò quater, quia supra c. 1. Sed factum est, vel quoniam ad tertiam & quartam vsque generationem, & sub harum nomine, ad interminam iubet multiplicari; vel quia capite octauo, communi quadam animalitatis ratione, tam hominibus quàm brutis fuerat præceptum: deinde hìc hominibus in specie mandatur; vnde præit benedictio, singillatim Noë & filijs. (bestijs reor in communi: sed hominibus superstitibus, singulis, sicut singulorum est Angelus custos p.p. q. 113.2.) Tertiò verò iterum v. 7. dicitur, *crescite & multiplicamini* vt ad implendum numerum electorum, vacetur generationi; proinde actus matrimonialis fit meritorius, potissimùm vt proles ad cultum Dei procreetur, vt traditur in 4.26. q. 1. a. 4. & p.p. 72. 1. 4. & ideò additur, *ingredimini terram*, beatæ scilicet promissionis, neque dicitur *replete*, vt initio capitis, sed *implete*; impleri autem dicuntur quæ primò id obtinent, vel euacuationem pati nequeunt, ex quo repleri denuò dicantur. Cœlestis Patria ab hominibus implenda fuerat quidem, sed nunquam replenda: non enim beatitudo semel habita potest amitti ps. 109. *implebit ruinas*. Nisi dicatur tertiò legi, *crescite, & multiplicamini*; quia inhibitioni præmissæ de non occidendo, opportunè innectitur, finis conseruationis.

VERSVS II, *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ*, &c.

1 Quia Dominus concedere intendit hominibus esum animalium, (esus enim carnium non legitur concessus ante diluuium, [A] fortè ob deteriorationem terræ nascentium, vt hìc ait D. Thomas, & aliàs non sine mysterijs;) quoniam pariter, animalia non sine magno studio capiuntur, & syluestria præsertim pugnare aduersùs hominem possunt, quasi diceret, ne desperetis quorumcumque capturam, vice antiqui deperditi placidi dominatus, erit inquit, *terror vester & tremor super omnia animalia*: territum ac trementem facilè est vincere & capere. Itaque vt inquit Augustinus, iustissima ordinatione creatoris, [B] & vita, & mors eorum nostris vsibus subditur. Dum autem inquit, *quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, innuit in supplementum vigoris terræ nascentium, concessa animalia. Occiduntur igitur licitè, vt citato docet loco Angelicus: immò debemus alio ex capite animalia occidere, cum bestiali [C] nimirum impetu, aut noxia conditione, nobis euadunt nocua. Psalmo quippe 8. dicitur *omnia subiecisti sub pedibus eius*. Passim tamen, & absque rationabili causa animalia interficere illicitum est. Quamuis ergò secundùm affectum rationis, non referat quid homo circa [D] bruta animalia agat, quia in hoc etiam sensu ait Apostolus 1. Corint. 9. *non esse curam Deo de bobus*: tamen secundùm affectum passionis, & misericordiæ cuiusdam ad eorum afflictionem & pœnam, quamuis absolutè licitum sit: prout quandam crudelitatem sonat, inducitque indispositionem ad miserendum, illaudatum est. Hac de causa Dominus, vt populum Iudaicum ad crudelitatem pronum, ad misericordiam reuocaret, voluit eos exercere ad misericordiam etiam circa bruta animalia, prohibens quædam circa animalia fieri, quæ ad crudelitatem quandam pertinere videntur, vt Exodi 23. *non coques hædum in lacte matris suæ*, & Deuteronomij 22. vt ex auibus non occideretur *mater cum filijs*. Ad rem ergò nostram.

A Rom. 14. l. 1. & p. 2. q. 102. 6. 2.

B 2. 2. 64. 1. 1.

C D. Th. hic & 3. cont. G. c. 112.

D p. 2. 102. 6. 8.

VERSVS IV. *Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.*

VERSVS V. *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.*

Præcauet Dominus, & prohibet crudelitatem: quia enim permiserat animalium interfectionem, ne assuescerent, inde homines, facti Sectatores Cain, ad fratrum occisionem, compescuit viscera crudelia dicens, *carnem cum sanguine non comedetis*; animalia enim suffocata, [E] vel strangulata multùm affliguntur: & expressius deinde Hebræis prohibitus est vsus sanguinis, ad hoc vt horrerent humani sanguinis [F] effusionem: & ad huiusmodi intelligentiam nectit S. Doctor Genesis 9. *carnem cum sanguine non comedetis; sanguinem enim animarum vestrarum requiram*. Ideò ait S. Doctor [G] ad magis elongandum homines ab omni crudeli effusione sanguinis, & voracitate, quæ generat, & includit quendam bestialem appetitum sanguinis, & quamdam brutalem rabiem in vorando. In simili legis obseruatione de suscitando semine fratris, ait infra c. 37. D. Th. quædam cæremonialia fuisse per inspirationem diuinam, à Patribus instituta, & seruata. Hoc ipsum dicta in præsenti. Præterquam satis liquet, id esse à Deo vetitum non tamquam malum; sed ad disciplinam, & instructionem; nam, *pædagogus noster fuit*, vt dicitur Galat. 3. *At iam non sumus sub pædagogo*; ideòque huiusmodi institutionis præcepta, postquam omnis Christi actio facta est nostra instructio, non arctant; fortè etiam ne propagationi humanæ fraterna aliqua cæde obuiaretur, à sanguine abstinendum præcipit, post diluuium. Alia autem, inspiratione singulari seruata, legis quę nondum scripta erat, vim non habebant. *Requiram de manu cunctarum bestiarum.* 2

E p. 2. 102. 6. 1.

F p. 2. 105. 3. ad 8.

G D. Th. hic & 3. cont. G. c. 112.

Si Bestia quæ hominem de facto occidit, in

horro-

horrorem talis facti, vt homines ab homicidio fortius deterreantur, interficienda eſt (quod expreſſius legitur Exod. 21. *Si bos cornu percuſſerit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius*: quid fiet de homine occiſore? Aduerte de opere beſtiarum requiri *ſanguinem*. Sanguis quippe eſt maximè neceſſarius ad vitam [H] ratione cuius dicitur *animu carnis eſſe in ſanguine*: Leuit. 17. de manu autem hominis inquit, occiſi hominis animam requiri. Maretialis ergo veluti eſt vindicta ſumenda de beſtijs, de hominibus vero formalis; quia homicidæ directè vitam auferre intendunt, & animam veluti feriunt, gladio animam fratris, peccato propriam, & nihilominus præcipit condignam ex culpa pœnam etiam temporalem, dicens, *quicumque effuderit humanum ſanguinem fundetur ſanguis illius*.

H p. 2. 102. 1. 8.

De manu Beſtiarum; ſic etiam, vt Beſtia ſumatur hic pro homine, [I] beſtiali furore moto ad occidendum; *& de manu hominis*, qui quaſi rationabiliter ſibi ſuadet hominem occidendum eſſe: *de manu viri*, ideſt fortis ſiue potentis, & quaſi in hoc ſtrenui ſiue virilis: *& de manu fratris*, ſiue cuiuſcumque ſecundùm carnem propinqui. Poteſt etiam exponi ſic *de manu cunctarum beſtiarum* irrationalium ſcilicet; *& hominis*, ideſt rationalium. In ſingulari autem fortè inquit, vt conſanguineos nos omnes eſſe, quia *fecit ex vno*, Act. 27. *hominum genus*, (quemadmodum, ait Auguſtinus, *Adam eſt Heuam intendamus, & fratres ſumus*) commoneat; deſcenditque poſtea ad eos, qui ius quoddam ſuper alium obtinuiſſe videntur, vt vir ſuper ſponſam, fraterque natu maior in fratrem. Quicumque auſus fuerit; ſciat, *animam hominis de manu illius requiram*: non enim qui in fratrem poteſt, aut in vxorem, in hominem poteſt, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*; ita claudit: ex quo æquiparamur omnes in ingenita dignitate.

I D. Th. hic.

VERSVS IX. *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos, & ad omnem animam viuentem*, &c.

Dignatur clementiſſimus Dominus, quamuis hoc nomen *Dominus*, quod poteſtatis eſt, vt diximus ex Ambroſio, veluti ſeponat, Deumque ſolummodo, quod beneficientiam inuoluit ſe dicat: dignatur inquam, noſtro condeſcendere captui: futurum eſſe ait, vt paciſcatur. Poſt lapſum non habemus ſpem, aut ſecuritatem cum Deo, niſi per gratuitæ [L] reconciliationis pactum, quod quidem init Deus nobiſcum, non cum brutis, ad quæ tamen noſtri ratione, veluti extenditur, vt in litera patet.

L D. Th. hic.

VERSVS XI. *Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam vltrà interficietur omnis caro*.

De quo futurum ſit pactum declarat.

VERSVS XII. *Dixitque Deus, hoc eſt ſignum fœderis*, &c.

Per ſigna ſenſibilia, oſtendit inuiſibilia ſua Deus. Rom. 1.

VERSVS XIII. *Arcum meum ponam in nubibus: & erit ſignum fœderis*.

En ſpeciale ſignum, in generationes ſempiternas. Supra dixerat, *hoc eſt ſignum fœderis*: nunc ait *erit*; quia non ſemel, *ſed iteratò, pluries, in æuum*, apparet arcus.

VERSVS XIV. *Cumque obduxero nubibus Cœlum*

In ſpeciali, quando apparere debeat arcus fœderis docet; immò, cum nubes potius pluuias portendent: inde ſe recordaturum fœderis pollicetur.

VERSVS XVI. *Eritque arcus meus in nubibus, & videbo illum*.

Non perperam repetit, vt innuat non ſore, vt auertat oculos ab arcu, & veluti ægrè recordetur, immò inquit *videbo illum*. Videre Dei eſt approbationis, & miſerationis. *Vidit Deus quòd eſſet bonum*; vide Domine afflictionem meam. Thren. 1.

VERSVS XVII. *Dixitque Deus ad Noë*. Veluti compendio perorat; & factum eſſe, quod fuerat in propoſito, oſtendit, dicens, *hoc eſt pactum quod conſtitui*; loquiturque Noë ſolum tanquam maiorem, Patremque familias: & ſi pactum cum filijs quoque per Noë fiat, & cum ſemine illorum poſt eos.

VERSVS XIII. *Arcum meum ponam in nubibus* &c.

Quidam dixerunt idcirco ante diluuium non fuiſſe nubes, aut pluuias; [F] proinde nec arcum: ſed hos reſpuit S. Doctor; eſt enim arcus aut Iris, effectus naturalis, vt patet. Deus autem naturalia aſſumit, vt tegar ſuæ ſapientiæ myſteria, ſimilitudine congruenti. Sic etiam ſupra dixit *& terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ*. Nunquid non naturaliter homo terrorem animalibus incutit? planè ſic exemplificat de naturali timore [G] S. Doctor, inducens hunc textum. Sed ne hunc terrorem in hominem homo iaciat, arctari oſtenditur diuino iuſſu ad bruta; crudelitatem enim ab hominibus intendit proſcribere, vnde & vetat ſanguinis eſum, cæremoniali tamen quodammodo [H] præcepto, & ideo non fuit miunctum, quaſi perpetuo ligaret. Patebunt hæc ad Leuiticum. c. 7. verſu 27. c. 17. verſu 10 & 12. & c. 19. v. 26. Quam congruè autem ſignum futuri non vltra diluuij aſſumatur arcus, exponit hic [I] S. Doctor; quia fert iris temperiem quandam, ac modicam rorationem nubis, procul certè à diluuij periculo. Sed alibi clarius, quia iris [L] procedit naturaliter ex cauſis, quæ repugnant diluuio; non enim apparet Iris vaporibus omninò in aere ſuperabundantibus. Et licèt nonnullius exiguæ pluuiæ, ſignum poſſit eſſe remotum ipſamet iris; attamen ob diuina myſteria, ipſa potius aſſumitur ad ſecuritatem ſignandam ab aquis diluuij: & etiam quia totalis vaporum humidorum ablegatio rorem diuinæ pietatis non refert, immò æſtus, & ſol cum ardore, ſunt in ſcripturis in typum afflictionis magnæ ac cœleſtis vindictæ; vt paſſim conſtat, præcipue Iacobi 1. *Exortus eſt ſol cum ardore, & areſecit fœnum* & Iſaiæ 4. *in vmbraculum diei ab æſtu; & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à pluuia*. Meritò igitur eſt arcus fœderis ſignum; quia in eo deprehenditur temperamentum refrigerij, [M] irroratio ſuauis ſtillicidij, dilatatio amplexus, reſulgentia ſolaris radij, gratioſitas aſpectus, & venuſtas, emiſſio veluti iaculi amoroſi: ad inferiora quippe ſe aperit, & expandit: hinc in Sermone de Magdalena [N] comparans illam arcui inquit, brachiorum vſque ad terram extenſio, eſt ma-

F D. Th. hic.

G Apoc. 15. 1. com mentatio.

H D. Th. hic.

I D. Th. hic.

L quod l. 3. 10.

M D. Th. hic.

N Serm. de Magdalena.

gna quam habet ad peccatores misericordia; immensa itaque Dei bonitas primò in tali signo innotescit.

O q. 6. d. l. a. 10. Deinde Iris significat O Christū, per quem protegimur à spirituali diluuio. De Christo enim dicitur Isaiæ 42. *& dedi te in fœdus populi*, vbi D. Thomas, P quia Christus dicitur datus in fœdus consetuandæ salutis, explendę promissionis diuinæ dilectionis, &c. *arcum meum ponam in nubibus*: Immò paulò ante, *dedi te in lucem*, &c. quasi inquit mediatorem, *arcum meum*, &c. Arcus quippe inter cœlum & terram medius apparet. Significat etiam arcus Beatam Virginem, quæ fuit aquosa aquis gratiarum, Q in quam intrauit radius æterni Solis, ex cuius subintratione generata est Iris, idest inde habita via ad obtinendam pacem, & misericordiam.

P Isa. 42.

Q Apoc. 4.

R Apoc. 6. 1. commentario. Arcus etiam alia significatione est Sacra Scriptura, in quo lignum R est duritia veteris testamenti, chorda est gratia noui: vel lignum est iustitia, quam flectit, vt extollat misericordia, Iacobi 2. *misericordia superexaltat iudicium*. Qui debeant hunc arcum præferre, habetur hoc loco, *ponam in nubibus cœli*, idest, in ijs qui à terra sunt eleuati, per contemptum terrenorum, & desiderium æternorum: à quo sunt per compunctionem lucidi, per cognitionem clari, alti per contemplationem, placidi per prædicationem, agiles per obedientiam, molles per compassionem, coruscantes per bonam operationem, tonantes per comminationem. Qui talis non est, non debet portare arcum, idest habere prædicationis officium. Per nubes, prædicatores significari constat Isaiæ 60. *qui sunt isti, qui vt nubes volant?* quod probat S. Th. Rom. 1. l. 5. & Hebr. 13. l. 3. ex illo etiam Iob 37. *nubes spargunt lumen suum*. opusc. pariter 19. c. 10. & op. 58. cap. 10. denique in p. d. 16. q. 1. 3. Extollit deinque hunc arcum Angelicus in præsenti dicens, arcus iste est Veritatis à Patre genitæ, & Charitatis æternæ radiosa expressio: posita primò in nubibus, idest S in profundis eloquijs, Diuinorum testamentorum, in cęlicis, & profundis cordibus Patriarcharum, & Prophetarum; in humanitate Christi Domini; tùm ex Deitatis vnione, tùm ex singulari illius animæ irradiatione, & inebriatione; in vtero Virginis: vnde cor & brachia instar arcus expandit: Deinde in mentibus Apostolorum per fidem semper feruidam & prædicationem. In 1. commentario Apocalypsis, meditatus est, aduentum eius ad iudicium, fuisse figuratum in arcu cęli post diluuium, & in calore igneo. *c. 5. in principio.*

S D. Th. hic.

VERSVS XIX. *Tres isti filij sunt Noë, & ab his disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram.*

Nullus alius post diluuium natus legitur Noë filius; ab illo, etenim fuisset disseminatum genus humanum. *Tota* inquit Augustinus l. 6. contra Faustum, T *illius veteris populi vita, figuralis fuit*. Fuit ego, ex diuina Prouidentia vt ex his tribus propagaretur genus nostrum; primò V propter mysterium Trinitatis in vnitate firmatæ. (sanè illa articulario *tres isti filij* signanter videtur fieri. Cur enim non fuisset satis, ea omissa, subdere; *& ab his disseminatum est omne genus hominum*?) Secundò propter maiorem nexum generationum sequentium. Tertiò in commendationem iteratam diuinæ potentiæ, & ordinis suæ sapientiæ, in eo quòd ex paucis seminibus, multas messes facit mirabili ordine propagari.

T Rom. 14. l. 1.

V D. Th. hic.

Et ab his disseminatum est omne genus hominum, &c.

De humani generis disseminati per istos in omnes mundi partes successione fusè tractat Iosephus l. 1. antiquitatum: collegitque regionum inde partitionem, accuratè satis Episcopus Petinensis Antonius Zara in Anatomia ingeniorum sectione 4. capite vnico. A semo quidem, prout legitur infrà c. 12. inter cæteros liberos fuit Arphaxad, vt ait Iosephus Chaldæorum Parens: vnde Christus Dominus X de Sem descendit. Cham inter alios Filium habuit Chanaam, à quo dicta est Chananæorum Regio. A Iaphet natu maior fuit Gomer, deinde Magog, Madai, & alij. Iaphet *latitudo* interpretatur: propterea dicitur; *dilatet Deus Iaphet*; nam secundùm Hieronymum populus A gentium ex ipso ortus est; de quo c. 10. sequenti.

X D. Th. hic.

A D. Th. hic.

VERSVS XX. *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam bibensque vinum inebriatus est.*

Secundùm magistrum in historijs, naturales labruscas transplantando, & excolendo, ad vsum vini reduxit: nihil tamen refert, B si dicatur, quòd bonas vires inuenit, & in vineas plantauit: ait quippe Isidorus; *vitis plantationem primus Noë instituit, rudi adhuc sæculo*; & secundùm hoc videtur ante diluuium non bibisse homines, saltem ex vinea culta. *Initium vitæ hominis aqua & panis*. Ecclesiastici 29. *Bibensque vinum* &c. Inquit Angelicus C ebrietas vt nominat actum, quo quis in huiusmodi defectum incidit, potest accidere siue omni peccato, ex nimia vini fortitudine, præter opinionem bibentis; præcipuè, si non ex negligentia hominis contingat, & sic creditur Noe inebriatus fuisse. Alibi etiam, D nisi ebrietas contingat absque peccato, sicut in Noë accidit, propter inexperientiam fortitudinis vini.

B D. Th. hic.

C 2. 2. q. 150. 1.

D de malo q. 15. a. 2. ad 9.

VERSVS XXII. *Quod cum vidisset Cham Pater Chanaam, verenda scilicet Patris sui esse nudata, nunciauit fratribus suis foras.*

Fortasse ex magna mentis præsumptione Patris simplicitatem, & casum eius, superbè contempsit; & sic proprium Patrem derisit; & in cumulum sui contemptus rem occultam cęteris detractoriè propalauit. Vnde patet hoc esse non potuisse, nisi priùs a soliditate virtutis, & à reuerentia diuinorum vehementer decidisset. Magnum fuit ergo scelus Cham Patrem sexcentenarium seruatum specialissimè à Deo, in eo vnde castè genitus fuerat, ridere. E

E D. Th. hic.

VERSVS XXIII. *At verò Sem, & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis*, &c.

Qui portat humeris aliena errata, compatitur: vterque portat, quia *alter alterius* ait Apostolus *onera portate*. Gal. 6. Incedunt *retrorsum*, vt detractoris studium contrariò affectu doceant nos repudiare. *Faciesque eorum auersæ erant*: sic debet auerti facies cum detrahitur proximo, Prouerbiorum 25. *Ventus Aquilo dissipat pluuias*, F *& facies tristis linguam detrahentem*. *Et Patris virilia non viderunt*. Non est nugatoriè additum, postquam se ita modestè in incessu gesserunt,

F 2. 2. 73. 4. 2. 2.

quia

quia fuit huiuſmodi finis intentus: monemurque detractiones auditas, non tàm facilè credere, aut perſcrutari, ſed non videre; hoc eſt, velut neſcire; ſic ergo ſe incuriosè ad delata habuerunt, vt adhùc liceret phyſicè dubitare de facto. Abſit itaque, vt detractores dementi aliquando interrogatione trahamus aut exſtimulemus, ad retegenda, quæ tacent, aut enucleanda,quæ acuto linguæ gladio tacta ſunt.

VERSVS XXIV. *Euigilans autem Noë ex vino, cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius minor &c.*

5 Ex zelo tanti delicti illiuſque in deteſtationem, [G] potuerunt Sancto Patri, filij referre quæ acciderant. Aduerto fortè interrogatos à Patre de pallio,non auſos fuiſſe mendacium proferre, maximè ſi præcipiendo quæſiuit. Prælato præcipienti, (quod accidit in Cœnobiorum viſitatione) debet ſubditus obtemperare denunciando, quæ cuncta Religionis decus concernunt, quamuis correptionis, & emendationis fratrum nulla ſit ſpes: non enim hæc directè intenditur, ſed boni communis ratio præcipuè habetur. Quocirca videri poteſt D. Thomas & quodl. 4. a. 12. & 22. q. 33. a. 7. ad 5. vtrobique enim, monet, Prælato præcipienti vt reueletur crimen, niſi ſit omninò occultum, ſed ſaltem per aliquas ſuſpiciones manifeſtatur,eſſe parendum: ſicut & index ſecularis vel Eccleſiaſticus poteſt exigere iuramentum de veritate dicenda, vt dicit quædam Decretalis de purgationibus. Quàm leui inceſſu, quàm leni lapſu, pallio operuerunt Patris verenda, vt inde non fuerit experrectus Noë,ſed euigilauerit ex vino! Quia tamen non exprimit facer textus, à quo audierit factum, quod non fuiſſet omittendum, quia poterat ab vno dumtaxat, & ab ambobus rem iſtam accipere, non diſſonum arbitror, poſtquàm ſtatim propheticè loquitur, diuinitùs recepiſſe facti notitiam: cui quidem meditationi fauet verbum illud *cum didiciſſet*, ſuppreſſo, à quo vel à quibus, nam diſcere à Magiſtro eſt, eſtque *in cœlis vnus Magiſter*, Matth. 23. cui audiens Eccleſia, inquit, *Magiſtrorum Optime*.

VERSVS XXV. *Maledictus Chanaam &c.*

Euigilans hæc pronunciat ac prænunciat tota mentis attentione, non ſemiſomnis. Præter ea quæ tacta ſunt de maledictionibus capite 3. ad illud, *maledicta terra in opere tuo*: ſciendum eſt, maledictiones multoties in Sacra Scriptura non tàm pronunciari,quàm prophetice prænunciari: vnde hic [H] debet ſuppleri, *maledictus eſt, vel erit*,quare inquit, *ſeruus erit*. Sic de imprecationibus, vt dicitur pſ. 9. *conuertantur peccatores in Infernum*, ait S. D. [I] poſſunt intelligi per modum prænunciationis; & ſimiliter, [L] *erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei*. Solent Prophetæ in figura imprecantis futura prædicere, vt Auguſtinus dicit. Vel ſi locutus eſt per modum optantis, fuit ex Zelo diuinæ Iuſtitiæ, vt ſic deſiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, ſed ad Iuſtitiam punientis; ſecundum illud pſ. 57. *lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*: quia nec ipſe Deus puniens *lætatur in perditione impiorum*, vt dicitur Sapientiæ 1. ſed in ſua Iuſtitia: & ſic diuinæ Iuſtitiæ conformant iuſti voluntatem ſuam, Quæ docet D. Thomas locis citatis. Quibus adde ex 22. q. 108. a. 1. & 2. Vindicationem eſſe virtutem; eſtque licita, ſi intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum: puta ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iuſtitiæ conſeruationem, & Dei honorem: & ſic fortè fratres, aut alij accuſauerunt (quod licet 22. q. 68. a. 1.) Cham, vel denunciarunt Patri. Alias non eſt omninò ſecretum, quod per ſufficientes teſtes poteſt probari, vt in eadem q. 68. a. 1. ad 3. *Maledictus Chanaam.*

Memorat hanc maledictionem Angelicus duobus in locis, [M] Et quærit,quare ſit lata in Chanaam filium, cum deliquerit Pater, & vtrobique Reſpondet, quandoque à Deo puniri Patrem in filijs, in quantum ſunt res quædam Patrum, nunquam tamen quantùm ad animam pœna æterna: de quo etiam ſupra diximus cum de omnibus in Diluuio mortuis ageretur. Vt tamen aduertit ibi ad 2. nunquam ſecundùm humanum iudicium, aliquis debet puniri ſine culpa, pœna flagelli, vt occidatur, vel mutiletur, vel verberetur; quia vt ait Auguſtinus, *iudicium humanum debet imitari diuinum iudicium, in manifeſtis, non autem in occultis*; quia homo non poteſt comprehendere horum iudiciorum rationes, vt ſciat quod expediat vnicuique: pœna tamen damni quis etiam ſecundùm humanum iudicium punitur,non tamen ſine cauſa, quamuis ſine culpa; vt cum bonum vnius dependet ex bono alterius; ſicut in crimine læſæ Maieſtatis, filius amittit hæreditatem pro peccato parentis. Similiter hic [N] monet, non eſſe trahendum infirmis in exemplum, vt exoptent inſtar ſanctorum peccantibus malum, quia quandoque quod zelo iuſtitiæ ſe facere putant, contingit fieri liuore vindictæ. Cur enim non potiùs orant, vt reſipiſcant, cut in amicos, & cognatos non ſic zelantur?

Maledictus Chanaam. Ac ſi diceret, tu & generatio tua eſtis maledicti à Deo. Decenter autem, [O] ſicut ſe malum fecit filium, malam ſobolem habiturus prædicitur. Itaque in ſpiritu vidit Noë, Chananæorum genus exterminandum, & ſubiugandum per Iudæos. Iudæi autem deſcenderunt ex Sem; & de hoc præcipuè ad literam videtur Noë loqui, quamuis aliàs Aſſyrij,qui de Sem pariter orti ſunt, & Romani etiam, qui de Iaphet, inualuerint in ſtirpem Cham: ex quo Chus, & Meſraim, & Phut, filij Cham, non maledicuntur. Pœnale magis fortè fuit puniri in minori prædilecto alijs filio.

VERSVS XXVI. *Dixitque, Benedictus Dominus Deus Sem: ſit Chanaam ſeruus eius.*

Abiectam ſeruitutem prædixerat dicens, *ſeruus ſeruorum*: quemadmodum in altum ſonat Dominatum, *Dominus Dominorum*: nunc è regione ad fratrum benedictionem, ſpecialiùs grauiuſque notatur pœna. Vnius quippe Dei cultus in ſola ſtirpe Sem remanſit tempore [P] Abrahæ.

VERSVS XXVII. *Dilatet Deus Iaphet.*

De latitudine etiam poteſtatis [Q] exponit Angelicus: *& habitet in tabernaculis Sem*; idest, populus eius ciuiliter [R] commoretur ſub Regno Aſſyriorum, & Chaldæorum, veriuſque ſub Regno Chriſti, qui fuit de Sem: ſub quo, & in quo per fidem omnes Gentes vocantur: & vſque hodie in Orientem profundum, quem incolue runt poſteri Sem, vſque ad intimos Iaponios penetrat fides. De fidei verò vbique terrarum diſſeminatione, videat admiraturus Chriſtianus

eru-

G D.Th. hic.
H D.Th. hic.
I 2.2. 25. 3.
L 2.2. 83. 1.
M 2. 2. 108. 4. 1. & 4. d. 46. 1.2.2.
N D.Th. hic.
O D.Th. hic.
P D.Th. hic.
Q Pſal. 4.
R D.Th. hic.

eruditiſſimum Maluenda l.3.de Antichriſto c. 6. & ſequentibus, *Sitque Chanaam ſeruus eius*: quod ſatis impletum eſt ſub Imperio Græcorum, & Romanorum. Temporalem ergo infelicitatem Cham in ſua poſteritate, tùm pronunciando, tùm prædicendo declarat.

Sed non in cortice literæ ſiſtendum eſt: non enim vt in litera marceſcat intelligentia, memorat Noè Iudæorum proſperitatem, expulſis de terra promiſſionis Chananæis: nam, & ipſis paria demeritis obuenere: & præterea cum ex Sem etiam multa poſteritas in Idololatriam prouoluta fuerit, non inde illi dignitas erat, regnare ſuper Chanaam, nec Iaphet cedebat in decus, imperio filiorum Sem idololatrantium cohabitare. Igitur hic & vbique [S] in toto Teſtamento regulariter obſeruandum eſt, quòd ſub temporalibus benedictionibus, & promiſſis, atque e contra in maledictis, & comminationibus, latitant ſpiritualia myſteria; vnde bella, & geſta populi Hebræi exponuntur myſticè, non autem bella, vel geſta Aſſyriorum, [T] vel Romanorum, quamuis longè clariora ſecundùm homines fuerint. Pro certo igitur tenendum eſt, quòd Noè plùs intendit hic prophetare de æternis, & ſpiritualibus bonis complendis ſub Chriſto; (*nam multifariam, multiſque modis loquitur Deus patribus in prophetis*, Hebræor. 1.) quàm de tranſitorijs & terrenis. Hinc etiam eſt (quod animaduertit D. Auguſtinus 16. de Ciuitate Dei c. 2.) vt poſt benedictum Sem, & Iaphet, tanta ſerie temporum, non alius quiſpiam vſque ad Abraham legatur [V] benedictus, aut tanquàm pius Dei cultor celebratus; quamuis non ſit credendum, nullos fuiſſe: nàm vt ait S. Doctor infrà, non oportet ſola illa [X] eſſe facta, quæ ſunt in Canone ſcripta. Igitur non omnes commemorantur, quia id magis eſſet hiſtorica diligentia, quàm prophetica Prouidentia. Sic pariter ad rem noſtram: in Cham intelliguntur reprobi omnes, quorum generatio, velit nolit, ſeruit electis, ſiue exercendo eorum patientiam, ac virtutes, ſiue quia eorum malitiæ, ſanctorum virtus prædominatur, & poſt hanc vitam æternaliter conculcabit. Per Sem autem præſignantur conuerſi ex Iudæis, & per Iaphet ex gentibus vocati ad Chriſtum. Quæ magis mox exponentur.

S D.Th. hic.

T p. 1. 104.1.2.

V D.Th. hic in calce.

X D.Th. infr. c.27.

6 Mirum quandoquidem videtur, quomodo Sacra Scriptura de plurimis ſine dubio egregijs factis, & occurſis Noè, hoc vnum ſelegerit denarrandum, in ſe potiùs modicum, & quod potiùs laudaretur celandum. An vt innoteſceret mundo, quantùm Deus horreat ebrietatem, vt pote in ſancto etiã viro, turpitudinis quamquã inculpatæ parentem? Noè ſiquidem per ebrietatem nudauit fœmora ſua, quæ ſexcentis annis per ſobrietatem [A] obtexerat. An vt memorabile factum filiorum inde ſecutum poſteritas nõ ignoraret? [B] Sed altiùs eleuando mentem, ſpeciali exarata ſunt hæc myſterio, vt ſummi Patriarchæ Chriſti euentura confuſio præſignaretur. Nimiæ ſanè charitate ſuæ vineæ, captus veluti ebrietate, (nam vinea Domini eſt Eccleſia, quam plantauit, de qua Iſaiæ 5. & Ieremiæ 2. vnde Dominus Matth. 15. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur*, & alibi, *Pater meus agricola eſt*, & Apoſtolus, *Dei agricultura eſtis*. 1. Cor. 3. nudatus iacuit in Cruce, ſummo pudore, etſi *confuſione contempta*, quod ait Apoſtolus. *Calix meus inebrians*. Pſal. 22. Ob hoc, paſſionis ſuæ memoriale expreſſius inſtituit ſub ſpecie vini; dicendo, *hic calix*, &c. quia calix turbat, & [C] quia inebriat. *In tabernaculo ſuo*, ideſt in medio populi ſui, deriſus à ſynagoga: fideles autem non viderunt aſpectu carnali curioſo & contemptiuo Chriſti humilia, & infirma, ſed operuerunt pallio Diuinæ Maieſtatis, reuerendo ea tanquam diuiniſſima, & latente Diuinitate tremenda: in hoc etiam pallium ſuis humeris impònentes, ideſt immenſitatem Maieſtatis, & charitatis, maturitatis & honeſtatis Chriſti portantes; in quantum ſe totos per obedientiam & humilitatem, diuinæ Sapientiæ captiuantes etiam intellectum in obſequium fidei, ſubiecere.

A Apoc. 16.1.commentario.

B D.Th. hic.

C 1.Cor. 11.l.6.

Hęc Noè allegoria ad Chriſtum fuit D.Cypriani D. Auguſtini, & communis Sanctorum Patrum. Alias autem, poſt hanc, myſticas tangit hic Sanctus Doctor. Per pallium etiam poſſunt ſignificari animæ noſtræ; ſic enim dicitur Geneſis 49. *expectatio gentium lauabis* [D] *in ſanguine Vuæ, pallium ſuum*: per ſanguinem enim eius loti ſumus. Hoc pallium operuit nuditatem Saluatoris, quia vbi confuſionem crucis eſt paſſus, nunc glorioſus regnat in nobis, vnde & Iſaię 63. legitur, *iſte formoſus in ſtola ſua*: & ſic eo loci Angelicus [E] *lauabit in vino ſtolam ſuam*; id. eſt corpus ſuum, quia per hoc, eius gloriam meruit, & obtinuit: & per hoc etiam, lauit Eccleſiam ſuam, quę eſt quaſi veſtis eius. Et ſimiliter Ioannis 20. veſtimenta Chriſti [F] diuiduntur in quatuor partes, quia Eccleſia per quatuor mundi partes diffuſa eſt; Iſaię 49. *viuo ego dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa*. Quocirca alibi [G] inquit, veſtimentum Chriſti ſunt ſancti omnes. Fuit autem ſynagoga tanquam rudior & inconcinnior, quaſi pallium: tranſijt deinde in veſtem ornatus, cum ſucceſſit ſynagogę, gentium Eccleſia. Veſtimentumque huiuſmodi, ſeu veſtimenta ſplendentia ſiunt, [H] in ſupernę claritatis culmine, iuſtitiæ fulgore; & ſpecioſa, ex participatione [I] diuinę eſſentię, ſapientię, & iuſtitię: ex quo & Angelorum decor redundat in honorem Dei, in quantùm exinde eius bonitas commendatur.

D op.58. c.32.

E Geneſ. 49.

F Ioannis 20.l.4.

G Pſ.44.

H 1.p.45. 2.3.

I Iob 40.

C A P V T X.

1 HAc funt funt generationes filiorum Noè, Sem, Cham, & Iapheth: natique funt 1.Par.1.
eis filij poft diluuium. 2 Filij Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Ia- c.5.
uan, & Thubal, & Mofoch, & Thiras. 3 Porrò filij Gomer: Afcenez, & Ri-
phath, & Thogorma, 4 Filij autem Iauan: Elifa, & Tharfis, Cetthim, & Dodanim. 5
Ab his diuifæ funt infulæ gentium in regionibus fuis, vnufquifque fecundùm linguam fuam,
& familias fuas in nationibus fuis. 6 Filij autem Cham: Chus, & Mefraim & Phuth, &
Chanaan. 7 Filij Chus: Saba, & Heuila, & Sabatha, & Regma, & Sabatacha. Filij
Regma: Saba, & Dadan. 8 Porrò Chus genuit Nemrod: ipfe cępit effe potens in terra,
9 & erat robuftus venator coram Domino. Ob hoc exiuit prouerbium: Quafi Nemrod
robuftus venator coram Domino. 10 Fuit autem principium regni eius Babylon, & Ara-
ch, & Acad, & Chalanne, in terra Sennaar. 11 De terra illa egreffus eft Affur, & ædifi-
cauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale. 12 Refen quoque inter Niniuen, & Chale,
hæc eft ciuitas magna. 13 At verò Mefraim genuit Ludim, & Anamim, & Laabim,
Nepthuim, 14 & Phetrufim, & Chasluim: de quibus egreffi funt Philifthijm, & Caphto-
rim. 15 Chanaam autem genuit Sidonem primogenitum fuum Hethæum, 16 & Iebu-
fæum, & Amorrhæum, Gergefæum. 17 Heuæum, & Aracæum; Sinæum, 18 & Ara-
dium, Samaræum, & Amathæum: & poft hæc differminati funt populi Chananæorum. 19
Factique funt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram vfque Gazam, donec ingre-
diaris, & Sodomma Gomorrham, & Adamam, & Seboim vfque Lefa. 20 Hi funt filij
Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus terrifque & gentibus fuis. 21 De 1. Par. 1.
Sem quoque nati funt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore. 22 Filij b.17.
Sem: Aelam, & Affur, & Arphaxad, & Lud, & Aram: 23 Filij Aram, Vs, & Hul, &
Gether, & Mes. 24 At verò Arphaxad genuit Sale, de quo ortus eft Heber. 25 Natique
funt Heber filij duo: nomen vni Phaleg, eo quòd in diebus eius diuifa fit terra: & nomen
fratris eius Iectam. 26 Qui Iectan genuit Elmodad, & Saleph, & Afarmoth, Iare, 27
& Aduram, & Vzal, & Decla, 28 & Ebal, & Abimael, & Saba, 29 & Ophir, & He-
uila, & Iobab omnes ifti, filij Iectan. 30 Et facta eft habitatio eorum de Meffa pergen-
tibus vfque Sephar montem orientalem. 31 Ifti filij Sem fecundùm cognationes, & lin-
guas, & regiones in gentibus fuis. 32 Hæ familiæ Noè iuxta populos, & nationes fuas.
Ab his diuifæ funt gentes in terra poft diluuium.

VERSVS II. *Filij Iaphet; Gomer & magog, & madai &c.*

Recenfentur ex Iaphet quatuor & decem, quibus ipfe Iaphet connumeratus efficit numero quindecim generationes. Ab his, vt paulò poft legitur, diuifæ funt infulæ gentium in regionibus fuis; *vnufquifque fecundùm linguam fuam, & familias fuas, in nationibus fuis.* Notandum eft autem, quòd relatis filijs Iaphet, ex duobus tantùm, & non ex cunctis denarratur propagatio: [A] non quia alij non habuerint pofteros, fed quia Gentes, & linguas per fe non fecerunt, fed alijs gentibus adiuncti funt; idque ex Auguftino. Quod de fobole pariter dicitur aliorum filiorum Noè, Cham fcilicet & Sem.

A D.Th. hic.

VERSVS VI. *Filij autem Cham; Chus, & Mefraim &c.* Enumerantur hac ferie viri triginta.

VERSVS VIII. *Porro Chus genuit Nemrod.*

Seruitus de qua fuprà dictum eft, ex qua fubijcimur aliquando Dei permiffu tyrannidi dominanti, ob peccatum, & culpam, tanquam debita pœna inflicta eft, Iob 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi:* & Ofee 13. *Dabo tibi Regem in furore meo.* Vnde; & primò Dominantes in mundo, fuerunt [B] homines iniqui, vt Hiftoriæ tradunt, ficut Cain, Nemrod. In hac fecunda mundi ætate ab hoc impio Nemrod [C] fecundùm quofdam adinuenta eft Idololatria. Itaque *Nemrod* fecùndum Ifidorum interpretatur *Tyrannus.* [D] Licèt autem Babylon, & terra Chaldæorum fpectauerint ad filios Sem, nam fecùndum Hieronymum de Arphaxad filio Sem fuerunt Chaldæi; tamen per tyrannidem creduntur à Nemrod vfurpata; & videtur Moyfes hic innuere, quòd effet Rex in Babylone, quando diuifæ funt linguæ.

B op.20. 3.c.7.

C 2..294. 4.2.

D D.Th. hic.

VERSVS IX. *Et erat robuftus venator coram Domino.*

D. Auguftinus ait, fuiffe gigantææ ftaturæ; diciturque venator, quia homines [E] quafi feras infectabatur, vt fibi impiè crudeliterque fubijceret. Et licèt ex Auguftino præpofitio græca exponi poffit per *coram* vel *contrà*, & vt ait hìc D. Th. attenta malitia impij, videatur melius legi *contrà Dominum*: attamen quoniam, vt fupra retulimus, Dei permiffu fit impius virga cædens propter peccata, Ifaiæ 10. *Virga furoris mei*, meritò legitur, etiam *coram Domino*: non enim eft malum huiufmodi pœnale, *quod non fecerit Dominus*: Amos 3. vel *coram Domino* interdum Deo vidente & tacente: *& taces*, ait Habacuc *deuorante impio iuftiorem fe*: vide vberrimè Thomam Maluenda de Antichrifto l. 5. c. 3.

E D.Th. hic.

VERSVS XIX. *Donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham; & Adamam & Seboim vsque Lasa.*

Legitur infrà c. 19. in subuersione Sodomę præseruatam fuisse Bala dictā deinde Segor; hoc est, [F] parua. Hæc ciuitas hoc loci non exprimitur. Fuerunt autem principaliores [G] Sodoma & Gomorrha, ideoque præcisè tanguntur 2. Petri 2. Hic nota ex Hieronymo, [H] quod gentes deriuatæ à Mesraim, (exceptis ijs quæ descenderunt per Laabim & Casluim) ignotæ nobis sunt; quia bello Æthiopico subuersæ, vsque ad obliuionem nominum peruenere. Quæritur statim cur paulò ante inter filios Cham recolatur Assur [I] Respondet Angelicus fieri, vt innuatur quòd Prophetia Noè de subiugatione filiorum Cham sub filijs Sem, in Assur cœpit impleri. Tamen est dubium, an eum suprà v. 11. dicitur, *de terra illa egressus est Assur*, intelligatur de homine singulari hoc, filio Sem, vel de gente Assyriorum. Secundùm Augustinum, propriè signatur filius Sem: secundùm Hieronymum, per Assur significatur Assyriorum Imperium; & posset intelligi; quod Assyriorum gens *ædificauerit Niniuen*, sed longè post. Certè per Assur, tanquam ex quo traxit gens illa nomen, significatum est Imperium Assyriorum, quorum monarchiæ caput fuit [L] Ninus, tempore Abrahæ Patriarchæ: vnde & alij Assyriorum Reges, nomine Assur vocati sunt, & sic legitur Isaiæ 5. *Assur virga furoris mei* &c. quæ Prophetia impleta est, quando Ierusalem obsessa est à Chaldæis per Nabuchodonosor Regem Assyriorum; vt [M] in fine quarti libri Regum, videre est.

F D.Th. hic c. 19.
G 2. Petri 2.
H D.Th. hic.
I D.Th. hic.
L op. 20. l. 3. 12.
M loco cit. c. 7.

VERSVS XXXII. *Hæ familiæ Noè iuxta populos & Nationes suas: ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.*

2 Videtur, vnamquamque memoratorum familiam, in specialem populum, & nationem propagatam fuisse; & sic gentes diuisas: quare tot communiter asseruntur linguæ in vniuerso fuisse, quot enumerati sunt ex Noè in præsenti capite. Intelligitur autem de matricibus linguis; tales sunt Hebraica genitrix Syriacæ, Arabicæ; Latina, Italicæ, Valachiæ, Gallicæ, & Hispanicæ; Græca, Doricæ, Ionicæ, Æolicæ, Atticæ; Sclauonica, Polonicæ, Boemicæ, Moscoviticæ; Germanica, Helueticæ, Anglicæ, Flandricæ; Tartarica, Turcicæ, Sarmacanicæ; Abyssina, Æthiopicæ, Sabęæ; nòn comprehensis, singularum mutatione accidentaria, Dialectis. Vide Genebrardum in sua Chronologia. Non sine causa verò ad hunc numerum diuisæ sunt; nam sub eodem numero delecti sunt seniores, Numeri 11. vt refert Angelicus hic & op. 19. [N] Similiter Christus Dominus, *Septuaginta duos discipulos* Lucæ 10. *misit*. Sanè senarius numerus primus est, qui ex omnibus suis aliquotis partibus surgit, atq; adeò perfectus est: septuaginta duo autem sunt duodecim senarij; duòdenarius etiam perfectus est, ex ternario in quaternarium ducto emergens: ac duplici ex senario, vt alibi dicetur; ideòq; sunt numeri qui referunt vniuersitatem. Nec ab hoc septuagenario numero linguarum, discordat Augustinus, licèt sequatur literam septuaginta Interpretum, interserendo Cainam, ex quo viderentur augeri linguæ ad septuaginta tres; nam inquit, *ponitur Cainam vtique, quia vnam linguam inchoauit; sed Heber & Phaleg, vnam locuti sunt, non duas*. Ad exclusionem artamen Cainam, adhuc septuaginta duæ recenseri possunt, etiamsi in Phaleg lingua Heber durauerit, quia in Heber fuit veluti in fonte, & ante diuisionem; post diuisionem verò, quasi post naufragium redempta, innouata est in Phaleg. Phaleg etiam interpretatur diuisio, eoquòd in diebus eius diuisa sit terra: vnde lingua quæ in Heber floruit, dilata longiùs diuisione, in Phaleg remansit. Ab Heber tamen voluere gentilitium trahere nòmen Iudæi, tanquam à quo non fuit primæua auulsa lingua: de quò hic D. Thomas; ex quo, puto legi v. 21. *Patre omnium filiorum Heber*; quia Heber inter filios & nepotes Sem, omnibus est prælatus, vt hic ex Augustino S. Doctor.

N D.Th. hic & op. 19. c. 4. ante medium.

CAPVT XI.

Sap 10. 2. 5.
1 ERat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem. 2 Cumque proficiscerentur
de oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. 3 Di-
xitque alter ad proximum suum: Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni.
Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento: 4 & dixerunt: Venite facia-
mus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cęlum: & celebremus nomen
nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras. 5 Descendit autem Dominus, vt vide-
ret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam, 6 & dixit: Ecce, vnus est popu-
lus, & vnum labium omnibus, cęperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus
suis, donec eas opère compleant. 7 Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi lin-
guam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. 8 Atque ita diuisit eos Do-
minus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. 9 Et idcircò vo-
catum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ; & inde dispersit
1. Par. 1. b. 17.
eos Dominus super faciem cunctarum regionum. 10 Hæ sunt generationes Sem: Sem
erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluuium. 11 Vixitque
Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios, & filias. 12 Porrò
Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. 13 Vixitque Arphaxad postquam
genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios, & filias. 14 Sale quoque vixit triginta

annis,

annis, & genuit Heber. 15 Vixitque Sale poſtquam genuit Heber, quadringentis tribus
annis; & genuit filios, & filias. 16 Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit
Phaleg. 17 Et vixit Heber poſtquam genuit Phaleg, quadringentis, triginta annis, &
genuit filios & filias. 18 Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu. 19 Vixitque 1. Par. 1.
Phaleg poſtquam genuit Reu, ducentis nouem annis, & genuit filios & filias. 20 Vixit b.19.
autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. 21 Vixit quoque Reu poſtquam genuit
Sarug, ducentis ſeptem annis: & genuit filios & filias. 22 Vixit verò Sarug triginta annis,
& genuit Nachor. 23 Vixitque Sarug poſtquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit
filios & filias. 24 Vixit autem Nachor viginti nouem annis, & genuit Thare. 25 Vixit-
que Nachor poſtquam genuit Thare, centum decem & nouem annis: & genuit filios & fi- 1. Par. 1.
lias, 26 Vixitque Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. 27 b.28.
Hæ ſunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran Ioſ. 24. 2.
genuit Lot. 28 Mortuuſque eſt Aran ante Thare patrem ſuum, in terra natiuitatis ſuæ in
Vr Chaldæorum. 29 Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores: nomen vxoris Abram,
Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran patris Melchæ, & patris Ieſchæ. 30 Ioſ. 24. 2.
Erat autem Sarai ſterilis, nec habebat liberos. 31 Tulit itaque Thare Abram filium ſuum, Nehe. 9.
& Lot filium Aran, filium filij ſui, & Sarai nurum ſuam, vxorem Abram filij ſui, & eduxit b.7.
eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan: veneruntque vſque Haran, & habi- Iudit. 5. a.6.
tauerunt ibi. 32 Et facti ſunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus eſt Act.7.a.2.
in Haram.

VERSUS I. *Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorumdem.*

Vnum erat adhùc hominum idioma; quod eleganter exprimit Moyſes per labium, cuius videlicet beneficio formantur completè verba. Labium terræ meritò dicitur ob terrenas ferè omnium cogitationes, quas mutuò promentes in eoſdem conſpirabant ſermones, de moliendis ſuperbè, & Vrbe, & Turri. Refert Magiſter [A] ex Philone, quòd ex tribus filijs Noë, adhuc ipſo viuente, propagatum fuerat humanum genus ad viginti quatuor millia virorum præter paruulos, & mulieres. Horum itaque, niſi omnes, pars maior.

A D. Th. hic.

VERSUS II. *Cum proficiſcerentur de Oriente inuenerunt campum in terra Sanaar, & habitauerunt in eo*, &c.

Quo conſilio eò ſint profecti, tangit Angelicus; præcipuè nimirum, vt magis ad medium habitabilis terræ accederent, vbi à noua, & magnifica ſede, figerent principatum, & regimen diffundendi per Orbem populi. Campeſtri loco itaque Senaar inuento, in quo poſtea Nabuchodonoſor adorandam [B] erexit ſtatuam, de Babylone Chaldæa condenda, turrique ſublimanda, certatim ab ijs in conſilium itum eſt; cœptumque re ipſa opus, eucctamque molem, ex D. Hieronymo l. 5. in Iſaiam, ad caput 14. vſque ad quatuor millia paſſuum, ſeu ad germanicum milliare.

B Daniel. 3.

Non ſuſtinuit Dominus perfici opus, quod ambitus & tyrannis Nemroth præ cæteris contendebat exſtruere. Superbis quippe *filijs Adam*, propterea ità hic nuncupatis, ſemper reſtitit Dominus Deus. Itaque deſcendit Dominus, vt videret, &c. (Anthropopathos.) Vſurpatur autem eiuſmodi figura, vt ſenſibilius, & terribilius, [C] hominibus ingerat Dei præſentiam iuſtitiamque punitiuam: & quia paucis Sanctorũ Patribus demptis, (qui fortè prauis erant contemptui) concordes erant ad malum, indomito cordium nexu, linguas diuiſit. *Venite*, igitur ait Deus Angelis, quorum Miniſterio ipſius iuſſa implentur, *& confundamus ibi linguam eorum.*

C D. Th. hic.

Facta proinde idiomatum pluralitate, alterum non audiebat alter, nouæ locutionis ignarus; (quod eueniſſe mirificè credendum eſt in dirigentibus alios Architectis, etſi minores mutuò alloquerentur) & ita confuſionem linguarum ſecuta mentis confuſio, hùc illùc maiores traxit atque diſperſit, & territos ab inuicem ſegregauit. Hebræa autem lingua ab Heber, in quo floruit, dicta, non ab Abraham, vt tradit Sanctus Doctor, [D] remanſit in eiuſdem Heber familia, cum cultu vnius Dei. Declinantibus ad Idololatriam gentibus, nè tàm facilè alius ad tantum peccatum pertraheret alium, linguarum diuerſitatem inflixit Deus, poſteà in Apoſtolis opportuno remedio, [E] dono linguarum ſcilicet, ad eaſdem reuocandas Gentes, occurſurus. Nota ex Angelico Comm. p. in Apocalypſ. c. 14. diuerſa idiomata ſub eadem lingua contineri, vt verbi gratia Gallicum Lombardicum. Notandum ad verſum 10. & infrà nunquam ſubdi, *& mortuus eſt*, quod licèt poſſit ſubintelligi, tamen non perperam omiſſum certè fuiſſe, credendum eſt; ſiquidem cum ad Abram vſque perueniatur, cui de æterna vita hominum, per regenerationem gratiæ, facta eſt promiſſio, non decuit memorari mortem, [F] vnde, & Abram hìc eſt decimus, incipiendo à Sem; & ab Noë ad ipſum, currunt decem generationes: quia per obſeruantiam Decalogi, ducimur ad vitam. Hinc fortè opinari poſſemus, ob myſticum huiuſmodi retinendum numerum, ſubticuiſſe Moyſen generationem Cainam.

D hic c. 11 & 14. 1. Cor. 11. l. 5. & Phi lip. 1. l. 1.

E 2. 2. 176. 1.

F D. Th. hic.

VERSUS XII. *Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.*

Celebris, & ardua exoritur quæſtio, eo quòd D. Lucas Euangeliſta cap. 3. in ſua genealogia interſerit Cainam, de quo nihil hic facer textus, nec in 1. Paralipomenon c. 1. nec Ioſeph l. 1. Antiq. c. 6. *qui fuit*, inquit, *Sale*, *qui fuit Cainam*, *qui fuit Arphaxad*. Arphaxad ergo videtur eſſe Pater Cainam, & Cainam Pater Sale. In Chaldæa etiam interpretatione, nulla fit mentio de Cainam. Hæretici expungunt ab Septuaginta, & à D. Luca Cainam, temerè

H 2 rati,

rati, Cainam, pro arbitratu, interpositum. Abeant tanquam sacro Euangelistæ, immò Spiritui sancto iniurij. Alij apud Melchiorem Cano *l. 2. de locis ad finem*, putarunt gratis, in S. Luca irrepsisse, ex hominum incuria ly *fuit*: foreque legendum, *qui fuit Sale, qui & Cainam*, binomius. Arqui in Septuaginta, hoc effugium non patet. D. Beda in Catena D. Thomæ. *Scito Lucam hanc generationem* (Cainam) *de septuaginta Interpretum editione, sumpsisse*: quasi dicere velit, D. Lucam non asserendo, sed referendo scripsisse. D. Hieronymus, mirum, hac de re nihil tractauerit. Similiter nec sanctus Augustinus. Beatus Albertus in cap. 3. Lucæ fert glossam, iuxta quam arbitratur, codicem Hebraicum, qui ad manus venit Hieronymi, (scit Deus qua de causa) fuisse deficientem quoad Cainam, ideoque omissum: peruetustos autem, è quibus trastulerunt Septuaginta, *Cainam* habuisse: atque, quisnam textus sit verior, Deus scit. Canus, pariter, *Spiritus Dei*, inquit, *occulta nobis ratione Moysis mentem, manumque permouit, vt in ea Patrum serie, vnam illam generationem præteriret*, (quam tamen, vel ex maiorum traditione, vel ex historijs fide dignis prudenter posuerint Septuaginta; eo consilio, ne Ethnici, ea non inuenta, & aliunde olfacta, scandalizarentur.) Et recurrit ad mysterio intentum numerum denarium, nam ab Adam ad Noë decem generationes attexuit Moyses; & itidem decem à Noë vsque ad Abraham. Sic & Diuus Matthæus, in ter quaterdenas generationes, Christi genealogiam distribuit: omittendo *Ochoziam, Ioas, & Amasiam.* Sic & Iacobus Tirinus in Chronico c. 13. Sed doleo, neutrum S. Thomæ commemorare sacram eruditionem, dum 3. p. q. 31. a. 3. hæc luculenter pertractat. Sic non sine causa fortè Matthæus tacuit etiam Eliacim siue Ioacim filium Iosiæ, & transijt ad Iechoniam; de quo Matth. 1.

Idem sanctus Doctor hic ait, fortè Cainam non fuit naturalis filius Arphaxad. Hugo noster eminentissimus 1. Paralipomenon c. 1. inquit, *nisi fuerit filius legalis, non naturalis*. Lyranus similiter putat fuisse adoptiuum. Sanè non est insuetum in Scripturis, & in eadem genealogia sancti Lucæ, adoptionem præferri: vnde *Ioseph*, filium appellauit *Heli*, & non Iacob: de quo 3. p. q. 31. a. 3. ad 2. & Matthæi. 1. & D. Augustinus relatus à S. Doctore, infrà c. 15. tradit, promissionem semini Abrahæ factā, reputasse Abraham primò de filio adoptiuo, (Nota quòd Abraham adoptauerat sibi Damascum filium Eliezeri) & semen in scriptura appellari, etiam qui non fuerit ex carne. Idémque in Catena Lucæ 3. *Neque absurdè quisque dicitur, non carne, sed charitate genuisse, quem sibi filium adoptauit.* Sic Apostolus, 1. Cor. 4. *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Stat ergo, vt rectè dixerint Septuaginta, *Arphaxad genuit Cainam*, etiamsi Cainam solùm fuerit adoptiuus eius.

Quod ne fingere videamur, affertur in medium litera Septuaginta, prout à Thoma Maluenda l. 1. de Antichristo c. 17. *Vixit Arphaxad centum triginta quinque annos, & genuit sibi Cainam, vixitq; postea annos quadringentos triginta.* Certè huiusmodi translatio, (quam attulit Sixtus l. 5. Biblioth. Annotat. 88. vt fatetur idem Maluenda) in ly *sibi* reciproco, insinuare videtur adoptionem. Quamuis in exemplari Complutensi vbique transferatur, non *sibi*, sed *ipse*: & reuera est in Græco eadem vox etiam cum de Sem loquitur respectu Arphaxad, nimirum *auton*: quem tamen non fuisse per adoptionem, pro explorato supponitur. Quicquid de hoc apice fuerit: nō fuerit absonum id opinari de *Cainam* respectu *Arphaxad*; vt scilicet iste fuerit naturalis filius *Iapheth*; & nihilominus dicatur ab Interptetibus filius *Arphaxad*. Sic 1. Esdræ c. 5. Zacharias dicitur filius Addo, cum tamen filius extiterit Barachiæ, & nepos Addo; vt constat Zachariæ 1. sic Matthæi 1. atque etiam Iudith 8. & in primis decem capitulis 1. Paralipomenon, passim phrasis hæc Hebræa est in vsu. Ratio autem adoptionis huiusmodi sic insertę esse potest, non solùm institutum sancti Lucę, qui adoptantis originem tenet, vt ait Augustinus; sed vniuersaliter intentum Spiritus sancti *vt adoptionem filiorum aucamus*: *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Io. 1. Non difficile autem id suadere fuerit, consideranti, quod ait Apostolus Rom. 11. de gentibus insertis per fidem, in Iudæorum massa, & radice: *Tu autem cum oleaster esses, insertus, es in illis; & socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es. Iapheth* autem, qui vt dictum est supra, interpretatur *dilatatio*, quique dilatatus est in gentium nationes, stat in typum Gentilium: vnde cum aliis Patri suo Noë, esset & ipse dilectus, oportuit, vt vmbra quadam, subintroitus gentium præsignaretur, quod nisi per certi alicuius ex Iaphet descendentis adoptionem, præhaberi nequibat: atque opportunè per *Cainam*; quod, vt fertur Lucę 3. *est possessio eorum*: vnde & *Arphaxad* ibidem, valet *sanans depopulationem*.

Arcanam autem aliqualem hac de re indicationem, videtur sacer textus capite præcedenti velare vnà simul, ac proferre; legimus enim v. 21. *De Sem quoque nati sunt, Patre omnium filiorum, Heber; fratre Iaphet, maiore.* Vt quid Heber hic memoratur, à quo Hebræi dicendi erant? sicut postea Israelitæ, & Iudæi. Vt quid recolendum fuerat, Sem esse Iaphet maiorem? liquido enim constabat ex capite 5. Heber idem sonat ac *transitus*. Innuitur futurus aliquando transitus Gentium in Hebræorum sortem. Et sic etiam Iapheth, quo maior est Sem, in typum populorum & gentium stat, quemadmodum in parabola Lucæ 15. adolescentior ille, apud Cyrillum: cui adstipulatur D. Thomas Rom. 9. l. 2. ad illa verba, *maior seruiet minori* dicens, figuraliter per maiorem, intelligitur populus Iudæorum, qui primò adoptionem filiorum accepit; secundùm illud Exodi 4. *Primogenitus meus Israel*: per minorem autem figuratur populus Gentilium, qui posteriùs est ad fidem vocatus; qui etiam figuratur per filium prodigum.

Duo supersunt enucleanda, quare in Hebraica veritate, non extet quod dicimus de Cainam? Respondetur subintroitum gentium, in Prophetis potiùs quàm in lege, fuisse nunciandum; iuxta quod ait etiam Paulus Ephes. 3. *alys generationibus non est agnitum filys hominum, sicut nunc reuelatum est, &c. esse gentes, cohæredes,*

&

& concorporales: eò vel maximè, quòd ab initio, *nihil discreuit Dominus inter nos & illos*, vt aliàs ait D. Petrus Actor. 15. Deuteronomij enim 7. habemus *Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris, de cunctis populis, quæ sunt super terram*. Non desunt autem, qui tactos etiam spiritu prophetico tueantur fuisse Interpretes septuaginta: quibus proinde potuit reuelari, & in Sacram Scripturam asciſci de Cainam, quod vel publicis tabellis, vel traditione, vel fama, per eruditorum ferebatur ora.

Deinde quæri poteſt, num *Sale* generatione naturali ſit credendus filius Cainami, vel Arphaxadi? Reſpondeo, me opinari fuiſſe naturalem filium Arphaxadi: & nihilominus verè dici à D. Luca *qui fuit Cainam*, quia Cainam maior ætate erat, & ab ipſo Cainamo, inſerto per adoptionem veluti in Arphaxado, ſpiritali quadam generatione, dicitur eſſe & *Sale*, & poſt *Sale* ſecuturi omnes. Et ſic Abraham etiam dicitur *Pater multarum gentium*: *& Pater omnium credentium*: Rom. 4. certè non naturali generatione, *ſed ſignaculo iuſtitiæ fidei*. De diſcrepantia autem annorum ſeptuaginta Interpretum, vide Maluēdam l. 1. c. 15. & 16. & c. 17. de Cainam.

VERSVS XXVI. *Hæ ſunt autem generationes Thare &c.*

Ad oſtendendum, quòd Abram fuit quoddam inſigne principium populi Dei, & noui temporis atque ſtatus, repetit generationes [G] Thare; inſigniter, præmiſſo titulo, &c. G D.Th. hic.

VERSVS XXIX. *Patris Melchæ, & Patris Ieſchæ.*

Secundùm Hieronymum, Sarai vxor Abrahæ cognominata eſt [H] etiam Ieſcha; fuit enim binomia. H D.Th. hic.

VERSVS XXXI. *Et eduxit eos de Vr Chaldæorum.*

Hieronymus inquit, ab Hebræis tradi fabulam; Abraham ſcilicet à Chaldæis miſſum in ignem, eoquòd ignem, quem Chaldæi colunt [I] adorare noluerit, & Dei auxilio liberatus eſt. I D.Th. hic. *Vr* quippe in Hebræo, idem eſt quod *ignis*. Verùm potius *Vr* nomen eſt loci alicuius terræ Chaldæorum; vel locus in quo ignis ab ijs præcipuè colebatur; vel accipitur pro tota terra Chaldæorum. Vel *de Vr Chaldæorum*, ideſt de tribulatione Chaldaica, ſic enim accipitur ignis aliquando: vnde beneficium hoc memoratur cap. 15.

CAPVT XII.

1 DIxit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, Act. 7. a. 3.
& de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi. 2 Faciamque
te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſ-
que benedictus. 3 Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi,
atque IN TE benedicentur vniuerſæ cognationes terræ. 4 Egreſſus eſt itaque Abram Galat. 3. b. 8.
ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot: ſeptuaginta quinque annorum erat Abram Infr. 17. c. 18. 21. c. 17.
cum egrederetur de Haran. 5 Tulitque Sarai vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, vni-
uerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran: & egreſſi ſunt Hebr. 11. b. 8.
vt irent in terram Chanaan. Cumque veniſſent in eam, 6 pertranſiuit Abram terram
vſque ad locum Sichem, vſque ad conuallem illuſtrem: Chananæus autem tunc erat in
terra. 7 Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei Semini tuo dabo terram hanc. Qui Infr. 13. d. 14. 15. d. 18. 26. a. 2.
ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. 8 Et inde tranſgrediens ad montem,
qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, ab occidente habens Be-
thel, & ab oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. 9 Deut. 34. b. 4.
Perrexitque Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem. 10 Facta eſt autem fames
in terra: deſcenditque Abram in Aegyptum, vt peregrinaretur ibi: præualuerat enim fa-
mes in terra. 11 Cumque propè eſſet vt ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai vxori ſuæ:
Noui quod pulchra ſis mulier: 12 & quod cum viderint te Aegyptij dicturi ſunt: Vxor
ipſius eſt: & interficient me, & te reſeruabunt: 13 Dic ergo; obſecro te, quod ſoror mea Infr. 20 c. 11.
ſis: vt bene ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. 14 Cum itaque ingreſ-
ſus eſſet Abram Aegyptum, viderunt Aegyptij mulierem, quod eſſet pulchra nimis. 15 Et
nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & ſublata eſt mulier in
domum Pharaonis. 16 Abram verò bene vſi ſunt propter illam: Fueruntque ei oues &
boues, & aſini, & ſerui, & famulæ, & aſinæ, & cameli. 17 Flagellauit autem Dominus
Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram. 18 Vocauit-
que Pharao Abram & dixit ei: Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? quare non indicaſti quod
vxor tua eſſet? 19 Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam, vt tollerem eam mihi in
vxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam, & vade. 20 Præcepitque Pharao ſu-
per Abram viris: & deduxerunt eum, & vxorem illius, & omnia quæ habebat.

VERSVS I *Dixit autem Dominus ad Abram, egredere de terra tua & de cognatione tua &c.*

Grauiſſima literalis ad hoc caput emergit difficultas, de egreſſu Abram *de terra ſua & de cognatione &c.*; quia paulò poſt, legitur, quòd *cum egrederetur de Haran* (Regio hæc dicitur etiam fortiori pronunciatione *Charan*,

estque Regio Syriæ, ad differentiam Charræ duplici r, quæ est inibi Ciuitas) *septuaginta quinque annorum erat.* Quomodo enim septuaginta quinque dumtaxat habebat annos, cum dicat beatus Stephanus. Actor. 7. *& inde postquam mortuus est Pater eius,* (Thare) *transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis?* Sanè si post mortem Patris; cum Pater eius ducentorum quinque annorum obierit, vt patet capite præcedenti in calce, non videtur Abram tunc *septuaginta quinque*, sed centum & triginta quinque fuisse annorum, eoquòd Thare vixisse fertur, capite eodem 11. septuaginta annis, & genuisse Abram. Ex aduerso autem, si *septuaginta quinque annos* habuit, *cum egrederetur de Haran*, non poterat esse mortuus Pater Thare, quod tamen affirmat beatus Stephanus. Hac in quæstione pro imperturbabili in primis accipiendum est, non amplius quàm septuaginta quinque annos habuisse Abrã, cum egrederetur de Haran; siquidem post eius egressum, legimus Sarai vxorem pulchritudine excelluisse, ergo non poterat esse centenarius Abram, nec Sarai nonagenaria, nã sic consenuisset Sarai ante egressum, & vetulus fuisset Abram: quæ leguntur c. 17. & 18. Falluntur itaque Hebræi, opinati annos quos vixerat Abram ante abscessum a Chaldæis, reputari ac si non fuissent, & exordium quasi de nouo sumere, cum illorum ignem miraculosè (quod inquiunt) euasit. Confutat etiam Hebræos hic D. Th. [A] contextu, quia c. 16. post annos 10. habitationis in Canaam, Sarai dedit Viro suo in uxorem Agar, & quando peperit, erat Abram octoginta sex annorum. Neque est vnde cogantur hoc fingere, quoniam etsi enarretur prius mortuus Thare Pater Abram, quàm referatur Abrahæ egressus de Haran, fit id, non ad temporis ordinem, sed ad congruentiam Historiæ; decuit enim expediri sacrum Chronistam à Thare, silentio exinceps voluendo, & postea Abrahæ vitam percurrere memorandam. Pariter inde illorum sententia exploditur, qui autumarunt, Thare septuaginta quidem annorum cœpisse filios habere, Abram Nachor, & Aram, sed cum Abram genuit, prouectioris valde fuisse ætatis: debuisset enim procreasse Abram habens annos centum atque triginta: somniata conciliatio, ex qua septuaginta quinque annorum esset Abram, cum egressus est; & mortuo parente. Igitur Dicendum est, Thare Patrem eduxisse familiam suam, inter quos Abram de Vr Chaldæorum, vt legitur c. 11. sed tunc primò exit Abram nondum monitus a Deo, opportunè etiam reuersurus. Porro iter sic arripienti, nondumque Charan assecuto, immo adhuc Mesopotamiam latè acceptam, prout comprehendit Chaldæam & Babyloniam peragranti, apparuit Deus gloriæ, vt ait beatus Stephanus, dicens, *exi de terra tua, & de cognatione tua*, & sic venit in Mesopotamiam Syriæ ex præcepto Domini, vt ait Angelicus [B] siue in Haran aut Aran vel Charam, vt ait sacra litera. Verùm quia actorum 7. dicitur Abram habitasse, & moratus fuisse in Chanam, credendum videtur, duo facta fuisse præcepta Abramo (quod sentit etiam D. Hieronymus apud Vgonem act. 7.) vnumque, aliquantò post aliud. Primò quidem præceptum fuit illi, vt terram & cognationem suam tanquam infectas nimis desereret: quo habito ac impleto, moratus est in Charan, siue Mesopotamia Syriæ vt ait D. Thomas Hebrẹorum cit. 11. Deinde mandauit ei Dominus, vt in terram sibi mostrandam pergeret: (alias quippe intendebat etiam post mortem Patris, in Mesopotamia præfata remanere) vnde ex mandato Domini, subdit S. Doctor, venit in terram Chanaam; Vt quid enim si primò habuisset præceptum vlterius progrediendi, moratus fuisset in Haran? Itaque primò illi mandatum est de egressu à terra, & cognatione, tanquam de termino *à quo* relinquendo, deinde etiam de Domo Patris & de termino *ad quem* perquirendo. Sanctus Stephanus primum præceptum recolit, & ideo non exprimit *de Domo Patris tui*, posterius tacitùs innuens, de terra promissa. Moyses autem, vtrumque nectit; & præcedens recolit occasione sequentis. Dicitur autem contradictioni prætensæ, nullam omninò esse; non enim Beatus Stephanus inquit, quòd postquã mortuus est Thare, discesserit vel egressus sit Abram, sed quod, *postquam mortuus est, transtulit illum* Deus, in terram istam. Relicta est ergò Charan siue Haran ab Abramo multò ante, & ideò ponitur recessus ab illa, tanquam a termino *à quo*, antequam ponatur mors Patris: & *inde, postquam mortuus est Pater eius, transtulit illum in terram istam*: cum quo stat, vt post mortem dumtaxat transtulerit illum Deus, id est firmiorem stabilitatem dederit ei in terra promissa: quod obseruat D. Augustinus 16. de ciuitate c. 15. & consonat græco textui. Igitur aliud est, septuaginta quinque annorum domum Patriam, Dei iussu deseruisse, vt hic sacra in Genesi dicitur; aliud est, terminum suæ mansionis firmiter adipisse, adeptum iura etiam, speluncæ duplicis, quod factum est postquam mortuus est Thare. Sic nulla est, nec esse potest eiusdem calami, nempè Spiritus Sancti repugnantia: nec blasphemare ausit os loquentium iniqua; quia si adhuc per impossibile, hæc essent ab hominibus labore humanò conscripta, non facile in re tam facili, qualis est annorum tot vel tot relatus, laberentur errore. Nisi etiam dicatur Beatum Stephanum dixisse, *postquam mortuus est*, serie sacræ Genesis vbi primo scribitur mors Thare: non verò intendere ipsa Thare præmortuum: ac si diceret, postquam scripta est mors Thare, transtulit illum in terram istam.

VERSUS I. *Egredere* &c.

Cum languore quodam humani [C] generis abolescere cœpisset cognitio Dei inter homines, & mores imminutarentur; eligere dignatus est Abraham, in quo forma esset renouatæ notitiæ Dei & morum: vnde in Abraham fides primò [D] habuit quasi notabilem quantitatem, vt propter fidei Religionem ab alijs separaretur: proinde prima reuelatio ante legem eidem facta est, [E] cæteris ad idololatriam declinantibus. Quare autem voluit Deus Abraham exire de terra sua &c. Respondet Angelicus [F] multiplici ratione; quia sic exercendus erat ad malorum tolerantiam, & à propinquis & domesticis plerumque Spiritali profectui infensis securior. Item ab impijs Chananæis terra erat tollenda, & in dominium iustæ prolis Sem redigenda, in qua Adam fuerat, Christusq; nasciturus erat, & moriturus alijs deniq; ex mysterijs, quæ in calce tangentur.

[A] D. Th. hic.

[B] Hebr. 11. l. 3.

[C] 3. p. q. 1. 6. c.

[D] 4. d. 11 q. 1. a. 2. ad 4.

[E] 2. 2. 174 6. c.

[F] O. Th. hic.

VER-

VERSVS II. *Faciamque te in gentem Magnam* &c.

G 3.d.40. q.1.a.4.

Aduertit Angelicus [G] quòd in veteri lege, vbicumque promittuntur æterna, hoc fit ſub quadam figura, & ſimilitudine temporalium: & ſecundùm hoc, Deus ſe mercedem Abrahæ conſtituit, ad literam: quaſi remunerator in multiplicatione ſeminis, & in terræ promiſſæ collatione. Igitur *faciam te creſcere in gentem magnam*, ſcilicet [H] per multiplicationem ſeminis tui, & per ſpiritalem principatum in omnes futurorum fidelium nationes: *benedicam*, benedictione gratiæ & gloriæ, *benedicentibus tibi*; ſcilicet ex fide Chriſti ex te naſcituri; id eſt ijs, qui in te fideliter laudabunt Deum & eius fidem, & gratiam tibi datam. De his D. Thomas ſermone Dominicæ 13. ex Epiſtola.

H D. Th. hic.

VERSVS XIII. *Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis.*

I 2.2.110. 3.3. & hic

Abraham ex D. Auguſtino [I] veritatem voluit celari, & non mendacium dici; ſoror enim dicitur, quia filia patris erat: vndè, & ipſe Abraham dicit Geneſis 20. Abimelech, *aliàs autem, & vere ſoror mea eſt, filia Patris mei, & non filia matris meæ*, quia ſcilicet ex parte Patris ei attinebat.

2 Figuraliter per Abraham ſignatur Chriſtus, qui ex præcepto Patris mundum redempturus dicit Hieremiæ 12. *reliqui* [L] *domum meam, dimiſi hæreditatem meam*. Pertranſit autem Abraham vſque ad conuallem illuſtrem; quæ ſecundum Bedam ſignat Eccleſiam, illuſtrem prædicatione, & miraculis. Et ſicut Abraham, *multarum gentum Pater* interpretatur, ita Chriſtus Hebræorum 2. *multos filios adduxit in gloriam*. Hinc D. Thomas in ſermone, [M] peregrinationem Abrahæ aptat Chriſto dicens, peregrinatus eſt in incarnatione: Abraham, Chriſtus; Ægyptus, mundus.

L Matth. 1.

M Sermo ne in feſto S. Silueſtri.

Moraliter per obedientiam Abrahæ, [N] deſignatur quòd debemus ab omni affectione carnali exire, ſi volumus hæreditatem noſtram habere. Idipſum docet alibi, [O] dicens Prædicatores debere exire à carnalium affectione, iuxtà illud Geneſis 12. *egredere*, &c. Et aptatur etiam Prælatis, [P] qui debent ignorare parentes, ne quod ait Bernardus accidat, vno epiſcopante, totam progeniem epiſcopari. Accommodatur etiam Religioſis clauſtralibus; quibus dicitur *egredere de terra*, [Q] id eſt de carne tua, *& de domo Patris*, id eſt de amore Mundi. Quidam ex his exeunt de Mundo corpore, ſed dimittunt in eo Cor, id eſt affectum ſuum; & ideo dicit Auguſtinus de Abraham, quòd egreſſus iam erat corpore ſed adhùc illic tenebatur mente. Omnibus tandem quadrat fidelibus, quia ad omnes attinet deſpectus [R] Patriæ & contemptus Proſapiæ, & additur, *de domo*, eo quòd in hoc mundo debemus [S] conuerſari ſicut alieni, & aduenæ; 1. Corinth. 7. *qui vtuntur hoc mundo tanquàm non vtantur*; & Hebræorum vltimo; *non enim habemus hic manentem ciuitatem*, &c. certiores facti *de Domo non manu facta æterna* (2. Cor. 5.) *in Cœlis*, quam pollicetur Veritas, ei *qui relinquerit Domum vel fratres aut ſorores, aut Patrem, aut matrem*, Matthæi 19. Egrediamur ergo de terra, quam à natiuitate incolimus, relinquendo peccata, *& expoliando nos veterem hominem*, hoc eſt prauos mores, *cum actibus ſuis*, Coloſſ. 3. de cognatione; *carni & ſanguini* non acquieſcendo, Gal. 1. contempta ſecuritate mundana, ſecuri exinde centuplum accepturos; Matth. 19.

N Hebr. 11.l.1.

O Io. 21. l.1.

P 1. commentario Apoc. c. 5. circa medium.

Q loco citat. c. 6. poſt principium & hic.

R ſerm. Dom. 13. ex Epiſtola.

S Hebr. 11. l.3.

CAPVT XIII.

1 ASCendit ergo Abram de Aegypto, ipſe & vxor eius, & omnia quæ habebat, &
Lot cum eo ad auſtralem plagam. 2 Erat autem diues valde in poſſeſſione
auri & argenti. 3 Reuerſuſque eſt per iter, quo venerat à meridie in Bethel
vſque ad locum, vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai: 4 in loco altaris
quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini. 5 Sed & Lot qui erat cum Abram, Sup. 12. b. 1.
fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula. 6 Nec poterat eos capere terra, vt
habitarent ſimul, erat quippe ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communi- Inf. 36. a. 7.
ter. 7 Vnde & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore
Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa. 8 Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæ-
ſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus.
9 Ecce vniuerſa terra coram te eſt: recede à me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dex-
teram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. 10 Eleuatis itaque Lot
oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur antequam ſubuer-
teret Dominus Sodomam, & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Aegyptus ve-
nientibus in Segor. 11 Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Orien-
te: diuiſique ſunt alterutrum à fratre ſuo. 12 Abram habitauit in terra Chanaan, Lot ve-
rò moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. 13 Homi-
nes autem Sodomitæ peſſimi erant & peccatores coram Domino nimis. 14 Dixitque
Dominus ad Abram, poſtquam diuiſus eſt ab eo Lot. Leua oculos tuos, & vide à loco, Sup. 12. b. 7.
in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem. 15 Omnem
terram quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum. 16 Faciamque Infr. 15. c. 18. 26. a. 4.
ſemen tuum ſicut puluerem terræ: ſi quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen Deut. 34. b. 4.
quoque tuum numerare poterit. 17 Surge, & perambula terram in longitudine, & in

lati-

latitudine sua: quia tibi daturus sum eam. 18 Mouens igitur tabernaculum suum Abram, venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificauitque ibi altare Domino.

VERSVS I. *Ascendit ergò Abram de Aegypto* &c.

A D.Th. hic.

Ascendisse dicitur, eò quòd terra promissionis est in situ [A] altior quàm sit Ægyptus: (Vide proprietatem verborum Sacræ Scripturæ) & multo magis hoc in rebus figuratis, per Ægyptum, & terram illam, *quę sursum sunt sapite, non quæ super terram* Col. 1

VERSVS II. *Erat autem diues valde, in possessione auri & argenti.*

B D.Th. hic.
C Apoc. 16. primo comment.

Apud D. Hieronymum in Hebræo legitur, *erat autem* [B] *grauis vehementer*. Hanc eandem literam fert D. Thomas, alibi [C] dicens, propterea diuitias grauare & deprimere: ad illa verba *væ, væ, væ, habitantibus in terra*, c. 8. Trahunt quippe præ cunctis ad ima, quia omnis commutabilis boni colligunt assecutionem, *pecuniæ namque obediunt omnia*. Eccl. 10. hinc in sequenti v. 6. alia pariter dicit [D] litera, *erant quippe onerati*. Quamuis modus esse possit loquendi, quo diuitiarum copia significetur. Asportatio eiusmodi diuitiarum cum Spolijs Ægyptiorum, Exodi 12. figura fuit, Thesaurorum sapientiæ [E] quos sapientes Christiani à Iudęis, & mundi Philosophis, tanquam ab iniustis possessoribus abstulerunt.

D sermone in festo S. Matthiæ.
E D.Th. hic.

VERSVS VII. *Vnde facta est rixa inter Pastores* &c.

F op. 20. l. 4. c. 4.

Docet Angelicus, [F] contentionem illorum exortam pro pastura gregum; per quod habemus, expediens esse ad societatem ciuium seruandam, diuitias possidere distinctas. Tangit etiam alibi, idem Sanctus Doctor, ex inuidia, & suspicione ortam rixam, nec non & ab ira; quod [G] moraliter teneri potest.

G 1. Timoth. 6. l. 1. & 2. 2. 37. 2. 1.

VERSVS VIII. *Ne quæso sit iurgium inter me & te; fratres enim sumus.*

H D.Th. hic.
I Matth. 12. & 13. Io. 7. l. 1. & Galat. 1. l 5. & op. 2. cap. 223.

Fratres dicuntur, idest cognati, [H] aut consanguinei; id quod tradit etiam [I] pluribus alijs in locis. Dissensio itaque inter fratres quamuis largè dictos, cum esset Lot Abrahæ nepos, dedecens nimis fuisset, & periculosa valde, quia *Chananæus, & Pherezæus habitabant*, vt ait Sacer textus, *in terra illa*. fortè enim ab ijs inflammati fuissent ad sæuas discordias.

VERSVS XIV. *Dixitque Dominus ad Abram postquam diuisus est ab eo Lot, leua oculos tuos in directum, & vide* &c.

L Serm. S. Agathæ.

Cum sit compertum sub repromissæ terræ figura, stabilitatem æternæ felicitatis signari; inquit Angelicus, [L] futuram in beatis de cunctis creaturis exultationem, in præfata circumspectione intelligi; pertinereque ad præmium affectus. Sanè plurima rerum diuersarum conspectio, iucundam ferre solet delectationem; & cum capite præcedenti postquam Abraham venit in terram Chanaam, illam Deus illi ostenderit dicens, *semini tuo dabo terram hanc*; Diuinam visionem præsignans: nunc ad gaudium de multiplici creaturarum intuitu congruè traducitur. Hæc est illa terra, quæ Exodi 3. & alibi dicitur fluere lacte & melle, quia affectiuà etiam partem compler, ferens vltrà exultationem prædictam de creaturis, gaudium humanitatis & Diuinitatis [M] lætificans. Idcitcò crediderim v. 10. legi de illa regione; *vniuersa irrigabatur sicut Paradisus Domini*.

M Serm. Dominicæ 13. ex Epistola.

VERSVS XV. *Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tua vsque in sempiternum.*

N D.Th. hic.

Cùm Abrahæ non sit data terra promissionis in persona, iuxtà quod dixit Beatus Stephanus Actor. 7. *& non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis*; quæritur quomodo dicat *tibi dabo*? atqui occurritur, diei duplici ex causa; primò, vt ostendat merito Abrahæ, [N] datam semini, ita quòd quantùm ad intentionem dantis, potius fuerit data Abrahæ, quàm populo ex ipso futuro: secundò, vt more veteris Testamenti, figuratiuè subinnuat, quòd potius intendit loqui de æterna hæreditate, quàm de terrena. *In sempiternum*. Septuaginta habent *vsque in sæculum*. Quocircà Angelicus, sapientissimè exponit, multifariam accipi æternum: primò vt sumatur æternum, pro aliquo longo tempore, quo pacto, de homine nimis diù viuente, dicimus; iste semper viuet, & nunquam morietur. Secundò, vt illud dicatur æternum, quod & respectu humanæ potestatis, & respectu inferiorum est quasi in æternùm: licèt hoc non sit respectu Dei; & secundùm hoc tota lex cæremonialium Moysi, æterna dicitur: & hoc modo dicitur in æternùm esse illud, cuius terminus non est præfixus apud illum, respectu cuius dicitur; & sic seruus dicitur in æternùm seruus, nisi aliter à Domino disponatur. Tertiò dicitur æternum, cuius significatum est æternum; sumitur enim sæpè signum pro suo significato; & ideo sæpè attribuitur signo, id quod est proprium signati: & hoc modo terra promissionis debebat esse seminis Abrahæ, in æternùm; quia status gratiæ, & gloriæ, erat spiritualis eius seminis in æternùm: & sic etiam omnes figuræ veteris legis possunt dici in æternùm mansuræ. Quartò dicitur aliquid in æternùm causaliter seù dispositiuè, quia scilicet, habet fructum æternorum: & hoc modo, lex Mosaica erat æterna, quia dispositiuè ducebat ad gratiam, & gloriam Christi æternam: hoc etiam modo, temporale meritum ęternæ gloriæ dicitur æternum, quia scilicet meruit rem æternam. Hæc D. Th. [O] Quocirca D. August. quæstionum super Genesin l. 5. ad textum c. 17. inquit; *Quæritur quomodo dixerit in possessionem æternam, cum Israelitis temporaliter data sit; vtrum secundùm hoc seculum dicta sit æterna, vt ab eo, quod est Aeon græcè, quod seculum significat, dictum sit, aonion, tanquam si latine dici posset seculare: an ex hoc, aliquid, secundùm spiritalem promissionem hic intelligere cogamur, vt æternum dictum sit ideò, quia hinc, æternum aliquid, significat: an potius locutionis est scripturarum, vt æternum appellent, cuius rei finis non constituitur; aut non ita sit, vt deinceps non sit faciendum; quantùm pertinet ad curam, vel potestatem facientis, sicut ait Horatius; seruiet æternùm, qui paruo nesciat vti. Non enim potest in æternùm seruire, cuius*

O D.Th. hic & Apocal. 14.

ipsa

ipsa vita, qua seruit, æterna esse non potest. Quod testimonium non adhiberem, nisi locutionis esset: verborum quippe illi sunt nobis auctores, non rerum vel sententiarum; Cùm quibus stat attamen, vt cùm Matthæi 25. dicitur de reprobis, vt discedant in *ignem æternum*, & ituros in *supplicium æternum*, intelligatur propriè, pro interminabili duratione pœnæ: quod contextibus alijs Sacræ Scripturæ, ab Ecclesia Dei quæ sancta est, de fide astruitur.

VERSVS XVI. *Surge ergò, & perambula terram in longitudine, & latitudine sua.*

Missis literalibus causis, ob quas iussus est Abraham terram perambulare; postremam recolo D. Thomæ [P] vt dictum sit in mysterium, quatenus possessio spiritualis per virtualem, & mentalem perambulationem obtinetur. Addo iuberi perambulare *in longitudine, & latitudine*. Felices animæ illæ quæ surgunt ab his terrenis, & Beatitudinem *longitudine*, hoc est æternitate, ac *latitudine*, nimirum affluentia bonorum omnium mente non solū ambulāt, sed perambulāt!

P D. Th. hic.

CAPVT XIV.

1 FActum est autem in illo tempore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Pon-
ti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, & Thadal rex Gentium 2 inirent bellum
contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorrhæ, & contra
Sennaab regem Adamę, & contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ, ipsa
est Segor. 3 Omnes hi conuenerunt in vallem Siluestrem, quæ nunc est mare salis. 4 Duo-
decim enim annis seruierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo. 5
Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percusserunt-
que Raphaim in Astarothcarnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariathaim, 6 &
Chorræos in montibus Seir, vsque ad Campestra Pharan, quæ est in solitudine. 7 Reuer-
sique sunt, & venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem regio-
nem Amalecitarum, & Amorrhæum, qui habitabat in Asasonthamar. 8 Et egressi sunt
rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon & rex Balæ,
quæ est Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Siluestri: 9 scilicet aduersus Cho-
dorlahomor regem Elamitarum, & Thadal regem Gentium, & Amraphel regem Sennaar,
& Arioch regem Ponti: quatuor reges aduersus quinque. 10 Vallis autem Siluestris habe-
bat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, & Gomorrhæ terga verterunt, ce-
ciderùntque ibi, & qui remanserant, fugerunt ad montem. 11 Tulerunt autem omnem
substantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & vniuersaque ad cibum pertinent, & abierunt:
12 necnon & Lot & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis; 13
Et ecce vnus, qui euaserat, nunciauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre
Amorrhæi fratris Eschol & fratris Aner, hi enim pepigerant fędus cum Abram. 14 Quod
cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernacu-
los suos trecentos decem, & octo: & persecutus est vsque Dan. 15 Et diuisis socijs, irruit
super eos nocte: percussitque eos, & persecutus est eos vsque Hoba, quæ est ad læuam Da-
masci, 16 Reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius,
mulieres quoque & populum. 17 Egressus est autem rex Sodomorum in occursum eius
postquam reuersus est à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Saue,
quæ est vallis regis. 18 At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem & vinum, Hebr. 7. a. 3.
erat enim Sacerdos Dei altissimi, 19 benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excel-
so, qui creauit cęlum & terram: 20 & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes
in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. 21 Dixit autem rex Somodorum
ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi. 22 Qui respondit ei: Leuo manum meam
ad Dominum Deum excelsum possessorem cęli & terræ, 23 quòd à filo subtegminis vsque
ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditaui Abram:
24 exceptis his, quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum,
Aner, Eschol, & Mambre: isti accipient partes suas.

VERSVS I. *Factum est autem in illo Tempore, &c.*

Magnum prælium inter Reges quosdam legitur in sacra Historia; deprehenditur autem ex hoc & alijs locis, [A] quòd tunc temporis quælibet fermè ciuitas suū habebat Regem; licèt quia in sequentibus sit sermo solùm de Rege Sodomorum, videatur quòd iste alijs quatuor dominaretur. Cæsis itaque, & fugatis à quatuor, quinque: id nunciatum est Abrahæ, qui captum etiam Lot, & ipsius substantiam audiens, iustam vindictam in aggressore est meditatus. Itaque eos viriliter insectatur; iustè quidem, ijs de caussis quas tangit Angelicus. Immò non ex cupiditate terrena, sed ex charitate, ac non nisi diuina inspiratione, & impulsu. Quod fortè, vt intelligamus legitur fuisse nunciatum *Abrae Hebræo*: hoc est, descendenti ab Heber, proinde fideli Deo.

A D. Th. hic.

VERSVS XIV. *Quod cum audisset Abram,*

bram, &c. numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos vsque Dan.

B D. Th. hic.
C 2. 2. 10. 10.
D op. 10. l. 4. c. 10.

Vernaculi sunt serui [B] in domo Domini sui nutriti; immò in seruitute [C] nati. Et hi *expediti* dicuntur, idest, inquit hic sanctus Doctor, leues, & agiles ad pugnam, vel penè parati, & armati, quantùm expediebat. *Expeditos* exponit Haymo Isaiæ 15. *qui sine vxoribus erant*. Sed alibi [D] inquit importari quandam excellentiam in pugnando; & satis credibile videri, habuisse maiorem multitudinem, sed nominari hos, propter ipsorum probitatem ad inuadendum. In præsentiarum ait, nisi fide & spe diuina esset armatus, nō video quin temerè se ac suos periculo exposuisset. Item *expediti*, idest non multitudine [E] vestium occupati: sic decet esse operis alicuius ministros.

E Ioannis 11. l. 2.

VERSVS XVIII. *At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim sacerdos Dei Altissimi) benedixit ei*, &c.

I

Quis fuerit Rex iste Melchisedech, non constat ex sacris literis, quæ immò ad mysterium celarunt, ipsius Patrem, Matrem, ac genealogiam: vt expendit Apostolus, 7. Hebræorum. Refert autem Hieronymus[F] quòd Hebræi aiunt, hunc esse Sem primogenitum Noë; & hoc ipsum recolit sanctus Doctor ad Hebræos [G] dicēs, secundùm glossam, Hebræi dicunt, ipsum fuisse Sem primogenitum Noë; & occurrisse Abrahæ nepoti suo; sed ipse nec affirmat nec negat. Certum est tamen habuisse Patrem, & Matrem licèt in Sacra Scriptura non referatur. *Rex Salem*. Quidam opinati sunt Salem dici Hierusalem, [H] nam sic Iosephus arbitratur: [I] sed contrà est Hieronymus in quadam Epistola; quia vt ipse dicit, non poterat esse; quòd ei occurreret ab Ierusalem; quod probat ex situ; nec refert vtrum *Salem*, vel *Salym* nominetur, quia rarò Hebræi, notis, in medijs literis, vtuntur; & eadem verba pro voluntate lectorum, ac regionum varietate, diuersis sonis atque accentibus proferuntur. Hoc etiam repetit [L] Ioannis 3. dicens alio nomine Salym dicitur Salem, quæ est Villa vbi Melchisedech Rex fuit, quòd & Beda tradidit affirmans, Salem esse oppidum iuxta Iordanem, [M] situm vbi olim Melchisedech regnabat.

F D. Th. hic.
G Hebr. 8. l. 1. & 3. p. q. 22. 6. ad 3.
H D. Th. hic.
I Hebr. 7. l. 1.
L Ioan. 3. l. 4.
M D. Th. hic.

Proferens panem, & vinum.

2
N D. Th. hic.

Non quasi Melchisedech more humano protulerit Abrahæ [N] & seruis eius cibaria, tanquàm ex prælio redeuntibus. Subditur siquidem, *erat enim sacerdos Dei Altissimi*; ex quo patet, quòd panem & vinum obtulit tanquàm Dei sacerdos, in sacrificium; & deinde tanquàm in diuinum cibum, iuxtà ritum quo offerentes, & hi pro quibus offerebatur, vescebantur oblatis in sanctuario Dei, tanquam Dei commensales. Hæretici vertunt, *& erat Princeps Dei*. Sed imperitè, hoc in contextu: vt quid enim diceretur *Princeps*, & *Dei*, postquam dictus est *Rex*. Obtulit ergo sacrificium panis, & vini, in gratiarum actionem Deo pro victoria Abrahæ à Babylonijs, prout sui moris erat: antiquitùs enim, filius inter alios antiquior, sacerdos [O] erat. Licèt autem oblatio sacrificij in communi, fit de lege naturali; determinatio tamen [P] sacrificiorū est ex institutione humana, vel diuina. Institutu autem Dei, Melchisedech sic offerebat; expressè sacrificium altaris præsignans; vt pluribus [Q] locis docet Angelicus: Immo in pane futuram corporum redemptionem; [R] in vino, animarum: panis enim ad carnem refertur, quia scilicet nutrit; vinum ad animam, quia vinum sanguinem operatur, in quo sedes est animæ secundùm physicos. Obtulit autem Abrahæ panem, & vinum, & benedixit Deo, ad significandum [S] quòd Eucharistia offertur Deo, in sanctificatione Hostiæ, & offertur populo in ipsius sumptione.

O Hebr. 7. l. 1.
P 2. 2. 85. 1. 1. & ad Hebr. loco citato atque op. 20. l. 2. 16.
Q 3. p. q. 22. 6. 2. q. 61. 3. 3. & q. 71. 6. 1.
R op. 58. c. 29.
S 4. d. 8. q. 1. a. 2. 2. 2.

VERSVS XX. *Et dedit ei decimas ex omnibus.*

3

Dare decimas ministris, & sacerdotibus nondum erat aliqua lege determinatum, quamquam de iure naturali fit, vt ministri seruientes Deo, sustententur à populo: sicut patet Gen. 47. quòd hoc seruabatur etiam apud Gentiles: vnde sacerdotes, quia pascebantur de horreis publicis, non sunt compulsi vendere facultates suas: ita Hebr. 7. l. 1. quapropter Abraham quodam prophetico instinctu, dedit decimas Melchisedech sacerdoti. [T] Per hoc autem significauit Abraham, se velut in peccato [V] conceptum, & omnes, qui ab eo descensuri erant, ea ratione vt peccatum originale contraherent, indigere curatione, quæ est per Christum. Decimari ergo est præfigurari indigere curatione, vnde, & in lumbis Abrahæ, decimatus ēst etiā sacerdos ipse [X] legalis. Figuralis ergo fuit actus ille, non solùm moralis, figurans imperfectionem in eo, qui [A] decimas dat; ac subinde liberatore indigere; & sic significabatur passionis necessitas; [B] etenim imperfectio nostra, perficienda erat à Christo. Et prætereà decimatio quoddam signum seruitutis diuinæ fuit, ex quo intelligitur, à Deo nostram omnem esse perfectionem, nosque imperfectos vsque dum perueniamus ad ipsum. Quæ ex numeri denarij perfectione, tradit Angelicus citatis [C] locis. Moralia ad hoc caput sunt plurima. Per Abraham, [D] qui hostes occidit, & prędam reduxit, intelliguntur viri Ecclesiastici, qui pro iustitia facta, vel etiam facienda, non debent accipere munera, parua vel magna. Quatuor Reges, qui primò vicerunt, & captiuum duxerunt Lot nepotem Abrahæ, [E] sunt quatuor vitia principalia, opposita quatuor Cardinalibus virtutibus, captiuum detinent affectum, nepotem rationis, victis quinque sensibus corporis. Qui autem superat, & liberat affectum, debet confortari à sacerdote. Nobiles alias moralitates fert Angelicus hic. Cautè ergo debemus ambulare in via iustitiæ [F] quia vallis Syluestris habet multos puteos bituminis, vnde ambulamus in medio fouearum. Vallis hæc nunc est *Mare Salis*; & hoc mare typum gerens luxuriæ, ob fœtorem, feruorem, amaritudinem, & multitudinem, [G] fœmina à D. Thoma dicitur.

T 2. 2. 87. 1. 1.
V 3. p. 31. 8.
X 3. p. 22. 6.
A 3. 3. q. 4. art. 3. & Annib. d. 3. 2. 4.
B 4. Annib. d. a. 2.
C ad Hebr. 7. l. 1. & 2. 2. 87. a. 1.
D Apoc. 14. primo commentario.
E Hebr. 7. l. 1.
F Sermone Dominicæ 10. ex Epistola.
G Apoc. 16. primo commentario.

Accommodatitio sensu, Diabolus eodem sono verborum loquitur pro Melchisedech, *da mihi animas, cætera* [H] *tolle tibi*.

H ps. 19.

(∵)

CAPVT XV.

1 His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens:
Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. 2
Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis:
& filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. 3 Addiditque Abram: Mihi au-
tem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hęres meus erit. 4 Statimque sermo Do- Rom. 4. c. 18.
mini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hęres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo, Rom. 4.
ipsum habebis hæredem. 5 Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice cælum, & numera Galat. 3. a. 6.
stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. 6 Credidit Abram Deo, & reputatum Iac. 2. d.
est illi ad iustitiam. 7 Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te Vr Chaldæorum vt 23.
darem tibi terram istam, & possideres eam. 8 At ille ait: Domine Deus, vnde scire
possum, quod possessurus sim eam? 9 Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vac-
cam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & colum-
bam. 10 Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium & vtrasque partes contra se Ier. 34. d.
altrinsecus posuit: aues autem non diuisit. 11 Descenderuntque volucres super cadauera, 18.
& abigebat eas Abram. 12 Cumque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & hor-
ror magnus & tenebrosus inuasit eum. 13 Dictumque est ad eum: Scito prænoscens quod Act. 7. a.
peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent 6.
quadringentis annis. 14 Verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post
hæc egredientur cum magna substantia. 15 Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus
in senectute bona. 16 Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim comple- Sap. 12. b.
tæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. 17 Cum ergo occubuisset 7. 13. d. 5.
Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens in- Iosu. 26. a. 4.
ter diuisiones illas. 18 In illa die pepigit Dominus fędus cum Abram, dicens: Semini tuo Deut. 34. b. 4.
dabo terram hanc à fluuio Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem, 19 Cinæos, & 2. Par. 9. f. 26.
Cenezæos, Cedmonęos, 20 & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, 21 & Amor- 1. Reg. 4. c. 20.
rhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos.

VERSVS I. *His itaque transactis &c.* VERSVS II. *Ego vadam absque liberis: & filius Procuratoris domus meæ; iste Damascus Eliezer.*

Quoniam supra semini Abrahæ promiserat Deus terram: hanc figuram in sua naturali sobole impleri non debere putauit; propterea de
D.Th. ie. adoptiuo aliquo, verificandam [A] promissionem est arbitratus, vt ait Augustinus: passusque humana, in afflictionis erumpit verba: dicens *ego*, quasi diceret *ego infelix*: Et sanè interempta illa oratione indicauit, aposiopesi, animi angorem; subdens, veluti post respirium; & *ecce vernaculus meus, hæres meus erit*, cuius scilicet Pater erat, vt supra dixit, *iste Damascus Eliezer*: quæ quidem dolenter, confusè promspserat. Postquam autem naturalem ei filium nasciturum pollicitus est.

VERSVS V. *Eduxit eum foras, & ait illi suspice Cælum, & numera Stellas si potes; & dixit ei, sic erit Semen tuum.*

Solatur Deus Abraham, & mittens similitudinem pulueris, de qua per hyperbolim c. 13. ad stellarum euocat altitudinem; vt signaretur,
Math. gentes per signa ipsis manifesta, [B] vocandas in filios; quod quidem adimpletum fuit, & in Natiuitate & in morte Iesu. Hinc aiebat Augusti-
3.p.36. nus, [C] *Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis semine, sed fidei fæcunditate generanda*, & ideo stellarum multitudini est comparata, vt cœlestis progenies speraretur. Infrà autem c. 22. expendemus discrimen, inter cœli stellas, atque arenam maris, vbi vtrumque, præconfortato Abraham, vsurpat Dominus.

VERSVS VI. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.*

Decretalem veluti enunciationem veritatis alicuius, consueuit Spiritus Sanctus declarare, præteriti sub temporis expressione, quasi sancitum id irreuocabiliter fuerit. Quod animaduerto in præsenti capite; legimus enim, *ait illi*: & statim iterum *dixit ei*, & sic Ioannis 11. cum Dominus Martham alloqui perhibetur, præsenti tempore fertur, *dicit illi Iesus*. Statimque tanquam dogma firmum adijcitur, *dixit ei Iesus, ego sum resurrectio & vita.*

Credidit Abram Deo, & ruptatum est illi ad iustitiam. Iudæus, vt refert Hugo, opinatur Abraham dubitasse prius, propterea que passus afflictionem. Quare nisi anticipatiuè dictum exponat, labefactat mendacio Scripturam. Hæsitauerunt autem Iudæi nonnulli, de firmitate primæua fidei Abraham; fortasse ex Isaiæ 43. vbi habetur, *Pater tuus primus peccauit*: vbi & interlinearis, (non recolens hunc locum Genesis, & Paulum similiter) *Pater, inquit, tuus*, idest, *vel Adam, vel Abraham*: ex quo D. Thomas etiam conniuentia quadam subscripsit, Abraham, quasi dubitasse, petens signum de promissione Dei. Verùm, quicquid sit, nam ab aliquibus, alterius, non D. Thomæ creduntur in Isaiam Commentaria: nisi dicamus ad aliorum loqui opinionem: (Haymon exponit etiam vt ly *pater* stet pro omni populo Israel in solitudine) Certum est, Abraham Dei promissis credidisse omninò; nam certum se ostendit de hæreditate, cum ado-

ptan-

ptandum dixit filium Damaſci: proinde, audito
verbo Domini; *ſed qui egredietur de vtero tuo*, non
potuit hæſitare. Abſit itaque, vt fidelis Abra-
ham, futurus Pater credentium, fuerit modicæ
fidei. *Credidit*, repetit Paulus, *Abraham Deo*,
Rom. 4. *& non eſt infirmatus in fide.* & paulò poſt,
qui contra ſpem in ſpem credidit. Hinc, ait Angeli-
D Gal. 6. ſ. 4. & p. 2. 103. ſ. 3. cus, [D] primum exemplum fidei, fuit in Abra-
ham; & hoc, quia primus receſſit à conſortio
infidelium; *egredere* ſup. 12. & quia primus ali-
quid credidit, quod erat ſuprà naturam; Rom. 4.
qui contra ſpem &c. Idipſum ait Iacobus c. 2. *cre-*
E Iacobi 2. *didit Abraham Deo*: vbi S. Doctor, ſcilicet [E]
præcipienti & promittenti difficilia: idcirco cre-
F D. Th. hic. didiſſe dicitur, ſed ſingulari quodam exceſſu: [F]
& licèt anteà quoque crediderit, nunc tantùm
commendatur, ne proximæ circumciſioni attri-
bueretur fortè iuſtitia, vt monet Romanorum
citato c. 4. Apoſtolus. *Et reputatum eſt illi ad iu-*
G D. Th. hic. *ſtitiam*; excellentem quidem, [G] ac antonoma-
ſticè: ex quo conſtat, fuiſſe actum fidei de Chri-
ſto & mercede æterna, ſub cortice literæ, in-
tellectis. Actus autem fidei, eſt primus actus,
quo mens mouetur in Deum; Hebræorum 11.
accedentem ad Deum oportet credere; & ideo illi at-
tribuitur iuſtificatio: non quòd iuſtificationem
attingat ſola fides, cum eſſe debeat actus chari-
tate informatus; vt hic tangit, & expreſſiùs do-
H p. 2. 113. 4. 1. & q. 114. ſ. 1. cet Angelicus [H] prima 2. Quare autem dicat,
reputatum eſt illi, quaſi non de condiguo merue-
rit iuſtitiam [I] maiorem, vt ait D. Thomas,
I Iacobi 2. pleniùs eſt explanandum Roman. 4. Nunc bre-
ui dicendum, eundem actum fidei, ſecundùm
quòd procedit ex libero arbitrio, non mereri
de condigno, vel augmentum iuſtitiæ, vel glo-
riam; ſecundùm autem motionem diuinam, ex
qua eſt, non reputatur, ſed condignitatem ſor-
L Rom 4. l. 1. & 1. 2. 114. a. 4. & 6. titur: de quibus conſtanter Angelicus [L] pluri-
bus locis. Prima acceptione dicitur *reputatum*
eſt: quod minus ſonat, vt obſeruat S. D. Roma-
norū citato: tametſi Abraham ante hunc actum
fidei, fuerit iuſtus.

VERSVS VII. *Et ille ait, Domine Deus*
vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eam?

2 Hic, fortè lapſi ſunt, qui Abrahæ fidei de-
traxerunt. D. Auguſtinus ſequitur literam Se-
M D. Th. hic. ptuaginta, quæ habet [M] *ſecundùm quod ſciam?*
Similitudinem aliquam rogans, qua adimple-
tionis modus cognoſceretur; ſicut Virgo, quan-
N Ioan. 3. do ait, *quomodo fiet iſtud?* vbi D. Thomas, [N]
Beata Virgo petijt ſtudio addiſcendi: & D. Am-
O 3. p. 30. 4. broſius, [O] *non dubitat eſſe faciendum, quod quo-*
modo fiat, inquirit. Et ſanè ſimilitudines ſubie-
ctæ modum, & ordinem, quo ſpirituale ſuum
ſemen beatam poſſideret terram, demonſtrant.
Verùm ſequendo etiam Vulgatam, expers om-
nis dubietatis agnoſcitur Abraham, quia per-
peram, eidem Auctori ſemel non credens, ite-
ratò loquenti credidiſſet. Quare etſi eadem
verba protulerit, quæ incredulus Zacharias Lu-
cæ 1. non tamen ad idem: poſt Angelum ſiqui-
dem, poteſt de certiori, de Deo nempe, quæri
Auctore; atqui non ita, poſt Deum locutum,
veracior poteſt haberi: igitur Abraham, quod
P 2. 2. 97. 2. 3. ait D. Thomas [P] ſignum petijt ex inſtinctu di-
uino. Vbi inquit, ſciendum, quòd dupliciter ali-
quis ſignum petit à Deo; vno modo ad explo-
randam diuinam poteſtatem, aut veritatem di-
cti eius; & hoc de ſe pertinet ad Dei tentationē:
alio modo, ad hoc vt inſtruatur, quid ſit circa
aliquod factum, placitum Deo, & hoc modo,
non pertinet ad Dei tentationem.

VERSVS IX. *Et reſpondens Dominus;*
ſume inquit mihi vaccam triennem, & capram tri-
mam, & arietem annorum trium, turturem quo-
que, & columbam.

Deprehenditur ex his, [Q] fuiſſe Abraham Q Matth. 1. & 1. p. 31. 2.
ſacerdotem. Putant tamen aliqui, quod dicitur
factum de Animalibus, contigiſſe non re, ſed
viſione: contra quos [R] ſentit Magiſter Hiſtoria- R D. Th. hic ad cal cem.
rum. Quicquid fuerit, myſterijs mox reuelan-
dis, haud quaquàm derogat. Sanè, ſicut ſub
temporali promiſſione terrenæ hæreditatis,
continetur promiſſio ſpiritualis, & æternæ, ſic
in hac ſimilitudine oſtenditur ratio, modus, &
ordo peruentionis ad æternam gloriam. Verba
hæc ſanctiſſima Dei ſcatent infinitis myſterijs.
Tangit præcipuè hic S. Doctor, vt per vaccam,
deſignetur plebs ſub iugo legis: per capram,
eadem vt peccatrix: per arietem, eadem regna-
tura: Item explicat ordinem actiuorum, in vac-
ca, capra, & ariete; contemplatiuos autem, in
turture quoque, & columba. Inter actiuos,
pœnitentes ſignificantur per capram, hirſutam,
& horridam; quo, auſtera & amara compun-
ctio innoteſcit. Per arietem ſimplicem, princi-
cipem ouium, & agnorum, notatur perfectio
innocentiæ. Præmittitur vacca, in cuius iugo,
obedientia & fortitudo legis intelliguntur; quæ
pari neceſſitate vtroſque decet: ſicuti bonorum
operum expetita fœcunditas, vaccæ non vituli
exprimitur ſimilitudine. Solidè ergò, & per-
fectè, vt omnes ſuo in ordine inſudent; trium
iubentur annorum: tùnc perfectæ ætatis, perfe-
ctique roboris ſunt. Diuiduntur hæc, quia ſibi
partim, partim alijs laborant: & vtraſque par-
tes contrà ſe altrinſecùs, ideſt alteram contra
alteram, poſuiſſe dicitur, quia debent ſibi mu-
tuò officia coordinari.

Per aues, turturem, & columbam, con-
templatiuorum ad patriam cùm gemitu ſuſpi-
rantium, volatus & perfectio notatur. Turtur
etiamſi plures habeat ſignificationes; [S] nàm in S 3. p. 37. 3. 4.
quantùm loquax, prædicationem notat, & fidei
confeſſionem; in quantùm caſta, puritatem;
& Cant. 1. turtur, inquit, eſt animal dilectiuum,
& poſtquam perdidit ſocium, alium renuit; in
quo notatur ardor charitatis: attamen in quan-
tùm ſolitarium Animal, ſignificat contempla-
tionem. Quæ traduntur etiam hic à D. Tho-
ma; ſubiungitque de columba, amoroſa, gre-
gali, & fœcunda, typum quoque eſſe contem-
platiui; innuendo æternorum amorem, in ſpi-
ritualibus ſocialem, atque fœcundum. Quæ
aues non diuiduntur, quia contemplatiui in
quantùm talis, eſt vnum ſolum quærere, vni
ſoli vacare: de quo Chriſtus Mariam, Marthæ
præfert, dicens, *porrò vnum eſt neceſſarium*. Non
ſic actiui; *nàm, qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ*
ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.
1. Cor. 7. Hucuſque fermè totum, atque ad ver-
bum, Angelicus. Sapientiùs autem enucleat
hanc ſacram Doctrinam, [T] primæ ſecundæ q. 3. T p. 2. 3. a. 4.
dicens, in præſenti vita, eſt aliqua participatio
Beatitudinis; & quantò operatio poteſt eſſe
magis continua, & vna, tantò plùs habet de

ratio-

ratione Beatitudinis; & ideò in vita actiua, quæ circa multa occupatur, est minus de ratione Beatitudinis, quàm in contemplatiua, quæ versatur circa vnum.

VERSVS XIII. *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subycient eos seruituti; & affligent quadringentis annis.*

4 Statim occurrit quæstio, cum infra Exodi 12. legatur, *habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum*: & Apostolus ad Galatas 3. *quæ post quadringentos & triginta annos, facta est lex*. Sed facilis est solutio, attento nimirum tempore, quo Abrahā egressus est de Haran; ab illo enim, vsque ad exitum de Ægypto, supputantur triginta, supra quadringentos; vt accuratè apud

D.Th. ic& Ga. 1.1.6. D. Thomam, [v] Cæterùm si ad seminis Abrahæ peregrinationem, & afflictionem futuram, tùnc præuoscendam, cùm Deus ad ipsum loqueretur, reducatur calculus, emergunt fine dubio ab ortu Isaac, ad exitum de Ægypto, anni quadringenti & quinque, quos suo more, tanquam minimum quid, neglexit Deus: & si fiat vis, demi possunt; quia cum quinque esset Isaac annorum, expulsus fuit Ismael; & tùnc primò remansit solus Isaac hæres Abrahæ, & sic, adamussim respondent prædictioni factæ, vt peregrinationem, & afflictionem quadringenti anni complexi sint, ac compleuerint.

VERSVS XVI. *Generatione autem quarta, reuertentur huc.*

D.Th. ic. Eruditissimè pariter, ac sapienter notat Angelicus, reuelationum signata tempora, [x] fatis in sacris literis obscurè adumbrari. (Fortè crediderim ego, ne plena notitia præhabita, torpeamus; obliti exorare Deum, ceu certò angustias elapsi. Sic hæsit mens hoc in verbo, à quonam Patriarcharum, quaterna generatio esset obseruanda, donec impleta scriptura de exitu Israel de Ægypto, licuit retrocedere ad excursas generationes, & abscondita in lucem proferre. Variè exscribentium quoque, siue rudiū siuè sciolorum imperitia, de hac *quarta generatione*, locutus est D. Thomas, Matthæi primo, cum de Nahasson, & hic in Genesin: sed quoniam, vt infrà c. 18. ipsemet fatetur, hæc commentaria scripsit postquam in Matthæum, tanquam exactiora accipienda sunt. Igitur cum quartam generationem ex Leui, tùnc temporis fuisse constet, nàm vt legitur 1. Paralipomenon c. 6. Leui genuit Caath; Caath genuit Amram; Amram Aaron; Aaron Eleazar; respondet verè reuelationi factum; sic vt intelligenda foret Diuina prænunciatio de generatione in tribu Sacerdotali; ad quod innuendum, dicitur psal. 76. *Deduxisti sicut oues populum tuum, in manu Moysi, & Aaron*. Licèt autem ab Eleazar ad Iacob, sint quinque generationes, nil refert, quoniam videtur omninò colligendus prædictionis numerus à Patriarcha Leui, postquam in Ægypto fuit cum cæteris, non verò ab Iacob: & sic euadunt quatuor. Quod ingerere difficultatem videtur, est litera Septuaginta, qui Exodi 13. vbi nos habemus *& armati ascenderunt filij Israel de terra Aegypti*, inquiunt, *quinta autem generatione ascenderunt*, &c. quæ litera coegit Interpretes opinari, sermonem ibi non esse de generationibus, ex Iuda per tribum Regalem: Iacob quippe genuit Iudam, Iudas genuit Phares, Phares Esron, Eston Aram, Aram Aminadab, Aminadab Naasson; & sic non sunt quinque. Sed quoniam, vt obseruat Angelicus Matthæi 1. Phares cum Iuda Parente suo ingressus est Ægyptum, ab ipso Phares, & non ab Iuda, videtur exordiendum: nisi velimus omninò in Patriarcha Iuda figere initium. Incipiendo autem à Phares, vsque ad Naasson, non sunt nisi quatuor generationes, ad literam Genesis. Si autem quæramus etiam illinc, nempe à Phares quinque generationes, oportet quintam addere, qua Naasson genuit Salmon, (quemadmodum facit Hugo) vel non generationes, sed personas interiectas numerare. Et hæ quidem sunt, non solùm in serie Regali à Phares; sed etiam in sacerdotali, quinario numero, (quod multi non probant) & de personis locutos fuisse Septuaginta, poterit sustineri. Ad quatuor autem generationes, (vt dicitur Genesis 15.) quinque percenseri personas, clarè liquet: & sic saluatur optimè vtraque litera.

VERSVS VI. *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, vsque ad præsens tempus.*

Docemur, pluries iusta permissione, sinere Deum, vt (Apoc. 22.) *qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc*: ex quo, postquam abusus est peccator misericordi longanimitate, excrescat in malitia ad perditionem; vnde tandem iudicia Dei appareant. Quod tangit Angelicus psalmo 7. in præsenti cum pluribus arcanis moralibus, & alibi sæpe.

CAPVT XVI.

1 IGitur Sarai vxor Abram, non genuerat liberos, sed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar: 2 dixit marito suo: Ecce conclusit me Dominus, ne parerem; ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti, 3 tulit Agar Aegyptiam ancillam suam post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo vxorem. 4 Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam. 5 Dixitque Sarai ad Abram: Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet: iudicet Dominus inter me, & te. 6 Cui respondens Abram. Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit. 7 Cumque inuenisset eam angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine, quę est in via Sur in deserto, 8 dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, vnde venis &

quo vadis? quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. 9 Dixitque ei angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius. 10 Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine. 11 Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti & paries filium vocabisque nomen eius Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. 12 omnes, & manus omnium contra eum, & è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. 13 Vocauit autem Agar nomen Domini, qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Profectò hic vidi posteriora videntis me. 14 Propterea appellauit puteum illum, Puteum viuentis & videntis me. Ipse est inter Cades & Barad. 15 Peperitque Agar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Ismael. 16 Octoginta & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.

Inf. 24. g. 26.

VERSUS I. *Igitur Sarai vxor Abram &c.*

1 Ingressus Abrahæ ad Ancillam Agar, narratur initio capitis huius. Quocirca in primis, absque omni peccato ab Abraham, factum, pro certo tenendum est. Id dilecti Deo Patriarchæ suadet Sanctitas, & perfectio: modus ex quo ad illam accessit; non enim ex concupiscentia, sed deprecante Sarai: denique mysteria sublatentia id suadent. Cum igitur fornicatio sit ab intrinseco peccatum mortale, vt exactè probat Angelicus [A] & constat, ex illo Oseæ 4. *non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ. & super sponsas vestras cum adulterauerint:* & Pauli 1. Cor. 6. *neque fornicarij neque adulteri Regnum Dei possidebunt:* & rursus Hebræorum. 13. *fornicatores & adulteros iudicabit Deus:* ex quo Prouerb. 23. legimus; *fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena:* credendum est certò, fuisse de ipsius Dei nutu monitum Abraham cum Sarai, de Diuina dispensatione ad pluralitatem vxorum; atque adeò non fornicario concubitù, [B] sed vxorio [C] affectu eam cognouisse. Et propterea inquit Sacer textus, *& dedit eam viro suo vxorem*. Gentiles tamen fornicationem licitam reputabant, vt recolit Angelicus 1. Cor. 5. l. 1. & p. 2. q. 10. 3. 4. ad 3. Dicuntur autem interdum, huiusmodi post primam vxores, concubinæ [D] vt patet infra c. 25. quia etsi quantùm ad actum matrimonialem, & finem principalem, qui est bonum prolis educandæ, ac instruendæ, verè essent vxores, ex vinculo ad hunc finem cum eis commorandi: tamen concubinæ etiam dicuntur, quia deficiebant à secundario fine Matrimonij, qui est dispensatio familiæ, & communicatio operum viri & vxoris in societatem. Hac de causa etiam, ancilla non socia dicitur Agar. Fuerunt autem sanctis Patribus plures concessæ vxores, vltra rationes, quas expendimus in fine capitis secundi, quia [E] Ecclesia vna, vnius Christi sponsa, ipsi indissolubili iuncta connubio futura, nondum actu erat eratque futura ex multis. In veteri lege, ait S.D. Patriarchæ significabant coniunctionem hanc, (Christi & Ecclesiæ) non vt factam Christo, sed faciendam; & quia Ecclesia erat futura ex multis, (ex Iudæis & Gentibus) ideò tunc non vna sed plures habebantur vxores.

A 4. 31. 1. 3. & 2. 2. 154. 2.

B 2. 2. 154. 2. 1. C 4. 31. 1. 1. 3.

D 4. Annib. 33. 2. 2. 2. & alterio scripto loco citato.

E 1. Tim. 3. l. 2.

2 Itaque ad allegoriam flectendo, Sarai, [F] quæ primò sterilis, Ecclesiam militantem præfigurauit, nec non & triumphantem, quæ ante passionem Christi, nullos recipiebat *in libertatem gloriæ filiorum Dei*: postmodum verò traducenda erat felicitas propagandæ prolis ad sterilem, iuxta Isaiæ Prophetiam c. 54. *lauda sterilis, quæ non paris, quia multi filij desertæ, magis quàm eius, quæ habet virum*. Vtrique veruntamen filij sunt; quia & ex seruis solo timore Deo seruientibus, & ex Synagoga pariter sibi Christus, *acquisiuit Ecclesiam, Sanguine suo*: reiecta tamen cum suis cæremonialibus Synagoga, quod fuit præsignatum c. 21. *eijce ancillam & filium eius* vt dicetur ibi dicente Apostolo; *itaque non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos donauit*. Quo pariter mysterio vt Augustinus dicit, factum est, [G] vt filij Iacob ex ancillis & liberis nati, essent hæredes, quia Christo nascuntur in baptismo filij & hæredes, tam per bonos, quos liberi significant; quam per malos ministros, qui per ancillas significantur. Coaceruat autem S. Doctor [H] plures per ancillam significationes; nam caro vel sensualitas est ancilla mensis; scientia, cœlestis sapientiæ; lex vetus, nouæ; litera occidens, viuificantis gratiæ; Ecclesia actiua, contemplatiuæ; temporale bonum spirituali ancillatur; & denique Ecclesia militans, ancilla est triumphantis.

F Gal. 4. l. 7. & Genes. c. 48.

G 4. 33. 1. 3. ad 3. in fine & hic.

H D. Th. hic.

VERSUS IV. *At illa concepisse se uidens, despexit Dominam suam.*

Postquam Agar, ad recessum vsque à domo, turgido gressu pertracta est, monetur ab Angelo, vt reuertatur. Superbiam autem Agar manifestat, ipsam non solum Agar vocando; sed addendo, *Agar ancilla Sarai*; ac si diceret, recordare te esse ancillam; reuertere ad Sarai Dominam tuam, & humiliare sub manu illius.

VERSUS VII. *Cumque inuenisset eam Angelus Domini iuxta fontem.*

Iuxta fontem, idest [I] iuxtà puteum, vt paulò post dicitur; omnis enim puteus fons, & non è contrà. Sic etiam Ioannis 4. *erat autem ibi fons Iacob*; vbi D. Thomas, [L] Dicendum secundùm Augustinum, quòd fons erat, & puteus; omnis enim puteus fons est, sed non conuertitur: nam vbi aqua de terra scaturit, fons est; si quidem aqua in superficie terræ scaturit, fons tantùm dicitur; si verò in alto, & in profundo scaturit, ita puteus vocatur, vt nomen fontis non amitrat.

I D. Th. hic.

L Ioan. 4. l. 1.

VERSUS XI. *Vocabis nomen eius Ismahel.*

Ab Ismael, & filio eius Cedar, duxerunt originem Arabes, qui Ismaelitæ & Agareni dicendi sunt. Mutato tamen nomine, ait Haimo Isaiæ 21. malunt se Saracenos dici, quasi non de ancilla Agar, sed de libera Sara exorti. Diximus tamen supra, initio capitis sexti, appellatos Saracenos à Saraca regione Arabiæ.

VER-

VERSVS XII. *Hic erit ferus homo &c.* Significat, Semen eius habitaturum in eremo; futurosque Saracenos, [M] ex Hieronymo, vagos incertiſque ſedibus, qui vniuerſas Gentes, quibus deſertum Pharan ex latere iungitur, inſultant, & ab omnibus impugnantur. Hinc de eodem Iſmaele infra c. 21. dicitur, *habitauitque in deſerto Pharan factuſque eſt iuuenis Sagittarius*; vnde & ipſius ſoboles ſagittariorum nomine [N] ſignificatur Iſaiæ 21. *Et reliquiæ numeri Sagittariorum fortium de filijs cedar*. Idcircò, *manus eius contra omnes*, feritate enim vitaque ſylueſtri, barbarè ſe ſolent gerere ad omnes, vt patuit in Captiuitate duarum tribuum, quod prædicit Iſaias citato c. 21. *& e regione vniuerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula*: quod ſub Cedar eius filio, impletum eſt, ad perfunctorium habitationis tutamen; de quibus in Canticis dicitur, *ſicut Tabernacula Cedar*. Eccleſia verò paſſa eſt [O] perſecutiones à filijs tenebrarum. Prædictio hæc diuina, *manus eius contrà omnes*, Iudæis quadrat, qui vt recolit S. Doctor [P] in prophetas inſurrexerunt, Actorum 7. *quem prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri?* ſæuierunt in Chriſtum Dominum, Matthæi 21. *hic eſt hæres, venite occidamus eum*. Ieremiæ 12. *facta eſt hæreditas mea mihi, quaſi Leo in Sylua*: denique in Apoſtolos, Matthæi 10. *tradent vos in Concilijs*; ex quo, *omnibus hominibus*, vt habet D. Paulus, 1. Theſſal. 2. *aduerſantur*; & ſic ait Angelicus, *manus eius contrà omnes*; à principio enim primitiuæ Eccleſiæ, Iudæi perſecuti ſunt Chriſtianos, vt patet in Actibus Apoſtolorum; & facèrent etiam nunc, ſi poſſent. Videatur viterius D. Thomas ad Gal. 4. l. 9. quomodo ſit carnalium perſecutio contra ſpirituales. De quo etiam infrà c. 25. ad verſum 13. vbi ad ſimilitudinem Cedar Eccleſia primitiua conſideratur à gentibus afflictata: necnon à Iudæis Act. 8.

M D. Th. hic.

N Iſaiæ 21.

O Cant. 1.

P 1. Theſ. 2. l. 2.

VERSVS XIII. *Vocauit autem nomen Domini, qui loquebatur ad eam; tu Deus qui vidiſti me. Dixit enim: profectò hìc vidi poſteriora videntis me.*

En quomodo *Deus* nùnc dicitur, qui loquebatur, & paulò antè, *Angelus*; [Q] quia Diuina Maieſtas per Angelos ſemper apparuit. Nota, quia fortè ob myſterium, & ob reuerentiam Diuinæ Maieſtatis, noluit monſtrare faciem formæ, in qua apparebat, ſed quaſi dorſum: & Magiſter hiſtoriarum dicit, quòd cum loqueretur Dominus ad Agar, pertranſijt in turbine, & ipſa tùnc vidit poſteriora Dei. Deinde ait D. Thomas; ancilla non videt niſi poſteriora Dei dirigentis illam; quia ſolius ſuperioris partis & virtutis, eſt contemplari faciem Dei. Synagogam autem hìc præfiguratam dignatus eſt Deus alloqui multifariam in lege & Prophetis. Moyſi autem dictum eſt Exodi 33. *poſteriora mea videbis*, ideſt [R] vmbras & figuras: ſic ergo à tergo Angelum videns, ait Agar, tu Deus qui vidiſti me: ſed, cum aſſeueranter enunciat dicens, *profectò hìc vidi*, certitudinem viſibilitatis anteriorum Dei ſubinnuit, alibi nimirum, non hìc in terris, ſed in cœlo, *facie ad faciem*, videndi. Verùm hæc eſt, *alta profunditas*. Eccl. 7. *quis inueniet eam?* meritò poſt fontis nomenclaturam, vnde gratiarum ſcaturit abundantia, putei tranſitur ad nomen, quia in cęlo abyſſus eſt gloriæ. Tropologicè alia hìc D. Thomas.

4 Q D. Th. hic.

R Ioan. 1. l. 8.

CAPVT XVII.

1 POſtquam verò nonaginta & nouem annorum eſſe cęperat, apparuit ei Dominus,
dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens ambula coram me, & eſto perfectus.
2 Ponamque fędus meum inter me, & te, & multiplicabo te vehementer nimis.
3 Cecidit Abram pronus in faciem. 4 Dixitque ei Deus. Ego ſum, & pactum meum
tecum, eriſque pater multarum gentium. 5 Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: Ezec. 24. c. 20.
ſed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium conſtituite. 6 Faciamque te Rom. 4. c. 17.
creſcere vehementiſſimè, & ponam te in gentibus, regeſque ex te egredientur. 7 Et ſta-
tuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fęde-
re ſempiterno: vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. 8 Daboque tibi & ſemini tuo ter-
ram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam, eroque Deus
eorum. 9 Dixit iterum Deus ad Abraham. Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen Act. 7. e. 8.
tuum poſt te in generationibus ſuis. 10 Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me,
& vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur, ex vobis omne maſculinum! 11 & cir-
cumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fęderis inter me & vos. 12 Infans octo Rom. 4. b. 11.
dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris tam vernacu- Leu. 12. a. 3.
lus, quam emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra: 13 eritque Luc. 2. c 21.
pactum meum in carne veſtra in fędus æternum. 14 Maſculus, cuius præputij caro circum-
ciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit. 15
Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. 16
Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eritque in nationes &
reges populorum orientur ex eo. 17 Cecidit Abraham, in faciem ſuam, & riſit, dicens in
corde ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet? 18 Dixitque
ad Deum: Vtinam Iſmael viuat coram te. 19 Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua Inf. 18. b. & 21. a. 2.
pariet tibi filium, vocabiſque nomen eius Iſaac, & conſtituam pactum meum illi in fędus
ſempiternum, & ſemini eius poſt eum. 20 Super Iſmael quoque exaudiui te: ecce, bene-

dicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. 21 Pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac, quem pariet tibi Sara tempore iſto in anno altero. 22 Cumque finitus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit Deus ab Abraham. 23 Tulit autem Abraham Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ; vniuerſoſque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ: & circumcidit carnem præputij eorum ſtatim in ipſa die, ſicut præceperat ei Deus. 24 Abraham nonaginta, & nouem erat annorum quando circumcidit carnem præputij ſui. 25 Et Iſmael filius tredecim annos impleuerat tempore circumciſionis ſuæ. 26 Eadem die circumciſus eſt Abraham & Iſmael filius eius. 27 Et omnes viri domus illius, tàm vernaculi, quàm emptitij & alienigenæ pariter circumciſi ſunt.

VERSVS I. *Poſtquàm verò nonaginta, & nouem annorum eſſe cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: ego Dominus omnipotens: ambula coram me & eſto perfectus.*

1 Hic euocatur Abraham ad perfectionem, opportunèque fertur annorum *nonaginta nouem*, quia perfectio [A] per centenarium ſignatur: parùm ergò deerat ad numerum perfectionis. Quia perfectum ſimpliciter dicitur, [B] quod attingit ad finem ſibi proprium; in ſpiritualis hominis vita, quæ conſiſtit in charitate, 1. Ioannis 3. *nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*, attendenda eſt perfectio, in charitate principaliter [C] quidem, ſecundùm quòd hominem Deo coniungit, nam *charitas, eſt vinculum perfectionis*. Coloſſ. 4. ex quo Abraham dicit Dominus, *ambula coram me, & eſto perfectus*; quaſi in hoc eius perfectionem oſtendens eſſe, quòd coram Deo ambulauerit, [D] eum perfectè amando, vſque ad contemptum ſui, & ſuorum omnium: quod maximè, ex immolatione filij demonſtrauit. Et ad hanc perfectionem charitatis, qua toto corde [E] ſequamur Deum, omnes [F] tenentur, quia, qui non ſtudet ad proficiendum, eſt in periculo deficiendi; videmus enim quòd niſi remiges conentur aſcendere, nauis ſemper deſcendit. Quia tamen in Abraham enituit obediendo, appellatur à D. Thoma [G] perfectio obedientiæ; idcircò dicitur, *eſto* vt innoteſcat obligatio; vnde in hoc ſenſu, perfecti tenentur ad id quod melius eſt, obliganturque ex lege interiori, quæ inclinando [H] obligat. Vtitur autem verbo, *ambula*, vt profectum commoneat perpetuum, ſicut & Saluator Ioannis 12. *ambulate dum lucem habetis*, & Apoſtolus Epheſiorum 5. *vt filij lucis ambulate*; & ad Epheſios c. 2. *ipſius enim factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*; vbi S. Doctor [I] ſignanter autem dicit ambulemus, vt deſignet boni operis profectum. Et alibi, notandum, [L] quod ambulare ſpiritualiter eſt proficere, iuxta illud Iſaiæ 26. *rectus callis iuſti ad ambulandum*. Quocirca D. Tho. Hebræorum 6. l. 1. duplex eſt profectio, vna exterior, quæ conſiſtit in actibus exterioribus, qui ſunt ſigna interiorum; ſicut virginitas, voluntaria paupertas: & ad hanc non omnes tenentur. Alia eſt interior, quæ conſiſtit in dilectione Dei, & proximi, & ad perfectionem huiuſmodi non omnes tenentur; ſed omnes tenentur ad eam tendere: quia ſi quis nollet plus diligere Deum, non faceret quod exigit charitas.

A Apoc. c. 7.
B op. 18. c. 1. & 2. 2. 184. 1.
C Quodlib. 2. 14. ad 2.
D op. 18. c. 7.
E Matth. 19
F Matth. 5. & 2. Corinth. 13. l. 3.
G loc. citato.
H Quod. cit.
I Epheſ. 2. l. 3.
L Epheſ. 4. l. 6.

Adhuc tamen duo ſuperſunt exponenda, pro Abrahæ perfectione: quomodo enim, dicet Nouitius, fuit Abraham perfectus, qui diues fuit, & nunquam diues eſſe deſiuit, quin potius in diuitijs eſt mortuus, eaſque filijs reliquit? Deinde obiectio moueri poteſt de eodem Abraham, qui perfectus fuit, & ſic de alijs iuſtis antiquis, à matrimonio non abſtinentibus.

Reſpondeo, in primis citrà dubium virginitatem præferri (& idem dic de vita cœlibe omni) continentiæ coniugali; idque contra Iouinianum, vt oſtendit S. Doctor [M] pluribus locis; de quo ſuprà, nos etiam ſatis. Verùm quamuis res ita ſit: cum meritum non ſolùm penſetur ex genere actus, ſed magis ex animo operantis, contingit, vt coniugatus feruenter æquè, immò feruentiùs quàm celebs, præparatione animi colat virginitatem; nàm vt inquit Auguſtinus; *continentia* [N] *non corporis, ſed animi virtus eſt*. Virtutes autem aliquando in opere manifeſtantur, aliquando in habitu latent. Quocircà ſicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Ioanne, qui paſſus non eſt; ſic non impar eſt meritum, continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generauit; & illius enim cœlibatus, [O] & iſtius connubium, pro temporum diſtributione, Chriſto militauerunt. Caſtè quippe coniugaliter vixit; eſſe autem caſtus ſine coniugio potuit, ſed tunc non oportuit. Videatur D. Thomas etiam in Apocal. cap. 13. Vbi inquit, his temporibus quando, iam ex omnibus gentibus colligi poſſunt homines, qui ſaluentur, virginitas longè melior eſt coniugio, etiamſi quis rectè in coniugio uiuat; ſicut dicit Auguſtinus, in lib. de ſancta virginitate: & iterum; iure diuino contingit, connubio & nuptijs, quòd pia virginitas anteponitur. Quamuis autem idem Auguſtinus, cenſeat cœlibatum Ioannis non præferri coniugio Abrahæ, reſpondet, id aſſeri, ratione temporis, & perſonæ; quia tempore Abrahæ, erant pauci cultores Dei. Item Abraham temperatè vtebatur coniugio, & propter amplificationem cultus diuini. Nunc autem, etſi per virginitatem, non ſit procreatio hominum carnalis, ſit tamen ſpiritualis; & per eam multiplicatur ſpecialiter numerus electorum: excellenti parata aureola incorruptis carne, victa concupiſcibili: ſicut martyribus ob incorruptionem magnanimitatis, quoad iraſcibilem, vt ibi ſuprà: & alibi.

Hoc ipſum dicitur de diuitijs Abrahæ; nam poteſt eſſe, quòd aliquis diuitias poſſidens [P] perfectus ſit; non quidem habens animum diuitijs irretitum, ſed totaliter Deo coniunctum, & hoc figurat ly *coram me, & eſto perfectus*. Tan-

M 2. 2. 152. 4. & alibi.
N op. 18. c. 8.
O l. c. 2. 2. vbi ſupra.
P op. 18. c. 7.

Q loco tic.c.8. tam ergo perfectionem virtutis habebat Abraham in mente, vt nec propter temporalium ᵠ poſſeſſionem, nec propter vſum coniugij, mens eius deficeret à perfecta dilectione ad Deum. Radix autem horum eſt, quia perfectio Chriſtianæ, aut fidelis vitæ, non conſiſtit eſſentialiter in ᴿ voluntaria paupertate, aut alijs conſilijs, quæ ſunt ſolummodo inſtrumenta: vnde in collationibus Patrum aiebat Abbas Moyſes, ˢ *Vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt.* Vnde & Hieronymus ſuper illud Matthæi 19. *Et ſecuti ſumus te;* ᵀ *& quia non ſufficit tantùm relinquere. Petrus adiungit quod perfectum eſt; & ſecuti ſumus te.* Nihilominus, non perperam dat Saluator conſilium, quia per huiuſmodi, faciliùs, & expeditiùs ad perfectam præceptorum obſeruantiam ᵛ peruenitur. Nec tamen, quia antiqui Patres ˣ perfectionem animi, ſimul cum diuitijs, & matrimonio habuerunt, (quod ad magnitudinem virtutis pertinebat) propter hoc inferiores quique debent præſumere, ſe tantæ eſſe virtutis, vt cum diuitijs, & matrimonio, poſſint ad perfectionem peruenire; nàm non quiſque eandem mentis virtutem, ac Abraham habet; & ideò, ſi quis, abſque his inſtrumentis contenderet, præſumptuosè conuinceretur errare, conſilia Domini paruipendens: ſicut nec aliquis præſumit hoſtes inermis inuadere, quia Samſon cum mandibula aſini multos hoſtium peremit: facta enim mirabilia, non ſunt ad conſequentiam trahenda: nàm illi Patres, ſi tempus fuiſſet continentiæ, & paupertatis ſeruandæ, ſtudioſiùs hoc impleſſent. Quia ergò ad Chriſtum qui ſummum Innocentiæ obtinuit, perueniendum erat, decuit ᴬ vt mediantibus quibuſdam iuſtis, in quibus præfulgerent quædam inſignia huius ſanctitatis, id fieret. Meritò ergo Abraham, cui facta fuerat promiſſio, perfectus deſcribitur.

R 2. 2. 184.3. S loc. cit. & quod 1. 4. 8. 24. T locis cit. V quod ib. cit. & op. c. 7. X op. 18. c. 7. & 8. 186.4. A 1. p. 4. 1. 3.

VERSVS II. *Ponamque fœdus meum inter me & te: & multiplicabo te vehementer nimis.*

3 Promiſerat ſupra cap. 15. Diuina Maieſtas Abrahæ ſemen, ſicut *Stellas Cæli*: nunc dignatur cùm ſua creatura Creator, tanquàm in promiſſorum obligationem, inire fœdus: primò memorans abſolutè multiplicationem, veluti numero; deinde eandem in Gentibus, cùm dignitatis etiam Regiæ augmento. Audito ab Abram dignationis diuinæ exceſſu.

VERSVS III. *Cecidit Abram pronus in faciem; dixitque ei, Deus, ego ſum.*

B D.Th. hic. In ſignum ᴮ ſummæ adorationis, & humiliationis. Non legitur ſurrexiſſe Abram: ſed ſatis deprehenditur, quia in hoc eodem capite, cecidit iterum: ſurrexerat ergò. Et quidem ſtetiſſe credendus eſt, ad illam infinitæ plenitudinis ac magnitudinis vocem; *ego ſum.* Quæ quondam, turbam odijs ferocem, armis terribilem percuſſit, repulit, ac ſtrauit; nunc humilem, dulciter erigit. Et quoniam humiles paruulorum nomine ſignantur, *cuſtodiens paruulos Dominus, humiliatus ſum: Sinite paruulos ad me venire: niſi efficiamini ſicut paruuli:* paruuliſque conſueuit nomen imponi, Abrahæ tanquam excellenter humili, opportunè, quia *humilitatem reſpexit Deus*, innouatur nomen, eùm dicitur; appellaberis Abraham, *quia Patrem multarum* ᶜ *Gentium conſtitui te.* Diuinitùs impoſita nomina, gratuitum ᴰ aliquod donum ſemper ſignificant.

C D.Th. hic. D op. 60. a. 6. & 1. 2. q. 17. 1.

VERSVS VII. *Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te, & in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno: vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.*

Iudæi litera occiſi, circumciſionis perpetuitatem contendunt: ſed eorum eliditur error, non ſolùm ex dictis ſuprà c. 13. de multiplici intellectu vocis huius *æternum*: ſed adhùc ex D. Thoma ᴱ dicente ad hunc textum; æternùm, accipitur ibi pro ſæculo, quod habet finem, ſed nobis indeterminatum. Vel dicitur circumciſio *in fœdus æternum*, ratione ſignificati. Vnde D. Thomas Hebreorum 7. l. 3. ait, ſi in lege legitur aliquid, quod ſonet perpetuitatem: hoc eſt ratione figurati. Quod etiam docuit Auguſtinus ad Exodi c. 12. ibi, *in generationibus veſtris cultu ſempiterno, dicens; aut ergo ſic appellant perpetuum, quod non ſua ſponte audeant deſinere celebrare; aut non vt ipſa ſigna rerum, ſed res quæ his ſignificantur, æterna & perpetuæ intelligantur.* Præterquàm addo, perpetuitatem carnalis circumciſionis, non haberi ex vi ſacri textus: quamuis enim ſecundùm Hieronymum, pro eodem accipi poſſint *fœdus*, & *pactum*: attamen videntur diſtingui, tanquam ſignum & ſignatum; ſeu tanquam exterius ab interiori. Pactum ergò de circumciſione æternum non dicitur, ſed in generationibus ſolùm, *fœdere* quidem *ſempiterno*. Id quod innuitur paulo poſt, dicente Domino, *eritque pactum meum in carne veſtra, in fœdus æternum*; ſicut amicitia chirographo firmata, etiamſi aliqua de cauſa reſcindatur chirographum, non reſcinditur: ergo, idem ſunt, exterius & interius: hoc, non illud, æternum eſt. Adhùc autem cum fidelibus viget, in æuum duraturum fœdus, ex quo eſt *noſter Deus*; eò namque oſtenditur colimaſſe pactum, cùm dicitur, *vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* Et conſtat adhuc, nil cogere, vt circumciſio ad corpus perennet; quia Gentes verè filij ſunt Abrahæ, Patris multarum; & tamen, non præcipitur illis, niſi in caſu. Exodi 12. *Si quis peregrinus in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini, circumcidetur priùs omne maſculinum eius.* Quocirca, ait Apoſtolus, Rom. 3. *an Iudæorum Deus tantùm, nonnè & Gentium?* & c. 14. *qui Pater eſt omnium noſtrum*; & paulò ante, *vt ſit Pater omnium credentium per præputium, qui ſectantur veſtigia fidei*; (fuit enim ſignum Iuſtitiæ fidei ipſa circumciſio, vt ibidem ait: vnde Abraham adhùc incircumciſus exiſtens iuſtificatus eſt:) *nàm ſi præuaricator legis ſis*, (c. 3.) *circumciſio tua facta eſt præputium; non enim qui in manifeſto Iudæus eſt; neque quæ in manifeſto, in carne eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito Iudæus eſt; & circumciſio cordis in ſpiritu, non litera.* Adde ex D. Thoma ad Gal. 2. l. 1. nam circumciſio fuit quoddam inſtrumentum promiſſionis & fœderis, inter Deum & fideles homines: & quia Chriſti peracta paſſione, ſoluta fuit promiſſio, & completum fœdus, ideò poſt paſſionem non tenet, nec valet circumciſio. Eſt Chryſoſtomi. Et ex Rom. 4. l. 2. circumciſio erat ſignum futuri, ſcilicet circumciſionis faciendæ per Chriſtum ſpiritualis: & quantùm ad corpus Reſurrectionis: in qua

E 4. d. 1. 1. 3. 1. & Anuib. 4. d. 3. a. 4. 1. & Hebr. 7. l. 1.

ab electorum corporibus omnis passibilitas, & mortalitas auferetur: non autem idem signum conuenit præsenti, siue præterito, & futuro; ideò debuit mutari in Baptismum.

VERSUS X. & XI. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum; & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.*

Data est circumcisio in signum: postquàm enim Dei iussu cœperunt fideles seorsum ab infidelibus adunari, [F] inhibita est, vt spontaneam
F Rom.4. l.2.& 3.p. 70.2.& 4. ad confessionem signi huius vel negationem, discernerentur: inde cũ hæc nõ vrgeret causa, excusationis est vnũ caput cur, sine piaculo, in deserto solitarij viuentes, circumcisi non fint: quibus tamen habitaturis postea inter nationes, Iosue 5. denuò iussum est: argumento, quòd in vno futuro ouili circumcisio non esset. Statuit Deus signum huiusmodi, eo in loco multiplici ratione. Primò, quia cum deberet esse signum fidei
G Rom. 4.1.2. Abrahæ, [G] de prole futura, conueniens fuit, vt fieret in membro generationis: vtque hæc protestatio & imitatio fidei Abrahæ firmaretur in
H 1. 2. 102.5.1. cordibus Iudæorum, [H] acceperunt signum in carne sua, cuius obliuisci non possent. Quibus adde, quòd etiam ideò in membro generationis;
I 3.p.66. 7.3. quia ille, per quem [I] originale erat amouendum, nasciturus erat ex semine Abrahæ: nam *factus est ei ex semine Dauid*, vt ait Apostolus Rom. 1. Deinde erat circumcisio in remedium
L D.Th. hic & 3. p. 70. 3. 1.& Ioannis 7.1.2. originalis peccati, quod per generationem [L] contrahitur. Item ad debilitationem concupiscentiæ, quæ præcipuè in membro [M] illo viget,
M locis cit.& 1.2. cit. propter abũdantiam delectationis venereorum. Præterea in sugillationem sacrorum Veneris &
O p.2.cit. Priapi, in quibus illa pars [O] corporis honorabatur. Figuralis verò ratio circumcisionis erat, quia figurabatur ablatio corruptionis omnis,
P Rom.4. 1.2.& p.2. 102. a. 2. ad 1. facienda [P] per Christum: primo quidem facienda erat circumcisio in animam, præcisis peccatorum reatibus, & concupiscentijs: deinde quantùm ad corpus, cùm ab electorum corporibus, in resurrectione passibilitas, & mortalitas auferentur: omnis autem corruptio culpæ & pœnæ prouenit in nos per carnalem originem. Mora-
Q Rom. 4.1.2. liter denique, vt ita à corde hominis [Q] omnis
R D.Th. hic. superflua concupiscentia tolleretur; & ideò, quia hæc debet esse totalis, designatur [R] per circumcisionem: Hinc Ieremias c. 4. *circumcidimini Domino; & auferte præputia cordium vestrorum*: de quo ibi D. Thomas. c.9. *quia omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde*. Sic Leuitici 26. *Donec erubescat mens eorum incircumcisa*; & Deuter. 10. *Circumcidite*
S op. 60. a.5. *igitur præputium cordis vestri*. Itaq; ex S. D. [S] spiritualis circumcisio duplex est, interior, & exterior. Vnde Beda; *circumcisio, est omnium exteriorum, interiorisque hominis nostri custodia*. Ca-
T 4. dist. 1. oppositione tertius. ro autem præputij dicitur [T] pellicula contegens carnem; quia in ipsa carne, vbi concupiscentia magis est, non poterat abscissio fieri, sine periculo. Nota etiam ex 4. ad Annib. q. 1. 3. nunc natura corrumpit seu inficit personam; sicut in primo Parente, persona infecit naturam: ex quo, quasi ad huiusmodi annuendum circulum, fit non incisio, sed circumcisio.

VERSUS XII. *Infans octo dierum circumcidetur.*

V 4. d. 1. q.2.a.1. Literalis ratio tangitur à Rabbi Moyse; [V] quia puer ante octauum diem, est ita tener, quasi in ventre matris; & posset ex hoc, [X] grauiter X 1. 2. 102.5.1.
lædi; & reputatur adhuc quasi quoddam non solidatum: ideò verò non magis tardabatur; ne propter dolorem, aliqui signum circumcisionis refugerent; & ne parentes etiam, quorum amor increscit ad filios, post frequentem conuersationem, & eorum augmentum, eos circumcisioni subtraherent. Idipsum tepetit [A] dicens, pro- A 3.p.70. 1.3.
pter teneritudinem Infantis, ante octauum diem non præueniri. Etiam de alijs Animalibus præcipitur Leuitici 22. *bos, ouis, & capra cum genita fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris: die autem octauo, & deinceps, offerri poterunt Domino*. Sic etiam Exodi 22. Octauus dies erat de necessitate præcepti; eo tamen omisso, valebat post circumcisio. Non sic est necessitas dicere, vt præueniretur: vnde ex glossa, alius Bersabeæ paruulus non computatur, quia ante octauum diem mortuus, nominatus non fuit, & per consequens non circumcisus: & sic aiebat Salomon, de se, *vnigenitus coram Matre mea, Prouerb*. 4. Figuralis ratio erat, quia in octaua ætate (quæ erit ætas resurgentium, nam septima est quiescentium in Christo, & sex ætates sunt quibus sæculum currit) perficietur, quasi [B] in octauo die per B p.2.102 1. 1. 3.p. 70.3.3.
Christum, spiritualis circumcisio, quando auferet ab electis omnem etiam pœnalitatem: Vnde Beda, [C] *tunc vera, tunc plena erit nostra circumcisio*; C op. 60. a.5.
quod desideratissimum tempus, illa octaua dies, qua circumcisio agitur, indicat.

VERSUS XIV. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.*

Ante circumcisionis institutionem, cum nullus posset saluari, nisi fieret membrum Christi, quia vt dicitur Actuum 4. *non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*, incorporabantur [D] Christo, per fidem futuri ad- D 3.p.68. 1.1.& 12. 81.1.2.
uentus; (quam adulti, vt ait Gregorius, profitebantur in sacrificiorum oblatione) per quam originale peccatum remittebatur. Probabile est etiam, vt parentes pro paruulis natis, & maximè in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis exhiberent: [E] (quod erat quoddam signaculum fi- E 3.p.70. 4. & 4. 1. 2. 6.
dei) sicut adulti pro se ipsis preces & sacrificia offerebant. Post circumcisionem verò, si paruulus ex semine Abrahæ decessisset incircumcisus, moriebatur peccato originali obstrictus; vnde delebatur anima illa de populo suo, hoc est, de numero electorum; quia *pactum irritum fecit*, siue, quia in illo, irritum factum fuit. Ita hic [F] ex D. F D.Th. hic.
August. Quod dicitur de paruulis, multò magis de adultis negligentibus circumcisionem; Ideo dixit Deus, *Masculus, cuius præputij caro* &c. Plerique tamen de adultis exponunt; sic vt morte corporali punirentur: quod maximè, si per contemptum omitterent circumcidi, arbitror verum; sic enim Numeri 15. de transgressore sabbati factum est: hinc Apostolus Hebræorum 11. *irritam quis faciens legem Moysi, sine illa miserationem, duobus vel tribus testibus, moritur*: vbi D. Thomas hunc locum adfert; *Masculus cuius* &c. Verùm si absque contemptu omitteretur, cum fidei non irrogaretur iniuria, non puto damnatetur morte: quamuis enim, Numeri 15. dixisset Deus, *delebitur* &c. attamen Populus nesciebat, quid

de eo esset faciendum, nisi Deus dixisset Moysi; *morte morietur*. *Masculus*. Feminis non præcipitur, quia in generatiua mulieris [G] non poterat conuenienter fieri. Item, quia peccatum originale, contra quod specialiter circumcisio prædinabatur, [H] à Patre trahitur, non à Matre. Præterea, quia populorum distinctio principaliter [I] est ex parte virorum: vnde & apud Hebræos, non computabatur genealogia ex parte mulierum: ipsis tamen non deerat antiquius remedium originalis; in fide, precibus, & sacrificijs. Ait autem Hugo de Sancto Victore, quod Sacra Scriptura per masculinum sexum, animam; per fœminam verò, carnem consueuit significare: circumcisio autem non auferebat carni corruptionem; vnde fœmineum, hoc est carnale manet incircumcisum. [H] Inde natura corrumpit personam, sicut persona infecit naturam in primo Parente; ex quo [I] quasi ad huiusmodi annuendum circulum, fit non incisio, sed circumcisio, vt suprà dictum est. Alia quæ huc faciunt, videantur apud D. Thomam, citatis in locis.

G D.Th. hic.
H 1.p.80. a. 4.
I D.Th. hic & 4.3. a.1.3.
H loc.citatis.
I 4. Annib.1.a.3.

VERSVS XVII. *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo: dicens putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?*

3 Cum dicat Spiritus Sanctus Ecclesiastes 2. *risum reputaui errorem*; Ecclesiastici 21. *vir autem sapiens vix tacitè ridebit*; vnde Plato moderatissimus, Crassus semel, Anaxagoras, Socrates, Cato, nec semel risere; statim quæritur de risu Abrahæ. Sed tamen absque omni quæstione, intelligitur fuisse Abrahæ risum in mysterium, nec disceptando sed applaudendo dixit, *putasne centenario nascetur filius?* planè, non est verosimile, vt qui pro diuina reuerentia, ceciderat in faciem suam, cuique Dominus tàm blandè alloqui dignabatur, diuinæ Potestatis promissa rideret. Hinc ait Angelicus, [L] risus eius non fuit dubitationis sed admirationis: vnde Rom. 4. *non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quòd quicquid promisit Deus, potens est facere*; vnde non reprehenditur risus eius à Deo, qui corda omnium nouit. Consentit D. Augustinus [M] dicens, quòd *risit Abraham admirans in gaudio*. Adstipulatur Ambrosius, quia *designat gaudium*, quo, *vt Christi videret diem, exultauit*, vt ait Dominus, Io. 8. *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum*; Et propterea ab hoc risu, non a Saræ, de quo sequenti capite, dictus est filius Abrahæ *Isaac*, [N] vt ait Hieronymus. Itaque illustratus oculus mentis Abrahæ, cum audiuit etiam Sarai mutandum nomen, vt non vltrà *Sarai*, hoc est, *Princeps mea*, sed *Sara*, hoc est absolutè *Princeps*, & non solùm suæ familiæ, dicenda esset, vidit arcanum Mysterium Christi, per Isaac signati. De Christo quippe tanquam de principali attexebatur sermo; deinde versu 19. de Isaac in se ipso subijcitur, *Sara vxor tua pariet tibi*. Anteà dixerat *dabo*; datus est enim Christus Abrahæ ex Sara, sed Sara Christum non peperit. Christus tamen etiam per ipsam significabatur circumcisionem, per quem & mente & corpore euadimus circumcisi, vt ex Augustino tradit [O] S. Doctor.

L Hebr. 31.l.31
M D.Th. hic.
N D.Th. hic.
O Io.7.l. 2. & in Catena.

C A P V T X V I I I.

1 APparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui Hebr. 13. a.2.
in ipso feruore diei. 2 Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stan-
tes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio taber-
naculi, & adorauit in terram, 3 Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne
transeas seruum tuum: 4 sed afferam pauxillum aquæ & lauate pedes vestros, & requie-
scite sub arbore. 5 Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transi-
bitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerunt: Fac vt locutus es. 6
Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata simile
commisce, & fac subcinericios panes, 7 Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde
vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero: qui festinauit & coxit illum. 8 Tulit
quoque butyrum & lac & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat iux-
ta eos sub arbore. 9 Cumque comedissent, dixerunt ad eum. Vbi est Sara vxor tua? ille
respondit: Ecce in tabernaculo est. 10 Cui dixit, Reuertens veniam ad te tempore isto, Sup. 17.c. 19.
vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernacu- Infr. 21.a. 1.
li. 11 Erant autem ambo senes, prouectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria. Rom. 9.b. 9.
12 Quæ risit occultè dicens: Postquam consenui, & dominus meus vetulus est: voluptati
operam dabo? 13 Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num 2. Petr. 3. a. 6.
verè paritura sum anus? 14 Numquid Deo quidquam est difficile? Iuxta condictum re-
uertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium. 15 Negauit Sara, di-
cens, Non risi: timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti. 16
Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul
gradiebatur, deducens eos. 17 Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ
gesturus sum; 18 cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & BENEDI- Sap. 12.a 3.
CENDAE sunt in illo omnes nationes terræ? 19 Scio enim quod præcepturus sit filijs Infr. 22.d 17.
suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam:
vt adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum. 20 Dixit itaque
Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum

aggra-

aggrauatum eſt nimis. 21 Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam. 22 Conuerteruntque ſe inde, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc ſtabat coram Domino. 23 Et appropinquans ait: Numquid perdes iuſtum cum impio? 24 Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, peribunt ſimul? & non parces loco illi propter quinquaginta iuſtos, ſi fuerint in eo? 25 Abſit à te, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius, non eſt hoc tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc. 26 Dixitque Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos. 27 Reſpondenſque Abraham, ait: Quia ſemel cępi, loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis. 28 Quid ſi minus quinquaginta iuſtis quinque fuerint? delebis propter quadraginta quinque vniuerſam vrbem? Et ait; Non delebo, ſi inuenero ibi quadraginta quinque. 29 Rurſumque lócutus eſt ad eum: Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta. 30 Ne quæſo inquit, indigneris Domine, ſi loquar: Quid ſi ibi inuenti fuerint triginta? Reſpondit: Non faciam, ſi inuenero ibi triginta. 31 Quia ſemel, ait, cępi, loquar ad Dominum meum: Quid ſi ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti. 32 Obſecro, inquit, ne iraſcaris Domine, ſi loquar adhuc ſemel: Quid ſi inuenti fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem. 33 Abijtque Dominus, poſtquam ceſſauit loqui ad Abtaham: & ille reuerſus eſt in locum ſuum.

VERSVS I. *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, ſedenti in in Oſtio Tabernaculi ſui, in ipſo feruore diei.*

Poſt præſtitam obedientiſſimam de pacto circumciſionis obſeruantiam, dignatur Dominus Abraham, magnifica præ cæteris apparitione: in qua, ipſi per ſenſibilem virorum trium conſpectum, ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, noſtram ad eruditionem præcipuè, reuelat. Iuuat quippe credere, antehac etiam, Abraham, *Patrem, & Filiũ, & Spiritũ Sanctũ* nouiſſe, ac adoraſſe; *ſed quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. Eſt itaque conſtans ſanctorum Patrum, ac Doctorum ſententia, vt Trinitatis Sacroſanctæ Myſterium ediſſeratur. Hi ergo tres viri, viri non fuerunt re ipſa: idcircò dicitur, [A] *apparuerunt ei tres viri*: non tamen fuit apparitio imaginaria, ſed phyſica, nam viſi ſunt [B] non ſolùm ab Abraham, ſed à tota familia eius. Fuerunt ergò tres Angeli in tribus aſſumptis corporibus; vt clarè habetur ex capite ſequenti; ſicut Danielis 9. dicitur, *ecce vir Gabriel*. Apparent autem Angeli ſub humana ſpecie, (omiſſis alijs) hac de cauſa, vt æqua ad videndum Deum, [C] vnà cum illis, animæ noſtræ deprehendatur capacitas. Geſſerunt ergo vices Dei, vnius & trini; quod conſtat ex plurali & ſingulari locutione, pluries in hoc, & proximo capite iuncta: vndè coarguuntur Ariani, qui dixerunt Patrem [D] numquam in veteri Teſtamento apparuiſſe. Falſò ergo dixere quidam, vnum dumtaxat tenuiſſe perſonam Dei, medium inter duos alios, qui fuerint Angeli. Sanè id gratis dicitur, & videtur, vel ab Iudæis aſſertum, eo quòd Trinitatem ignorant; vel à fidelibus etiam excogitatum; ſic vt medius tanquam excellentior, honore anteiret: quoniam non facilè capiunt, quomodo Abraham adorauerit vnum, & tamen ad hoſpitium, tanquam homines inuitauerit: ad quod Euſebius de præparatione Euangelica Libro 5. c. 9. propenderat; recolitque Damaſcenus aduersùs imaginum oppugnatores Orat. 3. Verùm ex ſacra narratione, colligitur omnimoda eorum paritas; tùm quia Moyſes, dicto quòd *apparuit Dominus Abrahæ*, abſq; vlla Interiectione, ſubdit, *apparuerunt ei tres viri*; tùm quia ſermo à pluribus, & ab vno eſt, & ad plures ſimul, ac ad vnũ, dirigitur ab Abraham, & à Loth; (quod aduertit [E] hic D. Thomas) tùm denique, quoniam aſſiſtentes diuinæ Maieſtati, pauci nimis videntur, & niſi veræ ſanctæque Trinitatis panderetur arcanum, periculosè Idololatriæ tempore, facta fuiſſet hæc apparitio; & periculoſius literis commendata ſub lege, cultum Dei vnius, fouente ac extollente: quæ alias expendit S. D. [F] Quòd ſi, vt fert Euſebius, & ex eo Damaſcenus, ad illius vſque tempus, locus appatitionis, à vicinis populis celebrabatur, ſpectabaturque, adhuc firma terebinthus, & recepti hoſpitio ſic erant pictura expreſſi, vt duo quidem, vtrimque, tertium, vt honore præſtantiorem, medium haberent: non id æqualitatem impetit Perſonarum; quia factum fuiſſe dicendum eſt, vel ab ignaris omnino Sanctiſſimæ Triadis, vel ſimulantibus etiam maioribus; ne trium Deorum colendorum arriperent occaſionem: non enim omnibus ante legem, palam tàm ineffabile myſterium proponebatur, vt docet Angelicus 22. 174. 6.

VERSVS II. *Et* III. *Cucurrit, in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit.*

Cum ex dictis, credantur fuiſſe Angeli, qui apparuerunt; quod confirmat Apoſtoli auctoritas ad Hebræos 13; *per hanc enim* (hoſpitalitatem) *placuerunt quidam, Angelis, hoſpitio receptis*; vbi alia litera habet; *per hanc quaſi neſcientes receperunt Angelos*; quæritur de cognitione Abrahæ: Videtur enim ex vno latere, percepiſſe ſtatim myſterium Vnitatis in Trinitate, dicens, adoranſque in terram, *Domine* &c. Ex altero autem neſciſſe exiſtimabitur; ſiquidem tanquam homines alloquitur, menſæ ſupplici oblatione, & frugali apparatu. Hac in re: ſe geſſiſſe Abraham ad illos tanquam ad homines, docet Angelicus, [G] non ſolùm hic, ſed alijs in locis: vnde inquit Hebræorum 13. *putauit* à principio, quòd eſſent viri Sancti, à Deo miſſi: addo ego; cùm aliqua perplexione, an eſſent Angeli. Vo-

A 4. cont. G. c. 19.
B p. p. 51. 2.
C 3. cont. G. c. 57.
D op. 23. & 2. d. 16. 1. 1. 4. & 2. 4.
E D. Th. hic.
F Hic 6. 6.
G 2. 8. 1. 4. 1. Ioan. 1. l. 11. 1. p. 51. 3. 5. & Hebr. 13.

luit

H D.Th. hic. luit autem Deus, triplici ex causa, sic seruo suo occultari. Prima, [H] vt hospitalitas Abrahæ (& sic Lot) probaretur & exerceretur; cuius, monet Apostolus, ne obliuiscamur: in qua specialiter ad sanctos, non solùm liberalitas, sed pietas, societas, fraterna Charitas, spiritalis collocutio, ac denique commensalis communicabilitas connutritur, & compartleipatur. Secunda, vt sic familiariùs, se iungeret Deus Abrahæ. Tertia, vt veram humanationem Christi futuram, in qua cum hominibus verè comedit, præfiguraret: & etiam epulas gratiæ, ac æternæ gloriæ, nos cum Deo finaliter participaturos, in quadam visibili imagine præmonstraret: Supposito autem, tanquam ad homines se
a.1.84. 1.1. habuisse, adorasse dicendus est, [I] secundum reuerentiam debitam creaturæ excellenti: quod, ex aspectu venerabili, potuit comprehendere; nam Eccl. 19. *ex visu cognoscitur vir, & occursu faciei cognoscitur sensatus: & Sapientia hominis* Eccl. 1. *lucet in vultu ipsius*: & sic adorauit adoratione
L Hebr. 13.l.1. duliæ, [L] quæ exhibetur Sanctis. Vel existimans eos homines vt dictum est, in eis Deum vene-
M hic & p.p.51.a.5. rabatur, [M] sicut solet Deus esse in Prophetis, ait Augustinus; & ita adoratione latriæ, ad De-
N a. 2. cit. um dicreta, qui in illis loquebatur [N] quod etiā dici potest etiam si Angelos esse cognouisset; vel Angelos fuisset suspicatus. Hac via saluatur, quomodo adhuc nescius plenè repræsentationis, potuerit primo in limine, vera enunciare dicens, singulariter, *Domine si inueni gratiam* &c. verùm, non elucet qua ex causa, cum Deus communiter sic in viris iustis possit coli, eo tunc præsertim, in latriæ sit prouolutus adorationem.

Aliqui, vt Hugo, arbitrantur, Abraham à principio cognouisse esse Angelos, Deumque in illis adorasse; & hospitalitatis officia, ardenter nihilominus exhibuisse, quia inquit, Angelis, cum ex elementis formam corpoream assumunt, præstanda sunt. Huic expositioni obest, quòd tetigi ad Hebræos 13. vbi etiam legitur, *latuerunt quidam; sui ipsorum agentium velut nescij*: & præterea, alia litera clarior, *quidam, nescientes*. Nisi malis, vt codices D, Thomæ ferunt, *quasi nescientes*; ergò saltem anceps fuit Abraham, num Angeli essent, vel homines. Dato tamen, vt cognouerit esse Angelos; (quod dat Angeli-
O a.8.1. 4.1. cus [O] dicens, vel si cognouerit) in alicuins mysterij commendationem cibos apposuit: fuit enim pariter ex parte comedentium, figura spi-
P 1.p.51. 1.5 ritualis comestionis: [P] & hoc est, quod Angelus dixit, Tobiæ 12. *cum essem vobiscum, videbar quidem manducare, & bibere; sed ego potu inuisibili & cibo vtor*: & ita ly *Confortate cor Vestrum*, accommodat S. Doctor vni fructui spiritualis refe-
Q op.58. c.24. ctionis, [Q] in Sacro Altari; cui consonat præuia ablutio, qua inquit, [R] lauatur anima, deuo-
R Matthæi 6. ta Oratione. Veruntamen, quoniam vigere semper potest adhuc scrupulus, de literæ intellectu: cum inuitatu ad epulum, stare posse credi- derim, & adorationem, & vnius Dei ac Domi-
S D.Th. hic quo circa 2.1. 171.4. ni adprecationem, si, qnod hic air D. Thomas, benè capiatur. Sanè arbitratur Angelicus, [S] fuisse Abraham diuinitus per occultam & internam motionem, veluti raptum in verba illa, *si inueni gratiam* &c. & pariter sine dubio, in adorationem, non plenè aduertendo quid in mente sua tunc gerebatur. Itaque fuisse quandam immissionem diuinam, in qua fuerit potius actus, quam agens; ea proportione, qua nesciebat Apostolus, *in Corpore, sine extrà Corpus*, an fuisset ad tertium cœlum: & sic species illæ visibiles trium virorum priùs rapuerint mentem Abrahæ volatu quodam in Deum, in eis apparentem; deinde tanquam in homines. Sic putauerim ego, vt veluti immemor Diuinitatis, in eis præsatæ, tanquam ad veros homines, postea se haberet. Consonat huic expositioni litera illa, si ita extat, D. Pauli, vt legatur, *quasi nescientes*, quia post illum primum conspectum, atque alloquinm non plenè sciuit, an Angeli essent, vel homines; sed nec omninò nesciuerat, dum Sanctissimam Triadem in tribus Angelis apparentem, quoquo modo attigerat. Sic [T] ait idem S. D. quamuis T a.1.84. 1.1.
possit intelligi, quòd adorauerit (Abraham) adoratione Latriæ Deum, qui in personis ijs apparebat. Et quia latria seruitutem sonat, en quomodo, ait, *Domine ne transeas seruum tuum*. Non sic Lot sequenti capite, singulariter locutus est ab initio, sed ait *obsecro Domini*. Decuit autem, vt quasi absorptus Abraham ad tam ineffabile, sensibili ductu, eleuatis oculis, eleuaretur mysterium, vtqne velut per modum transeuntis, subiecta ex creatura, irradiaretur; quia & in Patria, inebriari dicuntur; & ipsi cœlestes Spiritus, [V] in Apocalypsi per Animalia, quæ po- V op.20. l.2.c.16.
tius aguntur quam agant, ex vehementi irradiatione diuina, significantur. Cessit hoc autem nobis ad Sanctam doctrinam; quia, cum sit [X] X 1.1.84. 1.3.
excellentia vna trium Personarum, vnus honor & reuerentia eis debetur, in cuius signum, Abraham, tres quamquam apparuerint, vnum alloquitur. Permansisse Abraham videtur veluti in obliuione, nesciens quid primò fecisset, vsque dum de Saræ promisso filio attexuerunt sermonem; simulac enim hoc audiuit, non iam homines sed Angelos est suspicatus, conscios diuinitus arcanæ sibi prius factæ promissionis: vel certò deprehendens illuminatos, hæsit num Angelos vel Sanctos homines recepisset hospitio. Hinc Abraham animo suspenso meditatione, silenter stetit: dicente etiam Domino ad ipsum, *quare risit Sara?* timore, & admiratione correptus, nihil respoudit. *Simul* tamen *gradiebatur*, ait sacer textus, *deducens eos*. Cùm ecce iteratò, Domino maiora loquente, in Dei repræsentati agnitionem redactus Abraham, memorque factus pristinæ immissionis, cùm primò cucurrit in occursum Dei, nùnc apertiùs animaduertens, iam non audet accedere, sed quamquam simul graderetur, gradu sistit; reuerenti humilitate stans coram Domino, & paulo post appropinquans. Et hoc est quod ait D. Thom. in Ioan. c. 1. l. 11. Deus dicitur videri vno modo per subiectam creaturam, visui corporali propositam; sicut creditur Abraham vidisse Deum, quando, *tres vidit, & vnum adorauit*: quia tres, quos prius homines reputauerat, & postmodnm Angelos credidit, recognouit mysterium Trinitatis. Tunc etiam, quod ait Gregorius, expressiuùs Incarnationis Symbolum nouit, [A] Circumstantiæ A Ioan 8.1.8.
apparitionis huius apprimè id indicant: apparuit enim Dominus secundum Septuaginta *ad* B D.Th. hic.
Quercum, quæ Crucem [B] Christi signare potest. C Apoc. c. 1. primo commentario
Non perperam etiam *in* [C] *feruore diei*; non solùm ad designandum feruorem amoris Abrahæ

ad

D D.Th. hic. ad Deum & Dei ad ipſum; ſed vt apparitio [D]
ſextæ ætatis facta in Christo præfiguretur; ideo-
que Dominus viſus eſt tanquam viator, & pau-
per, vnde Ier. 14. dicitur; *quare quaſi colonus fu-*
turus es in terra, & quaſi viator declinans ad ma-
nendum? & ideo Apoſtolus legit, ad verſum 10.
ſecundùm hoc tempus veniam, quo ſignificatur, ait
E Rom. 9.l.2. [E] D. Thomas, tempus gratiæ. Galat. 4. *cum ve-*
nit plenitudo temporis: vnde quia in Hebræo eſt,
in tempore vitæ, non ſolùm docemur modum,
temperatè de futuris loquendi, ſed occultè, vi-
F D.Th. hic. uificæ [F] gratiæ tempus præmonſtratur.

VERSVS VI. *Feſtinauitque Abraham in ta-*
bernaculum.

Habitabat Abraham in Caſulis, & Taber-
3
G Hebr. 11.l.3. naculis, quæ ſunt habitacula [G] mobilia: in quo
datur nobis intelligi, quòd in Mundo iſto debe-
mus conuerſari ſicut alieni, & aduenæ. 1. Cor.
7. *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.*
H Apoc. 4. primo commentatio & Sermone Dominicæ 1. poſt Epiph. ex Euangel. *Feſtinauitque*. Dicit hic Origenes, [H] *accelerat*
Sara, currit Abraham, feſtinat puer: nullus ager in
domo iuſti: vnde Bernardus; *verus obediens man-*
datum non procraſtinat, ſed ſtatim parat auditui au-
res, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & ſe
totum intùs recolligit, vt mandatum peragat impe-
rantis.

VERSVS VI. *Accelera tria ſata ſimilæ,*
commiſce, & fac ſubcinericios panes.

Adhùc ſemiraptus Abraham, crediderim
ego, præcipit Saræ; vt quid enim ad literam,
tria ſata, & commiſcenda, monet? Simila eſt pu-
I D.Th. hic. riſſimus flos farinæ triticeæ, Prouinciæ [I] Pale-
ſtinæ. Satum, menſura, modium, & dimidium
continens; ſeu tertia pars Ephi, continens logos
ſeu ſextarios Hebræos viginti quatuor, Italicos
verò ſexdecim, libras 26. ſeu vncias 320. Per tria
L Matth. 13. ſata alibi [L] tres Perſonæ Diuinæ ſignificantur,
Intelligentia Sanctiſſimæ Trinitatis, ſubtili per-
ſcrutatione, & collatione commiſta, igneque
M D.Th. hic. charitatis ſub cineribus [M] humillimæ abnega-
tionis omnis proprij ſenſus, animam refocillat.
Vel *accelera* &c. Qui vitulum optimum, ideſt
corpus Chriſti ſumere vult, debet tribus ſatis ſi-
N op. 58. c.15. milæ, [N] panem, igne coquendo, ſolidare; ideſt
ad tres hominum differentias, ſcilicet ad ſupe-
riores, æquales, & inferiores, veram dilectio-
nem ſeruare.

VERSVS VIII. *Cumque comediſſent*, &c.

4
Non fuit vera comeſtio, quæ vltrà cibi di-
O 2.8.1. 4.1. uiſionem & traiectionem [O] expoſcit, vt come-
dens poſſit digerere, & conuertere cibum in ſui
ſubſtantiam: non ſic autem eis contigit, ſed vir-
tute aliquà illorum, diſſolutus eſt in præiacen-
tem materiam. Chriſtus tamen etiam poſt re-
ſurrectionem verè comedit; eo quòd habuit cor-
pus talis naturæ, vt poſſet cibo nutriri, immò
P loc. cit. & p.p.51. 3.5. virtutem nutritiuam [P] & conuerſiuam. Fuit
tamen in aliquo ſenſu & Angelorum vera co-
meſtio, ſcilicet quoad veritatem ſignificationis,
Q Io.21. l.2. [Q] ſicut Chriſtus de ſe inquit, *Sum vitis vera*: vn-
de verum eſt illud, quod ipſi hoc ſignificabant,
nempe deſiderium quod habebant de ſalute ho-
minum, idcircò enim aſſumere dicuntur corpo-
ra, & non tantùm mouere, vt ſuas in illis pro-
dant proprietates: de quo citatis quæſtionibus
fusè.

VERSVS X. *Reuertens veniam ad te &c.*
& habebit filium Sara.

Abrahæ centenario natus eſt Iſaac, vt ha-
betur c. 21. per annum autem ante fuerat ſibi fi-
lius promiſſus vt recolit D. Th. Rom. 4. l. 3. S.
Paulus refert in hæc verba Rom. 9. *ſecundùm hoc*
tempus veniam, & erit Saræ filius; & perpendit
eſſe *verbum promiſſionis*, quod Angelus, ait San-
ctus Thomas, immò Dominus in Angelo dixit
ad Abraham: quo ſignificatur tempus gratiæ.
Gal. 4. *cum venit plenitudo temporis, & erit Saræ*
filius, ſcilicet per gratiam repromiſſionis. Sanè
animaduerto ego, niſi promiſſionis Aduentus
Domini, eſſet verbum, perperam bis adiectum
eſſet, *veniam reuertar*. Erit itaque filius Saræ,
populus fidelis. Sanè non legitur reuerſus Do-
minus apparitione ſenſibili, quamuis c. 21. ha-
beatur, *viſitauit Dominus Saram, ſicut promiſe-*
rat &c. *concepitque & peperit*. Venturus ergo
erat, quemadmodum Iſaiæ 52. ait, *ego ipſe qui*
loquebar ecce adſum. Et quoniam futura omnia,
tanquam præſentia ſunt æternæ Dei Sapientiæ,
ad hoc indicandum, etſi poſt tot ſæcula plenitu-
do futura eſſet temporis, quo *adoptionem filiorum*
reciperemus, iteratò inquit *tempore iſto*, ſeu, *hoc*
eodem tempore. Et ideo fortè fit mentio de vita,
quia, ut dicitur Epheſ. 2. *eramus natura filij iræ;*
& cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos
Chriſto.

VERSVS XI. *Quo audito Sara riſit poſt*
oſtium tabernaculi; erant autem ambo ſenes prouе-
ctaque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria.

Sara nunc primò dubitauit, [R] licèt, poſt- 5 R Hebr. 11.l.3.
quam Angelus dixit, *nunquid Deo quicquam eſt*
difficile: crediderit. Videtur autem in riſu dubi-
taſſe, quia ſe nouerat ſterilem & anum; & Do-
minum etiam ſuum vetulum; Solent enim ſenes
ex iuuenculis mulieribus [S] prolem gignere non S Rom. 4. l. 3. & Hebr. cit.
autem ex vetulis: tamen reſtituenda erat Abrahæ
vis generatiua, cum eſſet corpus eius *emortuum*
vt ait Apoſtolus, Rom. 4. Sic ſcriptura partum
futurum Virginis, per partum ſterilium Saræ,
Annæ & Eliſabeth, ad præparandos [T] animos T Hebr. 11. l.3. & 3.p.30.4.5.
ad credendum, præfigurauit: id quod Ambroſius
relatus 3. p. expendit, & Chryſoſt. hom. 49. in
Geneſin.

VERSVS XVI. *Cum ergo ſurrexiſſent,*
inde Viri, direxerunt oculos contrà Sodomam.

Sic mouebantur per accidens [V] ad corpo- V p.p.51. 3.3.
rum motum,

VERSVS XVII. *Num celare potero*
Abraham, quæ geſturus ſum &c.

In tantùm dicitur Deus non poſſe ce-
lare, quia repugnat præſcientiæ, [X] vel ordina- X 1. Annib.42. 2.
tioni diuinæ. *Vel num celare potero* congruenter,
tàm fideli, & familiari [A] ſeruo meo, non quòd A 3.p.44. 2.1.
poteſtate abſoluta hoc non poſſit abſcondere. [B] B D.Th. hic.
Sic infrà c. 19. *non potero facere quicquam, donec*
ingrediaris illuc.

VERSVS XX. *Clamor Sodomorum*, &c.

Innuitur materia clamoris ſeu accuſatio-
nis; in quo magnitudo [C] peccati notatur. Qua- C Iacobi 5.
tuor autem peccata præ ſui enormitate dicuntur
clamare ad Dominum; homicidium, contrà na-
turam, oppreſſio iuſtorum, & pauperum de-
fraudatio. Quocircà ait S. Doctor [D] culpa in D Gen. 6. cumque vidiſſet.
ſcriptura non dicitur à Deo videri, ſeu venire
ad faciem, & conſpectum eius, niſi quando di-
ſponit eam punire: priùs ſe habet ſicut dormiens
vel ſicut ignorans. Sic ſubiungit, [E] commu- E Gen. c. 8. in principio.

niter

nitèr accipi viſionem peccatorum in malum, ſcilicet pro deliberatione ad puniendum; *vadam, & videbo*, Seu, *deſcendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*. Hic autem [F] clamor vocatur publica, & exceſſiua diffamatio peccati, quaſi pro ſe clamans ad Iudicem, vt de eo fiat iudicium, & vindicta: more ſiquidem humano [G] traduntur nobis, (vt alias diximus) quæ Dei ſunt.

F D. Th. hic.

G 4. cont. G. c. 23.

VERSVS XXIV. *Si fuerint quinquaginta iuſti in Ciuitate peribunt ſimul?*

Ad exaggerationem culpæ eorum, quæ Sodomam turpiſſimè infecerat, vtque innoteſceret familiæ Lot, quam pauci ſupereſſent iuſtitiæ cultores, ad domeſticam huiuſmodi interlocutionem admittitur Abraham: & quidem [H] myſtica gradatione, à quinquageſimo Numero perfectæ plenitudinis gratiæ Spiritus Sancti ad omnes iuſtitiam, ſit deſcenſus ad Decalogi obſeruantiam, citrà quam iuſtitia locum non habet, vt mirificè exponit Angelicus.

H D. Th. hic.

VERSVS XXV. *Abſit à te Domine, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio. fiatq; iuſtus ſicut impius.*

6 *Non eſt hoc tuum qui iudicas omnem terram*. Sic Sap. 12. *ipſum quoque qui non debet puniri condemnare, extraneum æſtimas à tua virtute*. Non excommunicatur ait D. Thomas Matthæi 13. congregatio, nec Princeps populi, ne cum vno multi cadant. De tali intelligitur ſecundùm ipſum hic textus. Voluit ergo, puto ego, Dominus nos docere dialogiſmo huiuſmodi, cauendum valde eſſe, ne impij pænalis occiſio, in culpæ occiſionem fiat iuſto: quod innuit textus; *fiatque iuſtus ſicut impius* quàm altè! quàm profundè! Legit Angelicus [I] *qui iudicas omnem carnem*: & in idem redit. In hoc mundo ergo vltra iudicium cuiuſcumque, dum moritur in animam, & vniuerſale in nouiſſimo die, iudicat Deus pro ſua diuina prouidentia, terram. Quoniam vero Deum Trinum prius adorauerat, nunc vnum, abeuntibus alijs duobus Angelis, interpellat humiliter. Recolit autem S. Doctor, [L] quomodo per iuſtos, anima à periculis liberatur, & mundus eorum interuentione non perit: & tamen mundus odit Sanctos; ingratitudine neſcio magis, an cœcitate.

I op. 2. c. 242.

L Serm. de Sanctis Simone & Iuda.

VERSVS XXVII. *Cum ſim puluis & cinis.*

Humilis conſiderans ſuum defectum, [M] tenet ſe in infimis, ſecundùm ſuum modum, ſicut hic Abraham, *puluis, & cinis*; ſcilicet primaria origine, [N] & finali reſolutione. Puluerem autem in quem caro reſoluitur, vocat & Iob cinerem; vel [O] quia apud antiquos, corpora mortuorum igne combuſta, reſoluebantur in cineres, vel quia ea, in quæ corpus mortuum reſoluitur, ſunt quædam reliquiæ naturalis caloris, qui in humanò corpore vigebat.

M 2. 2. 161. 1. 1.

N D. Th. hic.

O Iob 33. l. 1.

CAPVT XIX.

1 VEneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, & ſedente Lot in foribus ciuitatis.
Qui cum vidiſſet eos, ſurrexit, & iuit obuiam eis: adorauitque pronus in ter- Hebr. 13. a. 1.
ram, 2 & dixit: Obſecro, domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete
ibi, lauate pedes veſtros, & mane proficiſcemini in viam veſtram. Qui dixerunt:
Minime, ſed in platea manebimus. 3 Compulit illos oppidò vt diuerterent ad eum: ingreſ-
ſiſque domum illius fecit conuiuium, & coxit azima, & comederunt. 4 Prius autem quam
irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſi-
mul. 5 Vocaueruntque Lot, & dixerunt ei: Vbi ſunt viri qui introierunt ad te nocte?
educ illos huc, vt cognoſcamus eos. 6 Egreſſus ad eos Lot, poſt tergum occludens o-
ſtium ait. 7 Nolite, quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere, 8 Habeo duas filias
quæ necdum cognouerunt virum: educam eas ad uos, & abutimini eis ſicut vobis placuerit,
dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub vmbra culminis mei. 9 At
illi dixerunt: Recede illuc. 9 Et rurſus: Ingreſſus es, inquiunt, vt aduena: numquid vt
iudices: te ergo ipſum magis quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementiſſimè: 2. Pet. 2. b. 8.
iamque propè erat vt effringerent fores. 10 Et ecce miſerunt manum viri, & introduxe-
runt ad ſe Lot, clauſeruntque oſtium, 11 & eos, qui foris erant, percuſſerunt cæcitate à
minimo vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent. 12 Dixerunt autem ad Sap. 19. c. 16.
Lot: Habes hìc quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui ſunt, educ
de vrbe hac: 13 delebimus enim locum iſtum, eo quod increuerit clamor eorum coram
Domino, qui miſit nos, vt perdamus illos. 14 Egreſſus itaque Lot, locutus eſt ad gene-
ros ſuos, qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, egredimini de loco iſto: quia
delebit Dominus ciuitatem hanc. Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui. 15 Cumque eſſet
mane, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas
habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis. 16 Diſſimulante illo, apprehenderunt
manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quòd parceret Dominus illi.
17 Eduxeruntque eum, & poſuerunt extra ciuitatem, ibique locuti ſunt ad eum, dicentes:
Salua animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione, ſed in Sap. 10. a. 6.
monte ſaluum te fac, ne & tu ſimul pereas. 18 Dixitque Lot ad eos: Quæſo Domine mi,
19 quia inuenit ſeruus tuus gratiam coram te, & magnificaſti miſericordiam tuam, quam

fecisti

fecisti mecum, vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari, ne forte apprehen-
dat me malum, & moriar: 20 Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parua, &
saluabor in ea, numquid non modica est, & viuet anima mea? 21 Dixitque ad eum:
Sap. 10. Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, Vt non subuertam vrbem pro qua locutus es. 22
a.6. Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcirco
vocatum est nomen vrbis illius Segor. 23 Sol egressus est super terram, & Lot ingressus
Deut. 19. Segor. 24 Igitur Dominus pluit supra Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à
d.23. Isa. 29. d. Domino de cęlo: 25 & subuertit ciuitates has, & omnem circa regione, vniuersos habita-
19. tores vrbium & cuncta terræ virentia. 26 Respiciensque vxor eius post se, versa est in
Ier. 50. f. statuam salis. 27 Abraham autem consurgens mane, vbi steterat prius cum Domino, 28
40. Ezec. 16. intuitus est Sodomam & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius: viditque ascen-
f.48. Oseæ 11. dentem fauillam de terra quasi fornacis fumum. 29 Cum enim subuerteret Deus ci-
c.8. uitates regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit Lot de subuersione vrbium, in
Amos 4. quibus habitauerat. 30 Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte, duę quoque filiæ
d.11. Luc.17.f. eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius
29. Judæ 1. c. cum eo: 31 Dixitque maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum re-
7. mansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxtà morem vniuersæ terræ. 32 Veni, inebrie-
Luc.17.g. 38. mus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen. 33 De-
Sap.18.a. 1. derunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa: Et ingressa est maior, dormiuitque cum
patre, at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. 34 Altera quo-
que die dixit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cùm patre meo, demus ei bibere vi-
num etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt saluemus semen de patre nostro. 35 Dede-
runt etiam & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia, dormiuit cum eo:
& ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit. 36 Conceperunt
ergo duæ filiæ Lot de patre suo. 37 Pepetitque maior filium, & vocauit nomen eius Mo-
ab, ipse est pater Moabitarum vsque in præsentem diem. 38 Minor quoque peperit filiũ,
& vocauit nomen eius Ammòn, idest, filius populi mei, ipse est pater Ammonitarum vs-
que hodie.

VERSVS I. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus Ciuitatis.*

1 Quasi expectans hospitum, seu [A] peregrinorum aduentum, ad portam præierat Lot eos recepturus. Magnæ charitatis ad proximũ argumento est. Aiebat Origenes; [B] *Domos hospitales ingressi sunt Angeli: Domos verò hospitibus clausas, ignis & sulphur succendit*. Refert Gregorius, ait S. Doctor, in quadam homilia, quòd quidam Paterfamilias, multùm fuit hospitalis, & quadam die, cùm peregrinos susciperet, & aquam daret manibus ex humilitate, vnus fuit inter eos, in cuius manibus aquam debuit fundere, & cum reuersus vrceum accepisset, non inuenit eum, in cuius manibus aquam debuit fundere: cumque hoc factum apud se miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: cæteris diebus, me in membris meis; hesternò autem die, me in memetipso recepisti: Simile tangit, de Domina, exemplum, S. D. sermone Dominicæ primæ post Epiphaniam. Necesse est autem, vt hospites hi vultu præseferrent decorem tantum, & Maiestatem, vt Lot ad obsequia insolita cogeretur: pronus quippè in terram eos adorauit; quod in Scripturis sæpe sumitur pro reuerentia prostrationis, seu genuflexionis, [C] quæ fit viro insigni, vtpote Regi: vt patet infra c. 33. & 1. Regum c. 25. Non solùm autem, velut coegit eos vt dignarentur, sed ab iniurijs [D] defendit: quod tunc erat in morem. *Veneruntque duo Angeli*. Et si posteà gesserint Dei vices, cùm de saluatione fecere sermonem, *Salua animam tuam*; vnde pro Domino Lot eos coluit: attamen in hac prima apparitione, tanquam ministri accesserunt, diuinæ Iustitiæ opera patraturi.

A D.Th. hic.
B op. 41. l.7.c.10.
C D.Th. hic.
D Serm. Dominicæ 1. post Epiph.

VERSVS II. *Declinate in domum pueri vestri*. Puer in Scripturis [E] sæpè sumitur pro seruo: hinc Centurio Matthæi 8. aiebat. *Domine puer meus*. Idest [F] seruus meus. Puer, ait alibi, S. Doctor, à puritate dicitur. Purum igitur contestatur Lot sui obsequij amorem, simulque se pollicetur obedientem, & humilem: quo sensu exponunt de Cantico, *Suscepit Israel puerum suum*, D. Basilius in Catena D. Thomæ, & Haimo sermone feriæ 6. quatuor temporum in Aduentu.

E D.Th hic.
F Matth. 8. & Io. l.7.

VERSVS IV. *Priùs autem quàm irent cubitum, viri Ciuitatis vallauerunt Domum, à puero vsque ad senem, omnis populus simul.*

2 Tantam virorum, & Ciuitatis totius impudentiam, non potest quis non mirari, quomodo publicè absque naturæ rubore, tàm infanda flagitia intentarent; non enim in occulto, quemadmodum aiebat Apostolus Ephesiorum 5. *quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere*: sed coram propalabant sua scelera: hinc ait Propheta Isaias c. 3. *peccatum suum, quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt*. Erant adeò occoecati, vt vitia contrà naturam, [G] non reputarent peccata, vt tangit etiam Apostolus de alijs, Romanorum 1. Sicut tempore Machabæorum l.2. c. 4. legitur, quòd *Iason ausus est sub ipsa arce, optimos quosque Epheborum in* [H] *Lupanaribus ponere*. Sicut pariter apud Germanos olim, latrocinium non reputabatur iniquum, vt refert Iulius [I] Cæsar in libro de Bello Gallico. Vel aliter occoecati, putabant Dei Prouidentiam circà cœlestia solùm occupari, ita

G p.2.94. 6.
H Rom. 1.l.8.
I p.2.94. 4.

quòd

quòd [L] ad res terrenas non ſe extenderet: proinde quòd peccatum non imputaretur, vt refert Apoſtolus Roman. 5. non credentes Deum humana [M] facta vel punire vel præmiare; ſecundùm quòd legitur Iob. 22. *ſupra cardines cœli ambulat, nec noſtra conſiderat.* Hinc Angelicus ſuper illa verba Hebræorum: 13. *fornicatores & adulteros iudicabit Deus*: in quo, inquit elidit errorem aliquorum, quòd Deus [N] peccata carnalia non punit, nec curat. Sed vltrà adeò prolapſi erant in reprobum ſenſum; vt nec apud homines ſic infanda ſcelera punirentur. Radix autem tantæ cœcitatis, vltra proximiores cauſas paſſionis, & conſuetudinis peruertentis iudicium, fuit eorum ſuperbæ mentis proteruia: vnde Sanctus Doctor; [O] De ſcientia ſuperbiebat homo, quaſi ratio naturalis ei poſſet ſufficere ad ſalutem; & ideo, vt de hac eius ſuperbia conuinceretur, permiſſus eſt homo regimini ſuæ rationis, abſque adminiculo legis Scriptæ: & experimento diſcere potuit immo, quòd patiebatur rationis defectum, per hoc quòd homines, vſque ad Idololatriam, & turpiſſima vitia, circa tempora Abrahæ ſunt prolapſi: vnde Apoſtolus Rom: 9. *per legem cognitio peccati.* Quid mirum ſi cœcitate, in ſignum excœcationis, percuſſi ſunt?

VERSVS VIII. *Habes duas filias quæ necdum cognouerunt virum adducam eas ad vos, & abutimini eis, ſicut vobis placuerit.*

3 De hac Lot filiarum oblata proſtitutione, naſcitur illicò difficultas, an ipſi ſic eas offerre licuerit? (quam quidem perdoctè hic tractat Angelicus) præ cœteris, quoniam vt ait Apoſtolus Rom. 3. *non ſunt facienda mala vt veniant bona.* Quocirca idem Sanctus Doctor, [P] quidam, inquit, dixerunt, peccatum veniale eſſe committendum, propter vitandum ſcandalum. Sed hoc implicat contraria, ſi enim faciendum eſt, iam non eſt malum, neque peccatum; nam peccatum non poteſt eſſe eligibile. Quod etiam, præferendo auctoritatem D. Auguſtini, quòd nullus debet vel minimum peccatum facere, vt vitet alterius peccatum maius, expendit hic, [Q] S. Doctor; nam peccando, non peccaret. Igitur, non licet aliqua [R] illicita inordinatione vti, ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum; ſicut non licet furari, ad hoc quòd homo eleemoſinam faciat: ſicut enim non eſt verum ſyllogizandum [S] ex falſis, ita non eſt perueniẽdum ad bonum finem, per mala. Quot in hoc errant, toties per viam illicitam, ad finem aliàs honeſtum, paſſione, rapti! non recolentes, paris omninò eſſe malitiæ transfuſionem, in medijs aliàs bonis ad malum finem, & in finem aliàs bonum, ex medijs malis. Igitur alia via excuſandus eſt Lot; qui non [T] prælegit culpam ipſi pœnæ, ſed oſtendit, ordinem eſſe ſeruandum in fuga culparum; quia tolerabilius eſt, ſi quis committit minorem culpam, quam maiorem. Igitur dicendus eſt Lot in propoſito animi, toleraſſe ſtruprum filiarum, ad vitandum infandius malum; quemadmodum alia prudenter tolerantur mala: iuxta quod, aiebat Auguſtinus [V] *auſer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus*: vnde & Eccleſia Iudaicos adhuc hodie, & olim, infidelium etiam tolerauit ritus. Sanè ſi potuit Moyſes & ad alienos [V] vſuras Deutero. 23. & Zelotypiæ Sacrificium Num. 5.

L Rom. 1.l.6.
M Rom. 5.l.4.
N Hebr. 13.l.1.
O p.2.98. 4.& alibi.
P 2.2.43. 7.5.
Q D.Th. hic.
R 2.2. 110.3.4.
S Rom. 3.l.1.
T de malo q.1.a. 4.ad 13.
V 2.2. 110.11.
V 4.33. 2.2.

& libellum repudii Deut. 24. abſque peccato permittere, ad rationalis, iraſcibilis, & concupiſcibilis corruptionem frænandam, (de quo in 4. d. 33. q. 2. a. 2.) fas fuit etiam Lot, filias, impotenti libidinis œſtro furentibus exhibere, interſerendo permiſſiuis verbis, tacitam, de tanto etiam in eas ſcelere increpationem; *abutimini*, (abuſum vocat) *eis, ſicut vobis placuerit*: quaſi diceret, non ſic dictat ratio: dummodo viris iſtis nihil mali agatis. Huc facit quod docet alibi Angelicus, [X] nam etiam pro aliquo incommodo vitando, poteſt homo licite, vti malitia alterius, vel materiam ei non ſubtrahere, vel præbere; ſicut ſi latro aliquem iugularo vellet, & ad vitandum mortis periculum, aliquis latroni theſaurum ſuum diripiendum detegeret, non peccaret: exemplo illorum decem virorum, qui dixerunt ad Iſmael; *noli occidere nos; quia habemus theſauros in agro*; vt habetur Ier. 41. Quod dicitur etiam de eo, qui ab vſurario parato, & exercenti vſuras, pecuniam accipit ad ſui ſubuentionem: vti cum prædictis, tradit idem S. Doctor [A] 2. 2. Nihilominus aſſumens quæſtione 64. a. 5. ad 3. axioma illud, *non ſunt facienda mala vt veniant bona*, vel vt vitentur mala, quaſi limitatione quadam dat ei robur, dicens; *præſertim minora, & minus certa.* Quod eſt valde expendendum.

VERSVS X. *Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Lot, clauſeruntque oſtium, & eos qui foris erant percuſſerunt cœcitate, ità vt oſtium inuenire non poſſent.*

Non fuerunt priuati omnino viſu, ſed [B] percuſſi cœcitate, per quandam immutationem ſenſus: quod quomodo poſſit accidere, declarat S. Doctor [C] in prima parte, vbi, cœcitate, inquit, vel *aoraſia*, quam alij dicunt *acriſian* (non *auraſia* vt mendosè in codicibus legitur) fuerunt percuſſi; quod non priuationem viſus propriè, vt in cœco nato, ſed impeditam, aut impotentem aciem ad tempus, ſonat.

VERSVS XV. *Surge, tolle vxorem tuã, & duas filias, quas habes: ne & tu pereas in ſcelere ciuitatis.*

4 Fortè deriſione generum, quibus *viſus eſt, quaſi ludens loqui*, infirmatus erat fide; [D] nec tàm promptè obediens, patriæ detentus amore: ideoque diſſimulabat egredi, etſi vrgeretur: atqui Angeli per manum trahunt: in ſignum quòd Deus ſubleuat infirmitates, & negligentias electorum ſuorum; aliàs omnes perirent. Dicunt præterea, *ne & tu pereas in ſcelere Ciuitatis.* Recole fugiendam [E] eſſe ſocietatem malorum; inuoluuntur enim interdum & iuſti, in malorum pęnis: vnde dicitur numeri 16. *recedite à tabernaculis impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Quod quidem monet Dominus, non quia non valeat præſeruare etiam in fornace Innocentes; ſed ad commendandam vnitatem humanæ ſocietatis; ex qua [F] vnus debet pro alio ſolicitus eſſe, dum pęna vnius, redundat in omnes, quaſi omnes eſſent vnum Corpus. Et preſſiùs, in deteſtationem peccati, [G] vt ſcilicet videatur quantùm vnus debeat eſſe (ſcripſerat alibi S. Doctor) ſolicitus pro alio, ne cadat in peccatum; eo quòd pro peccato vnius tota congregatio temporaliter punitur. Verùm de Lot, ait D. Petrus. 2. c.

X de malo q.14.a. 4.ad 19.
A 2.2.77. 4.
B Hie.
C Hie & p.p.111 4
D D.Th. hic.
E Hier8.
F 2.2. 108.4.
G 4.46.2. 2.2.

& iuſtum Lot oppreſſum à nefandorum iniuria, & luxurioſa conuerſatione eripuit: aſpectu enim, & auditu iuſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem, animam iuſtam iniquis operibus cruciabant: quæ, ſicut dicit gloſſa, [H] *videbat, & corrigere non poterat; & cruciabatur cruce ſpirituali doloris & compaſſionis*. Idcircò caueat vnuſquiſque ne proximum negligat; nàm *Deus*, vt dicit Auguſtinus, *aliquando punit communicantes* [I] *inſontes, quia ciui qui boni non reprehendunt malos*.

H 2. Petri 2.
I Epheſ. 5. l. 4.

VERSVS XVII. *Nec ſtes in omni circa regione; ſed in monte ſaluum te fac.*

Pœnitens, inquit S. Doctor, [L] de Sodomis: ideſt de peccato, per confeſſionem exit; & deteſtari debet etiam circunſtantias: quod tropologicè ex textu accipitur. Præterea, omnes ex parte hominis occaſiones peccandi [M] debet euitare. Et præcipuè, quæ carnis [N] illecebras aſtruunt. Vndè in deteſtationem ſceleratæ Gentis, & terræ; vtque doceamur talia flagitia ad eò eſſe fugienda, quòd neque ad primum [O] cōſpectum viſus, vel memoriæ veniant, dicitur ei, *noli reſpicere poſt tergum*.

L 4. 16. 3. 2. 5.
M 3. p. 41. 2.
N op. 4. 6. 29. & op. 41. l. 5. 64.
O D. Th. hic.

In Monte ſaluum te fac.

Non ſine myſterio credendum eſt talia prompſiſſe Angelos; cùm aliàs ignitæ è cęlo immiſſiones, montes immò primo lapſu exurere poſſent. Ait Angelicus, [P] per montem, altitudinem gloriæ ſignificari; pariterque aſcenſum [Q] ad contemplationem. *Conſideratio* (ſanè aiebat Gregorius, *præmij minuit vim flagelli*. Et alibi, *ſi conſideremus fratres cariſſimi, quæ & quanta ſunt, quæ nobis promittuntur in cælis, vileſcunt animo omnia quæ habentur in terris: delectet ergo mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum*. Et iterum *contemnendus eſt hic mundus*, [R] *etiamſi rebus proſperis animum demulceat; nunc autem, quia tot calamitatibus premit, quid aliud, niſi, vt contemnatur clamat?*

P Matth. 15.
Q Matth. 17.
R Serm. de ſancto S. mone & Iuda.

VERSVS XVIII. *Dixitque Lot ad eos: quæſo Domine mi.*

5 Mirum, quomodo conuertat ſe Lot ad ſingulare dicens, *Domine mi*. Hactenus Angeli geſſerunt proprium munus Angelorum: vnde & paulò ante dixerunt; *eò quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos, vt perdamus illos*. Igitur poſtquam de ſalute cœptus eſt ſermo, *Salua animam tuam*, mentem Lot tetigit diuina irradiatio, vt iam non Angelos, ſed Dominum, qui dat *gratiam, et gloriam*, pſal. 83. exoraret. Congruit autem, vt per Angelos, qui dicuntur Dei nuncij miſſi à Deo, [S] proceſſus Diuinæ à Diuina perſona innoteſcat, atque etiam ſubinnuatur miſſio filij Dei in carne, in qua ipſe erat ſummus Deus, & Nuncius Dei: vnde, & paulo poſt ſubditur, *Dominus pluit ſuper Sodomam, et Gomorrham, ſulphur, et ignem à Domino de cælo*: vbi S. Doctor; dicit autem [T] *Dominus pluit à Domino*, vt diſtinctionem, & originalē habitudinē Perſonarū ſubinnuat: quamuis enim eſsēt plures; ſi vna non eſſet ab alia, non poſſet, propriè dici, quòd vna ab alia accepit potentiam, & actū pluendi. Si ſecùs exponitur, cùm nihil Sapientiæ occulatur, non fuiſſet ſacra Scriptura de illo ſolicita.

S hic cap. 16.
T D. Th. hic.

Sed ſtatim quæres diſcrimen apparitionis, cur hìc ſub duobus, Abrahæ ſub tribus Angelis, Deus apparuerit? S. Doctor [V] hæc habet in Ioannem; Sed quare mentionem non facit de Spiritu ſancto? Auguſtinus dicit, quòd cùm in Trinitate ſint duo, ſcilicet Perſonarum diſtinctio, & Eſſentiæ vnitas: aliquando quidem fit mentio de tribus Perſonis, ad inſinuandam diſtinctionem Perſonarum; aliquando verò de duabus ſine tertia, ad inſinuandam Eſſentiæ vnitatem. Quod quidem centies [X] recolit. Immò quarto contra Gen. c. 23. ſimiliter inquit, nec Spiritum ſanctum à Trinitate excludit, quòd Pater, & Filius interdum connumerantur, non facta mentione de Spiritu ſancto: ſicut nec filium à Diuinitate excludit, quòd interdum fit mentio de Patre, non facta mentione de filio; per hoc enim tacitè Scriptura inſinuat, quòd quicquid ad Diuinitatem pertinens de vno trium dicitur, de omnibus eſt intelligendum; eo quòd ſunt vnus Deus. Nec etiam poteſt Deus Pater ſine Verbo, & Amore intelligi; nec è contra: præcipuè autem Spiritus ſanctus quandoque ſubticetur; quia ex locis citatis, cum ſit nexus Patris, & Filij, ſubintelligitur. Sic crediderim in præſenti, non exprimi per tertium Angelum Spiritum ſanctum, ſed tantummodo Patrem, & Filium: *Pluit Dominus*, inquit, *à Domino*; prout Pſaltes in pſalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo*: adhùc quia non ex amore, ſed odio punit Deus peccata. Sap. 14. *Odio ſunt Deo impius, et impietas eius*. Eccl. 12. *Altiſſimus odio habet peccatores*.

V Io. 14. l. 6.
X 1. Cor. 1. l. 1. 2. Cor. 1. l. 1. Galat. 1. l. 1. Epheſ. 1. l. 1. 1. Theſ. c. 1. l. 1.

VERSVS XXIV. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur ignem à Domino de Cælo.*

Recenſentur Sodoma hic, & Gomorrha; quia principaliores, [A] fuerunt Vrbes: ſicut etiā facit D. Petrus in ſecunda Epiſtola. Verùm cùm Sapientiæ X. legatur, *deſcendente igne in Pentapolim*; certum eſt quinque Vrbes de cœlo tactas, fueruntque Sodoma Gomorrha, Adama, Seboim, & Segor; quæ licèt per preces Lot ſubſtiterit, attamen non ſic habitatores illius euaſerunt: vnde & filiæ Lot, nullo ſuperſtite viro, ab inſcio, ſeu ſomniculoſo Patre compreſſæ sūt, ad ſeruandum ſemen. Hæc duo, inquit Angelicus, [B] ſcilicet ardor, & fętor, ſunt quidem in omni peccato; ſed præcipuè in illo ignominioſo contra naturam: vndè, & Ciuitates ſulphure fuerunt incenſæ, vt pœna reſponderet culpæ. Et alibi, [C] voluptuoſi peccatum, fœtorem habere; propterea hic punitam eſſe voluptatem pœna ignis, & ſulphuris. Hic autem fœtor, infamiæ [D] fętor eſt. Ferunt, D. Philippum Nerium, ex grauęolentia, diſcreuiſſe ab alijs accedentes peccato carnis impuros.

A D. Th. c. 18.
B Apoc. 14. primo commentatio.
C Apoc. c. 7. 2. cōmentatio & hic.
D pſ. 10.

VERSVS XXV. *Et ſubuertit Ciuitates has & omnem circa regionem: vniuerſos habitatores Vrbium,*

Itaque & paruuli lactentes perierunt, ſubuerſione, & incendio. Sed cùm peccato eſſe non poſſent obnoxij, quæritur quomodo iuſtus Iudex, eos morti dederit? præſertim quia nullus puniri debet pro alterius culpa: vndè Deuteronomij 24. *non occidentur Patres pro filijs, nec filij pro Patribus; ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur*. Soluitur quæſtio dicendo, quòd [E] paruuli Diuino iudicio puniuntur temporaliter cum parentibus, vt cedat in pęnam eorumdem Parentum, cùm filij quantùm ad corpus ſint res parentum: dùm aliàs etiam hoc ipſum euadit in 6

E 2. 2. 108. 4. 3.

filio-

filiorum bonum, & in animarum remedium; ne si referuarentur, imitatores paternæ malitiæ, grauiores deinceps pœnas, vltra animæ perditionem, paterentur. Hoc ipsum docet Angelicus, F in Ioannem, appellans huiusmodi pœnas *purgatiuas in remedium*: vndè & ipsa inquit puerorum Sodomitarum occisio, fuit ad bonum animarum; non quidem ad meritum, sed ne paternæ malitiæ imitatores, viuendo peccata cumulantes, atrociùs punirentur. Hæc tamen Dei occulta iudicia, non potest humanum iudicium imitari: vt ex Augustino 2. 2. cit. ad 2. Vide p. 2. q. 87. a. 8. &c.

F Io. 9. l. 1.

VERSUS XXVI. *Respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis.*

7 Habetur contextus Sapientiæ 10. *& incredibilis animæ memoria, stans figmentum salis.* Corpus eius versum est in aliam substantiam, remanente figura G priori. Siue hoc factum fuerit per bonos, siue per malos Angelos; (quod non H definit S. Doctor) manifestum est, quòd in illa operatione fuit instrumentum diuinæ virtutis, quæ non subijcitur ordini rerum, sed potest immediatè quoscumque effectus producere, supremos vel infimos, prout voluerit. Hinc 3. p. q. 28. a. 1. ad 5. quamuis virtus naturalis non possit transmutare ad certam formam, nisi determinatam materiam; virtus tamen diuina, quæ est infinita, potest transmutare omnem materiam in quamcumque formam; sicut transmutauit limum terræ in corpus Adæ. Iosephus I dicit se vidisse huiusmodi simulacrum. Alij id tradunt. Fuit, apud quosdam, vxoris Lot peccatum, veniale inobedientiæ, & incredulitatis: & quamuis acriter ita ipsam Deus punierit; id tamen iustè factum esse, ad fidei promptius exēplum stabiliendæ, ad fatuos nimisque curiosos commonendos; quia, *non plus sapere quam oportet sapere*, Roman. 12. & ideo ex Augustino, conuenienter in salem conuersa est, vt sapiant L fideles, aliena ex pœna, quid caueant. Non desunt tropologicæ morales expositiones. Per hanc M enim statuam, quæcumque simulata vita significatur. Deinde recidiui signantur, qui peiori ingratitudinis nota, reuertuntur ad vomitum: nam, quòd *fiant nouissima illorum*, Lucæ 11. *peiora prioribus*, in hac statua veluti insculptū est. Prius quippe N erat substantia rationalis: per respectum ad ea, quæ erant retro, facta est in pœnam, irrationalis. Denique adumbrantur ij, qui assumentes vitam regularem, corde, *quæ retrò sunt* respiciunt, fiuntque O hypocritalis statua, quæ sibi mortua est, quamuis alijs saporem det, sensumque bene viuendi. Hoc ipsum illustrat magis Angelicus P sub his verbis: quidam licèt corpore sint in claustro, tamen corde & cogitatione sunt in Mundo: sicut dici solet, *corpus in choro, cor in foro*: & tales significantur per vxorem Lot; quæ post exitum de Sodomis, retro respiciens, mutata est in statuam salis. Statua figuram hominis habet & non veritatem: ita isti figuram habent monachi, sed non veritatem. Vnde 1. Regum 19. Nuncij Dauid credentes inuenire Dauid in lecto suo, idest Monachum in Claustro, non inuenerunt nisi statuam, & pellem capræ; idest habitum monachalem sine Monacho. In vniuersùm autem, ij qui à perfectiori statu, transeunt ad statum, qui non est

G D.Th. hic.
H de malo 16. a. 9. 1.
I D.Th. hic.
L D.Th. hic.
M Daniel lis 2.
N 1.Petri 2.
O D.Th. hic.
P Apoc. 6. primo commentario.

perfectionis, (hoc fecit impius Lutherus) quod apostatare est: omnes huiusmodi, Q sunt similes vxori Lot, quæ retrò respexit. Ideò Saluator ipse aiebat Lucæ 9. *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei*, & Luc. 17. *memores estote vxoris Lot.* 17. Cum autem mulier, vt visum est supra c. 3. pro parte stet inferiori, tanquam peccati origo palam luit pœnas, & in protestationem reatus stat in figmentum conuersa salis. Quò præterea moraliter trahitur, qualiter *computruerant iumenta*, vt dicitur Ioel. 1. *in stercore suo*, otiante scilicet sale, vt in statuas surgere posset, non vltra in vsum: neque enim corrupta (quod ait Hieronymus) sale reparantur. Emicat etiam, ante Diuinam vltionem, non defuisse crebras admonitiones, & pro æquitate punitos: vtrumque in sale: dicente Hieronymo ad illud Marci 9. *habete in vobis sal, & pacem habete inter vos; vt scilicet salsedinem correptionis amor proximi temperet, & dilectionem proximi sal iustitiæ condiat.*

Q op. 18. 25.

VERSUS XXVIII. *Intuitus est* (Abraham) &c. *viditque fauillam ascendentem de terra, quasi fornacis fumum.*

Per illam *quasi fornacem* præfiguratus est Antichristus, cum suis præcursoribus, à quibus prauæ doctrinæ fumus R altè ascendit. Significatur etiam fornax tentationis S ex hac *vidit Abraham* S *ascendentem fauillam de terra*; quia sicut de fauilla ignis, ignorat homo ad quam partem vadat, ita interdum hæret homo in dubia tentatione.

R Apoc. 9. primo commentario.
S Daniel. 4.

VERSUS XXXI. *Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare possimus, ex Patre nostro semen.*

Peccauerunt. Inquit S. Doctor; T sciendum, quòd quamuis Lot credatur immunis à peccato mortali fuisse, filiæ tamen eius non omninò excusantur à peccato mortali: sed ex pietate intentionis minùs peccauerunt; fuit enim leuis æstimatio, super quam se fundauerunt. Et prætereà, si eis pro certo constitisset, totum genus humanum perijsse, debuissent diuinum consilium, & Patris expetere, in tam horribili facto. Hoc ipsum tradit hic etiam, V ferens sancti Augustini dictum contra Faustum lib. 22. quòd nimirùm ab illo opere, ita Patrem abhorrere sentiebant, vt illud se impleturas non crederent, nisi eius ignorantiam procurarent. Monemur non tam leuiter, de ijs quæ ad salutem pertinent, nec proprio Marte proferre sententiam; nec enim quæcumque primo aspectu suadens ratio (quam contingit esse sophisma) iustificat opera nostra coram Deo. *Verebar*, dicebat Iob, *omnia opera mea*. Caueant Summistæ, & priuatæ conscientiæ dubia accuratiùs, non per transenuam examinent. Non tam lubricè probabilia cuncta proferrent, si penitiùs res introspicerent. Sic lapsus est Saul 1. Regum 15. Populusque cum eo, *parcens Agag, & optimis gregibus*. Sic Iephte Iudicum XI. immolans filiam. Ananias Act. 5. *Fraudans de pretio agri*. S. Doctor quodlib. 9. a. 15. Omnis quæstio, vbi de peccato mortali agitur, nisi expressa veritas habeatur, periculosè determinatur; quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto. De inconsideratio-

8
T 4. dist. 33. expositione 1.
V D.Th. hic.

ne 22. 53. 4. De negligentia 22. 54. De ignorantia, an totaliter excuset. p. 2. 76. 3. *Qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis*. psal. 111. Eccl. 7. *qui timet Deum, nihil negligit*. & Prou. 28. *qui inquirunt Dominum, animaduertunt omnia*. An ignorantia causet inuoluntarium vide p. 2. 6. 8.

9 Etsi Lot commendetur valdè, & de hospitalitate, & de pudicitia, ac etiam de iustitia, vt ait D. Petrus, absolutè dubietas perstat, num peccauerit bibens immoderatè vinum: hinc D. Thomas in disputatis [X] inquit, nisi *fortè* ebrietas illa contigerit absque peccato illius, sicut, & in Noë accidit, propter inexperientiam fortitudinis vini. Præterea in Summa, [A] subsequitur aliquando ebrietas absque peccato, sicut *fortè* accidit de Lot. D. Augustinus pariter anceps fuit, [B] dicens, quòd licèt filiæ aliqua Sodomorum arte pessima, etiam paucis poculis, potuerint Patrem sic inebriare; mirum tamen si Scriptura hoc tacuisset. Posset tamen dico ego, quis id colligere, quia dixit *maior* filia *ad minorem, veni, inebriemus eum*: & posteà, *dederunt*: operam enim quandam ipsarum, videntur significare illæ voces. Certum est captum fuisse vino; ideòque non *sensit* nec *quando concubuerit* filia, *vel quando surrexerit*: non *sensit*, [C] scilicet rationali discretione. De culpa autem incestuum, ait idem S. Augustinus relatus locis citatis, culpandum esse Lot, *non quantùm ille incestus, sed quantùm meretur illa ebrietas*: ex qua patitur homo defectum rationis. Diminuuntur tamen [D] peccata huiusmodi, quia diminuitur ratio voluntarij. Nihilominus fert hic S. Doctor quosdam dicentes, quòd dato, voluntariè, & culpabiliter se inebriauerit, non peccauit malitia concubitus; etsi semper aggrauetur ebrietas; quia in concubitu non fuit actus liber consensus. Ceterum his occurri potest, peccasse in causa. Mihi quidem arridet quod subditur, valde excusabilem fore; quia quasi omninò incredibile erat, quòd filiæ tale factum facerent, aut excogitarent; nam euentus sequens impræmeditatus, sequens per accidens, & vt in paucioribus, non addit ad malitiam actus, vt traditur, prima 2. [E] Permisit Deus hunc excessum ad documenta; præsertim vt innotesceret, quanti periculi est ebrietas, quæ [F] etiam inopinata mala inducit. Deinde in signum quòd gula & ebrietas sunt matres luxuriæ, vnde [G] vir iustus inebriatus perpetrauit incestum. *A Cerere quippe, & libero Patre* inquit [H] Valerius, *propinquus est locus ad Venerem*. Et D. Hieronymus; *venter, & genitalia* [I] *sibimetipsis vicina sunt; vt ex vicinitate membrorum, confœderatio intelligatur vitiorum*. Et rursus; *venter mero æstuans, facilè in luxuriam spumat*. Vide hic allegorias D. Thomæ.

X de malo 15. a. 2. ad 9.
A 2. 2. 150. 4.
B D. Th. hic.
C D. Th. hic.
D 2. 2. 150. 4.
E p. 2. 20. 5.
F D. Th. hic.
G Hic & 0p. 41. 1. 5. 64.
H 1. Timot. 5. I 2. 151. 33.

CAPVT XX.

1 PRofectus inde Abraham in terram australem, habitauit inter Cades, & Sur: & peregrinatus est in Geraris. 2 Dixitque de Sara vxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. 3 Venit autem Deus ad Abimelech per somnium noctè, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. 4 Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies? 5 Nonne ipse dixit mihi: Soror mea est, & ipsa ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc. 6 Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris, & ideò custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam. 7 Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia propheta est, & orabit pro te, & viues: si autem nolueris reddere, scito, quod morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt. 8 Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocauit omnes seruos suos, & locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. 9 Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis. 10 Rursumque expostulans, ait: Quid vidisti, vt hoc faceres? 11 Respondit Abraham. Cogitaui mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto; & interficient me propter vxorem meam, 12 aliàs autem, & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem. 13 Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam. Hanc misericordiam facies mecum: In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim. 14 Tulit igitur Abimelech oues, & boues, & seruos, & ancillas, & dedit Abraham, reddiditque illi Saram vxorem suam, 15 & ait: Terra coram vobis est, vbicumque tibi placuerit habita. 16 Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, & quocumque perrexeris, mementoque te deprehensam. 17 Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillasque eius, & pepererunt. 18 concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.

Sup. 12. c. 13. Inf. 21. c. 21.

VERSVS I. *Profectus inde Abraham in terram Auſtralem, habitauit inter Cades & Sur: & peregrinatus eſt in Geraris.*

VERSVS II. *Dixitque de Sara vxore ſua: ſoror mea eſt.*

Corruptos hominum mores expaueſcens Abraham, prudenter vocat Sara ſororem ſuam, ne fortè præpotens aliquis, comperto eſſe vxorem, occidat ipſum, vt liberè vxore abutatur. Sic pudicitiam Saræ laborabat tueri. Pertinet enim ad ſanam doctrinam, ex D. Auguſtino [A] humanam adhibere induſtriam, nec omnia oſcitanter Deo committere, quod eſt Deum tentare. Verùm obſeruat idem Sanctus Auguſtinus, quòd [B] Abraham ſic dicens, veritatem celari voluit, non mendacium dici. Ex D. Hieronymo Septuaginta legunt, ad verſum 12. *etenim verè ſoror mea eſt; ex Patre, ſed non ex Matre;* nec ponunt, *filia Patris*. Verùm, quia [C] ſecundùm eundem Hieronymum, in Hebræo ita eſt vt nos legimus, alijs vijs exponendum, cur *verè* ſit ſoror. Primò, vt ſoror dicatur, quia neptis ex parte Patris; nimirum filia Aram fratris Abrahæ: vel ita, vt præmortuo Aram ante Patrem ſuum Thare, vt ſignanter legitur ſuprà cap. 11. Thare viduatus & ipſe vxore, ex qua genuerat Abraham, duxerit relictam Arani. Vel dici etiam poſſet *verè* ſororem fuiſſe Saram ipſius Abrahæ, & in eius excuſationem, eo tempore tales nuptias non fuiſſe [D] prohibitas. Sanè in Lege Moyſi Leuitici 18. primò legitur, *turpitudinem ſororis tuæ ex Patre, ſiue ex Matre, quæ domi, vel foris genita eſt non reuelabis*. Vnde S. Doctor [E] in 4. in principio humani generis, ſolus Pater, & Mater à matrimonio repellebantur: poſtmodum autem multiplicato humano genere, per legem Moyſi plures Perſonæ exceptæ ſunt. Quocircà Auguſtinus 15. de Ciuitate Dei c. 16. *commiſtio ſororum, & fratrum, quantò fuit antiquior compellente neceſſitate: tantò poſteà facta eſt damnabilior, Religione prohibente.*

A D. Th. hic c. 12.

B 2.2.70. 1. & q. 110. 3. hic etiam c. 12.

C D. Th. hic, & 2. 2. 110. 3. 3.

D D. Th. hic.

E 4. 40. 1. 4. 2. 2. 154 9.

VERSVS III. *Venit autem Deus ad Abimelech (Regem Geraræ quæ eſt Terra Palæſtinorum) per ſomnium nocte, & ait illi, en morieris propter mulierem quam tuliſti; habet enim virum.*

Ægrotare cœpit Rex, poſtquam tulit Saram, & quidem Deo vleiſcente tacitam niſi expreſſam violentiam. Immò vxor eius, & ancillæ omniſque Domus ſenſerat manum Dei, vt conſtat in fine capitis. Miſericors tamen Dominus, non vult mortem peccatoris, ſed monet, per ſomnium, de delicto Abi-melech. Iam peccauerat: iniuriò certè Abraham, Saram tollendo: creditur, & ex contextu colligitur, affectaſſe eam in vxorem: (quod quidem, vt dixi ad calcem capitis ſecundi, tunc, etiam prima viuente, non illicebat) ſed in re graui cautiùs ſe gerere debuiſſet Rex: ſciens verba ſua incutere timorem, preceſque ipſas coactionem inferre. Magnorum ſanè appellantur preces armatæ. Igitur deliquerat Rex culpabiliter, accuratiùs non inquirens; nùm eſſet Abrahæ vxor: vnde & ait illi Dominus, *Et ego ſcio, quòd ſimplici corde feceris*. Citò nimis crediderat eſſe ſororem. *Qui credit cito leuis corde eſt*. Neceſſe eſt autem, vt Sara quamquam ſeneſcens, venuſtate polleret; atque tunc temporis, viuidior eſſet ætas quamquam prouecta; maximè in ſterili: niſi Dominus eum fœcunditate priſtinam pulchritudinem reparaſſet.

VERSVS XVI. *Saræ autem dixit* (Abi-Melech) *ecce mille argentos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum ſunt: & quocumque perrexeris, memento te deprehenſam.*

Senſum verborum huiuſmodi, quem Sara creditur aſſecuta, ægrè capiunt Interpretes. Pluribus autem expoſitionibus hanc humiliter addam; vt ſit hæc dictorum intelligentia. *Ecce*, quò deuenit quod feci; ad compenſationem iniuriæ illatæ inſcienter viro perhibito *fratri tuo*, *mille* etiam *argenteos* illi *dedi*: *hoc*, quod inter me & te contigit, *erit in velamen oculorum*, *ad omnes qui tecum ſunt*; nimirum quia comperto notoriè, te non ſororem dumtaxat, ſed vxorem eſſe Abrahæ, demiſſis, & quaſi velamine rectis oculis, à te tanquam alterius vxore & aciem, & cogitationem auertant. Sic qui tecum ſunt non impingent: *quocumque autem perrexeris*, ne alijs des culpabilis occaſionem erroris; ſed *memento te deprehenſam*: eruditior ex hoc euentu, caue ne veritatem celes; nam veritas non diu latet. Septuaginta legunt, *hæc tibi erunt in pretium faciei tuæ*. Chaldæa, *ecce illud eſt tibi velamen honoris*. De tropologijs conſule D. Thomam, & Expoſitores.

CAPVT XXI.

1 Viſitauit autem Dominus Saram ſicut promiſerat, & impleuit, quæ locutus eſt. Sup. 17. c. 19. 18. b. 10.
2 Concepitque & peperit filium in ſenectute ſua, tempore quo prædixerat ei Galat. 4. c. 23.
Deus. 3 Vocauitque Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac, Hebr. 11. d. 11.
4 & circumcidit eum octauo die, ſicut præceperat ei Deus, 5 cum centum eſſet annorum, Sup. 17. d. 10.
hac quippe ætate patris, natus eſt Iſaac. 6 Dixitque Sarai: Riſum fecit mihi Deus, qui- Matth. 1. a. 2.
cumque audierit, corridebit mihi. 7 Rurſumque ait: Quis auditurum crederet Abraham Galat. 4. d. 10.
quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam ſeni? 8 Creuit igitur puer, & ablactatus eſt:
fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius. 9 Cumque vidiſſet Sara
filium Agar Aegyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham. 10 Eijce ancillam
hanc, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. 11 Durè acce-
pit hoc Abraham pro filio ſuo. 12 Cui dixit Deus: Non tibi videatur aſperum ſuper pue-
ro, & ſuper ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Iſaac vocabi-

Rom. 9. b.7. Hebr. 11. d.18. tur tibi ſemen: 13 Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt.
14 Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & vtrem aquæ, impoſuit ſcapulæ
eius tradiditque puerum, & dimiſit eam. Quæ cum abijſſet, errabat in ſolitudine Berſa-
bee. 15 Cumque conſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum ſubter vnam arborum,
quæ ibi erant. 16 Et abijt ſeditque è regione procul quantum poteſt arcus iacere, dixit e-
nim; Non videbo morientem puerum, & ſedens contra, leuauit vocem ſuam, & fleuit.
Exaudiuit autem Deus vocem pueri, vocauitque Angelus Dei Agar de cęlo, dicens: Quid
agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo eſt. 18 Surge,
tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum. 19 Aperuitque
oculos eius Deus, quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem, deditque puero bi-
bere. 20 Et fuit cum eo, qui creuit, & moratus eſt in ſolitudine, factuſque eſt iuuenis ſa-
gittarius. 21 Habitauitque in deſerto Pharan, & accepit illi mater ſua vxorem de terra
Aegypti. 22 Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius ad A-
braham: Deus tecum eſt in vniuerſis quæ agis. 23 Iura ergo per Deum, ne noceas mihi,
Sup. 20. d.11. & poſteris meis, ſtirpique meæ: ſed iuxta miſericordiam, quam feci tibi, facies mihi, & ter-
ræ in qua verſatus es aduena. 24 Dixitque Abraham: Ego iurabo. 25 Et increpauit Abi-
melech propter puteum aquæ, quem vi abſtulerant ſerui eius. 26 Reſponditque Abime-
lech: Neſciui quis fecerit hanc rem: ſed & tu non indicaſti mihi, & ego non audiui præ-
ter hodie. 27 Tulit itaque Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech: percuſſeruntque ambo fœdus. 28 Et ſtatuit Abraham ſeptem agnas gregis ſeorſum. 29 Cui dixit Abi-
melech: Quid ſibi volunt ſeptem agnæ iſtæ, quas ſtare feciſti ſeorſum? 30 At ille: Septem,
inquit, agnas accipies de manu mea: vt ſint mihi in teſtimonium, quoniam ego fodi pu-
teum iſtum. 31 Idcirco vocatus eſt locus ille Berſabee: quia ibi vterque iurauit. 32 Et
inierunt fœdus pro puteo iuramenti. Surrexit autem Abimelech, & Phicol princeps exer-
citus eius, reuerſique ſunt in terram Palęſtinorum. Abraham verò plantauit nemus in
Berſabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni. 34 Et fuit colonus terræ Palæſtino-
rum diebus multis.

VERSVS I. *Viſitauit autem Dominus Saram, ſicut promiſerat, & impleuit quæ locutus eſt.*

VERSVS II. *Concepitque & peperit filium in ſenectute ſua.*

VERSVS III. *Vocauitque Abraham, nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac.*

1 *Iſaac* nominatur filius; ideſt *riſus*: ex quo non ſine myſterio ſupra riſiſſe Abraham, deprehenditur. Et præterea, quia cum Sara culpabiliter erupiſſet in riſum, niſi myſterium eſſet edocta, non ſanctè iactaret dicens, *quicumque audierit, corridebit mihi; fides ex auditu*, Rom. 10. Itaque cum riſus hic [A] ſtet pro gaudio & gratulatione, Abraham tali nomine vocans filium, [B] gaudium totius mundi in natiuitate Chriſti ſignauit; Lucæ 1. *ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*. Cohæret his Sacra Hiſtoria Danielis, vbi [C] *Miſael* dictus eſt Chaldæo nomine *Miſach*, quod pariter interpretatur *riſus*, ſeu gaudium. Hic etiam riſus eſt, quo riſit Sara nato Iſaac, à quo deſcendit Miſach natione. Gloſſa ordinaria; *Riſus Saræ ſpem indicat, quia ſpes natiuitate Chriſti eſt oborta*. Ad literam nihilominus dici poteſt, vocatum fuiſſe *Iſaac*, [D] quia ſolatium erat ſuæ matri.

A D.Th. hic. B Matth. 1. C Daniel. 1. D op.41. l.5.c.36.

VERSVS VIII. *Creuit igitur puer & ablactatus eſt* &c.

2 Tempus ablactationis erat ſecundùm Hebræos quoſdam ex Hieronymo, quinto anno. Myſticè per hanc ablactationem ſignificatur abſtractio à ſimplici, & infantili [E] iuſtitia & doctrina, ad cibum perfectioris doctrinæ, & iuſtitiæ, in populo Dei: ob quam ſpirituales Patres faciunt magnum conuiuium ſpiritualis lætitiæ, atque etiam doctrinæ. Quocirca, ait S. Doctor alibi [F] deſeri debet lac imperfectæ iuſtitiæ. Aiebat Auguſtinus, [G] *vbi dixiſti ſufficit, defeciſti*. ſanè *iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, proficit, & creſcit vſque ad perfectum diem*, Prouerb. 4. Hinc D. Bernardus Serm. 2. de Sancto Andrea, *nullum omnino præſentiæ Dei certius teſtimonium, quam deſiderium gratiæ amplioris*. In rebus enim naturalibus videmus quod quælibet res naturalis, naturaliter tendit [H] ad ſuam perfectionem, ad quam habet naturale deſiderium; & ideò, cuilibet rei datur virtus naturalis, vt ad ſuam perfectionem poſſit peruenire: gratia autem datur homini à Deo, per quam homo perueniat ad ſuam vltimam, & perfectam conſummationem, ideſt beatitudinem, ad quam habet naturale deſiderium: vnde quando aliquis, non tendit ad ſuam perfectionem, ſignum eſt, quòd non habet ſatis de gratia Dei. Caueant hìc, qui venialia craſſa negligentia committere non deſiſtunt; debet enim homo, habere propoſitum ſe præparandi ad peccata [I] venialia minuenda, alioquin eſſet ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, ſeu tollendi impedimenta ſpiritualis profectus. *Vitaſti grandia, caue ne obruaris arena* ait Auguſtinus. *Qui ſpernit modica paulatim decidet*, Eccleſiaſtici 19.

E D. Th. hic. F Iſaiæ 28. G op. 41. l.2.c.6. H 2. Corinth. 13. l. 2. I 3. p. 87. 1.1.

VERSVS IX. *Cumque vidiſſet Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo.*

3 Duplicem explicat Sanctus Doctor ludi huius, intelligentiam: [L] *ludentem*, ideſt illudentem; ludus enim magni ad paruum, eſt quædam illuſio, cum maior cum paruulo ludens intendit eum decipere: & ideò Apoſtolus hunc ludum dicit perſecutionem. Vel etiam, vt dicunt quidam, Iſmael cogebat Iſaac adorare imagines luteas, quas faciebat: per hoc autem do-

L Galat. 4. l. 9.

cebat

cebat auerti à cultu vnius Dei; quod eſt magna perſecurio, cùm maius malum ſit inferre mortem ſpiritualem, quam corporalem: & appellatur hic ludus, quia ſub ſpecie ludi hoc faciebat. *Omnes mali*, aiebat Auguſtinus, *perſequuntur bonos, non gladio, aut ferro, ſed malo exemplo.* Iudæi
M 2.2.94. 4. dicunt, ᴹ quòd Iſmael primò ſimulacrum de luto fecit; Has fert etiam S. Doctor in præſenti expoſitiones, addens, ſic Exodi 32. *ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*; idest idola venerari, ludendo coram eis: & aliam memorat opinionem.

VERSVS X. *Eijce ancillam hanc, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Iſaac.*

4 D. Hieronymus inquit poſtrema hęc verba,
N D.Th. hic. *cum filio meo Iſaac*, in Hebræo non haberi: ᴺ puto autem Interpretem hoc addidiſſe, exponendo mentem Saræ, quæ ex ſequentibus trahi poteſt. Intellexit quidem Sara, ludum illum ᴼ perſecutionem eſſe contrà Iſaac: ad literam enim populus, in quo erat illo tempore cultus Dei principaliter ſeruandus ᴾ & cuſtodiendus, ab Iſaac naſciturus erat: cui quidem populo, ſi cæteri tanquam conciues cohabitarent, facilè ſequeretur ex commiſtione infectio. D. Paulus Cor. p. c. 5. *ſi is qui frater nominatur eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum huiuſmodi nec cibum ſumere.* Igitur, eijce, in præluſionem ſeparationis futuræ. Voluit Dominus illuſtrare priùs mẽtem Saræ, quàm
Q Hie. Abrahæ, vt innoteſceret, quòd carnalis ᵠ affectus, qualis certè erat Abrahæ ad Iſmaelem, retardat ſpiritualem intellectum. Subſunt perſecutionis huius arcani ſenſus: in principio enim primitiuæ Eccleſiæ, Iudæi perſecuti ſunt Chri-
R Gal. 4. 1.9. ſtianos, ᴿ vt patet in actibus Apoſtolorum, & facerent etiam nunc, ſi poſſent. Nunc etiam carnales, perſequuntur in Eccleſia ſpirituales viros, etiam corporaliter, dum quærunt gloriam, & temporalia lucra in Eccleſia: vnde dicitur in gloſſa, *omnes qui in Eccleſia terrenam facultatem quærunt, ad hunc Iſmael pertinent.* Ipſi ſunt qui contradicunt ſpiritualibus proficientibus, & dettrahunt illis, & habent labia iniqua, & linguas doloſas, & ſubdoloſas. Spirituales autem perſequuntur ſpirituales filios, ſuperbi, & hypocritæ: fatui enim bonitatem quam ipſi non habent, perſequuntur in alijs. *Eijce ancillam.*

S loc. cit. In quo ˢ datur intelligi, quòd Iudæi, & perſecutores fidei Chriſtianæ, & etiam carnales, & mali Chriſtiani eijcientur à Regno celeſti. *Ancilla* etiam, idest malitia, & ipſum peccatum eijcietur. Mirum eſt autem, quomodo in præfigurationem futuri dicatur, *cum vidiſſet*
T D.Th. hic. *Sara filium Agar Aegyptiæ*: dominatiuam ᵀ oppreſſionem populi Iſrael ab Ægyptijs, inſinuando. Eiectionem etiam, quæ fit ab Eccleſia per
V Apoc. 11. comment. 2. excommunicationem, ⱽ intellige. Et iterum Hebræorum 11. l. 4. malorum generatio per malos ſignificata in ancilla Agar, & Iſmaele, non reputatur in ſemine; ideo eijcitur, non enim erit hæres.

VERSVS XII. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen, ſed & filium ancillæ faciam in Gentem magnam; quia ſemen tuum eſt.*

Hanc auctoritatem expendit Apoſtolus Rom. 9. Vterque & Iſmael, & Iſaac eſt ſemen Abrahæ: verùm ait Dominus, *in Iſaac* dumtaxat vocandum eſſe ſibi; quaſi ex acquiſitione, futurum ſemen. Ergo non attenditur, quod aliquis ſit filius carnis; ſed aliud caput, nimirum, vt ſit promiſſionis; quæ, quia per ſpecialem fauorem Dei facta eſt, indicat futuram Abrahæ propagationem per gratiam, & non ex natura: & ideo ait, *vocabitur tibi ſemen*, vocati enim fuerunt gentiles, iuxta illud, *vocabo non plebem meam plebem meam.* Propterea, inquit Apoſtolus cit. Rom. 9. *non qui filij carnis, hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſsionis, æſtimantur in ſemine*; Iſmael quippè ſecundùm carnem natus eſt, non ſolùm ſecundùm ſubſtantiam carnis à parentibus; ſic enim & Iſaac ſecundùm carnem natus dici poteſt; ſed quia ſecundùm legem, & conſuetudinem carnis, ex iuuencula: Iſaac autem per gratiam ex vetula, & ſterili. Itaque, qui hoc ordine promiſſionis gratiæ, ac ſpiritus, imitantur in ſimilitudinem Abrahæ, veſtigia fidei, æſtimantur in ſemine, ſiue Iudæi ſint, ſiue Gentiles; ſiue ex Sara, ſiue ex Agar: quia per fidem euadunt *liberæ filij, qua libertate Chriſtus eos liberauit*: vnde Io. 8. *Si filius vos liberauerit, verè liberi eſtis*; ideòque Matthæi 6. dicitur, *potens eſt Deus de lapidibus his, ſuſcitare filios Abrahæ.* E contrà autem, quicumque fuerint etiam carnaliter ab Iſaac deſcendentes; ſi fidei non ſectantur veſtigia, ſunt filij Ancillæ; (*non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt, Iſraelitæ.*) quia in Chriſto non eſt, *Gentilis & Iudæus; circumciſio, & præputium*, Coloſſ. 3. ſed, *qui ex fide ſunt*, Gal. 3. *benedicentur, cum fideli Abraham.* Hæc ex Apoſtolo & D. Thoma ˣ Et ita, vno verbo, X Rom. 9.1.a Gal. 4.1.9.
figuratur hîc diſtinctio ᴬ & ſegregatio filiorum A D.Th. h.c.
carnis, à filijs gratiæ.

VERSVS XIV. *Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem, & vtrem aquæ impoſuit ſcapulæ eius; tradiditque puerum & dimiſit eam.*

Cùm inſeparabilitas matrimonij ſit de lege naturæ, & Abraham Agar eiecerit, pro certo tenendum eſt, id feciſſe ex diſpenſatione diuina: vndeait S. Doctor, ᴮ ſicut in lege Moyſi per B 4.5. f. 3.3.
diſpenſationem licebat dari libellum repudij ad euitandum vxoricidium, ita ex eadem diſpenſatione, licuit Abrahæ eijcere Agar, ad ſignificandum myſterium, quòd Apoſtolus explicat ad Gal. 4. Quòd etiam ille hæres non fuit, ad myſterium pertinet, vt ibidem patet. Quocircà inſcripſit Dauid pſalmum quintum, dicens, *In finem, pro ea quæ conſequitur hæreditatem*, idest
ᶜ pro Eccleſia, quæ conſequitur hæreditatem, C pſ. 5.
reprobata ſynagoga; ſicuti & ſecundùm figuram, populus Iudæorum: vnde infra c. 25. *Dedit Abraham cuncta quæ poſſederat filio ſuo, Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera*: iuxtà illud; *in Iſaac vocabitur tibi ſemen*, quaſi dicat Iſaac tibi hæres erit tuus, non Iſmael.

Sed mirum videbitur, quod Abraham tam 6
arcto pane, & aquæ modico, Agar eiecerit. Certè non niſi inſtinctu diuino. Inde elucere debuit maior diuina Prouidentia, iuxta quod promiſerat Abrahæ de hoc etiam filio. Præterquam quibuſdam ᴰ non indoctè viſum eſt, id feciſſe O D.Th. hic.
Abraham prophetice, (non ſolùm literaliter ad ancillæ & pueri correctionem) pro myſterijs; Ancillæ Synagogæ, dum eijcitur, imponitur

onus literæ, frigidæ sicut aqua, daturque sibi aliquis panis, idest aliqua grossa, & carnalis iustitia: cui carnalis sensus literæ est pro potu: non mirum, paulo post arescat, atque deficiat. Sic moraliter, animus statum pristinum carnaliter ad vilia seruientem abigat; vix necessarijs seruatis, in onus mortificationis, scapulæ impositis. Et addo ipse, quod ait D. Thomas Rom. 10. l. 3. nunquid ergo illi, ad quos non peruenit prædicatio Euangelica, vtpote si fuerunt nutriti in syluis, excusationem habent de peccato infidelitatis? Ad hoc dicendum, quòd secundùm sententiam Domini, quæ habetur Io. 15. illi, qui loquentem Dominum per se, vel per eius discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis: non tamen beneficium Dei consequentur, vt scilicet iustificentur ab alijs peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel malè viuendo addiderunt: & pro his, meritò damnantur. Si qui tamen eorum fecissent, quod in se est, Dominus eis secundùm suam misericordiam prouidisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio Actor. 10. & Paulum Macedonibus, vt habetur Act. 16. Sic potest ergo dici in præsenti: non finit diuina clementia perire ancillæ filium in solitudine, & sitienti, prouidet per Angelum aquam. *Omnes sitientes venite ad aquas*. Isaiæ 55. Eccl. 16. *aqua sapientiæ salutaris potabit illum*. Sic Agar aperuit Deus oculos. De infidelitate negatiua docet quod supra etiam 22. 10. 1. Cohæret his, quòd fertur in sylua allegoriarum: *aqua in vtre obseruationem carnalem legis, & ipsam literam significare potest*. Quid mirum consumpta sit? quando, & Iesus dixit *consummatum est*, impletis figuris.

VERSVS XV. *Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem, quæ ibi erat.*

Mos est linguæ Hebraicæ secundùm Hieronymnm, vt filius comparatione [E] parentum infans vocetur, & paruulus; nam vt dicitur suprà cap. 17. Ismael tredecim annos impleuerat, tempore circumcisionis suæ; cumque ablactatus esset Isaac, quod fiebat anno quinto, vt dictum est, octodecim annorum, & amplius, fuisse deprehenditur Ismael. E D.Th. hic.

VERSVS XXII. *Eodem tempore dixit Abimelech.*

Ex facto præcedentis capitis, ex relatu victoriæ Abraham super quatuor Reges c: 14. ex prole demum suscepta, alijsque prosperis, reueritus est Abimelech Abraham: atque secum inire amicitiæ fœdus popoſcit. Cum autem esset Regio illa siticulosa: ad pecora, & armenta potanda, quisquis esset puteus, magno erat in pretio. Abstulerant ergo vi serui Abi-melech puteum ab Abrahamitis effossum. Egrè tulerat Abraham: ideoquè indoluit Regi. Fortè audierat eadem die conqueri Abraham, statimque sicuti capite præcedenti, magno correptus vltionis diuinæ timore, ad eum venit. Fortè hic est puteus, quem ad refocillandum filium, Angeli ductu [F] delibauit Agar. Prompto animo vices amicas rependit Abraham, præ cæterisque *septem agnas gregis, statuit seorsum?* Firmat amicitiæ verbum sensibili facto, exhibitis numero septem agnis, vt eo septenario plena claudatur fides, & facti species in perennem trahat memoriam, putei possessum. *Idcircò vocatus est locus ille Bersabee*. (ad meridiem Iudææ, sicut Dan est vltima Vrbs ad Septentrionem) Confert nomen ad puteum, & iuramentum. Per agnum signatur satis puritas mentis, qua Abraham inibat fœdus; & vt in generationem perduret, fœminas, quæ pariant nouo fœtu, & repariant, fidelitatis testimonia offert. F D.Th. hic.

C A P V T X X I I.

Iudit. 8. c.22. Hebr. 11. d.17. 1 QVæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham,
Abraham. Ait ille respondit: Adsum. 2 Ait illi: Tolle filium tuum vnige-
nitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum
in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi. 3 Igitur
Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum: ducens secum duos
iuuenes, & Isaac filium suum: cumque concidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum,
quem præceperat ei Deus. 4 Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul: 5 di-
xitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego, & puer illuc vsque properantes, post-
quam adorauerimus, reuertemur ad vos. 6 Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit
super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium. Cumque duo
pergerent simul, 7 dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Ec-
ce, inquit, ignis, & ligna, vbi est victima holocausti? 8 Dixit autem Abraham: Deus
prouidebit sibi victimam holocausti, filij mi. Pergebant ergo pariter, 9 & venerunt ad lo-
cum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit: cum-
Iac. 2. d. 21. que alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. 10 Extendit-
que manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum. 11 Et ecce Angelus Domini
de cęlo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum. 12 Dixitque
ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognoui
quod times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. 13 Leuauit Abraham
oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens
obtulit holocaustum pro filio. 14 Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt. Vn-
de vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit. 15 Vocauit autem Angelus Domini

Abraham fecundò de cęlo, dicens. 16 Per me metipfum iuraui, dicit Dominus, quia fe- [Pfal. 104.
cifti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me: 17 benedicam tibi, & [a. 9.
multiplicabo femen tuum ficut ftellas cęli, & velut arenam, quæ eft in littore maris: poffi- [Luc. 1. g. 73.]
debit femen tuum portas inimicorum fuorum, 18 & BENEDICENTVR in femine [Eccl. 44.
tuo omnes gentes terræ, quia obedifti voci meæ. 19 Reuerfus eft Abraham ad pueros [d. 21. Hebr. 6. e.
fuos, abieruntque Berfabee fimul, & habitauit ibi. 20 His ita geftis, nunciatum eft Abra- [11. 1. Mac. 2.
hæ quod Melcha quoque genuiffet filios Nachor fratri fuo. 21 Hus primogenitum, & Buz [f. 52.
fratrem eius, & Camuel patrem Syrorum, 22 & Cafed, & Azau Pheldas quoque, [Luc. 1. g.
& Iedlaph, 23 ac Bathuel, de quo nata eft Rebecca: octo iftos genuit Melcha, Nachor [71. Sup. 12. a
fratri Abrahæ 24 Concubina verò illius, nomine Roma, peperit Tabee, & Gaham, & [3. 18. c. 18 Inf. 26. a 4
Tahas, & Maacha. [Act. 3. d 25. Eccl. 44. d. 25.]

VERSVS I. *Quæ poſtquam geſta ſunt tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum Abraham, Abraham.*

1 Tentatio eft propriè experimentum fumere de aliquo; fiue, dicit actum, qui eft ad hominis experimentum, ficut tentatur homo in fcientia, quando in aliqua difficili quæftione probatur. [A loc. citandis, & Gen. 3.] [A] Et fimiliter fpiritualiter tentatur, quando eius vires fpirituales per aliquem difficilem actum probantur; vt quando allicitur fortiter per delectabilia, vel repellitur per terribilia, & fic probatur vel virtus, vel infirmitas eius. Sicut dixit Philofophus in lib. Elenchorum de fyllogifmo tentatiuo, quòd non eft ad habendam conclufionem, fed ad habendum de hominis fcientia argumentum: ideò finis proximus [B p. p. 114. 2.] [B] cuiufcumque tentantis, eft fcientia. Verùm tentationis exercitatio, vt à Deo, non eft vt ipfe cognofcat, fcrutatur enim corda, & *omnia nuda ſunt & aperta*, Hebr. 4. *oculis eius*; fed vt alij fciant, Sic tentauit Abraham, vt alijs [C 2. 21. 1. 1.] [C] fides Abrahæ effet in exemplum: vnde cùm poft dicit, *nunc cognoui*, fenfus eft, nunc [D Ioan. 6. l. 1. & hic.] [D] cognofci feci; eo modo loquendi, quo dicitur fcire, quod facit alios fcire: vt Deuteronomij 13. [E p. p. 114. 2.] legitur, *tentat* [E] *vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum*: & fimiliter tentauit Dominus Philippum, citato Ioannis 6. *vnde ememus panes, vt manducent hi? ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus: ipſe ſanè ſcit, quid eſt in homine*. Ioan. 2. Huic confectarium eft, vt alius poft cognitionem quæratur finis, malus quandoque: & fic Diabolus tentat, vt decipiat & fubuertat: quo pacto dicitur Iacobi 1. *Deus neminem tentat*: bonus aliquando, ficut Epifcopus promouendum examinat; quod cedit in laudem & honorem tentati: & in hoc fenfu, *tentauit Deus Abraham*. vt per hoc manifeftaretur, qualis effet in fide & obedientia. Vide hic D. Thomam. Proximiùs ergo promiffi Redemptoris aduentum & mortem præfiguraturus Dominus, ait *Abraham, Abraham*. Ingeminat autem, vel vt magnitudinem operis defignet, ficut ait Angelicus [F Matth. 27.] [F] de Chrifto moriente, *Deus meus, Deus meus*, ad affectus magnitudinem; vel quia cum *Abraham*, fonet *Pater multarum*, fubintellecto, *gentium*, voluit ad noftram doctrinam, vt innotefceret, (quòd ait Apoftolus) ipfum bifariam Patrem futurùm Rom. 4. *non ijs tantùm, qui ſunt ex circumciſione, ſed & ijs, qui ſectantur veſtigia fidei*.

VERSVS I. *At ille reſpondit adſum*.

Signatur promptitudo mentis ad Deo, & voce & fpiritu fine mora obfequendum, ac obtemperandum: [G D.Th. hic.] [G] quod repetit vocatus ab Angelo; vt fe non modò promptum, fed præfentialiter attentum indicet, ad nutum omnem.

VERSVS II. *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi, &c.*

In prophetica hac vifione, fuit Abraham certiffimus de diuina reuelatione; [H 2. 2. 171. 5.] [H] aliàs non tam promptè fe præparaffet; aliàs etiam, non [I Hic.] [I] fine multiplici, prouido, & maturo confilio, nocte ipfa confurrexiffet ad filium immolandum. Primis enim Patriarchis, & Propheris fiebant vifiones vniuerfales, fundamentales, & infallibiles; tanquam fundatoribus, & fundamentalibus radicibus totius diuini cultus, & Ecclefiæ Dei. Cùm Seruatoris noftri paffio, in Ifaac immolando; fuerit præfignata: [L op. 57. feq. op. 60. c. 24. & hic.] [L] (quod mox expreffiùs patebit,) præfiguratam ipfam vidiffe præterea Abraham, pro [M Io. 8. f. 8.] [M] certo tenendum eft: cæca igitur obedientia, Domino diuina edoctus myfteria obtemperauit. Sed quoniam occifio iuffa innocentis fcrupulum imperitis inijcere poffet, iuuat fapienter rem hanc edifferentem audire D. Thomam. Primò igitur 1. 2. ad fecundum, inquit, [N 1. 2. 94. 5. 2.] [N] dicendum, quòd naturali morte moriuntur omnes communiter, tàm nocentes quàm innocentes: quæ quidem naturalis mors diuina poteftate inducitur, propter peccatum originale; fecundùm illud 1. Regum 1. *Dominus mortificat, & viuificat*; & ideò abfque aliqua iniuftitia, fecundùm mandatum Dei, poteft infligi mors cuicumque homini, vel nocenti, vel innocenti. Deinde [O 1. 2. 100. 8. 1.] [O] infrà; Dicendum, quòd occifio hominis prohibetur in Decalogo, fecundùm quòd habet rationem indebiti; fic enim præceptum continet ipfam rationem iuftitiæ: vnde Abraham, cum confentit occidere filium, non confentit in homicidium; quia debitum erat, eum occidi, per mandatum Dei, qui eft Dominus vitæ & mortis. Hoc ipfum tradit in præfenti dicens; præterea conftat, [P D. Th hic.] [P] quòd propter folum originale peccatum, Deus à nobis iuftè exigit mortem; immò & omnes computamur rei mortis, & *filij iræ*. Et præterea profundiùs explanatur [Q 2. 2. 104. 4. ad 2. & q. 154. 2. 2.] [Q] 2. 2. Ad fecundùm dicendum, quòd ficut Deus nihil operatur contrà naturam, quia hoc eft natura vniufcuiufque rei, quod in ea Deus operatur, vt habetur in gloffa, ad Rom. 11. fuper illud *contrà naturam inſertus es*; operatur tamen aliquid contrà folitum curfum naturæ: ita etiam Deus nihil poteft præcipere contrà virtutem; quia in hoc principaliter confiftit virtus, & rectitudo voluntatis humanæ, quòd Dei voluntati conformetur, & eius

le-

sequatur imperium: quamuis sit contrà consuetum virtutis modum. Secundùm hoc ergò, præceptum Abrahæ factum, quòd filium innocentem occideret, non fuit contra iustitiam, quia Deus est auctor mortis & vitæ. Fuit ergò
R 1.47.1. 4.& 4.33. 2.2.1.c.
quasi miraculosè facta à Deo [R] dispensatio de præcepto, *non occides*; quamquàm enim occisio Innocentis de se inordinationem habeat; nouum ordinem ipsi Deus ponendo, ad manifestationem fidei, & Amoris Abrahæ; vt esset posteris in exemplum,& in significationem mortis Christi; dedit ei bonitatem; cuius, semper actio omnis est capax, quoadusque non deordinet ab vltimo fine. Et hoc est,quod ait hic [S] S.Doctor,
S D. Th. hic.
posse Deum scilicet, vitam & mortem nostram ordinare ad summum meritum, & præmium nostrum, atque ad summum Dei amorem & honorem. Præceptum ergò diuinum facit vt non sit peccatum, quod aliter esset peccatum: potest enim Deus, vt Bernardus dicit, dispensare
T de malo q. 2. a. 1. 17.
in præceptis [T] secundæ tabulæ, per quæ homo immediatè ordinatur ad proximum; bonum enim proximi est quoddam bonum particulare: non autem potest dispensare in præceptis primæ tabulæ, per quæ homo ordinatur in Deum, qui à se ipso alios non potest auertere; *non enim potest negare seipsum*. 2. ad Timoth. 2. Sic non potest subiacere diuino præcepto, [V] vt aliquis odio habeat Deum, aut de Deo desperet; esset
V 1. 47. cit.
enim aliquid ordinatum simul, & non ordinatum immediatè in Deum. Igitur non solùm non peccauit Abraham, sed summè, vt dicemus, [X] meruit: non secùs, ac Iudicis minister, obtemperans illi, ad finem sui regiminis, qui est
X de potentia 1. 6. 4.
iustitia: sic enim Deus ordinat omnia ad finem sui regiminis, qui est sua bonitas. Et hoc est tandem, quod ait S. Doctor, [A] si superior licitè præcipit, alius licitè obedit. Deus autem qui mortis & vitæ habet auctoritatem, subtrahendo vitam alicui, etiam innocenti, nulli facit iniuriam; vnde quotidie dispositione diuina multi nocentes, & innocentes moriuntur.
A Hebr. 11.l.4.

VERSVS III. *Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit Asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum* &c.

3
Magnum opus! ait Beda [B] *eum dilectissimum non dubitaret offerre*. Atqui complacuit sic sibi Dominus, arduo ex opere strenuum sibi facere famulum. Duodecim capita expendit Angelicus, [C] è quibus Abrahæ meritum perringit ad culmen; Primum, quòd amicissimum iubet occidi. 2. dum non solum proprijs sub oculis, sed suis etiam manibus. 3. vnigenitum. (scilicet Saræ, [D] vel inter liberos) 4. habitum miraculosè. 5. magnæ promissionis. 6. qui erat matri solatium. 7. etiam incendi; nimirum in holocaustum, quod interpretatur *totum incensum*. 8. quòd triduum insumpsit iturus ad locum immolationis; vt longitudine temporis, tentatio augeretur, & curis crescentibus, paterna viscera cruciarentur. 9. quoniam non apparebat aliqua præcepti vtilitas; damnum verò erat manifestum. 10. quòd non eum excusasset auctoritas præcipientis,cum nullus testis affuisset; nec crederetur referenti præceptum Domini. 11. quòd erat rationi contrarium,nec præcesserat huius obedientiæ exemplum. 12. quòd omnibus, ad quorum notitiam peruenisset, imminebat scandalum.
B Iacobi 2.
C op. 41. l.5.c.36.
D Hebr. 11.l.4.

Abraham tamen accepto hoc præcepto tam difficili, statim paruit. Altissimum tamen in hac oblatione est, [E] (quod tangit Apostolus Hebræorum 11;) quia fidem & spem omnem præconceptam Deo sacrauit. Quod fuit fortius fide firmari; non quidem de Sara iam valde antiqua habiturum secundò filium, sed immolatum Isaac resurrecturum: [F] nihil aliud namque superat expectari. Hoc ergo fuit argumentum fidei maximum; eoquòd articulus resurrectionis est vnus de maioribus. Hinc Beda citato loco, [G] *magna tentatio, cum filium iubebatur occidere: magna fides, cum etiam de mortuo crederet se semen posse suscipere*; vt ad Hebræos vbi supra, ait Apostolus, *arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus*. 4
E D.Th. hic.
F Hebr. 11.l.4.
G Iacobi 2.

VERSVS V. *Dixitque ad pueros suos; expectate hic cum Asino: ego autem, & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*.

Constantiam Abrahæ non potest quispiam non mirari. Decuit in Patribus præostendi; quòd Deus multa transcendentia rationem, & leges communes, erat [H] Christi temporibus præcepturus: ad quæ fideli fortique animo nos haberemus. D. Ambrosius in libro de Patriarchis dicit, [I] quòd *Abraham prophetauit quod ignorabat; ipse enim solus disponebat redire immolato filio, sed Dominus per os eius locutus est, quod parabat*. Vndè nisi locutus ita fuit, tacita sub conditione, *Si Deus disposuisset*, reuersuros ambos; vel,in quantùm ex speciali iussu Dei, (pueris rem prudenter celando) aliud accideret; figuratè ijs verbis significauit præseruationem Isaac; nec fuit simulatio: etsi enim crederet aperte resuscitandum, conscius non erat futuri euentus, ne merito obedientiæ demeretur. Hac autem via, motionem iussumque Dei famulis non detexit, ne fletu, gemitu, streperent aut impedirent; vndè prudenter captiosè, non tamen mendosè, Abraham locutus est.
H D.Th. hic.
I 2.2.111. 1.1.& hic

VERSVS VI. *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum*.

In typum factum esse, ait Chrysostomus, [L] quia & Christus *baiulans sibi crucem exiuit in eum,qui dicitur Caluaria, locum*. Et hic D. Thomas; Ligna autem holocausti imposita super Isaac, est crux Christi, primò ab ipso portata: sed postmodum super eam est positus, & confixus; sicut Isaac postmodum est positus super ligna altaris. 5
L cathena Io.19.

VERSVS IX. *Pergebant ergo pariter, & venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus*.

Paulò ante legitur; *cumque duo pergerent simul*. Non potest reuolui animo iter istud, quin vbertim fluant lachrymæ teneritudinis, & compassionis; cùm interim cor Abrahæ, datis naturæ affectibus, obrigeret. Genua sine dubio labare cum animo, pallere ora, extremum fortitudinis periculum cogebat; nec alto stupefactus silentio, in verbum erumpere poterat amàtissimus Pater. *Spiritus quidem promptus erat*, sed paterno Vnigeniti amore *caro infirma*. Sed ecce innocens filius Patrem solo vocat Patris nomine, dicens, *Pater mi*. Primò veluti exsuscitat, absorptum videns, dulcissimis ijs vocibus, *Pater mi*. Ad hæc, mirabili Echo, Saluator in monte & ipse Oliueti erat responsurus;

Mat-

Matth. 26. *Pater mi*; At nunc reſpondit ei Pater; *quid vis fili* ? filium ſuum non dicit vltrà, quem iam prope amittendum audierat. Sanè non perperam abſtinet à poſſeſſiuo pronomine, quo vſus aliàs eſt Iſaac c. 27. *quis es tu fili mi* ? allocutus Iacob. Recogita Iſaaci filialem reuerentiã, ac ſi paruulus eſſet, vocitando *Patrem*, cùm tamen iam eſſet adoleſcens; [M] & ſecundùm Ioſephum [N] iam eſſet vigintiquinque annorũ. Prorumpit tamen amoris ineluctabili incendio, dum ignis à filio recolitur, in poſſeſſiuum momenti vnius, dicens; *Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi*. Poſthac non fertur colloquium aliud inter eos: ſit altare, ſtruuntur ligna, alligatur filius, partim quidem [O] ad perpetuò ſignandam obedientiam, partim ne in hora immolationis, Iſaac naturali quodam horrore, fugeret paſſionem. Quamuis primum reor germanius alligationis caput; in figuram etiam Seruatoris, qui immolandus vinciri voluit. Aliàs magnus Alexander inſtantibus chirurgis de vinculo, dùm ex vulnere ferrum extraherent, *non decet*, ait, *vinciri Regem*, teſte Plutarcho. Sic 2. Regum 3, *neq́naquam vt mori ſolent ignaui, mortuus eſt Abner: manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati*. Aliàs etiam, ex Tullio 2. Tuſc. C. Marius ruſticanus vir, ſed planè vir, cum ſecaretur vetuit ſe alligari. Fortiorem Mario Iſaac quis dubitet? Refert quidem Ioſephus Patrem ſuum ipſi dixiſſe, quòd ſicut admirabiliter ex Dei voluntate fuerat conceptus & mundum ingreſſus: ità ex voluntate Dei, neceſſe erat ei mirabiliter inde egredi, quẽ Dominus [P] iudicaſſet dignum, non morbo aut bello vitam finire, ſed cùm orationibus & ſacrificijs, animam eius ad ſe vocare; addens reſurrectionem ob repromiſſa. Annuit obedientiſſimus Iſaac, certus de ſanctitate Patris aſſueti reuelationibus, & tanquàm agnus immolandus *non aperuit os ſuum*.

M Hebr. 11.1.4. N Hie. O D.Th. hic. P D.Th. hic.

VERSVS IX. *Et venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus.*

6 Cùm ſuprà dicatur, Abraham eleuatis oculis, die tertio vidiſſe locum *procul*, ſatis deprehenditur in alto ſitum fuiſſe; erat erit mons: quem ſuſpexit, ſigno (inquiunt Rabbini) columnæ ignis, quæ ibi apparuerat. Hic mons vt in Hebræo, [Q] eſt mons *Moria*; ad quem vſque à Geraris, vndè diſceſſerat Abraham, trium dierum eſt iter. Ibi voluit Dominus aſcendere Abraham immolaturum; vt locum in quo erat templum Dei condendum, & iuxtà quem Chriſtus pariter erat ſacrificandus, [R] ſuo opere præmonſtraret, & diuino cultui dedicaret. Appellauit enim poſteà nomen illius loci, *Dominus videt*, quaſi ſecundùm Dei præuiſionem, [S] eſſet locus ille electus ad cultum diuinum. Quamuis apud hebræos legentes, *Dominus videbit*; prouerbiũ mananerit, in anguſtijs ad opem Dei implorandam, *in monte Dominus* [T] *videbit*. Hoc eſt; ſicut Abraham, & Iſaac eſt miſeratus, defendet, ac proteget. Mons *Moria*, ideſt viſibilis, & facilè conſpicuus, etiam eminùs, in plures colles diſſectus erat. In vna parte prominebat; *Sion*, in qua erat Arx Dauid, iuxtà quam, in area Ornan Iebuſæi, vt habetur 2. Paralipomen c. 3. à Dauid coempta, Salomon Templum conſtruxit; alia pars montis *Moria*, extrà Vrbẽ Ieruſalem manſit, poſteaque dicta eſt Mons Caluariæ; Licet ergò aliqui apud Chryſoſtomum dixerint, in monte *Garizin* Abraham filiũ obtuliſſe; verius eſt tamen, quod refert [V] S. Doctor in monte *Sion*: *Mons verò viſionis*, ſeu *luminis*, vbi hoc factum eſt, innuit eminentiam metropolitanæ Sedis Iudæorum, in qua Chriſtus eſt crucifixus: aut eminentiam Euangelicæ veritatis & vitæ, in qua perſiſtens, eſt perſecutus, & paſſus. Ita hic D. Thom.

Q D.Th. hic. R Hie. S p. 2. 101.4.a. T Hie. V Ioan. 1.2.

VERSVS XII. *Dixitque ei, non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facies illi quicquam. Nunc cognoui quod timeas Dominum.*

Iam iam vibrabat ictum, quo caderet cum filio cor eius. Et ecce Angelus Domini præſto inclamat bis *Abraham*. Poterat vtique ſancto pioque prodigio ſic eum detinere, quemadmodum 3. Regum 13. *nequiuit Ieroboam manum retrahere*: ſed vbi fidei reuelantur arcana, *auditui datur gaudium & lætitia*. Formata igitur fuit vox de cœlis, [X] atque ad aures Abraham ſenſibiliter delata: qua audita, agnitaque ſine dubio eſſe Dei, ſtetit Abraham inflexo brachio, corde etiam inflexo, donec cohiberi audiuit *non extendas*: præpedito imminente ictu, quo intactum omninò illæſumque dimittat filium; *nec facies illi quicqnam*, adiecit: ceu diceret, ſolue, amplexare, oſculare, cui non pepercisti, vnigenitum, durique funes te poſthac pertrahant, arctiora ad vincula amoris. *Nunc cognoui*. Vt ſupra dixi, citandiſque repetit in locis, Angelicus, dicitur Deus cognoſcere, in quantum præbet alijs notitiam: nunc ergo *cognoſcere feci*, ſupple, *alios*; [A] ſiue cognoſci feci, per tale factum, tuam deuotionem &c. ab alijs. Alibi autem exponitur à D. Thoma, vt ſit ſenſus, nunc *cognoſcere te feci*, ideſt duxi te ipſum in cognitionem tui; [B] quaſi dicas, *noueris, quod timeas Dominum*: in opere enim illo, quod fecerat Abraham, cognoſcere potuit experimentaliter, ſe Dei timorem habere: de timore enim caſto, qui non eſt ſine gratia, ibi eſt ſermo: vel vltra hanc experimentalem notitiam, ſic ei reuelauit Deus, quod eſſet in gratia.

X 2. 2. 174 1 1. A 3.p.10. 2.1. Matthæi 24. lo.6.l.1. & op.4. 246. B p. 2. 112.5.3. & op.40. 25.& Hebræorum 11.1.4.

Quærit hic [C] S. Doctor cur potius non dicatur *nunc cognoui, quod ames Dominum*. Et reſpondet, quod cùm amor creaturæ ad Dominum ſuum non debeat eſſe per æqualitatem, ſed cum ſumma reuerentia, obedientia, & timore offendendi, (quæ omnia hic certè locum habuere) idcircò dictum eſt, *timeas*: eo vel maximè, quòd in præcepti huius impletione, fortiſſimè captiuabatur naturalis ratio, & naturalis affectus, & ſenſus Abrahæ, & ideò potius attribuitur timori comprimenti, quam amori dilatanti. Hic tamen timor caſtus & filialis, perfectam charitatem Abrahæ [D] indicauit: de qua ſupra dixerat Dominus, *ambula coram me, & eſto perfectus*. Abraham igitur ſicut dicitur Eccl. 44; *in tentatione inuentus eſt fidelis*: cuius quidem generis, tentationis, ſcilicet ad experimentum, & ad reuelanda quæ latuerant priùs, ſit mentio ſæpe in Scripturis: ſicut Regina Saba, 3. Regum 10. *venit ad Salomonem, vt tentaret eum in ænigmatibus*: Deuteronomij 8. *vt affligeret te atque tentaret*: & Ezechias Paralip. 2. c. 32. derelictus eſt à Deo, *vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius*. Quæ recolit S. Doctor [E] 7

C D.Th. hic. D 2.2.19. 8. Rom. 8.1.1. E Hebr. 11.1.4.

VER-

VERSVS XIII. *Leuauit Abraham oculos fuos; viditque poſt tergum, Arietem inter vepres hærentem cornibus; quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.*

Leuat oculus Abraham, quos fixos, conſtantiæ ſtupore habuerat in filio; ſed *leuat* etiam, quia ad altum erigitur mens eius myſterium, & in altitudinem fide euocatur.

Aiebat D. Petrus in ſua prima; *Chriſto igitur paſſo in carne:* [F] vbi S. Doctor; non in natura Diuinitatis, ſed in natura aſſumptæ carnis; quod ſignificatum fuit in Ariete immolato, & in Iſaac liberato. Ideò hoc fuit *parabola*, ideſt figura Chriſti futuri; Aries enim [G] hærens cornibus inter vepres, eſt humanitas confixa cruci, quæ paſſa eſt. Iſaac, ideſt Diuinitas euaſit, cum Chriſtus verè mortuus eſt & ſepultus. *Hærentem cornibus*, ideſt [H] infixum: ex quo videtur, quòd cornibus erat infixus vepribus quaſi ſtaret ſuſpenſus: in quo expreſſum typum tenuit Chriſti in Cruce ſuſpenſi. Quare autem per Arietem ſignetur Saluatoris humanitas, multiplex eſſe poteſt ratio. Theophylactus [I] in Catena aurea, inquit, *ſed humanitas, ſecundùm quam Aries dicitur, tanquam errantis Arietis Adæ filius, hic mactata eſt*. S. Doctor hic ait, ſolus Aries, ideſt [L] eius agnina humanitas, qua tanquam perfectus aries eſt Princeps omnium ouium Dei, paſſa eſt. Sed clarius alibi [M] ex gloſſa, Chriſtus in Vitulo offertur propter virtutem crucis; in Agno propter innocentiam; in Hirco propter ſimilitudinem carnis peccati; in Ariete propter ſuũ Principatum. Sanè Aries eſt Princeps Agnorum; & Chriſtus Dominus caput eſt Eccleſiæ, & innocentiæ ſibi vendicat principatum: cuius ſanctiſſima humanitas confixa fuit ligno, quod tulerat; [N] ſicut Iſaac ſuper ligna poſitus eſt; & veluti ſpinis, ad vincendum mortis aculeum, hæſit clauibus, & cornibus crucis. Videt *poſteriora*, ideſt Sanctam humanitatem Abraham; ideo *videt poſt tergum: & hærentem cornibus*, quia manſit in eo ſpiritus fortitudinis; & niſi diuinitus habuiſſet robur, poſt tot atrocia, non tandiu duraſſet in cruce. *Aſſumpſit* Abraham Arietem: & verbum quoque *aſſumpſiſſe* verè & propriè dicitur humanitatem: quam obtulit in holocauſtum pro filio, quia pro nobis, *vt adoptionem filiorum reciperemus*; Gal. 4.

VERSVS XIV. *Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt, vnde vſque hodie dicitur, in monte Dominus videbit.*

Vltra ea quæ ſuprà diximus, habemus ex Angelico Iſaiæ 22. vbi contra Ieruſalem legitur, *Onus vallis Viſionis*, [O] dici *Viſionis*, propter ſanctitatem Templi; nàm in ipſo viſiones Prophetis ficbant à Domino; vel propter eminentiam loci, quia à remotis videri poterat. In memoriam facti huius, liberationis ſcilicet Iſaac, prima die menſis ſeptimi, erat feſtum tubarum: & repræſentabatur Aries per cornua, quibus buccinabant, vt notat Angelicus p. 2. q. 102. 4. ad 10. cui feſto etiã ſuccedit feſtum Apoſtolorum, vt q. 103. 3. ad 4. Hac de re Numeri 29.

VERSVS XVI. *Per memetipſum iuraui dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam* &c.

Quandocumque Dominus promittit aliquid ſub iuramento, [P] eſt prophetia prædeſtinationis, quæ eſt oſtenſiua diuini conſilij: & iſta promiſſio penitus immutabilis eſt. Sic enim Deus aliquando inducitur in Scripturis iurans, ad oſtendendum [Q] immobilitatem eius, quod dicitur; ſicut Apoſtolus dicit ad Hebræos 6. idque ad condeſcendendũ fidei [R] noſtræ. In quo habemus exemplum, quòd iuramentum [S] de ſe non eſt illicitum; quia Scriptura nihil Deo attribuit, quod de ſe ſit peccatum: intendit enim Scriptura nos ad Deum ordinare, & ducere.

F 1. Petri 4.
G Hebr. 11. l. 4.
H D. Th. hic.
I Ioann. 19. in Cathena.
L D. Th. hic.
M p. 2. 102. a. 3. 2.
N D. Th. hic.
O Iſaiæ 22.
P Hebr. 6. l. 4.

VERSVS XVII. *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut Stellas Cæli, & velut Arenam, quæ eſt in littore Maris.*

Apoſtolus ingeminat Hebræorum 6. *niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te*. Quocirca S. Doctor; [T] dicit *benedicens*, quod pertinet ad bonorum collationem: & *multiplicans*, quod etiam pertinet ad prolis numeroſitatem. Ingeminat autem, vt deſignet bona temporalia & ſpiritualia, & continuitatem benedictionis: vel *benedicens benedicam* in multitudine prolis Sanctæ, quæ Geneſis 15. deſignatur per Stellas Cœli; *ſuſpice Cælum, & numera Stellas ſi potes: & multiplicabo* in numeroſitate prolis malæ & peruerſæ, quæ cap. 22. deſignatur per arenam maris. Ingeminatur etiam multiplicatio, (quod eſt propter numeroſitatem prolis bonæ vel malæ) propter continuitatem multitudinis. Vel, benedicam in bonis gratiæ, & multiplicabo in bonis gloriæ, & ita benedictione ſpiritualis Regni: Pſalmo 44. Hoc ipſum tradit infrà; [V] boni ſignificantur per Stellas, de quibus dicit Apoſtolus, quòd orti ſunt, *tanquam ſydera cæli in multitudinem*: mali vero ſignificantur per arenam, quæ eſt mari contigua; quia mali Iudæi de ſemine Abrahæ, conformantur gentilitati: Iudæi vero non omnino fuerunt arena, ſed quaſi arena, quia communicabant cum gentibus in malis. Arena fluctibus maris vndique concutitur, ita & mali turbinibus mundi. Arena ſterilis eſt & infructuoſa, ſic & peccatores ſteriles ab omni opere boni fructus. Hinc in Apocalypſi, [X] *& ſedit ſuper arenam*, ideſt ſuper homines malos infructuoſos, viles, ſiue labiles, & retinentes veſtigia vitiorum; ſicut arena ſterilis eſt, vilis, fluida, & retinens impreſſa veſtigia. Sunt autem arena maris, quia ad mare ideſt ad mundum pertinent, quem diligunt, cuius amaritudinem quaſi dulcedinem bibunt, & fluctibus mundi, quaſi cuiuſdam maris opprimuntur. Dicitur autem hic de arena [A] hyperbolicè: & vtrumque inducitur propter ſimilitudinem innumerabilis multitudinis; vnde 1. Regum 4. *Iuda & Iſrael, innumerabiles ſicut arena maris ſunt*.

VERSVS XVIII. *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ; quia obediſti voci meæ.*

Senſit Ambroſius, quod ad Dauid facta fuerit promiſſio de ipſo capite pſ. 131, *de fructu ventris tui ponam* &c. [B] ad Abraham vero de membris, ſcilicet de Eccleſia. Sed quoniam Apoſtolus ad Galatas 3. exponit de Chriſto [B] dicens; *non dicit & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in vno & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*: credendum eſt ad Abraham, & de Chriſto & de membris factam promiſſionem. Hinc ait Angelicus, [C] homo qui promptam habet voluntatem ad obe-

Q 1. 2. 89. 10. 4.
R D. Th. hic.
S Hebr. loc. cit.
T Hebr. l. c. & 1. Cor. 1. 4.
V Hebr. 11. l. 3.
X Apoc. 12. in fine 2. commentario & Rom. 4. l. 1.
A Hebr. 11. citato & Rom. 4. cit.
B Matth. 1.
C 1. 2. 12. 1.

obedientiam, Deo in omnibus placet, etiam pro infinitis rebus, quas nunquam facturus eſt. Superſunt allegoriæ prænobiles, vt Deus Pater dicatur Abraham: à quo immolatus eſt Chriſtus, verus Iſaac; *die tertio*, poſt legem naturæ & ſcriptam; tempore ſcilicet legis gratiæ; Aſinuſque ſtatus, eſt rudis iudæorum populus, cæremonijs legis iacens: ſicut hic [E] inter cætera exponit D. Thomas. Ipſi quidem ad radicem montis expectant cum aſino, ideſt [F] cum ſenſu ſtolido; nec ad agnitionem myſterij crucis conſcendunt.

E D.Th. hic.

F i Apoc. 4. comm. 1.

VERSVS XX. *His itaque geſtis nunciatum eſt Abrahæ, quod Melcha quoque genuiſſet filios Nachor fratri ſuo.*

Quia infrà erit narrandum, quomodo Iſaac duxit in vxorem Rebeccam, idcircò hic breuiter ſubditur de generatione Nochor, cum fuerit ei neptis. [G] Opportunè ſtatim poſt repromiſſam ſeriem innumerabilem ſeminis, de cognatorum generatione attexitur ſermo.

G D.Th. hic.

C A P V T X X I I I.

1 Vixit autem Sara centum viginti ſeptem annis. 2 Et mortua eſt in ciuitate Ar-
bee, quæ eſt Hebron, in terra Chanaan: venitque Abraham vt plangeret, &
fleret eam. 3 Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris, locutus eſt ad filios Heth,
dicens. 4 Aduena ſum, & peregrinus apud vos, date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſe-
peliam mortuum meum. 5 Reſponderunt filij Heth, dicentes. 6 Audi nos domine,
princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum: nulluſque te
prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuum tuum. 7 Surrexit Abraham,
& adorauit populum terræ, filios videlicet Heth: 8 dixitque ad eos: Si placet animæ ve-
ſtræ, vt ſepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium
Seor. 9 vt det mihi ſpeluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri ſui: pecunia
digna tradat eam mihi coram vobis in poſſeſſionem ſepulchri. 10 Habitabat autem Ephron
in medio filiorum Heth. Reſponditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui in-
grediebantur portam ciuitatis illius, dicens: 11 Nequaquam ita fiat, domine mi, ſed tu
magis auſculta quod loquor: Agrum trado tibi, & ſpeluncam, quæ in eo eſt, præſentibus
filijs populi mei, ſepeli mortuum tuum, 12 Adorauit Abraham coram populo terræ. 13
Et locutus eſt ad Ephron circumſtante plebe: Quæſo, vt audias me: Dabo pecuniam pro
agro: ſuſpice eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in eo. 14 Reſponditque Ephron: 15
Domine mi, audi me: Terra, quam poſtulas, quadringentis ſiclis argenti valet, iſtud eſt
pretium inter me & te, ſed quantum eſt hoc? ſepeli mortuum tuum. 16 Quod cum audiſ-
ſet Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, audientibus filijs Heth, qua-
dringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ. 17 Confirmatuſque eſt ager quonda
Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex, reſpiciens Mambre, tam ipſe, quam ſpelunca, &
omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum, 18 Abrahæ in poſſeſſionem,
videntibus filijs Heth, & cunctis, qui intrabant portam ciuitatis illius. 19 Atque ita ſepe-
liuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca agri duplici, quæ reſpiciebat Mambre. hæc
eſt Hebron in terra Chanaan. 20 Et confirmatus eſt ager, & antrum, quod erat in eo, A-
brahæ in poſſeſſionem monumenti à filijs Heth.

VERSVS I. *Vixit autem Sara centum viginti ſeptem annis.*

VERSVS II. *Et mortua eſt in ciuitate Arbee, quæ eſt Hebron &c.*

Mire poſt repromiſſam feliciter, in Iſaac morti adempto, interminatam ſeriem generationum de morte attexitur. Sermo; ne vitæ huic fidamus, cum ſit *vmbræ tranſitus tempus noſtrum* Sap. 2. *ſimuſque de vtero translati ad tumulum*, Iob 10. *quia nati continuo de ſiuimus eſſe vt dicitur* Sap. 5. cui ſarit, quod ait S. Doctor, [A] valde notabile eſſe, quod prima terra quam de iure ſibi Abraham acquirere voluit, & acquiſiuit; immò & prima, quæ in ſcriptura legitur empta, fuit ſepulchrum.

A D.Th. hic.

1 Abraham videbitur primo aſpectu, vel ſimoniacus, tanquam emens rem ſacram, qualis eſt ſepultura; vel ſaltem non expers peccati, dum vendenti ſepulchrum cooperatur. Verum vindicatur ab omni labe, multiplici via. In primis dicendo, Abraham [B] non peccaſſe emendo ſpeluncam duplicem; quia ſpelunca illa non erat conſecrata in ſepulturam: & ideo illud ex ſe, [C] non fuit tunc Simoniacum: hodie tamen inter nos eſſet propter Ecclesiaſticam conſecrationem ſepulcris fidelium adiunctam. Sanè non habetur, quod eſſet terra conſecrata ad ſepeliendum; & [D] ideo licebat Abrahæ terram illam emere ad vſum ſepulturæ, vt ibi inſtitueret ſepulcrum: ſicut etiam nunc liceret emere aliquem agrum communem ad inſtituendum ibi cœmeterium, vel etiam Eccleſiam. Deinde, quia poſſet quis arguere, quoniam, vt tangit. 22. citata S. Doctor, apud Gentiles loca ſepulturæ deputata, religioſa ab ipſis reputabant; addo non [E] propterea peccaſſe Abraham: eoquod non intendebat emere niſi terram communem: nil faciendo imaginariam Gentilium locorum ſanctitatem. Et ſi dicas, peccaſſe cooperando peccato Ephron. Reſpondetur dubium eſſe, an Ephron ipſe peccauerit, quia forte non intendit vendere niſi terram communem; ideoque Abraham dans

B 4.15.3. 1.1.

C D.Th. hic.

D 2. 2. 100.4.1.

E 2.2.cit.

operam rei ſubſtantialiter licitæ, neque obligatus ſcrutari intentionem Ephron, potuit de loco illo paciſci. Licèt autem D. Hieronymus hic relatus, occultè reprehenſum putet Ephron: tamen D. Thomas 2.2. citata, conditionate loquitur dicens; Si Ephron pro loco ſepulturæ intendit pretium accipere, peccauit vendens. Niſi dicatur id abſolutè licuiſſe Abrahamo, ad redimendam (ſeu ad præcauendam) vexationem, quam perpendit ſe paſſurum aliquando, poſſeſſa gratis ſpelunca duplici: ſic enim accidit ſæpe, vt quod prius quis accommodauerat, repetat iniurioſius; vnde verſus; *turpius eycitur, quam non recipitur hoſpes*. Hanc excuſationem ſimpliciter probat Angelicus 2.2. citata, quam non æquè laudauerat in 4. vbi etiam culpat Ephron, quod deciderit à primæua intentione gratis dandi. Sane etſi dixerat, *quadrigentos ſiclos argenti valet* (ſiclus ſecundum Hieronymum [F] vnciæ pondus habet) *ſed quantum eſt hoc?* acquieuit nummis. Tandem poſſet vterque excuſari, quòd indirectè intenderint pactum de ſepultura, empto directè agro, cui accelerat: de quo D. Th. locis citatis. Vel cum nullam ineſſe ſpeluncæ conſecrationem ſciret Abraham, depoſcit enixè licitam venditionem, tacitus ſuadens Ephron id licere: magna enim fuiſſe apud eos, Abraham in æſtimatione deprehenditur, dum illi paulo ante dixerunt, *Princeps Dei es apud nos*; & Ephron ipſe ait, *Domine mi*.

F D. Th. hic.

2 Cur autem tantam vim fecerit Abraham pro obtinenda duplici illa ſpelunca, ſi quis rogauerit, dicimus, [G] tàm ex reuelatione, quàm ex ſpeciali deuotione, ad ſanctum, & primum patrem Adam ibi ſepultum. Sanè D. Hieronymus, [H] *Adam*, inquit, *ſepultum iuxtà Hebron, & Arbe*. Quocircà fertur ciuitatem iuxtà quàm emit agrum & ſpeluncam, ſitam ad Auſtrum Ieruſalem, non multa diſtantia, appellatam primò fuiſſe *Cariath-Arbè*, ideſt *ciuitas quatuor*, propheticè, à quatuor Patriarchis, Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob, cum vxoribus ſuis ibi ſepultis: cui conſentit Magiſter [I] in hiſtorijs. Dicta poſteà Hebron ab Ephrone, ſeu Ebrone iſto, qui locum præfatùm vendidit Abrahamo. Ad hæc, Ioſue 14.

G D.Th. hic.

H 1.p.46. 10. 3. & Matthæi 27.

I D. Th. hic c.1.

Spelunca autem dicitur [L] quia ſepulcrum illud erat in ſaxo vel rupe, vel in cauerna ſaxea: duplex verò dicitur, quia duplicem habebat loculum, vnum pro Adam, alium pro Heua.

L Hic.

Quoniam Abraham, & ipſe typum poteſt gerere Chriſti Domini, quemadmodum diximus ſuprà, habeturque ex Angelico: [M] ei quoque adaptatur quod dicitur verſu 6. *Princeps Dei es apud nos*; ſic enim innuitur [N] bonitatis eius affluentia, quantùm ad naturam humanam, cùm ſit mediator: iuxtà illud Epheſ. 2. *ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum*.

M Matthæi 1.

N Iſaiæ 9.

Deinde cùm exemplar ſit perfectorum idémet Abraham; *ambula coram me*. cap. 17. *& eſto perfectus*; perfectionem actiuæ etiam vitæ, empto in agro demonſtrat; cui fauet tanta de illo ſolicitudo: Hinc ad verſum 20. *& confirmatus eſt ager & antrum, quod erat in eo, Abrahæ in poſſeſſionem*, &c. Gloſſa citata ab Angelico [O] inquit, perfectus prædicator animam ſuam abſcondit, ſub bonæ operationis & contemplationis regimine. Animam quippe mortuam mundo, poteſt corpus emortuum figurare. Ex altera parte cùm non dicatur Abraham hunc agrum exercuiſſe, poteſt in typum eleuatioris contemplatiuæ vitæ accommodari: quæ ſcilicet, vt ait Gregorius, *ab exteriori actione quieſcit, ſoliqué deſiderio conditoris inhæret*: vnde gloſſa ſuper huiic locum, [P] *contemplatiua à cunctis actionibus funditus diuidit*. Allegorica & moralia plura apud D. Thomam. Et bene quæſiturus Abraham ſepulcrum, præmittit, *aduena ſum & peregrinus*: nam aduena [Q] eſt ille, qui habitat in terrà aliena; peregrinus, qui eſt in via tendendi ad alium locum: nullus autem eſt hoſpes & peregrinus, niſi qui eſt extra Patriam, & tendit ad illam: vnde per hoc ſignificabat (quod ait Apoſtolus) *ſe Patriam inquirere*, ſcilicet cœleſtem Hieruſalem de quo capite ſequenti verſu 6. Sic in pſalm. 38. *Quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei*. Et 2. Cor. 5. *Scientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*.

O Quod l.7.a2.8.

P loc. cit. in corpore.

Q Hebr. 11. l. 4.

CAPVT XXIV.

1 ERat autem Abraham ſenex, dierumque multorum: & Dominus in cunctis bene-
dixerat ei. 2 Dixitque ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quę
habebat: Pone manum tuam ſubter femur meum: 3 vt adiurem te per Domi-
num, Deum cęli & terræ: vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in-
ter quos habito: 4 ſed ad terram, & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias
vxorem filio meo Iſaac. 5 Reſpondit ſeruus: Si noluerit mulier venire mecum in terram
hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egreſſus es? 6 Dixitque
Abraham: Caue ne quando reducas filium meum illuc. 7 Dominus Deus cęli, qui tulit
me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus eſt mihi, & iurauit mihi, di-
cens. Semini tuo dabo terram hanc: ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde
vxorem filio meo: 8 ſin autem mulier noluerit ſequi te, non teneberis iuramento: filium
meum tantum ne reducas illuc. 9 Poſuit ergo ſeruus manum ſub femore Abraham domini
ſui, & iurauit illi ſuper ſermone hoc. 10 Tulitque decem camelos de grege domini ſui, &
abijt, ex omnibus bonis eius portans ſecum, profectuſque perrexit in Meſopotamiam ad
vrbem Nachor. 11 Cumque camelos feciſſet accumbere extra oppidum iuxta puteum
aquæ veſpere, tempore quo ſolent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit: 12 Do-
mine Deus domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie, & fac miſericordiam

Inſr. 47. g 29.

Sup. 12. b. 7. 13. d. 5. & 15. d 18 Inſr. 26 a. 2.

cum

cum domino meo Abraham. 13 Ecce ego fto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum
huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. 14 Igitur puella, cui ego dixero: In-
clina hydriam tuam vt bibam: & illa refponderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum:
ipfa eft, quam præparafti feruo tuo Ifaac: & per hoc intelligam, quod feceris mifericordiam
cum domino meo. 15 Necdum intra fe verba compleuerat, & ecce Rebecca egredieba-
tur, filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in fcapula
fua: 16 puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro: defcendebat au-
tem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. 17 Occurritque ei feruus, & ait:
Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. 18 Quæ refpondit: Bibe domi-
ne mi: celeriterque depofuit hydriam fuper vlnam fuam, & dedit ei potum. 19 Cumque
ille bibiffet, adiecit: Quin, & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. 20 Ef-
fundenfque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum vt hauriret aquam, & hauftam om-
nibus camelis dedit. 21 Ipfe autem contemplabatur eam tacitus, fcire volens vtrum pro-
fperum iter fuum feciffet Dominus, an non. 22 Poftquam autem biberunt cameli, protu-
lit vir inaures aureas, pendentes ficlos duos, & armillas totidem pondo ficlorum decem.
23 Dixitque ad eam: Cuius es filia? indica mihi, eft in domo patris tui locus ad manendum?
24 Quæ refpondit: Filia fum Bathuelis, filij Melchæ, quem peperit ipfi Nachor. 25 Et
addidit, dicens: Palearum quoque, & fœni plurimum eft apud nos, & locus fpatiofus ad
manendum. 26 Inclinauit fe homo, & adorauit Dominum, 27 dicens: Benedictus Do-
minus Deus domini mei Abraham, qui non abftulit mifericordiam, & veritatem fuam a
domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. 28 Cucurrit ita-
que puella, & nunciauit in domum matris fuæ omnia quæ audierat. 29 Habebat autem
Rebecca fratrem nomine Laban, qui feftinus egreffus eft ad hominem, vbi erat fons. 30
Cumque vidiffet inaures, & armillas in manibus fororis fuæ, & audiffet cuncta verba refe-
rentis: Hæc locutus eft mihi homo: venit ad virum, qui ftabat iuxta camelos, & prope
fontem aquæ: 31 Dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris ftas? præ-
paraui domum, & locum camelis. 32 Et introduxit eum in hofpitium: ac deftrauit came-
los, deditque paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum qui venerant
cum eo. 33 Et appofitus eft in confpectu eius panis: Qui ait: Non comedam, donec lo-
quar fermones meos. Refpondit ei: Loquere. 34 At ille: Seruus, inquit Abraham
fum: 35 & Dominus benedixit domino meo valde, magnificatufque eft: & dedit ei oues,
& boues, argentum & aurum, feruos & ancillas, camelos, & afinos. 36 Et peperit Sara
vxor domini mei filium domino meo in fenectute fua, deditque illi omnia quæ habuerat:
37 Et adiurauit me dominus meus, dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus
Chananæorum, in quorum terra habito: 38 fed ad domum patris mei perges, & de co-
gnatione mea accipies vxorem filio meo: 39 ego verò refpondi domino meo: Quid fi
noluerit venire mecum mulier? 40 Dominus, ait, in cuius confpectu ambulo, mittet An-
gelum fuum tecum, & diriget viam tuam; accipiefque vxorem filio meo de cognatione
mea & de domo patris mei. 41 Innocens eris à maledictione mea, cum veneris ad propin-
quos meos, & non dederint tibi. 42 Veni ergo hodie ad fontem aquæ, & dixi: Domine
Deus domini mei Abraham, fi direxifti viam meam in qua, nunc ambulo, 43 ecce fto
iuxta fontem aquæ, & virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me: Da
mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua: 44 dixerit mihi: Et tu bibe, & camelis
tuis hauriam: ipfa eft mulier, quam præparauit Dominus filio domini mei. 45 Dumque
hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in
fcapula defcenditque ad fontem, & haufit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paululum bibe-
re. 46 Quæ feftinans depofuit hydriam de humero, & dixit mihi. Et tu bibe, & camelis
tuis tribuam potum. Bibi, & adaquauit camelos, 47 interrogauique eam, & dixi: Cuius
es filia? Quæ refpondit: Filia Bathuelis fum, filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Su-
fpendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, & armillas pofui in manibus eius. 48 Pro-
nufque adoraui Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit
me recto itinere, vt fumerem filiam fratris domini mei filio eius. 49 Quamobrem fi facitis
mifericordiam, & veritatem cum domino meo, indicate mihi: fin autem aliud placet, &
hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram, fiue ad finiftram. 50 Refponderuntque Laban,
& Bathuel, A Domino egreffus eft fermo: non poffumus extra placitum eius quidquam
aliud loqui tecum. 51 En Rebecca coram te eft, tolle eam, & proficifcere, & fit vxor filij
domini tui, ficut locutus eft Dominus. 52 Quod cum audiffet puer Abraham, procidens
adorauit in terram Dominum. 53 Prolatifque vafis argenteis, & aureis, ac veftibus, de-
dit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque eius, & matri dona obtulit. 54 Inito conui-

uio, vefcentes pariter, & bibentes manferunt ibi. Surgens autem mane, locutus eft puer:
Dimittite me, vt vadam ad Dominum meum. 55 Refponderuntque fratres eius, & mater:
Maneat puella faltem decem dies apud nos, & poftea proficifcetur. 56 Nolite, ait, me
retinere, quia Dominus direxit viam meam: dimittite me, vt pergam ad dominum meum.
57 Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipfius voluntatem. 58 Cumque voca-
ta veniffet, fcifcitati funt: Vis ire cum homine ifto? Quæ ait: Vadam. 59 Dimiferunt
ergo eam, & nutricem illius, feruumque Abraham, & comites eius, 60 imprecantes
profpera forori fuæ, atque dicentes: Soror noftra, crefcas in mille millia, & poffideat fe-
men tuum portas inimicorum fuorum. 61 Igitur Rebecca, & puellæ illius afcenfis came-
lis, fecutæ funt virum: qui feftinus reuertebatur ad dominum fuum: 62 eo autem tempo-
re deambulabat Ifaac per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen eft viuentis, & viden-
tis: habitabat enim in terra auftrali: 63 & egreffus fuerat ad meditandum in agro, inclina-
Supr. 26. d.14. ta iam die: cumque eleuaffet oculos, vidit camelos venientes procul. 64 Rebecca quo-
que, confpecto Ifaac, defcendit de camelo, & ait ad puerum: 65 Quis eft ifte homo, qui
venit per agrum in occurfum nobis? Dixitque ei: Ipfe eft Dominus meus. At illa tollens
citò pallium, operuit fe. 66 Seruus autem cuncta, quæ gefferat, narrauit Ifaac. 67 Qui
introduxit eam in tabernaculum Saræ matris fuæ, & accepit eam vxorem: & in tantum di-
lexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

VERSVS I. *Erat autem Abraham fenex, dierumque multorum, & Dominus in cunctis benedixerat ei.*

Plerique fenefcunt ætatis curfu: verùm non dierum dicuntur multorum, nifi in fanctitate & iuftitia feruiant Domino. *Nefciunt impij quò corruant, via impiorum tenebrofa.* Prou. 4. Tenebrarum vices non patitur iuftus; cuius *Semita quafi lux fplendens*, in noctem non recidit; *fed procedit & crefcit vfque ad perfectum diem*: de qua fcilicet die gloriæ Zacharias, c. 14. ait, *erit dies vna, quæ nota eft Domino*, & Dauid in pfalmo 83. *melior eft dies vna in atrijs tuis*. Dies iuftorum in illos terminantur dies, de quibus dicitur, pf. 76. *cogitaui dies antiquos: & antiquus dierum fedit*; Danielis 7.

VERSVS II. *Dixitque ad feruum feniorem domus fuæ, qui præerat omnibus, quæ habebat.*

I
A 2.2.95. 7.
B op. 41. l. 5. c. 60. & hic.

Seruus ifte eft Eliezer, [A] de quo fit fermò fuprà c. 15. qui poft Abrahæ monita, nuncij [B] munus fufcepit ad Abrahæ cognatos. Crediderim memorari fenem, eo fenfu quo Numeri 11. dicitur, *congrega mihi feptuaginta viros de fenibus Ifrael, quos tù nofti, quòd fenes populi fint ac magiftri*: quo pacto etiam legitur, Sapientiæ 4. *Senectus venerabilis eft, non diuturna, neque annorum numero computata; can enim funt fenfus hominis.* Huic ergo totius domus Procuratori demandat Abraham, Ifaac filij fui nuptias.

VERSVS III. *Vt adiurem te per Dominum Deum cœli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo, &c.*

Quæret ftatim aliquis, cur iuramentum ferui fui exigat Abraham, ipfumque adiuret? cùm etiam abfque vllo iuramento, ftaret arbitrio Ifaac & Abrahæ, hanc & non illam ducere vxorem; & aliàs feruo fideli non iuffa folùm, fed nutus Domini credantur rationabiliter futuri fuiffe in legem, eamque inuiolatam. Quocircà, præter myfterium de quo mox dicam, puto iuramento adegiffe feruum, quia fortè propenfum nouerat ad affinitatem Chananæorum: ne ergò id vllatenus intentaret, ex quo cogeretur Abraham illorum filias inurbanè quafi refpuere, iureiurando adftrinxit Eliezer, vt linguam etiam, ab illarum connubijs quouis modo tractandis, cohiberet. Myfterium autem in iuramenti forma occulitur; ait enim, *pone manum tuam fubter femur meum*: in quo vidiffe innotefcit Incarnationem. *Significabatur*, [C] vt ait Augustinus, *quòd de femore eius proceffurus effet Deus cœli*. Quod quidem repetit alibi [D] S. Doctor dicens, *per femur enim propago carnis accipitur*, & lato hoc textu, fubdit, præuidit enim Dominum de femore nafciturum, per quem adiurauit feruum; necnon in Canticis, [E] per femur propagatio fobolis accipitur. Et hic, [F] nos autem dicimus, iuraffe in femine Abrahæ, hoc eft in Chrifto, qui erat ex illo nafciturus. Quod benè intelligens dixit, *pone manum tuam fubter*, non fuper, *femur meum*. Carnalis enim concupifcentia viget in femoris imo. Capitula offium femoris, inferta funt in cauis quibufdam acetabulis coxarum, vtrinque facro offi aftrictarum. Cum ergo ex Hieronymo, [G] qui iurat, aut veneretur, aut diligat per quem iurat; voluit fic Chrifto Domino, à feruo fuo exhiberi reuerentiam: hinc acquieuit prompto animo Eliezer; & Deum fibi præftò meruit, obeundum ad munus, & ad Rebeccam diuinitùs feligendam.

C Ioan. 8. l. 8.
D Apoc. 19. ad finem 2. commentario.
E Cantic. 4.
F D. Th. hic & infra c. 32.
G 2. 2. 89. 4.

Noluit autem Abraham cum Chananæis inire connubia, tùm, vt morum ac Idololatriæ prauitatem, & execraretur in prole, & [H] omnino vitaret; tum vt appareret magis inibi peregrinari, vfquequo Deus fua promiffa impleret; & per hoc fuis clariùs prædicaret, gentem illam effe delendam, & fuo femini in pofterum fugiendam. Præcepturus quippe erat Dominus Exodi 34. & Deuteronomij 7. ne cum ijs fociarent coniugia, immo delerentur; de quo S. Doctor [I]

z
H D. Th. hic.
I 4. 39. q. 1. 1. & alio fcripto.

VERSVS VI. *Caue, ne quando reducas filium meum illuc.*

Non hoc dicitur quafi haberet Eliezer auctoritatem fuper Ifaac; fed monet, [L] caueat, ne fponfam quærens pro illo, pactum fortè aliquod firmet, de reducendo illuc, vel breui tempore Ifaaco. Ibi perpendit D. Thomas; [M] peregrinum fe nuncupaffe Abraham, in ordine ad Patriam cœleftem; neglecta, immò abiurata terrena. In quo fignificatur, quòd illi, qui exeunt de vanitate fæculi, nò debent illùc redire mente.

L D. Th. hic.
M Hebr. 11. l. 4.

VER-

VERSVS XII. *Dixit* (ſeruus Abrahæ) *Domine Deus, Domini mei Abraham, occurre, obſecro mihi hodie, & fac miſericordiam*, &c.

Non poterat Eliezer in terra, & Gente incognita, & inexperta, deligere puellam Iſaac dignam, niſi ad diuinum auxilium facto recurſu. Itaque præcogitato, dignam domo Abrahæ illam fore, quæ beneficentiæ præſertim, atquè hoſpitalitatis floreret laude, ſupplex hoc petit in ſignum; dicens; *igitur puella, cui ego dixero inclina hydriam tuam, vt bibam: & illa reſponderit, bibe; quin & Camelis tuis dabo potum: ipſa eſt quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac, & per hoc intelligam, quod feceris miſericordiam cum Domino meo.* Ex actu benignitatis ſibi exhibendo, diſcernere cupit Dei miſerationem. Magna viro fit à Deo miſericordia, con bona vxor, quæ in terris *rara auis*, illi donatur. Non tentaſſe Deum, neque indiſcretè, aut ſuperſtitiosè, ſe hac in re geſſiſſe Eliezer conſtat: ſed omnem huiuſmodi cogitationem à Deo fuiſſe illi immiſſam, deprehenditur manifeſtè, ab euentu omnium ad votum. Quod quidem tradit hic, [n] & 2. 2. vbi inculpatam hanc facit obſeruationem, quaſi ordinatam à Diuina Prouidentia ad ſui inſtructionem, non vana diuinatione, aut omine, excogitatam: quod colligit ex oratione præmiſſa ad Deum; priuſquam enim huic ſigno hæreret, orauit abſolutè dicens, *occurre obſecro mihi hodie.*

N D. Th. hic 2. 2. q5. 7. 3.

VERSVS XVI. *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro.*

3 Facit caput iſtud ad caput 7. Iſaiæ, vbi legitur, *Ecce virgo concipiet*: vtrobique enim in Hebræo habetur *Almà*; hic quidem *Buthulà*, ſed v. 43. *Almà*. Conſtat autem Rebeccam virginem tunc fuiſſe. Immò quid amplius ſonat *Almà*, quàm ſignificet *Bethulà*; nam non ſolùm Virginem clauſtris pudoris intactis, ſed Virginem adoleſcentulam, nuptui aptam, *abſconditamque*, Græcè *Apocrypham*, importat. Tales ergo conditiones claudit vox *Almà* non ſecluſa Virginitate: nàm hoc verbum, vt obſeruat Hieronymus ſuper Iſaiam, nunquam [o] de muliere nupta legitur. Et ſi dicas cur ſubdit Sacer textus de Rebecca, *& incognita viro*; ſi enim præmittitur *Almà*, hoc eſt *abſcondita*, vt quid adijcitur fuiſſe *incognita*? Reſpondetur id ſubiungi non quidem ad refirmandam Virginitatem, quę inuoluitur in ſignificato vocis huius *Almà*: neque ad repetendam cuſtodiam, ſecundùm quam *abſcondita* dicebatur; ſed ad innuendum vltrà, quòd quamquàm ad hauriendam aquam, cum alijs [p] habitatorum, filiabus egrederetur, tantùm aberat periculum ſuſpicionis vel leuis, vt modeſto Patriæ ſub more, viro eſſet *incognita*. Crediderim ego tali ſigillo verecundæ modeſtię, vt ne quidem verbum, confabulationem multò minus cum viro vnquam haberet. Quòd fortè ideò notauit Spiritus ſanctus, quo inde innoteſceret diuino veluti inſtinctu inuſitatò Eliezer condeſcendiſſe. Septuaginta legunt; *Vir non cognouit eam*: Chaldæa; *Et vir non cognouerat eam*. Ex D. Bernardo ſtat Rebecca in typum Beatæ Virginis, nàm ſicut Iſaac non cognouit Rebeccā, *quæ tollens citò pallium ſuum operuit ſe*; ſic ſanctus Ioſeph poſt Verbi conceptionem, *non cognoſcebat eam*, Matth. 1. Vnde Hilarius in Homilia. *Si Moyſi cùm Deo colloquentis glorificata eſt facies, vt non poſſent intendere in eum filij Iſrael; quanto magis Maria agnoſci, aut intueri non poterat, quæ Dominum potentiæ in vtero habebat?*

O Hier. Iſaiæ & in Catena Matth.

P D. Th. hic.

VERSVS XXXI. *Ingredere benedicte Domini.*

Mirum eſt primo aſpectu, quomodo Laban frater Rebeccæ, in hæc erumpat verba; neque enim Dominum dicit, ſed *benedictum Domini*. Grandem ergò, audita puellæ relatione, adeptus eſt opinionem de Eliezer probitate. Sine dubio retulerat Rebecca, ſibi modeſtiſſimè allocutum, quod innuitur, dum legitur, occurriſſe ei tanquam ſeruum, dum depoſceret *pauxillum*, (quàm temperata petitio!) *pauxillum aquæ*. Deinde inclinaſſe ſe tanquam hominem, adoraſſe, gratiasque egiſſe Domino. Et paulò poſt; *hæc locutus eſt mihi homo: hominem* transfert noſter: quod nomen, terrenam, proinde vrbanam, atque dignantem valdè, indicat indolem. Et ſic dum conſenſum infrà requirunt Rebeccæ, *vis ire cum homine iſto*, & tamen virum pluries etiam legit, quod celſitudinem ac magnitudinem multigenam præſeferre ſolet.

VERSVS XXXXIX. *Quamobrem ſi facitis miſericordiam, & veritatem cum Domino meo, indicate mihi: ſin autem aliud placet; & hoc dicite mihi.*

Quia ſuprà non ſit mentio de Bathuel, [q] arbitrantur nonnulli Bathuel Patrem eius præmortuum, & veluti teſtamento delegaſſe, vt ita nuberet filia: & pro tanto ſubdatur mox, *reſponderuntque Laban, & Bathuel*: quod quidem non improbabile reputo, vel ex hoc vno, quòd præmittitur, Laban Bathueli. Verùm non cogit hoc; fieri enim poteſt vt Laban, qui primò occurrerat ſeruo Abrahæ primus conſenſerit, ſi tamen adeſſet Bathuelis conſenſus: præſertim quia paulo poſt legitur, ſurrexiſſe Eliezer, & dixiſſe, *dimitte me vt vadam ad Dominum meum*: cui autem dixerit, ſupprimitur. Sed per reticentiam quandam videtur interpellatus Pater, qui quamquam priùs cum ſuis deſpondiſſet, *en Rebecca coram te eſt, tolle eam & proficiſcere*, indubius de Rebeccæ etiam placitò; nunc tamen vrgente Eliezer, expreſſum requirit puellæ conſenſum: *vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem*. Et meritò, quia [r] ſine cōſenſu nullum eſt matrimonium; & quia inuictæ quomodocūque Nuptiæ, habere ſolent malum euentum.

Q Hic.

R [illegible] 29.

VERSVS LX. *Et poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.*

Similiter hæc verba protulit Dominus per Angelum Abrahæ ſuprà c. 22. vbi S. Doctor, [s] ideſt Vrbes, & terras eorum: quod eſt per ſynecdochen. Et ſimile quid pollicetur Deus [t] Iſaiæ 54. *ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit*. Quod impletum fuit tempore Machabæorum l. 1. c. 10. quando appoſitæ fuerunt quædam Ciuitates de regione Samariæ, & de alijs, Regno Iudæorum.

S D. Th. hic c. 22.

T Iſaiæ 14.

Hæc & alia ad literam geſta ſunt. Verùm cùm omnia, vt ait Apoſtolus *in figura* contigerint; allegoriæ admirabiles ſubſternuntur. Chriſtus Dominus, Iſaac deſponſandus. Extat Matrimonium Diuinitatis [v] ad carnem: quod eſt celebratum in vtero Virginis; vnde *ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo*. Pſ. 18. Tanto

V Matth. 25.

quippe fœdere vtramque naturam inſeruit, vt quod ſemel aſſumpſit, quemadmodum libro de Eccleſiaſticis dogmatibus dicitur, nunquam dimiſerit. Extat Matrimonium, quo dicitur ſponſus animæ; Oſeæ 2. *deſponſabo te mihi in fide.* [x]

X loc.cit. cap.22. & hic.

Præterea deſponſatio Iſaac, ideſt Chriſti cum Beata Virgine, præelecta à Deo Patre, iuxtà illud Pſalmi 131. *quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi.* Sion, ideſt beatiſſimã Virginem; quæ eſt ſpeculum, & ſpecula Eccleſię. Sic ferens hunc textum; *virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam*, &c. D. Thomas Apocalypſis 12. ad illa verba; *& in capite eius corona ſtellarum duodecim:* [A] Et quidem poteſt appellari Rebecca; vtpote quod interpretatur, *quæ multum accepit*: nàm illi *fecit Dominus magna*; ex quo *anima eius magnificat Dominum*. Denique eſt deſponſatio Chriſti ad Eccleſiam, formoſam valde, & decoram, *non habentem maculam, neque rugam*; vndè Apoſtolus Epheſiorum. 5. *ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*: & iterum, *deſpondi vos, vni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto*; & Apocalypſis 19. *nuptiæ agni venerunt*, [B] vbi S. Doctor; Harum nuptiarum ſponſalia fuerunt contracta in Incarnatione, ſolemnitas fuit celebrata in reſurrectione; traductio verò in thalamum, ſiuè in Totum fit modo particulariter in retributione; ſed vniuerſaliter fiet in extrema conſummatione. *Simile eſt* ergo Matthæi 22. *Regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.*

A Apoc. 12. primo commentario.

B Apoc. 19 2. commentario.

Et mirè quidem videtur hoc indicari in præſenti, dum inquit Eliezer, *quamobrem ſi facitis miſericordiam, & veritatem*: nàm, *miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi*. pſ. 84. *& omnis viæ Domini miſericordia*, pſ. 23. *& veritas*. Miſericordia enim motus, ſuprà rigorem iuſtitiæ ſoluit pro nobis: de quo ſuis locis. Et rurſùs, quia non ſine cauſa Eliezer, qui appellitatur ſeruus Abrahæ, vir, homo, ac benedictus Domini; poſt conſenſum de puella, vocatur puer; *Quod cum audiſſet puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum*; & iterum, *Surgens itaquè manè locutus eſt puer*. Quia, cùm vel in figura Incarnationis tangitur myſterium, vbi humilitas ſumma vndequaque reſplenduit, humiliato Domino, humiliata ancilla, debuit, & ſenex, puer nuncupari; & in omnibus tanquàm puer ſe gerere; *dicit Rebecca, ad puerum: Quis eſt ille homo?* interrogando de Iſaac. Et bene ſemper, dum Rebecca de illo inducitur per auſpicem quicquã loqui, aut de ipſo Iſaac quærere, hominem exprimit, quia aiebat etiam Propheta, *nunquid Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea*; pſalm. 86. Concinunt omnia his figuris.

VERSVS LXV. *At illa tollens cito pallium ſuum, operuit ſe.*

In documentum modeſtæ [C] verecundiæ, qua pulchritudo velanda eſt, ne ſit alijs in caſum.

C op. 18. c.8.

CAPVT XXV.

1. Par. 1. c.32.
1 ABraham verò aliam duxit vxorem nomine Ceturam: 2 quæ peperit ei Zam-
ran, & Ieſſan, & Madan, & Madian, & Ieſboc, & Sue: 3 Ieſſan quoque
genuit Saba, & Dadan. Filij Dadan fuerunt Aſſurim, & Latuſim, & Loomim.
4 At verò ex Madian ortus eſt Epha, & Opher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: omnes hi
filij Ceturæ. 5 Deditque Abraham cuncta quæ poſſederat, Iſaac: 6 filijs autem concubi-
narum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viueret, ad
plagam orientalem. 7 Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ centum ſeptuaginta quinque
anni. 8 Et deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum:
congregatuſque eſt ad populum ſuum. 9 Et ſepelierunt eum Iſaac, & Iſmael filij ſui in ſpe-
lunca duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre, 10 quem
emerat à filijs Heth: Ibi ſepultus eſt ipſe, & Sara vxor eius. 11 Et poſt obitum illius bene-
dixit Deus Iſaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine Viuentis, & videntis. 12
1. Par. 1. b.29.
Hæ ſunt generationes Iſmael filij Abrahæ, quem peperit ei Agar Aegyptia, famula Saræ:
13 & hæc nomina filiorum eius in vocabulis, & generationibus ſuis. Primogenitus Iſma-
elis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabſam, 14 Maſma quoque, & Duma, &
Maſſa, 15 Hadar, & Thema, & Iethur, & Naphis, & Cedma. 16 Iſti ſunt filij Iſmaelis:
& hæc nomina per caſtella, & oppida eorum, duodecim principes tribuum ſuarum. 17 Et
facti ſunt anni vitæ Iſmaelis centum triginta ſeptem, deficienſque mortuus eſt, & appoſitus
ad populum ſuum. 18 Habitauit autem ab Heuila vſque Sur, quæ reſpicit Aegyptum in-
troeuntibus Aſſyrios, coram cunctis fratribus ſui obijt. 19 Hæ quoque ſunt generationes
Iſaac filij Abraham: Abraham genuit Iſaac: 20 qui cum quadraginta eſſet annorum, du-
xit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Meſopotamia, ſororem Laban. 21 Depre-
catuſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis: qui exaudiuit eum, & de-
dit conceptum Rebeccæ. 22 Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si ſic mihi
Rom. 9. c.10.
futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Perrexitque vt conſuleret Dominum. 23 Qui
reſpondens, ait: Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur,
populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. 24 Iam tempus pariendi adue-
Oſeæ 12. a.3.
nerat, & ecce gemini in vtero eius reperti ſunt. 25 Qui prior egreſſus eſt, rufus erat, &
Matth. 1. a.2.
totus in morem pellis hiſpidus: vocatumque eſt nomen eius Eſau. Protinus alter egrediens,

plantam fratris tenebat manu:& idcircò appellauit eum Iacob. 26 Sexagenarius erat Iſaac,
quando nati ſunt ei paruuli. 27 Quibus adultis, factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & ho-
mo agricola: Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis. 28 Iſaac amaba Eſau,
eo quòd de venationibus illius veſceretur: & Rebecca diligebat Iacob. 29 Coxit autem
Iacob pulmentum, ad quem cum veniſſet Eſau de agro laſſus, 30 ait: Da mihi de coctio-
ne hac rufa, quia oppidò laſſus ſum. Quam ob cauſam vocatum eſt nomen eius Edom. 31 Hebr. 12. c. 16
Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. 32 Ille reſpondit: En morior, quid mihi Abdiæ 1. a.
proderunt primogenita? 33 Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Eſau, & vendidit pri-
mogenita. 34 Et ſic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abijt: paruipen-
dens, quòd primogenita vendidiſſet.

VERSVS I. *Abraham verò aliam duxit vxorem, nomine Ceturam.*

Suſpicantur Hebræi eandem [A] eſſe Agar, & Ceturam. Forſan crediderim ego, id accepiſſe traditione. Quod quidem & Hieronymus quandoque ſub dubio relinquit, quandoque probat; eo quòd in ſacra Scriptura Agareni memorantur (vtique ab Agar) vt patet 1. Paralipomenon 5. atque diſcernuntur ab Iſmaelitis, vt Pſ. 82. *Tabernacula Idumæorum i & Iſmaelitæ.* Addo veriſimile eſſe, vt hæc Cetura vocata ſit ipſa Agar; quoniam aliàs Sacer textus non facilè omiſiſſet Ceturæ Patriam & auos, cùm, tàm ſancto, & inſigni viro fuerat ſocianda. Et prætereà, quia paulò poſt, relata morte Abrahæ, ſepelierunt eum Iſaac, & Iſmael: quod argumento eſt, defuncta Sara, reuocatam Agar cum filio. Et denique id ſuadetur, attento, quod paulò poſt legitur, nimirum, obijſſe Iſmaelem *coram cunctis fratribus ſuis.* Quod licèt exponi poſſit ſic, vt fratres etiam filij appellentur, quod obſeruat S. Doctor capite præcedenti, ſuper illud, *reſponderunt fratres eius, & Mater*; & hic ex D. Hieronymo recòlente ad hunc ſenſum c. 31. dum loquitur Iacob ad Laban, *fratres* ſuos filios appellans: tamen hic non videtur par ratio; quoniam paulò ante enumerantur filij Iſmaelis; vt quid ergò ſtatim obijſſe coram fratribus diceretur, & non coram filijs? potius ergò fratres iſti ſunt quos genuerat ex Cetura, ſiue ex Agar Abraham, poſt obitum Saræ.

[A: D. Th. hic.]

1 Videtur huic expoſitioni obeſſe, quòd pluraliter filijs concubinarum *largitus* Abraham *munera* perhibetur. Sed ait, [B] D. Thomas; ponitur plurale pro ſingulari. Quod ne perperam excogitatum credatur, alia congero loca, & auctoritates; cum enim dicatur in pſalmo 50. *& in peccatis concepit me mater mea*; præ ceteris ſolutionibus, ait [C] Angelicus, quamquam in homine vno, vnum dumtaxat ſit originale peccatum, ſecundùm morem diuinæ Scripturæ, ponitur pluralis numerus pro ſingulari; ſicut Matthæi 2. *defuncti ſunt qui quærebant animam pueri.* Similiter vbi Hebræorum 11. dicit Apoſtolus, *obturauerunt ora Leonum*, [D] loquitur in plurali, licèt non fuerit niſi vnus; ſcilicet Daniel. Et iterum Matthæi 26. quamquam legatur, *videntes autem diſcipuli indignati ſunt, dicentes, vt quid perditio hæc?* intelligitur, præcipuè ſaltem, de ſolo Iuda: quemadmodum Ioannes ait cap. 12. quod quidem ibi animaduertit Angelicus, & [E] docuerat prius in Matthæum, dicens ſecundùm Hieronymum eſt locutio per ſynecdochen, *diſcipuli*, ideſt diſcipulus. Et hic modus conſuetus eſt in Scriptura. Hebræorum 11. *ſecti ſunt*, quia vnus ſectus, ſcilicet Iſaias.

[B: D. Th. hic.]
[C: de malo q. 4. a. 8. 1. & p. 2. 81. a. 1.]
[D: Hebr. 11. l. 7.]
[E: Matth. 26. & Io. 12. l. 1.]

Porrò ſtatim enaſcitur ſcrupulus, cur Abraham ætate grandæuus, alij ſit vxori commiſtus? Sed cum Auguſtino, [F] abſit, vt incontinentiam ſuſpicemur; præordinauit enim Diuina ſapientia hæc, & ſimilia, in futurorum figuram: carnales autem ſub nouo teſtamento ſignificantur, qui etſi ſub Abrahæ ſint familia, non ſunt, filij liberæ. Deinde cur non exprimatur hæc alia vxor Abrahæ ſuo nomine Agar? multiplex eſſe poteſt ratio. Ne myſterium prioris [G] eiectionis veluti obſcuraretur, & euaneſceret. Decuit hoc etiam, vt mutato nomine, mutatio circa ipſam Agar facta innueretur; Abraham enim edoctus à Deo nominum ſui, & vxoris mutationem, appellandam non vltrà *Agar*, ſecundariam veluti vxorem; ſed *Ceturam* decreuit. *Cetura* quippe copulatam, ſeu coniunctam ſonat. Sicuti è contrà, non perperàm attexendo generationes Iſmael, repetuntur non ſiue arcano quædam prænota; dicendo, *Hæ ſunt generationes Iſmael, filij Abrahæ, quem peperit ei Agar, Aegyptia, famula Saræ.*

[F: D. Th. hic.]
[G: D. Th. hic.]

VERSVS V. & VI. *Deditque Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac; Filijs autem concubinarum largitus eſt munera.*

Cauebatur pactis, ne filij concubinarum in hæreditatem tranſirent Paternam; ideò Iſaac ſolus eſt hæres. Muneribus tamen quibuſdam decorabantur. Sic (tropologicè aptando) Deus hæreticis largitur [H] quidem munera, ſed non hæreditatem, gratiæ & gloriæ. Vnde ferens hunc locum ait S. Doctor, [I] *proſperantur impij, propter hæreditatis amiſſionem.* Concubinæ fortè poſſent accipi vxores aliquæ filiorum Abrahæ; ne cogamur diſtinctam ab Agar facere Ceturam; quamuis enim dicatur, *aliam duxit vxorem*, eſſe poteſt ſenſus, *aliam* ideſt alteram; duas ſiquidem habuit.

[H: D Th. hic]
[I: Hiere-miæ 12.]

VERSVS VIII. *Et deficiens mortuus eſt in ſenectute bona.*

Iſaac cum quadraginta eſſet annorum, vt hìc legitur, duxit vxorem Rebeccam: vnde cum Mater eius Sara ipſum conceperit nonagenaria, & mortua ſit annorum cētum & viginti ſeptem, vt dicitur cap. 23. deprehenditur Iſaac duxiſſe vxorem quadriennio poſt eius mortem: & tamē viguit in eo dolor de amiſſa Matre, vſque ad aduentum Rebeccæ, & vltrà; ſicuti legitur capit. præcedenti; *& in tantum dilexit eam vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Quid fuerit de tanto Patre?

Obſeruat S. Doctor [L] Abraham mortuum in terra promiſſionis, illorum eſſe typum, qui ſtatim euolant. Iacob autem & Moyſen mor-

[L: Apoc. c. 14. longè poſt mediū a. commēt.]

tuos

tuos in Ægypto illorum eſſe in figuram, qui nonnulla imperfectionis labe inquinati, non ſtatim conſcendunt; ſed luſtralibus purgati flāmis, ad cęlum perueniunt: ſicut præfatorum oſſa de Ægypto in terram promiſſionis portata ſunt.

VERSVS XIII. *Primogenitus Iſmaelis Nabaioth, deinde Cedar.*

M Hic.
N Cant. cic. 1.

A Cedar dicta eſt Cedar Regio [M] in deſerto. Memoratur etiam hic Cedar Canticorum 1. *Nigra ſum ſicut tabernacula Cedar*, vbi [N] D. Th. Cedar interpretatur tenebræ. Iſmaelitæ verò ſemper in tabernaculis habitare ſoliti ſunt; & non habent Domos. Perſecutorum & peccatorum, qui ſunt infidelitate nigri, cedit in ſignum. Sed cum hæc expoſitio credatur Haymonis, audiamus germanam D. Thomæ. Cedar fuit ſecundus filius Iſmaelis, & fuit profugus ſuper terram, ſicut Iſmael Pater ſuus, cui dictum fuerat; manus tuæ contra omnes, & manus omnium contra te; (ſupra cap. 16.) ideo Cedar quaſi habitus odio ab omnibus gentibus non morabatur inter gentes, ſed morabatur extra in tentorijs; cuius tabernacula ratione pluuiæ denigrata erant: ſic Eccleſia deſpecta à gentilibus, inter eos abſque turbatione manere non poterat.

VERSVS XIII. *Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis.*

2 Sterilis fuerat Sara; ſterilis nunc Rebecca. Sapiens Dominus, qui tamen ſemen ſicut Stellas Cœli promiſerat, non ſine arcano myſterio id aſtruxit. Siquidem [O] omnes conceptus miraculoſi qui fuerunt in veteri teſtamento, fuerunt quaſi figura illius maximi miraculi, quod fuit in Chriſti Incarnatione; oportuit enim natiuitatē eius ex Virgine per aliqua præfigurari, ad præparandos animos ad credendum. Quod quidem docuerat Ambroſius [P] in Hexameron, præueniſſe ſcilicet multas ſteriles, vt partus credatur virginis. Sentit id ipſum Chryſoſtomus homilia 49. in Geneſin. Quamuis præceſſerat Diuina promiſſio de generatione prolis, ſucceſſiuè in generationē; quia tamen Diuina promiſſio, & [Q] prædeſtinatio non euacuat orationes; immò exigit eas, deprecatus eſt Iſaac: non enim Deus deſtinat talia futura abſolutè, & in omnem euentum, ſed ſub congruis conditionibus, & præſuppoſitis debitis diſpoſitionibus. De hoc tangitur alibi. [R] Poſſet etiam dici, quòd licèt Iſaac eſſet certus ſe habiturum filios, non tamen [S] erat certus an de Rebecca. Quocircà ait idem Sanctus Doctor [T] non eſt inconueniens, quòd à Deo petamus id quòd certiſſimè ſcimus ipſum facturum; ſicut Chriſtus Ioan. 17. petijt ſuam clarificationem.

O Hebr. 11. l. 3.
P 1. p. 30. 4. 1.
Q D. Th. hic.
R p. p. 23. 8. & 1. 41. 1. 4.
S D. Th. hic.
T 3. p. 83. 4. 7.

VERSVS XXII. *Sed collidebantur in vtero eius paruuli.*

Litera Hieronymi habet, *& mouebantur filij eius in ea*. Septuaginta poſuerunt, *ludebant* ſiue, *calcitrabant*; ſeù, *ſaltabant*. Aquila; *confringebantur*. Symmachus quod inſtar Nauis agitatæ in ſuperficie ferebantur. [V] Chaldæa; *collidebantur*. Huiuſmodi colliſio alterutra infantium grauis euadebat Rebeccæ, & periculoſa, vnde aiebat; *ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Fuit autem eiuſmodi colliſio paruulorum, inſtinctu Diuino, quo mouebantur adhuc impotes vſus rationis: ea proportione, qua, columba [X] quæ ſuper Chriſtum deſcendit, & coruus, qui pauit Eliam, cete etiam quod abſorbuit, & eiecit Ionam, dicuntur à D. Thoma moti à Deo. Meritò igitur orandi locum adit, Dominum conſultura afflicta Mater.

V D. Th. hic.
X 2. 2. 95. 7.

VERSVS XXIII. *Qui reſpondens ait. Duæ Gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur: populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.*

Triplicem expoſitionem loci huius fert S. Doctor. [A] Prima, ſecundùm eorum perſonas; & ſic intelligitur, Eſau ſeruijſſe Iacob, non directè ſed occaſionaliter, in quantùm perſecutio quam ei intulit, in eius bonum ceſſit: Prouerb. 11. *qui ſtultus eſt ſeruiet ſapienti*. Secunda, vt referatur ad populos, ex vtroque progenitos, quia Idumæi aliquando fuerunt ſubiecti Iſraelitis, ſecundùm illud Pſal. 59. *in Idumæam extendam calceamentum meum*; & hoc videtur competere ijs, quæ præmittuntur (inquit) in Geneſi; *Duo populi ex ventre tuo diuidentur; populus populum ſuperabit, & maior minori ſeruiet*. Hoc ipſum docet Angelicus in præſenti [B] dicens, ſecundùm literam hoc impletum fuit tempore Dauid, quando Edon factus eſt tributarius, prout habetur 2. Regum 8. de quo 1. Paralipomenon etiam c. 18. & quidem à Dauid vſque ad Ioram filium Ioſaphat, ſemen Eſau ſeruiuit Regibus Iuda. Ex tunc verò excuſſerunt iugum ſeruitutis, vt habetur 4. Reg. 8. *in diebus eius receſſit Edon, ne eſſet ſub Iuda, & conſtituit Regem*. Fuerunt, etiam Idumæi, qui ègreſſi ſunt de Eſau ſubiecti filijs Iſrael. Tertia expoſitio eſt, vt figuraliter intelligatur dictum, vt per maiorem intelligatur populus Iudæorum, qui primò adoptionem filiationis accepit, ſecundùm illud Exodi 4. *filius meus primogenitus Iſrael*: per minorem autem figuretur populus gentilium, qui poſteriùs eſt ad fidem vocatus; qui etiam figuratur, per filium prodigum Lucæ 15. maior ergò populus ſeruiet minori, in quantùm Iudæi ſunt noſtri Capſarij, cuſtodientes libros, ex quibus noſtræ fidei teſtimonium perhibetur. Sed quia temporalis ſeruitus, [C] aut temporale dominium, non fuit magnum quid apud Dominum, nec apud Sanctos eius, niſi ſecundùm corticem veteris teſtamenti; idcircò ſecundùm interiorem medullam, intelligitur hìc principaliter Chriſtianorum ſuper Iudæos, & ſpiritualium ſuper carnales imperium, ſeu præpollentia. Moralem ſenſum expromit etiam, [D] ſcilicet quia miniſter Eccleſiæ, debet eſſe ſicut ſeruus, quærens non ſolùm honorem Dei, ſed etiam vtilitatem ſubditorum; aliàs non bene regit, ſed eſt tyrannus: & ſic *maior ſeruiet minori*, vnde 1. Corinth. 9. Apoſtolus, *cum eſſem liber, omnium veſtrum me ſeruum feci*.

A Rom. 9. l. 2.
B D. Th. hic & c. 27. in fine & Hebr. 12. l. 5.
C D. Th. hic.
D 2. Cor. 4. l. 2.

VERSVS XXV. *Qui primus egreſſus eſt rufus, &c: Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu; & idcircò appellauit eum Iacob.*

Vbi nos habemus *in morem pellis hiſpidus*, in Hebræo ſecundùm Hieronymum, habetur *Seir* quod interpretatur [E] *piloſus*. Siue quod idem ſonat, nimirum [F] *hiſpidus*. In Plantæ tentione ſignificatur quòd fratrem ſuum Eſau ſupplantaturus erat; luctantes enim ſolent ſe mutuò ſupplantare, ſiue decipere, per hoc quòd vnus ſuo pede tangens plantam alterius, facit eũ 4

E D. Th. hic.
F Apoc. 14. ſatis poſt principium 2. commentario.

ſubi-

G Apoc. prolog. 1. comm. & hic. subitò labi. Iacob ergò [G] supplantatorque idem sunt: quemadmodum dicitur infrà c. 27. *iustè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me, en, altera vice*. Alibi docet, *Iacob* [I] interpretari *luctatorem*; quo monemur cauere à negligentia, Deique gratiæ sedulò cooperari. Luctabatur præterea Angelus cum Iacob, vt dicemus.

I Matth. 1.

VERSVS XXVIII. *Isaac amabat Esau, eo quòd de venatione illius vesceb atur: & Rebecca diligebat Iacob*.

Ex venatione emicuit reuerentia, & obsequiosa deuotio Esau ad Isaac? ideòque illa ab occasione, dicitur, prædilexisse eum, eò vel maximè, quòd humanitus existimabat, in Esau tanquàm in primogenito complendas promissiones, non enim habemus vsque tunc, reuelatum fuisse Isaac, quod Rebeccæ. Documento etiam sanctioribus, vt caueant ab affectione carnali, qua sensim ad obsequentes feruntur: quo pacto, & Abraham Ismaeli plusquàm Sara suprà c. 21. recolitur fuisse propensior: vt hic & ibi [L] D. Thomas obseruat.

L Hic & c. 21.

VERSVS XXX. *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum*.

Quamuis diues esset Isaac, nolebat liberos suos in carnali ocio nutriri; [M] vnde Esau agricola erat; & fessus de agro venerat, quando Iacob valde simplicem cibum sibi coxerat. Gulosus autem fuit vehementer; licèt enim gula secundùm rationem suæ speciei non sit peccatum mortale, de quo [N] D. Thomas; tamen quandoque tanta potest esse concupiscentiæ inordinatio, vt sit mortale. Sic contigit in Esau, qui propter [O] cibum primogenita vendidit, vnde quodammodo videbatur delectationem cibi concupiscere tanquam finem, & sic glossa ait, quòd *Esau fuit gastrimargus*, idest gulosus; ideòque profanus. Profanum quippè ipsum vocat Apostolus, Hebræorum 12. idest, *procul à Phano*, à Dei [P] Templo; tales enim sunt gulosi, [Q] qui de ventre suo Deum faciunt. Cum autem quinque modis per sequentem notatis versum, gula contingat; *præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè*, (quem fert Angelicus pluries) [R] videtur præ cæteris deliquisse Esau, quia præter mensuram, immò contrà mensuram, auidè, & ardenter comedit, contrà illud Eccl. 37. *noli esse auidus in omni epulatione*. & abijt, inquit Sacer textus, *parui pendens quòd primogenita vendidisset*.

M Hiec. 28.

N 1. 2. 148. de malo 14. a. 2.

O de malo ibi ad 1.

P D.Th. hic.

Q Hebr. 12.l.3.

R Apoc. 16. circa medium commentario 1. 2. 2. 148. 4 & hic.

Adnectitur his grauis quæstio de labe Simoniæ; an alter, vel vterque contraxerit illam. Difficultas autem enascitur, quia primogenitus ex iure, [S] ante sacerdotium Aaron, habebat honorem sacerdotalem: quod quidem alibi etiã, præsertim [T] cap. 3. ad Hebræos, pariter sub his verbis, sciendum est, quòd ante legem consuetudo erat, quòd omnes primogeniti erant sacerdotes, & hoc pertinebat ad ius primogenituræ. Addit in primo loco, quòd ius quoque erat primogeniti, vt haberet duplicem portionem: quæ quidem hic [V] recolligens ait, Hieronymus dicit, quòd Hebræi tradunt, primogenitos functos officio sacerdotum & habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti Deo victimas offerebant, antequàm Aaron in sacerdotem eligeretur. Quidam etiam (subdit) dicunt, quòd primogenitura sex dignitates habebat, vestem, & hæc erat præcipua, (supple, vltrà sacerdotum) finalem benedictionem; in conuiuijs duplicem partem ferculorum; primam lectionem, duasque partes hereditatis.

S Hebr. 12.l.3.

T Hebr. 2.l.3.

V D. Th. hic.

Neoterici quidam etsi culpent Esau factum de irreligiositate, ac de gula, non tamen simoniæ formaliter arguunt; quia inquiunt, ius sacerdotij non erat nisi accessorium ad ius primogenituræ, quod in se, & in reliquis erat accessorijs erat temporale, & pretio æstimabile: talia vero emi, & vendi possunt; vt fit quotidie in varijs dominijs temporalibus, quibus annexus est iuspatronatus. Sic nouo ex capite, à fortiori excusant Iacob, iuuenem pium, ac sagacem, scientemque sacrum à profano, mente, ac intentione secernere: non sic in intentione laxa nimis, tuentur Esau, qui immò tàm sacra quàm profana ridens, vtraque per contemptum vendiderit, atque adeò simonia peccatit. S. Thomas non ita: expresse quidem peccasse docet, in 4. & 2. 2. citandis; & 12. Hebræorum præfaro, simoniam inquir [X] commisisse. X Hebr. 12.l.3. 6

Itaque pro rei huius luce (dimissis spiritualibus per essentiam, qualia sunt gratia & virtutes, atque continentibus spiritualia, vt sunt sacramenta) sciendum est, annexionem inter spirituale & temporale multiplicem esse, neque passim licere, emi aut vendi spiritualibus annexum. Beneficium Ecclesiasticum, quauis mentis separatione à clericali officio, nec vendi nec emi potest; quia si intelligatur sine officio, iam non est; eoquod ab officio dependet, quod præsupponit. Similiter vasa Sacra, & huiusmodi, cùm annexa sint spiritualibus tanquam fini, à quo veluti specificantur, nequeunt vendi: nisi ex aliqua Ecclesiæ necessitate, aut pauperum, præmissa oratione, priùs confringantur, & tanquam metalla venditioni exponantur. Quare ad rem nostram, cum ipsa progenitura physicè vendibilis non esset, certum est, de consecutis ad illam nexu iuris, quæstionem esse. Si quidem priuilegium Sacerdotij consequebatur tanquàm accessorium ad aliàs dignitates, videretur ad has tanquam ad præcedentes potuisse dirigi intentio: sin autem, non ita; quin potiùs cæteræ dignitates, & prærogatiuæ præcipuam Sacerdotij præsupponebant: quemadmodum, quia beneficium supponit officium, certum est, quauis mentis partitione intercedente, esse simoniam. Ex quo sequitur nullam esse paritatem Iurispatronatus; hic enim cùm ordinetur ad præsentandum clericos ad ecclesiastica beneficia, extrinsecè omninò, spiritualis est, habetque vnde absque simoniæ vitio transeat, venditis villis, aut in feudum datis, quibus nempe adnectitur. Vide [A] D. Th. Quicquid tamen de Esau fuerit; vindicandus venit omninò Iacob dilectus ab omni peccato. Conscius quippe credi potest, vel matre ipsa reuelante, de Diuina præordinatione, quam posteà per Malachiam propalauit Dominus dicens cap. 1. *Dilexi Iacob; Esau autem odio habui*. Hinc S. Doctor [B] dicendum quòd si ex ambitione primatus, aut ex cupiditate lucri primogenituræ, aut ex impietate in fratris necessitatem, aut ex animo ipsum malitiosè decipiendi hoc fecisset, absque dubio malè fecisset, & enormiter peccasset in Deum & in fratrem: sed puto, pro certo tenendum esse, quod ad hoc spiritualiter, & auctoritate diuina & reuelatio-

A 4.25.3. 2. & 2. 2. 100.4.3.

B D. Th. hic.

ne

ne prophetica motus fuerit, tùm vt peccati gulæ vilitatem ac irreligioſitatem per hoc detegeret, tùm vt dignitatem primogenituræ illum de iure diuino amiſiſſe, & ſe acquiſiuiſſe oſtenderet; tùm vt futurorum myſteria in hoc prophetice præfiguraret.

Itaque vltra ſuperiùs dicta ad illud, *maior ſeruiet minori*; addi poteſt, quod tradit Apoſtolus [C] Romanorum 9. *vt ſecundùm electionem, propoſitum Dei maneret*: voluit enim Dominus, (præter alia) Pelagianorum prædamnare errorem, naturam extollentium gratia depreſſa. Igitur Iacob [D] per Spiritum Sanctum intellexit ius primogenituræ ſibi deberi, iuxta illud Malachiæ 1. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*; & ideò non emit, ſed quod ſibi debebatur ab iniuſto poſſeſſore redemit. Et hoc eſt, quod aliàs etiam docuerat Angelicus dicens, [E] Ius primogenituræ debebatur Iacob, ex diuina inſtitutione; & ideò non peccauit emens: ſed redemit vexationem ſuam, & iterùm, Iacob autem non peccauit [F] emendo, quia intelligitur ſuam vexationem redemiſſe. Sic ſanè quiſpiam electus in Prælatum ritè & Canonicè, poteſt tutò etiam pecunia arcere, quibus præpeditur ſibi Prælatio, moleſtias; quia præhabet regiminis iura; ideò redimit vexationem. Iuuat ergò credere Matrem, quæ diuinitùs fuerat inſtructa de myſterio ſæpè commonuiſſe Eſau, vt cederet quod ex natura conſequebatur prælectiuæ gratiæ; repentina ſiquidem petitio Iacob *vende mihi primogenita tua*, id innuit. Cùmque nollet Eſau tàm ſanctæ matri acquieſcere, ex inobedientiæ vitio in vitium gulæ inordinatiſſimæ permiſſus eſt labi; quam nactus occaſionem Iacob, in bonum conuertit; iureiurando coarctans fratrem, vt ſeriò perderet, quod iniqua retinebat vſurpatione. Sic etiam hodie guloſus [G] pro minima eſca, vendit hæreditatem æternam. Inde quia rufam lenticulam importunè concupiuit [I] vocatum eſt nomen eius Edom, quod interpretatur rubrum ſiue fuluum; dixerat quippe & Eſau da mihi de coctione hac rufa. D. Hieronymus Prologo in Abdiam. Eſau, qui ob coctionem rufam Edom, Hebræa lingua, appellatus eſt (patetque ex textu) quod latinè rufus dicitur. Rufus eſt ergo appellatus qui primò dictus eſt Eſau, quod rubens (niſi rubeus) interpretatur ait S. Thomas. [L] Ferunt communiter aliam nominis Eſau interpretationem: ſed cum ex qualitate quam habuit naſcens, ſit hoc nomen impoſitum, & hiſpidus ſignificetur per Seir, videtur omninò dictus Eſau, quia rufus erat. Præſignare ergò voluit Altiſſimus futurum ipſius gulæ lapſum in coctionem rufam, per qualitatem ſui corporis, cùm natus eſt, & per nomen impoſitum, ſic tamen, vt Edom rufum, Eſau rubentem ſeu rubeſcentem importet; vt pudefacti pudor prænotaretur.

C Rom. 9.l.2.
D Hebr. 12.l.3.
E 4.15.3. a.1.5.
F 2. 2. 100.4.3
G Hebr. 12.l.1.
I D. Th. hic.
L 1 p.37. 2.

7 Tractat hic c. 36. breuiter Tirinus de finali ſalute Eſau, vel damnatione, veriſimiliùs putās reſipuiſſe, nec eſſe damnatum, quia ad Iacob aliquando amicabiliter ſe habuit. Sed aliud eſt poſuiſſe tandem iras: aliud Deo fuiſſe per pœnitentiam acceptum. Sanè D. Paulus Hebræorum 12. inquit, *ne quis fornicator, aut profanus, vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua. Scitote enim quoniam, & poſteà cupiens hæreditare benedictionem reprobatus eſt; non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquàm cum lachrymis inquiſiſſet eam*. Vbi S. Doctor, [M] Eſau autem non ſolùm fuit guloſus, ſed etiam luxurioſus; quia contrà voluntatem parētum duxit vxores alienigenas. Legitur hic capite ſequenti, quòd quadragenarius duxit vxores duas Iudith filiā Beeri Ethæi, & Baſemath filiam Elon eiuſdem loci: quæ ambæ offenderant animam Iſaac, & Rebeccæ; offenderant autem, fortè [N] vel propter idololatriam, vel propter prauam, & immoderatam vitam; vnde, & præmittitur hoc, ante benedictionem ſublatam Eſau & datam Iacob, ad ampliùs ſubinnuendum aliquid de demerito Eſau, propter quod etiam benedictionem amiſit. Et citato loco ad Hebræos idem S. Doctor, interdum aliquis pęnitet, non propter amorem iuſtitiæ, ſed propter timorem pęnæ, vel damni temporalis; & ſic pęnituit Eſau, non quia vendiderat primogenita, ſed quia perdiderat: vnde non dolebat de peccato venditionis, ſed de damno perditionis: & ideò pęnitentia eius non fuit accepta, quia non erat vera. Et hic ſuper præfata Verba Apoſtoli [O] inquit, non ſolùm fuit hoc, ratione culpæ priùs commiſſæ, ſed etiam ratione præſentis; quia non cum humilitate debita, nec cum uirtuali contritione perijt illam; ſed potiùs ex multa in fratrem indignatione, & inuidia; & ex præſumptuoſa ambitione primatus ſpiritualis, & temporalis, à quo propter ſuperbiam ſe moleſtè ferebat reiectum, flebat, & benedictionem petebat. Præterea idem S. Doctor, [P] Eſau non uerè pęnituit: quòd patet ex hoc, quòd dixit, *venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*. Et gloſſa ad illud Apoſtoli. *Fornicator aut profanus vt Eſau*, uult quòd fornicator dicatur, qui cum fide carnales cæremonias obſeruat; ſicut habens concubinam cum uxore propria. Profanus autem procul à Phano, ideſt penitus infidelis. Quod item refert Angelicus. Et ſanè cum præſcientia ſignetur in Malachia relato ab Apoſtolo Romanorum 9. *antequam quicquam boni, vel malè egiſſent, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, non rectè detorqueri uidetur ad poſteros eorum, & ad temporalem tantùm benedictionem. Tandem in Sacra hac hiſtoria, neque Tempus Vitæ neque mors Eſau enarratur; quod non leui eſt argumento periſſe, à ſupernaturali diuina prouidentia neglectum.

M Hebr. 12.l.3.
N D.Th. hic c.26.
O D.Th. hic c.27.
P 3.p.81. 1. 1. & 4. 14. 2. l.1.

8 Quoniam autem geminos iſtos commemorans Apoſtolus Rom. 9. aſſumit, *cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori*, &c.] iuuat cum D. Thoma ibi l. 2. tres explodere errores; Primum Manichæorum, qui diuerſitatem eorum, quæ hominibus accidunt natiuitati adſcribunt; vt ſcilicet vniuſcuiuſque vita & mors diſponatur ſecundùm conſtellationem ſub qua natus eſt. Contra quod Hieremiæ 10. *à ſignis cæli nolite metuere; cum nondum nati fuiſſent*. Secundum Pelagianorum, qui dicunt iuxta merita præcedentia gratiam dari: cùm tamen ſcriptura ſit Titi 3. *non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit; antequam aliquid boni egiſſent aut mali*. Tertium Origenis, qui

posuit animas hominum simul, cum Angelis esse creatas; & quòd pro meritis eorum, quæ ibi egerunt benè, vel malè, diuersitatem vitæ sortiuntur: secundum quem, non posset esse verum, quod dicitur, *cum nondum aliquid boni egissent, aut mali*, & Iob 38. *Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?*

CAPVT XXVI.

1 ORta autem fame super terram, post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus A-
braham, abijt Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara, 2 Appa-
ruitque ei Dominus, & ait: Ne descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra,
quam dixero tibi. 3 Et peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi: tibi enim, Supr. 12.
& semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod spopondi Abra- b.7 13. 15.
ham patri tuo: 4 Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cęli: daboque posteris tuis vni- d.18.
uersas regiones has, & BENEDICENTVR in semine tuo omnes gentes terræ, 5 Supr. 12. a.3. 18. c.
eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea, & cere- 18. 22. d.
monias, legesque seruauerit. 6 Mansit itaque Isaac in Geraris. 7 Qui cum interrogare- 17.9.c.19.
tur à viris loci illius super vxore sua, respondit: Soror mea est: timuerat enim confiteri,
quod sibi esset sociata coniugio, reputans ne fortè interficerent eum propter illius pulchri-
tudinem. 8 Cumque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abi-
melech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua. 9
Et accersito eo, ait: Perspicuum est, quod vxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam
esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam. 10 Dixitque Abimelech: Quare im-
posuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos
grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens. 11 Qui tetigerit hominis huius v-
xorem, morte morietur. 12 Seuit autem Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centu-
plum: benedixitque ei Dominus. 13 Et locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque
succrescens, donec magnus vehementer effectus est: 14 habuit quoque possessiones o-
uium, & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Palæstini, omnes pu-
teos, quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes hu-
mo: 16 in tantum, vt ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede à nobis, quoniam poten-
tior nobis factus es valde. 17 Et ille discedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habita-
retque ibi: 18 rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos,
illo mortuo, olim obstruxerant Philisthijm: appellauitque eos eisdem nominibus, quibus
ante pater vocauerat. 19 Foderuntque in Torrente, & repererunt aquam viuam. 20 Sed
& ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua,
quam ob rem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocauit Calumniam. 21 Foderunt au-
tem & alium: & pro illo quoque rixati sunt, appellauitque eum, Inimicitias. 22 Profectus
inde, fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, Latitu-
do, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram. 23 Ascendit au-
tem ex illo loco in Bersabee. 24 vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum
Deus Abraham patris tui noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo
semen tuum propter seruum meum Abraham. 25 Itaque ædificauit ibi altare: & inuocato
nomine Domini, extendit tabernaculum: præcepitque seruis suis, vt foderent puteum. 26
Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phi-
col dux militum, 27 locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me hominem, quem odistis,
& expulistis à vobis? 28 Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco
nos diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, 29 vt non facias nobis quid-
quam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet: sed cum
pace dimisimus auctum benedictione domini. 30 Fecit ergo eis conuiuium, & post ci-
bum, & potum 31 surgentes mane, iurauerunt sibi mutuo: dimisitque eos Isaac pacificè
in locum suum. 32 Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac annunciantes ei de puteo,
quem foderant, atque dicentes: Inuenimus aquam. 33 Vnde appellauit eum, Abundan-
tiam: & nomen vrbi impositum est Bersabee, vsque in præsentem diem. 34 Esau verò
quadragenarius duxit vxores, Iudith filiam Beeri, Hethæi, & Basemath filiam Elon eiuf- Inf. 27. g.
dem loci: 35 quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ. 45.

VER-

VERSVS I. *Orta autem fame super terram, &c. abijt Isaac ad Abimelech Regem Palæstinorum in Gerara.*

Protectionem quam habuit Deus de Isaac, ostendit hoc caput, & apparitionem qua dignatus est illum Deus. Hic autem Abimelech videtur potius filius alterius Abi-melech, de quo c. 20. & 21.

VERSVS IV. *Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli.*

Similia dixit Dominus suprà Abrahæ. Animaduerto bis dici à Domino, *dabo regiones has*: certè vt vltra temporalia promissa, terram æternæ promissionis promitti intelligeretur. Memoratur autem Abraham secundùm [A] Augustinum quia præcelluit merito: nisi secundùm quandam primitatem dumtaxat originis, ex quo sit præferendus, recolatur. Sentit tamen Angelicus [B] omnem reuelationem factam Isaac, fundatam velut fuisse super reuelatione facta Abrahæ, tanquam super excellentiori: ex quo in hoc eodem capite v. 24. dicit, *Ego sum Deus Abraham Patris tui.*

A D.Th. hic.

B 2. 2. 174.6.

VERSVS V. *Et quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta, & mandata mea; & cæremonias legesque seruauerit.*

Videtur sine dubio Dominus non synonimè vltrà præcepta, etiam mandata recolere, sic vt præcepta, ad præoccupandum in honestate amori, ac virtute morali animùm, capiamus: mandata autem intelligantur, quę perfunctoriè adimplenda fuerant; puta, de filij oblatione. Sanè discrimen huiusmodi, ex radicibus Hebræis deprehenditur. *Et cæremonias.* Secundùm quosdam cęremonię dicuntur quasi normę, vel regulæ salutis; *chære* enim in Gręco idem est quod *salue*. Sed D. Tho. [C] inquit, illa expositio nominis non videtur esse multùm conueniens; nomen enim Cęremoniæ non est Gręcum, sed Latinum. Dicitur ergò Cæremonia, quasi *munia* idest dona *Cereris*, quæ dicebatur Dea [D] frugum, eo quòd prima ex frugibus oblationes Deo offerebantur. Siue vt Valerius Maximus refert, nomen cæremonię introductum est, ad significandum cultum diuinum apud Latinos, à quodam oppido iuxtà Romam, quod Cære vocabitur; eo quòd Roma capta à Gallis, illic sacra Romanorum oblata sunt, & reuerendissimè habita. Cùm autem antiqui offerrent [E] ante legem ex quadam deuotione propriæ voluntatis, secundùm quòd eis videbatur conueniens, specialius Abraham videtur in omnibus se gessisse peculiari instinctu; & inspiratione Dei, prout hic commendatur: factus non solùm ipse Deo obediens, sed alijs factum exemplar obseruantiæ diuinarum legum (quæ cunctos ligabant) leges seruando. Hinc pro eodẽ, circumscriptio, *cæremonias legesque*; seu, vt Septuaginta,, *legitima*.

C 1. 2. 101.3.3.

D 4.1.1.5.3. & 1. 2. 99.4.

E 1. 2. 103.1.1.

VERSVS VII. *Qui cùm interrogaretur à viris loci illius super vxore sua, respondit soror mea est; timuerat enim, &c.*

Præter dicta superius c. 12. & 20. de Sara Abrahami vxore, addo, id fecisse [F] Abraham & Isaac, ob metum cadentem in viros constantes.

F 4.19.1.2.

VERSVS VIII. *Cumque pertransissent dies plurimi, &c. prospiciens Abi-melech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua.*

Augustinus contra Faustum [G] talem arguit fuisse ludum, ex quo potuerit deprehendi esse vxorem; honestissimum proinde: prudenter quidem ad leuandum animum, non eneruato, sed temperato tantisper virili rigore. Inhumani homines, si grauem aliquem virum ludicrum aliquid garrientem cum paruulis viderint, quo lacteum illorum sensum affabili facilitate demulceat, tanquam delirantem reprehendunt, obliti vnde creuerint, aut ingrati quòd creuerint, crepundijs & ipsi à puero. Gaudia interdum iuuat interponere curis. Legitur in collationibus Patrum, quòd Beatus Ioannes Euangelista, cum quidam scandalizarentur, quòd cum discipulis suis ludentem inuenirent, dicitur mandasse vni eorum qui arcum gerebat, vt sagittã iaceret. Quod cum ille pluries fecisset, quæsiuit, Vtrum hoc continuò facere posset? qui respondit, quòd si hoc continuè faceret, arcus frangeretur. Vnde Beatus Ioannes subintulit, quòd similiter animus hominis frangeretur, si numquam à sua intensione relaxaretur. Ita 2.2. 168. 2. Puto ipse condescendisse discipulis Euangelistam; sibi non opus, qui Aquila spiritalis Solem acie inoffensa contemplabatur. Ludus iste significauit ludum illum, de quo dicitur Prouerb. 8. [H] *delectabar per singulos dies, ludens coram eo, omni tempore, ludens in orbe terrarum; & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Quem quidem exponit Angelicus, [I] dici ad incarnationem; & alibi præmisso ludo, importari gaudium: [L] Christus ergò de duobus ab æterno gaudet, de bono suo & Patris; *delectabar per singulos dies, ludens coram eo*: item de bono rationalis creaturæ, *deliciæ meæ*, in hoc quòd communicor filijs hominum. Significatur etiam per hoc ludus studiosi animi cum sapientia, [M] quasi cum sponsa sua, de quo Eccl. 32. *præcurre autem prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas.*

G D.Th. hic.

H D.Th. hic.

I 3.p.4.1.

L Ioan. 25.1.2.

M D.Th. hic.

VERSVS XX. *Sed & ibi iurgium fuit Pastorum Geraræ aduersùs Pastores Isaac.*

Excitat S. Doctor quæstionem [N] quomodo familia Isaac potuerit rixari publice, eo non contradicente, cum sit rixa peccatum: & respondet, non intelligi seruos Isaac fuisse rixatos, sed quòd incolæ terræ rixati sunt contra eos: vnde illi peccauerunt, non autem serui Isaac, qui calumniam patiebantur.

N 2.2.41.1.2.

VERSVS XXXII. *Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac annunciantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes, inuenimus aquam; vnde appellauit eum abundantiam: & nomen Vrbi impositum est Bersabee, vsque in præsentem diem.*

Quamuis diuersa interpretatione *Bersabee* nomen acceptũ sit suprà c. 21. attamen verè hanc etiam recipit, vt (quod ait Hieronymus) interpretetur *puteus saturitatis*: ratioque est, quoniam litera *Sin* mutata est in Hebræum *Samech*. [O] Vel stante eadem litera *Sin*, non enim in exemplaribus extat *Samech*, posito puncto in sinistra eius parte, sonat *Sin* pro *Samech*, & *saturitatem* ly *Saba* significat: quemadmodum alias significationes habet posito puncto in cornu *Sin* dextro, vt liquet prætacto capite 21. *& locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus*

O D.Th. hic.

gnus vehementer effectus est, docet Angelicus [p] subinnui profectum virtutis ps. 83. *ibunt de virtute in virtutem*; virtus enim proficit per exercitium operationis; Prouerb. 13. *vult & non vult piger*, *anima autem operantium impinguabitur*. Verùm qui cupit inuenire centuplum, oportet serat, prout, fecit Isaac in terra illa; ex quo Prouerb. 24. dicitur, *diligenter exerce agrum tuum*. Quid mirum si Isaac tædia & molestias patiatur? *qui piè*, inquit Apostolus, *volunt viuere in Christo persecutionem patientur*. 2. Timor. 3. Purei etiam isti scatent miris profundisque mysterijs, quæ apud Interpretes.

CAPVT XXVII.

1 SEnuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitque
Esau filium suum maiorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. 2 Cui
pater: Vides, inquit, quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ. 3 Sume
arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis,
4 fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar. 5 Quod cum audisset Rebecca, & ille abijsset in agrum, vt iussionem patris impleret, 6 dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau
fratre tuo, & dicentem ei: 7 Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. 8 Nunc ergo fili mi, acquiesce consilijs
meis. 9 & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: 10 quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur. 11 Cui illi respondit: Nosti, quod Esau frater meus homo pilosus sit, &
ego lenis: 12 si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse
illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione. 13 Ad quem mater: In
me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.
14 Abijt, & attulit, deditque matri. Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius.
15 Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi induit eum: 16 pelliculásque
hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. 17 Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit. 18 Quibus illatis, dixit. Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu fili mi? 19 Dixitque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut
præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua.
20 Rursumque Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit: tam citò inuenire potuisti, fili mi?
Qui respondit: Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi quod volebam. 21 Dixitque
Isaac: Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non.
22 Accessit ille ad patrem, & palpato eo, dixit Isaac: Vox quidem, vox Iacob est: sed
manus, manus sunt Esau. 23 Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant. Benedicens ergo illi, 24 ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego
sum; 25 At ille: Affer mihi inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum: quo hausto, 26 dixit ad
eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi, 27 Accessit, & osculatus est eum. Statimque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei
sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. 28 Det tibi Deus de rore cęli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. 29 Et seruiant tibi populi, & adorent tribus:
esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te, filijs matris tuæ, qui maledixerit tibi
sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. 30 Vix Isaac sermonem impleuerat: & egresso Iacob foras, venit Esau, 31 coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens. Surge pater mi, & comede de venatione filij tui: vt benedicat mihi anima tua. 32 Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. 33 Expauit Isaac stupore vehementi: & vltra quam credi potest, admirans, ait: Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquam tu venires? benedixitque ei, & erit benedictus. 34 Auditis Esau sermonibus patris, irrugijt clamore magno: & consternatus, ait. Benedic etiam & mihi, pater
mi. 35 Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. 36
At ille subiunxit. Iustè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: Numquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionem? 37 Respondit Isaac: Supr. d 25.
Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui frumento, &
vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi, vltra quid faciam? 38 Cui Esau: Num vnam,
inquit, tantum benedictionem habes pater? mihi quoque obsecro vt benedicas. Cumque

Hebr. 11. d. 17. eiulatu magno fleret, 39 motus Isaac, dixit ad eum. In pinguedine terræ, & in rore cęli
desuper 40 erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo seruies: tempusque veniet,
cum excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis. 41 Oderat ergo semper Esau Iacob
Abd. 1. c. 10. pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo. Venient dies luctus pa-
tris mei, & occidam Iacob fratrem meum. 42 Nunciata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens,
& vocans Iacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te.
43 Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum
in Haran: 44 habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, 45 &
cesset indignatio eius, obliuiscaturque eorum, quæ fecisti in eum: postea mittam, & addu-
Supr. 26. g. 35. cam te inde huc, cur vtroque orbabor filio in vno die? 46 Dixitque Rebecca ad Isaac:
Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ,
nolo viuere.

I VERSVS I. *Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, &c.*

Relinquit S. Doctor sub dubio [A] an Isaac esset centum, vel potius centum, & triginta septem annorum, quando hæc gesta sunt.

A D.Th. hic.

Insignem benedictionem Iacob præripit Esau ab Isaaco; auctrice fraudulentiæ arcanæ Matre Rebecca. De Isaac primùm habendus est sermo.

Nouerat quippe Isaac, siue per immediatam reuelationem; siue ex sancto Parente Abraham, sua in sobole præordinari promissa. Verùm à principio, [B] ipsi non fuit reuelatum, in quo filiorum duotum propagatio trahenda stabiliretur. Rationabiliter, itaque vt sibi videbatur, ignarus, non sine mysterio, mysteriorum, maiorem Esau præferebat, eique sua Paterna adprecatione, ad Dei promissa complenda, opitulari decreuerat, semper tacitùs voluens animo, nisi secus Dominus disposuisset: quemadmodum, cùm & ipse offerendus fuerat in holocaustum, innotuerat. Cum autem humanitus dumtaxat data benedictio, ad temporalia, vel æterna non conducat; aliàs quilibet [C] Pater potuisset suis filijs benedictionem æqualis virtutis conferre: arbitror ego, diuino quodam instinctu ductum esse Isaac, ad illam maiori natu pręoptandam; quo præpararetur veluti, digniorque redderetur ad internam, munificam, & efficacem Maiestatis diuinæ beuedictionem.

B D.Th. hic.

C D.Th. hic.

Quia egò *benedixit Isaac, Iacob, & Esau. Fide & de futuris*, vt ait Apostolus Hebræorum. 11. destinauit, sic suggerente internè Spiritu sancto Esau benedicere; vtque meritoriè disponeretur ad suscipiendam Paternam benedictionem, obedientiam expetiuit, & obsequium filialis reuerentiæ, ac dilectionis, in cibario faciendo: ad quod præcipiendum, ait S. Doctor, creditur diuinitùs etiam præmotus in figuram spiritualium, & futurorum. Glossa ordinaria, pulmentum eiusmodi ex hœdis, significare inquit, simplices, qnos Christus offert Deo Patri, vel bona opera: Et secundùm interlineatē, designantur cęremoniæ legis, quas Deus ad tempus acceptabat.

Cum accessisset Iacob dixit senex Pater, quis es tu fili mi? dubitauit, nùm esset Esau an Iacob: credebat esset Esau, non videns quomodò Iacob præceptum factum soli Esau, *affer mihi de venatione tua, vt comedam*, præsciuisset: sciebat Iacob virum simplicem, prout dicitur suprà c. 25. neque ausum illudere: altera ex parte audiebàt vocem Iacob; quæ subtilior suauiorque forsitan erat; ideòque ad tactum recurrit. Et pilosum attrectans, putans, Esau ex quadam reuerentia flexisse & attemperasse vocem, deceptus est. Hinc ait Angelicus, [D] nullus Prophetarum sciuit omnia futura de se ipso, nisi solus Christus, qui non habuit Spiritum-sanctum ad mensuram. Sic Isaac magnus Propheta fuit deceptus in Iacob. Postquàm autem mysterium patratum est deceptionis; nàm vt ait Augustinus libro contrà Mendacium, cap. 10. *per hœdinas pelles, peccata, per eum verò qui se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portauit*; veniente Esau post abscessum Iacob (*expauit Isaac* (Sacer ait textus) *stupore vehementi: & vltrà, quàm credi potest admirans, ait: quis igitur ille est?* Vbi sanctus Augustinus 16. de Ciuitate Dei c. 37. inquit, *veniente de repentè Esau, Isaac expauescit: & alium pro alio se benedixisse cognoscit*: miratur & quisnàm ille sit, percontatur; neque tamen se deceptum esse conqueritur; immò confestim, reuelato sibi in corde magno Sacramento, deuitat indignationem, confirmat benedictionem. Quis enim non hic maledictionem potiùs expectaret irati, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more agerentur? ò res gestas, sed propheticè gestas! Idē sanctus Antistes hic ait, *expauit*, idest, *in extasim cecidit*: ita vt quædam mentis alienatio sequeretur, & tunc fuit ei reuelatum à Domino, quòd confirmaret benedictionem suam filio minori, cum ei irascendum potiùs videretur, quia fefellerat Patrem. His omninò alibi assentitur Angelicus [E] dicens; non obtinuit Esau benedictionem, licèt Pater fecisset ignorans; quia in illo stupore quem habuit, factus in extasi, edoctus est à Spiritu-sancto, quòd non retractaret, quod fecerat: vnde dicit *benedixique ei, & erit benedictus*; & sic Esau consilio Spiritus sancti reprobatus est. Et propterea, quam habuerunt verba Isaac [F] efficaciam, fuit ex virtute Dei, per quam benedictionem minor prælatus fuit maiori; quod non fuit quantùm ad personas eorum, sed quantùm ad duos Populos, qui ex ipsis exierunt, ps. 59. *in Idumæam extendam calceamentum meum*: fuerunt enim Idumæi, qui egressi sunt de Esau, subiecti filijs Israel. In quo significabatur, quòd minor populus, scilicet gentiū, per fidem debebat præuenire populnm maiorē, scilicet Iudæorum, iuxtà proximiorem prædictionem Saluatoris Matthæi 8. *Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob*: &c. Quia tamen Deus *disponit*

D ad Philemonem l. 2.

E Hebr. 11. l. 1.

F Hebr. 11. l. 5.

omnia

G D.Th. hic. *omnia fuauiter*, [G] effe potuit, vt ad illuminationem myfterij tractus fic Ifaac ex veftimentorum odore, quem fenfit benedicendo illum, qui primus accefferat; ratus non fine Dei voluntate factum, quod mira odoris fragrantia complebatur. Aliâs tamen non gratis dicitur extafi, ac ftupore raptus, quando facer textus enarrat *expauiffe Ifaac ftupore vehementi, & vltrà quàm credi poteft, fuiffe admiratum*; nifi enim animaduertiffet myfterium, non erat, vnde tam grandi caperetur admiratione.

VERSUS XXVIII. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*: Addit alia litera, *& olei*.

H D.Th. hic. Per frumentum, omne pertinens ad cibum; per vinum, omne pertinens [H] ad potum; per oleum, omne condimentum defignatur: quæ ad literam, magna in copia habet terra promiffionis. Itaque his fignatur abundantia rerum naturalium ac temporalium. Deinde in fequentibus poteftas dominationis, tàm in alienos quàm in fratres, & propinquos. Et hæc quidem fecundùm corticem veteris teftamenti vmbratiliter in populo Ifrael fuerunt impleta. Si autem in fcripturis aliquando contrarium reperies, fcito quòd hoc fuit in parte, propter peccata populi; principaliùs verò, vt in huiufmodi promiffionibus fpiritualem intelligentiam cogamur quærere, nàm in his benedictio Regni gratię, & glorię continetur; principaliter quidem & propriè refpiciens Regem Chriftum; fecundariò verò & participatiuè, Ecclefiam electorum. Semper tamen pro reali copia fpiritualiũ, & pro dominio fpirituali: pro tẽpore autẽ, & quantũ expedit, etiã pro Regno, & Dominio tẽporali electorũ Ecclefię, pro tempore ipfis collato, tam in veteri, quam in nouo teftamento.

De Iacob prætereà dicendum; & quidem nulla malitia ductum ad fimulãdum germanum fuum, conftat ex ipfius præcommendata fimplicitate: ex Matris illum inducentis Imperio: & (quod potiffimè confiderandũ eft) ex Patris non folùm miti tolerantia, fed ratę benedictionis complacentia. Immò quia in veteri ac in nouo teftamento, fæpè cum Abraham, & Ifaac, promerita fanctitatis laude recolitur, videndum eft quomodò ab omni etiam mendacij labe rectè eximatur.

I 2. 2. 110. 3. 1. Quocirca D. Auguftinus [I] l. de mendacio c. 5. inquit, *inducuntur in Sacra Scriptura aliquorum gefta, quafi exempla perfecta virtutis, de quibus non eft æftimandum, fuiffe mentitos. Si qua tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videantur, intelligendum eft, ea figuraliter & prophetice dicta effe*: vnde idem Auguftinus, *credendum eft illos homines qui propheticis temporibus, digni auctoritate fuiffe commemorantur, omnia quæ fcripta funt de illis, propheticè geffiffe atque dixiffe*: hinc fubdit Angelicus, Iacob verò myfticè dixit fe effe Efau primogenitum Ifaac; quia videlicet primogenita illius, de iure ei debebantur. Vfus autem eft hoc modo loquendi, per fpiritum prophetiæ, ad defignandum myfterium; quia videlicet, minor populus fcilicet Gentilium fubftituendus erat in locum primogeniti, fcilicet in locum Iu-

L 3. Hannib. 38. a. 2. 1. dæorum. Hoc eft, quod etiam docuerat alibi [L] dicens, primogenitura, Dei electione, Iacob debebatur, & ad illum intellectum, cum dixit fe effe Efau primogenitum, Spiritus-Sanctus, cuius inftinctu, & intellectu loquebatur, eius verba ordinabat: vnde, quia hoc fignificare intendebat, ad quod Spiritus Sanctus ordinabat, ideò à mendacio excufatur. Et fimiliter in Quodlibero [M] ait, quidam, ex Auguftino, laudantur in Scriptura propter perfectum ftatum virtutis, & horũ facta proponuntur nobis in exemplum; & de talibus non legitur, quòd mentiti fint, & fi aliqua dixerunt quæ mendacia videntur, fecundùm intentionem, quam ex Spiritu Sancto conceperunt, mendacia non funt. In altero autem Scripto [N] reliquerat fub dubio, an Iacob explicitè acceperit illum intellectum, vel implicitè tantùm, hoc fignificare intendens, ad quod Spiritus Sanctus verba ordinabat: in talibus enim mendacium concedere, nefarium videtur. Hinc idem Sanctus Auguftinus [O] in decimo fexto de ciuitate Dei inquit, *fuit dolus fimplicis, & fictio non mentientis, fed profundum myfterium veritatis*. Et illuftratur nobili exemplo: ficut enim Chriftus non eft mentitus, quando de Ioanne dixit, *ipfe eft Elias*; quia ibi accipitur Elias non pro perfona, fed pro conformi officio, & virtute; fic & Iacob verè dixit fe effe Efau, non fecundùm perfonam, fed vice & dignitate primogenituræ fibi diuinitus traditæ. Sicut ad myfterium pertinet, [P] quòd Efau hæres non fuit. Quoniam verò fubdidit Iacob, *feci ficut præcepifti mihi*; adhuc cum S. Doctore dicendum eft, [Q] quomodo quo præmiferat fe effe Efau, addere potuiffe fine mendacio, *ficut præcepifti mihi*; intentio enim præcepti paterni prout erat diuinitus directa ferebatur in illum, qui fecundùm Deum erat melior, & prælectus à Deo: quamuis eius intentio per humanam æftimationem errorea, determinaretur ad Efau. Addo, *mihi præcepifti*, quia præcepifti natu maiori; ego autem in locum maioris fum diuinitus fubftitutus; vt dictum eft fupra ex 2. 2. Quando ergò Pater dixit Efau; *venit germanus tuus fraudulenter*, non voluit per hoc infimulare Iacob nequitiæ; nam Chaldæus vertit in *fapientia feu fapienter* venit. Vnde S. Doctor explicat [R] *fraudulenter*, quantùm ad exteriorem modum, non autem quantùm ad rem; vel fraudulenter, ideft cautelosè & piâ fraude. Benè autem *fraudulenter* dixit fecundùm exteriorem facti fpeciem, quam duntaxat fciebat Efau contemplaturum; condefcendens carnali reprobandoque filio: vnde, & protulit interrogationem, figuratè quidem celans myfterium, ne Sanctum daret impudico cani: *quis igitur ille eft?* atqui Efau non refpondente, ad auditam quamuis non fibi fortè directam interrogationem; fubiecit Pater, *venit germanus tuus*, tacita admonitione coarguens, ne indignaretur, cum ab eodem germine & Iacob natus effet; gemello partu: ex quo quidem debuerat fe Deo committere, nec ægrè ferre, quod Dominus præordinauerat, nimirum prælationem Iacob, fuamque, quam iniquè meruerat fubiectionem. Ad myfterium tamen [S] fpectat, quod fuprà animaduertimus, Efau natu maiorem, non fuiffe hæredem. Claudat Ecclefiafticus c. 3. *In opere & fermone, & omni patientia, honora Patrem tuum, vt fuperueniat tibi benedictio à Deo; & benedictio illius in nouiffimo maneat*. Huiufmodi promeruiffe credendus eft Iacob, non Efau.

M Quod. l. 8. a. 14.

N 3. 38. 1. 3.

O D.Th. hic.

P 4. 13. 1. 3. 1.

Q D.Th. hic.

R D.Th. hic.

S 4. 38. 1. 1. 1.

T D.Th. hic c. 28.

Poſt hæc quæ literam concernunt, allegorica & moralis emergit intelligentia. Per Eſau quippe intelligitur populus Iudæorum, [T] pelle literæ & legis ſeueritate hiſpidus: per Iacob verò lenem, Chriſtus, & populus Chriſtianus; qui conſilio diuinæ gratiæ, & ſapientiæ, duos optimos hædos Patri obtulit, ſcilicet puram intelligentiam vtriuſque teſtamenti: aut Iudæos & Gentiles Chriſti gratia impinguatos, aut Græcos, & Latinos quaſi repente conuertens: quod per longa tempora non potuerunt priſci explere, quamuis inſtar venatorum, mare, & aridam circuirent, vt facerent vnum proſelytum, Matthæi 23. Significatus autem Chriſtus per Iacob, meritò collo, & manibus obtectus eſt pellibus hædorum, vt Patri cœco (*Salus* quandoquidem *ex Iudæis*) videretur Eſau. Hinc circumciſionẽ, & legalia ſeruauit: vixit in *ſimilitudinem carnis peccati*: Rom. 8. Aiebat Auguſtinus, libro contrà Mendacium, cap. 10. *per hædinas pelles peccata: per eum verò qui eis ſe operuit, ille ſignificatus eſt, qui non ſua, ſed aliena peccata portauit*. Dicente autem Iſaac, *ecce odor filij mei, quaſi odor agri pleni*, indicatur gratia [V] Chriſti, qua ſicut bono odore plenus fuit. Alibi autem [X] Chriſtum hunc eſſe agrum denarrat S. Doctor, quem coluit Pater agricola *Pater meus agricola eſt*, Ioa. 15. quatuor modis: primò, omnia virtutum ſemina in eo, ſeminando: ſecundò, gratiarum aquis irrigando: tertiò, ipſum fodi permittendo: quartò, fimum ſputorum, & opprobriorum poni dimittendo. Virtutum quippe benè eſt olere, ac fragrare; ideoque præſentem fert textum; *ecce odor filij mei, quaſi odor agri pleni.*

V 3. p. 83. ſ. 2.
X ſermone in feſto S. Marci.

Significantur etiam per Iacob, ſancti ac iuſti; per agrum enim intelligitur [A] omnis homo qui bonum fructum facit. Fragrant prætereà ipſorum veſtimenta per bonam [B] conuerſationem, quæ debet eſſe odorifera in bonis operibus: quod eſt viuere in ſancta diſciplina [C] grati odoris, & Deo, & hominibus. Per tactum etiam exponit S. Doct. quas patiuntur [D] iuſti tribulationes; *tetigit te, & conturbatus es*: Iob 4. *quia manus Domini tetigit me*. Iob 19. Sic Iacob irã fratris pertimuit, ac fugit, exiens de terra ſua, in Meſopotamiam, [E] vbi poſt multos labores, Rachel amplexus promeruit: atque Ioannes de terra ſua in Pathmos Domitiani odio exulauit; Verùm hos præit benedictio; & quidem gloriæ beatæ, præmia præſignans. Optimum ibi horreum, ait Angelicus [F] quia ibi abundantia frumenti, vini, & olei. Vinum eſt gaudium de viſione Patris: Frumentum gaudium de viſione filij: Oleum, gaudium de Viſione Spiritus Sancti. Vinum quippe fons omnis lætitiæ videtur eſſe. *Vinum lætificet cor hominis*. Pſ. 103. Congruenter idcircò appropriat Patri gaudium ex vino; nam Pater originarium eſt bonorum omnium principium: licèt cortice literæ præponatur frumentum. Attentè autem obſerua Paternæ benedictionis diſcrimen. Iacob dixit, *de rore Cœli, & de pinguedine terræ*. Eſau autem veluti ægrè extenuam, dat ſub his verbis, inuerſo ordine, non ſine myſterio prolatis; *in pinguedine terræ, & in rore cœli*. Terrigenæ, qui terræ inhærent, terrena in primis cordi eſt benedictio; cùm tamen doceat Dominus, *primùm quærite Regnum Dei*. Quieſcunt prætereà iſti terræ in bonis, quæ Deus munificentiſſimus ipſis etiam impertit: ideò inquit *in pinguedine terræ*. non de pinguedine quemadmodum iuſti, qui de terra ad Cœlum feruntur, quique de terrenis, quibus honeſtè vtuntur, cœleſtia lucrantur.

A Ioan. 2. l. 2.
B Apoc 14. comment. 1.
C op. 41. l 5. 14.
D op. 60. c. 22. in fine.
E Apoc. Procemio commentatio 1.
F ſermone Dominicæ 4. poſt Epiphan.

Pulcherrimè autèm hoc factum figuratiuè 4
exponit S. Doctor in opuſculo de Sacramento Altaris: quod quidem operæ pretium fuerit ad verbum exſcribere. Ait ergò [G] Sicut primorũ Parentum incredulitas incœpit ex auditu verbi Diaboli, ſuadentis cibum habentem mortem velatam, & in eo ſunt ſenſus eorum vanè delectati: ſic congruit vt fides ſaluandorum, incipiat ex auditu Verbi Saluatoris, ſuadentis cibũ habentem veram vitam abſconditam; & in quo noſtri ſenſus piè ſunt decepti, præter auditum; vt ſit *fides ex auditu* tantùm, & non ex viſu, vel alijs ſenſibus; *auditus autem per verbum Chriſti*. Hoc pulchrè figuratur Geneſis 27. in benedictione Iacob, vbi ſenſus Iſaac ſunt decepti, putantis ſentire Eſaù, dùm ſentit ſimilitudinem eius, qui velatus erat Iacob. Vnde ſciendum eſt, quod in illa figura Dominici Corporis, quatuor erant Perſonæ: ſcilicet Iſaac, & Rebecca, quaſi maſculus & fęmina ſignificant duas naturas in nobis; ideſt corpus, & animam: Maſculus, qui magis ſolet eſſe manifeſtus, & exterioribus plùs intendit ſignificat exteriorem hominem, ideſt corpus: fęmina quæ domi reſidet, & familiam regit, interiorem hominem, ideſt animam, quæ ſalutis ſuæ, & aliorum gerit curam. Iacob bonus, & formoſus habitans in tabernaculis, quem diligit Rebecca, ideſt fidelis anima, ſignificat verum Chriſti Corpus. Eſau, quem amabat Iſaac, ideſt Corpus (eo quòd de cibis ſuis veſcitur,) ſignificat ſubſtantiam panis, cum ſuis accidentibus, ſcilicet, colore, ſapore, & cœteris. Dùm itaque Iſaac quaſi homo exterior, ideſt Sacerdos benedicere debet; Eſau, ideſt ſubſtantia panis recedit; ſed ſimilitudo Eſau, ſcilicet veſtes cum odore: pelles piloſæ; cibus cum ſapore; ideſt accidentia panis, ſiue ſimilitudo, ſcilicet color, ſapor, odor, durities manent circà Iacob, & ſenſus noſtri falluntur. Ibi fallitur viſus Iſaac caliginoſus; ideſt debilis corporis noſtri, quia putat præ oculis habere Eſau, ideſt panem, & tantùm veſtes eius attingit, ſcilicet ſpeciem panis: & ſub illa latet Iacob velatus, ideſt corpus Chriſti. Ibi fallitur guſtus, quia putat comedere cibũ Eſau, ideſt, panem; & guſtat tantùm ſimilitudinem eius. Ibi fallitur olfactus, quia putat ſentire odorem Eſau, ideſt panis; qui verè non eſt ibi, ſed ſentit odorem veſtimentorum eius, ideſt formam panis; quibus veſtitus eſt Iacob, ideſt Corpus Chriſti. Sapiens erat Iſaac, ſed in iudicio cognoſcendi Eſau, fallebatur: Sic homo noſter exterior, in iudicio panis altaris fallitur, præterquam auditu, vnde ait, *Vox quidem, vox Iacob*, &c. *Manus*, quas tango *ſunt Eſau*; nihil falſius: ſed vox quam audio dicentem, *ego ſum, vox eſt Iacob*; nihil veriùs. Similiter Sacramentum quod tango, ſubſtantia panis eſt; nihil falſius: Vox Chriſti dicentis, *hoc eſt Corpus meum*; nihil verius. Primò igitur infidelitatis remedium exigit, quòd Corpus Chriſti velatum detur; vt quia ſenſus primi hominis in cibo perditionis vanè delectabantur, ſenſus noſtris corpo-

G op. 58. c. 7.

ris

ris in cibo benedictionis ad inſtar Iſaac decipiã-tur: ita tamen quòd Rebecca, ideſt, anima in fide ſua non fallatur. Credit enim verè in benedictione ſacra eſſe Iacob, ideſt Corpus Chriſti velatum, ſimilitudine Eſau, ideſt ſpecie panis. Et poſt pauca; Huius meritum fidei ſiue fructus triplex eſt, ſcilicet ſpiritualium bonorum plena copia: temporalium abundantia: æternorum ſuperaffluentia: hinc ait Rebecca, ideſt fidelis anima; *in me ſit iſta maledictio fili mi*: ideſt hæc triplex benedictio. *Det tibi Deus de rore Cæli*, quantùm ad primam: *& de pinguedine terræ abundantiam*, quantùm ad ſecundam: *abundantiam frumenti vini, et olei*, quantùm ad tertiam: de quo Prou. 1. *qui audierit abſque terrore requieſcet, et abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.*

Hanc ipſam nobiliſſimam allegoriam tangit hic [H] dicens. In præfato opere ſatis luculenter figuratur, quòd omnes ſenſus deficiunt, H Hic c. 28.
in perceptione Sacramentorum Chriſti: & præcipuè in Sacramento Corporis ſui præter auditum; quia verba ſacramentalia percipiuntur: vtpote illa: *hoc eſt corpus meum*; & conſimilia. Vnde, benè dicitur, *vox Iacob*; ideſt propriè ſignificans Chriſtum, & eius gratiam ibi eſſe: *Sed manus*, ideſt operationes forinſecæ, *ſunt manus Eſau*; ideſt pellibus ſenſibilium circumtectæ.

CAPVT XXVIII.

1 VOcauit itaque Iſaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli ac-
cipere coniugem de genere Chanaam, 2 ſed vade, & proficiſcere in Meſopo-
tamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxo-
rem de filiabus Laban auunculi tui. 3 Deus autem omnipotens benedicat tibi, & creſcere
te faciat, atque multiplicet: vt ſis in turbas populorum. 4 Et det tibi benedictiones Abra-
hæ, & ſemini tuo poſt te: vt poſſideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus eſt auo
tuo. 5 Cumque dimiſiſſet eum Iſaac, profectus venit in Meſopotamiam Syriæ ad Laban Oſeæ 12. d.
filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris ſuæ. 6 Videns autem Eſau, quod benedixiſ-
ſet pater ſuus Iacob, & miſiſſet eum in Meſopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret, &
quod poſt benedictionem præcepiſſet ei, dicens: Non accipies vxorem de filiabus Cha-
naan: 7 quodque obediens Iacob parentibus ſuis iſſet in Syriam, 8 probans quoque quòd
non libenter aſpiceret filias Chanaan pater ſuus: 9 iuit ad Iſmaelem, & duxit vxorem
abſque ijs, quas prius habebat, Maheleth filia Iſmael filij Abraham, ſororem Nabaioth.
10 Igitur egreſſus Iacob de Berſabee, pergebat Haran. 11 Cumque veniſſet ad quen-
dam locum, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus, qui iace-
bant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco. 12 Viditque in ſomnis ſcalam ſtan-
tem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes, &
deſcendentes per eam. 13 & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Infr. 35. a. 2. 48. a. 3.
Deus Abram patris tui, & Deus Iſaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo. Deut. 12.
14 Eritque ſemen tuum quaſi puluis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Se- cap. 20. &
ptentrionem, & Meridiem: & BENEDICENTVR IN TE, & in ſemine tuo cunctæ 19. c. 14. Sup. 26. a.
tribus terræ. 15 Et ero cuſtos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: 4.
nec dimittam, niſi compleuero vniuerſa, quæ dixi. 16 Cumque euigilaſſet Iacob de ſom-
no, ait: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. 17 Pauenſque: Quam terribi- Infr. 31. b.
lis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli. 18 Surgens ergo 13.
Iacob mane, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum
deſuper. 19 Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. 20 Vouit
etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego am-
bulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, 21 reuerſuſ-
que fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, 22 & lapis iſte,
quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas
offeram tibi.

VERSVS I. *Vocauit itaque Iſaac Iacob, & benedixit eum; præcepitque ei dicens: noli accipere coniugem de gente Chanaam.*

Sic Abraham ſuprà cap. 24. ne Iſaac ex Chananæis acciperet vxorem adiurauit ſeruum: nunc ipſe memor Patris præcipit Iacob id ipſum: mandauit autem, tum [A] propter malitiam illarum mulierum; tum quia ſemen Chanaam, de terra quæ ſemini Patriarcharum promittebatur, erat diſperdendum: & his de cauſis liber aliàs filius, parere tenebatur.

A 4. 29. 1. 4. 2.

VERSVS XI. *Cumque veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco.*

Ad literam; vel quia ciues proximæ vrbis ſuſpectos habebat; vel [B] vt liberiùs orationi vacaret ſub dio manſit, acceptis pro ceruicali lapidibus, Spiritus Sancti inſtinctu ad futura myſteria. Fuit propheticus iſte ſomnus, [C] atque per impreſſionem formarum imaginabilium: quod quidem ex mox in ſomnio viſis, deprehenditur. Vnde, & ipſum Iacob, voluit Do-

B D. Th. hic.

C 2. 2. 174. 2. 3.

minus propheticè ad reuelationem eorum, quæ
pertinent ad fidem Deitatis perducere: quemad-
D loc. cit. 2.6. modum [D] & Isaac & Abraham fuerat dignatus.
Ego sum Deus Abraham Patris tui; & Deus Isaac
E Matth. 16. &c. per lapidem quem supposuit Iacob [E] capiti
significatus est Christus: quod mysticè intelle-
F D. Th. hic. xisse Iacob, [F] cum illum erexit in titulum &c.
asseueratur. Sunt ergo plures lapides, & vnus
lapis; *vnum* enim *corpus multi sumus in Christo*
Rom. 12. vni tamen, nimirum Christo prophe-
ticè, & præfiguratiuè exhibet cultum. *Ecce ego*
ponam in *fundamento Sion* Is. 28. *lapidem probatum*
angularem pretiosum: lapis iste *abscissus est de monte*
sine manibus Daniel. 2. Tandem, ait Apostolus,
Petra autem erat Christus 1. Cor. 10. Proprietas
H Matthæi 16. [G] Petræ est vt ponatur in fundamento. Item vt
det firmitatem; *fundamentum autem aliud nemo*
potest ponere præter id quod positum est, quod est Chri-
stus Iesus p. Cor. 3. Verùm quia per ipsum Iacob,
H Matth. 1. significatur Christus; fit, vt intelligatur [H] sup-
posuisse lapidem, idest duritiem crucis capiti suo.
Vnde & clariùs visus est Dominus innixus scalæ
I D. Th. hic. [I] in quo aperte Dei crucifixi mysterium signa-
tum est.

VERSVS XII. *Viditque in somnis sca-*
lam stantem super terram; & cacumen illius tangens
Cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & de-
scendentes per eam.

2
Per hanc scalam significatur Ecclesia. Duo
L Prologo Apoc. commentario 1. latera scalæ [L] sunt duæ partes Ecclesiæ militan-
tis in terra, & triumphantis in Cœlo: & hoc est,
quod dicitur, quòd scala stans super terram,
tangebat Cœlum. Vel certè dicitur scala super
terram stare, quia vtraque pars Ecclesiæ eleua-
tur à terra in Cœlum: vnde Isaiæ 33. *oculi eius*,
idest Ecclesiæ, *terram cernent de longe*. Et bene
dicitur scala stans, idest recta, non declinans ad
dexteram prosperitatis, vel sinistram aduersita-
tis. Vel ideò stare dicitur, quia cœlestia tantùm
desiderans, sursum mentis intentione erigitur.
Cacumine ergo vtraque pars Ecclesiæ tangit
cœlum: militans spei erectione, & desiderij fer-
uore; triumphans rei adeptione, & manifesta
M D. Th. hic. contemplatione. Vel per duo latera scalæ [M] in-
telligitur spes duplicis prouidentiæ Dei, (spes
quippe erigitur sursum) æternorum scilicet à
dextris: & temporalium à sinistris. Vel duo te-
stamenta quibus innititur fides nostra. Vel du-
plex notitia; diuinorum, & mundanorum.
Quoniam autem scala gradus habet, significari
N D. Th. hic. in primis possunt similitudine scalæ, [N] diuersi
gradus Angelicorum ordinum: qui expressiùs
statim innotescunt per duplicem suum actum
hierarchicum: quorum alter est eleuari in Deum
ad diuina ab illo accipienda ac participanda; al-
ter est pergere deinde ad inferiores, ad suscepta
diuinitus dona communicanda: & ideò vidit *An-*
gelos ascendentes, & descendentes. Per hanc etiam
O D. Th. hic. scalæ gradationem, [O] gradus ordinis militantis
Ecclesiæ accipi possunt; quæ quidem in cacumi-
ne attingit vsque ad cœlum, idest vsque ad infi-
mum Angelicæ Hierarchiæ. Per Angelos verò
ascendentes ostenditur, nostram Hierarchiam
per Angelicam gubernari. Atqui non solùm
Angeli, sed Prælati, Prædicatores, & quicum-
que proximorum saluti ex officio insudant, pro
P D. Th. hic. Angelis [P] accipiuntur; nam & illi & isti sunt
medij inter Deum, & populum, vt mox citan-
dus ait Angelicus. Et certè ad mysteria & dicta
& dicenda, feruntur Angeli priùs ascendere po-
stea descendere: *ascendentes* inquit, *& descenden-*
tes: aliàs potius è conuerso, descendere primò,
nam sunt manentque in cœlo; deinde postea
regredi, & ascendere fuerant dicendi. Ascen-
dunt ergo, vt hauriant à Deo, [Q] quod effun- Q 2. Cor. 5. l. 8.
dant populo, cum eleuant se per contemplatio-
nem in Deum ad percipienda cœlestia, ac deinde
descensu quodam conformant se populo, ad ei
tradendum ea, quæ à Deo perceperunt. Et quo-
niam hoc totum cedit in proximi vtilitatem, aie-
bat Paulus 2. Cor. 5. *siue enim mente excedimus*
Deo per eleuationem contemplationis; qua vni-
mur Deo; *siue sobrij sumus*, (sobrietate cœlestis
ebrietatis Spiritus Sancti) *vobis*: quasi dicat,
vtrumque vestram cedit in vtilitatem. Et subdit
Angelicus: huiusmodi autem descensus signatus
est per descensum Angelorum per scalam, quam
vidit Iacob: Gen: 28.

3
Hoc autem summæ est perfectionis. Quo-
circa alibi ait [R] Quidam ad tantum culmen R de virtutibus q. 2. a. 11. ad 6.
charitatis ascendunt, quòd etiam diuinam con-
templationem, licèt in ea maximè delectentur,
prætermittunt, vt Deo seruiant in salute proxi-
morum. Et hæc perfectio in Paulo apparet, qui
dicebat Romanorum. 9. *optabam, ego ipse, ana-*
thema, idest separatus, *esse à Christo pro fratribus*
meis. Et ad Philipp. 1. *desiderium habens dissolui,*
& esse cum Christo: permanere autem in carne, ne-
cessarium propter vos. Et hæc perfectio est pro-
priè Prælatorum, & Prædicatorum, & quorum-
cumque aliorum, qui procurandæ saluti aliorum
insistunt: vnde significantur per Angelos in scala
Iacob, *ascendentes* quidem, per contemplatio-
nem; *descendentes* verò per solicitudinem, quam
de salute proximorum gerunt. Propterea D.
Hieronymus ad Paulinum Presbyterum, in
scala, perfectionis profectum ponit dicens: *tu*
autem [S] *audita saluatoris sententia, si vis perfectus* S op. 17. e. 9.
esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pau-
peribus, & veni sequere me: verba vertis in opera, &
nudam crucem nudus sequens, expeditior & leuior
scalam Iacob ascendis. Per Dominum innixum scalæ,
[T] præsentia Diuinæ maiestatis significatur, in- T D. Th. hic.
habitantis Angelos suos: suamq; præterea Eccle-
siam nunquam deserentis, dixerim ego. Ascen-
sus etiam Angelici sunt illuminationes, & medi-
tationes ascendentes in cœlum: descensus verò
sunt [V] considerationes peccatorum, & miseria- V D. Th. hic.
rum, omniumque defectuum nostrorum: &
condescensiuę compassiones ad proximum. Tali
autem scalæ siue vitæ Deus est innixus, siue infi-
xus, promittens vtique gratiarum & pręmiorum
dilatationem. Quæ tamen dilatatio, cum subdi-
tur à Deo, *dilataberis ad orientem, & occidentem,*
& septentrionem & meridiem, [X] ad literam intel- X D. Th. hic.
ligitur de quatuor plagis terræ, promissionis:
respectu verò noui testamenti, de quatuor plagis
orbis. *In omnem quippe terram exiuit sonus eorum*
ps. 18.

VERSVS XVI. *Verè Dominus est in loco*
isto: & ego nesciebam.

Cum sit Dominus omnibus in locis quæ
immensitate exceduntur, præsentia potentia &
essentia, vt ait Gregorius: [A] Dicente Iacob,
verè Dominus est in loco isto, sensus est, speciali gra- A P. P. 8. 3.
tiæ ac reuelationis effectu: [B] quod cum inopina B D. Th. hic.

con-

contigerit apparitione , *ego* inquit *neſciebam*; Quod ideo crediderim, dictum, ad indicandam viſionis illius inexcogitabilem excellentiam: quemadmodum ad eiuſdem veritatem re & figura præmiſit, *verè Dominus eſt in loco iſto*. Verum cum ait, *verè Dominus*: non intelligitur ipſa in ſubſtantia adfuiſſe Diminitas, ſed per Angelum apparuiſſe Dominum innixum ſcalæ. Quocirca Oſeæ 12. idemmet, quem hic vocat Dominũ, perhibetur fuiſſe Angelus, ſub his verbis; *inualuit* (Iacob) *ad Angelum, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum: in Beth-el inuenit eum; & ibi locutus eſt nobiſcum*. Quæ quidem expondit D. Thomas [C] alibi; & ſuprà ad caput ſecundum enucleauimus, verſu 17.

C D. Th. hic c.16.

VERSVS XVII. *Pauenſque. Quàm terribilis eſt* inquit *locus iſte! non eſt hic aliud niſi Domus Dei, & porta cœli*.

Pauenſque; timore admiratione & reuerentia eorum quæ viderat. Quam terribilis. ideſt metuendus, & reuerendus! hoc dicit tum quia Deus ita magnificè in illo loco ſe exhibuerat: ex quo, locus ille quaſi a Dei præſentia conſecratus ſibi occurrebat; in eo enim fuit poſteà ædificatum Templum vt obſeruat S. Doctor Hebræorum: 7. l. 1. tum quia in ſpiritu præſeuſit, locum illum ad cultum Dei in poſterum ordinari: ſpecialiter quidem inter cœtera loca, in quibus coleret Deum: quod opportunè iuſſu Dei præmiſſo, ennarratur factum infra c. 35. ædificato ibi altari &c. Tum denique, quia vidit typum geſſiſſe totius Eccleſię illum locum, vtpotè intra terram promiſſionis. Hæc ex D. Thoma [D] hic. Et ſanè infrà capite 35. dicitur Iacob veniſſe Luzam: quæ eſt in terra Chanaam. *Quam terribilis!* Reuerentia quæ debetur rebus Deo dicatis, vt Templo, vel cęmeterio, vel ijs quæ pertinent ad ornatum Templi vel ſancto tempori, [E] videtur eſſe quidam timor, quo timemus intrare Templum illoti, vel non ſanctificati: vel appropinquare altari, vel alijs rebus ſacris, vel inquinare nos in loco Sancto, vel communia opera ibi exercere. De hoc timore habetur Gen. 28 *quam terribilis* &c. Hic autem primò accipitur *Domus Dei*, pro Eccleſia materiali, [F] in qua excitatur animus hominis ad deuotionem. Poteſt tamen accipi pro Eccleſia iuſtorum militantium; quæ cum non longè ſit à terra viuentium, non enim longè erant à terra diſcipuli nauigio Ioannis 21. meritò cœli [G] Porta appellari debet. Qui fide viua intrà gremium Eccleſię degit; iam in ianuis eſt gloriæ.

D D. Th. hic.

E op. 41. l.3.5.

F pſ.26.

G Io. 21. l. 2. & pſ. 42.

VERSVS XVIII. *Surgens ergo Iacob manè tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper*.

4 In titulum; ideſt in inſigne memoriale præfatæ viſionis, [H] & præfati Sacramenti. Et quoniam lapis iſte Chriſtum præfigurabat, dicitur erectus in titulum; erat enim vnde ſignanter eſſet in memoriam, quia [I] futurus erat fundamentum: *fundamentum aliud nemo poteſt, ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus* 1. Cor. 3. Et ſanè mirè inſinuari videtur Apoſtolicis verbis, quod fecit lapidi Iacob; non enim dixit, fundamentum *Ieſum*, ſed *Chriſtum Ieſum*. *Chriſtus* quippe, latinè dicitur [L] *vnctus*. *Oleum effuſum nomen tuum* Cant. 1. Quid magnum portendebat hæc vnctio: quæ quidem triplex futura erat in lege: Vngebantur Sacerdotes, vt Aaron, [M] quod in Leuitico c. 8. vngebantur Reges vt Saul à Samuele 1. Regum. 11. & etiam vnctus eſt Eliſeus in Prophetam 3. Reg. 19. Chriſtus autem fuit Rex; *& regnabit Rex*, Ier. 23. Propheta, *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus* Deut. 18. Et Sacerdos; *tu es ſacerdos* pſ. 109. Non tamen Chriſtus vnctus fuit oleo viſibili, [N] quia Regnum eius non fuit de hoc mundo. Item non eſt functus Sacerdotio materiali: ideoque non eſt vnctus oleo materiali; ſed oleo Spiritus Sancti inuiſibili, ſcilicet oleo lætitiæ [O] Hinc dicitur Ezechielis 16. *vnxi te oleo*, ideſt [P] gratia Spiritus-Sancti. Immò non ſolùm oleo dicitur vnctus tanquam Rex, in [Q] ſignum clementiæ, quæ Reges ſummopere decet; aut quia oleum ſignificat miſericordiam, vt pluries D. Thomas, [R] ſuper illud etiam Lucæ 11. *infundens oleum & vinum*; aut quia ſignificat gratiam Spiritus-Sancti, qua luctatores euadimus contra Diabolum, nitoremque [S] habemus conſcientiæ: ſed vnctus eſt balſamo; nam Chriſma vtrumque importat: quod bonæ famæ expandit odorem. Ab iſta vnctione omnes [T] dicti ſunt Chriſtiani.

H D. Th. hic.

I Ioan. 1. l.16.

L Math. 1.

M Rom. 1. l. 5. & Math. 1.

N pſ.44.

O loc. cit. & Ioan. 1. l.16.

P Prol. 4. ad Annibal. & hic

Q op. 41. l.1.14.

R Math. 26 & cap. 25.

S op. 5. de Sacramentis.

T Math. 16.

Poſt hæc, occurrunt quæ alibi [V] tradit Angelicus, ſuper illa verba, Iſaiæ 61, *Spiritus Domini ſuper me eoquòd vnxerit me*. Poſtquam enim dictis adiecit, Chriſtum Dominum vnctionem accepiſſe, in typum fortitudinis immenſæ; quo facit illud, *quia abiectus eſt*, 2. Reg. 1. *clypeus fortium, quaſi non eſſet vnctus oleo*: & pariter in ſignum eminentis iucunditatis ad miſerendum; iuxtà illud, *iucundus homo qui miſeretur & commodat*, pſ. 111. addit; Chriſtum vngit ſeruus deuotus, primò lacrymis compunctionis; *vnge caput tuum, & faciem tuam* Matth. 6. *laua*. Secundò vnguento deuotionis; *Hæc autem vnguento vnxit pedes meos*. Lucæ 7. Tertiò oleo puræ intentionis; *omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat*. Eccl. 9. Quartò oleo laudis, & gratiarum actionis. *Surgens Iacob mane tulit lapidem* &c. *fundens oleum deſuper*.

V Iſ.61.

Per oleum denique, ait Angelicus, [X] ſignificatur affluentia, & præſentia diuinæ vnctionis, & gratiæ, per quam in Eccleſia ſtabilitur, & erigitur Dei cultus.

X D. Th. hic.

VERSVS XIX. *Appellauitque nomen Vrbis Beth-el, quæ priùs Luza vocabatur*.

Beth-el [A] interpretatur, *Domus Dei*. Sic vrbem loco illi vicinam nuncupare voluit, ex ſacro portento quod viderat: poſteà expreſſiùs ipſum lapidem dicturus Domum Dei, in Chriſto enim *inhabitat plenitudo Diuinitatis corporaliter*, vt ait Apoſtolus Coloſſ. 2.

A Cantic. 2.

VERSVS XX. *Vouit etiam votum dicens*, &c,

Indubitabile eſt, votum eiuſmodi acceptum fuiſſe Deo, vtpote quod memorare dignatur, infrà c. 31. dicens; *ego ſum Deus Beth-el, vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi*. Hæc autem dicendi figura, qua dicitur etiam, *vita viuere, ire iter*; appellata Pleonaſmus, eatenùs à vitio redundantiæ eximitur, quatenus vim orationis intendens, emphaſin facit: igitur ſanctè magnoque feruore ſpiritus votum hoc ce emiſiſſe innuitur. 6

Specialem ergò, & ſupererogatiuum ali- 7

quem

quem Dei cultum, [B] ad quem priùs non teneretur, vouet Deo Iacob, iusti enim ante tempus legis, per [C] interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum; quos alij sequebantur. Sicuti itaque homines in statu legis naturæ, [D] nulla lege exteriùs data, sed solo interiori instinctu, mouebantur ad Deum colendum; ita etiam ex interiori instinctu, determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum vterentur; Sic ergò Iacob pollicetur Deo voto se obstringens; *Erit mihi Dominus in Deum*: de quo dicitur infrà c. 36. *quòd erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerit ei Deus, libans super eum libamina*. Dicit autem, *erit mihi Dominus in Deum*: meritò, quia nomen Dei significat vniuersalem prouidentiam, cui se commendabat. Ita Hebræorum 8. l. 3. & p. p. 13. a. 8.

B D.Th. hic.
C 2.2.93. 1.2.
D 1.p.60. 5.3.

8 Quantùm autem ad decimas, recolendum est, [E] quòd quamuis, vt legitur Numeri 18. ex lege sit datio decimarum, tamen sunt etiam datæ ante legẽ. Radix doctrinæ huius est; quia cęremonialia veteris Testamenti sunt quædã determinationes præceptorũ iuris naturalis, & præceptorum moralium: & ideò quantùm ad hoc, quod habebant de iure naturali, seruabantur antè legem, tantùm pro voto òbseruantium, & sine aliquo præcepto. Quòd enim aliquid offeratur Deo, in recognitionem creationis, & dominij, hoc est naturale: sed quòd offeratur vitulus, & hœdus, hoc est cæremoniale. Sicut enim ante tempus veteris legis, non erant determinati ministri diuini cultus; sed dicitur, quòd primogeniti erant Sacerdotes, qui duplicem portionem [F] accipiebant; ita non erat determinata aliqua pars exhibenda ministris diuini cultus: sed vbi aliquis occurrebat, vnusquisque dabat ei propria sponte, quod sibi videbatur. Sicut Abraham quodam prophetico instinctu, dedit decimas Melchisedech Sacerdoti Dei summi, vt dicitur Genesis 14. Et similiter Iacob decimas vouit se daturum: quamuis non videatur decimas vouisse, quasi aliquibus ministris exhibendas; sed in diuinum cultum, puta ad sacrificiorum consummationem: vnde signanter dicit, *offeram tibi decimas*.

E Hebr. 7.l.1.
F 2.2.87. 1.3.

9 Cur autem in decimas feratur obsequij cultus, exponit mirificè hic [G] D. Thomas: est enim numerus eminens, post quem, soli remanet locus repetitioni: siue occasio fuerit digitorum decem enumeratio, siue causa extiterit placitum supputantium. Prætereà quoquè intellectui faciendo satis, dicendum, hoc denarij numero, claudi non solùm completi vniuersi septenarium, sed & Ternarium sanctissimæ Triadis superesse: sicut in Decalogo tria sunt præcepta ad Deum, septem ad proximum. Denique super quadraturam, atque perfectionem ternarij, scilicet super ter tria, addit vnitatem finalem. Quod videtur ex Deo tractum, dum ter tres ordines Angelorum creans, adiecit hominem, quasi decimum: in quo est finalis vnitas commendata; non solùm quia factus est vltimò, sed etiam quia totum genus humanum conditum est in homine vno, & tandem reparatum in vno, vnitis in eo naturis. Alibi etiam D. Thomas magni facit [H] Sacramentum vnitatis.

G D.Th. hic.
H Ioan. 2.l.3.

CAPVT XXIX.

1 PRofectus ergo Iacob venit in terram Orientalem. 2 Et vidit puteum in agro, tres
quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora,
& os eius grandi lapide claudebatur. 3 Morisque erat, vt cunctis ouibus con-
gregatis deuoluerent lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent, 4 Di-
xitque ad pastores: Fratres, vnde estis? Qui responderunt: De Haran. 5 Quos interro-
gans, Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Nouimus. 6 Sanusne est?
inquit: Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia eius venit cum grege suo. 7 Dixitque Iacob:
Adhuc multum diei superest, nec est tempus, vt reducantur ad caulas greges: date ante
potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. 8 Qui responderunt. Non possumus, do-
nec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus gre-
ges. 9 Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui: nam gregem
ipsa pascebat. 10 Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesque Laban
auunculi sui: amouit lapidem quo puteus claudebatur. 11 Et adaquato grege, osculatus
est eam: & eleuata voce fleuit, 12 & indicauit ei, quod frater esset patris sui, & filius Re-
beccæ, at illa festinans nunciauit patri suo. 13 Qui cum audisset venisse Iacob filium soro-
ris suæ, cucurrit obuiam ei: complexusque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam.
Auditis autem causis itineris, 14 respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquam
impleti sunt dies mensis vnius, 15 dixit ei: Num quia frater meus es, gratis seruies mihi?
dic quid mercedis accipias? 16 Habebat verò duas filias, nomen maioris Lia: minor verò
appellabatur Rachel. 17 Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspe-
ctu. 18 Quam diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis.
19 Respondit Laban, Laban: Melius est, vt ibi eam dem, quam alteri viro, mane apud
me. 20 Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ a-
moris magnitudine. 21 Dixitque ad Laban: Da mihi vxorem meam: quia iam tempus
impletum est, vt ingrediar ad illam. 22 Qui vocatis multis amicorum turbis ad cõuiuium,
fecit nuptias. 23 Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum, 24 dans ancillam filiæ,

Zel-

Zelpham nomine. Ad quam cùm ex more Iacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam: 25
& dixit ad socerum suum. Quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachel seruiui tibi?
quare imposuisti mihi? 26 Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt
minores ante tradamus ad nuptias. 27 Imple hebdomadam dierum huius copulæ: & hanc
quoque dabo tibi pro opere, quo seruiturus es mihi septem annis alijs. 28 Acquieuit pla-
cito: & hebdomada transacta, Rachel duxit vxorem: 29 cui pater seruam Balam tradide-
rat. 30 Tandemque potitus optatis nuptijs, amorem sequentis priori prætulit, seruiens
apud eum septem annis alijs. 31 Videns autem Dominus, quòd despiceret Liam, aperuit
vuluam eius, sorore sterili permanente. 32 Quæ conceptum genuit filium, vocauitque
nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.
33 Rursumque concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi
contemptui, dedit etiam istum mihi, vocauitque nomen eius Simeon. 34 Concepitque
tertiò, & genuit alium filium: dixitque. Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo
quòd pepererim ei tres filios: & idcircò appellauit nomen eius, Leui. 35 Quartò conce-
pit, & peperit filium, & ait: Modo confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum, Iudam: Matth. 1. a.2.
cessauitque parere.

VERSVS XVIII. *Quam (Rachel) diligens Iacob, ait: seruiam tibi pro Rachel filia minore, septem annis.*

1 De acceptis ab Iacob vxoribus, præcipua est capitis huius litera. Plures tunc temporis licuisse vxores ducere, supra c. 2. u. 48. exposui: quod maximè absque omni peccati labe, sanctis accidisse Patribus, firmissimè tenendum est: quamuis ancillis quoque commiscerentur: quod, non nisi vxorio affectu: Sic Iacob Liæ primùm, & Rachel, deinde ancillis earum Balæ & Zelphæ. De quo 22. 154. 2. 3. & alibi. Adamat tamen vnam Rachel Iacob, quam etiam vnam, in vxorem deposcit: atqui non libidinis, sed casto amore (quicquid blaterent carnales impij), certissimum est. Sanè, vt sapienter deducit [A] D. Thomas, septuaginta quinque annos permanserat cælebs, continentiæ, quæ iam occaluisset, manifestissimum signum: cui quidem suffragantur sequentia: expectatio annorum septem, qui *videbantur* etiam *pauci*; cùm tamen carnalis amor ægrè moras patiatur: modestiæ velamen; ex quo potuit errore coniungi Liæ, sibi inscienter, loco Rachel, suppositæ: filiorum procreatio, in Deum relata semper, proinde à Deo: denique ancillarum, vxorum pulsu, accessus. Ex quibus, alijsque de causis, tanquam castissimum Iacob D. Thomas commendat. Nec pulchritudo Rachel fuit primæua prædilectionis radix, aut finis: quamquam subinductiuum dici potuerit honestati [B] condiendæ. Sic dicitur, *gratior est pulchro veniens à corpore virtus*. Vnde alibi Sanctus Doctor: [C] sciendum quod decor faciei, non fuit causa principalis, sed secundaria: & hoc bene potest esse sine peccato mortali, vel etiam quandoque sine veniali. Si autem principalis causa libido pulchritudinis, essetque effrænata libido, non excusaretur à peccato mortali.

A D.Th. hic.

B D. Th. hic.

C 4.d.30. expositione textus.

VERSVS XXIII. *Et vespere Liam Filiam suam introduxit ad eum.*

2 Exponit S. Thomas, [D] quo etymo nuptiæ dicantur: aitque, à ritu desponsationis; secundùm quòd in solemni desponsatione, ponitur quoddam velamen super capita nubentium, vt *nuptiæ à nube dictæ intelligantur*. Maiori integumento ad torum accessisse nuptialem credenda est Lia: dum quænam esset illa, ignorauit Iacob. Nouum concubitus castissimi argumentum, quando generationi sunt obsecuti silenter, sic vt nec voce, potuerit distingui à sorore soror. Ergo, vbi passiones concupiscentiæ quiescunt, silentio castitatis quasi obuoluuntur. Hinc ait D. Thomas [E] si voluptuosè multum ad amplexus Rachelis ferretur Iacob, tunc voluisset omninò, decore vxoris, ac alloquijs blandis, pascere sensus; quod non fuit, alias agnouisset. Igitur absque peccato [F] certè rem habuit Iacob cum Lia: sicut ait Magister in 4. d.30. de vtroque loquens; Nec ex illo concubitu, qui consensum matrimonij præcessit, fornicarij iudicantur; cum ille maritali affectu eam cognouerit, & illa vxorio affectu debitum persoluerit; putans lege primogenitarum, & paternis imperijs, se illi iure copulatam. Excusatur etiam, subdit Magister, quia Dei consilio, in mysterio ita actum est. De quo, mox dicendum. Circà eiusmodi factum format S. Doctor argumentum: [G] Inter Liam & Iacob fuit verum matrimonium; sed ibi fuit error; ergo error non excludit matrimonium. Respondet; sicut Magister in litera dicit, matrimonium illud non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex errore contigit, sed ex consensu, qui postmodum accessit: tamen vterque de peccato excusatur.

D 4. Anmb.17. a. 3.4.

E D. Th. hic.

F de malo 2. a. 6. 11.

G 4.30.1. 3.4.

3 Non ita lego excusari Laban, nisi in quantum pro eo quòd potuit, vel quòd nesciuit, diuino instinctu, mysteriorum corticem præferebat: vel quatenus, ad astruendam & commendandam electionem diuinæ gratiæ, quæ statum naturæ & ordinem omnem transcendit, voluit Dominus pluriès, neglecto vel abiecto vno, ad aliud arbitrariam translationem. Sic ergo ordinauit, in præsenti, mysticum transitum ex Synagoga ad Ecclesiam, atque ab Ecclesia militante ad triumphantem præfigurari; ita vt Lia Synagogam sonet, stetque comparatione altera, pro militanti. Hæc trahuntur eruditissimo, ex S. Doctore [H] infrà c.48. Ex quo fit consectariò, vt ad significandum, non esse Synagogam dilectam sponsam, nec indissolubili nexu iunctã illi, voluerit coniungi Iacob nõ desponsatæ. Et similiter, quia spiritualis consummatio connubij, instar traductionis in thalamum, fit solùm in Patria, permisit in typum militantis Ecclesiæ, Liæ quasi innuptæ sociari. Spirituale connubium inter

H D.Th. hic c. 48.

Deum & Ecclesiam; vbique Sacra pagina loquitur; & ideò, quæ ad illius circumstantias faciunt, non immeritò sacra in historia subinnui creduntur; vt vndequaque litera seruiat spiritui. Hæc vt firmentur, mysticè nonnulla dictis adnecto. Et quidem non temerè attentis personarum nominibus: quorum signata negligere haud quaquam licet, quando hoc eodem in capite, studiosè adeò, natis imponuntur; ex nominibus enim spiritualis intelligentia secundùm Hieronymum Prooemio Commentariorum in Malachiam, capienda est. Quemadmodum, & *Salem* interpretatur Apostolus Hebræorum 7. *Regem pacis*.

4
I 2.2.179.2. Constantissimum est apud Patres, [I] per Liam, actiuam; per Rachelem, contemplatiuam vitam significari: de quo præsertim Gregorius, *Rachel quæ aliàs interpretatur ouis, cum sit typus Ecclesiæ* &c. *dicitur etiam* [L] *visum principium*: assonat autem vitam contemplatiuam, quæ vt ait idem Gregorius, *calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animo inardescit*. Et rursus; *contemplatiua vita, amabilis valde dulcedo est; quæ super semetipsam, animam rapit, cœlestia aperit, spiritualia mentis oculis patefacit*. Contemplatiua autem vita speciosa est in animo, sicut Rachel formosa fuit. Hinc de [M] contemplatione sapientiæ, dicitur Sap. 8. *amator factus sum formæ illius*. Radix autem pulchritudinis est; quia cum consistat pulchritudo in quadam claritate, & debita proportione; & hæc radicaliter in ratione inueniantur, ad quam pertinet lumen manifestare, & proportionem debitam in alijs ordinare: meritò huiusmodi pulchritudine enitet contemplatiua, quæ consistit in actu rationis. Sed hæc non est fœcunda, aut sterilis est; vt ex Lia constabit.

L 2. 2. 180. 1. 2. & hic c. 32. & 2. 2. 180. 7. ad 3.

M 2. 2. 180. 2. 3.

Liæ nomine *labor* importatur: laboriosa quippe est vita actiua: Hinc Gregorius, *qui ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt, & amplius parit*, [N] & sic significatur per Liam; quæ erat fœcunda, & lypis oculis. Additurque ex Gregorio pariter, *actiua vita est, panem esurienti tribuere, verbum sapientiæ nescientem docere*: &c. & alibi ex eodem; *post Liæ amplexus* [O] *ad Rachelem Iacob peruenit; quia perfectus quisque ad fœcunditatem actiuæ vitæ antè iungitur, & postea contemplatiuæ, ad requiem copulatur*. Et deinde in Ezechielem, *omnis qui ad Deum conuertitur, priùs necesse est, vt desudet in labore*, [P] idest, Liam accipiat; *vt post ad videndum principium, in Rachel amplexibus requiescat*: & iterum, *Lia lippa est, & fœcunda, quia actiua vita, dum occupatur in opere, minus videt*. Post visionem Angelorum ascendentium, & descendentium, ptaxim vidimus in Iacob vtriusque vitæ, & quàm mitè cohærent cuncta; quia non nisi post septenum tempus ad quietem, per Rachelem signatam, peruenit Iacob: confinio tamen tangit hanc quietem hic labor, ad Rachelem quippe ordinatus, sed in Lia terminatus; annos primò percurrit noctium dierumque capaces, quia aduersis, & prosperis labor increscit: & postea *hebdomadam*, implet, quia suaui contemplationis refusa luce, corpore etiam glorioso, octaua æta-

N 1. 35. 1. 3 1. 3. & 2. 2. 181. 1. 2. & hic c. 30.

O op 17. cap. 2. & quodl. 4. a. 23. 16.

P 2. 2. 182. 2. 1. & a. 1.

te, in Rachael quiescit fruitione. Quòd si post etiam, septennio inseruire dicitur, vix sentic laborem; iam enim fixa in cœlum mente, in labore est requies, & *seruire Deo regnare est*. Hic autem c. 30. D. Thomas; septem anni, quibus Iacob seruit, significant aut totum huius vitæ decursum, aut plenitudinem, & vniuersalitatem conatuum, quibus virtuosus pro contemplatiua habenda laborat. Et rursus; post septem dies, idest, post hanc vitam, & plenitudinem operum actiuæ, intratur ad amplexum Rachelis.

Hæc breui colligit alibi [Q] S. Doctor dicens. *Iacob*; idest *charitas*, qui duxit duas vxores; *Liam*, quæ interpretatur laborans; & *Rachel*, idest duas vitas; quæ sunt in charitate, iuxta duo præcepta; contemplatiua enim delectatur in Deo; actiua autem est, per quam subuenitur proximo. Q. Matthæi 1.

Cauendum est autem, ne Ecclesia suis aliquibus in membris degeneret in Liam; quod dolet Angelicus [R] dicens, *hodie oculi Ecclesiæ lippi sunt, pleni sordibus diuitiarum, & fame deliciarum*. R Apoc. 19. 1. cõmentario

Non desunt aliàs hoc in capite mystica pro mysterijs: fugiens enim Mundum, ad exemplum Iacob, qui paternos reliquit lares, quo Dæmonis declinet insidias, deserit Occidentem culpæ, & venit ad Orientem Solis æterni: (Mesopotamia quò petrexit Iacob respectu terræ promissionis est quippe ad Orientem) ibique in agro studiosi exercitij, inuenit puteum gratię, & sapientiæ Dei: tresque greges ouium, idest tres status fidelium; scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum: vel status electorum legis naturæ, scriptæ, & gratiæ. Post quos, siue in quorum consummatione venit Rachel, idest vitæ contemplatiuæ culmen, cum grege contemplatiuorum: nec potest fieri putei apertio, & ouium plena adaquatio, siue potatio; nisi vel in aduentu istius, vel in die Resurrectionis, cùm erunt omnes oues electorum congregatæ; Stat enim puteus grandi lapide clausus, partim lapidea duritia literali; partim ex lapidea duritia cordis nostri; partim ex duritia seueræ iustitiæ Dei, nulli indigno contra iustitiam aliquid dantis; nec suas gratias volentis effundere, nisi sub proportionali mensura. Christus tamen suprà communem spem, antequàm veniamus ad ouile æternæ Patriæ, dùm adhuc multùm diei superest, (id est multum illuminationis solaris, adhuc ab ipso in tertio statu mundi fiendæ) propter amorem Rachelis, lapidem amouebit, & fiet mira adaquatio gregis, tuncque sibi dabit osculum illud, quod sponsa petit in Canticis dicens; *osculetur me*, &c. Hæc ex D. Thoma in præsenti, quæ valde notanda sunt, quia *omnia in figura contingebant illis*, vt ait Apostolus 1. Cor. 10. Certè profanus, vel humanus amor non fuisset Iacob in Rachelem; nam tunc, non fuissent visi dies pauci, septem anni, sed longissimi annorum curriculi, quibus seruiuit.

CAPVT XXX.

1 CErnens autem Rachel, quod infecunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo:
Da mihi liberos, alioquin moriar. 2 Cui iratus respondit Iacob: Num pro
Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? 3 At illa: Habeo, inquit, fa-
mulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios. 4
Deditque illi Balam in coniugium: quæ, 5 ingresso ad se viro, concepit, & peperit fi-
lium. 6 Dixitque Rachel: Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans
mihi filium, & idcirco appellauit nomen eius, Dan. 7 Rursumque Balam concipiens, pe-
perit alterum, 8 pro qua ait Rachel: Comparauit me Deus cum sorore mea, & inualui:
vocauitque eum, Nephthali. 9 Sentiens Lia quod parere desijsset, Zelpham ancillam
suam marito tradidit. 10 Qua post conceptum edente filium, 11 dixit: Feliciter, & id-
circo vocauit nomen eius, Gad. 12 Peperit quoque Zelpha alterum. 13 Dixitque Lia.
Hoc pro beatitudine mea; Beatam quippe me dicent mulieres, propterea appellauit eum,
Aser. 14 Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras:
quas matri Liæ detulit Dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filij tui. 15 Illa
respondit Parumne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras
filij mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. 16 Re-
deuntique ad vesperam Iacob de agro, egressa est in occursum eius Lia, & ad me, inquit,
intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Dormiuitque cum ea nocte
illa. 17 Et exaudiuit Deus preces eius: concepitque & peperit filium quintum, 18 & ait:
Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo appellauitque nomen
eius. Issachar. 19 Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium, 20 & ait: Dotauit me
Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios:
& idcirco appellauit nomen eius, Zabulon. 21 Post quem peperit filiam, nomine Dinam.
22 Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius. 23
Quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum. 24 Et voca-
uit nomen eius, Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. 25 Nato autem
Ioseph, dixit Iacob socero suo. Dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam.
26 Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam: tu nosti seruitutem
qua seruiui tibi. 27 Ait illi Laban: Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento di-
dici, quia benedixerit mihi Deus propter te: 28 constitue mercedem tuam quam dem ti-
bi. 29 At ille respondit: Tu nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis
fuerit possessio tua. 30 Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus
es: benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Iustum est igitur, vt aliquando proui-
deam etiam domui meæ. 31 Dixitque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo:
sed si feceris, quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua. 32 Gyra omnes
greges tuos, & separa cunctas oues varias, & sparso vellere: & quodcumque furuum, &
maculosum, variumque fuerit, tam in ouibus quam in capris, erit merces mea. 33 Re-
spondebitque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te: & omnia,
quæ non fuerint varia, & maculosa, & furua, tam in ouibus quam in capris, furti me ar-
guent. 34 Dixitque Laban: Gratum habeo quod petis. 35 Et separauit in die illa ca-
pras, & oues, & hircos, & arietes varios, atque maculosos, cunctum autem gregem vni-
colorem, idest, albi, & nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum. 36 Et posuit spa-
tium itineris trium dierum inter se, & generum, qui pascebat reliquos greges eius. 37 Tol-
lens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte de corti-
cauit eas, detractisque corticibus, in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa verò
quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius.
38 Posuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua: vt cum venissent greges ad biben-
dum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. 39 Factumque est vt
in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso
colore respersa. 40 Diuisitque gregem Iacob, & posuit virgas in canalibus ante oculos
arietum: erant autem alba, & nigra quæque Laban: cætera verò Iacob, separatis inter se
gregibus. 41 Igitur quando primo tempore ascendebantur oues, ponebat Iacob virgas in
canalibus aquárum ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione concipe-
rent: 42 quando verò serotina admissura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas.
Factaque sunt ea, quæ erant serotina Laban: & quæ primi temporis, Iacob. 43 Dita-

tuſque eſt homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas, & ſeruos, camelos, & aſinos.

VERSVS III. *Habeo inquit*(Rachel) *famulam Balam, ingredere ad illum, vt pariat ſuper genua mea, & habeam ex illa filios.*

I 4.6.1.3. .2. Iacob genuit filios per liberas [A] & ancillas: ita Chriſtus per catholicos, & hæreticos, per bonos & malos, vt Auguſtinus dicit, contra Donatum; per hæreticum enim & infidelem, ſeruatis de forma, & Eccleſiæ intentione, regenerari quis poteſt baptiſmate. In generationibus quippe Patriarcharum, ex eodem D. Auguſtino apud ſanctum Thomam Hebr. 11. l. 4. latet myſterium, nimirum ſimilitudo generationis; qua Deus regenerat filios ſpiritualiter. Videmus in ipſis quadruplicem modum generandi. Primus modus eſt liberorum per liberas; ſicut Abraham per Saram genuit Iſaac, qui genuit per Rebeccam Iacob. Iacob autem octo Patriarchas per Lyam, & Rachelem. Secundus modus fuit liberorum per ancillas; ſicut Iacob per Balam, & Zelpham, genuit Dan, & Nephtalin, Gad, & Aſer. Tertius modus fuit ſeruorum per liberas; ſicut Iſaac genuit per Rebeccam Eſau, de quo dictum eſt, *maior ſeruiet minori*. Quartus modus fuit ſeruorum per ancillas; ſicut per Agar genuit Abraham Iſmael. In hoc ergo deſignatur diuerſus modus, quo Deus ſpirituales filios generat: quia aliquando bonos per bonos, ſicut Timotheum per Paulum; aliquando bonos per malos; & iſte eſt generatio liberorum per ancillas; aliquando malos per bonos, ſicut Simonem magum, per Philippum; & iſta eſt generatio ſeruorum per liberas. Malorum autem generatio per malos, non reputatur in ſemine. Vnde Galat. 4. *eijce ancillam, & filium eius.*

Quoniam autem dicturus erat Dominus per Iſaiam c. 69. *quomodo ſi cui mater blandiatur, conſolabor vos*: & ante præmittitur, *ſuper genua blandientur vobis*, docet Angelicus, id hic dici in figuram: quo ſciatur nihil obeſſe naturam [B] D. Thic c. 30. noſtram ſeruilem, quin baiulemur maieſtatis Paternæ genibus, cum omnis familiaritatis blanditijs. Igitur tropologiæ lucerna vbique hac ſacra in hiſtoria præire debet; *quæcumque enim ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, Rom. 12. Miſſa quippe literali inſtantia Rachelis, & Liæ, vt ad ancillas Iacob accederet, potuerunt edoctæ à ſancto viro de Dei promiſſis, pia charitate inardeſcere ad prolem ex ipſo habendam, cui populum innumerabilem, & tandem Chriſtum Deus pollicitus fuerat. Quod animaduertit Angelicus in præſenti.

VERSVS XIV. *Egreſſus autem Ruben tempore meſſis triticeæ in agrum, reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit.*

Studioſè iuſſu Matris quæſiuiſſe Mandragoras, claret; eo quòd reperiſſe perhibetur (quòd de anxiè conquiſitis dicitur, iuxta illud Poetæ 1. Metamor. de Io filia ab Inacho Patre tandem reperta;

Me miſerum ingeminat, tù ne quæſita per omnes
Nata mihi terras: tù non inuenta, reperta es.

& iterum, quia vt quid Matri eas detuliſſet? Teſtantur Auctores, inter cœtera, refrigerando humectandoque feminarum vtero adhiberi ſolita hæc poma: vimque Philtri habere mandragoram, & idcircò Circæam vocari, & pomum amoris. Quis ſcit an ad literam his de cauſis, vel quo fecundari poſſet Lia, & præamari, eas perquæſierit! Non immaculatas omninò impius Pater Laban (Quamuis D. Auguſt. citatus hic à D. Thoma fabuloſum reputet, mandragoras fecunditati conferre) nutrierat filias: etſi paulatim ad vnius Dei pleniorem, indiuiduumque cultum eas traheret Iacob. *Mandragoræ*, inquit in Câticis; (herba aromatica, cuius radix ſimilitudinem habet humani corporis,) [C] fragrantiam virtutum deſignant. C Cant. 7. In veriori etiam Canticor. D. Th. expoſitione, mandragora eſt herba cuius radix habet membra, quaſi hominis, non tamen caput, vnde ſignificat Iudæos, qui nunc ſine capite ſunt, ſed in fine ad prædicationem, & odorem Eccleſiæ ſpirabunt & ipſi deſideria, vt iungantur Chriſto capiti. Quæ quidem poſſunt non incongruè ad ea, quæ attexuntur, myſticè aptari. & hic c. 30. mandragoræ poma quædam odorifera, licèt non apta ad eſum, immò inſipida. Dicuntur autem poma aliàs virtutes, & bona opera; propter tria: primò propter eorum decorem; [D] ſecundò propter odorem; tertio propter refectionem, ſcilicet operanti, non alijs: ex odore autem bonæ famæ alliciuntur alij ad imitandum, Canticorum 7. *mandragoræ dederunt odorem ſuum*. D Dominica 4. Quadrag. ſermone 3. de mortuis. Quid mirum ſi Rachel, contemplatiuæ typus, rogat de pomis eiuſmodi Liam? (ad literam, potiùs curioſitate fœminea ait hic D. Thom. nihili faciendo, quòd ſoror ſterilis iungeretur marito.) Actiua longè fundit odorem; & non niſi per mediam iſtam, ad proximum bene ſolet contemplatiua. Prout etiam gerit Lia ſynagogæ vices, poſt emiſſos Patriarchas, ac prophetas, ſterileſcit ad tempus: atque ex Apoſtolis Liæ filijs, habet vnde fœcundetur Rachel, ideſt Eccleſia; quæ tamen eſt ex gentibus & Iudæis; iterum Lia concipiente; facto vno ouili ab vno Paſtore Iohannis 10.

VERSVS XXXI. *At ille* (Iacob) *ait nihil volo; ſed ſi feceris quod poſtulo, iterum paſcam, & cuſtodiam pecora tua;*

Ediſſerit paulò poſt ſacra pagina artem Iacob, qua diues gregum, ex condicto cùm Laban diuinitùs deluſo, factus eſt. Durus euaſerat Laban, & auarus in filias, vt capite ſequenti habetur, & in ipſum Iacob. Hinc conqueritur apud vxores capite proximo, verſu 7. *mutauit mercedem meam decem vicibus*. Quod Hebraico idiotiſmo, cum ſit terminus cuiuslibet numeri monadici, indefinitè pro multis ſumi, recolit Maluenda eruditiſſimus l. 4. de Antichriſto c. 21. propterea Dei monitu, vt ibidem conſtat, promeritam ad mercedem conſuluit ſibi Iacob; iniuſtè enim Laban ſe geſſit cum eo, ſciens curſu ſolito, quàm paucæ ceſſiſſent varij coloris oues in ditionem eius.

Itaque populeas virgas delegit Iacob amygdalinas & ex platanis; virides, quia faciliores

vt decorticentur: ex parte tamen, vt varietas candoris hinc, illinc viriditatis appareret. Positis autem eiusmodi virgis in aqua, feruore coitus ascendebantur oues aliàs siticulosæ: ideoque fixæ, non tam potabant frigidam, quàm variegatam hauriebant imaginem. Quod, secundùm Hieronymum, non solùm ex intuitu virgarum, sed ex vmbris, seu imaginibus Arietum & Hircorum, quasi non vnicoloribus, propter virgas alteratis, fiebat. Et quia primi temporis, idest veris, fœtus est melior; deteriores serotinæ admissuræ (fortè, non solùm post primas promptiores; sed autumno) finebat Iacob, ablatis virgis, concipi vnicolores socero suo. [s] — s D.Th. hic in fine & cap. 31.

Quæritur illico, an naturaliter id accideret vel miraculosè?

2 Diuus Hieronymus; quem refert [r] hic D. Thomas, putauit naturaliter fieri potuisse: quod & in Equarum gregibus apud Hispanos inquit contingere. — r D.Th. hic. Cui consentit S. Augustinus 3. de ciuitate Dei c. 7. vbi ostendit, quòd anima Matris, ex imagine colorum visorum vehementer pressa, afficiebat conformiter materiam sui fœtus: dicens ad rem nostram, fecit hoc anima grauidæ pecudis, per oculos affecta forinsecus, & interiùs secum pro modulo suo formandi regulam trahens. Quintilianus etiam, referente hic eodem Sãcto Doctore, pro defensione cuiusdam matronæ accusatæ, quod Æthiopem pepererat, ad vim imaginatricis confugit. Sic aliàs, accidisse ferunt ex vtroque parente albo, concipi atrum; quòd mater æthiopem depictum in cubiculo imaginatrice versaret. Addo his ex Galeno, in libro quem de Theriaca scripsit ad Pisonem, mulierem quandam speciosæ imaginis intuitu, pulchrum puellum ex deformi marito concepisse: & ex alijs, Gallinam, quæ inter concipiendum, miluum horruerat, pullum miluino capite edidisse. Horum rationem tangit hic S. Doct. dicens: nos multiplici experimento probamus, quòd tanta est colligatio animæ ad corpus, quòd vnius affectio, vel passio de facili redundat in alterum: vnde ad passionem timoris, vel pudoris, resultant in corpore pallor, vel rubor. Et opusculo 28. inquit, [o] Hoc faciunt apprehensa in virtutibus animæ sensibilis, quod faciunt dispositiones actiuarum qualitatum in corporibus; vnde imaginatione mulieris concepta, corpus totum transmutatur ad venerea, propter quod, etiam Auicennas dicit, quòd quidam ex imaginatione lepræ, leprosus factus est: & patientibus fluxum sanguinis, prohibet Galenus aspectum rubicundorum. — o op. 28. de Fato art. 2. Recole 1. Machabæor. 6. quomodo, & *Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ, & Mori, ad acuendos eos in prælium.* Fuit quædam proritatio, eo ex aspectu, alioquin non solent antipathico impetu irruere in homines. Denique hanc ad rem refert idem Sanctus Doctor [n] Auicennam, qui ad probandum substantias separatas, sua dumtaxat apprehensione miraculosos effectus facere posse, accipiebat in signum, quòd ab anima nostra, cum fuerit fortis in sua imaginatione, ad solam apprehensionem immutatur corpus: sicut cum quis ambulans super trabem in alto positam, cadit de facili, quia imaginatur casum ex timore: non autem caderet, si esset trabes illa posita super terram, vnde casum timere non posset. — n & 3. cont. G. c. 103. Manifestum est etiam, quòd ad solam apprehensionem animæ calescit corpus, sicut accidit in concupiscentibus vel iratis; aut etiam infrigidatur, sicut accidit in timentibus. Quandoque etiam immutatur ex forti apprehensione ad aliquam ægritudinem, puta febrem, vel lepram. Quæ quidem non negat S. Doctor, sed solùm addit, sequi ex apprehensione immutationem corporis, attamen interuentu alicuius affectionis, vt gaudij, timoris, concupiscentiæ: quæ quidem passiones accidunt, cum aliquo determinato motu cordis: ex quo sequitur vlteriùs immutatio totius corporis; vel secundùm motum localem, vel secundùm alterationem aliquam: hac autem interueniente, miraculi rationem non habent, quæ fiunt ab Angelis. Hic veruntamen quoniam non rarò aut in paucis gregum, [t] mutatio eiusmodi accidit, decernit regulatricem Dei affuisse potentiam, vt Iacobo mercedem vel ab inuito socero Deus pararet. — t D. Th. hic. Ideò quippe in somnis sequenti capite vidisse dicitur ascendisse mares super fœminas, varios, & maculosos & diuersorum colorum: cum tamen non ita re ipsa adhuc esset: ex quo D. Thomas: artem de concubitu, ac conceptu & partu ouium, Angelo reuelante peregit: & tandem, ad tam frequentem conceptuum haustam similitudinem, supra communem effectuum naturalium legem, ad fuisse regulatricem potentiam Dei. Pulcherrimè figurari hoc in facto, quæ Pastores & Prælati impensius recolere debeant, [l] ait S. Doctor, super illa D. Petri verba; *sed forma facti gregis ex animo*: forma scilicet, ad cuius aspectum informentur alij & concipiant fœtus similes. — l 1. Petri 5. Varias sine dubio induunt, qui reguntur virtutes; si mascula præsunt Rectores innocentia, ac humilitate decori; & se virgas pastorales, non oues ipsas decorticare voluerint. Similiter mystica ratio trinæ speciei virgarum potest accipi, secundùm tria [m] principalia obiecta moralium operationum. — m D. Th. hic c. 31. Per respectum ad Deum, debet esse virga florigera, & fructifera, qualis est amygdalina, quæ ad monstrandum sacerdotium dignum, floruit & fronduit: opus enim habens Deum pro obiecto, miro fulget splendore luminum diuinorum; gratosque sapores tegit dulceoris, & gustus, quasi fructum. Per respectum ad se ipsum, ex malogranatis, (quod legit Hieronymus, vbi nos ex Platanis) quia debet, actio esse pungitiua & caloris concupiscentiæ diuisiua; vt sit virga acerbum generans vinum. Per respectum verò ad proximum, instar virgarum populearum debet esse actio, multiformis, ad personarum varietatem. Non desunt mysticæ interpretationes aliæ apud D. Thomam mirificæ, significationis nominum personarum ducta.

CAPVT XXXI.

1 POstquam autem audiuit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia,
quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus: 2 ani-
maduertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri, & nudiuster-
tius, 3 maximè dicente sibi Domino: Reuertere in terram patrum tuorum, & ad genera-
tionem tuam, eroque tecum. 4 Misit, & vocauit Rachel, & Liam in agrum, vbi pascebat
greges, 5 dixitque eis: Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri, & nu-
diustertius: Deus autem patris mei fuit mecum. 6 Et ipsę nostis quod totis viribus meis
seruierim patri vestro. 7 Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam
decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus, vt noceret mihi. 8 Si quando dixit: Va-
riæ erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oues varios fętus, quando vero è contrario ait:
Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. 9 Tulitque Deus
substantiam patris vestri, & dedit mihi. 10 Postquam enim conceptus ouium tempus adue-
nerat, leuaui oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super fęminas, varios, &
maculosos, & diuersorum colorum. 11 Dixitque angelus Dei ad me in somnis: Iacob:
Et ego respondi: Adsum. 12 Qui ait: Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascen-
Supr. 28 d. 11. dentes super feminas varios maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi
Laban. 13 Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc er-
go surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. 14 Responderunt-
que Rachel, & Lia. Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus, & hereditate
domus patris nostri? 15 Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque
pretium nostrum? 16 Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filijs no-
stris: vnde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac. 17 Surrexit itaque Iacob, & impositis li-
beris, ac coniugibus suis super camelos abijt. 18 Tulitque omnem substantiam suam gre-
ges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram
Chanaan. 19 Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris
sui. 20 Noluitque Iacob confiteri socero suo quod fugeret. 21 Cumque abijsset tam ipse
quàm omnia, quæ iuris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad, &
22 nunciatum est Laban die tertio quod fugeret Iacob. 23 Qui assumptis fratribus suis,
persecutus est eum diebus septem; & comprehendit eum in Monte Galaad. 24 Viditque
in somnijs dicentem sibi Deum: Caue ne quidquam aspere loquaris contra Iacob. 25 Iam-
que Iacob extenderat in monte tabernaculum: cumque ille consecutus fuisset eum cum fra-
tribus suis, in eodem Monte Galaad fixit tentorium. 26 Et dixit ad Iacob: quare ita egi-
sti, vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio? 27 Cur ignorante me fugere
voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & ci-
tharis? 28 Non es passus vt oscularer filios meos & filias: stulte operatus es, & nunc qui-
dem: 29 valet manus mea reddere tibi malum: Sed Deus patris vestri heri dixit mihi:
Caue ne loquaris contra Iacob, quidquam durius. 30 Esto, ad tuos ire cupiebas, & desi-
derio erat tibi domus patris tui; cur furatus es deos meos? 31 Respondit Iacob: Quòd in-
scio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. 32 Quòd autem furti me ar-
guis: apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris, scrutare,
quidquid tuorum apud me inueneris, & aufer. Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata
esset idola. 33 Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriusque famulæ,
non inuenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis, 34 illa festinans abscondit idola
subter stramenta cameli, & sedit desuper: scrutantique omne tentorium, & nihil inuenien-
ti, 35 ait: Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo; quia iuxta con-
suetudinem feminarum nunc accidit mihi, sic delusa solicitudo quærentis est. 36 Tumens-
que Iacob, cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exar-
sisti post me, 37 & scrutatus es omnem suppellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta
substantia domus tuæ: pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me,
& te. 38 Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes
gregis tui non comedi: 39 nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam:
quidquid furto peribat, à me exigebas: 40 die, noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebat-
que somnus ab oculis meis. 41 Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuor-
decim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem
vicibus. 42 Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modò

nu-

nudum me dimiſiſſes: afflictionem meam, & laborem manuum mearum reſpexit Deus, &
arguit te heri. 43 Reſpondit ei Laban Filiæ meæ, & filij, & greges tui, & omnia, quæ cer-
nis, mea ſunt: quid poſſum facere filijs, & nepotibus meis? 44 Veni ergo, & ineamus
fœdus vt ſit in teſtimonium inter me, & te. 45 Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum
in titulum, 46 dixitque fratribus ſuis: Afferte lapides. Qui congreganres fecerunt tumu-
lum, comederuntque ſuper eum: 47 quem vocauit Laban Tumulum teſtis: & Iacob, A-
ceruum teſtimonij, vterque iuxta proprietatem linguæ ſuæ. 48 Dixitque Laban. Tumu-
lus iſte erit teſtis inter me & te hodie, & idcirco appellatum eſt nomen eius Galaad, id eſt,
Tumulus teſtis 49 Intueatur, & iudicet Dominus inter nos quando receſſerimus à nobis, 50
ſi affixeris filias meas, & ſi introduxeris alias vxores ſuper eas: nullus ſermonis noſtri teſtis
eſt abſque Deo, qui præſens reſpicit. 51 Dixitque rurſus ad Iacob: En tumulus hic, & la-
pis quem erexi inter me, & te, teſtis erit 52 tumulus, inquam, iſte & lapis ſint in teſtimo-
nium, ſi aut ego tranſiero illum pergens ad te, aut tù præterieris, malum mihi cogitans: 53
Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet inter nos. Deus patris eorum. Iurauit ergo Iacob per
timorem patris ſui Iſaac: 54 immolatiſque victimis in monte, vocauit fratres ſuos, vt ede-
rent panem. Qui cum comediſſent manſerunt ibi. 55 Laban verò de nocte conſurgens,
oſculatus eſt filios, & filias ſuas, & benedixit illis reuerſuſque eſt in locum ſuum.

VERSVS I. *Poſtquam autem audiuit verba filiorum Laban* &c.

A Apoc. 1. in Prologo.

Sicut iram fratris ſui Eſau fugiens de terra ſua, venerat Iacob [A] in Meſopotamiam, vbi poſt multos labores, Rachel amplexus promeruit; ita deluſo ſapienter Laban; clam diſcedit, filiaſque eius ſecum duxit. Quæ quidem Euangeliſtæ Ioanni, ab ira Domitiani ſimiliter eueniſſe commemorat. Deus quippe ambos, *deduxit per vias rectas*, Sapientiæ 10.

VERSVS VII. *Sed & Pater veſter circumuenit me, & mutauit mercedem meam, decem vicibus.*

B D. Th. hic.

Quia quando Laban videbat plures diuerſi coloris naſci, dicebat, [B] vnicolores ſint deinceps merces tua: quandò verò videbat vnicolores plùs multiplicari, aiebat, amodo diuerſi coloris ſint tuæ: ſicque retractabat propoſitum & promiſſa; iuxta quod, legitur hic verſu octauo: idcircò inquit, *mutauit*. Septuaginta pro *decem vicibus*, habent *decem agnis*: ſed ſecundùm Hieronymum ex hebræo veriùs legitur; ita. Præter dicta capite præcedenti, recolo D. Thomam, hic [C] aientem, *decem vicibus*, ideſt pluries; ſumitur enim numerus determinatus pro indeterminato. Quod quidem repetit [D] alibi, hunc textum non ſolùm adducens, ſed & Iob *en decies confunditis me*, ideſt pluries, pluribus vicibus, finitum pro infinito. Ita ad illa verba Apocalypſis 2. *& habebitis tribulationem diebus decem*.

C D. Th. hic.

D Apoc. 2. comm. 3.

VERSVS XI. *Dixitque Angelus Dei ad me in ſomnis.*

E D. Th. hic c. 16.

Qui nunc Angelus perhibetur, ille recolitur qui apparuit ei [E] in Beth-el, ſup. c. 28. vbi tamen dicitur *verè Dominus*: argumento, Deum in perſonis Angelorum dignari interdum Sanctos apparitione: ſic enim, quia ſunt nuncij miſſi a Deo, proceſſionem æterni filij ab æterno Patre nos ſubdocent: aduentumque Verbi in carne præfigurarunt: ex quo autem diuina Maieſtas in eis elucebat, nunc Dei, nunc Angeli appellationem ſubierunt.

VERSVS XIX. *Eo tempore ierat Laban ad tōdēdas oues, & Rachel furata eſt Idola Patris ſui.*

Quidam dicunt hoc feciſſe, vt ſi Pater eos inſequeretur, ad ea pateret recurſus ac refugium, quaſi ad Templa; fortè non plenè vero Deo vnicè adhærens, [F] parentum impietate tantillum adhuc detenta. Vel potius ad Patris auaritiam feriendam. Ex Hieronymo legunt Hebræi, *furata eſt Teraphim*, quæ Aquila *figuras*, vel *imagines* interpretatur. *Imagines* etiam Chaldæa. Septuaginta, *idola*. Morale adnectit Angelicus [G] de Religioſis. Alij exeuntes de Mundo, portant ſecum multa de mundo: quidam honores ipſius, quos adhuc ambiunt in Religione; alij diuitias; alij delicias; alij mores mundanos: & tales ſignificantur per Rachel, quæ furara eſt idola Laban; & *abſcondit ſubter ſtramenta Cameli*. Quæ ſunt idola Laban niſi, honores mundi, diuitiæ ac deliciæ? quas multi abſcondunt ſupter ſtramina Cameli; ideſt pannis Clauſtri: Sed timendum eſt, quod dicit ibi Iacob; *apud quemcunque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris.* Fratres autem hoc in capite dicuntur, ipſi filij, vt ſuprà cap. 24. tactum eſt.

F D. Th. hic.

G Apoc. 6. primo Commētatio.

VERSVS XXXX *Die noctuque æſtu vrebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.*

Verba ſunt Iacob oſtendentis & commendantis curam paſtoralem, ac paſtorale officium: In quibus, circà hoc officium tria ponuntur; ſcilicet, aſſiduitas, patientia, ſolicitudo. Primum eſt, quia ſine intermiſſione debet curam gregis gerere; vnde dicit, *nocte & die*: *nocte*, orando; *die*, erudiendo. Vel per diem, ideſt tempore proſperitatis; & per noctem, tempore aduerſitatis. Secundum, quia maximè Prælato patientia neceſſaria eſt; debet enim Prælatus propter gregis ſalutem omnia ſuſtinere: vnde dicit *æſtu* ideſt feruore perſecutionis: *gelu*, ideſt timore futurorum. Tertium, *quia præeſt in ſolicitudine*, Rom. 12. & hoc expellit ſomnum negligentiæ. Hæc ex D. Th. [H]

H 2. ad Timot. in Prologo.

VERSVS XXXXVIII. *Et idcircò appellatum eſt nomen eius, Galaad, ideſt tumulus teſtis.*

Quòd ergò ſupra v. 23. locus ille *Galaad* vocatur, per [I] anticipationem dictum eſt. In planitie ergo, quæ eſt in ſummitate Libani, immò in capite ipſius [L] planitiei, inuentus eſt Iacob à Laban die tertia: ibique in teſtimonium mutui fœderis, aceruum lapidum erexerunt. Vterque iuxtà proprietatem linguæ ſuæ dederunt loco nomen. Laban enim ſecundùm Hieronymum,

I D. Th. hic.

L Hier. 22.

M D. Th. hic. antiquam [M] parentum linguam commutauerat in linguam Prouinciæ, in qua habitabat: Iacob verò nuncupauit lingua Hebræa. Laban ergò Syra lingua dixit, *tumulum testis*. Mysticè aceruus testimonij Christus est, in quo multitudo consistit omnium Sanctorum, qui sunt lapides [N] viui ad hærentes illi lapidi; de quo Petrus, *ad quem accedentes lapidem viuum; & ipsi tanquam lapides viui simul coædificamini*. Si autem cur in aceruum quis roget? potest ex aliás dictis à S. Doctore super illa verba *venter tuus sicut aceruus tritici*, Cant. 7. responderi, quia aceruus superiùs contrahitur, & acuminatur: [O] Christus autem est lapis quidem angularis sed summus, de quo suis in locis. Eph. 2. *ipso summo angulari lapide*: primæ Petri 2. *angularem, electum*. Leges in Apocalypsi c. 15. *& ecce apertum est Templum tabernaculi testimonij*, vbi D. Thomas, tabernaculum testimonij dicitur Sacra Scriptura, quæ tot [P] continet testimonia, quot habet verba: vnde significatur per montem *Galaad*, qui interpretatur, *aceruus testimonij*. Templum tabernaculi testimonij, idest Christus; Ioannis 2. *soluite templum hoc*, continens in se testimonia vtriusque testamenti: & dicitur ea continere, quia scit in se omnia, & de eo sunt omnia.

N Cant. 4.

O Cant. 7.

P Apoc. 15. commentar. 1.

3 VERSVS XXXXXIII. *Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet inter nos.*

Iurat sic Laban, per Deos suos, atque adeò per idola: & ideò sine dubio peccat quantùm ad formam iuramenti: sed quia quantùm ad assertionem veri [Q] & promissionem quę redundabat in bonum, scilicet in fœdus cum Iacob, non peccauit, poterat Iacob sine culpa ei quantùm ad hoc consentire; vtendo illius iuramento, aliás peccato. Sic Augustinus Publicolæ quærenti, vtrum liceret vti iuramento eius, qui per falsos Deos iurat, in quo manifestè peccat, eis diuinam reuerentiam adhibens, respondet, quòd qui vtitur fide illius, qui per falsos Deos iurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed pacto eius bono, quo fidem seruauit. Si tamen induceret eum ad iurandum per falsos Deos, peccaret. Vti ergo peccato alterius ad bonum licitum est; quia Deus vtitur omnibus peccatis ad aliquod bonum, ex quolibet enim malo, elicit aliquod bonum. Ita 2. 2.

Q 5. 19. a. 5. q. 2. & 22. 78. 4.

VERSVS XXXXXIV. *Immolatisque victimis in monte, vocauit fratres suos, vt ederent panem.*

Iacob pariter sanctè iurauerat per timorem Patris sui Isaac, hoc est *metonymicè*, ac si diceret per Deum, quem semper timuit coluitque Isaac: sic suprà, *nisi timor Isaac affuisset mihi*; similis est locutio: Docetur, quanta reuerentia tremendum Dei nomen sit assumendum. Post hæc, immolauit victimas. Erat apud antiquos consuetudo, vt alicuius [R] victimæ sanguinem funderent, ad confirmationem pacti: sic factum est in præsenti post initum fœdus. Allegoriæ ac moralia plura videantur hic in D. Thoma.

R 1. Cor. 11. 1-6.

CAPVT XXXII.

Infr. 48 c. 16.

1 IAcob, quoque abijt in itinere quod cęperat: fueruntque ei obuiam Angeli Dei. 2
Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hęc, & appellauit nomen loci illius Mahanaim,
id est Castra. 3 Misit autem & nuncios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir, in
regionem Edom: 4 præcepitq; eis, dicens. Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater
tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus sum, & fui vsque in præsentem diem. 5 Habeo boues,
& asinos, & oues, & seruos, & ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum meum, vt in-
ueniam gratiam in conspectu tuo. 6 Reuersique sunt nuncij ad Iacob, dicentes; Venimus
ad Esau fratrē tuū, & ecce properat tibi in occursum eū quadringentis viris, 7 Timuit Iacob
valde: & perterritus diuisit populum qui secum erat, greges quoq; & oues, & boues, & camelos
in duas turmas, 8 dicens: Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia tur-
ma, quæ reliqua est, saluabitur. 9 Dixitque Iacob: Deus patris mei: Abraham, & Deus
patris mei Isaac: Domine, qui dixisti mihi: Reuertere in terram tuam, & in locum natiuita-
tis tuæ: & benefaciam tibi; 10 minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua,
quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cum duabus
turmis regredior. 11 Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne fortè
veniens percutiat matrem cum filijs. 12 Tu locutus es quod benefaceres mihi, & dilata-
res semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. 13 Cum-
que dormisset ibi nocte illa, separauit de his, quæ habebat, munera Esau fratri suo, 14 ca-
pras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, & arietes viginti, 15 camelos fętas cum pul-
lis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum de-
cem. 16 Et misit per manus seruorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris
suis: Antecedite me: & sit spatium inter gregem & gregem. 17 Et præcepit priori dicens;
Si obuium habueris fratrem meum Esau: & interrogauerit te. Cuius es? aut, Quo vadis?
aut, Cuius sunt ista quæ sequeris? 18 respondebis: Serui tui Iacob. munera misit domino
meo Esau: ipse quoque post nos venit. 19 Similiter dedit mandata secundo, & tertio &
cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau cum inueneritis
eum. 20 Et addetis: Ipse quoque seruus tuus Iacob iter nostrum insequitur, dixit enim;
Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur

mihi.

mihi. 21 Præceſſerunt itaque munera ante eum, ipſe vero manſit nocte illa in caſtris. 22
Cumque maturè ſurrexiſſet, tulit duas vxores ſuas, & totidem famulas cum vndecim filijs,
& tranſiuit vadum Iacob. 23 Traductiſque omnibus quæ ad ſe pertinebant. 24 manſit
ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. 23 Qui cum videret quòd eum ſuperare
non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. 26 Dixitque ad eum: Dimit-
te me, iam enim aſcendit aurora Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. 27
Ait ergo: Quod nomen eſt tibi? Reſpondit: Iacob. 28 At ille, Nequaquam, inquit, Ia-
cob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto ma-
gis contra homines præualebis? 29 Interrogauit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris no-
mine? Reſpondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. 30 Voca-
uitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta
eſt anima mea. 31 Ortuſque eſt ei ſtatim Sol, poſtquam tranſgreſſus eſt Phanuel: ipſe ve-
rò claudicabat pede. 32 Quam ob cauſam non comedunt neruum filij Iſrael; qui emarcuit
in femore Iacob, vſque in præſentem diem: eo quod tetigerit neruum femoris eius, &
obſtupuerit.

VERSVS I. II. *Iacob autem abijt in itinere, quod cœperat, fueruntque ei obuiam Angeli Dei; quos cùm vidiſſet ait, Caſtra Dei ſunt hæc.*

Vbique tutatur Dominus Iacob. Senſibili apparitione acies Angelorum ſibi obuias videns, pugnam ſibi timet cum fratre Eſau imminere; nec verò propterea diffidit; immò ſperat ſibi in auxilium Caſtra Dei mitti: Sed tamen nihil omittit, aut precum ad id promerendum, aut humanæ prudentiæ, ad fratrem placandum: *placabo* inquit *illum muneribus*. Scit, ſibi antiquo ex odio iratum: audit tanto comitatu occurrentem: decernit iraſcibilem eius humillimis verbo, & obſequio ſedare; Prou. enim 15. *mollis reſponſio frangit iram*: concupiſcentiam autem eius, & auaritiam vincere cogitat munerum largitate: quod quidem, Deo in primis protegente, ad votum ſucceſſit. Quàm teneris autem viſceribus familiam diligeret ſuam, videtur ipſemet patefacere dùm inquit v. 11. *ne fortè veniens percutiat matrem cum filijs*: ſe ipſum ſiquidem videtur ob amoris dulcedinem vocare matrem; ſi enim ex Philoſopho l. 9. Ethicorum c.
A 2. 2. 26.10. 7. [A] matres magis ſunt amantes filiorum, quia ipſarum laborioſior eſt generatio: an matris promeruerit nomen, loquentur Iacob labores.

Ferens hunc textum, *caſtra Dei ſunt hæc*, in-
B Prol. ad Coloſſ. quit [B] Angelicus Doctor, Eccleſia ſimilitudinem habet caſtrorum. In caſtris, debet eſſe ſolicitudo ad mala vitanda. Deut. 23. *vt ſint caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis*. Item, ordo ad Ducem, propterea dicitur *caſtra Dei*. Item terror ad hoſtes; Cant. 6. *terribilis vt Caſtrorum acies ordinata*.

VERSVS X. *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nùnc cum duabus turmis regredior.*

C D.Th. hic. Non multùm diſtaret opinantur [C] Iordanis: quam ob rem addiderit demoſtratiuum, dicens *Iordanem iſtum*: proximiùs tamen ad alium fuiſſe fluuium Iaboch nomine, cuius vadum poſteà tranſiuit: qui fluuius, inquiunt Topographi, Iordanem auget. In baculo tranſiuiſſe dicitur, quaſi, nullis delatis mecum opibus veni, nunc autem diues onuſtusque regredior. Baculus Iacob Crucem Saluatoris præ-
D Apoc. 12. comment. 1. monſtrat, qua tranſiuit [D] *Iordanem*, ideſt mundum: regreſſus ad cœleſtem Patriam, duabus cum turmis; Angelis, & animabus: vt canit Eccleſia, in Sequentia.

VERSVS XXIII. XXIV. *Traductiſque omnibus, quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.*

Remanſit ſolus in Caſtris, vbi ſcilicet ob- 4
uiauerant Angeli: puto [E] ad orandum. Et ec- E D.Th. hic.
ce myſterioſa lucta Angeli cum Iacob: cui apparuit, inquit Sacer textus, vir: ſic vt figuram
hominis [F] aſpexerit: quem tamen Angelum F 4. 49. 1. 7. 2.
intellexit, aſſumptò in corpore ſecum luctantem; immò, & Dei vices obeuntem, vt ex ſequentibus inquiſito nomine conſtat. Oſeæ quippe 12. dicitur *inualuit ad Angelum*. Angeli autem ſubeunt *virorum* nomenclaturam, quo pacto Danielis 9. legitur, vir *Gabriel*, vbi
D. Thomas [G] virum vocat, quia in forma hu- G Danielis 9.
mana apparuit: vel vocat virum, vt non ſexum, ſed virtutem oſtendat.

Luctabatur cum eo. S. Doctor hic [H] reco- H D.Th. hic.
gitans in cuius figuram hæc geſta ſint: videlicet ad figurandam luctam Chriſti, non cùm ſpiritu Iacob, ſed cùm carne, & brachio eius, ideſt cùm parte Iudæorum carnalium, à qua Chriſtus ad horam ſuperandus erat. Similiter etiam luctam Prophetarum, Apoſtolorum, & ſimilium, cùm carnali ſynagoga, ſiue cum Eccleſiæ materialibus membris, cuiuſmodi ſunt iniqui omnes, ſentit ad literam, habuiſſe communem luctæ modum; ideoque inquit, non dici tractum, ſed luctam. Huic expoſitioni fauet no-
men ipſius Iacob, qui interpretatur [I] *luctator*, ſeu I Matth. 1.
ſupplantator: vnde ſupra c. 27. dixit Eſau, *iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me, en altera vice*. Et cum natus eſt Iacob, plantam fratris tenuit manu, (quaſi luctatoris munia intentans,) & idcirco appellatus eſt Iacob. c. 25. Sic Chriſtus egiſſe videtur, vt artem arte deluderet: aiente Dauid, *eripe eum, & ſupplanta eum*, pſ. 16. & pſ. 17. *ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me*. Tentarunt Iudæi Chriſtum Dominum in terram deijcere, & dolo. *Niſi granum frumenti cadens in terram*, Io. 12. Matth. 26. *vt Ieſum dolo tenerent*: Sed ipſe reſurgens ſupplantauit eos, quod luctatoris eſt, deiectos è throno, *non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus eſt*. Sic vt nunquam ſint erecturi caput, facti *in caudam* Deuter. 28. cùm ipſe *exaltatus à terra*, de paſſionis *torrente exaltauerit caput*. Hilarius etiam 5. de Trinitate hypoſtaticam vnionem hac in lucta contemplabatur; complectuntur ſe ſe enim mutuo luctatores. Subreptus ergo

L D.Th. hic in fine

Iacob nisibus totis luctam exercebat: quia potuit esse, [L] vt in principio non clarè distinxerit, an persona sibi apparens, teneret propriè personam Angeli vel Dei. Eo vel maximè, quia non defuerunt putantes fuisse Dæmonem: quod absit, nam Dei personam haud decet gerat contumax hostis, nec benedici instanter petere permissus fuisset Iacob à Diabolo. Aliàs tamen pugnauit Christus cum Diabolo: vnde D. Th. op. 58. 29. ferens illud 4. Reg. 3. *pugnauerunt Reges contra se, & cæsi sunt mutuò*, ait, Reges, scilicet Christus, & Diabolus; ille humilium, hic superborum, (ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ. Iob. 41.) pugnantes in passione Domini, quis eorum, hominem ad suum seruitium obtineret, ambo sunt grauiter vulnerati. De primo Iob 16. *Hostis meus irruit in me, quasi gigas; concidit me vulnere super vulnus*. De secundo Isaiæ 31. *Nunquid non tu Domine percussisti superbum, vulnerasti draconem?* Vulnerauit itaque vulnere graui, quia cum Christi carnem innocentem mordere præsumpsit, latens aculeus diuinitatis potentiam malitiæ eius perforando eneruauit.

5 Quemadmodum autem attento fine figuræ luctatus fuit, & non tractus: ita considerato priucipio, vnde orta est lucta hæc, debet dici tractus; mysticam enim vim orationis ostendit; Sic ergo precibus; quasi attractiuis manibus, & amplexibus firmiùs trahebatur, ac tenebatur: siue Angelus, siue Deus in specie hominis esset, quousque suæ preces, in tutamen ab Esau, exaudiretur. Ad demonstrandam, itaque efficaciam fortis, & fiducialis orationis, sic luctabatur Angelus, vt Iacobum superare nollet, immò non posset, quo pacto dicimus, Deus non potest se negare amicis suis. Conabatur tamen ad recedendum, *dimitte me*, &c. vt instantia precum fortiùs detineretur, & veluti cogeretur rigorem flectere: ideò enim à cordibus orantium sæpe auolat, & quasi aufugit, vt fortiùs quæratur, & trahatur, & violenti rapiant illum. Vt denique doceamur, nos non esse dignos habendi illum, nisi fortiùs institemus, pulsemusque opportunè, importunè. Vide hic [M] D. Thomam.

M D.Th. hic.

VERSVS XXV. *Tetigit neruum fœmoris eius: & statim emarcuit.*

Hoc fecit Deus, tùm vt efficaciam suæ virtutis, per quam facillimè prævalet omnibus, sensibiliter experiretur; tùm vt visionis memoria sibi fortiùs imprimeretur; [N] & suis ex hoc pleniùs innotesceret. Claudicabat ergò vno pede. Et hæc est causa, cur non comedunt filij Israel neruum: quod prodigiosè huic luctæ attestatur. [O] Figuraliter autem per neruum, intelligitur prohiberi Iudæis, & nobis fortitudo ad peccandum.

N D.Th. hic.

O P. 2. 102.6.1.

Verumtamen scatent vndecumque mysteria. Carnalis concupiscentia, quæ viget in fœmoris imo, [P] ad Dei tactum marcescit. Item carnalis neruus literæ, quæ emarcuit, (mortua enim statim fuerunt legalia) à veris filijs Israel non comeditur. *Lex enim spiritus vitæ*, Rom. 2. duriorem non pascit literam obstupescentem, hoc est stupore afficientem eos, qui ignorant absconditam sapientiam, legis velamine. Iacob etiam post contemplationem, [Q] vno pede claudicabat; quia necesse est, vt debilitato amore sæculi, conualescat quis ad amorem Dei, vt Gregorius dicit super Ezechielem; & ideò post agnitionem suauitatis Dei, vnus in nobis pes sanus remanet, atque alius claudicat: omnis enim, qui vno pede claudicat, solùm illi pedi innititur quem sanum habet. Non mouetur anima pedibus, sed affectibus. Huc facit, quòd in collationibus Patrum, Coll. 12. cap. 11. pro transitu continentię ad castitatem legimus. Quisquis ergo intellectualis illius Iacob, idest supplantatoris transcenderit gradum; ab illa continentiæ colluctatione, ac supplantatione vitiorum, obstupefacto fœmoris neruo, ad Israelis meritum, perpetua cordis directione conscendet. Vbi etiam interpretatur Israel, *qui videt Deum*, siue etiam, *rectissimus Dei*.

P D.Th. hic.

Q 2. 2. 180. 7. ad

VERSVS XXVI. *Dixitque ad eum* (scilicet ad Iacob,) *dimitte me, quia aurora est*, &c, *non dimittam te*, &c.

Illucente, seu potius albescente Aurora, quasi esset verus homo; aliò euocatus, aut luctari cum dies est, erubescens. Sic decuit, quia verè futurus erat Deus homo, passionibus subiectus humanis, donec diluculo surgeret à mortuis. D. Thomas 3. p. 53. 2. ad 3. Christus resurrexit circa diluculum, illucescente iam die, ad significandum, quòd per suam resurrectionem, nos ad lucem gloriæ inducebat. Iacob ex parte noscens, dispensatione diuina pendere a suo arbitratu, Angeli etiam recessum, sibi de spirituali consulit lucro; *non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. Annuit Angelus: & vt quod illi concessurus est, & cordi fixum remaneat, & inconcussum sit, quasi ex natura, quamuis ex gratia, nouo astruit nomine Iacob vocandum, scilicet Israel: quoniam si contrà Deum fortis
suisti, *quantò magis contrà homines praualebis?* 6

Secundum Hieronymum, [R] *Israel* interpretatur propriè, *Princeps cum Deo*; idest Princeps fortis & præpotens sicut Deus: vel fortis à Deo, vt scilicet quilibet principetur carni ac vitijs, & semper adhæreat Deo. Vel etiam ipsi Hieronymo; *directus Dei*. Hinc interpretationem, qua in libro nominum dicitur, *vir videns Deum*, æstimat violentam. Nihilominus S. Doctor alibi, [S] nimirum Isaiæ 44. vbi Dominus dicit, *& nunc audi Iacob, serue meus, & Israel quem elegi; Nolite timere seruus meus Iacob & rectissime quem elegi*; inquit, *Rectissime*, quod sonat hoc nomen, *Israel*, quantùm ad nominis significationem: sed quasi per Etymologiam dicitur, *vir videns Deum*. (Is) vir: (ra) videns: (el) Deum. Aliud quippe est, vnde dicitur; aliud, ad quid significandum, transfertur nomen: lapis dicitur à læsione pedis: nec tamen læsionem pedis significat, vt docemur pp. q. 13. 8. sed substantiam lapidis. Diodorus quippe, & Gennadius etymum probant, vt sit Israel *vir videns Deum*; Et plures Sancti Patres.

R D.Th. hic & Apocal. 7. commentario 2.

S Isaiæ 44. & Apocal. 7. commentario 2. & infra Genesis 15.

VERSVS XXIX. *Interrogauit eum Iacob: dic mihi, quo appellaris nomine?*

7 Vel sicut alij sancti in huiusmodi visionibus, plus [T] agitur, quàm agat Iacob; vnde Deus ipse, qui respondet, occultè mouit eum, ad interrogandum. Vel anceps adhuc, an Angeli personam gerat, vel vices Dei; rogat, *dic mihi quo appellaris nomine? Cur quæris nomen meum*; codices quidam non habent, quod subdi-

T D.Th. hic in calce.

tur

tur; *quod est mirabile*: sed sanè ita legitur, Iudicum 13. Duplicem fert sensum Angelicus, [Y] vt sit *mirabile nomen: vel mirabile*, quòd quis quærat Dei nomen. Est sanè *mirabile* & ineffabile, tam Dei, quam Iesu nomen: hinc in Apocalypsi legimus; *habent nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse*. Vbi D. Thomas [X] scilicet *Emanuel*; siue *Deus homo*; siue *Iesus*: quod in idem redit. Per hoc nomen intelligitur bonitas Dei manifestata, in Verbi incarnatione; & in humana reparatione: quæ quidem bonitas Dei est ineffabilis: subdens, potest etiam hoc intelligi, de nomine quod est *Deus*, vel *Verbum Dei*: sicut statim subijcitur; *& vocabatur nomen eius, Verbum Dei*: hoc enim nomen non plenè ab homine cognoscitur: & in confirmationem horum, Genesis inquit 32. *cur quæris nomen meum*, quod *est mirabile*? Quocircà legitur Exodi 5. *ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac & Iacob, in Deo Omnipotente*; & nomen meum *Adonai*, non indicaui eis: quia scilicet [A] præcedentes Patres fuerunt instructi in fide de vnius Dei omnipotentia: sed Moyses posteà pleniùs fuit instructus de simplicitate diuinæ Essentiæ, cum dictum est ei, Exodi 3. *ego sum, qui sum*: quod quidem nomen significatur a Iudæis per hoc nomen *Adonai*, propter venerationem illius ineffabilis nominis. Hinc Diuus Dionysius cap. 1. de Diuinis nominibus. *Hoc igitur scientes Theologi, & sicut innominabilem ipsam laudant, & ex omni nomine: innominabilem quidem, sicut quando dicunt, Thearchiam ipsam, in vna mysticarum visionum Dei apparitionis significantem, increpare eum, qui dixit, quod est nomen tuum, & sicut ab omni cognitione, ex Dei nominatione, ipsum abigentem dicere; quare interrogas nomen meum: & hoc est mirabile. Nunquid autem non hoc verè est mirabile, nomen quod est super omne nomen, quod est innominabile, quod est collocatum super omne nomen, quod nominatur siue in sæculo isto, siue in futuro*. Vbi D. Thomas innominabilem [B] quidem dicunt ipsum; sicut quando ipsam Deitatem in quadam mysticarum visionum, quæ fuerunt secundum apparitionem diuinam imaginariam, significantem increpasse eum, qui quæsiuit, quod est nomen tuum, ab Angelo, qui apparebat in persona Dei. Vbi animaduerte, apparuisse Angelum sensibiliter; sed Deitatem imaginariam visione, vt mox dicemus, attactam.

Y D. Th. hic.

X Apoc. 9. 2. cō. mentario

A 2. 2. 174. 6.

B De Diuinis nominibus c. 1. l. 3.

VERSVS XXX. *Vidi Dominum facie ad faciem*.

8 Quamuis Apostolus 1. Corinth. 14. eadem promat verba, de visione loquens beata, dùm inquit; *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; non propterea dicendum est Iacob, clarè ex his verbis vidisse Diuinam Essentiam. Igitur sensus Pauli iste est: Cum videmus aliquid in speculo, non [C] videmus ipsam rem, sed similitudinem eius: sed quando videmus aliquid secundùm faciem, tùm videmus ipsam rem sicuti est; ideò nihil aliud vult dicere Apostolus, quàm quòd videbimus ipsam Dei essentiam: & cum Deus secundùm quòd Deus, non habeat faciem, metaphoricè dicitur faciem habere. Non sic vidit Iacob; secundùm Dionysium enim 4. cap. Cœlestis Hierarchiæ, sic in scripturis dicitur [D] aliquis Deum vidisse, in quantùm formatæ sunt aliquæ figuræ, vel sensibiles, vel imaginariæ, secundùm aliquam similitudinem aliquod diuinum repræsentantes. Quod ergò dicit Iacob, *vidi Dominum facie ad faciem*, referendum est non ad ipsam diuinam essentiam, sed ad figuram in qua repræsentabatur Deus, & ideò ait glossa, [E] *non quòd Deus videri possit, sed formam vidit, in qua Deus locutus est ei*.

C 1. Cor. 14. l. 4.

D p. p. 12. 11. ad 1.

E 4. 49. 2. 7. 2.

Sed tamen quoniam Iacob inquit, non solùm se *vidisse Dominum*, sed etiam *facie ad faciem*, accuratiùs inquirendum est, quid intendat; Eminentiam quandam visionis significari per ly, *facie ad faciem*, tribus proximè citatis in locis docet Angelicus. In tertio quippe sententiarum dist. 49. q. 2. a. 7. citata, non definiuit, an hæc visio fuerit corporalis, aut imaginaria: immò rem explicans, propendet in hoc, quòd fuerit corporalis, & eminentiam astruit, in quantùm non fuit in dormiendo, sed in vigilando, nec tantùm audiuit vocem loquentis, sed etiam figuram aspexit: hominis tamen, quem Angelum intellexit. In prima parte q. 12. a. 11. non descendit ad quæstionem, nùm fuerit corporalis, vel imaginaria. Sed cap. 1. de Diuinis nominibus q. 3. 1. Corinth. 14. l. 4. de Veritate q. 10. a. 11. ad 14. expressè inquit fuisse imaginariam: sicut Isaias, *vidit Dominum sedentem super solium*, &c. Et sanè si purè corporalis fuisset, non est cur diceret, *facie ad faciem*; etenim & Abraham in subiecta creatura, visu corporeo vidit Dominum, nec tamen dicitur *facie ad faciem*, vidisse. Proximiùs ergo, quàm per creaturam corpoream ductus est Iacob in Dei visionem, quod perfectius est; & ideò quia non solùm audire Dei vocem, sed videre, quod apparebat in ipsa imagine, datum est Iacob, [F] vt altiorem hunc modum videndi Deum, insinuaret dixit, *facie ad faciem*. Alibi etiam satis plaudit D. Gregorio, vt exponatur de Visione intellectuali, qua Sancti diuinam veritatem in contemplatione intuentur; sub his verbis: hæc ipsa per contemplationem [G] facta, non solida, & permanens visio, sed quasi quædam visionis imitatio, *facies* Dei dicitur; quia enim per faciem quemlibet cognoscimus, cognitionem Dei, *faciem* vocamus. Et rursùs Ioannis 1. Alio modo [H] videtur Deus per aliquod spirituale lumen, à Deo infusum spiritualibus mentibus in contemplatione; & hoc modo vidit Iacob, *Deum facie ad faciem*: per altam contemplationem; quod ait Gregorius. Quocircà videatur D. Thomas 2. 2. q. 172. a. 2. & q. 174. a. 3. Mirabitur autem forsitan aliquis, cur dicat Iacob, *facie ad faciem*: & sic Exodi 33. de Moyse, *facie ad faciem*. Paulus etiam 1. Cor. 14. *facie ad faciem*. Cur non satis erat dicere vidi faciem? Respondeo pulcherrima D. Thomæ reflexione: sed quia [I] ad eius essentiam videndam penetrare non sufficit, dicitur in seipsum quodammodo reflecti; & hoc est quod dicitur Gen. 32. super illud: *vidi Dominum facie ad faciem*: in glossa Gregorij, *Visus animæ cùm in Deum intenditur, immensitatis coruscatione* reuerberatur. *Salua facta est anima mea*; verbum fuit confidentiæ, ait S. Doct. Isaiæ 6. Huc facit, quod aiebat Dominus, *dimitte me, quia Aurora est*: docemur enim quòd ex quo incipit [L] cordi illucescere, sic vt vsque ad prope diem cœlestis gloriæ excrescat, capacitatem excedit: qua metaphora de Dauid dicitur, ip-

F 1. Cor. 14. l. 4.

G De veritate 10. a. 11. 14. & 2. 2. 180. a. 5. 1.

H Ioann. 1. l. 11.

I op. 70. supra Boetium de Trinitate a. 2.

L D. Th. hic.

sius

M 2. 2. 184. 2. sius prophetiæ in commendationem [M] 2. Regum 23. *vbi locutus est fortis Israel*: & paulo post; *Sicut lux auroræ oriente Sole, mane absque nubibus rutilat*. Alia hic in D. Thoma.

C A P V T X X X I I I.

1 E Leuans autem Iacob oculos suos, vidit venientem Esau, & cum eo quadringen-
tos viros, diuisitque filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum: 2 & posuit
vtramque ancillam, & liberos earum in principio: Liam verò, & filios eius in
secundo loco: Rachel autem, & Ioseph nouissimos. 3 Et ipse progrediens adorauit pro-
nus in terram septies, donec appropinquaret frater eius. 4 Currens itaque Esau obuiam
fratri suo, amplexatus est eum: stringensque collum eius, & osculans fleuit. 5 Leuatisque
oculis, vidit mulieres & paruulos earum, & ait: Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent?
Respondit: Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo. 6 Et appropinquantes an-
cillæ & filij earum, incuruati sunt. 7 Accessit quoque Lia cum pueris suis: & cum similiter
adorassent, extremi Ioseph & Rachel adorauerunt. 8 Dixitque Esau: Quænam sunt istæ
turmæ, quas obuiam habui? Respondit: Vt inuenirem gratiam coram domino meo. 9
At ille ait: Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi. 10 Dixitque Iacob: Noli ita, obse-
cro: sed si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis, sic enim vidi
faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: esto mihi propitius, 11 & suscipe benedictio-
nem, quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellen-
te, suscipiens 12 ait: Gradiamur simul, eroque socius itineris tui. 13 Dixitque Iacob:
Nosti domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fętas mecum: quas si
plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. 14 Præcedat domi-
nus meus ante seruum suum: & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos
meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir. 15 Respondit Esau: Oro te, vt
de populo qui mecum est, saltem socij remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse: hoc
vno tantum indigeo, vt inueniam gratiam in conspectu tuo domine mi. 16 Reuersus est
itaque illo die Esau itinere quo venerat in Seir. 17 Et Iacob venit in Socoth: vbi ædificata
domo, & fixis tentorijs appellauit nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula. 18 Tran-
siuitque in Salem vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reuersus est de
Mesopotamia Syriæ: & habitauit iuxta oppidum. 19 Emitque partem agri, in qua fixerat
tabernacula, à filijs Hemor patris Sichem centum agnis. 20 Et erecto ibi altari, inuocauit
super illud fortissimum Deum Israel.

VERSVS III. *Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius.*

Satis innuitur, quòd fratrem suum etiam à longè reueritus [A] sit Iacob. Adorare quippe in Scripturis sæpè sumitur [B] pro reuerentia prostrationis, seu genuflexionis, quæ solet fieri insignioribus hominibus; vt Duci aut Regi. Magna Iacob humilitas; quamuis, Dei apparitione certior factus, quòd festino pede obuiaret fratri: non negligit temerè quæ prudentiæ sunt, vt animum fratris demulceat; obsequentissimæ obseruantiæ studio ipsum conueniens: quæ cuncta argumento sunt, nulla superbi animi elatione, ambitu nullo primogenita redemisse, quæ Dominus ipsi donauerat prædilecto. Quocircà licèt Iacob diuino instinctu (de quo 2. 2. 171. 5.) fratri suo subripuisset benedictionem, & primogenituram; tamen quia [C] modus exterior, quandam speciem doli, & iniuriæ prætenderat, decens fuit, vt illi se humiliaret tanquam fratri maiori, opibusque temporalibus præpotenti: ex quo etiam emicaret, quòd vis benedictionis, & primogenituræ subtractæ, potius erat intelligenda quoad primatum gratiæ spiritualis, quàm quoad primatum dominationis, & præsidentię temporalis. Quidni, addo ego, frater fratri omni studio niteretur, à corde fratris odium amandare? Siciubet Dominus, *vade prius reconciliari fratri tuo*. Non sic Esau illud implebat, *cum odio habueris, dimitte*: Malach. 2.

A D.Th. hic.
B D.Th. supra c. 19.
C D.Th. c. 12.

VERSVS X. *Sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.*

Tùm quia sensibiliter occurrerat ei, admirabiliter timendus, & reuerendus. Tùm etiam quoniam placatum conspexerat, vultu valde dulci & gratioso. [D]

D D.Th. c. 32.

Vel quemadmodum diligebat fratrem in Domino, ita in fratre vidisse Dominum contestatur: non poterat Iacob, qui Dominum facie ad faciem viderat, fratrem non eo sub lumine intueri. Videatur D. Thomas 2. 2. 161. a. 3. Quomodo homo debeat se omnibus per humilitatem subijcere.

VERSVS XII. *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui.*

Sunt Esau verba, quæ cum cæteris ad literam satis patent. Sed est, quod pensemus, quã ta constantia renuit Iacob sociari, vel vnum ex suis, cum socijs Esau, vel è contrà. Hinc sanè prauæ societatis malos esse fugiendos salubre documentum est: secùs vix scandalum euitari potest: Cùm maximè accidit vt paruulos habeat quis teneros, & oues, & boues fœtas. Isti faciliùs impingunt. *Qui scandalizauerit vnum ex*

pusi-

pufillis iſtis, ait Dominus. Vicini quandoque partui, aut bonam vitæ inſtitutionem aggreſſi prauo exemplo labuntur. Hanc ad rem ait S. Doctor [E] noluit Iacob habere Eſau ſocium itineris ſui. Qui vult ire, inquit, ad Sanctum Iacobum, non ponit ſe in ſocietate illorum, qui Romam vadunt. Qui vult ire in Paradiſum, declinare debet ſocietatem eorum, qui vadunt in Infernum. Quis miſerebitur eius, qui comitatur viro iniquo? Ecc. 12 Sic & nos, qui ad terram promiſſionis pergimus, euntes in viam perditionis, animi firmitate fugiamus.

E op. 41. c. 4. c. 1.

Aliàs autem morale trahitur, vt præeuntes maiores in bonum, è veſtigio ſequamur: verùm prudenter, honeſtate laboris paulatim, ne deficiamus in via, dùm adhuc teneriores ſunt vires, præſertim corporis imbecilli. Perfectio enim etſi non remiſſo animo ſit expetenda, non dictat, vt vigiliarum laborum, & peregrinationum incommodis, cum ſunt impar onus, humeros ſubmittamus. Hęc innuit Angelicus, dicēs ſuper illa verba *vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius; ſequamini*; quaſi à longè; quia cum eo ire non poſſumus: iuxta illud, *præcedat Dominus meus ſeruum ſuum; ego ſequar paulatim veſtigia eius. Sicut videro paruulos meos poſſe.* [F] Expoſitio eſt hæc translatiua rei, non perſonæ. Supereſt familiæ diſpoſitionem expendere, de qua in principio capitis. *Diuiſitque filios Liæ, & Rachel, ambarumque famularum; & poſuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio: Liam verò, & filios eius in ſecundo loco: Rachel autem, & Ioſeph nouiſſimos.* Certè nòn perperam huiuſce ordinis ſtudioſus fuit Iacob. Figuratur in primis ordo ſtatuum Eccleſiæ, quia primò ſub lege, tàm naturæ quàm ſcriptæ, præceſſerunt ancillæ cum filijs ſuis: deindè ſecuta eſt vita actiua: & poſtremò erit contemplatiua cum prole ſua. Moraliter etiam ſignificatur conſuetus ordo ſtatus mentis perfectæ, cui dona ſuperiora elargitur Deus, vltimo loco. Tertio allegoricè ordinatus innuitur ſtatus Eccleſiaſticæ familiæ, qui ſummopere ſeruandus eſt, tempore periculoſæ pugnæ. Hæc [G] D. Thomas.

F 1. Petri 2.

G D. Th. hic. 2

Recolo tandem, quòd ſi ordo eſt parium diſpariumque ſua loca cuique tribuens diſpoſitio, & pax eſt tranquillitas ordinis, ſecundùm Auguſtinum, pacificè voluit fratri obuiare Iacob: Salem quippè quò pergit, etiam interpretatur pacifica. Pax animi hoſtes non timet: verùm dùm ſigna conſeruntur ad pugnam, remotiores ab omni periculo, ſunt cum Rachele contemplatiui; nam Mundi Carnis, ac Dæmonis in bello, vincitur fuga: ecce elongaui fugiēs; & manſi in ſolitudine, pſ. 54. Sanè nullus contendit niſi pro re quam æſtimat magnam, vnde Philoſophus dicit in 4. Ethic. c. 3. quòd magnanimus non eſt contentioſus, quia nihil æſtimat magnum, vt notatur 2. 2. 132. 2. ad 3.

C A P V T XXXIV.

1 EGreſſa eſt autem Dina filia Liæ vt videret mulieres regionis illius. 2 Quam cum
vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam: & rapuit,
& dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. 3 Et conglutinata eſt anima eius
cum ea, triſtemque deliniuit blanditijs. 4 Et pergens ad Hemor patrem ſuum. Accipe,
inquit, mihi puellam hanc coniugem. 5 Quod cum audiſſet Iacob, abſentibus filijs, & in
paſtu pecorum occupatis ſiluit donec redirent. 6 Egreſſo autem Hemor patre Sichem vt
loqueretur ad Iacob, 7 ecce filij eius veniebant de agro: auditoque quod acciderat, irati
ſunt valde, eo quòd fędam rem operatus eſſet in Iſrael, & violata filia Iacob, rem illicitam
perpetraſſet. 8 Locutus eſt itaque Hemor ad eos: Sichem filij mei adhæſit anima filiæ
veſtræ: date eam illi vxorem: 9 & iungamus, viciſſim connubia: filias veſtras tradite
nobis, & filias noſtras accipite. 10 Et habitate nobiſcum, terra in poteſtate veſtra eſt,
exercete, negotiamini, & poſſidete eam. 11 Sed & Sichem ad patrem, & ad fratres eius
ait: Inueniam gratiam coram vobis: & quæcumque ſtatueritis, dabo: 12 augete dotem,
& munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc
vxorem. 13 Reſponderunt filij Iacob Sichem & patri eius in dolo, ſæuientes ob ſtuprum
ſororis: 14 Non poſſumus facere quod petitis, nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo:
quod illicitum & nefarium eſt apud nos. 15 Sed in hoc valebimus fæderari, ſi
volueritis eſſe ſimiles noſtri, & circumcidatur in vobis omne maſculini ſexus; 16 tunc
dabimus & accipiemus mutuo filias veſtras, ac noſtras: & habitabimus vobiſcum, erimuſque
vnus populus: 17 ſi autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam noſtram, & recedemus.
18 Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius: 19 nec diſtulit adoleſcens
quin ſtatim quod petebatur expleret; amabat enim puellam valde, & ipſe erat inclytus in
omni domo patris ſui. 20 Ingreſſique portam vrbis, locuti ſunt ad populum: 21 Viri iſti
pacifici ſunt, & volunt habitare nobiſcum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ
ſpatioſa & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus vxores & noſtras illis dabimus.
22 Vnum eſt, quod differtur tantum bonum: ſi circumcidamus maſculos noſtros, ritum
gentis imitantes. 23 Et ſubſtantia eorum, & pecora, & cuncta quæ poſſident, noſtra
erunt: tantum in hoc acquieſcamus, & habitantes ſimul, vnum efficiemus populum. 24
Aſſenſique ſunt omnes, circumciſis cunctis maribus. 25 Et ecce, die tertio quando grauiſ-

ſimus

simus vulnerum dolor est: arreptis, duo filij Iacob Simeon & Leui fratres Dinæ, gladijs ingressi sunt vrbem confidenter: interfectisque omnibus masculis. 26 Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam, 27 Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filij Iacob: & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri. 28 Oues eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes, quæ in domibus & in agris erant, 29 paruulos quoque eorum & vxores duxerunt captiuas. 30 Quibus patratis audacter, Iacob dixit ad Simeon, & Leui: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego & domus mea. 31 Responderunt: Numquid vt scorto abuti debuere sorore nostra?

Infr. 36. 4.6.

VERSVS I. *Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres Regionis illius.*

VERSVS II. *Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Heuæi Princeps terræ illius adamauit eam* &c.

Reprehendit Philosophus Lacedæmonios, quòd suas mulieres non restringebant à discursibus: [A] quod mulieri est laqueus libidinis, vt de Dina accidit oppressa à Sichem, quia sine custodia discurrebat per regiones. Quasi spina lacerans [B] est curiositas videndi vana, vel audiendi noua, quæ via est ad luxuriam, vt hoc exemplo patet. Virgo debet esse certè aliquantulum syluestris. Syluestria animalia solent habere pulchriorem pellem, quàm domestica. Solent virgines quæ verè virgines sunt, esse pauidæ & nunquam securæ, vt caueant timenda, & tuta pertimescant. Reprensibile est in muliere, vt dicitur Prouerb. 7. *quod garrula sit & vaga, quietis impatiens, non valens in domo sua consistere pedibus suis:* huiusmodi licentia corruit Dina. Exemplum absconsionis habetur in Beata Virgine, de qua legitur Is. 7. *Ecce Virgo concipiet*. Secundùm Hieronymum, [C] pro Virgine habetur in Hebræo *Alma*, quæ græcè dicitur apocrypha; latinè verò Virgo abscondita: videlicet quæ nunquam aspectibus viri apparuit, sed magna diligentia custodita sit: hinc Ecc. 26. *in filia non auertente se, firma custodiam, ne inuenta occasione, abutatur se.* Super hoc factum ait S. Doctor, [D] Et vidit eam Sichem Princeps terræ, ideSt Diabolus adamauit, *rapuit, dormiuit cum ea, & conglutinata est anima eius cum ea; tristemque blanditus deliniuit*; quia mundi prospera, peccata esse leuia, longam vitam falsè proponit. Quocirca iuuat Diaboli nomen expendere; quo dicitur Leuiathan; quod sonat [E] additamentum. Inter cæteros autem modos, quibus addit, vnus est diuinæ misericordiæ, tristem ait D. Th. Is. 27. blanditijs deliniuit.

A op. 20. l. 4. c. 14.
B op. 41. l. 5. c. 64.
C op. 41. l. 4. c. 49.
D op. 58. 11.
E comm. 1. Apoc. 14. & Isaiæ 27.

VERSVS XII. *Augete dotem, & munera postulate.*

Obseruat S. D. in 4. 49. q. 4. 2. 1. quomodo quamuis dotes, à parente puellæ consueuerint assignari, tamen quandoque contingit, quòd sponsus vel Pater sponsi assignat dotes, vice Patris puellæ, idq; pro nimio affectu ad sponsam, sicut fuit de Sichem, propter vehementem amorem. Et quandoque in pœnam ob virginis corruptionem, de quo Exodi 22.

VERSVS XIII. *Responderunt filij Iacob Sichem & Patri eius in dolo, sæuientes ob stuprum sororis.*

Denarratur in sacro textu, strages quam Simeon & Leui filij Iacob fecerunt de masculis Sichimitis, necatis pariter Hemor & Sichem Patre & filio, depopulati Vrbem, cunctis vastatis. Tam sæua vltio, circumcisionis oppignorato Sacramento, non facilè inculpata videtur; eo vel maximè quòd infrà c. 49. Iacob de his duobus locutus filijs, fermè reos facit, inquiens, *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maled. ctus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Altera ex parte excusari immò laudari videntur; Iudith ita Dominum deprecante cap. 9. *Domine Deus Patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt, in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem: & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem: & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum.* Pugnantes refert hic S. Doctor opiniones, peccasse scilicet, & non peccasse: mediam denique, vt excesserint in modo, & circumstantijs amplectitur: non tamen vituperari, ex iusto zelo. Hæc sanè mihi arridet sententia; nam stupri excitati scelere iustam exarserunt in iram, quamuis vltrà mensuram sæuierint: ex quo, laudare licet eos ex vno, reprehendere ex alio. Sic verbum Caiphæ (exemplum est D. Thomæ) pro quanto fuit ab occulto Dei instinctu, fuit propheticum; pro quanto verò à praua intentione Caiphæ, fuit impium. Aliud tamen adduci potest de Iephte, Iudicum c. 11. qui si vinceret Ammonitas, votum vouit; *quicumque primò fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, cum holocaustum offeram Domino. Accidit vt reuertenti occurreret ei vnigenita filia sua cum tympanis & choris, quam ob voti impletionem mactauit.* D. Hieronymus dicit: *fuit* (Iephte) *in vouendo indiscretus, & in reddendo impius*. Quoniam verò anteà legitur; *factus est ergò super Iephte Spiritus Domini:* Dicendum est cum Angelico: [F] quòd fuit ibi aliquid à Spiritu-Sancto, scilicet motus ad vouendum in generali, quòd scilicet immolaret quicquid occurreret sibi immolabile: aliquid autem ex proprio suo spiritu, scilicet quòd immolauit, quod non debuit; & in hoc peccauit; sed post pœnituit. Sic Ezechielis 29. Rex Babylonis, impugnans Tyrum, etsi quantùm ad malitiam voluntatis suæ peccauerit, tamen pro quanto diuinam motionem est executus, meruit mercedem; & sic obstetrices Hebræorum, quoad puerorum liberationem, Exodi 1. sat commendantur, quamuis mendacium adnectentes, pec-

F Hebr. 11. l. 7.

caue-

G p. 2. 114.10. 2. H p.1.20. 6. 2. & 3. p.47.6.3. cauerint [G] ſic etiam [H] paſſio Chriſti fuit bona, & volita à Deo; actio vero Iudæorum mala, diſplicens Deo. Et ſane nonnihil laudabile fuiſſe in hac filiorum Iacob animaduerſione conſtat, quia appellantur à Iudith ſerui Dei: & præterea quia confidenter audacterque rem ſunt perpetrati duo dumtaxat filij: quod quidem Dei manum oſtendit. Denique, quemadmodum dicitur capite ſequenti, *terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Permiſit autem Deus, vt vltrà modum ſic peccantes excandeſcerent ira & furore; vt arcana præſignarentur de morte Chriſti: & ſic, inquit Angelicus

I D. Th. hic. [I] infrà cap. 49. hæc memorans, propheticè loquitur Iacob de futuro ſcelere Phariſæorum & ſcribarum, contrà Chriſtum. Et certe recolitur factum hoc a Sanctiſſimo Patriarcha ad reuelationem myſterij: dum præmittitur initio capitis: *Congregamini vt annunciem quæ ventura ſunt nobis in diebus nouiſſimis.* Quocircà ait S. Doctor ſuper illa verba Ioannis, *collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi Concilium,*

L Ioan. 11.l.7. [L] Pontifices autem, qui erant Principes Sacrorum, Phariſæi verò, qui ſpeciem Religionis habebant; vt ſic impleretur quod dicitur Geneſis penultimo, *Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia*: nam de Simeone fuerunt adinuentores ſectæ Phariſæorum; Pontifices manifeſtum eſt de tribu Leui fuiſſe. Et ſuffragatur, me iudice, Iacob ſuis in verbis, quia inquit, *in furore ſuo occiderunt virum.* Vir autem antonomaſticè centies in Sacra Scriptura dicitur Chriſtus Dominus, cui deſponſata eſt Eccleſia: & addit. *Et in voluntate ſua ſuffoderunt murum*: ſiquidem *foderunt manus eius & pedes eius*; Pſ.21. qui *Saluator poſitus eſt tanquam murus & antemurale.* Iſaiæ 26. Et propterea dicuntur etiam, *Vaſa bellantia.* Vaſorum eſt continere; continebant autem illorum facinora, tanquam ſignum ſignatum, facinus Iudæorum. Allegoricè plura & moraliter congerit hic S. Doctor. Caueant Eccleſiaſtici & Religioſi, ne ſint vaſa bellantia contra Dominum, Diuinarum oleum gratiarum, balſamumque donorum, in vas aceto plenum transfundentes; Chriſtum felle, fideles autem noxio veneni gurgite potantes. Dolens promebat Gregorius, *nullum puto fratres Cariſſimi ab alijs maius præiudicium, quàm à ſacerdotibus tolerat Deus: quando quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit: quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus: ad noſtra quotidie ſtudia vacamus: locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.*

CAPVT XXXV.

1 INterea locutus eſt Deus ad Iacob: Surge, & aſcende Bethel, & habita ibi, facque
altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Eſau fratrem tuum. 2 Iacob verò Supr. 28. c.11.
conuocata omni domo ſua, ait: Abijcite deos alienos qui in medio veſtri ſunt, &
mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra, 3 Surgite, & aſcendamus in Bethel, vt facia-
mus ibi altare Deo: qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & ſocius fuit itineris mei. 4
Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eo-
rum: at ille infodit ea ſubter terebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem. 5 Cumque profe-
cti eſſent, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi rece-
dentes. 6 Venit igitur Iacob Luzan, quæ eſt in terra Chanaan cognomento Bethel: ipſe
& omnis populus cum eo. 7 Aedificauitque ibi altare, & appellauit nomen loci illius, Do- Supr. 28. c.18.
mus Dei: ibi enim apparuit ei Deus cum fugeret fratrem ſuum. 8 Eodem tempore mortua
eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſuper quercum: vocatumque
eſt nomen loci illius, Quercus fletus. 9 Apparuit autem iterum Deus Iacob poſtquam re-
uerſus eſt de Meſopotamia Syriæ, benedixitque ei, 10 dicens: Non vocaberis vltra Ia- Supr. 32. f.28.
cob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et appellauit eum Iſrael, 11 dixitque ei: 11 Ego Deus
omnipotens, creſce, & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt, reges de
lumbis tuis egredientur. 12 Terramque quam dedi Abraham & Iſaac, dabo tibi & ſemini
tuo poſt te. 13 Et receſſit ab eo. 14 Ille verò erexit titulum lapideum in loco, quo locu-
tus fuerat ei Deus: libans ſuper eum libamina, & effundens oleum: 15 vocanſque nomen
loci illius, Bethel. 16 Egreſſus autem inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit E-
phratam: in qua cum parturiret Rachel, 17 ob difficultatem partus periclitari cæpit. Di-
xitque ei obſtetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. 18 Egrediente autem ani-
ma præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij ſui Benoni, id eſt, filius dolo-
ris mei: pater verò appellauit eum Beniamin, id eſt filius dextræ. 19 Mortua eſt ergo Ra-
chel, & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethlehem. 20 Erexitque Iacob
titulum ſuper ſepulchrum eius: Hic eſt titulus monumenti Rachel, vſque in præſentem Infr. 48. b.7.
diem. 21 Egreſſus inde, fixit tabernaculum trans Turrem gregis. 22 Cumque habitaret Infr. 49. a.5.
in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris ſui: quod illum minime
latuit. Erant autem filij Iacob duodecim. 23 Filij Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon,
& Leui, & Iudas, & Iſſachar, & Zabulon. 24 Filij Rachel: Ioſeph & Beniamin. 25 Filij
Balæ ancillæ Rachelis: Dan, & Nephthali. 26 Filij Zelphæ ancillæ Liæ: Gad, & Aſer:
hi ſunt filij Iacob; qui nati ſunt ei in Meſopotamia Syriæ. 27 Venit etiam ad Iſaac patrem

ſuum

suum in Mambre, Ciuitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham,
& Isaac. 28 Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. 29 Consumptusque
ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex, & plenus dierum: & sepelierunt eum
Esau & Iacob filij sui.

VERSUS II. *Iacob verò conuocata omni domo sua, ait: abijcitè Deos alienos.*

A D.Th. hic.

Hæc creduntur Idola, quæ cum præda Sichimorum rapuerant: quæ, ne qnid labis affricarent familiæ, voluit Iacob [A] cunctis cum ornamentis in terram infodi: sic ad Idololatriæ detestationem, nec ex quo conflata erant, in vsum esse. Sub terebintho sepelit Iacob Idola: quia sub Christi Cruce, quæ lacrymam salubrem stillat, perijt illorum cultus; *& idola penitus contereutur*, Isaias clamat c. 2.

VERSUS XIV. *Ille verò erexit titulum lapideum, in loco quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina, & effundens oleum.*

B D.Th. hic.

C 2. ad Timot. 4. l. 2.

D Rom. 11. l. 2.

Libans idest fundens, vel sacrificaturus super illud libamina. [B] Libamina erant propriè liquidorum sacrificia, scilicet vini, vel olei: sed aliquando sumitur pro sacrificio de pane, vel de simila glutinata. Quod quidem repetit S. Doctor [C] dicens; antiquitus in sacrificijs, quæ ex humidis offerebantur, quædam fiebant prægustationes, & hæ vocabantur delibationes. Et super illud Romanorum 11. *quòd si delibatio sancta est, & massa;* [D] dicitur autem delibatio, id quod ex massa pastæ sumitur.

VERSUS XXII. *Abijt Ruben, & dormiuit cum Bala concubina Patris sui, quod illum minimè latuit.*

Propter hoc scelus meruit primogeniti iure exhæredari, vt patet infrà c. 49. dicente Iacob, *effusus es sicut aqua; non crescas: quia ascendisti cubile Patris tui, & maculasti stratum eius.*

Quod quidè diuina creditur cognouisse reuelatione; dum hæc prophetico spiritu prædixit: & secretum hoc scelus Patrem non latuisse; hic commemoratur.

Non desunt mysteria. Primogenitus (idest nonnulli primitiuę Ecclesiæ) in transitu Christiani populi de gregali vita Synagogæ (sicut hic egressus Iacob fixit tabernaculum trans Turrem gregis,) idest vitæ gregalis, seu animalis, præuaricatus est cum ancilla, legis cæremonias ad amando corrupto zelo, vt patet Act. 15. Fortè quia ad hoc præsignandum, hæc facta dictaque sunt; nihil ex textu trahi potest luminis, an Bala consentiente, reluctante, aut dormiente, perpetrauerit scelus: quod minimè [E] definit S. Doct. Huc etiam facit quod interserit Moyses v. 8. eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ: quocircà ait S. Doctor [F] nota quòd nisi scriptura mysteria intenderet in narrationibus suis, non est verisimile, quòd mortem Deboræ, plusquàm mortem Rebeccę hic curasset. Quàm fida fuit comes hæc nutrix! Deleta Synagoga, & Idololatria gentilium, erectus est cultus Dei, in sede Ecclesiæ, [G] quæ est vere Beth-el, idest Domus Dei: tuncque Debora, idest loquax Prophetia Iudæorum est ad plenum mortua: & sub quercu, idest sub robore Christiani Imperij, quod est quercus fletus, & desolationis sepulta: quamuis sit nutrix Rebeccæ, idest Ecclesiæ. Considero & ego, quàm figuraliter dicatur *eodem tempore* mortua est Debora; cum antea nec annorum, nec mensium facta sit mentio. Sic quod subijcitur seruit mysterijs, quæ edisserit hic Angelicus; Vnde etiam cum legitur. *Venit etiam ad Isaac Patrem suum in Mambre: Hæc est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac:* significatur Christus peregrinus [H] prius in incarnatione; deinde, in passione; sed iàm tertiò in ascensione: nàm interpretari possumus venisse in claritùdinem, & visionem sempiternam, quæ significat Paradisum. Sed quemadmodum in Iacob intelligitur Christus, ita in Ben-iamin, qui interpretatur, *filius dextera* cum sedeat ad dexteram Patris. Felicitatem quippe prosperitatem, ac fortitudinem refert dextera, potiora proinde bona. Quid mirum, commemoretur locus vbi Iacob *fixit tabernaculum, trans turrem gregis?* Vno milliari distat à Bethlehem, estque idem locus, in quo Angelis ad Pastores dixit, annuncio vobis gaudium magnum, ex D. Hieronymo hìc, & de locis Hebraicis.

E D.Th. hic.

F D.Th. hic.

G D.Th. hic.

H Serm. de Sancto Siluestro.

CAPVT XXXVI.

1 HAec sunt autem generationes Esau, ipse est Edom. 2 Esau accepit vxores de
filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Hethæi, & Oolibama filiam Anæ filiæ Se-
1. Par. 1. c. 29. beon Heuæi: 3 Basemath quoque filiam Ismael sororem Nabaioth. 4 Pepe-
rit autem Ada, Eliphaz: Basemath genuit Rahuel: 5 Oolibama genuit Iehus, & Ihelon,
& Core: hi filij Esau qui nati sunt ei in terra Chanaan. 6 Tulit autem Esau vxores suas,
& filios & filias, & omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ
habere poterat in terra Chanaan: & abijt in alteram regionem, recessitque a fratre suo Ia-
Supr. 25. a. 6. cob. 7 Diuites enim erant valde, & simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra
peregrinationis eorum præ multitudine gregum. 8 Habitauitque Esau in monte Seir, ipse
Iof. 24. 2. 4. est Edom. 9 Hæ autem sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir, 10 & hæc
1. Par. 1. c. 34. nomina filiorum eius: Eliphaz filius Ada vxoris Esau: Rahuel quoque filius Basemath vxo-
ris eius. 11 Fueruntque Eliphaz filij: Theman, Omar, Sepho, & Gatham, & Cenez. 12
Erat autem Thamna concubina Eliphaz filij Esau: quæ peperit ei Amalech, hi sunt filij Ada

vxo-

vxoris Efau. 13 filij autem Rahuel: Nahath & Zara, Samma, & Meza hi filij Bafemath vxoris
Efau. 14 Ifti quoque erant filij Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, vxoris Efau, quos genuit
ei Iehus, & Ihelon, & Core. 15 Hi duces filiorum Efau: Filij Eliphaz primogeniti Efau:
dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez, 16 dux Core, dux Gatham, dux Ama-
lech: hi filij Eliphaz in terra Edon, & hi filij Ada. 17 Hi quoque filij Rahuel filij Efau: dux
Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza, hi autem duces Rahuel in terra Edon: ifti filij
Bafemath vxoris Efau. 18 Hi autem filij Oolibama vxoris Efau: dux Iehus, dux Ihelon,
dux Core, hi duces Oolibama filiæ Anæ vxoris Efau. 19 Ifti funt filij Efau, & hi duces eo-
rum: ipfe eft Edom. 20 Ifti funt filij Seir Horrei, habitatores terræ: Lotam, & Sobal, & 1. Par. 1.
Sebeon, & Ana, 21 & Difon, & Efer, & Difan, hi duces Horrei, filij Seir in terra Edom. c.38.
22 Facti funt autem filij Lotan: Hori & Heman, erat autem foror Lotan, Thamna. 23 Et
ifti filij Sobal: Aluan, & Manahar, & Ebal, & Sepho, & Onam. 24 Et hi filij Sebeon:
Aia, & Ana. Ifte eft Ana, qui inuenit aquas calidas in folitudine, cum pafceret afinos Se-
beon patris fui: 25 habuitque filium Difon, & filiam Oolibama. 26 Et ifti filij Difon
Hamdan, & Efeban, & Iethran, & Charan. 27 Hi quoque filij Efer, Balaan, & Zauan,
& Acan. 28 Habuit autem filios Difan: Hus, & Aran. 29 Hi duces Horræorum: dux
Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, 30 dux Difon, dux Efer, dux Difan: Ifti du-
ces Horræorum, qui imperauerunt in terra Seir. 31 Reges autem qui regnauerunt in ter-
ra Edom antequam haberent regem filij Ifrael, fuerunt hi: 32 Bela filius Beor, nomenque
vrbis eius Denaba. 33 Mortuus eft autem Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de
Bofra. 34 Cumque mortuus effet Iobab, regnauit pro eo Hufam de terra Themanorum.
35 Hoc quoque mortuo, regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percuffit Madian in re-
gione Moab, & nomen vrbis eius Auith. 36 Cumque mortuus effet Adad, regnauit pro
eo Semla de Mafreca. 37 Hoc quoque mortuo regnauit pro eo Saul de fluuio Rohoboth.
38 Cumque & hic obijffet, fucceffit in regnum Balanan filius Achobor. 39 Ifto quoque
mortuo regnauit pro eo Adar, nomenque vrbis eius Phau: & appellabatur vxor eius Mee-
tabel, filia Marred filiæ Mezaab. 40 Hæc ergo nomina ducum Efau in cognationibus, &
locis & vocabulis fuis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth, 41 dux Oolibama, dux
Ela, dux Phinon, 42 dux Cenez, dux Theman, dux Mabfar. 43 dux Magdiel, dux
Hiran, hi duces Edom habitantes in terra imperij fui, ipfe eft Efau pater Idumæorum.

VERSVS I. *Hę funt, generationes Efau, &ç.*

Quo fciatur benedictionem fupradictam temporaliter etiam in Efau fuiſse impletam, & malis [A] temporalia plerumque à Deo concedi, interferitur de genealogia Efau præfens caput.

A D.Th. hic.

VERSVS X. *Eliphaz filius Ada vxoris Efau.*

Vel hunc eſse, vel ex hoc, volunt plerique Eliphaz Themanitem Iobi amicum, immò cognatum, qui afflictum, & vlceribus plenum folatus eft. Vide hic Tirinum.

VERSVS XI. *Reges verò qui regnauerunt in terra Edom.*

Quidam volunt quòd totum illud, quod de Regibus, & Ducibus Edom fubditur, fuerit additum ab Efdra: vel ab eo qui Librum Paralipomenon edidit; tùm quia [B] Moyfes non potuit hiftoricè, omnia ifta ita narrare, quia Duces, qui poft Reges hic fubduntur, fuerunt poft omnes iftos Reges, ficut 1. Paralipomenon dicitur. Non eft autem, verifimile quòd Moyfes propheticè per modum Hiftoriæ prædixerit futura, tanquàm præterita hiftoricè narrans; tùm etiam quia de Paralipomenon primo videntur affumpta.

B D.Th. hic.

CAPVT XXXVII.

1 HAbitauit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater fuus peregrinatus eft, 2
Et hæ funt generationes eius: Iofeph cum fedecim effet annorum, pafcebat
gregem cum fratribus fuis adhuc puer: & erat cum filij Balæ, & Zelphæ vxorum
patris fui: accufauitque fratres fuos apud patrem crimine peffimo. 3 Ifrael autem dilige-
bat Iofeph fuper omnes filios fuos, eoquod in fenectute genuiffet eum: fecitque ei tunicam
polymitam. 4 Videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis filijs amaretur, ode-
rant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. 5 Accidit quoque vt vifum fomnium
referret fratribus fuis: quæ caufa maioris odij feminarium fuit. 6 Dixitque ad eos: Audi-
te fomnium meum quod vidi: 7 Putabam nos ligare manipulos in agro: & quafi confur-
gere manipulum meum, & ftare, veftrofque manipulos circumftantes adorare manipulum
meum. 8 Refponderunt fratres eius: Numquid rex nofter eris? aut fubijciemur ditioni
tuæ: Hæc ergo caufa fomniorum atque fermonum, inuidiæ, & odij fomitem miniftrauit,

9 Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnium, quaſi
ſolem, & lunam, & ſtellas vndecim adorare me. 10 Quod cum patri ſuo, & fratribus re-
tuliſſet, increpauit eum pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium quód vidiſti? num
ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? 11 Inuidebant ei igitur fratres
ſui: pater verò rem tacitus conſiderabat. 12 Cumque fratres illius in paſcendis gregibus
patris morarentur in Sichem, 13 dixit ad eum Iſrael: Fratres tui paſcunt oues in Sichimis:
veni, mittam te ad eos. Quo reſpondente. 14 Præſto ſum, ait ei: Vade, & vide ſi cun-
cta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora: & renuncia mihi quid agatur. Miſſus de Val-
le Hebron, venit in Sichem: 15 inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit quid
quæreret? 16 At ille reſpondit: Fratres meos quæro, indica mihi vbi paſcant greges. 17
Dixitque ei vir: Receſſerunt de loco iſto: audiui autem eos dicentes: Eamus in Dothain.
Perrexit ergo Ioſeph poſt fratres ſuos, & inuenit eos in Dothain. 18 Qui cum vidiſſent
eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere: 19 & mutuo lo-
quebantur: Ecce ſomniator venit: 20 venite, occidamus eum, & mittamus eum in ciſter-
nam veterem: dicemuſque: Fera peſſima deuorauit eum: & tunc apparebit quid illi proſint
ſomnia ſua, 21 Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum,
& dicebat: 22 Non interficiatis animam eius, nec effundatis ſanguinem, ſed proijcite
eum in ciſternam hanc, quæ eſt in ſolitudine, manuſque veſtras ſeruate innoxias: hoc au-
tem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri ſuo. 23 Confeſtim
igitur vt peruenit ad fratres ſuos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita: 24 miſerunt-
que eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam. 25 Et ſedentes vt comederent
panem, viderunt Iſmaelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aro-
mata, & reſinam, & ſtacten in Aegyptum. 26 Dixit ergo Iudas fratribus ſuis. Quid no-
bis prodeſt ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celauerimus ſanguinem ipſius? 27 Melius
eſt vt venundetur Iſmaelitis, & manus noſtræ non polluantur, frater enim, & caro noſtra
Sap.10.c.11. eſt. Acquieuerunt fratres ſermonibus illius. 28 Et prætereuntibus Madianitis negotiato-
ribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmaelitis, viginti argenteis: qui du-
xerunt eum in Aegyptum. 29 Reuerſuſque Ruben ad ciſternam, non inuenit puerum, 30
& ſciſſis veſtibus pergens ad fratres ſuos, ait: Puer non comparet, & ego quo ibo? 31
Tulerunt autem tunicam eius: & in ſanguine hędi, quem occiderant, tinxerunt: 32 mit-
tentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui ſit,
an non. 33 Quam cum agnouiſſet pater, ait: Tunica filij mei eſt, fera peſſima comedit
eum, beſtia deuorauit Ioſeph. 34 Sciſſiſque veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum
multo tempore. 35 Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris,
noluit conſolationem accipere, ſed ait: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.
Et illo perſeuerante in fletu, 36 Madianitæ vendiderunt Ioſeph in Aegypto Putiphari eu-
nucho Pharaonis magiſtro militum,

VERSVS I. *Habitauit autem Iacob in terra Chanaam, in qua, Pater ſuus peregrinatus eſt; & hæ ſunt generationes eius.*

Supple: quæ ſuprà antè Generationes Eſau, cap. 35. relatę ſunt: hoc autem ſubiunxit, tùm vt ordinatè innoteſceret, Iacob inſtar Patrũ ſuorum habitaſſe in terra Chanaam, poſtquàm prædixerat receſſiſſe Eſau in terram Edom; tùm vt quaſi per tranſennã generationibus Eſau memoratis, rediret ad Iacob, de quo, & de cuius filijs ſacram proſequebatur hiſtoriam. Ita ex D. Thoma. [A]

A D.Th. hic c.36.

VERSVS II. *Ioſeph, cum ſedecim eſſet annorum paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhùc puer; & erat cum filijs Balæ & Zelphæ vxorum Patris ſui, accuſauitque fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo.*

Dicunt quidam, filios ançillarum accuſatos ab Ioſeph, (non enim conſtat an cęteros omnes) de peccato contrà naturam: Sed neque hoc ſcitur, ait [B] hic D. Th. Nobis ſufficit veraciter de aliquo crimine accuſatos. Alibi [C] fert gloſſam dicentem, quòd *cum pecoribus miſcebantur crimine peſſimo beſtialitatis.*

B D.Th. hic.

C 2. 2. 154.12.ad 4.

Quoniam accuſaſſe dicitur Ioſeph fratres ſuos, non eſt credendum id inconſideratò feciſſe, ſed matura deliberatione, Deo ipſius zelum fouente. Bifariàm autem deferuntur delicta Superiori; vel accuſatione propriè accepta: & ad hanc nemo tenetur, niſi fuerit tale peccatũ, quòd in multitudinem redundet, vel niſi [D] ſufficientem probationem adhibere poſſit. Vel denunciatiua accuſatione, quam non tenetur denuncians probare, in qua emendatio peccantis ſolùm intenditur. Prima via, non credo inceſſiſſe Ioſeph, niſi dicamus ſcandaloſum crimen in multitudinem ſenſim adrepere potuiſſe; vel tàm graue, & enorme fuiſſe ſcelus; vt omnes Sodomitarum exemplo poſſent perire. Verùm ſecundo accuſaſſe modo veriſimilius; peſſimum crimen patri reuelando. Quocircà credendum omninò eſt [E] quòd fratres ſuos quandoque admonnerit, licèt non ſit ſcriptum: vel quòd cùm publicum eſſet peccatum inter fratres, non tenebatur ſecretæ admonitioni. Iuſta ergò & pia fuit accuſatio; quia dixit hoc Patri, cuius erat corrigere, [F] & qui præſumondus

D 2.2.68.1.

E 2.2.33.7.2.

F D.Th. hic.

dus erat prodeſſe potiùs, quàm obeſſe.

VERSVS III. *Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios, eo quòd in ſenectute genuiſſet eum: fecitque ei tunicam polymitam.*

Cum Beniamin genuerit poſt Ioſeph: non poteſt eſſe ſola hæc cauſa prædilectionis: & argumento eſt, idcircò induci, vt Chriſtum Dominum antonomaſticè dilectum intelligamus; *hic eſt filius meus dilectus: in Regnum filij dilectionis ſuæ.* Coloſſ. 1. Chriſtus autem, cuius typum gerit Ioſeph: in ſenectute genitus dicitur, In quantùm ab antiquo dierum Patre, Danielis 7. æternaliter procedit: atque in vltima mundi ætate, de Virgine naſci pro nobis dignatus eſt.

Senex re vera ſatis erat Iacob, cum genuit alios etiam filios; quia ſuprà octoginta quatuor annos habuit, vt clarè deducit Angelicus, [G] priùſquam conciperetur Ruben primogenitus: Licèt autem non momenti alicuius varietas eſſet ſenili in eius ætate, cùm genuit hunc aut illum, quia omnes [H] præter Ben-iamin nati ſunt infrà ſeptem annos: tamen ſennerat magis cùm ex prædilecta Rachele habuit ipſum: acquirens autem filium tempore defectus, magis eum diligit; quaſi iucundè compenſetur languens ætas: Verumtamen hanc ei prædilectionem, non tam naturæ flexibilitate, quàm virtutum exortam meritis, indicatur in textu, ſiquidem cum adoleuerat, oſtenſus eſt ei præ cœteris amor: adoleuerat certè, quando *erant eum fratres eius, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.* Idcircò *fecit ei tunicam polymitam*: quæ figura fuit variarum virtutum, quibus ornabatur; non enim caſu dilectum ſic exornauit, quando appellatur Pater eius, non primo nomine. *Iacob*; ſed impoſito ſibi diuinitùs, nempe *Iſrael: Iſrael autem diligebat Ioſeph*: ac ſi diceret, ſupernaturali, & diuino inſtinctu; videns prophetico ſpiritu vltrà præcellentem filij probitatem, cuius gereret figuram, [I] nimirum Chriſti Domini, ex ſe in nouiſſimo tempore naſcituri. Aliàs autem nouerat Iſrael, in ſe, & Patre ſuo, à Deo vetuſtatem naturæ negligi, ſeligique iuniores; poſthabitis ſcilicet, Iſmael & Eſau.

G D.Th. ſuprà c. 29.

H D.Th. hic & ad Philem. l. 2.

I D.Th. hic.

VERSVS V. *Accidit quoque vt viſum ſomnium referret fratribus ſuis: quæ cauſa maioris odij ſeminarium fuit.*

Quia inuidia, quod ait Auguſtinus, [L] eſt odium felicitatis alienæ; quantùm inuiderent fratri, notatur. Somniorum cauſa quandoque ſpiritualis eſt, à Deo [M] ſcilicet, qui miniſterio Angelorum aliqua hominibus immittit, ad futurorum reuelationem. Sic Ioſeph contigit, cui diuinitus dabantur ſomnia, vt futura ipſius ſublimatio cognoſceretur à Deo fuiſſe præuiſa: portendebant ſiquidem, ipſum eſſe debere caput fratrum ſuorum, [N] & etiam parentum: vnde ſignanter ſcriptura dicit, *Pater verò rem tacitus conſiderabat.* Retulit etiam Ioſeph hæc ſomnia, vel diuino inſtinctu, vel quadam innocenti ſimplicitate. Poteſt autem eſſe [O] vt hæc ſomnia viderit, & retulerit, matre adhuc viuente; quamuis hic recolantur poſt enarratam matris eius, Rachelis nimirum, mortem. Quia enim Ioſeph venditio hoc capite fertur, primæ inuidentiæ fraternæ cauſæ memorantur. Vel potuit hoc dici à Patre, etiam præmortua matre, tanquam non inferendo, ſed negando dictum. *Num ego, & Mater tua, & fratres tui, adorabimus te ſuper terram.*

L de malo q. 10. a. cont.

M. 2. 2. 95. 6. & q. 172. 1. 2.

N D.Th. hic.

O D.Th. hic.

VERSVS XIV. *Et vide, ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora; & renunciа mihi quid agatur.*

Sanctus Præceptor, Paſtoris [P] hinc colligit munia; vt ſcilicet non omittat de ſtatu ſubditorum habere cognitionem: nàm qui habet ſpiritualiter curam alicuius, debet eum [Q] quærere ad hoc, vt eum corrigat de peccato. Prouerb. 27. *diligenter agnoſce vultum pecoris tui; tuoſque greges conſidera.* Ezechielis 33. *Speculatorem dedi te domui Iſrael.* Caueant Prælati, qui tenentur vigiles eſſe; nec ſufficit, ſi aperiant oculos exuſcitari.

P Coloſſ. 4. l. 2.

Q 2. 2. 33. a. 4.

VERSVS XXVIII. *Et prætereuntibus Madianitis negociatoribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis.*

Conſpirant fratres in Innocentiæ ſimplicis, ac manſueti venditionem, nec legitur lamentationis in voculam erupiſſe; quamuis in anguſtijs animæ, fratres deprecaretur, vt legitur infrà c. 42. Vel Iſmaelitæ quibus venditur Madianitæ dicuntur, quia manebant in terra Madianitarum; [R] vel è contrà. Aut fortè commutantur nomine, tanquam ab vno orti Abraham: & pariter ab vna matre, Cetura nunc dicta, nunc Agar; quemadmodum ſupra cap. 25. opinatus ſum. Viginti autem non triginta argenteis venditum fuiſſe, non ſolùm hic, ſed & alibi [S] aſſerit D. Thomas.

R D.Th. hic.

S Matth. 26.

VERSVS XXXIII. *Quam cùm agnouiſſet Pater, ait: tunica filij mei eſt: Fera peſſima comedit eum; beſtia deuorauit Ioſeph.*

Quàm propriè Sacra Scriptura loquitur! agnoſcere eſt anteà viſum, & cognitum, iteratò cognoſcere. Quamuis Pater à cæteris conſpirantibus filijs in Ioſeph perditionem, neſcierit, quid factum fuerit; (quod allegoricè accidiſſe crediderim, vt mox dicam) attamen erumpit dolor eius in verba, Deo ſanctum ſenem mouente, vt illuminandis fidelibus, quàm appoſitè dixerit, pandat. Quandoque mens prophetæ mouetur ad aliqua verba exprimenda, neſciens [T] quid Spiritus-ſanctus per illa intendit. *Fera peſſima*, ideſt [V] inuidia. En quomodo ignari fratres ſuum fatebantur facinus execrandum; quomodo enim ſcire poterant an fera peſſima eſſet, Leæna an Tigris, ſi non adfuerant? & ſi adfuerant, cur vſque ad deuorationē relictus eſt feræ faucibus? At nuncius, non hæc retuliſſe fertur. *Vide, vtrùm tunica filij tui ſit an non?* dictum eſt Patri: non verò quod propoſuerant, *fera peſſima*, &c. Ex quo videtur Pater diuino prompſiſſe inſtinctu: priùs, *fera peſſima comedit*: adijciens, *Beſtia deuorauit Ioſeph.* Hæc eſt quarta beſtia innominata, & terribilis, de qua Danielis 7. in qua [X] deſignatur æmulatorum malitia. Primò hæc fera comedit eum; poſteà ſæuiùs deuorauit. In hac beſtia humanitatem omnem exoſa, omnes cæterarum beſtiarum, de quibus ibi, includuntur: quia æmulator omnia mala aliorum comprehendit.

T 2. 2. 173. 4.

V Serm. de Sancto Luca Euangel.

X Danielis 7.

VERSVS XXXIV. *Sciſſiſque veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.*

Luxit multo tempore: deinde (quod legi- 3

ur) perſeuerauit in fletu. Fletus dicitur cum [A] emiſſione lacrymarum: luctus addit quandam ſolemnitatem; ſed planctus adhuc addit conqueſtionem per verba.

A Hier. 22. & 31.

VERSVS XXXV. *Deſcendam ad filium meum lugens in Infernum.*

4

B 1. 22. 2. 8. 1. 2. & 4. 45. 1. 2.

Recolendum, eſt, [B] quòd quadruplex eſt infernus: vnus eſt infernus damnatorum, in quo ſunt tenebræ, & quantùm ad carentiam diuinæ viſionis, & quantùm ad carentiam gratiæ; & eſt ibi pœna ſenſibilis: & hic infernus eſt locus damnatorum. Alius eſt infernus ſuprà iſtum: in quo ſunt tenebræ, & propter carentiam diuinæ viſionis, & propter carentiam gratiæ; ſed non eſt ibi pœna ſenſibilis; quia actualis reatus nil habuere: & dicitur Limbus puerorum. Alius ſuprà hunc eſt, in quo ſunt tenebræ, quantùm ad carentiam diuinæ viſionis, ſed non quantum ad carentiam gratiæ; ſed eſt ibi pœna ſenſus, & dicitur Purgatorium. Alius magis ſuprà eſt, in quo eſt tenebra quantùm ad carentiam diuinæ viſionis; ſed non quantùm ad carentiam gratiæ, neque eſt ibi pœna ſenſibilis; & hic eſt infernus Sanctorum Patrum. In hunc, in quo piè credit, morari filium ſuum, cupit deſcendere lugens: ex quo magnitudo doloris Paternique amoris pondus, vult innoteſcat. Priùs doluerat: *fera peſſima comedit eum*: poſtea verò indicatum proprio recolit nomine dicens; *Beſtia deuorauit Ioſeph*. Ad hoc nomen, quod interpretatur *augmentum*, admirabunda mœſtitia augetur: ac ſi dicat; quemuis alium deuoraſſet beſtia, tolerabilius foret: atqui; *eum, Ioſeph* ! obſtupeo, tam purum, tam Sanctum! Paterna iam viſcera ſuprema cordis palpitatione quatiuntur, *deſcendam*: non dicit ad eum; ad Ioſeph; ſed *ad filium*. Innuit innocentis Ioſeph finalem ad mortem vſque, Sanctorum Patrum ęmulam ſanctitatem, polymita non ſolùm, ſed & talaris ſibi facta veſtis: legitùr quippe ab Aquila, *fecitque ei tunicam talarem*, [C] ideſt vſque ad talos deſcendentem: per quam, ſignificatur perſeuerantia [D] ad vitæ extremitatem. Quia ergò etiam iuſti ante Chriſtum pro peccato [E] primi Parentis in morte ad infernos deſcendebant, ait Pater, *deſcendam ad filium meum lugens in infernum*. Per quandam autem ſimilitudinem in viſionis æternæ priuatione, ad damnatorum infernum, infernus appellari [F] videtur Sanctorum Patrum.

C D.Th. hic.
D 4. 24. 3. 3.
E op. 3. 59.
F pſ. 17.

5

G D.Th hic.

Pulcherrimè allegoria eſt Ioſeph ad Chriſtum, cuius geſſit expreſſiſſimum typum: quam quoniam ad amuſſim percurrit hic [G] S. Doctor, libens omitto. Sanè infrà cap. 41. vertit Pharao nomen Ioſeph, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi. Viſa eſt eius tunica tincta hædi ſanguine: quod prophetauit Iſaias c. 63. *quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* & rurſus, *quare rubrum eſt indumentum tuum?* Pro veſte intelligitur eius caro, quæ ſexies creditur cruentata: [H] Primò, in circumciſione, Lucæ 2. Secundò in prolixa Oratione, quando *factus eſt ſudor eius ſanguineus*; Luc. 22. Tertiò in flagellatione ad columnā, Luc. 23. Quartò in ſpinarum coronatione, (ex D. Vincētio) 72. locis perforata. Lucæ 23. Quintò in manuum & pedū crucifixione. Sextò in lateris apertione Io. 19. De hac veſte ſic aſperſa dicitur; *tulerunt tunicam eius, & ſanguine hædi, quem occiderant tinxerunt*. Hædus & Hircus dictus eſt ipſemet Chriſtus, propter *ſimilitudinem carnis peccati*, vt alibi dictum eſt. Vnde quaſi neſciretur à Patre quis eſſet; quando derelictum ſe dicebat in Cruce, aiebat æternus Iacob, *fera peſſima deuorauit filium meum*: veriùſque neſciuit Iudaicus populus, quod victurus eſſet Chriſtus in virtute: vnde pariter dicebat, *fera peſſima* [I] culpæ propriæ *deuorauit eum*. *Niſi eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*. Io. 18. Veſtis ſignificare poteſt honeſtam ad exteros quoſque diſciplinam. De hac, vt Eccle. 19. dicitur, *amictus corporis, & riſus dentium, & inceſſus hominis enunciant de illo*; ait S. Doctor, [L] multùm diſplicet Deo indiſciplinata conuerſatio: multùm doluit Iacob, videns tunicam filij ſui ſanguinolentam. Defectus diſciplinæ nuditas eſt, turpitudinem hominis oſtendens.

H Apoc. 19. comment. 1.
I D. Th. hic.
L op. 41. l. 5. c. 15.

CAPVT XXXVIII.

1 EOdem tempore deſcendens Iudas à fratribus ſuis, diuertit ad Virum Odollamitem,
nomine Hiram. 2 Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue, & ac-
cepta vxore, ingreſſus eſt ad eam. 3 Quæ concepit, & peperit filium, & voca-
uit nomen eius Her. 4 Rurſumque concepto fętu, natum filium vocauit Onan. 5 Ter-
tium quoque peperit: quem appellauit Sela, quo nato, parere vltra ceſſauit. 6 Dedit au-
tem Iudas vxorem primogenito ſuo Her, nomine Thamar. 7 Fuit quoque Her primoge-
nitus Iudæ nequam in conſpectu Domini & ab eo occiſus eſt. 8 Dixit ergo Iudas ad Onan
filium ſuum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & ſociare illi, vt ſuſcites ſemen fratri tuo. 9
Ille ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad vxorem fratris tui, ſemen fundebat in terram,
ne liberi fratris nomine naſcerentur. 10 Et idcirco percuſſit eum Dominus, quod rem de-
teſtabilem faceret. 11 Quam ob rem dixit Iudas Thamar nurui ſuæ: Eſto vidua in domo
patris tui, donec creſcat Sela filius meus: timebat enim ne, & ipſe moreretur, ſicut fratres
eius. Quæ abijt, & habitauit in domo patris ſui. 12 Euolutis autem multis diebus, mor-
tua eſt filia Sue vxor Iudæ: qui poſt luctum conſolatione ſuſcepta, aſcendebat ad tonſores
ouium ſuarum, ipſe, & Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas. 13 Nunciatumque
eſt Thamar, quod ſocer illius aſcenderet in Thamnas ad tondendas oues. 14 Quæ, depoſi-
tis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum, & mutato habitu, ſedit in biuio itineris, quod
ducit Thamnan: eo quod creuiſſet Sela, & non eum accepiſſet maritum. 15 Quam cum

1. Par. 2. a.
Num. 26. b. 19.
Num. 6. c. 19.

vidiſ-

vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur.
tur. 16 Ingrediensque ad eam, ait: Dimitte me vt coeam tecum: nesciebat enim quod
nurus sua esset. Qua respondente: Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? 17 dixit:
Mittam tibi hædum de gregibus. Rursumque illa dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi
arrhabonem, donec mittas quod polliceris. 18 Ait Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone
dari? Respondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manu tenes. Ad vnum
igitur coitum mulier concepit, 19 & surgens abijt: depositoque habitu quem sumpserat,
induta est viduitatis vestibus. 20 Misit autem Iudas hędum per pastorem suum Odollami-
tem, vt reciperet pignus quod dederat mulieri, qui cum non inuenisset eam, 21 interro-
gauit homines loci illius: Vbi est mulier, quæ sedebat in biuio? Respondentibus cunctis:
Non fuit in loco isto meretrix. 22 Reuersus est ad Iudam, & dixit ei: Non inueni eam:
sed & homines loci illius dixerunt mihi, numquam sedisse ibi scortum. 23 Ait Iudas: Ha-
beat sibi, certè mendacij arguere nos non potest, ego misi hędum quem promiseram, & tu
non inuenisti eam. 24 Ecce autem post tres męnses nunciauerunt Iudæ, dicentes: Forni-
cata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere. Dixitque Iudas: Produ-
cite eam, vt comburatur. 25 Quæ cum duceretur ad pęnam, misit ad socerum suum, di-
cens: De viro, cuius hæc sunt, concepi: cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus.
26 Qui agnitis muneribus, ait: Iustior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo. Atta-
men vltra non cognouit eam. 27 Instante autem partu apparuerunt gemini in vtero: atque Matth. 1. 3.
in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens:
28 Iste egredietur prior. 29 Illo verò retrahente manum, egressus est alter, dixitque
mulier: Quare diuisa est propter te maceria? & ob hanc causam vocauit nomen eius Pha-
res. 30 Posteà egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellauit 1. Par. 2. 4.
Zara.

VERSVS I. *Eodem tempore descendens Iudas à fratribus suis, diuertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram.*

VERSVS II. *Viditque ibi filiam hominis Chananai, vocabulo Sue, & accepta vxore, ingressus est ad eam.*

1 Quoniam post habitos ab Iuda filios ex Sue; eosque adultos & nubiles, nam primi duo scilicet Her & Onan, duxerunt Thamar; & tertius nempè Sela, adeò creuerat, vt posset transire in maritum tertium Thamar: Quoniam post hos inquam, habuit ex eadem Thamar Iudas ipse Phares & Zaram; Pharesque perhibetur infrà c. 46. quando ingressi sunt Ægyptum, Pater duorum filiorum Hesron & Hamul: nascitur difficultas, in quanam ætate Iudas vxorem duxerit. Sanè quando ingressi sunt Ægyptum, Iacob erat centum triginta annorum, vt ipsemet fatetur c. 47. Ioseph verò circiter triginta nouem: ergo Iudas quartò natus ex Lia, non poterat esse nisi circiter quadraginta quatuor; nam vt suprà visum est, infra septem annos, præter Beniamimum, nati sunt filij Iacob. Quomodo ergò potuit ab Iudæ nuptijs, tantum decurrere temporis ad ingressum Ægypti, vt post adultos tres primos filios, natus Phares post illos, sic esset adultus, vt filios procreasset? clarius dicam. Si primus Iudæ filius, Her scilicet, vixisset vsque ad ingressum Ægypti, maior certè fuisset ipso Phares tot annis, quot est homo aptus vxori: quibus si addas adultam ætatem Phares habentis filios, euadit Her fermè coæuus suo Patri Iudæ, quo nihil absurdius. Vidit difficultatem S. Augustinus relatus [A] à Sancto Doctore, maximè si nupsisset Iudas post venditionem Ioseph: & proptereà docuit, quod ante venditionem, vxorem duxit; & quod, ly *eodem tempore*, largè accipitur: attamen dato, quod duxerit vxorem Sue, ante venditionem; nisi dicatur filios Phares non referri tanquam natos, sed tanquam nascituros c. 46. (de quo ibi) non euacuatur quæstio. Quod si, nascituri accipiantur Iudæ filij, non inconuenit, vt eodem tempore, hoc est post venditionem Ioseph, vel circiter, vxorem duxerit Iudas, vt intuenti patere potest.

A D.Th. hic.

VERSVS VIII. *Dixit ergò Iudas ad Onan filium suum: ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratris tui.*

Præmatura morte, fortèque Dæmonis ministerio, sublato è viuis Iudæ primogenito; (quia, secundum aliquos, aburebatur vasculo vxoris, vel [B] alio genere nequitiæ) succedit in maritum mortui frater. Ex hoc patet, quædam cæremonialia (cuiusmodi est illud Deuteronomij 25. *quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubat alteri; sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui*) fuisse per inspirationem diuinam à Patribus instituta & seruata. Sed quoniam & iste semen extrà vas [C] naturale effundebat, percussus fuit a Domino; *quod rem detestabilem faceret*. Videtur credidisse Iudas mortuos esse, fortè ex immoderato coitus vsu, tenera adhuc in ætate, quoniam subdit sacer textus, supersedisse ab illicò tradendo Sela in maritum tertium Thamar, donec cresceret; timebat enim, *ne & ipse moreretur, sicut fratres eius*. Ignorabat ergò scelera filiorum Iudas, quæ, dictante Spiritu-Sancto, tetigit Moyses: minus expresè relato peccato primi; quia, quod est infandum, fari haud decet; suntque eiusmodi *passiones ignominiæ* ab Apostolo dictæ; quia nec nominari sine pudoris macula, vel aures inficiente, ab honestis labijs possunt.

B D.Th. hic.

C Apoc. 16. comment. 1.

VERSVS XIV. *Quæ depositis viduitatis vestibus, assumpsit Theristrum; & mutato habitu &c.*

Theristrum hic [D] Diuo Thomæ dicitur

D D.Th. hic.

pallium, ſeu genus pallij ſubtilis, inſtar veli: clariùs autem Iſaiæ 3. [E] ex gloſſa; *Theriſtrum eſt veſtis muliebris tenuiſſima, & viſu peruia, æſtati idonea*; & inde nominatur: *Theros* enim dicitur *æſtas*. De Theriſtro pariter, ait Haymo Iſaiæ 3. *mulieres Arabiæ illo vti, adeoque ſubtile, vt quis eo indutus, corporis nequeat abſcondere maculas*. Sic illexit Thamar, credita ab illo meretrix, Iudam; ad cuius vnum coitum concepit.

E Iſ. 3.

3 Ex hoc facto Rabbi Moyſes putauit, quòd ante tempus legis, fornicatio ſimplex non [F] eſſet peccatum. Sed iſta ratio non cogit; non enim neceſſe eſt filios Iacob à peccato mortali excuſare: cum accuſati fuerint apud Patrem crimine peſſimo, & in Ioſeph necem vel venditionem conſenſerint; Quod quidem repetit [G] alibi; quia inimò auctor fuit Iudas venditionis Ioſeph. Et addo; etiam per impoſſibile dato, quòd ſimplex fornicatio eſſet licita, de quo Exodi 20. v. 14. adhuc peccauit Iudas; quia non fuit certus de mulieris conditione; ſuſpicatus eſt enim ſolummodo, eſſe meretricem, atque adeò expoſuit ſe periculo committendi adulterium. Et quamuis recuſauerit inſimulari mendacij, dicens *certè mendacij nos arguere non poterit*: non propterea, tenax iuſtitiæ vndequaque agnoſcitur; quia frequenter homo, [H] qui non vitat peccatum mortale, abſtinet etiam à veniali, ad quod non habet tantum incitamentum: Et ſic non eſt mirum, ſi Iudas magis horruit mendacium, [I] quàm fornicationem, propter fidei fractionem. De Thamar ſimiliter dicendum eſt, ſine dubio (niſi fortè ad myſteria inſtinctu diuino ferretur) peccaſſe: quamuis enim non ex libidine [L] ſed amore prolis credatur Iudam feſelliſſe, nihilominus illicitè ſocerum prouocatum iuit, eique iuncta eſt. Quòd ſi ex ore Iudæ hic verſu 26. videatur excuſari: non ita eſt. Nam cum dicit, *iuſtior me eſt*; aut *iuſtificata eſt ex me*; ſicut Hæbraica veritas habet, ex Hieronymo, apud D. Thomam [M] hic & alibi: ſenſus eſt, non quidem eſſe iuſtificatam propter fornicationem, quam commiſit, ſed quia ex alio genere ſibi prolem non quæſiuit, quàm ex eo, vnde ſibi vir debebatur. Et ita iuſtificata eſt ex me: ideſt ex comparatione mei, ipſa eſt iuſta: & hoc modo minus malus poteſt dici iuſtus reſpectu peioris: iuſtior enim, vel minùs iniuſta fuit, quoad duo; primò, ſecundùm Hieronymum, quia ipſa non vt Iudas vanam turpitudinem, ſed ſolum liberos concupiuit: ſecundo, quia Iudas eam fraudabat, coniugali copula filij ſui; & in ſolam recompenſationem eius, ipſa hoc fecit. Chryſoſtomus [N] quippe ſentit Thamar euſque virginem permanſiſſe. Ex quo, & proprio peccato, cui Dominus indulgebat, potuit ſolerter Iudas deprehendere, quàm deteſtabilia fuiſſent filiorum ſcelera, coram Domino; dum illos præcoci morte puniuit. Sic expediens fuit, vt iraſcibili & concupiſcibili rapti, ſancti illi, Patriarchæ futuri, erigerentur poſt lapſus; quo ſcilicet erigerentur etiam qui peccant in veniæ ſpem [O] Addo, vt turpioribus, (cuiuſmodi fuerunt duo Iudæ filij) à Deo percuſſis, malitiæ crimina territi caueremus. Pœnitentiæ autem ſtudium, vel ipſorum peccantiũ nomine monere voluit nos Dominus; ſiquidem *Iudas* interpretatur [P] *confeſſio*: *Thamar*, *amaritudo*.

F 4. 33. 1.3.3.

G 2. 2. 154.2.3.

H 4. 33. 1.3.1. ad 1.

I ad Anſnib. 4. 33. 2.1.

L D. Th. hic.

M de malo q. 15. 1. 6. & hic.

N Gen. 39.

O D. Th. hic.

P Matth. 1.

VERSVS XXVII. *Inſtante autem partu apparuerunt gemini in vtero: atque in ipſa effuſione infantium, vnus protulit manum, in quo obſtetrix ligauit coccinum* &c.

Mira ſunt, quæ contigerunt pariente Thamar: mirum, obſtetricem coccino primatum notaſſe, & Moyſen tam accuratò rem hanc tradidiſſe. 4 Coccus, inquit [Q] S. Doctor, eſt flos, in cuius coma inuenitur vermis, ex cuius ſanguine tingitur rubeus color: itaque filum coccineum emiſſæ manui ligauit. Item: maceria propriè eſt murus lapidis ſine cæmento; ſed hic ſumitur pro quadam pellicula, in qua inuoluitur infans in matrice, quæ & dicitur ſecundina, quia ſequitur puerum in partu. Mirum eſt, hoc inuolucrum nomine maceriæ appellari, niſi magnum occuleretur myſterium, de quo iam propè. Radix figuratæ intelligentiæ, Thamar eſt, quæ, in primis ſtare poteſt pro plebe ad cultum vnius Dei parata, quæ à Sanctis Patribus finaliter concepit: primò quidem iudaicum populum; deinde Chriſtianum. Iudaicus per Zaram ſignificatus, primò (quaſi ad fortia opera) manum miſit ad fortia, dicens Exodi 24. *omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes*: (vbi gloſſa; *non deeſt qui impleat, ſed deeſt qui iubeat*) in quo temerè ſuperbiebant de potentia, vt obſeruat Angelicus [R] ad Galatas. Sed ſapientia Dei, vel Moyſi Coccinum ſacrificiorũ ſanguinis animalium, in manu ligauit; vt per adiutorium legis, prior ad opera moralia egrederetur, ſed impotens ad opera gratiæ retraxit manum. Hac de re S. Doctor [S] in Matthæum inquit, Zara, qui prior apparuit, ſignificat populum Iudæorum; in cuius manu obſtetrix filum coccineum ligauit: hoc eſt; circumciſionem, quæ fiebat cum ſanguinis effuſione, impoſuit. Sed illo *retrahente manum, egreſſus eſt alter*; quia *cæcitas ex parte contigit in Iſrael*, Roman: 11. intrauitque populus gentilis, ſignificatus per Phares, egreſſus de vulua ignorantiæ, & infidelitatis. *Phares* interpretatur *diuiſio*: populus autem gentilis videbatur diuiſus: poſteà tamen in fine, cum *plenitudo gentium* intraverit, egredietur ad lucem, in plenitudine gratiæ reliquus Iſrael, per *Zaram*, (qui dicitur *oriens*, vel quia primò viſus eſt naſci, vel quia clarificata per orbem Eccleſia, egredietur) ſignificatus. Quia tamen *vnum corpus* cũ Chriſto ſumus, ipſemet Chriſtus, qui diuidet oues ab hædis, per Phares eſt figuratus, [T] qui pelliculam cæremonialium diuidens, medium parietem maceriæ ſoluit: de quo Epheſiorum ſecundo: *qui fecit vtraque vnum, medium parietem maceriæ ſoluens*: qui paries poteſt dici lex vetus, ſecundùm carnales obſeruantias, in qua Iudæi concluſi cuſtodiebantur. [V]

Thamar etiam typus eſſe poteſt gentilitatis, quæ mortua ſiue tanquam figura ſynagogæ, ſpiritu Dei ducta adhæſit legi, & prophetis, concipiens ſpirituali ſenſu, ex quo fuit digna vitæ, & non mortis. Similiter accipi poteſt Thamar pro Eccleſia Chriſti, quæ ab initio concepit gemellos, quorum prior, qui fuit ex Iudæis ad Chriſtum conuerſis (*dico autem Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis* Rom. 15.) manum emiſit; & deinde propter incredulitatem retraxit: in fine cùm *plenitudo gentium* intrauerit, naſciturus: *cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo*

Q D. Th. hic.

R Galat. 3. l. 7.

S Matth. 1.

T D. Th. hic & Matth. 1.

V Epheſ. 2. l. 5.

nitudo

nitudo gentium intraret. Rom. 11. Siue autem dicas Eccleſiam, ſiue gentilitatem, ſiue plebem ad cultum Dei paratam, eſſe Thamar, accepit, hoc in ſpiritali congreſſu, pro Arrha *annulum* fidei; *armillam* fortitudinis, aut fibulam pectoralis munditiæ; *baculumque* auctoritatis Chriſti, ſiue Crucis lignum, relicto hædi pacto, hoc eſt, ritu legali, hircina pelle legalium cæremoniarum.

His & eiuſmodi quamuis ad literam turpibus, abſcondit Dominus quaſi in fictilibus vaſis theſaurum. Hinc aiebat D. Auguſtinus, *quid prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus, non poteſt? aut quid obeſt lignea; ſi hoc poteſt quod volumus? quando nil aliud quærimus, niſi aperire, quod clauſum eſt!* Hiſce connubij figuris, diuinæ fruitionis familiare, ac indiſſolubile gaudium ſignatum eſt; myſtica vtriuſque nubentium tranſlatione, pluries commendatum; non modo hic in Iuda, & Thamar, [x] ſed & in Dauid, ac Berſabee, & alijs. Oo conſimiles rationes, cur (poſt Ioſeph venditionem præmiſſam) de Iuda, & de his agatur? vide cum ſupradictis hic Diuũ Thomam. X D.Th. infr.c.48.

C A P V T X X X I X.

1 IGitur Ioſeph ductus eſt in Aegyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis
princeps exercitus, vir Aegyptius, de manu Iſmaelitarum, à quibus perductus erat.
2 Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis proſperè agens: habitauitque in
domo domini ſui: *3* qui optimè nouerat Dominum eſſe cum eo, & omnia: quæ gereret,
ab eo dirigi in manu illius. 4 Inuenitque Ioſeph gratiam coram domino ſuo, & miniſtra-
bat ei, à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domum, & vniuerſa, quæ ei tra-
dita fuerant: 5 benedixitque Dominus domui Aegyptij propter Ioſeph, & multiplicauit
tam in ædibus, quam in agris cunctam eius ſubſtantiam: *6* nec quidquam aliud nouerat,
niſi panem quo veſcebatur. Erat autem Ioſeph pulchra facie, & decorus aſpectu. 7 Poſt
multos itaque dies iniecit domina ſua oculos ſuos in Ioſeph, & ait: Dormi mecum. 8 Qui
nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi
traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua, *9* nec quidquam eſt, quod non in mea ſit po-
teſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quo modo ergo poſſum hoc
malum facere, & peccare in Deum meum? 10 Huiuſcemodi verbis per ſingulos dies, &
mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum. 11 Accidit autem quadam die,
vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret: 12 & illa, appre-
henſa lacinia veſtimenti eius, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fu-
git, & egreſſus eſt foras: 13 Cumque vidiſſet mulier veſtem in manibus ſuis, & ſe eſſe
contemptam, 14 vocauit ad ſe homines domus ſuæ, & ait ad eos: En introduxit virum
Hebræum, vt illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me, vt coiret mecum, cumque ego ſuccla-
maſſem, 15 & audiſſet vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras. 16
In argumentum ergo fidei retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum, 17 & ait:
Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus, quem adduxiſti, vt illuderet mihi: 18 cumque audiſ-
ſet me clamare, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras. 19 His auditis dominus,
& nimium credulus verbis coniugis, iratus eſt valde: 20 tradiditque Ioſeph in carcerem, Pſal. 104. b.18.
vbi vincti regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus. 21 Fuit autem Dominus cum Ioſeph,
& miſertus illius, dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris. 22 Qui tradidit in
manu illius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur: & quidquid fiebat, ſub ipſo erat.
23 Nec nouerat aliquid, cunctis ei creditis; Dominus enim erat cum illo, & omnia opera
eius dirigebat.

REpetitur in hoc capite venditio Ioſeph; (poſt interiectum conceptum Thamar, rationibus ibi tactis à D. Thoma) ipſius vndequaque probitas pudicitia, inſultatio & calumnia, cum carceratione, quæ innocenter eſt paſſus, denarrantur.

VERSVS I. *Emitque eum Putephar Eunuchus Pharaonis.*

1 A D.Th. hic c.18. Cenſent Hebræi relati capite præcedenti à D. Thoma, emptum Ioſeph [A] à Putiphare ad abuſum illius pulchritudinis, virilibus autem à Deo areſactus, intactum fuiſſe. Verùm quæ di-
2 cuntur in hoc, ſecùs ſuadent; nam dicitur Eunuchus nouiſſe optimè, quòd *Dominus erat cum Ioſeph*, nec verbo, turpitudine inſinuata; cùm tamen vxoris eius excandeſcens libido non taceatur. Placet ergò, quod alij probant, Eunuchi voce, non ſemper in Scripturis ſignificari ſpadonem, ſed illos etiam, qui in aula regia fungerentur officijs, quibus iam primo ſpadones præficiebantur. Cùm enim ſecuritatis gratia ſolerent ſpadones cubiculis Reginarum, & Heroinarum præeſſe: explorata fide, ad maiora tranſibant munia, etiam Regis cuſtodiæ. Ex quo, ſi qui eiuſmodi officijs dedebantur, quamquam non eſſent euirati, Eunuchi atque ſpadones dicebantur.

Quærendum eſt Principi cum diſcretione, & diligentia, quem conſtituat ſuper familiam ſuam: qui ſi fidelis non fuerit, fraudabit: ſi verò non fuerit prudens, fraudabitur. [B] Fideli & B op.41. l.4.c.10.

prudenti danda est potestas, vt quod videbitur sibi agendum facere possit; Contrà quem clandestinæ, & susurratæ delationes non sunt recipiendæ. Fidem debet ei Princeps habere, exemplo huius Ægyptij: ad quod, Bernardus; *erubescat Christianus Christiano sua non credens*: homo sine fide, fidem tamen habuit seruo, super omnia bona sua constituens eum: & hic erat alienigena.

VERSVS VII. *Post multos dies, iniecit Domina sua, oculos suos in Ioseph.*

Capta est impudica mulier turpi amore, oculorum reti: sunt oculi in amore duces præcipites; eo quòd subiti: hinc aiebat Iob 31. *pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem de virgine.* At quantùm propudua est mulier, tantundem castus est iuuenis; immò non solùm castus, sed virgo: quod quidem videtur deprehendi, ex eo quòd ait Sacer textus; *& ille recusabat stuprum*; cùm enim stuprum sit virginis defloratio; cur non ait recusabat adulterium; vtpotè à coniugata intentatam? Sed hoc testimonium est virginalis munditiæ Ioseph; cùm enim quis primò florem amittit, stupri reus est in se ipsum: Sacra translatio, quæ præpollet cunctis proprietate verborum, mirè hac de causa, noluisse stuprari commendat Ioseph. Molesta huiusmodi in lucta, exercebatur per singulos dies fortis athleta: væ illi, qui ad monomachiam, quamquam strenuus accedit: si congrediatur tantisper, saucius indubitanter abibit: ignaui hac in pugna triumphant: vna, clypeus est, fuga. Paulus non temerè dixit, *fugite fornicationem*; vbi D. Thomas, [C] cætera vitia vincuntur resistendo, quia quantò magis homo particularia considerat, & tractat, tantò minùs in eis inuenit, vnde delectetur, sed magis anxietur; sed vitium fornicationis non vincitur resistendo, quia quãtò magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur; sed vincitur fugiendo, idest totaliter vitando cogitationes immundas. Quod repetit [D] dicens, impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo; quando scilicet, continua cogitatio, auget peccati incentiuum. Decuit vt Ioseph iste sanctissimi Beatæ Virginis sponsi figuram gerens, virginitatis lilium inter molestiæ turbines, ad tempus, illo pro tempore, custodiret. Moralia, & allegorica percurrit D. Thomas cap. sequenti 41.

C 1.Cor. 6.l.3.

D 2.2. 35. 1.4

CAPVT XL.

1 His ita gestis, accidit vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Aegypti, & pistor
domino suo. 2 Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) 3 misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus,
& Ioseph: 4 At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis. Aliquantulum
temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. 5 Videruntque ambo somnium nocte
vna iuxta interpretationem congruam sibi, 6 ad quos cum introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes, 7 sciscitatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra? 8
Qui responderunt: Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos
Ioseph: Numquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis: 9 Narrauit prior,
præpositus pincernarum, somnium suum: Videbam coram me vitem, 10 in qua erant
tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere. 11 calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo vuas, & expressi in calicem quem tenebam,
& tradidi poculum Pharaoni. 12 Respondit Ioseph. Hæc est interpretatio somnij: Tres
propagines, tres adhuc dies sunt: 13 post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere
consueueras. 14 Tantùm memento mei, cum benè tibi fuerit, & facias mecum misericordiam: vt suggeras Pharaoni vt educat me de isto carcere, 15 quia furto sublatus sum de
terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum. 16 Videns pistorum magister
quod prudenter somnium dissoluisset, ait: Et ego vidi somnium, Quod tria canistra farinæ
haberem super caput meum, 17 & in vno canistro quod erat excelsius, portare me omnes
cibos qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo. 18 Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij, Tria canistra, tres adhuc dies sunt: 19 post quos auferet Pharao caput
tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. 20 Exinde dies tertius
natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium pueris suis, recordatus est inter
epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. 21 Restituitque alterum in locum
suum, vt porrigeret ei poculum: 22 alterum suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas
probaretur. 23 Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est
interpretis sui.

VERSVS I. *Accidit vt peccarent duo Eunuchi; Pincerna Regis Ægypti; & Pistor domino suo: iratusque Pharao.*

Est Pharao commune nomen Regum, apud Ægyptios, sicuti [A] Cæsar apud nos.

A D.Th. ... 41.

VERSVS V. *Videruntque ambo somnium nocte vna, iuxtà interpretationem congruam sibi.*

Somnia quandoque immittuntur à Deo; quemadmodum diuinitùs repræsentatio aliquarum rerum per similitudines [B] imaginarias fa

B 2. 2. 173.2. Danielis 10.

cta

ĉta eſt Pharaoni, & Nabuchdonoſor, non ideò Prophetis; vt ſtatim ſequenti cap. dicetur. Hæc, licet habenti ſpiritum interpretari: non ita vana obſeruatione, aut dæmone attexente: vnde dicitur, [C] Deuteronomi) 17. *non inueniatur in te, qui obſeruet ſomnia*. Quare neceſſe eſt, vt Ioſeph diuina illuminatione prænoſceret, nihil nequitiæ in ijs eſſe: vnde ſubiecit, *nunquid non eſt Dei interpretatio?* ad quam proinde hoc, & ſequenti capite, [D] ſe propheticè accinxit.

C 2. 295. 6. & 3. cont. G. c. 154. & hic c. 41.

D 2. 2. 171. 2. & 1. Cor. 14. l. 1.

VERSVS IX. & X. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores, vuas matureſcere*, &c.

Vitem ideſt Chriſtum, ait S. Doctor, [E] in quo ſunt tres ſubſtantiæ, corpus, anima, & Diuinitas: ſanè ipſe dixit Ioannis 15. *Ego ſum vitis vera*. Nec eſt diſſonum, vt qui è carcere Mundi huius debet ante Pharaonis (qui typum gerere poteſt [F] Dei Patris) faciem traduci, per Chriſti ſanguine myſterium vitę adumbratum, id obtinere ſignificetur à longè. Huc facit etiam, quòd Ioſeph rogat, *vt educat me de iſto carcere*: [G] hoc eſt *de corpore mortis huius*, vt ait Apoſtolus, Rom. c. 7. Similiter cum dicitur, *tres adhuc dies ſunt*, intelliguntur tres dies pœnitentiæ; [H] contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis: poſt quos reſtituimur in gradum priſtinum.

E Io. 15. l. 1.

F D. Th. c. 41.

G Apoc. 14. commentar. 1. ad illud *vt requieſcant à laboribus*.

Denique tria caniſtra ſignificare poſſunt quæ tria carnalem concupiſcentiam fouere [I] conſueuerunt; puta, lautitiem ciborum, mollitiem veſtimentorum, ſegnitiem ociorum: quæ cum ſupergrediuntur caput, quid niſi æternam mortem portendunt!

H Apoc. 2. comment. 1.

I Apocal. 16. primo commentario ad illa verba tres ſpiritus.

CAPVT XLI.

1 POſt duos annos vidit Pharao ſomnium. Putabat ſe ſtare ſuper fluuium: 2 de quo
aſcendebant ſeptem boues, pulchræ, & craſſe nimis, & paſcebantur in locis pa-
luſtribus. 3 Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine, fœdæ, confectæque
macie: & paſcebantur in ipſa amnis ripa in locis virentibus. 4 deuorauerutque eas, qua-
rum mira ſpecies, & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao, 5 rurſum dormi-
uit, & vidit alterum ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque for-
moſæ: 6 aliæ quoque totidem ſpicæ tenues, & percuſſæ vredine oriebantur, 7 deuoran-
tes omnem priorum pulchritudinem. Euigilans Pharao poſt quietem, 8 & facto mane,
pauore perterritus, miſit ad omnes coniectores Aegypti, cunctoſque ſapientes: & accerſitis
narrauit ſomnium, nec erat qui interpretaretur. 9 Tunc demum reminiſcens pincernarum
magiſter, ait. Confiteor peccatum meum: 10 Iratus rex ſeruis ſuis, me & magiſtrum pi-
ſtorum retrudi iuſſit in carcerem principis militum: 11 vbi vna nocte vterque vidimus ſom-
nium præſagum futurorum. 12 Erat ibi puer Hebræus, eiuſdem ducis militum famulus:
cui narrantes ſomnia, 13 audiuimus quidquid poſtea rei probauit euentus, ego enim red-
ditus ſum officio meo: & ille ſuſpenſus eſt in cruce. 14 Protinus ad regis imperium edu-
ctum de carcere Ioſeph totonderunt: ac veſte mutata, obtulerunt ei. 15 Cui ille ait: Vidi
ſomnia, nec eſt qui ediſſerat: quæ audiui te ſapientiſſime conijcere. 16 Reſpondit Ioſeph:
Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. 17 Narrauit ergo Pharao quod viderat:
Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis, 18 & ſeptem boues de amne conſcendere, pul-
chras nimis, & obeſis carnibus: quæ in paſtu paludis virecta carpebant, 19 & ecce, has ſe-
quebantur aliæ ſeptem boues in tantum deformes, & macilentæ, vt numquam tales in terra
Aegypti viderim: 20 quæ, deuoratis, & conſumptis prioribus, 21 nullum ſaturitatis de-
dere veſtigium: ſed ſimili macie, & ſqualore torpebant. Euigilans, rurſus ſopore depreſ-
ſus, 22 vidi ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atque pulcherri-
mæ. 23 Aliæ quoque ſeptem tenues, & percuſſæ vredine, oriebantur è ſtipula: 24 quæ
priorum pulchritudinem deuorauerunt. Narraui coniectoribus ſomnium, & nemo eſt qui
ediſſerat. 25 Reſpondit Ioſeph: Somnium regis vnum eſt, quæ facturus eſt Deus, oſten-
dit Pharaoni. 26 Septem boues pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ: ſeptem vbertatis anni
ſunt, eamdemque vim ſomnij comprehendunt. 27 Septem quoque boues tenues, atque
macilentæ, quæ aſcenderunt poſt eas, & ſeptem ſpicæ tenues, & vento vrente percuſſæ;
ſeptem anni venturæ ſunt famis. 28 Qui hoc ordine complebuntur. 29 Ecce ſeptem an-
ni venient fertilitatis magnæ in vniuerſa terra Aegypti: 30 quos ſequentur ſeptem anni
alij tantæ ſterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia, conſumptura eſt enim
fames omnem terram, 31 & vbertatis magnitudinem perditura eſt inopiæ magnitudo,
32 Quod autem vidiſti ſecundò ad eandem rem pertinens ſomnium: firmitatis indicium
eſt, eo quòd fiat ſermo Dei, & velocius impleatur. 33 Nunc ergo prouideat rex virum
ſapientem, & induſtrium, & præficiat eum Terræ Aegypti. 34 Qui conſtituat præpoſitos
per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis, 35 qui
iam nunc futuri ſunt, congreget in horrea, & omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate
condatur, ſeruetúrque in vrbibus. 36 Et præparetur futuræ ſeptem annorum fami, quæ

oppreſ-

oppreſſura eſt Aegyptum,& non conſumetur terra inopia. 37 Placuit Pharaoni conſilium,
& cunctis miniſtris eius: 38 locutuſque eſt ad eos: Num inuenire poterimus talem virum,
qui ſpiritu Dei plenus ſit? 39 Dixit ergo ad Ioſeph: Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ
Pſal. 104. b. 21. 1. Mac. 2. f. 53. Act. 7. b. 2. locutus es, numquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero? 40 Tu eris ſuper
domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantum regni ſolio te
præcedam, 41 Dixitque rurſus Pharao ad Ioſeph. Ecce, conſtitui te ſuper vniuerſam
terram Aegypti. 42 Tulitque annulum de manu ſua,& dedit eum in manu eius: veſtiuitque
eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit. 43 Fecitque eum aſcendere
ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, &
præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ Terræ Aegypti. 44 Dixit quoque rex ad Ioſeph. Ego
ſum Pharao, abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra
Aegypti. 45 Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca, Saluatorem mun-
di. Deditque illi vxorem Aſenerh filiam Putiphare ſacerdotis Heliopoleos. Egreſſus eſt
itaque Ioſeph ad terram Aegypti (46 triginta autem annorum erat quando ſtetit in con-
ſpectu regis Pharaonis) & circuiuit omnes regiones Aegypti, 47 Venitque fertilitas ſe-
ptem annorum, & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Aegypti. 48
Omnis etiam frugum abundantia in ſingulis vrbibus condita eſt. 49 Tantaque fuit abun-
Inf. 48. c. 20. 49. a. 5. dantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet. 50 Nati ſunt
autem Ioſeph filij duo antequam veniret fames, quos peperit ei Aſeneth filia Putiphare ſa-
cerdotis Heliopoleos. 51 Vocauitque nomen primogeniti. Manaſſes, dicens: Obliuiſci
me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. 52 Nomen quoque ſecun-
di appellauit Ephraim, dicens: Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. 53 Igi-
tur tranſactis ſeptem vbertatis anni, qui fuerant in Aegypto: 54 cęperunt venire ſeptem
anni inopiæ: quos prædixerat Ioſeph, & in vniuerſo orbe fames præualuit, in cuncta autem
terra Aegypti panis erat. 55 Qua eſuriente, clamauit populus ad Pharaonem, alimenta
petens. Quibus ille reſpondit: Ite ad Ioſeph, & quidquid ipſe vobis dixerit, facite. 56
Creſcebat autem quotidie fames in omni terra, aperuitque Ioſeph vniuerſa horrea, & ven-
debat Aegyptijs: nam, & illos oppreſſerat fames. 57 Omneſque prouinciæ veniebant in
Aegyptum, vt emerent eſcas, & malum inopiæ temperarent.

VERSVS I. *Poſt duos annos vidit Pharao ſomnium: putabat ſe ſtare ſuper fluuium, &c.*

Fertilitas omnis in Ægypto ex inundatione Niliaca deriuatur. Pingues vaccæ quæ in remotis à Nilo Paluſtribus locis: paſcebantur, maximam fluuij exundantiam indicabant. Septem aliæ Boues, Nilo parum excreſcente, poterant in ipſa amnis ripa, virentia perquirere. Cum parum exundat Nilus ſterilitatem, cùm multùm, vbertatem promittit; In frugibus, & pecoribus intelligitur victus omnis. Igitur opportuniſſima fuere ſomnia; vtpotè tamquam [A] diuinitùs ſub ijs ſimilitudinibus Pharaoni oſtenſa; quamquàm non ideo Propheta potuerit dici; quia ſpicæ illæ, & Boues non illi demonſtrabantur [B] vt res quædam, ſed ſolùm, vt ſimilitudines alicuius, quod non capiebat, Significabant enim ſeptem illæ ſpicæ, vt recolitur 2. 2. 174. a. 3. ſeptem annos vbertatis.

A de veritate 12. a. 7. c.

B loco citato a. 10. ad 14.

VERSVS XLI. *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti.*

Portabat Ioſeph etiam ſceptrum [C] tanquam Præfectus Ægypti: idque in ſignum poteſtatis Chriſti. Triginta autem annorum erat, quando ſtetit in conſpectu Pharaonis,) vt hic dicitur. Decuit, vt perfecta in ætate gubernacula Regni [D] ſuſciperet, Sicut Dauid 2. Regum 5. *triginta annorum erat cum regnare cœpiſſet.* Ezechiel trigeſimo anno cœpit prophetare. Ioannes baptizare. Chriſtus baptizari, & prædicare. Per quod datur intelligi, quòd ad nullum officium debèt aliquis aſſumi, ante perfectam ætatem. Conſurgit autem trigenarius numerus, ex ductu ternarij in denarium: per ternarium autem intelligitur fides Trinitatis; per denarium impletio mandatorum legis: & in his duobus perfectio Chriſtianæ vitæ conſiſtit.

2

C Hebr. 11. l. 5.

D Matth. 3. & 1. p. 19. a.

VERSVS XLV. *Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem Mundi, deditque illi vxorem Aſeneth filiam Putiphare.*

Quia vt dicitur in fine capitis: omnes Prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerēt eſcas, meritò ſibi tale nomen promeruit. Tirinus in expoſitione idiotiſmorum linguæ Hebraicæ, & Græcæ ait, corruptè Septuaginta habere *pſonthomphanech*, creditque *tzafnat pangneach*, in Hebraica eſſe lingua, *Saluatorem Mundi*: ſed nota, id ſonare voces inſertas caracteribus Hebræis, non Hebraica, ſed Ægyptiaca lingua, qua locutus creditur Pharao, vertendo nomen Ioſeph. Quis ſcit an abſque myſterio, ſicut & Caiphas, *prophetauit neſciens? omnia contingebant*, inquit Paulus, *in figura*. Sic Moyſes Num. 13. *vocauit Oſee filium Nun, Ioſue*: quæ quidem vox ſonat Saluatorem. Quoniam verò, vt ait Chryſoſtomus relatus 3. p. 46. a. 3. *in Cruce expanſis manibus, mortuus eſt Chriſtus, vt altera manu veterem populum, altera, eos, qui ex gentibus ſunt, trahat*, tùm AEgyptiaca pro gentibus, tùm Hebræa pro Iudæis lingua *Saluator* nominatur. Docemur ſanctos [E] cauſam eſſe cur mundus non pereat. Geneſis 19. *Si inuenero ibi iuſtos*, &c. Hieronymus putat quòd ſit idem Putiphar, qui pri-

E Serm. de Sancto Simone, & Iuda.

mò

mò Iofeph emit, & carcerauit. Sed fancto Augustino [I] credibilius videtur, vt fit alter ab illo, cuius Iofeph fuit feruus. (I fupr. c. 37. & hic.)

VERSVS LI. *Vocauitque nomen primogeniti Manaffes dicens; obliuifci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus Patris mei.*

Impofuit primogenito hoc nomen ab euêtu, [G] eoquòd euenerat, vt obliuifceretur, &c. *Manaffes* ergò interpretatur *obliuio*; quia [H] qui iam perfectè Deum cognofcit, iftorum temporalium obliuifcitur. (G 3.p.17. H Matth.)

Præ alijs fenfibus myfticis, ait fanctus Doctor [I] quòd licèt per fpicas, & boues idem fignificetur, iuxta Iofeph interpretationem: fit tamen hoc fub varia ratione; nam prout per dona gratiæ vel fapientiæ, ad fortia virtutum, & fanctæ agriculturæ opera roboramur; tunc dona ipfa defignantur per boues: prout verò per ipfa reficimur, & fatiamur, defignantur per fpicas. In quantùm autem dicuntur percufsè *vredine* fpicæ; nota pro vredine, vt mox dicemus, ex opufculo 58. intelligi ventum vrentem; & hic ventus præ alijs exponitur [L] de peruerfitate hæreticorum, vnde confurgit tentatio, & tribulatio. Radicem autem diuerfitatis fpicarum aptat Angelicus reprobis & prædeftinatis: [M] *feptem fpicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque pulcherrimæ, & feptem aliæ de ftipula oriebantur, tenues, & percuffæ vredine*, ideft, vento vrente, qui fcilicet eas infirmauit & denigrauit. Septem fpicæ deformes fignant omnes reprobos, cum magna deformitate, in iudicio apparentes: feptem pulcherrimæ omnes electos; cum gloriofis corporibus refurgentes: Chrifto, adde, configuratos; qui in afcenfione fublimatus in Cœlo, quemadmodum Iofeph, quatuor infignia regalia à Deo [N] Patre accepit. Primum eft plenitudo operatiuæ poteftatis: *data eft mihi*, Matthæi vltimo, *omnis poteftas*: & hæc eft ficut *annulus* fumptus in manu diuinæ eius potentiæ. Secundum eft, refulgentia claritatis gloriofi Corporis; & hęc eft *ftola biffina*. Tertium eft æterna iucunditas; & hæc eft *torques aurea*; & in collo, in quo eft vis deguftatiua. Quartum eft eius fublimis feffio, & fuperambulatio: & hic eft *currus fecundus*; quamuis in quantùm Deus fedebat cum Patre in æternitate in curru primo. Per Afeneth verò filiam Sacerdotis Eliopoleos, Romana defignatur Ecclefia; quæ facta eft Eliopolis, ideft ciuitas Solis, in quantùm Chriftus Sol fapientię & Iuftitię fedem fuam fixit in illa. Alia hic in Sancto Doctore mira. Linquamus terrenam cupiditatem [O] quæ per famem in Ægypto mundi huius fignificatur; & ad cœli horrea curramus.

(I D. Th. hic. L Sermone Dominicæ post Epiph. ex Euang. M op. 58. c. 3. N D.Th. hic. O Apoc. 6. comm. 1. poft medium.)

CAPVT XLII.

1 AVdiens autem Iacob quod alimenta venderentur in Aegypto, dixit filijs fuis:
Quare negligitis? 2 audiuique triticum venundetur in Aegypto, defcendite,
& emite nobis neceffaria, vt poffimus viuere, & non confumamur inopia. 3
Defcendentes igitur fratres Iofeph decem, vt emerent frumenta in Aegypto. 4 Beniamin
domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quidquam patiatur
mali: 5 ingreffi funt terram Aegypti cum alijs, qui pergebant ad emendum. Erat autem
fames in terra Chanaan, 6 Et Iofeph erat princeps in terra Aegypti, atque ad eius nutum
frumenta populis vendebantur. 7 Cumque adoraffent eum fratres fui, & agnouiffet eos,
quafi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos. Vnde veniftis? Qui refponderunt.
De terra Chanaan vt ememus victui neceffaria. 8 Et tamen fratres ipfe cognofcens, non
eft recognitus ab eis. 9 Recordatufque fomniorum, quæ aliquando viderat: ait ad eos:
Exploratores eftis: vt videatis infirmiora terræ veniftis. 10 Qui dixerunt: Non eft ita,
domine, fed ferui tui venerunt vt emerent cibos. 11 Omnes filij vnius viri fumus: pacifici
venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. 12 Quibus ille refpondit: Aliter
eft: immunita terræ huius confiderare veniftis. 13 At illi: Duodecim, inquiunt, ferui tui,
fratres fumus, filij viri vnius in terra Chanaan: minimus cum patre noftro eft, alius non eft
fuper. 14 Hoc eft: ait, quod locutus fum: Exploratores eftis. 15 Iam nunc experimentum
veftri capiam per falutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vefter
minimus. 16 Mittite ex vobis vnum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec
probentur, quæ dixiftis vtrum vera an falfa fint: alioquin per falutem Pharaonis exploratores
eftis. 17 Tradidit ergo illos cuftodiæ tribus diebus. 18 Die autem tertio eductis de
carcere ait, Facite quæ dixi, & viuetis. Deum enim timeo. 19 Si pacifici eftis, frater vefter
vnus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta quæ emiftis in domos veftras,
20 & fratrum veftrum minimum ad me adducite, vt poffim veftros probare fermones, & non moriamini. Fecerunt vt dixerat, 21 & locuti funt ad inuicem: Meritò hæc Infr. 43. a.5.
patimur, quia peccauimus in fratrem noftrum, videntes anguftiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcircò venit fuper nos ifta tribulatio. 22 Et quibus vnus Ruben, ait: Numquid non dixi vobis? Nolite peccare in puerum, & non audiftis me? Supr. 37. c.22.
en fanguis eius exquiritur. 23 Nefciebant autem quod intelligeret Iofeph: eoquod per
interpretem loqueretur ad eos. 24 Auertitque fe parumper, & fleuit: & reuerfus locutus
eft ad eos. 25 Tollenfque Simeon, & ligans illis præfentibus, iuffit miniftris, vt implerent
eorum faccos tritico, & reponerent pecunias fingulorum in facculis fuis, datis fupra cibarijs

in viam: qui fecerunt ita, 26 At illi portantes frumenta in afinis fuis, profecti funt. 27
Apertoque vnus facco, vt daret iumento pabulum in diuerforio contemplatus pecuniam
in ore facculi, 28 dixit fratribus fuis: Reddita eft mihi pecunia, en habetur in facco. Et
obftupefacti, turbatique mutuo dixerunt. Quidnam eft hoc quod fecit nobis Deus? 29
Veneruntque ad Iacob patrem fuum in terram Chanaan, & narrauerunt ei omnia, quæ ac-
cidiffent fibi, dicentes. 30 Locutus eft nobis dominus terræ durè, & putauit nos explo-
ratores effe prouinciæ. 31 Cui refpondimus: Pacifici fumus, nec vllas molimur infidias.
32 Duodecim fratres vno patre geniti fumus: vnus non eft fuper, minimus cum patre no-
ftro, eft in terra Chanaan. 33 Qui ait nobis: Sic probabo, quod pacifici fitis, Fratrem
veftrum vnum dimittite apud me, & cibaria domibus veftris neceffaria fumite, & abite,
34 fratremque veftrum minimum adducite ad me, vt fciam quod non fitis exploratores: &
iftum, qui tenetur in vinculis, recipere poffitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis li-
centiam. 35 His dictis, cum frumenta effunderent, finguli repererunt in ore faccorum
ligatas pecunias: exterritifque fimul omnibus, dixit pater Iacob: 36 Abfque liberis me
effe feciftis, Iofeph non eft fuper, Simon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis: in me
hæc omnia mala reciderunt. 37 Cui refpondit Ruben: Duos filios meos interfice fi non
reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, & ego eum tibi reftituam. 38 At ille: Non
defcendit, inquit, filius meus vobifcum: frater eius mortuus eft, & ipfe folus remanfit: fi
quid ei aduerfi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad
inferos.

VERSVS VI. *Cumque adoraffent eum fratres fui &c.*

Adorant Proregem adoratione duliæ, [A] quæ eft veneratio exhibita rationali creaturæ, maximè Prælatis, qui tenent locum Dei. Sanè dulia ex 2. 2. 103. a. 3. debitam feruitutem exhibet homini dominanti, nam *dulia* græcè latinè, *feruitus* dicitur: quid mirum, dominantem in Ægypto Iofeph fic honorarēt? ideò præmittitur, *& Iofeph erat Princeps in terra Ægypti.* Adoratio latriæ propria eft Dei. Agnofcit eos Iofeph: at non illum agnofcunt fratres. Dei id arbitror nutu tenentis eorum oculos, ne ipfum agnofcerent, ijs de caufis, quæ ex fequentibus piè trahi poffunt.

A Apoc. 1. comm. 2.

VERSVS VII. *Quafi ad alienos durius loquebatur.*

Intus fine dubio erat dulcedine cordis commotus: vnde paulo poft, *auertit fe parumper & fleuit*: larga manu illis frumenta donauit; & c. 43. cum Beniamin fratrem fuum vterinum vidiffet, *commota funt vifcera eius fuper fratre fuo, & erumpebant lacrymæ: & introiens in cubiculum fleuit; rurfum que lota facie, egreffus continuit fe. Non benè conueniunt, nec in vna fede morantur maieftas & Amor.*

VERSVS XV. *Per falutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vefter minimus.*

1 Cum gloffa Matthæi 5. fuper illa Saluatoris verba, *neque per cælum, quia thronus Dei eft; neque per terram.* &c. dicat, *non iuremus per creaturas*; ftatim quæritur, quomodo iurauerit Iofeph per falutem Pharaonis; fed Refpondet [B] S. Doctor, quòd iurauit, poteftatem eius à Deo, atque falutem cognofcens; ergo non fuit iurare per creaturam, fed per Deum, in cuius manu falus eft omnium. Explicat hoc magis alibi [C] dicens; per creaturam iuratur, non in quantùm eft talis, fed in quantùm in ipfa relucet aliquod indicium diuinæ poteftatis; quia enim *omnis poteftas à Deo eft*, Romanorum 13. in quantùm aliquis exercet poteftatem fuper aliquam multitudinem; fi iuratur per ipfum, iuratur per Deum, cuius poteftas in ipfo relucet; & fic iurauit Iofeph, *per falutem Pharaonis*. Et hic modus iurandi, eft per atteftationem; nàm principaliter refertur iuramentum ad ipfum Deum; quemadmodum aiebat Apoftolus Rom. 1. *teftis eft mihi Deus*; quod idem eft, ac fi dicatur; *coram* [D] *Deo*, vel *per Deum*; quod idem eft, vt ait Auguftinus. Alius eft modus iurandi execratorius, cùm fcilicet aliquis femetipfum, vel aliquid ad fe pertinens obligat ad pœnam, in quo diuinum iudicium exerceatur, nifi fit verum quod dicit: ficut Apoftolus iurauit 2. ad Corinthios 1. *teftem Deum inuoco in animam meam*, quafi dicat, obligo animam meam pro teftimonio, pro quo ipfum nomen Dei affumo; & illud eft grauiffimum. Sic folet homo iurare per caput fuum, aut per filium fuum, [E] aut per aliquam aliam rem, quam diligit. Iuramentum itaque Iofeph, vtroque poteft intelligi modo, vel per modum execrationis, quafi falutem Pharaonis obligauerit Deo: vel per modum conteftationis, quafi conteftando veritatem diuinæ iuftitiæ, ad cuius executionem Principes terræ conftituuntur. Hic D. Thomas docuit accipi per conteftationem dicens: iurat per falutem Pharaonis, tanquam in Pharaone, venerans regiam poteftatem, [F] fibi à Deo datam: & tanquam per quendam notabilem Dei effectum, qualis vtique erat Pharaonis vita, & falus; quæ certò erat fibi chara, amabilis, ac venerabilis. Hunc autem modum iurandi fignanter affumpfit, ad fe magis occultandum; vtque terreret eos magis, audita auctoritate Pharaonis, ipfiufque Iofephi cum illo familiaritate, quam ex tali iuramento conijcere poterant. Bis autem affumit Iofeph iuramentum, *per falutem Pharaonis*, priùs dicens *non egrediemini hinc, donec veniat frater vefter minimus*. Et quia poft tres dies folus Simeon retentus carcere fuit: dicendum eft, vel iuramentum execratorium, vel conteftatiuum, comminatorium quoque fuiffe; ac fi dixiffet, *comminor vobis omnibus carcerem*, &c. quod non cogit mandari executioni; maximè cum re melius infpecta, fecùs expedire dignofcitur. Vel Sinecdochicè iurat, plu-

B Matth. 5.

C Hebr. 6. l. 4.

D Ioco citato & 2. 2. 89. a. 1.

E 3. d. 39. 6.

F D. Th. hic.

res pro vno accipiendo. Secundò iurauit dicens; *alioquin per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis*, cuius eſt ſenſus; niſi quæ dicta ſunt à vobis de natu minimo fratre, re comprobetis, iuro *exploratores eſtis*; ideſt habendi eſtis; vel prudenter vnuſquiſque de vobis poterit id ſuſpicari. Priùs autem non aſſertiuè dixit eos exploratores; ſed tentatiuo veluti modo: vt inde nactus occaſionem, cum ipſis diſceptaret: & perterriti auctoritate, venditionis recolerent facinus, ac deteſtarentur: tandemque maiori gaudio, prouidentiæ diuinæ ordinem mirarentur. Videatur hic D. Thomas. Quàm clemens, quàm largus eſt Ioſeph in fratres, qui poteſt facilè vlciſci! atqui non ſumit vindictam, qui timet Deum, quod ipſe ait, *Deum enim timeo. Amor verſutias docet*. Lege infrà c. 45. & mellea ipſius viſcera deprehendes.

VERSVS XXXVIII. *Si quid ei aduerſitatis acciderit, in terra ad quam pergitis, deducitis canos meos cum dolore ad inferos.*

Leges c. 44. quod Pater dixit, ſub his verbis referri à Iuda; *deducetis canos meos, cum mœrore ad inferos*: Dolor ac mœror triſtiſſimum tenuiſſent Patrem. Quocircà ait S. Doctor; [a] Auguſtinus ſuper Geneſin ad literam, dicit, quòd *Iacob videtur hoc timuiſſe, ne nimia triſtitia ſic perturbaretur, vt non ad requiem beatorum iret, ſed ad inferos peccatorum*. Alibi tamen aliter expoſuit, [b] Ad inferos, ideſt in limbum, vel in mortem; ſic enim accipitur infernus aliquando in Sacra Scriptura, vt patet hoc loco. Sanè Eleazarus generoſo, & inflexibili animo reſpondit 2. Machabæorum 6. *præmitti ſe velle in infernum*, potius, quàm contra legem quidpiam ſimulare.

[a] ...; de ma... q. 11. a. ... cont. & ... 45. 1. 2.

[b] ... 2. Machab. c. 5.

Ad præmiſſa verſu 3. *deſcenderunt fratres Ioſeph, vt emerent frumenta*. Pulcherrimè tangit Angelicus [k] tropum amoris, de quo mox dicetur. Interim animaduerto ipſos recolens, quomodo non poterant hunc amorem commutatione recipere, quia oderant eum: propterea ipſe eis gratis dat, reſpuitque phyſicam emptionem pecunia, dum moralem non rependunt fraterni amoris. *In Saccis*, hoc eſt, externo corporis obſequio, atque *in ore Sacculi*, humanis verbis, redamare noſcuntur: atqui non excipiuntur ad panem, niſi duplici cum pecunia redeant, niſi diſpoſiti ad vices rependendas, ex animo, rurſus accedant. Conceptis verbis hæc ſcribit, citato opuſculo D. Thomas. In pane triplex vnio attenditur, per quam triplex fraternitas, ſiuè cauſa, & vinculum amoris, quod inter fideles eſſe debet, ſignificatur. Primò grana nobilia, & ſimilia colliguntur. Secundò farina conſpergitur per aquam, & paſta conficitur. Tertiò vt panis ſolidus fiat, igne decoquitur. Primum, ſcilicet grana ſimilia, ſignificant fraternitatem, & amorem naturalem; quia omnes de vno, & primo Parente ſumus nati. Secundum, ſcilicet paſta, quæ eſt farina aqua perfuſa, ſacramentalem; quia vno ſacramento baptiſmali ſumus regenerati. Tertium ſcilicet panis igne ſolidatus, ſpiritualem; quia vno ſpiritu, ſcilicet ad vnam Chriſtianam Religionem; ſumus congregati. De primo, Geneſis 42. *deſcenderunt fratres Ioſeph, vt emerent frumenta in Aegypto*; quia humiliauerunt ſe fideles, vt amorem naturalem omnium hominum acquirerent. De ſecundo, 1. ad Corinth: 5. *ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azimi*, ideſt vnum quid per dilectionem Sacramentalem. De tertio, Exodi 12. *coxerunt farinam conſperſam, & fecerunt panes*; ideſt profecerunt vſque ad dilectionem ſpiritualem. Quid mirum, ſi nouo ænigmate nititur Ioſeph fratres ad ſpiritalem charitatis amorem reuocare? Iubet ſcyphum ſuum argenteum in ore ſacci iunioris, nimirum Ben-iamin (idque c. 44.) poni. Quoniam autem potu & poculo, ſolet in ſacris literis adumbrari charitas; *introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*: ſic res geſta eſt, vt ſcyphus in horum typum abſconderetur, quaſi furtim ſublatus; ex quo, cæteri tanquam dilectionem charitatis non reciprocantes inſimularentur furti. Ecce quomodo reuelatur in textu c. 44. *quare reddidiſtis malum pro bono?* Ben-iamin qui fur moraliter, fur inquam amoris, haud debuit pati calumniam; eoquòd fratrum reſpōſa in eum non quadrant, *vt ſerui tui tantum flagitij commiſerint; pecuniam, quam inuenimus in ſummitate ſaccorum, reportauimus ad te*. ſemperque pluraliter eos reprehendit; *cur ſic agere voluiſtis* &c. Beniamin autem quem etiam, ſi furto deprehenderetur, morti obtulerant, ſeruum ſibi aſciſcit Ioſeph, vtique fidelem faſſus: *ipſe ſit ſeruus meus*. Hic ſanè prædilectus fuerat Ioſeph, cui partem maiorem in conuiuio cap. 43. facit obuenire. Cæteri ſine charitate fratres panem comedunt, prout litera ſonat: Ben iamin panem myſticum recipit. Lucæ 11. *quis ex vobis Patrem petit panem*, [l] ideſt charitatem ait S. Doctor; nam ex Auguſtino, cum ſit præcipuus inter cibos panis, ſupremam virtutum poteſt ſignificare. Huic parti correſpondet pars gloriæ. Quocircà Ioannis 13. *non habebis partem mecum, ſi non lauero te*, dixit Dominus. Recipit autem quinquies maiorem partem, quia naturalem amorē quinquies excedit charitas, qua Deùs primò, deinde in Deo proximus diligitur: *in toto corde, in tota anima, in tota mente, ex tota virtute ſeu fortitudine, & ex omnibus viribus iuſti*. Moralem allegoriam de acceſſu animæ ad Deum cùm omnibus circunſtantijs, quæ acciderunt in hoc capite filijs Iacob, lege mirificè hinc erutam à Diuo Thoma, infra [m] c. 45. Ne deſit Beniamin, ideſt exceſſus humilitatis, ſiue contemptus, ſui, & Mundi, &c.

[k] ... op. 55. ... 9.

[l] L Matth. 7.

[m] M D. Th. hic c. 45.

C A P V T X L I I I.

1 INterim fames omnem terram vehementer premebat. 2 Conſumptiſque cibis, quos
ex Aegypto detulerant, dixit Iacob ad filios ſuos: Reuertimini, & emite nobis pauxillum eſcarum. 3 Reſpondit Iudas: Denunciauit nobis vir ille ſub atteſtatione
iuriſiurandi, dicens. Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum. 4 Si ergo vis eum mittere nobiſcum, pergemus pariter, & ememus tibi ne-

ceſſaria: 5 ſin autem non vis, non ibimus: vir enim, vt ſæpe diximus, denunciauit nobis
Supr. 42. d.10. dicens: Non videbitis faciem meam abſque fratre veſtro minimo. 6 Dixit eis Iſrael: In
meam hoc feciſtis miſeriam, vt indicaretis ei, & alium habere vos fratrem. 7 At illi re-
ſponderunt: Interrogauit nos homo per ordinem noſtram progeniem, ſi pater viueret: ſi
haberemus fratrem; & nos reſpondimus ei conſequenter iuxta id, quod fuerat ſciſcitatus,
numquid ſcire poteramus, quòd dicturus eſſet: Adducite fratrem veſtrum vobiſcum?
8 Iudas quoque dixit patri ſuo: Mitte puerum mecum, vt proficiſcamur, & poſſimus viue-
Infr. 44. E.12. re: ne moriamur nos, & paruuli noſtri. 9 Ego ſuſcipio puerum: de manu mea require
illum, niſi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. 10 Si
non intercesſiſſet dilatio, iam vice altera veniſſemus. 11 Igitur Iſrael pater eorum dixit ad
eos: Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis: ſumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris,
& deferte viro munera, modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi, &
amygdalarum. 12 Pecuniam quoque duplicem ferte vobiſcum, & illam, quam inueniſtis
in ſacculis, reportate, ne fortè errore factum ſit: 13 ſed & fratrem veſtrum tollite, & ite
ad virum. 14 Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem: & remittat vo-
biſcum fratrem veſtrum, quem tenet, & hunc Beniamin: ego autem quaſi orbatus abſque
liberis ero. 15 Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin: deſcen-
deruntque in Aegyptum, & ſteterunt coram Ioſeph. 16 Quos cum ille vidiſſet, & Benia-
min ſimul, præcepit diſpenſatori domus ſuæ, dicens: Introduc viros domum, & occide
victimas, & inſtrue conuiuium: quoniam mecum ſunt comeſturi meridie. 17 Fecit ille
quod ſibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum. 18 Ibique exterriti, dixerunt
mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus prius in ſaccis noſtris, introducti ſumus: vt de-
uoluat in nos calumniam, & violenter ſubijciat ſeruituti, & nos, & aſinos noſtros. 19 Quam-
obrem in ipſis foribus accedentes ad diſpenſatorem domus 20 locuti ſunt: Oramus domi-
Supr. 24. a.3. ne vt audias nos. Iam ante deſcendimus, vt emeremus eſcas, 21 quibus emptis, cum ve-
niſſemus ad diuerſorium, aperuimus ſaccos noſtros, & inuenimus pecuniam in ore ſacco-
rum: quam nunc eodem pondere reportauimus. 22 Sed & aliud attulimus argentum, vt
emamus, quæ nobis neceſſaria ſunt: non eſt in noſtra conſcientia, quis poſuerit eam in mar-
ſupijs noſtris. At ille reſpondit: Pax vobiſcum, nolite timere: Deus veſter, & Deus pa-
tris veſtri dedit vobis theſauros in ſaccis veſtris, nam pecuniam, quam dediſtis mihi, pro-
batam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon. 24 Et introductis domum, attulit aquam,
& lauerunt pedes ſuos, deditque pabulum aſinis eorum. 25 Illi verò parabant munera,
donec ingrederetur Ioſeph meridie: audierant enim quod ibi comeſturi eſſent panem. 26
igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus
ſuis: & adorauerunt proni in terram. 27 At ille clementer reſalutatis eis, interrogauit eos,
dicens: Saluus ne eſt pater veſter ſenex, de quo dixeratis mihi? Adhuc viuit? 28 Qui
reſponderunt: Soſpes eſt ſeruus tuus pater noſter, adhuc viuit. Et incuruati, adorauerunt
eum. 29 Attollens autem Ioſeph oculos, vidit Beniamin fratrem ſuum vterinum, & ait:
Iſte eſt frater veſter paruulus, de quo dixeratis mihi? Et rurſum: Deus, inquit, miſereatur
tui, fili mi. 30 Feſtinauitque quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo, & erum-
pebant lacrymæ: & introiens cubiculum fleuit. 31 Rurſumque lota facie egreſſus, conti-
nuit ſe, & ait: Ponite panes. 32 Quibus appoſitis ſeorſum Ioſeph, & ſeorſum fratribus,
Aegyptijs quoque qui veſcebantur ſimul, ſeorſum (illicitum eſt enim Aegyptijs comedere
cum Hebræis, & profanum putant huiuſcemodi conuiuium,) 33 ſederunt coram eo pri-
mogenitus iuxta primogenita ſua, & minimus iuxta ætatem ſuam. Et mirabantur nimis,
34 ſumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque
partibus excederet. Biberuntque, & inebriati ſunt cum eo.

VERSVS XVI. *Præcepitque diſpenſatori domus ſuæ dicens: introduc victimas, & inſtrue conuiuium.*

Pullos, Capones, Lepores, Perdices pro conuiuio paratos credendum eſt; non autem Boues, Capras, aut Oues; quia hæc A animalia apud Ægyptios abominabilia erant ad occidendum, Oues enim colebant, Hircos venerabantur; eo quòd in illorum figura Dæmones apparebant: Bobus autem vtebantur ad agriculturam, quam inter res ſacras habebant. Propter morem Hebræorum contrarium cædendi iſta animalia, nefas apud illos erat eidem menſæ cum Hebræis ſedere; ideò vt dicitur in calce capitis, *veſcebantur ſeorsùm*.

A 1 p. 2. 201. 3. ad 2. & infrà q.46.

VERSVS XXII. *Non eſt in noſtra conſcientia, quis poſuerit eam in marſupijs noſtris.*

Conſcientia hic ſumitur prout dicit applicationem notitiæ ad actum: B ideſt, neſcimus, quis hoc fecerit; notitia noſtrum omnium non eò pertingit, vt actus eiuſmodi, ſenſum vel memoriam poſſit habere. De conſcientia p. p. q. 79. a. 13.

B de ... 17.1.c.

VERSVS XXIV. *Biberuntque, & inebriati ſunt cum eo.*

Docet D. Auguſtinus, quòd hoc verbum ſæpe

po-

C D.Th. hic.

ponitur pro satietate [C] sic in ps. 64. *visitasti terram, & inebriasti eam*. Et iterum, *riuos eius inebrians*. Repetit hoc ipsum, ad Canticorum 5. *bibite & inebriamini charissimi*, dicens, ebrietas aliquando [D] pro saturitate ponitur in scripturis; & hunc affert locum, *biberunt, & inebriati sunt coram eo*.

D Cantic. 5.

Ad versum 11. allegoriam notat Angelicus [E] *sumite de optimis terræ frugibus; & deferte viro munera*. Verbum est ad Patriarchas, idest ad Apostolos; quorum quilibet portauit munus suum, idest populum per se conuersum. Et ecce quomodo in primo egressu, Beniamin non erat inter eos: de tribu Beniamin fuit Paulus, qui dixit de se; *ego enim sum minimus Apostolorũ*. Detulerunt omnes viro munera; cur non dicit Protegi? qui hæc iubet non dicitur Iacob, sed Israel; quod signat, diuinitùs ita appellatum, supra naturam quoque esse locutum. Quis est vir iste, nisi Christus Dominus toties in sacris literis vir vocatus? *mulier circumdabit virum; Despondi vos vni viro*, de quo suis locis. Beniamin, idest Paulus, præ cunctis portat scyphum; quia ipse est Vas electionis; in quo auguratus est Dominus (quod dicitur capite sequenti) [F] futuras iniquitates iniquorum; resurrectionem mortuorum; pœnas reprobotum; & gaudia Beatorum; propinans vinum; mordicans corrigendo; lætificans consolando; inebrians prædicando.

E Serm. in Conuersione Sancti Pauli.

F Serm. citato & hic c. 45.

Aduerso sensu Ioseph assimilat S. Thomas Ecclesiam, quæ inquit si habeat [H] humilitatem & patientiam, omnes suos filios, & qui eam persecuti sunt, humiliatos videbit venire ad se, curuosque adorare: *& incuruati adorauerunt eũ. Regale quippe est Ecclesiæ Sacerdotium*. 1. Petri 2. In his, & huiusmodi præ oculis est habendum, quod animaduertit Angelicus, non [H] oportere diuina mysteria iuxta continuationem historiæ semper sibi inuicem continuari: Immò ex Richardo [I] solet scriptura diuina, nunc significationem extendere, nunc restringere, vel mutare. Quæ ab Ioseph in hoc capite 43. aguntur in fratres, in animam humilem ad Deum venientem moraliter aptantur, a D. Thoma infra [L] cap. 45. eodem.

G Apoc. 5. primo commentario.

H D.Th. supr. cap. 38. in calce.

I D.Th. hic c. 45.

L D.Th. hic c. 45.

CAPVT XLIV.

1 PRæcepit autem Ioseph dispensatori domus suæ, dicens: Imple saccos eorum fru-
mento, quantum possunt capere: & pone pecuniam singulorum in summitate
sacci. 2 Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone
in ore sacci iunioris: Factumque est ita. 3 Et orto mane, dimissi sunt cum asinis suis. 4
Iamque vrbem exierant, & processerant paululum: tunc Ioseph accersito dispensatore do-
mus, Surge, inquit, & persequere viros: & apprehensis dicito: Quare reddidistis malum
pro bono? 5 Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit dominus meus, & in quo
augurari solet: pessimam rem fecistis. 6 Fecit ille vt iusserat. Et apprehensis per ordinem
locutus est. 7 Qui responderunt: Quare sic loquitur Dominus noster, vt serui tui tantum
flagitij commiserint? 8 Pecuniam, quam inuenimus in summitate saccorum, reportauimus
ad te de terra Chanaan: & quomodo consequens est, vt furati simus de domo domini tui,
aurum vel argentum? 9 Apud quemcumque fuerit inuentum seruorum tuorum quod quæ-
ris, moriatur, & nos erimus serui domini nostri. 10 Qui dixit eis: Fiat iuxta vestram
sententiam: apud quemcumque fuerit inuentum, ipse sit seruus meus, vos autem eritis in-
noxij. 11 Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. 12 Quos
scrutatus, incipiens à maiore vsque ad minimum, inuenit scyphum in sacco Beniamin. 13
At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reuersi sunt in oppidum. 14 Primusque
Iudas cum fratribus ingressus est ad Ioseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante
eum pariter in terram corruerunt. 15 Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignora-
tis: quod non sit similis mei in augurandi scientia? 16 Cui Iudas. Quid respondebimus,
inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut iustè poterimus obtendere? Deus inuenit
iniquitatem seruorum tuorum: en omnes serui sumus domini mei, & nos, & apud quem in-
uentus est scyphus. 17 Respondit Ioseph: Absit à me, vt sic agam: qui furatus est scy-
phum, ipse sit seruus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum. 18 Accedens au-
tem propius Iudas, confidenter ait: Oro domine mi, loquatur seruus tuus verbum in au-
ribus tuis, & ne irascaris famulo tuo: tu es enim post Pharaonem dominus meus. 19 In- Supr. 42. c. 11.
terrogasti prius seruos tuos: Habetis patrem, aut fratrem? 20 & nos respondimus tibi
domino meo: Est nobis pater senex, & puer paruulus, qui in senectute illius natus est: cu-
ius vterinus frater mortuus est: & ipsum solum habet mater sua, pater verò tenere diligit
eum. 21 Dixistique seruis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum.
22 Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum
dimiserit, morietur. 23 Et dixisti seruis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, Sup. 43. 2. 3. & 5.
non videbitis amplius faciem meam. 24 Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum pa-
trem nostrum, narrauimus ei omnia, quæ locutus est dominus meus. 25 Et dixit pater no-
ster: Reuertimini, & emite nobis parum tritici. 26 Cui diximus: Ire non possumus, si

frater noſter minimus deſcenderit nobiſcum, proficiſcemur ſimul: alioquin illo abſente,
Sup. 17. c. 23. & 33. non audemus videre faciem viri. 27 Ad quæ ille reſpondit. Vos ſcitis quod duos genue-
rit mihi vxor mea. 28 Egreſſus eſt vnus, & dixiſtis: Beſtia deuorauit eum, & hucuſque
non comparet. Si tuleritis, & iſtum, & aliquod ei in via contigerit, deducetis canos meos
cum mærore ad inferos. 30 Igitur ſi intrauero ad ſeruum tuum patrem noſtrum, & puer
defuerit, (cum anima illius ex huius anima pendeat) 31 videritque non eſſe nobiſcum
moríetur, & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos. 32 Ego propriè ſer-
Supr. 43. b. 9. uus tuus ſim, qui in meam hunc recepi fidem; & ſpopondi dicens. Niſi reduxero eum, pec-
cati reus ero in patrem meum omni tempore. 33 Manebo itaque ſeruus tuus pro puero in
miniſterio domini mei, & puer aſcendat cum fratribus ſuis. 34 Non enim poſſum redire
ad patrem meum, abſente puero: ne calamitatis, quæ oppreſſura eſt patrem meum: teſtis
aſſiſtam.

VERSVS II. *Scyphum autem meum argenteum*, &c.

Voluit Ioſeph de prædilecto fratre curam habere; ac ſolerter dignoſcere, nùm quia prædilectus etiam à Patre; & recèns quintuplici portione dapium prælatus, odio eſſet, quemadmodum fuerat ipſe fratribus ſuis; atque an victus de furto, lubenti animo à fratribus deſtitueretur.

VERSVS V. *Scyphus quem furati eſtis; ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & augurari ſolet.*

1 Secundùm Auguſtinum vulgus ingenium
A D.Th. hic. ſolertiamque [A] Ioſeph demirans, opinabatur ipſum augurijs deuotum: ioco ſubinde friuolum eorum iudicium ridens, paulo poſt ait, an ignoratis quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcien-
B 2. 2. 95. 7. tia? Quærit Angelicus 2. 2. [B] an diuinatio, quæ fit per auguria, & omina, & alias huiuſmodi obſeruationes exteriorum rerum, ſit illicita; & primum proponit argumentum ex hiſce textibus: Reſpondet autem ad primum vt ſuprà: hoc quod Ioſeph dixit, ſecundùm Auguſtinum ioco dixit, non ſeriò, referens fortè hoc ad illud, quod vulgus de eo opinabatur: & ſic etiam diſpenſator eius locutus eſt. Addo: cum diſpenſator ſciret ex iuſſu Ioſeph poſitum in ſacco ſcyphum, vt quid niſi ad terrorem, augurandi magnificae ſcientiam? Sanè augurandi non habet ſpecimen, apertis eorum ſaccis ſcyphum ſcrutari.

Quia tamen vulgi opinio, ſi qua erat, etſi inaniter aucta eſſet, non videtur perperam animis inſediſſe; dicitque diſpenſator *ſolet augurari*, quaſi conſuetudinem ijs verbis prætendat: Dicendum cum alijs, non quidem magum aut ariolum fuiſſe Ioſeph, quod delirus blaſphemat Caluinus, oblitus quomodo præmiſſa Dei mentione ſupra, immiſſa ſomnia expoſuit inſtar Danielis; ſed prudenti ſagacitate præditum: ex qua commenſalium ſuorum indolem, ac mentis arguebat arcana.

VERSVS XX. *Eſt nobis Pater ſenex, & puer paruulus, qui in ſenectute illius natus eſt: cuius vterinus frater mortuus eſt: & ipſum ſolum habet mater ſua.*

Iuxta Hebræum idioma ſecundùm Hieronymum, omnis [C] filius ad comparationem pa- C D.Th. ſup. c. 21. & hic 46.
rentum, infans, & paruulus vocatur. Sic ſupra Geneſis 21. Abraham tradidit Iſmaelem adultũ Agar, qui dicitur puer: vigeſimo etiam ſecundo capite Angelus dixit immolanti Abrahæ Iſaac, *ne extendas manum tuam in puerum*, cùm tamen floridæ eſſet iuuentæ. Fortiùs Benia-min natu minimus, pueri, & paruuli potuit tenera appellatione vocari, (quamuis eſſet viginti triũ annorum) reſpectu fratrum ſuorum.

Verſu eodem *Et ipſum ſolum habet mater ſua.*

Cum mortua ſit Rachel in partu Benia-
min, ait S. Doctor [D] eſt quidam modus loquē- D D.Th. hic.
di. Fortè vt ad pietatem extimuletur Ioſeph, æquiuocatione quadam vnum dumtaxat eſſe ſuperſtitem matris memorant: & licèt dubia pro certis afferat, fuiſſe alterum mortuum; non audet Iudas, quod de Patre dicit de Matre affirmare præmortua, *tenerè diligit eum*. Quædam ſine falſitate interſeruntur de mortuis, cùm non aſſerendo inducuntur: ſicuti ſuprà c. 37. dixit Iacob, *nùm ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram*; ac ſi dixiſſet, quomodo Sol & Luna adorabunt te, ſi præmortua eſt Mater, quam Luna referret?

CAPVT XLV.

1 NOn ſe poterat vltra cohibere Ioſeph multis coram aſtantibus: vnde præcepit vt
egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ. 2 Ele-
uauitque vocem cum fletu: quam audierunt Aegyptij, omneſque domus Pha-
raonis. 3 Et dixit fratribus ſuis: Ego ſum Ioſeph: adhuc pater meus viuit? Non pote-
rant reſpondere fratres, nimio terrore perterriti. Ad quos ille clemente: Accedite, inquit,
Act. 7. b. 13. ad me. Et cum acceſſiſſent prope, Ego ſum ait, Ioſeph, frater veſter, quem vendidiſtis in
Infr. 50. c. 20. Aegyptum. 5 Nolite pauere, neque vobis durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in
his regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Aegyptum. 6 Biennium
eſt enim, quod cœpit fames eſſe in terra: & adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arari
poterit nec meti. 7 Præmiſitque me Deus, vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad viuen-
dum habere poſſitis: 8 Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum: qui fecit

me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra
Aegypti. 9 Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei: Hæc mandat filius
tuus Ioseph: Deus fecit me dominum vniuersæ terræ Aegypti: descende ad me, ne more-
tis, 10 & habitabis in terra Gessen: erisque iuxta me tu, & filij tui, & filiorum tuorum,
oues tuæ, & armenta tua, & vniuersa, quæ possides. 11 Ibique te pascam (adhuc enim
quinque anni residui sunt famis) ne & tu pereas, & domus tua, & omnia, quæ possides. 12
En oculi vestri, & oculi fratris mei Beniamin vident, quòd os meum loquatur ad vos. 13
Nunciate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta, quæ vidistis in Aegypto: festina-
te, & adducite eum ad me. 14 Cumque amplexatus recidisset in collum Beniamin fratris
sui, fleuit: illo quoque similiter flente super collum eius. 15 Osculatusque est Ioseph om-
nes fratres suos, & plorauit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum. 16 Auditum-
que est, & celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Ioseph: & gauisus est
Pharao, atque omnis familia eius. 17 Dixitque ad Ioseph, vt imperaret fratribus suis di-
cens. Onerantes iumenta, ite in terram Chanaan, 18 & tollite inde patrem vestrum, &
cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Aegypti, vt comedatis me-
dullam terræ. 19 Præcipe etiam, vt tollant plaustra de terra Aegypti, ad subuectionem
paruulorum suorum, ac coniugum: & dicito: Tollite patrem vestrum, & properate quan-
tocyus venientes. 20 Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra: quia omnes opes
Aegypti vestræ erunt. 21 Feceruntque filij Israel, vt eis mandatum fuerat. Quibus dedit
Ioseph plaustra, secundum Pharaonis imperium: & cibaria in itinere. 22 Singulis quoque
proferri iussit binas stolas: Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque stolis opti-
mis 23 tantundem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens, & asinos decem, qui
subueherent ex omnibus diuitijs Aegypti, & totidem asinas, triticum in itinere, panesque
portantes. 24 Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via. 25
Qui ascendentes ex Aegypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob. 26
Et nunciauerunt ei, dicentes: Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra
Aegypti. Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis. 27
Illi è contra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra, & vniuersa, quæ
miserat, reuixit spiritus eius, 28 & ait: Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus viuit: va-
dam, & videbo illum antequam moriar.

VERSVS I. *Non se poterat vltra cohibere Ioseph*, &c.

In omnibus quam amanter se gesserit erga fratres, qui piè sacram hanc historiam percurrerit, clarè intelliget. Sanè non nisi amorem, eorum in animis nasci, sibi captare, & vicissim ostendere summo studio curat. Quæ aspera primo aspectu occurrunt, antiquum odij liuorem euacuant, dum inquiunt, *meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius*, &c. Pro reditu Beniamin prædilecti se se certatim oppignorant Patri: & quamquàm ex extera specie furti de scypho periculum subierint nonnullum, non idcircò odio habent culpatum fratrem, sed enixè pro ipso, Patris etiam amantissimi memores deprecantur. Contestati fuerant suprà dicentes, *pacifici venimus*; pacis sine dubio studiosum, vel clementissimo ex vultu rati Proregem. Ad hanc firmandam pacem atque concordiam, tandem eos monet discessuros dicens, *ne irascamini in via*: Sciens hoc vitium [A] in via difficile (A D. Th. hic.) vitari: eo quòd concitatio corporalis motus, lassatio itineris, communis libertas, ac verbositas itinerantium dant sæpe occasionem corrixationum. Verùm, non tàm monet vt caueant ab insurgente passione, quæ humanum quid est: quàm [B] corripit dulciter, ne per consensum, (B Ephes. 4. l. 8.) quid mali ad effectum perducant. Timuit, addo, fortè: ne de antiqua venditione eius verba miscentes, dùm vnusquisque conaretur, se coram Patre excusandum meditari, mutuò indignarentur, & futurum Patris gaudium contaminarent.

VERSVS V. *Pro salute enim vestra misit Dominus ante vos in Aegyptum.*

Sæpe diuina prouidentia, id quod videtur malum permittit fieri, vt [C] exinde sequatur bonum, vt hic patet de venditione permissa, quæ (C ad Philemonem l. 2.) Ioseph malum visa est; & tamen fuit eius causa exaltationis; cessitque in bonum Ægypti, fratrumque suorum.

Quale gaudium eorum corda perfuderit, qui velut cęci eousque non agnouerant fratrem, post tenebras, qui lucem videt, recogitet: transierunt inopinatò, & repentè, ex aduersis ad prospera: viuum & incolumen, regnantem clementem, amantissimum, flentem; *est quædam flere voluptas*, territi priùs, confortati mox, suspexerunt. Id quasi visum esset, illis occurrit, & somniorum priscorum memoriam vexit. *Osculatus est Ioseph fratres suos, & plorauit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum.*

VERSVS XXVII. *Cùmque vidisset plaustra, & vniuersa quæ miserat, reuixit spiritus eius.*

Si primo intuitu filium ob oculos habuisset Iacob: fortasse impos tantæ iucunditatis fuisset. Diuinitus ergò prouisum est, vt prius non crederet eis: nec enim merebantur fidem mendaces: audito deinde ordine, *illi è contra referebant omnem ordinem rei*: diuina Prouidentia est ratio ordinis: Ad plaustra visa, quæ pariter cursum (D Ioannis 14. l. 5.) rerum signabant, *reuixit spiritus eius*; [D] scilicet

propter gaudium, quo pacto dixit Saluator discipulis, *ego viuo, & vos viuetis*; idest gaudebitis.

Allegoricè per Benia-min designatur Christus humillimus, *virorum nouissimus*, vt ait Isaias; sine quo nullus Patrum, videre potuit faciem Sapientiæ Dei, qua instar Ioseph omnia regit: veniente autem eo in Mundum, non potuit se continere Sapientia Dei, quin se reuelaret fratribus suis. Quia vero Christus tanquam Ben-iamin scyphum Ioseph in ore sacci habuit, in rantùm, vt dicatur Dei Sapientia; idcircò à zelatoribus Dei licèt erroneis, addictus est morti; *apud quemcumque fuerit inuentum quod quæris, moriatur*: dixerunt quippè, *reus est mortis*. Scyphus, quo augurari solebat, vt suprà dictum est, meritò assumitur à D. Thoma in typum sapientiæ.

Quoniam verò congruit etiam Apostolo Paulo figura Beniamin de cuius tribu fuit, vt ipse testatur; ideo tandem hanc Ioseph manifestationem coaptat Angelicus hominibus resurrecturis, quibus se connumerat idem Paulus dicens; *deinde nos, qui viuimus, simul rapiemur cum illis, obuiam Christo in aera*: Sic per binas stolas singulis datas, duplex intelligitur gloria, animæ nimirum & corporis. Vel substantialis, & accidentalis. Sed Ben-iamini, idest viri status superexcessiui, accipiunt trecentos argenteos, & quinque stolas optimas, idest singularia præmia, quæ correspondent trinæ superogationi Euangelici status, & perfectioni quinque sensuum spiritualium, in quibus continetur perfectio contemplatiuæ sapientiæ, per quinque prudentes Virgines Matthæi 25. designatæ. Huc facit, quod ait Isaias c. 33. *Regem in decore suo videbunt*, & Ierem. 31. *à minimo, vsque ad maximum cognoscent me*. Vide vberius D. Thomam.

CAPVT XLVI.

1 PRofectusque Israel cum omnibus, quæ habebat, venit ad Puteum iuramenti, &
mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, 2 audiuit eum per visionem noctis vo-
cantem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob, cui respondit: Ecce adsum. 3 Ait
illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Agyptum, quia in
gentem magnam faciam te ibi. 4 Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te
reuertentem: Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. 5 Surrexit autem Ia-
cob à Puteo iuramenti: tuleruntque eum filij cum paruulis & vxoribus suis in plaustris, quę
miserat Pharao ad portandum senem, 6 & omnia, quæ possederat in terra Chanaan: ve-
nitque in Aegyptum cum omni semine suo 7 filij eius, & nepotes, filiæ, & cuncta simul
progenies. 8 Hæc sunt autem nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum, ipse
cum liberis suis, Primogenitus Ruben. 9 Filij Ruben: Henoch, & Phallu, & Hesron, &
Charmi. 10 Filij Simeon: Iamuel, & Iamin, & Ahod, & Iachin, & Sohar, & Saul filius
Chanaanitidis. 11 Filij Leui: Gerson, & Caath, & Merari, 12 Filij Iuda: Her, & O-
nam, & Sela, & Phares, & Zara. Mortui sunt autem Her, & Onam in terra Chanaan: Na-
tique sunt filij Phares: Hesron, & Hamul. 13 Filij Issachar: Thola, & Phua, & Iob, &
Semron. 14 Filij Zabulon: Sared, & Elon, & Iahelel. 15 Hi filij Lię quos genuit in
Mesopotamia Syriæ cum Dina filia sua, omnes animæ filiorum eius, & filiarum, triginta
tres. 16 Filij Gad, Sephion, & Haggi, & Suni, & Escbon, & Heri, & Arodi, & Areli.
17 Filij Aser: Iamne, & Iesua, & Iessui, & Beria, Sara quoque soror eorum. Filij Beria:
Heber, & Melchiel, 18 hi filij Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ, & hos genuit Ia-
cob sedecim animas. 19 Filij Rachel vxoris Iacob: Ioseph, & Beniamin. 20 Natique
sunt Ioseph filij in terra Aegypti, quos genuit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopo-
leos: Manasses, & Ephraim. 21 Filij Beniamin: Bela, & Bechor, & Asber, & Gera, &
Naaman, & Echi, & Ros, & Mophim, & Ophim, & Ared: 22 hi filij Rachel quos genuit
Iacob: omnes animæ, quatuordecim. 23 Filij Dan: Husim. 24 Filij Nephthali: Iasiel,
& Guni, & Ieser, & Sallem. 25 Hi filij Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: & hos
genuit Iacob: omnes animæ, septem. 26 Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in
Aegyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex.
27 Filij autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra Aegypti, animæ duæ. Omnes animæ domus
Iacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum, fuere septuaginta. 28 Misit autem Iudam ante se
ad Ioseph, vt nunciaret ei, & occurreret in Gessen. 29 Quò cum peruenisset, iuncto Ioseph
curru suo, ascendit obuiam patri suo ad eundem locum: vidensque eum, irruit super collum
eius, & inter amplexus fleuit. 30 Dixitque pater ad Ioseph: Iam lætus moriar, quia vidi
faciem tuam, & superstitem te relinquo. 31 At ille locutus est ad fratres suos, & ad om-
nem domum patris sui: Ascendam, & nunciabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei, &
domus patris mei, qui erant in Terra Chanaan, venerunt ad me: 32 & sunt viri pastores
ouium, curamque habent alendorum gregum: pecora sua, & armenta, & omnia, quæ ha-
bere potuerunt adduxerunt secum. 33 Cumque vocauerit vos, & dixerit: Quod est opus

Act. 7. h. 15. Iof. 24. a. 3. psal. 104. b. 12. Isaiæ 52. a. 4. Exod. 1. a. 16. Num. 26. a. 5. 1. Par. 5. a. 1. & 3. Exod. 6. c. 15. 1. Par. 4. c. 24. 1. Par. 6. a. 1. 1. Par. 2. a. 3. 4. d. 21. 1. Par. 1 f. 30. Supr. 41. f. 53. 1. Par. 7. b. 6. a. 1. 5. Deut. 10. d. 22.

ve-

vestrum? 34 Respondebitis: Viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra vsque in præsens, & nos, & patres nostri. Hæc autem dicetis, vt habitare possitis in Terra Gessen; quia detestantur Aegyptij omnes pastores ouium.

VERSUS VIII. *Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in AEgyptum, ipse cum liberis suis, &c.*

Recensentur primo triginta tres, vt resultat v. 15. cum Dina, quæ efficit numerum trigesimũ quartum. Deinde recoluntur sedecim. Postea quatuordecim. Denique septem animæ; quæ quidem epilogatæ summam faciunt septuaginta vnius; non numerato Iacob, vt patet. Nihilominus subdit Sacer textus versu 26. *Cunctaque animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in AEgyptum, & egressæ sunt de fœmore eius sexaginta sex.* Claret, numero in his non includi ipsum Iacob; quia referuntur, *quæ egressæ sunt de fœmore eius.* Decrescit autem numerus de septuaginta, & vno ad sexaginta sex, quia demuntur duo filij Iudæ præmortui vers. 12., & pariter Ioseph demitur cum duobus suis filijs: qui certè vna simul cum Iacob non sunt Ægyptum ingressi. Statim autem subditur, quod contrarium videtur, aucto nimirum numero, versu sequenti 27. *omnes animæ Domus Iacob, quæ ingressæ sunt in AEgyptum fuere septuaginta*, & sic Deuteronomij 10. Animaduerte, dici quidem *de Domo*, aut *domus Iacob, septuaginta*: verùm non dici, septuaginta ingressas vna simul *cum Iacob*; quasi seorsum ipse sit; vnde nunc includitur & ipse: ingressus est ergo Iacob, erat enim princeps Domus: item Ioseph, & duo filij, *Manasses, & Ephraim.* Itaque in his septuaginta connumeratur ipse Iacob: quod docent simul [A] Hieronymus, & Augustinus.

A D. Th. hic c. 47.

Dices; quomodo quando ingressi sunt AEgyptum potuit Phares habere duos filios *Hesron, & Hamul*: v. 12. cùm sit genitus à Iuda de Thamar serò, scilicet postquam ad ætatem nubilem peruenerant priores filij Iuda ex Sue? vt patet supra capite 38. Respondeo: vel cum D. Hieronymo (in simili vt videbimus de litera septuaginta Interpretum paulo post) saluari posse, vt dicatur per prolepsim, [B] idest per anticipationem. Vel cum D. Augustino, in fine quæst. super Genesin, per ingressum Iacob cum suis in AEgyptum, comprehendi totum tempus, quo vixit Ioseph, per quem factum est vt intrarent; sicuti conseruatio rei est continuata productio; (in filijs seu posteris suis plerumque appellatur Iacob.) Excurrente autem tempore vitæ Ioseph bene potuit Phares habere filios præfatos Hesron, & Hamul. Et hoc ipsum dici potest de recensitis filijs Beniamin, qui cum iunior esset, non tàm facilè potuit tùnc temporis decem habere natos: quamuis non sit apertè repugnans. Nisi malis dicere, quosdam appellari Ben-iamini, qui tantùm essent Ben-iamin nepotes. Numerosa quippe proles faciliùs à pluribus breui nascitur.

B D. Th. hic.

Dices secundò. Quomodo concors est litera, dum septuaginta Interpretes legunt, hic, & in Exodo, *septuaginta quinque*? Et quod auget difficultatem, est Beati Stephani auctoritas, Actorum 7. dicentis: *accersiuit Iacob Patrem suum, in animabus septuaginta quinque.*

Respondeo quòd Hebraica veritas (prout [C] hic S. Doctor) legit septuaginta; immò, & ipsi septuaginta Interpretes Deuteronomij 10. habent, quòd in *septuaginta animabus* ingressus sit Israel AEgyptum. Vnde necessum est dicere, vel cùm Epiphanio apud Maluendam, recenseri in numero septuaginta quinque, quatuor vxores Iacob, & præmortuos duos filios Iuda, Her & Onam; qui familiam conflarunt & ipsi septuaginta quinque, absque Iacob: vel Interpretes addidisse quinque alios filios filiorum Ioseph: & quidem in hoc capite v. 27. vbi nostra litera habet; *filij autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra AEgypti animæ duæ*, ipsi habent, *animæ nouem*: annumerantes nimirùm nepotes Iosephi, puta Machir filium Manasse, & Galaad filium Machir: Item Sutalaã, & Taam filios Ephraim; atque Edom filium Sutalaam: quos desumpserunt, partim ex Libro numeri c. 26. partim ex 1. Paralipom. c. 7. qui nati sunt ex filijs Ioseph, ipso Iosepho viuente. Quomodo autem legatur apud Interpretes nouẽ animas natas Ioseph in AEgypto non video, Quamuis apud D. Thomam hic legatur, animas septem.

C D. Th. hic.

Cur autem hoc fecerint Interpretes, ea potest esse causa; quia & à Moyse [D] de sola generatione Iosephi in hoc libro specialior sit mentio post ingressum in AEgyptum; vt patet in sequentibus: quòd, & in signum primatus Ioseph, nam primogenita Ruben dara sunt filijs Ioseph, Deut. 1. c. 5. & propter aliqua mysteria factum esse videtur. Vel quia Deus plantaturus erat sedem sui cultus in tribu Ephraim, nempe [D] in Silo, sicut habetur Iosue 18. potius quàm in stirpe Dauid, seu in tribu Iuda; & præterea de Ephraim filio Ioseph, [E] futura erat dignitas Regalis, scilicet Ieroboam. Consimilisque videtur esse ratio, quarè descendentes ex Iuda per Phares, Heston & Hamul, prænumerentur, & pariter, descendentes ex Beniamin; nàm vtraque Regali fulsit dignitate, vt patet in Dauid de Iudæ tribu, & in Saul de tribu Ben-iamin. Verumtamen non omnis filiorum Iacob soboles hic percensetur, licèt maiori etiam numero fuisset, vel quia, vt hi præeminerent, alij negliguntur, vel quia mysteria conduntur in mystica ratione septenarij, & senarij, siue septem [F] decadum, alibi ex D. Thoma enucleanda. Tribus autem Leui, quamquam Sacerdotalis, non ita in posteros multiplicata refertur; quia ad Dei cultum pauciores erant deligendi. Hic autem tam studiosa fit filiorum Israel connumeratio, vt innotescat [G] Domini benedictio; non enim fluxerant anni ducenti, & tamen Exodi 12. dicitur quod *filij Israel erant ferè sexcenta millia virorum, absque paruulis & mulieribus, & absque innumerabili promiscuo vulgo.* Hæc & spectantia hic & capite sequenti satis tanguntur a D. Thoma; cum quo perpetuo re ipsa sentire debeo, & volo.

D D. Th. hic c. 38.

E Hebr. 11. l. 5.

F D. Th. hic.

G D. Th. h. c. i.

VERSUS XXVI. *quæ egressæ sunt de fœmore illius, animæ* &c.

Non quod anima rationalis [H] traducatur

H p. p. 118 a. 2.

ex semine sed per Synecdochem dictum est pars
I 1.18. 2. 1.1. & hic c.46. pro toto. immò non solum [I] pars ponitur sed pars principalis; & hic modus loquendi consuetus est in Sacra Scriptura, & apud Philosophos: vnde ait Aristoteles 9. ethicorum, quod totus homo dicitur intellectus, per modum quo & tota Ciuitas, dicitur Rector ciuitatis; vnumquodque enim videtur esse id, quod est principalius.
L de potentia q. 3.a.9.1. Sed arguit alibi [L] Sanctus Doctor; Homo est quid compositum ex anima & corpore; si ergò totus homo ex fœmore Patris egreditur, non solùm corpus, sed etiam anima cum semine traducetur. Respondet quòd totus homo egreditur de fœmore generantis; propter hoc, quòd virtus seminis de fœmore egredientis, operatur ad vnionem corporis & animæ, disponendo materiam vltima dispositione; quæ est necessitas ad formam: ex qua vnione homo habet, quòd sit homo.

CAPVT XLVII.

1 INgressus ergo Ioseph nunciauit Pharaoni, dicens: Pater meus, & fratres, oues eo-
rum, & armenta, & cuncta quæ possident, venerunt de Terra Chanaan: & ecce
consistunt in Terra Gessen. 2 Extremos quoque fratrum suorum quinque viros
constituit coram rege: 3 quos ille interrogauit: Quid habetis operis? Responderunt:
Pastores ouium sumus serui tui, & nos, & patres nostri. 4 Ad peregrinandum in terra tua
venimus: quoniam non est herba gregibus seruorum tuorum. Ingrauescente fame in terra
Chanaan: petimusque vt esse nos iubeas seruos tuos in Terra Gessen. 5 Dixit itaque rex
ad Ioseph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te. 6 Terra Aegypti in conspectu tuo est:
in optimo loco fac eos habitare, & trade eis Terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros
industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. 7 Post hæc introduxit Ioseph pa-
trem suum ad Regem, & statuit eum coram eo: qui benedicens illi, 8 & interrogatus ab
eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? 9 Respondit: Dies peregrinationis meæ centum
triginta annorum sunt, parui, & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum,
quibus peregrinati sunt. 10 Et benedicto rege, egressus est foras. 11 Ioseph verò patri,
& fratribus suis dedit possessionem in Aegypto in optimo terræ loco, Ramesses, vt præce-
perat Pharao. 12 Et alebat eos: omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis.
13 In toto enim orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maximè Aegypti, &
Chanaan. 14 E quibus omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit
eam in ærarium regis. 15 Cumque defecisset emptoribus pretium, venit cuncta Aegyptus
ad Ioseph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia? 16
Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra: & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non
habetis. 17 Quæ cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, &
asinis: sustentauitque eos illo anno pro commutatione pecorum. 18 Venerunt quoque
anno secundo, & dixerunt ei: Non celabimus dominum nostrum, quod deficiente pecu-
nia, pecora simul defecerunt: nec clam te est, quod absque corporibus, & terra nihil ha-
beamus. 19 Cur ergo moriemur te vidente? & nos & terra nostra tui erimus: eme nos in
seruitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.
20 Emit igitur Ioseph omnem Terram Aegypti, vendentibus singulis possessiones suas præ
magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni, 21 & cunctos populos à nouissimis termi-
nis Aegypti vsque ad extremos fines eius, 22 præter terram sacerdotum, quæ à rege tra-
dita fuerat eis: quibus, & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non
sunt compulsi vendere possessiones suas. 23 Dixit ergo Ioseph ad populos. En vt cerni-
tis, & vos, & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros, 24 vt fru-
ges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in se-
mentem, & in cibum familijs, & liberis vestris. Qui responderunt: Salus nostra in manu
tua est: respiciat nos tantum dominus noster, & læti seruiemus regi. 26 Ex eo tempore
vsque in præsentem diem in vniuersa terra Aegypti regibus quinta pars soluitur, & factum
est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. 27 Habi-
tauit ergo Israel in Aegypto, id est in Terra Gessen, & possedit eam: auctusque est, & mul
tiplicatus nimis. 28 Et vixit in ea decem, & septem annis: factique sunt omnes dies vitæ
illius centum quadraginta septem annorum. 29 Cumque appropinquare cerneret diem
mortis suæ, vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu
Supr. 24. a. 2. tuo, pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam, & veritatem, vt
non sepelias me in Aegypto: 30 sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de ter-
ra hac, condasque in sepulchro maiorum meorum. Cui respondit Ioseph: Ego faciam
quod iussisti. 31 Et ille: Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante, adorauit Israel Deum,
conuersus ad lectuli caput.

VER-

VERSUS VI. *Quòd si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.*

Quæ Pastoris moneant officium
1 hic & alibi tangit Spiritus-Sanctus. Prælatus quandoque Ecclesiæ potest, si sit æquè idoneus cum extraneo consanguineus, huic curam animarum committere, [A] posthabito extraneo: nisi scandalum oboriatur, vel prauum exemplum; sic enim licitè sanguini ex charitate acquiescitur. Hoc significatur, ait S. Doctor, præsenti in textu: At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficio facere, vt non quærant eos in Ecclesia columnas eligere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant: vel quorum sunt obsequijs deliniti. De hoc tractat Angelicus 2.2.60. vbi [B] inquit, potest Prælatus absque personarum acceptione consanguineos suos præferre, si sint æquè digni; quia saltem in hoc præeminent, quòd de ipsis magis confidere potest, vt vnanimiter secum negocia Ecclesiæ tractent. Sanè videtur innui morale quod astruimus, in litera, vbi dicitur; *magistros pecorum meorum*: vtquid enim vox hæc; *magistros*? Pariter cum ait, *viros industrios*: quinam in sponsos Ecclesiæ præeligendi sint, nesciens quid dicat, designat; quandoque enim præligendi sunt, non illi qui magis abundant in spiritualibus gratiæ donis; sed potius per comparationem ad bonum commune, & sic accidit ait D. Thomas; quod ille qui est minus sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune, propter potentiam vel industriam sæcularem, vel propter aliquid huiusmodi. Mirum igitur ne videatur, si Ioseph coram Pharaone, extremos fratrum suorum quinque constituit. Absit vt temerè ac inconsulto id egerit. Quinario hoc numero [C] Tribus acceperunt primò partem: deinde reliquis septem distribuit suas partes Iosue c. 18. Christus Dominus etiam priùs Matthæi 14. quinque panes distribuit: deinde c. 15. panes septem. Sic primò quinque Patriarchales Ecclesiæ fuere coram Domino: exinceps septenario numero, quo vniuersitas designatur, longe lateque Ecclesia vbique ftetit, quod quidem & Isaias prædixit c. 19. *in die illa erunt quinque Ciuitates in terra Aegypti*. Extremos autem fratrum suorum constituit coram Rege; *quia iunior ad Dei cultum est Ecclesia, Synagoga senior*; Quod ait Gregorius.

A Quod lib. 4. art. 15.

B 2.2.60. a. 1.

C D.Th. hic.

VERSUS IX. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali.*

Parui, scilicet, respectu annorum Patrum meorum, [D] & mali, idest in magna afflictione transacti. Videtur autem loqui de malo pœnæ; quam attribuit tempori, more loquendi satis vsitato. Tempus dicitur bonum, vel malum secundum ea [E] quæ in tempore aguntur: quo pacto ait Apostolus Ephes: 5. *redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*; maximè quia [F] ex quo peccauit Adam, & tunc semper paratæ sunt insidiæ impellentes ad peccatum. Languor animæ post Adæ peccatum, est [G] defluxus bonæ vitæ, nam *ad malum sensus & cogitatio hominis prona sunt* (Gen: 6.) *ab adolescentia sua*. Quia tamen peregrinatio vtpote laboriosa & pœnalis, longior immò videri deberet quam sit; existimo Sanctum Patriarcham mente eleuatum ad Æthera, eoquod *peregrinamur à Domino*, non paucos, sed paruos dixisse dies suos, vtpote quibus nox nedum physicè, sed & moraliter per peccatum, & metaphoricè per mortem superuenit. Patriæ longa est *dies vna, quæ nota est domino*, Zach. 14. quæ *melior est super millia* ps. 83. quæ nescit occasum, quia non eget Ciuitas sole, sed lucerna eius est agnus Apoc. 21. Condescendens attamen Regis interrogationi, & numerum exprimit annorum, & suos non æquasse Patres subiungit. Totum tempus consueuit secundum Basilium denominari à principaliori parte, scilicet à die: ita hic Iacob, nulla mentione facta, de nocte, ex D. Th. p. p. q. 74. a. 3. 6.

D D.Th. hic.

E Iob c. 3. l. 3.

F Ephes. 5. l. 6.

G op. 58. c. 23.

VERSUS XXI. *Subiecit cunctos populos eius à nouissimis terminis Aegypti, vsque ad extremos fines eius.*

Emit Ioseph Ægyptios in seruitutem Re- 2
gis; in figuram, quòd bonus [H] prædicator debet ad hoc studere, vt infideles conuertat ad seruitium Christi: non sic faciunt, qui prædicando intendunt quæstum & bona temporalia; cum tamen dicat Dominus Matth: 4. *faciam vos fieri piscatores hominum*, non pecuniæ, ait S. Doctor Ita Apostolus 2. Cor. 4. *Non quæro vestra sed vos* & Philipp. 4. *non quæro datum, requiro fructum abundantem*. Et 1. Thess. 2. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione auaritiæ: Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs*.

H 2. Cor. 12. l. 3.

VERSUS XXII. *Præter terram Sacerdotum, quæ a Rege tradita fuerat eis.*

Quemadmodum in possessione sua remanserunt sacerdotes, ita & exempti fuere à solutio- 3
ne quintæ partis, vt statim subijcitur. Quod plus est, tempore septennij famis tam horridæ, ex horreis publicis præbebantur cibaria sacerdotio. O tempora o mores! pictum veluti Sacerdotium, hanc apud Idololatras obtinuit prærogatiuam.

Hippodomus Philosophus Eurisontis filius, Patria milesius, posuit in sua politica, [I] in tres distinguendas esse partes, possessiones totius Regionis ciuitatis. Quasdam deputabat ad rem Sacram, quæ scilicet diuino cultui dedicabantur, vt sunt hodie bona Ecclesiastica; quasdam assignabat communes, quæ bellatoribus dispensabantur; quasdam verò proprias, quæ agricolis debebantur: artificibus verò nihil assignabat, eoquòd ex arte sufficienter viuere possent. Sed hæc diuisio, & si insufficiens videbatur in multis, quantum tamen ad aliquid laudabilis erat, in eo videlicet, quod diuinæ reuerentiæ referebat: quam quidem, & iure naturæ & iure diuino debemus. Sic enim mos fuit apud antiquos Romanos vbi viguit disciplina. Vnde Genesis 47. (ait S. Doctor) scribitur, quòd, tota terra Ægypti imminente fame, tempore Ioseph in seruitutem redacta est Regis, præter terram Sacerdotum, quæ videlicet sic erat dedicata Deo, quod alienari, non poterat: Sicut nec hodie possessiones Ecclesiæ; nisi multum legitimis casibus. Philosophus etiam refert in sua metaphysica, quòd Ægyptij fuerunt de primis Philosophiæ vacantibus, & præcipuè in mathematicis artibus; cuius rationem assignat, quia gens illa Sacerdotalis, plus vacare permissa est, ex abundantia videlicet eorum, quam habebant ex pos-

I op. 20. l. 4. c. 12.

sessio-

sessionibus, eis concessis; per quæ tollitur solicitudo in quærendo victum. Et quamuis lex Mosaica prohibeat sacerdotibus inter fratres suos possessiones habere, plus tamen eisdem concessit, dum omnium ciuium possessiones, in partem fructuum percipiunt, videlicet decimarum. Veteris testamenti sacerdotium hemistichio huiusmodi exprimebatur, *Regnum sacerdotale* Exodi 19. D. Petrus in sua prima canonica commutat dicens, *genus electum, regale sacerdotium*: ad innuendam prærogatiuam [L] noui testamenti respectu veteris; in nouo enim testamento sacerdotium præeminet Regno, sicut spiritus præeminet corpori: Regnum enim consistit in regimine corporali, sacerdotium verò in regimine spirituali, ideò potestas sacerdotalis ponitur in substantiuo, *sacerdotium regale*.

L 1. Petri 2.

4 Occasione memoratæ exemptionis, à Pharaonibus etiam sacerdotio inani concessæ: operæ pretium fuerit, radicem funditus rimari, cur non sint in noua lege terrenis regibus subditi sacerdotes; ex D. Thoma. Regem quippe dici supponimus, cui summa Regiminis [M] hominum committitur; mensuramque trahere sui regiminis à fine, ad quem sibi commissos subditos potest perducere: vnde tantò regimen est sublimius, quantò ad finem vlteriorem ordinatur; & propterea ille, ad quem pertinet vltimus finis, imperat operantibus ea, quæ ad vltimum finem ordinantur; sicut gubernator, ad quem pertinet nauigationem disponere, imperat ei qui nauem construit, qualem faciat aptam nauigationi; & ciuis, qui vtitur armis, imperat fabro: (addo; ex principio metaphysicæ ars militaris imperat equestri, & hæc frænefactiuæ) certum est autem finem hominis vltimum, qui est fruitio diuina, talem esse, vt ad illum nec peruenire, nec perduci queat homo virtute humana: diuini ergo regiminis erit ad illum nos ordinare, ac perducere: ad illum ergò Regem huiusmodi regimen pertinet, qui non est solùm homo, sed etiam Deus; scilicet ad dominum nostrum Iesum Christum, qui homines filios Dei faciens, ad cœlestem gloriam introducit. Et hoc est ei Regimen traditum, quod non corrumpetur: & ex hoc non solùm sacerdos, sed Rex in Scripturis sacris nominatur Ier. 13. *regnabit Rex*. Ezech. 37. *& Rex vnus erit omnibus imperans*. Huius ergo Regni ministerium, vt à terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis Regibus, sed sacerdotibus est commissum, & præcipuè summo sacerdoti, Petri sucessori, Christi Vicario, Romano Pontifici; cui omnes Reges populi Christiani oportet esse subditos, sicuti ipsi Domino Iesu Christo. Sic enim ei, ad quem finis vltimi cura pertinet, subdi debent illi, ad quos pertinet cura finium antecedentium, & eius imperio dirigi. Quod si sacerdotes gentilium Regibus subdebãtur; id erat quoniam re ipsa Beatitudinis fine ignorato ac abiecto, totus illorum cultus erat propter temporalia bona conquirenda: quæ omnia ordinãtur ad multitudinis bonum commune, cuius cura incumbit humano Regi. Similiter si in veteri lege leguntur sacerdotes Regibus fuisse subiecti; id quoque erat ex conditione status illius, in quo promittebantur bona terrena; *bona terræ comedetis* Isaiæ 1. præcluso cœlestibus aditu, vsque ad Christum, qui *ascendit pandens iter* Micheæ 2. vnde non est mirum. Atqui in noua lege altius est sacerdotium, per quod homines traducuntur ad bona cœlestia: vnde in lege Christi debent Reges sacerdotibus esse subiecti. Propter quod mirabiliter factum est, certè diuina ex Prouidentia, vt in Romana vrbe, quam Deus præuiderat, Christiani populi principalem sedem futuram, hic mos paulatim inolesceret, vt ciuitatum Rectores sacerdotibus subiacerent: sicut enim Valerius maximus refert: *omnia, post Religionem ponenda, semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus, summæ maiestatis decus conspici voluit: quapropter, non dubitauerunt sacris Imperia seruire; ita se humanarum rerum habitura regimen existimantia, si diuinæ potentiæ bene, atque constanter fuissent famulata*. Quia vero etiam futurum erat, vt in Gallia Christiani sacerdotij plurimum vigeret Religio, diuinitus est permissum, vt etiam apud Gallos, gentiles sacerdotes, quos Druidas nominabant, totius Galliæ ius definirent, vt refert Iulius Cæsar, in libro, quem de Bello Gallico scripsit. Hæc fermè ad verbum cuncta, volui ex Sancto Doctore exscribere, quia hodie nedum è cordibus laicis obliterata videntur, sed & proscripta. Nec videt sæcularis potestas, puta Regis Angliæ, iuris in Ecclesiasticos vsurpatione, expoliari Christi Vicarium, Christoque Domino, re, si non voce, negari supremum regimen, obradique in personam, quæ cum non sacerdotio fungatur, nec terrena transcendat, est incapax, vt vices gerat Christi, qui est Rex & sacerdos; qui sibi Vicarium Petrum, deincepsque successores reliquit, dicens *pasce oues meas*. Ioan. 21. Quod quia antiqua in lege non habuit locum: ideò illorum & nostri sacerdotij, dispar, hoc quoque ex capite, claret ratio. Ploret fidelis, Angliæ cœcitatem: caueant cæteri, & recolant ex notis Io. Isaci ad cap. 2. lib. 1. Lucij Flori quæ sequuntur. *Vltimò & octauo numero habebãtur Pontifices. Hi à ponte ligneo, seu sublicio reficiendo, dicti, de cæremonijs ac religione cognoscebant; leges ferebant de sacris, quæ non erant scripta, aut moribus populi Romani recepta; sacerdotes examinabant. Ipsi, nulli iudicio, nullique mulctæ erant obnoxij; neque Senatui, neque populo, dictorum, factorumque rationes reddebant*.

M op.20. l.1.c.14.

Ioseph hic Christũ vt homo est signat, sub Deo Patre regnantem, [N] & electos in pinguedine gratiæ, collocantem. Cogitent Christiani quid eos facere oportet, quando in panis commutationem terreni, dederunt suas possessiones Ægyptij omnes. Atqui non horum, sed Pharaonis ingrati fiunt sectatores: Pharao quippe, postquam longè lateque prolatam Iosephi opera ditionem, in Regem assumptus accepit, impiè, crudeliterque regnans, Hæbreorum molitus est exterminium; vnde tandem Ægypti terram deserere coacti sunt.

N D.Th. hic.

VERSVS XXXI. *Quo virante adorauit Israel Dominum conuersus ad lectuli caput*.

Adorauit fastigium virgæ eius, vt legunt 5
septuaginta, Diu vsque Paulus, Hebræorum 11. Vel *super fastigium*, vt habetur [O] in Greco: (aduerte quod pro *mitta* Hebræo, quod *lectulum* significat, quomodo vertit Sanctus Hieronymus, Aquila, & Symmachus; mutatis punctis, legerunt septuaginta *Matte*, quod virgam, seu sceptrum significat:) & totum hoc potest

O Hebr. 11. l. 5. & hic c. 48.

stare,

stare; quia ipse erat senex, & ideò portabat, virgam: vel recepit sceptrum Ioseph, donec iurasset, & antequam redderet ei, *adorauit*, non ipsam virgam, nec Ioseph, vt quidam male putauerunt, sed ipsum Deum, innixus ad cacumen, vel super fastigium virgæ eius. Ad quod motus fuit ex consideratione Potestatis Christi; quam potestas Ioseph præfigurabat: ipse enim tanquam Præfectus Ægypti portabat sceptrum, in signum potestatis Christi: *reges eos in virga ferrea* ps. 2. Vel si adorauit fastigium, idem est sensus; quia adorauit Christum significatum per virgam illam: sicut & nos adoramus Crucifixum, & Crucem, ratione Christi passi in ea: vnde propriè non adoramus Crucem; sed Christum crucifixum, in ipsa. Huiusmodi, de Crucis ac imaginum sanctarum adoratione, dictum, explicare soleo ipse, exemplo verbi repræsentantis menti hominem: intelligimus enim propriè hominem in verbo, non verbum ipsum: itaque verbum est, quo intelligimus, nonquod intelligimus. Sic imagine imaginatum adoramus, non ipsam imaginem; quæ vt quod terminare non potest adorationem: dicitur tamen absolute adorari imago, sicut absolutè intelligere dicimur verbum hominis. Hoc si percepissent Neoterici Hæresiarchæ, Sacras non proscripsissent icones; quibus alias veneratio nonnulla debetur, (longè inferior adoratione) vel ob contactum, vt instrumēta passionis, vel ob coaptationē, quam habent sistendo in se ipsis ad repræsentandum: primò veluti in recto, vt quo adorantur: secundò ex solo obliquo coluntur. Sic habet regalis purpura venerationem. Sed de his infra ad caput 20. Exodi; & apud D. Thomam 3. p. q. 25.

CAPVT XLVIII.

1 His ita transactis nunciatum est Ioseph, quòd ægrotaret pater suus; qui, assumptis
duobus filijs Manasse, & Ephraim, ire perrexit. Dictumque est seni: 2 Ecce
filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus, sedit in lectulo. 3 Et ingresso
ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in Terra Chanaan: Benedixit- Supr. 28. c. 11.
que mihi, 4 & ait: Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum:
daboque tibi terram hanc, & semini tuo post te in possessionem sempiternam. 5 Duo er-
go filij tui, qui nati sunt tibi in Terra Aegypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: E- Supr. 41. f. 50.
phraim, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi. 6 Reliquos autem quos Ios. 13. b.
genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. 7. d. 29.
7 Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan Supr. 35. c. 12.
in ipso itinere, eratque vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & sepeliui eam iuxta
viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. 8 Videns autem filios eius dixit
ad eum: Qui sunt isti? 9 Respondit: Filij mei sunt, quos donauit mihi Deus in hoc loco.
Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis. 10 Oculi enim Israel caligabant præ nimia
senectute, & clarè videre non poterat. Applicitosque ad se, deosculatus, & circumplexus
eos, 11 dixit ad filium suum: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus
semen tuum. 12 Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in terram.
13 Et posuit Ephraim ad dexteram suam, idest, ad sinistram Israel: Manassen verò in si-
nistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum. 14 Qui extendens ma-
num dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput
Manasse, qui maior natu erat, commutans manus. 15 Benedixitque Iacob filijs Ioseph, Hebr. 11. d. 21.
& ait: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham, & Isaac, Deus qui Supr. 31.
pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem: 16 Angelus, qui eruit me de d. 29. 32. a. 2.
cunctis malis, benedicat pueris istis: & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque
patrum meorum Abraham, & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. 17 Vi-
dens autem Ioseph, quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, gra-
uiter accepit: & apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & trans-
ferre super caput Manasse. 18 Dixitque ad patrem: Non ita conuenit, pater: quia hic est
primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. 19 Qui renuens, ait: Scio fili mi,
scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater eius minor, maior erit il-
lo: & semen illius crescet in gentes. 20 Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te
benedicetur Israel, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse. Con-
stituitque Ephraim ante Manassen. 21 Et ait ad Ioseph filium suum: En ego morior, & Ios. 11. b.
erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. 22 Do tibi partem 7. 16. a. 1.
vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Ios. 24. b. 1.

VERSVS V. *Duo ego filij tui, qui nati sunt in Terra Aegypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manasses; sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi.*

Sanctus senex ascisit hos duos Ioseph filios, prædicens huiusmodi facto, duarum tribuum germina, nēpe ex Dan, fore excludenda, & pariter ex Simeō. Qui signantur ex *Dan*, quod sonat *iudicium*, in finali iudicio excludentur; eò, vel

maximè, quòd Antichriftus ex illa tribu creditur oriturus. Sic Apocalypfis 7. nulla fit mentio de Tribu Dan, vbi recenfentur fignati. In benedictionibus tamen nouæ legis per Deuteronomium fignatæ, non excluditur Dan, quia cùm *iudicium* interpretetur, qui vita præfenti pœnitent, dijudicantes femetipfos fecundùm præfentem iuftitiam, benedicti funt; iuxta quod ait Apoftolus 1. Cor. 10. *Si nofmetipfos diudicaremus, non vtique iudicaremur*. His de caufis non excluditur Dan Deuteronomij 33. vbi benedicuntur à Moyfe filij Ifrael. Excluditur tamen, ibi *Simeon*, qui præ alijs habet interpretationem; *habitaculum mundi*: tales non recipiunt benedictionẽ nouæ legis: interpretatur ab alijs *Simeon*, etiam *exauditor triftitiæ*; fed in caufa, incolatus huius mundi triftitiam parit. Ponitur nihilominus Tribus Simeon, in Apocalypfi. Iacob ergò, ne fiue in curfu vitæ huius, fiue in finali retributione, Patriarcharum numerus facra perfectione duodenarij careret, duos veluti adoptatos voluit filios Iofeph; quemadmodum noluit Dominus infringi duodenarium Apoftolorum numerum, Iudæ ex perditione; fed Matthiam fubrogauit. Aliàs etiam eumdem numerum Patriarcharum zelatus eft Dominus; & ideò tribus Leui non computatur in veteri teftamento, inter alias, quantùm ad numerum duodecim Patriarcharum; quia Dominus illam tribum affumpfit fibi in minifterium cultus fui; & tribus Ephraim pro Iofeph pofita eft, vt videre eft Numeri 10. Hæc ex vtraque Apocalypfis interpretatione ad caput 7. ex D. Thoma, fatis fubinnui, mihi vifum eft. Attamen quo Paternam, & humanitus oftendat prædilecto Iofeph affectionem, hos fibi Ephraim & Manaffem reputari vult inftar filiorum, fed non quorumlibet, fed primogenitorum Ruben & Simeon.

VERSVS XIV. *Qui extendens manum dexteram pofuit fuper caput Ephraim minoris fratris: finiftram autem fuper caput Manaffe, qui maior natu erat commutans manus.*

b Paulò antè prælufcrat Iacob huic facto; primò nominans Ephraim, deinde Manaffem. Et quidem præponit Ephraim Manaffæ Dei fpiritu ductus, præter alias, hac comprobatione, quia Dominus Ieremiæ 31. *Et Ephraim primogenitus meus*. Iuuat ad verbum exfcribere quæ hic habet Angelicus hanc ad rem. Pro myfterijs

a D.Th. hic. notã primò; [a] quare ita fæpè poftremi primogenitis præferantur. Et quidem fuprà, vbi de Abel, & Cain agitur, rationes aliquæ datæ funt; fed occafione tranflationum manuum Iacob fuper Manaffem & Ephraim, notandum, quòd quadruplex myftiez tranflationis genus in fcripturis inuenitur. Primum eft in primogenitura. Secundum in Sacerdotali cultu. Tertium in regali folio, fiue Dominio. Quartum in nuptiali tecto, fine connubio: habentque huiufmodi tranflationes quadruplicem refpectum: fcilicet ad fuæ originis principium: ad Dei & fuæ legis cultum: ad ftudiofam dominationem fuper fe; & fuper omnia inferiora faftigium: denique ad diuinæ fruitionis familiare gaudium, & indiffolubile connubium. In primogenitura facta eft tranflatio de Cain ad Abel, ab Efau ad Iacob: & hoc tripllci ex caufa. Primò vt primatus, feu electio gratiæ non attribuatur naturali principio. Secundò, vt non adfcribatur tempori, vel præcedenti merito. Tertiò vt non præfumatur de gratiæ priuilegio, abufiuè tractaro. In facerdotali cultu facta eft tranflatio de Heli, ad Samuelem: faltem quoad auctoritatem iudiciariam: ab Abiathar ad Sadoch: à Caipha ad Chriftum; feu potiùs à Sacerdotio legali, & carnali, ad Sacerdotium gratiæ fpiritalis. Et hic propriè habet locum verbum Apoftoli ad Hebræos 7. *tranflato Sacerdotio, neceffe eft, vt legis tranflatio fiat*. In eamdem figuram concurrit tranflatio tabernaculi in Templum; & cultus Silo in cultum Ierufalem, de quo dicit Pfalmifta, quòd *repulit tabernaculum Silo, & tribum Ephraim non elegit*, &c. Si autem diligenter infpexeris caufas tranflationum harum, facilè aduertes, tàm moraliter quàm allegoricè fpiritales. In regali dominio, facta eft tranflatio à Saule ad Dauid; ab Adonia ad Salomonem: de quo 3. Regum 2. dicit ipfe Adonias, *tranflatum eft Regnum, & factum eft fratris mei*. Quantum verò ad Principatum, facta eft ab Aman ad Mardochæum: & in Regibus decem tribuum, plures aliæ inueniuntur. In nuptiali etiam connubio, à Vafthi ad Efther, à Synagoga ad Ecclefiam: & fiet ab Ecclefia militanti ad triumphantem. Et de his inueniuntur figuræ in vxoribus Abrahæ & Iacob, & Helcanæ Patris Samuelis; & hoc quoad fponfas. Quoad viros habes exemplum in Sara, quæ poft viros feptem data eft iuniori, Tobiæ; & in Ruth quæ poft primum vitum, nupfit Booz; & in Rahab, quæ poft amafios, nupfit Salmon, Quoad vtrolque verò in Dauid & Berfabee; & quodammodo in Iuda & Thamar. Hæc omnia facta funt ad commendationem diuinæ gratiæ. Obmutefcat, dico ego, fuperbiens Pelagius; in diuinam infurgens gratiam, extollenfque naturam. Iacob ergò non cafu nec temerè tranflationem fecit primogenituræ à Manaffe in Ephraim: vnde monenti Iofepho veluti de errore, refpondit, *Scio fili mi, Scio*: non folùm enim fciebat, quod exteriùs agebat, fed etiam quod figuratè fignabat. Benedixit ergo cancellatis manibus Ephraim & Manaffe Sanctus fenex: præferens Ephraim Manaffe, quantùm ad dignitatem, [b] quia de Ephraim fuit dignitas regalis, fcilicet Ieroboam. Hæc autem benedictio fuit per fidem, quia reuelatum ei fuit, quòd ita futurum erat: quæ quidem benedictio referebatur ad populum, qui egreffus eft ab ipfis, non ad perfonas ipforum. Vide Numeri 32. b Hebr. 11.[?]

VERSVS XX. *Benedixitque eis in tempore illo; dicens in te benedicetur Ifrael.*

Septuaginta pluraliter adnectunt; *In vobis benedicetur Ifrael*. Sed Chaldæa legit cum Vulgata. Itaque videtur innui, benedictiones principaliter dirigi ad Iofeph eorum Patrem: fic quòd ex benedictione [c] illius, fubderiuarentur. a

c D.Th. hic. Et maximè intendendo figuræ: ex quo Iacob nouerat, per Iofephum Chriftum fignificari: vnde benedixit eos in Iofeph, ideft in virtute Chrifti; in quo etiam totus Ifrael erat benedicendus. Propterea decuffatis manibus fecit tranflationem fub figno crucis. Aliàs autem myfticè fignificando, dexteram Dei dirigi ad illum, qui exteriùs eft in eius finiftra, & in aduerfitatum fufferentia pro ipfo fufcepta.

VERSVS XXII. *Do tibi partem vnam*

extrà

extrà fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio & arcu meo.

Variant Expoſitores. Hieronymus ait; Interpretes ita legere, *& ego dedi (ſiue do) tibi Sychimam præcipuam*: ſubditque, *Sychimam* iuxta latinam & græcam conſuetudinem [D] declinari; Hebraicè autem *Sychem*, vel vt habetur Ioannis 4. *Sichar*. Aliqui putant poſt vindicatum Dinæ ſtuprum, de quo ſuprà 34. Sychimitis interfectis, ceſſiſſe, ceu belli iure, Vrbem illã Samariæ in Iacobi poſſeſſionem; cuius armata familia patrauerat facinus, ideoque *in gladio, & arcu*. Alij, quibus libentiùs plaudo, cenſent fieri hic ſermonem de parte illa agri, centum agnis vel nummis c.33. à filijs Hemor tunc empta. Videtur hoc expreſſum ab Ioanne, ſuprà citato loco; dum inquit, *iuxta prædium, quod dedit Iacob filio ſuo*. Licèt enim prædium accipi poſſit pro agro, proinde pro circumiecto territorio vrbis, vt exponit Angelicus; [l] attamen arctiùs etiam capitur, ager, & multò magis prædium, pro certa aliqua portione ab vnoquoque poſſeſſa. Duo ſuperſunt enucleanda. Primum, quòmodo exigui adeò valoris, dederit Ioſepho, tunc Proregi Ægypti. Deinde quomodo *in arcu & gladio* illam tulitiet de manu Amorrhæi, cum pretio fuerit empta. Reſpondeo vtramque rangi difficultatem a D. Thoma, [k] arguendo ad opinionis cuiuſdam mentem. Verum primi poreſt eſſe ſolutio: vt data fuerit parua illa poſſeſſio Ioſepho, & in peculiare ſignum amoris; & in preſagium propheticum futurorum; & denique, quia generosè redacta creditur in Iacob poteſtatem, poſtquam fuerat ab Amorrhæis vſurpata, extinctis Sychimitis, ipſo abeunte, *in gladio, & arcu*: hoc eſt, vi armorũ minaci. Vel *gladio* ſcilicet euaginato, niſi ſtatim reſtituiſſent: *& arcu*, id eſt, è longinquo etiam defenſa; territis eò magis Amorrhæis, quò ab Iacobi familia, fuerat in eorum faciem memoratum excidium Sychimæ. Alia hic vide

D D. Th. hic.

l Ioan. 4. l. 1.

k D. Th. ſup. c. 14.

CAPVT XLIX.

1 VOcauit autem Iacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, vt annunciem quæ Deut. 11. a.b.
ventura ſunt vobis diebus nouiſſimis. 2 Congregamini, & audite filij Iacob,
audite Iſrael patrem veſtrum: 3 Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea,
& principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio. 4 Effuſus es ſicut aqua, non
creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius. 5 Simeon, & Leui fra- Supr. 35. d. 22.
tres: vaſa iniquitatis bellantia. 6 In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cætu 1 Par. 5. a. 1.
illorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffo- Supr. 34. d. 25.
derunt murum. 7 Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia du-
ra: diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael. 8 Iuda, te laudabunt fratres tui: ma- Ioſ. 19. a. 1. 21. a. b.
nus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. 9 Catulus leonis Iu- 1. Par. 52.
da: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcita- Ioan. 1. f. 45.
bit eum? 10 NON AVFERETVR ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ve- Math. 2. a. 6.
niat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. 11 Ligans ad vineam pullum ſuum,
& ad vitem, ò fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pal-
lium ſuum. 12 Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores 13 Za-
bulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem.
14 Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos. 15 Vidit requiem quòd eſſet bona: &
terram quòd optima: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſer-
uiens. 16 Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſrael. 17 Fiat Dan coluber
in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro. 18 SALV-
TARE tuum expectabo Domine. 19 Gad, accinctus præliabitur ante eum: & ipſe accin-
getur retrorſum. 20 Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus 21 Nephtali,
ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis. 22 Filius accreſcens Ioſeph, filius accre- 1. Par. 5. a. 1.
ſcens, & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum. 23 Sed exaſperauerunt eum, &
iurgati ſunt, inuideruntque illi habentes iacula. 24 Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta
ſunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob: inde paſtor egreſſus
eſt, lapis Iſrael. 25 Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedi
ctionibus cęli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum,
& vuluæ. 26 Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius: do-
nec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi
inter fratres ſuos. 27 Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere diuidet
ſpolia. 28 Omnes hi in tribubus Iſrael duodecim: hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedi-
xitque ſingulis, benedictionibus proprijs. 29 Et præcepit eis dicens: Ego congregor ad
populum meum: ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Supr. 23. d.
Hethæi, 30 contra Mambre in Terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron
Hethæo in poſſeſſionem ſepulchri. 31 Ibi ſepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi ſe-

pultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet. 32 Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obijt appositusque est ad populum suum.

VERSVS I. *Vocauit autem Iacob filios suos; & ait eis. Congregamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis, in diebus nouissimis.*

VERSVS II. *Congregamini, & audite filij Iacob, audite Israel Patrem vestrum.*

Ad literam modus iste conuocandi, reddendique attentos, fieri non solet nisi [A] pro arduis rebus. Duplici autem sensu hic accipi potest [B] *congregari*: & in concordi cogitatione ad vnam stabilem veritatem; & vt sit congregatio voluntatum ad vnum quærendum, scilicet Deum; postquam tantam dignatur nostri curam habere, vt annunciari tam benignè faciat futura. Bis, aduerto, dicit, *congregamini*, hac forsan de causa, & quo, Ecclesiam quoque in illis alloqui intelligatur; est enim *congregatio iustorum*. *Vt annunciem*: in Hebræo extat *vobis*, supple, *fidelibus cunctis*, quæ vtique ventura sunt vobis in nouissimis: vnde cùm vsque ad nouissima peruentura non esset ætas suorum filiorum, manifestum est, ad fideles omnes dirigi prophetiam.

A D.Th. hic.

B 2.Thes. lal. Prologo.

Sermonem hunc esse altissimum, captata attentio sat indicat: deindeque diuinitùs sibi inspirari quòd dicit, vel ex hoc innotescit, quòd post primæuum suum nomen Iacob, aliud sibi à Deo impositum præsefert, dicens, *audite filij Israel, quæ ventura sunt vobis in nouissimis*, audite aure corporis, audituque fidei; nam *fides ex auditu*. Ad ea ergò, quę in nouissimo Ecclesiæ tempore futura sunt, indicatur principalis ferri intentio prophetæ. Ly *nouissimis* posset accipi accommoda dispensatione. De Dan *in nouissimis* pressiùs, si pro Antichristo intelligitur. Sic de Isaia, Ecc. 48. *spiritu magno, vidit vltima*. Quocirca [C] ait S. Doctor; tempus gratiæ dicitur nouissimum, quia non succedet alia Religionis obseruatio: quo pacto, ait Isaias c. 2. *erit in nouissimis diebus præparatus mons Domus Domini*. Vnde Christus Dominus Matthæi vltimo, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*. Sic etiam in 4. 47. 1. 1. 3. 3. ad illud 1. Ioan. 2. *filioli nouissima hora est*, ait, ex similibus locutionibus, quæ in Scriptura dicuntur, non potest aliqua determinata quantitas temporis sciri; nō enim est dictū pro breui mora, sed ad signādū nouissimū statū mūdi, qui est quasi nouissima ætas, quæ quanto temporis spatio duret, non est definitum; cum etiam, nec senio, quod est vltima ætas hominis, sit aliquis terminus certus præfinitus, cum quandoque inueniatur durare, quantum omnes præcedentes ætates, vel plus, vt dicit August. in lib. 83. q. Vnde & Apostolus 2. Thess. 2. excludit falsum intellectum, quem quidem ex illis verbis conceperant, vt crederent diem Domini instare. Sic exponitur à D. Thoma illud 1. Petri 1. *manifestati autem nouissimis temporibus*; idest in vltima ætate mundi. Sic illud Pauli, & ibi, & 1. Cor. 10. *in quos, fines seculorum deuenerunt*, idest sexta ætas, quæ est vltima ætas laborantium, vbi recolit illud, *filioli nouissima hora est*. Sic quæst. 5. de potentia a. 6. ad 9. postquam in argumento multas huiusmodi tangit Scripturæ auctoritates, cum illa 1. Cor. 7. *tempus breue est*; Respondet; verba illa quæ videntur in Scripturis ad breuitatem temporis pertinere, vel etiam ad finis propinquitatem, non tam sunt ad quantitatem temporis referenda, quàm ad status Mundi dispositionem; non enim legi Euangelicæ alius status succedit, quæ ad perfectum adduxit: sicut ipsa successit legi veteri; & lex vetus legi naturæ. Alia via occurri posse, huiusmodi de propinquitate finis auctoritatibus, docet in opusculo 19. c. 24. allatis enim. 1. Cor. 10. *nos sumus in quos, fines seculorum deuenerunt*: *filioli nouissima hora est*. 1. Ioann. 2. Hebr. 10. *Adbuc modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet, & non tardabit*. Iacobi 5. *ecce Iudex ante ianuam assistit*; dat congruenter exponi, eo modo loquendi, quo temporis quantumcumque spatium in Sacra Scriptura breue solet accipi, in comparatione æternitatis. Sic Hebr. 10. vbi fert illud Apoc. vltimo, *ecce venio cito*: Sic in secundo Comm. Apoc. c. 1. ad illa verba; *Tempus enim prope est*. Et Iob. 16. *& iterum modicum*; comparatione, inquit, ad æternitatem, ps. 89. *mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna*, &c. Tù adde Isaiæ 14. *prope est vt veniat tempus eius*. Quod confundet Iudæos, si nouissimum messiæ tempus, mundi extremum velint. Sanè, (quod ait Gregorius) *breue est quod clauditur fine*. Quamuis ergo quandoque *ly nouissimis diebus*; stet pro propinquioribus fini, quo sensu legimus 2. ad Timoth. 3. *in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes*, vt obseruat opusculo præfato cap. 23. eo quòd tunc Apostolus loquitur in futurum; attamen, quandoque, vt ibidem tradit; nouissimi dies, ex Augustino, dicuntur etiam ipsa Apostolorum tempora: vnde illud Ioelis 2. exponit Petrus Actorum 2. de suis temporibus, *& erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo*: quamuis non determinatè, & præfixè, vt notat etiam in 4. vbi suprá ad 2. Itaque vno verbo, cum in nouo testamento similibus locutionibus, videtur importari propinquitas finis, id effertur, ob temporis breuitatem, æternitatis respectu; & quia reipsa in nouissimo statu sumus; vnde Matthæi 20. *circa horam vndecimam*. Cum in veteri enunciantur nouissimi dies, magis ad nouissimum spectatur statum, quàm ad temporis breuitatem (Et certè quid contulisset mysterij, aut vtilitatis, præfixum innotescere tempus finis?) quia non ampliùs aliquid intermedium expectandum erat. Sic Hebræor. 1. *nouissimè diebus istis*. Vel hæc omnia, non assertiuè, sed præparatoriè dicantur, vt exinde vigilando, finem, qui solus superesset, attenderemus.

C Isaiæ 2.

Præterquam, cùm legimus Isaiæ 2. *erit in nouissimis diebus, præparatus mons domus Domini*, in Hebræo extat, *Beaccharid, Haiamim*, quod transfertur etiam, in *posteritate*, vel *posterioritate dierum*, vt apud Maluendam, hic & ibi: vnde ly *in nouissimis*, ad eum sensum referri potest, vt

non

non ftatim, fed poftea effent euentura, quæ prædicebantur. Et fic etiam Ioelis 2. *Acchare*, nofter legit, *poft hæc*. Græcè, *Efchatos,nouiffimus*, propriè differt ab *yfteros*; *fequens*, *pofterus*, *fecundus*. Hebræa, vtriufque, vna radix, *Hecchar*. Quòd fi alicubi fonaret omnino litera propinquos vicinofque dies, non ad finem Mundi,(in quo etiam nonnulli decipiuntur Iudæi expectantes Meffiam in fine) Sed ad propinquos expectationi propheticæ referri deberet;ac fi fieret fenfus: antequam fit *plenitudo temporis* Galat. 4. præfiniti à Deo pro aduentu Meffiæ, vel antequam lex Euangelica promulgetur, prope promulgationem, prope aduentum, erit hoc, vel illud, *auferetur fceptrum de Iuda*, *erit præparatus mons domus Domini*, &c. Qui locus fi exponatur de Virgine; ea in Mundum edita, quafi Aurora, fatis, illius fanctitatem puellæ admirantibus licuit conijcere, adeffe dies nouiffimos expectationis Meffiæ, cuius tempus voluit Dominus piè fideles fcrutari, 1. Petri 1. *Scrutantes in quod, vel quale tempus*: quodque non cognouiffe Iudæos reprehendit Chriftus, dicens Lucæ 12. *Hypocritæ faciem cæli, & terræ noftis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis?* quod expendit Angelicus in 4. d. 47. q. 1. a. 1. q. 3. arg. 1. vbi, & affumit, fanctos Patres fciuiffe tempus aduentus primi per numerum hebdomadarum Danielis 9. Vnde & c. 19. *eò quòd non cognoueris tempus vifitationis tuæ*, & Hebr. 9. *inftitiis carnis, vfque ad tempus correctionis, impofitis*. De huiufmodi tempore expediebat præmoneri, non de Mundi fine. *Non eft noftrum noffe tempora, vel momenta, quæ pater pofuit in fua poteftate*. Act. 1.

Quocirca ex S. Doctore hic in Genefin c. 15. aduertendum diligenter, vt ipfe ait, quòd in vifionibus propheticis, fignificationes numerorum mirabiliter funt occultæ; ita quòd, rarò ad plenum claret, à quo tempore fint illi numeri inchoati: vnde Ifaiæ, 7. cap. vbi dicitur, *adhuc fexaginta, & quinque anni, & definet Ephraim effe populus*; ideft, poft 65. deficient decem tribus; non fuit verificatum, inchoando à tempore, quo hoc prædictum eft ibi ab Ifaia, fed oportet computare à tempore anteriori, fiue à tempore motus facti ab Ozia, fiuè à tempore miffionis primorum Prophetarum prophetantium fub Ozia. Et fimile eft de numero feptuaginta feptimanarum apud Danielem; qui numerus fecundùm Bedam non eft computandus à tempore, quo hoc dicitur à Daniele cap. 9. fed à tempore primæ libertatis populi illius. Deus enim numeros temporum fic vult prædici, quòd ad plenùm intelligi nequeant, vfquequo funt impleti. Quòd repetit etiam Danielis 9. fecus D. Hieronymum, fcilicet, à vigefimo anno Artaxerfis, quando Neemias impetrauit licentiam à Rege reparandi muros Ierufalem, ficut habetur Neemiæ 3. Euincitur autem loqui Ifraelem in figuram, quia dum conteftatur fe nouiffimè annunciare, fecundùm corticem recolit præterita, vt eft illud, *Simeon & Leui fratres: vafa iniquitatis*, &c. Super quæ, tanquam fuper fundamentum iaciat firmitatem, eorum, quæ in tribubus literaliter futura erant: quæ tamen fimul cuncta, in figuram de Chrifto prænunciabantur.

VERSVS III. *Ruben primogenitus meus: tu fortitudo mea, et principium doloris mei: prior in donis maior in imperio.*

VERSVS IV. *effufus es ficut aqua; non crefcas; quia afcendifti cubile patris tui, et maculafti ftratum eius.*

Confonum naturæ videtur, vt primogenito debeatur primatus; tanquam de primordiali, & viriliori robore ad lucem [D] traducto. Ado, huic acceptam referri, familiæ propagationem, tanquam qui, alijs etiam non natis fratribus, potens eft Patris feruare femen: ergo meritò *prior in donis* fufcipiendis, *et in imperio maior*. Atqui talis cùm effes, inquit, *tu*, emphafin ferre videtur: *tu* naturæ fic obftrictus, amorique Paterno, (vtpote cuius gratia, principium laboris, & folicitudinis paternalis amanter fufcepi) *afcendifti cubile patris tui*, &c. *non crefcas*, fcilicet in dignitatem primogenituræ, [E] nec in temporalem primatum. Sanè, fi non crefcit Ipfe, alijs augmenta fufcipientibus, definit effe maior. Nobiliffimis metaphoris fermo texitur. *Effufus es ficut aqua*. Aqua multifariè affumitur ad fignificandum: ficut & alia quæque, ex varijs fimilitudinibus, ac proprietatibus quia quòd faciliùs & promptiùs poffit offerri ad bibendum, fumitur aqua pro falfa doctrina, quam terra fiticulofa infipientium ab hæreticis propinantibus clanculum, dulciter haurit. Prouerb. 9. *aquæ furtiuæ dulciores funt*. Moris eft hærefis, cum Vefpertilionum æmuletur vifum, fugere lucem; *ego* aiebat Dominus, *palàm locutus fum mundo; & in occulto locutus fum nihil*, Io. 18. Non vult, vt fui fint *lucerna fub modio*; fed vt rota fiducia fe prodant in lucem: quòd fi extingui mortali vita feliciùs obueniat, inftar filicis, attritu, & percuffione fcintillantes, *ignem* cum Saluatore inijciunt terræ. Aquæ etiam dicuntur fluctus tribulationum: *intrauerunt aquæ vfque ad animam meam*, pf. 68. Sed hic accipitur aqua pro voluptate. [F] Similiter Matthæi 17. obfeffus ille, *fæpe cadebat in ignem, & crebrò in aquam*; in aquam, inquit D. Thomas, cupiditatis; [G] & hunc affert textum, *effufus es ficut aqua*: fuitque D. Hieronymi: [H] & in idem redit; nimirum in voluptatem, vt ibi Auguftinus. Denique alibi [I] firmatur: vnde hydropicus Lucæ 14. eo quòd morbo laboret aquofo, in luxuriæ typum aptatur. Conftat ex contextu prophetico; *quia afcendifti cubile Patris tui*. Et inde 1. Paralipomenon c. 5. de eodem Ruben dicitur, *cùm violaffet torum Patris fui, data fût primogenita eius, filiis Iofeph*. Supra c. 35. refertur dormiffe Ruben cum Bala concubina Patris fui: contrà rationis dictamen expreffum Leuitici 19. *turpitudinem vxoris Patris tui ne difcooperias; turpitudo enim Patris tui eft*: de quo 1. Corinth. 5. l. 1.

Sed cum exploratum fit paffim in facris literis, per ignem fignificari concupifcentiæ ardorem, quemadmodum fuprà c. 6. dictum eft: vnde per aquam diluuij, congruè fpurcitia illa ignea purgata eft: ftatim inhiar animus, fcire cur per aquam peccatum Ruben notetur. Refpondeo, dubium non effe, delicias carnis in aquarum ac balneorum vfu exarfiffe, & apud profanos: vnde Veneres ibi & Syrenes côftituere, quo lafciuirent: ac etiam, quamuis honeftè ad animi triftitiam pellendam, in balneis [L] leuatur

3

D D. Th. hic.

E D. Th. hic.

F pf. 31.

G Matthæi 17.

H in Catena aurea.

I Serm. Dominicæ 17. post Pentec. ex Euang.

L p. 1. 35.

dum lauatur humanum corpus. Alias voluptuosi mari comparantur, Apocalypsis 7. *ne flarent super mare*, [M] ratione fpumofitatis, & fœtoris. Aqua effufa fluit quantum poteft, & nititur in ceffanter vfque ad abyffum fordidans & fordidata. Verumtamen crediderim ego, voluiffe Spiritum Sanctum hac phrafi verborum docere, quid homini obueniat in carnis peccato; effundi fcilicet in morem aquæ. Alio fenfu ad illa pfalmi 21. [N] *ficut aqua effufus fum*, Chrifto aptatur; quòd cum effunditur aqua, nihil illius remanet: fi oleum effunditur; nonnihil remanet olei: fi vinum; remanet faltem odor: aquæ nil reftat. *Effufus eft vt aqua Ruben*: ac fi diceret à temetipfo totus exifti, extrà te raptus; quia venus mentem tollit, abforbetque rationem, etiam fi immaculato habeatur toro: turpis voluptatis delectamentum totam fopiri cogit rationem: beftiarum inftar deprimit ad ima animum; & fic homo eo tunc non eft: at à fe effufus, quia nihil hominis, habet. In commentario recenti fuper Cantica c. 2. ibi *imber abijt*; per imbrem, qui eft humidus, intelligitur voluptuofitas; quia ficut humidum vndique currit, & non benè terminatur in termino proprio, fic voluptuofi fecundùm quamlibet paffionem currunt, & non benè terminantur iudicio rationis, quod debet effe eorum frænum, & terminus. En quare dicatur, *ficut aqua effufus es*.

M Apoc. 7. comm. 1.

N Pfal. 21.

VERSVS V. *Simeon & Leui fratres: vafa iniquitatis bellantia* &c.

An peccauerint Simeon & Leui, *fratres*, hic, [O] quia concordes in facto, vidimus fuprà c. 34. Et quidem fatis ab Iacob culpari videntur. Dicuntur enim *vafa iniquitatis*. Nullus negabit omninò iniquitatem peccatum effe. *Vafa* autem arbitror appellari, quia diu feruauerunt, & latenter, iram in Sichimitas, quos deftruxere. Teftatur eorum non adhæfiffe Confilio, nec gloriofum fe ipfe in cœtu eorum; nam comitatum habuere [P] nonnullorum feruorum fuæ Domus. Hodie quàm multi glorientur in malitia, & præfertim fi quid perpetrent in vltionem gladij, immemores, quòd paffiones etiam irafcibilis funt rationali exprobrabiles; licèt non æquè ac funt paffiones concupifcibilis. *Quia in furore fuo occiderunt virum*. Singulare pro [Q] plurali. Vel *virum*, ideft non occiderunt paruulos & vxores. Vel *virum*, fupple, omnem. Vel denique, quia per vnum orta eft tempeftas. *In furore. Ira non habet mifericordiam* (Prou. 27.) *nec erumpens furor*.

O D.Th. hic.

P D.Th. fup. c. 34

Q D.Th. hic.

VERSVS VII. *Diuidam eos in Iacob; & difperdam eos in Ifrael*.

Ipfi adunati cœtu expleuerunt furorem fuum, diuifofque feorfim aggreffi funt Sichimitas; diuifionem pœnalem eorum prænunciat ac difperfionem. Diuifi funt ab inuicem Simeon & Leui in parte & poffeffione, quæ ipfis obuenit. Siquidem tribus Leui, nihil habuit firmæ hæreditatis, quod carnalibus certè pœnale eft. Tribus autem Simeon, non folùm inde à Leui fuit feiuncta in poffeffione, fed eius fors fuit in medio alterius, nempe Iudæ; vt legitur Iofue 19. nam licèt etiam Simeonis pofteri certam fedem fortiti effent; nihilominus, tranfeuntes ad poffidendam portionem aliquam, præoccupatam errore Geometrarum ab Iuda, quodammodo, vt figurata præfignarentur, diuifi funt. Sacerdotes autem Leuitæ per omnes tribus diuifi habitabant. Tanguntur hæc à D. Thoma. [R] Sed pleniùs videnda funt Iofue cit. 19. & 21.

R D.Th. hic.

At corticem iam ponamus. De Simeone fuerunt adinuentores fectæ Pharifæorum: Pontifices verò manifeftum eft, de tribu Leui fuiffe. *Collegerunt Pontifices, et Pharifæi Concilium* Io. 11. (quod eft factum ad confiliandum) & fic *occiderunt virum*. *Auctorem verò vitæ interfecistis*, act. 3. ait Petrus: *vt Iefum dolo tenerent, & occiderent*. *Hic eft hæres* Matth. 21. *venite occidamus eum*. Quæ fuprà de origine Pharifæorum &c. docet Angelicus in Ioannem, [S] & tetigerat Matthæi 26. ad illa verba, *tunc abijt vnus* [T] *de duodecim ad Principes facerdotum*: immemot illius, *in confilium eorum non veniat anima mea*. *Non fequaris turbam ad faciendum malum; nec in iudicio plurimorum acquiefces fententiæ, vt à verò deuies* Exodi 3. Allegoricè quippe per Sichem fignificatur Chriftus: per Dinam autem decor Synagogæ. Quia verò Chriftus Synagogæ cum beneplacito Iudeorum non poterat copulari, nifi circumcifionem, & Sacramenta legalia à principio obferuaffet; ideò, pro ipfius amore fe circumcidit: fed quia fcribæ & Pharifæi Synagogam æftimauerunt à Chrifto corruptam, ideò Chriftum, & eius difcipulos impiè occiderunt: Synagogam fibi funditus abftulerunt: factumque eft hoc tertia die; idest tertio anno fuæ prædicationis, feu perfecutionis, in quo fuit fuæ Crucis grauiffimus dolor. Hæc [V] D. Thomas. Vir autem antonomafticè Chriftus dicitur, vt patet pf. 1. Ier. 31. & Zach. 6. *Beatus vir qui non abijt: fœmina circundabit virum: Ecce vir, oriens nomen eius*: à virtute, à perfectione, à dignitate. Morale hinc eruit D. Thomas; vt nimirum in impiorum confilium [X] non eamus (quod quidem fit aliquando inopportunè tolerando malos, malorum cœpta & facinora) vel confcij vel femifomnes, quod de Iacob non lego: qui immò fupra c. 31. ait *fugiebatque fomnus ab oculis meis*. Quid mirum fi in Iudæos, qui vel conclamantes, *Crucifige eum Crucifige eum*, in necem Domini crudeliter conferunt, difperfi funt? Qui in Iacob, veluti in naturali politiæ Regimine diuifi funt; in Ifrael, (quod diuinitus fuprà naturam fonat effectum) difperfi funt. Vbique incertas habent fedes: quod de tribubus illis, Iudæ & Beniamin regreffis cum Leuina fub Cyro de Babylonico exilio, ac in Chrifti mortem confentientibus, non eft qui poffit ambigere: iuxta quod Ofee 9. legimus; *& erunt vagi in nationibus*.

4

S Io. 11. T Matt. 26. & hic.

V D.Th. fupr. c. 34.

X op. 19. c. 26.

VERSVS VIII. *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij Patris tui*.

Placuit Altiffimo, deiectis ob crimina tribus, in quarto Liæ filio, nempe in Iuda, præcinere Iudaici totius populi Regnum fundandum. Iuuit eiufmodi ventura prophetice prænouiffe: præcedentibus quidem, vt firmiter crederent [A] & fperarent, quòd Deus fub certa diftinctione tribuum eos firmiter collocaret in terra promiffa, & quòd tunc Dei cultus magnificaretur in eis fub ftrenuis Regibus, & Iudicibus. Subfequentibus verò fuit etiam vtile, ad tollendam mutuam æmulationem & fciffuram, fuper diuifione terræ, & fublimatione quarundam tribuum fuper alias. Præterquam, *omnia in figuram contin*-

A D.Th. hic.

ge-

gabant illis, primo Corinth. 10.

Cur hanc Iudæ tribum prælegerit in regalem, dicat qui ſcire poteſt conſilium Dei, Iſaiæ 40. *quis conſiliarius eius fuit? Dominator excelſus in Regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud*, Danielis 4. Primi Paralipomenon 5. legitur, *Iudas, qui erat fortiſſimus inter fratres ſuos, de ſtirpe eius Principes germinati ſunt*. Decuit præſignaretur in viro fortiſſimo, Rex *fortis & potens in prælio*, Chriſtus Dominus, qui & victurus erat tanquam Leo de tribu Iuda. *Dauid* etiam intepretatur *manu fortis*; [B] & ſic Chriſtus fuit fortis, qui diabolum ſuperauit: Lucæ 11. *ſi fortior illo ſuperueniens vicerit eum: vniuerſa arma eius auferet* &c. Præmiſſo ergo preferendum fratribus, aliiſque filijs Patris ſui Iudam, ſubdit ſacer textus, *O Iuda tu es Catulus Leonis*. Non comparatur Leoni fracto aut ſeni, ſed iuueni ac robuſto, ad aſtruendam potentiam & fortitudinem. Et quia Leonis eſt grandem prædam de ſyluis, & montibus ſibi venari, ideò dicit; *ad prædam fili mi aſcendiſti*: ideſt præda iam capta *aſcendiſti*, ſcilicet ad cubile tuum. Quia etiam Leonis poſt hæc, eſt ſecurè, & abſque timore in loco ſuo quieſcere; quia potius omnia ipſum timent inuadere, aut ſuſcitare, ſubdit, *requieſcens accubuiſti*: in quo ſignatur, quòd Principatus Iudæ nullam vicinarum gentium potentiam timeret; quin potius ab omnibus valdè timeretur. Et hæc quidem in Dauid & Salomone ex parte impleta fuerunt. Ita [C] in præſenti.

B Matth. 1.

C D.Th. hic.

Licèt autem ante Dauid, Rex fuerit Saul de tribu Beniamin: nihilominus fuit illi datus, veluti ad duritiem cordis: vt enim legitur 1. Regum 8. *diſplicuit ſermo in oculis Samuelis; eoquòd dixiſſent, da nobis Regem* &c. & cap. 12. ait Samuel, *quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini petentes ſuper vos Regem*. Et ideo quaſi indignatus ad petitionem populi eis Regem conceſſit, vnde aiebat, *non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*: id obſeruat S. Doctor p. 2. 105. 1.2. Dominus quippe Regem decreuerat Dauid: vnde Iſaiæ 9. legitur: *Verbum miſit dominus in Iacob*: ideſt in Iuda, vel in [D] toto populo; vt de Iuda conſtituerentur duces, & propter meritum [E] ipſius Dauid, alij regnauerunt. Sed iam in cuius figuram hæc dicta ſint, aperiamus. Leo Chriſtus Dominus; pluribus quidem de cauſis: Leo de alijs animalibus triumphat; ſic Chriſtus triumphauit de Diabolo [F] Num. 23. *non accubabit Leo, donec deuoret prædam*: ſic in paſſione. Item Leo dormit oculis apertis: hinc Poeta; *Eſt vigil eſt cuſtos, oculis dum dormit apertis, Templorum idcirco ponitur ante fores* & ipſe mortuus eſt Diuinitate viuente; *accubans dormiuit vt Leo*, Num. 24. Item Leo in reſurrectione; quia tertia die reſurrexit, ſicut Leo. Ferunt quippe, Leonis catulum triduo clauſis oculis recèns natum ſoporari, dein expergefactum veluti exurgere, *Vicit Leo de tribu Iuda*, Apocal. 5. *Ad prædam aſcendiſti fili mi*: hoc quantùm ad paſſionem; (Super illa verba Iſaiæ 41. *Et ſuſcepit te dextera iuſti mei*, ait S. Doctor, [G] ſuſcepit nos Chriſtus; ſicut victor captiuum ad liberandum: *ad prædam fili mi aſcendiſti* &c.) *requieſcens accubuiſti vt Leo*: quantùm ad reſurrectionem. Subdit autem Iacob; *& quaſi Leæna*: quo innuat Spiritalem Chriſti Domini ſobolem, poſt ipſum fortiſſimam;

D Iſ. 9.

E Matth. 1.

F Apoc. c. 5. comment. 2.

G Iſ. 41.

Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*. S. Doctor hoc in capite, Chriſtus, qui dæmonum poteſtatem oppreſſit; & velut Leo iunior ab inferis prædam traxit; & cum illa in cœlum aſcendit; & etiam ab infernali ſtatu infidelium, multam prædam electorum traxit, & trahet.

VERSVS X. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio Gentium*.

Meſſiam futurum fuiſſe de Iuda, non eſt Catholicorum, qui poſſit ambigere. *Manifeſtum* 5
eſt, inquit Paulus, Hebræorum 7. *quòd de Iuda ortus eſt Dominus*. Idcircò præ cæteris fratribus exprimitur in genealogia Matthei 1. [H] Nec ipſi in cæcitate Iudæi id audent negare. Hic autem fortiſſimus eſt textus, quo illorum torquetur peruicacia. Triplici tamen via præ multis conantur effugere. Tene illud Ioan. 9. *laua te in natatoria Siloe. Quod interpretatur Miſſus*.

H Matth. 1.

Quidam extorquent dicentes; quòd cum in Hebræo habeatur; *donec veniat Silo*; eſt intelligendum, *non auferetur ſceptrum*; ideſt Dominium nonnullum, *de Iuda, donec veniat*, inunctio Saulis in *Silo*. Contra hoc eſt in primis; quoniam perperam omninò memoraretur *Silo*, cum Saulis vnctione; tùm quia, non fuit vnctus in Silo, vt patet 1. Regum 9. & 10. tùm quia, ſi aliquo ex capite videretur pertinere Silo ad Saulis vnctionem; id certè, non niſi ob cultum Dei, qui poſt poſitam inibi Arcam, cum Tabernaculo teſtimonij, piè viguit: atqui antequam aſſumptus eſſet in Regem Saul, præcapta fuerat Arca a Philiſtæis, 1. Regum 5. reſtitutaque Iſraeli, locata eſt in Ciuitate Cariath-iarim, vt patet c. 7. & 1. Paralipomenon 13. tandemque per Dauid translata eſt in Ieruſalem: vt quid igitur recoleretur Silo, & non Cariath-iarim, aut Vrbs illa vbi fuit inunctus? hæc tangit [I] D. Th.

I D. Th. hic.

Arbitror autem, traxiſſe extorſionem textus huius originem, ex nominum æquiuocatione; quia cùm collocata fuerit Arca Dei in Cariath-iarim in *Gabaa*, vt patet citato capit. 7. 1. Regum; & *Gabaa* hebraicè *collem* ſignificet, putauerunt, dùm Samuel Sauli dixit capite 10. *poſt hæc venies in collem Dei*, hebraicè *Gabaa* dixiſſe illi *venies in collem*, vbi eſt Arca; quaſi ad locum Silo. Sed duplex eſt *Gabaa*: alia eſt *Gabaa* ſeu collis, quæ infra in eodem 1. Regũ c. 13. & etiam Iudicum 19. dicitur *Gabaa Beniamin*, quæ ſcilicet erat illius tribus, & creditur eſſe, quæ dicitur Ioſue 18. *Gabaon*: ad illam venit Saul; quia ibi, vt patet 1. Regum citat. c. 13. percuſſit Ionathas ſtationem Philiſthinorum. Altera eſt *Gabaa*, quę fuit in ſortem Iudæ, vt patet Ioſue 15. & hic collis appellatus, erat in Ciuitate, tribus eiuſdem, Cariathiarim, vt ibidem conſtat; ideòque primi Paralipomenon 13. legitur, *aſcendit Dauid, & omnis vir Iſrael, ad collem Cariathiarim*, qui eſt in Iuda: ſiue in *Cariathbaal*, vt dicitur Ioſue 18. vt inde Arcam transferret. Quomodo ergò *donec veniat Silo*; poteſt hoc hemiſtichium accomodari aduentui Saulis in *Gabaa*: Si *Gabaa*, quò veniſſe dicitur Saul, fuit alia ab ea in qua erat cultus? Multò magis *Gabaa*, nomine etiam diuerſificatur ab ipſa *Silo*, quæ fuit tribus Ephraim; [L] nam ex Pſalm. 77. *Tribum Ephraim non elegit*. Creditur autem *Silo* eadem eſſe cum *Galgala*, ſeu Pars eius,

L ſupr. c. 38.

vbi caftrametati funt, Iofuæ 5. poft tranfitum Iordanis, vt ait Lauretus in Sylua, Verbo *Silo*: defcribiturque Iudicum 21. *in Silo quæ fita eft ad Septemtrionem Vrbis Beth el; ad orientalem plagam viæ, quæ de Beth el, tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona*. Quocirca expendatur Iofue caput 16. vbi dicitur *quòd cecidit fors filiorum Iofeph, ab Iordane contra Iericho, & aquas eius ab oriente: caftrametati funt autem in Galgalis contrà orientalem plagam Vrbis Iericho*, vt dicitur Iofue 4. ergo Silo (quæ fupra) videtur effe, vt dicit Lauretus, eadem cum Galgalis, vel Pars eius. Licèt autem incertum fit, quo anno translata fit Arca è Silo (quod ait Tirinus Iofue 18.) attamen ante inunctionem Saulis, illinc abductam non poteft ambigi, vt conftat ex 1. Regum c. 7. & infrà; atque colligitur ex primo Paralipomenon c. 13.

Verùm gratis dato, pro *Silo* intelligi vnctionem Saulis, non ideò locum habet præfata expofitio; quoniam etfi Iudæ tribus primò intrauerit mare, duxque eius primus obtulerit in tabernaculo, non ideò fceptrum habuiffe dicenda eft; nullum enim dominium nobile, plùs quàm cæteræ tribus legitur habuiffe; nam Moyfes de tribu Leui, fuit primus dux Ifrael, & poftmodum Iofue, qui fuit de tribu Ephraim; & præter Othoniel iudicem, non legitur aliquis de Iuda Iudex, vel Dux bellorum Ifraelis fuiffe. Quale ergo, fceptrum habuiffet Iuda antequam veniret Silo? & quomodo de Saul impleretur, quod fequitur, *& ipfe erit expectatio gentium?* fiue, vt Chaldea, *& ei obedient populi?* nunquid gentes funt ad Saul conuerfæ? Alij extorquent hunc textum dicentes, vim non habere vllam, ad rem de qua agitur; quia etiam ante Chrifti Iefu aduentum, amifit fceptrum Iudas, fcilicet à tranfmigratione Babylonis, & exinceps.

Pro rei huius eruditione, atque difficultatis folutione; Animaduertendum eft in primis, quòd, qui hoc & primo extorfionis modo intelligunt Prophetiam hanc Iacob, turpiter vim omnem illi demunt; fic enim Iacob nihil de futuro Meffia prædixiffet, cùm tamen conteftetur apertè, fe annunciaturum quæ in nouiffimis diebus, ventura fiut: inter quæ potiffimum locum habet Meffiæ aduentus: (quod eft valde notandum:) aliáfque Regni Iudaici finalis curfus, rationabile fine dubio, atque expediens erat, prænofceretur. His certè de caufis, principalior Iudæorum oratio, ex Ionathæ libro, erat in hæc verba; *non auferetur fceptrum* &c. vt apud Paulum Burgenfem videre eft. Videatur hic D. Thom. Igitur tenentur & ipfi (fuppofito quòd de Meffia fit fermo) difficultati prætactæ facere fatis. Recolendum eft autem, quòd diffectò, tempore Ieroboami Iudaico Regno, biceps veluti euafit, decem nimirum tribubus tunc primò pro illo; duabus verò Iudæ & Beniamini, quibus ftatim acceffit Leuina, Roboamo, vt legitur 2. Paralip. 11. parentibus, impio Ieroboamo abiurato. Factum eft Deo fic volente, vt eorum fcelera ab extraneis vindicarentur. Itaque tribus illæ, quæ fucceffloribus Ieroboami obtemperarũt, per Regem Affyriorum Salmanaffar, tempore Ofeæ, qui fuper eas regnabat, translatæ funt in Affyrios, pofitæque in *Hala*, & in *Habor*, iuxtà fluuium *Gozam* in Ciuitatibus Medorum, vt dicitur 4. Regum 17. Quarum tamen partem tranftulerat priùs Theglathphalafar, fub Phacee regnante in Ifrael, vt patet eodem 4. Regum capit. 15. De his in Apocrypho Efdræ 4. cap. 13. legitur; *Hæ funt decem tribus* (enumeratur etiam Leuina, quia forfan ex ea nonnulli Sacerdotes & Leuitæ remanferant fub Ieroboamo, vel ad illum reuerfi funt, quis fcit, muneribus aut perfuafionibus illecti: quod dixerim, quia decem faltem integræ non remanferant, ex citato 2. Paralipomenon c. 11. vbi fertur, quòd Sacerdotes & Leuitæ, qui erant in vniuerfo Ifrael, venerunt ad Roboam de cunctis fedibus fuis,) *quæ captiuæ factæ funt de terra fua in diebus Ofee Regis; quem captiuum duxit Salmanaffar Rex Affyriorum; & tranftulit eos trans flumen, & translati funt in terram aliam*. Et nunquam, ait D. Thomas Prologo in lib. Machabæorum, liberati, quoad omnes, funt. Hos, quoniam non de Iuda, dimitto.

Poft multos annos, peccatis aliarum etiam tribuum Deum prouocantibus, funt & ipfæ ab Rege Nabuchodonofore Babylonis, tandem in captiuitatem in Babyloniam abductæ, in diebus fcilicet Ioachini Regis Iuda, quem etiam cepit, & carcerauit. Hic Ioachinus dicitur etiã Iechonias, vt memorat 3. p. q. 31. 3. 3. cognomento, ait Hieronymus, Prologo 2. in Ieremiam: Sic eum appellante Ieremia, vt recolit D. Th. Matth. 1. de quo 4. Regum c. 24. & 25. atque 2. Paralipomenon c. 36. & Ier. 22. ac 25. In Daniele folùm initium tangitur inuafionis factæ à Nabuchodonofore, aduersùm Ioacim Ioachini Patrem. Denique citatis locis enarratur, quomodo cum remanfiffet ex Iudæis foli pauperes terræ, fub conftituto Rege Sedecia, (quem poftea exoculauit, vinxit & abdùxit Nabuchodonofor.) Hi tandem funditùs erafi funt, Vrbe Temploque exuftis. *Si quis euaferat gladium, ductus in Babylonem, feruiuit Regi, & filiis eius*, 2. Paralip. 36. Itaque tunc Regnum Iudæ in Iechonia, qui liber tribus folis menfibus regnauit, regiam amifit dignitatem: iuxta comminationem factam Patri fuo Ioakimo, Ieremiæ, 22. & 36. Cæterùm, etfi id euenerit fortè ad indicandum; non futurum fuiffe Regnum Chrifti de hoc mũdo; tamẽ poft 70. annos liberati funt (minifterialiter per Cyrum, fed virtute, & potentia per Deum ipfum) vt Danielis c. 1. & 9. Primo Efdræ 1. & Ifaiæ 45. commemoratur. Verumtamen etfi regia poteftas finierit, non tamẽ iurifdictio finaliter libera: quæ cœpit in regreffu è Babylone in Iudæã Duce Zorobabele, Ioacini nepote, vt patet 1. Paralipomenon 3. & Aggæi 2. Quod paulò poft declarabitur. Hac fortè de caufa prædicit Iacob, quid futurum effet, non folùm quoad fceptrum, (quod preffiùs regiam præfefert auctoritatem) fed quoad regimen qualecumque abfolutum, *& Dux de femore*, feu *de inter pedes eius*; quod plenam poffeffionem fuæ libertatis videtur referre; ficut poffeffio eft pedum pofitio. Obferuat idcirco Angelicus in Matth. c. 1. feriem genealogiæ in tres partes diuidi, fecundùm tres quaterdenarios, quibus texitur. Primus eft ab Abraham vfque ad Dauid, qui procedit per Patriarchas; fecundus procedit à Dauid, vfque ad tranfmigrationem Babylonis, per Reges, (ànnis quafi quingentis, & quindecim à Dauid vfque ad Sedechiam,

chiam, vt V. *Regnum* in Tabula Abulensis) tertius à transmigrationis tempore, vsque ad Christum, qui incipit à Ducibus, & ptocedit pet personas priuatas. Igitur vsque dum complerentur septuaginta anni, quod legitur 2. Paralipomenon cap. vltimo, regnareque cœpisset Cyrus Persarum Rex, stetit Iuda sub iugo; deinde sub Zorobabele & Neemia filio Helchiæ, vt constat Esdræ 1. & 2. dimissi sunt Iudæi in Patriam, & ad Templum reædificandum, & ad Ierusalem muro cingendam. Sciendum est autem, quòd ad populum tribus Iudę, Beniamini, & Leuinæ, qui vt recolit S. Doctor Philip. 3. l. 1. fuit semper in cultu Dei; multi ex alijs tribubus accesserant, non solùm in diebus Roboam: vnde dicitur 2. Paralipomenon 11. *Sed & de cunctis tribubus Israel, quicumque dederant cor suum, vt quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Ierusalem: Et in diebus Asa, vt patet ibi*, c. 15. sed etiam post captiuitatem Assyriorum inuitati ab Ezechia; ibi c. 30. multi ex reliquijs illarum tribuum ex Aser ex Manasse, & Zabulon venerunt Ierusalem. Sic etiam quando sub Zorobabele, Regij generis vt patet Aggęi 2. redierunt duæ tribus cum Leuina, plures ex præfatis Israelitis, qui cum illis captiuati fuerant, regressos fuisse, affirmant plerique Hebræorum, vt Rabbi Scelomoh in 2. Esdræ; & ex nostris non pauci, vt Sanctus Beda, & Lyranus in 1. Esdræ, alijque apud Maluendam l. 11. de Antichristo c. 18.

Quod quidem videtur colligi ex 1. Paralipom. c. 9. versu 3. & Esdræ 1. c. 2. in fine. Itaque magna pars, loquor pro generibus singulorum, redacta est à Deo patrias in sedes (quò facere potest, quod ait Iacobus c. 1. *duodecim tribubus quæ sunt in dispersione*) iuxtà quod Moysi seruo suo dixerat; 2. Esdræ cap. 1. *cum transgressi fueritis, ego disperdam vos in populos: & si reuertimini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea; etiam si abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, et reducam in locum, quem elegi, vt habitaret nomen meum ibi*. Quamquam autem nonnihil subiectionis Regibus Persarum adhuc haberent, soluentes tributa, vectigalia, annuosque redditus, vt colligitur ex 1. Esdræ c. 4. vnde & seruos se dicebant, Esdræ 2. c. 9. essentque Duces eorum beneplacito Regum: nihilominus sensim sui iuris fiebant, erectis, vt patet, magistratibus, multisque absque Regum arbitrio peractis.

Dices; post Zorobabelem & Neemiã, Regimẽ Iudaici populi seu ducatum, alij tenuerunt, peruenitque ad Machabæos oriundos ex Leui, vt potè sacerdotes, & filios Aaron; Et sic Principatus Iudæorum deinceps penes Pontifices fuit vsque ad Herodem, vt scribit Iosephus l. 11. antiquit. c. 4. & Eusebius l. 1. Histor. c. 5. apud Tirinum Ieremiæ 22. ergo ante Christi aduentum ablatus fuerat Dux de femore Iudæ. Occurritur huic obiectioni; primò, quia cum Iudæ tribus agnominauerit semper populum; (tum quia tribus Beniamin exigua & minima, fuit ferme extincta Iudicum 20; tum quia tribus Leui, post has adhæsit Roboam; tum denique quia carnalibus Iudæis Regia potestas mundano plus erat honori;) dicti sunt semper Duces eorum de Iuda; eo vel maximè, quòd à reditu è Babylone, licèt plurimi ex alijs tribubus reuerterentur in patriam, non nisi tanquam vni Regno, & tribui Iudæ adscripti & insiti: vnde omnes, Iudæi vocati sunt: Et hoc videtur intendisse Iacob, quandoquidem prophetauit dicens, *non auferetur sceptrum de Iuda*: non autem *sceptrum Iudæ*. Licèt ergò Machabæi alio ex sanguine prognati, rexerint populum; quia tamen id iuris acceperunt ab eadem tribu Iuda, & quia extraneus nemo adhuc sceptrum abstulerat; etsi ab Iuda, detur, tunc iam excidisset; (quamquàm ex Thalmud, velint primatum *Sanhedrin*, siue *Senatus* tueri; qui ex tribu Iuda) in Iuda permansisse dicendum est sceptrum: non secùs, ac olim Romani dicebantur Imperatores, licèt aliquando exteri, (verbi gratia Traianus Hispanus) clauo regiminis assiderent. Sic à Gente Polonica passim teneri Poloniæ sceptrum verissimè dicitur, tametsi alterius nationis in Reges asciscant, sibi veluti insitos, & incorporatos. Et sic *Iudæi* promiscuè appellantur & hodie, quòd eis eiusmodi nomen cedat in gloriam. De Iuda autem certè nunc dignoscitur omne sceptrum ablatum; dato gratis quòd tribus Israel regnarent: distinguunt sanè sacræ litteræ, de Regno Iuda, ac de Regno Israel. Hoc in Ezechia expletum fuit quarto Regum 17.

Secundò dici potest, & optimè, pro tanto, vsque ad Christum mansisse in Tribu Iuda Imperium, pro quanto, tribus Sacerdotalis Leui, & Regia Dauid fuerunt [Q] commistæ, præsertim per vnius & alterius coniugia; quia erant Sacer- Q D. Th. hic.
dotalis & Regia tribus præclariores: sicut patet de primo Summo Sacerdote, (Aaron) [R] qui R Hebr. 7. l. 3.
accepit vxorem (Elisabeth) filiam Aminadab sororem Nahason, qui fuit Dux in Tribu Iuda; vt patet Numeri 2. & Exodi 6. Et 4. Regum 11. atque 2. Paralipomenon cap. 22. Ioiada Sacerdos duxit in vxorem Iosabeth filiam Regis Ioram. Et quidem secundùm Gregorium Nazianzenum [S] contigit nutu superno, vt regium genus sacer- S 5. p. 31. 2. 2. & hic.
dotali stirpi iungeretur, vt Christus qui est Rex, & Sacerdos (*Regnabit Rex & sapiens erit*. Iere. 23. & Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*,) ab vtrisque nasceretur secundùm carnem: quod, & asserit pluries D. Th. ex August. l. 2. de cons. Euangelist. vnde Maria erat cognata Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron; & sic firmissimè tenendum est, carnem Christi ex vtroque genere propagatam; & Regum scilicet & Sacerdotum. Quomodo autem id licuerit aliquando, dicetur Numeri vltimo.

Et si dicas; antè Christi aduentum, ablatum fuit sceptrum de Iuda: quia Herodes Asconita, alienigena certè, quia Philistæus, de quo Eusebius, de Ecclesiastica Historia l. 1, c. 4. fuit Rex Iudeæ supra triginta annos, antequam nasceretur Christus.

Respondetur primò; immò id nobis fauere; voluit enim Christus tempore Regis alieni-
genæ [T] nasci, vt impleretur hæc prophetia. Et T 3. p. 35. 8. 2.
ideò non sine mysterio Matthæus cap. 2. mentionem de illo facit dicens; *cùm* [V] *natus esset Ie-* V Matthæi.
sus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis; quod obseruat Angelicus. Et dici potest, quòd aliquantulùm ante Christi ortum, debuit aliqualis ablatio Regni Iudaici inchoari; [X] vt ex hoc X D. Th. hic.
innueretur, quòd Christi aduentus, iam in ianuis erat.

Respondetur secundò, quòd Herode per

vim à Romanis in Regnum intrufo, non ftatim aduenit Chriftus: quia ferè totò illo tempore, fola vi, & armis tenebat Imperium, viuentibus fub initium Ariftobulo, & Hyrcano, legitimis Regni hæredibus; & his dolo,& nequitia ipfius occifis, quod eis euenit, ob mutua iurgia de Imperio; vnde Pompeius priùs Ariftobolum vinctum abduxit, ftabilito Hyrcano;de quo,Eufebius in Chronico. Repugnabant nihilominus Herodi Primores Iudæorum, cum Pharifæorum, & Sacerdotum Principibus, detrectantes imperium Herodis; atque ita fceptrum iure faltem, quamuis non re ipfa,tenebant. Donec tædio, ac malis artibus victi, ac etiàm laffi, vltimo Herodis anno, manus illi dedere, & fidei iuramento dato, imperio eius colla fubdidere; atque ita, fceptrum tribui Iudæ fubtractum ipfimet ad alienigenam transtulere. Ita Philo lib.2, de Tempor. & Iofeph 17. Antiquitatum cap. 3. Quocirca Annius in Breuiario Philonis de temporibus,cœpiffe tràdit legitimum Herodis Principatum, eius Regni anno trigefimo fecundo, qui erat Octauiani Augufti quadragefimus fecundus: quare inquit, eo anno verè fuit ablatum fceptrum de Tribu Iuda, quo natus fuit, qui mittendus erat Meffias.

Exinceps fpem omnem recuperandi fceptri amiferunt in fæcula: iam enim ad annos bis millenos accedimus, neque vnde poffint exurgere aperitur Orizon; quia *dies multos fedebunt* (ait c.3. Ofee) *filij Ifrael fine Rege, & fine Principe, et fine Sacrificio, et fine altari, et fine Ephod, et fine Theraphim. Dies multos*, intellige illos de quibus Ieremias *ecce dies ueniunt, dicit Dominus, et fufcitabo Dauid germen iuftum, et regnabit Rex*. Iam prædixerat Ieremias c. 23. *Dabo uos in opprobrium fempiternum, et in ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur*. Sic Deuteronomij 28. *aduena, qui tecum uerfatur in terra, afcendet fuper te, eritque fublimior; tu autem defcendes, et eris inferior; ipfe fænerabit tibi, et tu non fænerabis ei; ipfe erit in caput, et tu eris in caudam*. Igitur benè de Iudæis prophetauit Ifaias capit. 42. *calamum quaffatum non conteret*, fiue vt legit Matthæus, cap. 12. *calamum quaffatum non confringet*: ex quo innotefcit, quòd arundo fine poteftas Iudæorum, [a] quæ per arundinem fignificatur (Ifaiæ 36. *fuper baculum arundineum*) præquaffata iam fuerat, quia Romanis iam fubditi erant; & nihilominus de illo timebant;*omnes credent in eum, et uenient Romani, et tollent locum noftrum*. Hinc confracta arundine, atque virga virtutis, quid mirum, fi Paftorem per illam fignatum, etiam perpetuò amiferint; dicente Ieremia c. 50. *grex perditus factus eft populus meus*.

[a] Matth. 12.

Poft hæc videndum, quid alij tertiò dicant ad hanc prophetiam. Inquiunt; fe nondùm amififfe Regnum; florere immò; non quidem in duabus præcipuè cantatis tribubus, quæ per Afiam, & Europam difperfæ, fub Romano degunt Imperio; fed in illis decem, quæ fub Salmanaffare 4. Regum in Affyriam, & Mediam translatæ funt. Hæ, inquiunt, (quamuis credendum fit, ex eis nonnullos cum Zorobabele rediffe, Patriæ Templique zelo) quò abierunt, feruant fuum Principatum; confinguntque fibi mendacijs, compactam fucceffionem quandam, perpetuò ductam à Zorobabele; atque adeò in tribu Iuda, & familia Dauid, imperium per[illegible] nare. Sic in Hebræorum *Seder Olam zuta*, defcriptam atque notatam hanc feriem eft inuenire. Addunt; qui hac potiuntur dignitate. *Rafe Galuioth*, hoc eft, *capita captiuitatum*: fiue *Rex Galuta, caput*, feu *Princeps exulum*, lingua Chaldaica; vel Græcè, Æchmalotarchæ, nuncupantur. Sed atra capti cœcitate, non vident; eorum quifquis fuerit Principem, vel potiùs Patriarcham nuncupatum, magno non nifi pretio fubrogari; ipfumque cum cæteris infelicius feruire. Meminerunt de eiufmodi illorum non nifi fictitio Principatu, refcripta Principum Conftantini, Arcadij, Theodofij; fanctus Epiphanius; alijque apud Thomam Maluendam de Antichrifto l. 2. capit. 11. vbi refert Chryfoftomum dicentem; *nec mihi iftos Patriarchas dixeris: caupones, negotiatores, iniquitate plenos*. Quò loci tamen poftremò poft tranfmigrationem abierint; an firmam aliquam feruauerint fedem, an in Tartaros degenerauerint, aliaque eiufmodi, videat curiofus Lector apud præfatum Auctorem de Antichrifto l. 11. c. 18. lib. 3. c. 18. Libro 5. c. 18. fimiliter; & prius c. 16. fufius; vbi quoque refert, quòd Iudæi plerique credunt fuum Meffiam iam multò retro tempore natum, etiánum afferuari intrà portas Cafpias. Verùm ficut fomniatus eft iftis claufus Meffias; ita quoque imaginarium eft alijs diù florens Regnum: nàm aliud non habent vbiuis gentium, nifi quod in Mofchouia, Iberia, Ruffia, Galatia, Perfia, inter Turcas, ac in Italia; fcilicet feruituris fub iugo in æuum gementes. Inopinabile eft etiam progeniem Ducis Zorobabel illic remanfiffe, quando ipfe, vt vidimus, in Patriam reuerfus eft. Dato autem gratis, ibi regnarent, aliæ tribus, prophetia indiuidua eft pro Iudæ Regno. Addiderim ipfe, etfi nihil ex fcripturis habeatur de tribubus illis, quæ remanferunt in Babylonia, an deinde, & ipfæ Babylonam reliquerint: verifimile effe, id paulatim feciffe, denique difpergendas: quod ait, D. Iacobus. *Duodecim tribubus,quæ funt in difperfione*, & Io. 11. *vt filios Dei, qui erant difperfi, congregaret in vnum*. Huic autem veritati confonat interpretatio nominis Silo: quod non folùm fignificat miffum; eoquòd Chriftus fie erat mittendus, vt effet per æternam prædeftinationem quafi iam miffus; fed etiam interpretatur amiffio translatio, vel reftauratio; quæ omnia fub Chrifto euenerunt, amiffo à Iudæis Regno; translata vereri lege in legem Chrifti; reftaurationeque in vniuerfum humani generis facta. Figuras translationis huiufmodi vidimus præcedenti capite in D. Thoma.

Poft hactenus dicta, rapitur Domini impulfu calamus, ad meditandam profundiùs Prophetiæ vim; vt fcilicet intelligatur de auferendo fceptro ab Iuda, de altoque ipfius dominio abituro, cum *Silo*, fiue *Meffias* adueniret: in quacumque tribu extaret, fiue Iudæ, fiue Leui, fiue etiam Beniamina. Etfi enim feorfim præ alijs filijs, alloquatur Iacob perfonam Iudæ, Iudæ tribum; non arctatur propheticus ifte fermo, preffè ad fub Iuda imperium, fed ad Iudaicum, verè ita nuncupatum qualitercumque. Sane in libris Regum atque Paralipomenon, apertè conftat, fecerni regnum Iuda à regno Ifrael; regnaffeque fuper Ifrael Ieroboam, Roboam fuper Iuda: at

con-

constat etiam Roboam, ipsiusque successores, non super solam tribum Iuda regnasse (quamuis tunc primò ipsa sola tanquam Regem Roboam coluerit, vt patet 3. Regum 12; ex quo ab Iuda, nomenclaturam recepit Regnum) sed regnasse etiam Roboam super Beniamin; immò super Leuitas & Sacerdotes, qui transierant ad eum, vt claret 2. Paralip. 11. Immò super plures de cunctis tribubus, vt ibidem c. 15. Et tamen passim etiam post hæc, distinguitur Rex Israel, ab altero Rege, sed sub titulo Regis Iuda, quasi Iudæ Regnum, super vnam dumtaxat floreret tribum. Sic ergo; *non auferetur sceptrum de Iuda*: hoc est, Regnum Iuda non amittet imperium, *donec* &c. siue ergo regnauerit tribus Iuda, siue tribus Leui, siue etiam post diuisionem Regnorum huiusmodi, regnasset Beniamin, sceptrum verè dicendum Iuda, contradistinctum a Regno Israel. Quare etiamsi regnarent alicubi tribus aliæ, non regressæ sub Zorobabele: dum regnum Iuda, transmigratum in Iudæam, non ampliùs est sui iuris, non vltrà imperat, impletaque est prophetia. Certè Iacob, regnum auferendum prænotans, quemadmodum prænouerat commistionem plurium tribuum appellitandam esse de Iuda, ita sceptrum, de omni eo cetu auferendum, prædixisse credendus est. Hoc autem post Christi aduentum, simpliciter & absolutè euenit; antea enim, siue esset eorum caput, Rex, Dux, Senatus, siue vnius, siue aliùs tribus, semper manebat Regnum sceptrumque Iuda. Et ideò D. Thomas hic ait; intelligendum est, quòd Regnum fundatum in tribu Iuda, non auferetur populo Iudaico, donec veniat Christus. Christus enim non solùm debebat esse finis tribus Iuda, sed etiam totius status Iudaici; & ideo loquendo de Regno Iudaico, prout erat finiendum in Christo, non solùm debuit loqui de Regno tribus Iuda, sed etiam de tota regali potestate Synagogæ. Quod, si contigit ad tempus deperdi, non idcirco finaliter amissum fuit, (vt in captiuitate) quia fuit reparatum. Nunc, nunc, solidè, permanenter, tot sæculis, irrepabiliter, spe omni extincta regnandi, ablatum deprehenditur. Hæc autem, prout enucleata sunt, litera ipsa declarat; quoniam inquit ab Iuda, fine de Iuda, non verò à tribu Iuda, non à domo Dauid, vt fit Isaiæ 7. de Christi generatione.

Quod sequitur etiam, *neque Dux dè femore eius*, accuratiùs meretur perpendi. Chaldæa legit; *non auferetur habens principatum à domo Iuda; neque scriba à filijs filiorum eius*. D. Paulus 1. Cor. 1. *Scriptum est enim, perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens, vbi scriba?* Isaiæ 33. *Vbi est legis verba ponderans?* Septuaginta; *non deficiet Princeps ex Iuda, & Dux ex femoribus eius*. Interlinearis; *de generationibus*. Hebræa ad verbum; *de inter pedes eius*; quo pacto transfert Maluenda, legens, *statutarius*, vel *legislator*, *de inter pedes eius*. Phrasis alta; ardua, sed quæ non vacet mysterijs. Fabianus Froghus, in suo Dialogismo cap. 70. fert exponi *de inter pedes*, quia inquit, mos est Dominatoris, scribam prope pedes habere: hoc est, adijcit, prope se. Sed licèt scriba dicatur etiam ab officio scribendi, tanquam Notarius, vt ex D. Th. Matth. 13. ac D. Vincentio Dominic. 4. Adu. Serm. 4. tamen pressiùs à notitia Scripturarum. Vel petitus in lege 1. Cor. cap. 1. lect. 3. Ipse quidem arbitror transtulisse Nostrum cum Septuaginta, *de femore eius*, quatenùs, & sensus huiusmodi clauditur ijs in verbis, *de inter pedes*, & crediderim etiam, appositum, ly *de inter pedes*, vt pedum expressione, radix *chakak*, quæ varia significat, trahi posset manifestè ad Ducem, Dux enim in via non magis rectà ducat, quàm si veluti si inter pedes: vnde est quasi circumlocutio, ad Ducem significandum. Quoniam autem progressus generationum subintelligitur, affixit Noster cum Septuaginta; *De femore*. Adhùc locupletiùs ly *de inter pedes*. Fortè, quia soboles natorum, vulgari etiam nostro prouerbio, semper nobiscum sit inter pedes, quod sonat multiplicitatem filiorum, semper hàc & illàc occursantium. Vel etiam, quia sicut legitur capite sequenti, *Filij Machir nati sunt in genibus Ioseph*: ita cum incipiunt infantes puerascere & super pedes suos stare, blandè & amanter parentum inter pedes teneri solent. Itaque filiorum procreatio ea phrasi indicatur, è quibus futurus fit Dux, futurus scriba. Immò, quia status veteris legis, Gal. 4. erat sicut paruulus propter imperfectionem cognitionis, vt exponit ibi D. Thomas l. 1. id innuitur in ly *inter pedes*, ac si diceret *Scriba paruulus*.

Verùm multiplex adhuc latet intelligentia; quo scilicet arctata non fit prophetia, vt Regnū, Ducatusque Iuda, masculina in prole tribus eius permaneret: supra enim diximus, facta connubia inter mulieres de tribu Iuda, & viros de Leui; vnde, *non auferetur Dux de inter pedes Iuda*, hoc est ex parte saltem mulierum de Iuda, regnabit proles. Quod vt intelligeretur ait *de inter pedes*; nam mulier parens est, quæ veluti inter pedes suos patit; sicuti 1. Regum 4. legit, *incuruauit se & peperit*. Apertiùs autem in Iuda, permansisse Dominium liquet, vsque ad Christi Domini propinquam natiuitatem, si genealogia muliebris ex Iuda saltem, regnasse in filijs perhibeatur. Radix hebræa *charagu*, modicam corporis incuruationem significat; sic *inter pedes*, parientium tangitur consuetudo; non hæc virorum.

Rursus ly *inter pedes scriba defecit*, quòniam pedibus obuolutus tropicè est scriba, quando pedarius veluti, maiorum placito acquiescit, & obedientiæ ductu, aliorum it post vestigia, *docibilis Dei*. Hoc potissimum respectu Domini; vnde Deuteronomij 33. *& qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*. Sic Apostolus, se primò perhibet fuisse Gal. 1. *abundantiùs æmulatorem paternarum traditionum suarum*: & vocatus, Act. 22. aiebat hoc ipsum; *nutritus* &c. *secus pedes Gamaliel eruditus*, &c. Ad Christi adnentum *defecit scriba de Iuda inter pedes*; antea siquidem concordes in prophetica intelligentia promissionis, & expectationis Messiæ, nunc, tam variè scinduntur, studia etiam in contraria, in Scripturis exponendis, quas eis obijcimus, vt nullus fit, quem sequantur, Antesignanus; nullus blaterandi finis; idem nusquam effugium: quare huc illuc errones, vt certas non habent sedes, sic inconstanti interpretationum sensu, vbique fluctuant; & sic deest scriba de Iuda, *de inter pedes*, nàm *sub lege*, vt dicitur Gal. 3. *custodiebantur conclusi*: & vim hanc videtur importare ly

de

de inter pedes. Nifi etiam dicatur defeciffe fcriba, quia ex D. Thoma Matthæi 23. fcribæ dicuntur interdum, qui folam literam confiderant. Neftatur etiam Prophetia hæc, dicto Domini, Matthæi 21. *auferetur à vobis Regnum Dei, id eft intellectus Sacræ Scripturæ*, vt ibi, & cap. 23. D. Thomas, cum Origene, qui ait in Catena Aurea, *Regnum Dei, Mysteria Regni Dei, id eft diuinas Scripturas*. Sic de duplici Regno prophetat Iacob. Ita etiam D. Hieronymus l. 2. comm. in cap. 13. Matth. *Regnum cælorum, prædicatio Euangelij eft, & notitia fcripturarum, quæ ducit ad vitam; & de qua ad Iudæos, auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius*.

Adhuc ly *& Dux de femore eius*; quia Meffias antonomafticè *Dux* futurus erat. Ifaiæ 55. *Ecce teftem populi dedi eum, Ducem ac præceptorem Gentibus*. (Præterquam orto iam fole, conduntur ftellæ: defecit *Dux de inter pedes* Iuda, quia Euangelica doctrina, non in vno Iudææ angulo, quafi intra eorum pedes, claudenda erat; fed in *omnem terram* Pfalm. 18. exiturus fuerat fonus Apoftolorum, tubarumque difcipulorum: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Marc. 16. *Euntes ergo docete omnes Gentes*. Matth. 28.) Iudæorumque Gens, Ducem intra fuos pedes amifit: etfi cæcitate obruti iactent fe videntes: *cæci funt* inquit Dominus, & *Duces cæcorum*. Matth. 15. & c. 23. bis duces cæcos redarguit. Cum autem legatur, *& fcriba*, aptiffimè cohæret intelligentia, coquòd lex vetus metonymicè fcriba dici poteft; quia lex eft fcripta; & quia fe ipfam exponit. Prouerbiorum autem 6. habemus, *quia mandatum lucerna eft, & lex lux*. Et paulo ante de præceptis & lege, *cum ambulaueris gradiantur tecum*: en quomodo ad greffus tranfitur, iuxta quod ait Pfal. *lucerna pedibus meis verbum tuum*. Scriptum eft etiam Numeri 15. *Loquere filijs Ifrael, & dices ad eos, vt faciant fibi fimbrias, per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas*; & Deuteronomij 22. *Per quatuor angulos pallij tui*.

Quocirca D. Th. p. 2. q. 102. a. 6. ad 7. id recolens, quod fubditur, *quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini*, ait; populus ille carnalis erat, & duræ ceruicis; ideoque oportuit, etiam per huiufmodi fenfibilia, eos ad legis obferuantiam excitari. Addit D. Hieronymus, foliros fuiffe Pharifæos inferere in eifdem fimbrijs acutas fpinas, à quibus inter ambulandum pungerentur. Lex ergo, aio ego, erat veluti inter pedes, nam iis ambulantibus fic angulos contingebat præ pedibus, feu inter pedes, ipfo motu ferri: ablatus eft ergo feu auferendus erat fcriba, feu lex de pedibus; nam alius erat futurus *fcriba, Dux, præceptor, legiflator* de quo Ifaiæ 42. *legem eius infulæ expectabunt*. Ieremiæ 31. *dabo legem meam in vifceribus eorum, & in corde eorum fcribam eam*: non iam habitudine pedum: ex quo tranfituram veterem, motus ipfius metaphora deprehenditur. Hoc eft quod mirabiliter, affumit Apoftolus ad Galat 3. *Itaque lex pædagogus nofter fuit in Chrifto*. Ibi D. Thomas l. 8. Pædagogus dicitur à *pedos*, quod eft puer, & *goge* quod eft ductio: quafi dicat, inquit; ex quo fub lege cuftodiebamur, lex fuit nofter pædagogus, id eft dirigens, & conferuans in Chrifto, id eft in viam Chrifti. Ofeæ 11. *puer Ifrael, & dilexi eum*: fed, hoc officium ceffauit quando venit fides; & hoc eft quod dicit, *at vbi venit fides*, fcilicet Chrifti, iam non fumus fub pædagogo, id eft fub coactione, quæ non eft neceffaria liberis. En vides aliam, ex ly *de inter pedes*, allufionem; Et quomodo ceffante pædagogo, impletur, *non auferetur Dux, fcriba de inter pedes, donec veniat Silo*. Et quoniam Ifaiæ 54. legimus, *ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi*. Et Ezechielis 37. *& faciam eos in Gentem vnam in terra, in montibus Ifrael, & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna*: & paulo poft; *Paftor vnus erit omnium eorum*. Quò fpectat illud Ioan. 10. *fiet vnum ouile, & vnus Paftor*. Qui Paftor, vt fubditur c. 11. *moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, fed vt filios Dei, qui erant difperfi, congregaret in vnum*, non enim *Iudæorum tantùm Deus, fed & gentium*, vt probat Apoftolus Roman. 3. & iterum Roman. 9. *non omnes, qui ex Ifrael funt, ij funt Ifraelitæ, neque qui femen funt Abrahæ, omnes filij Dei*, & priùs cap. 2. *non enim qui in manifefto Iudæus eft, neque quæ in manifefto in carne eft circumcifio; fed qui in abfcondito Iudæus eft, & circumcifio cordis in fpiritu, non litera*; fatis liquet opportunè prædici, defectarum Ducem, feu fcribam *de inter pedes*, legem fcilicet, prope pedes in angulis palliorum commemoratam, quafi Iudæorum indiuiduam. Immò ftatuta, decreta, cæremonias, iura, ritus, cultus, legitima, præcepta; nam hæc omnia ad legem fpectant fcriptam, & è radice illa *chakak* promanant: & pariter non vltra curandum, de Iudæorum à gentibus feparatione, (nam ficut dicit Hieronymus relatus p. 2. vbi fupra, etiam ad populum Ifrael dignofcendum ab alijs populis ritus fimbriarum erat;) quando iam aduenifset Meffias, collecturus, in *montibus*, hoc eft in altitudine perfectioris nouæ legis & vitæ, (nam *nihil ad perfectum adduxit lex*) verè Ifraelitas. Et fic Apoftolus Roman. 9. *Quos, & vocauit, non folùm ex Iudæis, fed etiam ex gentibus*: ficut in Ofee dicit *vocabo non plebem meam, plebem meam*, Et iterum apud eundem D. Paulum, c. 11. *ego ad æmulationem vos adducam in non gentem*: quod etiam exponitur de gentibus, non gentiliter viuentibus; vt videre eft ibi D. Thomam l. 3. hæc enim duo extrema loca, fummopere iuuant intelligentiam Ezechielis eo cap. 37.

Tandem videtur his verbis, *neque Dux fine fcriba de inter pedes eius*, qualificari lex fcripta: ac fi diceret, non dico abiturum effe Ducem omnem aut fcribam; (Apoftoli à Diuo Dionifio de Diuinis nominibus, appellantur *Duces noftri*; *Sacerdos*, etiam, quafi *facer Dux*; fcribæ quoque poft Chrifti aduentum funt & fuere, puta Stephanus Paulus; & ait Dominus, *omnis Scriba doctus in Regno cælorum, fimilis eft homini patri familias, qui profert de thefauro fuo noua, & vetera*,) fed fcribam depedibus; hoc eft, legem fcriptam, (de qua Rom. 7. *non in vetuftate literæ*) quafi legem impactionis; idcirco inter pedes; non quòd lex fuerit mala, nam *lex quidem fancta*, Rom. 7. *quia bona lex eft*, p. ad Timot. 1. & in Pf. *lex Domini immaculata*, contra Manichæorum impietatem; fed quia, lex vi fua, vires ad ipfam implendam non dabat, peccati concupifcentiam

non

non auferebat, immò peccator occaſione accepta peccabat ardentiùs. In quo ſenſu Rom. 5. legitur, *lex ſubintrauit, vt abundaret delictum*; ad Galat. 3. *lex propter transgreſsiones poſita eſt*, & p. Cor. 15. *Virtus peccati lex. Quod neque Patres noſtri* Actor. 15. *neque nos portare potuimus*. 2. Cor. 3. *nam miniſtratio damnationis in gloria eſt*. Vbi lex dicitur miniſtra mortis, vt notat D. Th. Io. 1. L. 10. ſcilicet per occaſionem. Quoniam autem auxilium non conferebat lex ad vitanda peccata, infirmitatem ſuam inde recognoſcens peccator, ſic humiliatus excitabatur, vt auidiùs quæreret gratiam, nec ſuperbè repeteret, Exodi 24. *quicquid præceperit Dominus, faciemus*. Cauſa humiliationis huiuſmodi, rectè dicitur lex *ad pedes*; & quamuis data eſſet vt ambularet in ea, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*; immò vt curreret, *viam mandatorum cucurri*, attamen cum eſſet ſcripta in tabulis lapideis, impingebat in offendicula; niſi citò, (quod ad pedes attinet) ad diuinæ gratiæ lumen & adiutorium recurreret. His de cauſis, ait *de inter pedes*. Quoniam verò ad Galat. 3. ad illud, *poſita eſt*; ſignanter inquit S. Doctor lect. 7. dici, quaſi debito ordine collocata, inter legem naturæ & legem gratiæ; nil prohibet, eodem modo intelligi, legem ſcriptam fuiſse *inter pedes*, mediam ſcilicet, inter greſsus ſecundùm naturam, & ſecundùm gratiam: ambobus quippe his pedibus incedentes, prædicationis verbum Euangelizarunt Apoſtoli; referente Paulo ex Iſaiæ 52. & Naum 1. *quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Bona*, dixerim ego, naturalium præceptorum. Pſal. 4. *quis oſtendit nobis bona?* obnubilata priùs per peccatum ratione; & *pacem*, vt nimirum *pacem* haberemus, *ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, quod monet Apoſtolus Roman. 5. Quò ſpectat illud Iſaiæ 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem*. Quia inde doctrina Chriſti exiuit in vniuerſum mundum, per hoc quòd Apoſtoli in Cęnaculo Sion Spiritum-Sanctum receperunt. D. Th. Rom. 11. lect. 4.

Docibilibus aliam fert expoſitionem Angelicus in præſenti, vt pro Regno & ſceptro, iuriſdictio ſinceræ fidei, ſpiritualiſque ſedes Diuini cultus intelligatur; quæ nunquam ab electis Dei aufertur vel auferetur; quando nec ante Chriſti aduentum, quod poſſet quis ſuſpicari, auferenda erat. Et hunc ſenſum facit illud *donec*: non quòd deinde auferendum eſſet; ſicut ſi quis diceret, *donec* viuam nolo peccare: non propterea intelligitur, poſt mortem peccaturus; pſ. 3. *confirmatum eſt cor eius, non commouebitur, donec deſpiciat inimicos ſuos*: nunquid poſtea deſpectis inimicis, cor eius commouendum erat? ſexcenta ſunt in Scripturis exempla. Vt ad hanc extolleremur intelligentiam, nec in ſolius cortice literæ langueremus, diu poteſt permiſiſſe Deum, vt Regnum Iudæ aliquando ad tempus deficeret quoad temporalem poteſtatem; vt quaſi coactè ad altiora ferremur. Vide D. Th. Impudentes alias textus corruptiones, non interpretationes, vide apud fabianum Fioghi in Dialogo fidei, italica lingua: quæ omnes, expendendo vim verborum, ſenſus, & contextuum, de gentium preſertim expectatione (talis enim futurus prædicitur Meſſias,) facile eluduntur. Voluit autem Deus hoc ſigno deficientis Dominatus Iudaici, filij ſui Meſſiæ aduentum potiſſimùm notare, vt Regnum Meſſiæ non eſſe futurum de Mundo, innoteſceret, (quod ait Chriſtus) in quo, toto cœlo decipiuntur carnales & craſſę intelligentiæ verpi, Regem ſuum præſtolati. Sed ſi verum eſt quod fertur, & apud Philippum Camerarium centuria 3. c. 8. (vltrà Sanctos Patres, Euſeb. l. 1. Hiſt. c. 17. Chryſoſt. Theodor. Theophyl. Ambroſ. Oecumenium) omnes genealogiæ Iudæorum memorias, exuſtas fuiſſe ab Herode, quem poterunt, tanquam de Regia ſtirpe Dauid Meſſiam agnoſcere, aut recipere? (hinc promiſcuè contra legem Numeri 36. connubia iungunt.)

VERSVS XI. *Ligans ad vineam pullum ſuum, et ad vitem, ò fili mi, aſinam ſuam; lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.*

6 Super illa verba Domini Matthæi 21. *Statim inuenietis Aſinam alligatam, & pullum cum ea*, ait S. Doctor; per aſinam ſignificatur Iudæa, per pullum, populus gentilis. [A] Hoc ipſum docet etiam [B] in præſenti: *pullum ſuum*, ideſt populum gentilem, *& aſinam ſuam*, ideſt ſynagogam. Aſina, ſynagoga, iugo legis preſſa; inſenſata & inſipiens. Deut. 32. *popule ſtulte, & inſipiens*; oneribus legis grauata, Act. 15. *hoc eſt onus, quod nec nos, nec Patres noſtri ferre potuimus*; & ignobilis, quia contempſit mandata Domini. Id docuerat Chryſoſtomus in Catena; & Hieronymus pariter dicens; *Aſina ſynagoga intelligitur*; [C] *pullus aſinæ, laſciuus & liber gentium populus*: Iudæa enim ſecundùm Deum mater eſt gentium. *Ignobiles*, ſubdit Chryſoſtomus; quia obliti generationis cœleſtis; facti ſerui paſſionum, & dæmonum. Præmittitur hic *pullus*; quia quæ procul magis ſunt, tanquam proxima, mens prophetica attingit; & quia, *quod Iſraeli parabatur plebs gentium occupauit*. Act. 13. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei. At quoniam repelliſtis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita; ecce conuertimur ad gentes. Ligans, pullum*, præceptis, ſacramentis, gratiarum donis; [D] *ad vineam*, ideſt ad Eccleſiam; inſtar vineæ plantatam & cultam; *& ad vitem*; ideſt ad ſe ipſum, qui eſt *vitis vera*; *aſinam ſuam*, ad ſe ipſum ligauit ſynagogam, aut Iudæam: quia non erat, dum mortali vita viueret, *miſſus niſi ad oues*, Matthæi, 10. *quæ perierunt domus Iſrael*; & dico *Chriſtum Ieſum* miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum: Rom. 15. Sed interſerit Deus Pater, aut quæ fidelis extitit Iudæa Mater, dolenter exclamationem, admirabunda, de ingratitudine, ex qua innocenti Domino mortem intulit; *fili mi! proprio filio non pepercit* Rom. 8. *hic eſt hæres, uenite, occidamus eum*. Matthæi 21. Videtur etiam prædici, quod ait Ioan. c. 11. de Caipha: *Cum eſset Pontifex anni illius prophetauit, quòd Ieſus moriturus erat pro gente: & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi congregaret in vnum*. Io. 10. *fiet vnum ouile, & vnus Paſtor*. Sanè Act. 21. Iacobus Apoſtolus, & alij Seniores dixerunt Paulo. *Vide quot millia ſunt in Iudæis qui crediderant*. Vbi Græca; *quot myriades ſunt Iudæorum*. Myrias continet decem millia. Hinc Sanctus Beda relatus in Au-

A Matth. 21.

B D. Th. hic.

C Matth. 21. in Catena.

D D. Th. hic.

rea

rea Catena, ibi *suscepit Israel*; poteſt etiam ad *Israel carnaliter, hoc adaptari, cum ex eo infiniti crediderint*. Quamuis ex ipſis plures ſint, qui perierint; vt innuit D. Th. Rom. 10. l. 1. & 2. Cor. 3. l. 3. Quos Dominus tamen Deus in bonum ordinat; ſunt enim velut Capſarij noſtri, cuſtodientes libros, ex quibus noſtræ fidei teſtimoniũ perhibetur. Rom. 9. l. 2.

Lauabit in vino, &c.

E op. 58. c. 30.

Pergit expoſiturus, qua via ſit, qui eſt *expectatio gentium*, [E] ligaturus ſibi *pullum, & aſinam*; nimirum lauando *ſtolam ſuam in vino, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*.

F op. 58. c. 30. G op. eodem cap. 32. H D. Th. hic c. 45. I D. Th. hic.

Vinum accipi pro ſanguine exploratum eſt exercitatis vel tantiſper in Sacris literis. Poteſt conſiderari, ait S. Doctor [F] ſanguis Chriſti vt vinum ſpirituale, & ſecundùm hoc lauat, calefacit, lætificat. Et iterum [G] Vinum eſt ſanguis vuæ, & ſignificat ſanguinem Chriſti. *Chriſtus*, ait gloſſa, *ſicut botrus in ligno pependit*. Stola ſecundùm aliquos ſtat interdum [H] pro veſte longa: induit autem Dominus veſtem humanitatis; *& habitu inuentus vt homo*. Philipp: 2. igitur *lauabit in vino ſtolam ſuam*. [I] hoc eſt; ſanguine ſuo effuſo corpus eius operietur, ac ſi in ipſo lauaretur. Vel per hoc lauit corpus ſuum, in quantùm corporis gloriam meruit, & obtinuit; Apocalypſis 19. *& veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: quare rubrum eſt veſtimentum tuum*, Iſaiæ 63. *& veſtimenta tua, quaſi calcantium in torculari*? Sibi fuit paſſio vinum, vtique ad merendum: vnde dicitur etiam hoc vinum [L] diuini amoris; ſed non ad pænaliter ſatisfaciendum ſicuti nobis: quamuis Paſſio Chriſti cauſauerit noſtram ſalutem, & per modum ſatisfactionis, & per modum ſacrificij, & per modum redemptionis, 3. p. q. 48. ex quo, expreſſum dicitur vinũ, ſignificanti Hemiſtichio, *ſanguine vuæ*; & alibi *torcular calcaui ſolus*. Torcular habet preſſuram [M] & torturam magni cruciatus; & quia torcular vini, acerbitatem pænæ, quæ inebriat, ſignificat, puto dici *in ſanguine vuæ*. Lauit ergò in *ſanguine vuę pallium ſuum*: ideſt fidelem animam [N] ait D. Thom. Licèt autem fideles poſſent etiam intelligi pro ſtola, vt loco citato c. 30. & in præſenti, necnon & Apocalypſis 19. primo in Commentario: attamen, videntur ſpecialiùs ſignificari per pallium. [O] Palliũ ſignificat torquẽ aureã, quam ſolebant legitimè certantes accipere. *Omnibus his*, ait Iſaias c. 49. *velut ornamento veſtieris*: igitur non ſolùm eſt *formoſus* Iſaiæ 63. *in ſtola ſua*; *ſed gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ*. *Lauabit* autem in futurum; quia Ieſus Chriſtus *heri, & hodie, ipſe*, Hebr. 13. *& in ſæcula*: & quia intus lauandi ſumus, *ſanguinem vuę*, vel ſpiritaliter bibimus *meraciſſimum* Deuteronom. 32. ideſt purum [P] & calidum: purum ad maculam iniquitatis: calidum in effectu. Quia verò quæ cuncta fecit ſudans & algens Dominus, *vt mundaret ſibi populum acceptabilem* fecit. Titi 2. factusque eſt *lapis angularis*, vniusque ouilis Paſtor, ideò & Aſina capi poteſt pro Eccleſia, quæ ex Iudæis, & gentilibus vna eſt. hinc ait D. Thomas Ioannis 15. l. 1. ad illa verba, *ego ſum vitis vera*, [Q] Hæc eſt vitis, de qua Iacob dixit; *ligabis ad vitem, ò fili mi, aſinam tuam*, ideſt Eccleſiã. Iumento humili inſidet Chriſtus, & cum illo ingreditur Ieruſalem.

L Hier. 4. M Apoc. 19. comment. 2. N op. 58. cap. 30. & 32. O 4. 24. 3. 3. P op. 58. 30. Q Ioan. 15. l. 1.

Chaldæa; *Purpura optima erit veſtimentum illius: operimentum eius erit ſericum tinctum coccino, varijſque coloribus*, gratis. Neque veroſimiliter; quare enim figura & vini, & vuæ vſus fuiſſet Spiritus Sanctus? & quorſum de purpureo indumento, per huiuſmodi ſimilitudines ſolicitudo? Videat fidelis hic paſsionis memoriam in Sacramento, potiſſimùm in ſpeciebus vini.

VERSVS VII. *Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.*

Videtur Spiritus Sanctus per os Iacob ſa- 7
pientiam & bonitatem, quas in morte Chriſti oſtendit Deus, ſubinnuere. Vino quidem ſignificari ſapientiam colligit apertè ſatis Angelicus ex illo Prouerb. 9. vbi ipſamet loquitur; *bibite vinum quod miſcui vobis*: aliud, inquit [R] eſt vinum contemplatiuæ ſapientiæ; & Ioannis 2. l. 1. *Vinum lætificat cor hominis, pſalmo* 103; & quantùm ad hoc, dicitur vinum ſapientia, cuius [S] contemplatio maximè lætificat. Dum ergò comparat oculos vino, intendit omni ſapientiæ, ſapientiam Dei præferre; nam non ſolùm per oculum [T] intelligitur ſcientia; ſed etiam Dei ſapientia: vnde ſuper illud Apocalypſis 19. *oculi eius tanquam flamma ignis*, ait Angelicus; deſcribit Chriſtum [V] quantùm ad ſapientiæ claritatem, ideſt eius plenam ſapientiam, qua tanquam oculis videt omnia: & dicit in plurali, ad ſignificandam ſapientiæ perfectionem; quia plenius, & melius duobus oculis, quàm vno videmus. Et quia ſapientis eſt ordinare: & ordo pulchritudinem, quæ ſummopere allicit, cauſat; inquit, *pulchriores ſunt oculi eius vino*, ac ſi dicat: admirabilis erit diuina pulchritudo ſapientiæ, quæ eluxerit in verbi Incarnatione, & morte Crucis, qua ſtolam & pallium ſuum puriſſimè lauabit; Et ſi oculi ſecundum Papiam, [X] dicuntur, quia eos ciliorum tegmina occultant, vnde oculi, quaſi occulti, ab *occulo occulis*; an oculorum adumbretur ſimilitudine ignoret qui poteſt, dum inquit Eccleſiaſticus c. 1. *ſapientiam Dei præcedentẽ omnia quis inueſtigabit?* Et Pſ. 50. *incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*. Habes ex 3. p. q. 1. a. 1. quomodo, teſte Damaſceno, per Incarnationis myſterium, monſtratur ſimul bonitas & ſapientia; bonitas quidem, quoniam *non deſpexit proprij plaſmatis infirmitatem*; ſapientia verò, *quoniam inuenit difficillimi pretij decentiſſimam ſolutionem*.

R Hier. 14. in calce. S Ioan. 2. l. 1. T 1. p. 11. 6. V Apoc. 19. comment. 2. X Geneſis 1.

Dum autem ſubdit; *& dentes eius lacte candidiores*: Dei bonitatem in hoc pietatis opere vult indicare. Supponit certè lacteos illius eſſe dentes, quando de illorum candore fit collatio. Dentibus cibos commolimus, & maſticamus; quem nobis præter lac, polliceri fas erit cibum, cum ſimus infantes? *lac vobis potum dedi non eſcam*, aiebat Paulus: lac conuenit paruulis. [A] Quàm dulcis Dominus, cuius os, immò, & qui crederentur duriores, dentes lactei dicuntur! dulcedinem illius bonitatis hinc delibemus: ex qua ſimplicem quidem doctrinam pro initijs fidei parauit: verùm puriſſimam ſuauiſſimam & efficaciſſimam; ex quo in nouam creaturam nutriamur. Vide his conſona hic in D. Thoma & 4. Canticorum, vbi ait; *dentes tui*, ideſt cogitationes intellectus, quæ dicuntur dentes, quia ſicut per dentes frangitur, quod eſt vnitum, ita homo per intellectum, quod vno conceptu recipit, fran-

A Cant. 4.

git alijs per plures conceptus; vnde Dionysius 25. cap. cœlestis Hierarch. dicit Angelos superiores, dentes; quia quod intelligunt vno conceptu, diuidunt in inferiores, per plures conceptus. Ad illa verba Matthæi 6. *si oculus tuus simplex fuerit*, D. Thomas; significatur Prælatus qui est oculus subditorum. Origenes in catena Matth. 18. *Sacerdotes rationabiliter possunt dici oculus, quoniam speculatores habentur*. Ieremiæ 1. *virgam vigilantem*. Lucæ 2. *Pastores erant vigilantes*, Gen. 31. *fugiebatque somnus ab oculis meis*. Igitur videtur Iacob innuere vigilantiam Pastorum post Christum, qui est *Pastor* antonomasticè seu simpliciter, *bonus*; Et quoniam animarum zelus, vt ait Gregorius, sacrificium est Deo magis acceptum, quemadmodum exponitur 2.2. q. 182. a. 2. contingit enim quòd aliquis in operibus vitæ actiuæ, plus mereatur, quàm alius in operibus vitæ contemplatiuæ: *Pulchriores sunt oculi eius, vino*, idest quàm contemplatiua; contemplatiua enim, quæ vt ait idem Gregorius, *hic incipit, vt in cœlesti Patria, perficiatur*, meritò per vinum significatur, de quo in Ps. *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*; quia scilicet, omnem mensuram rationis, & desiderij excedit, qualiter exponit D. Thomas in Prologo 1. sententiarum. Sic *dentes eius lacte candidiores*. Petro in actibus c. 10. dictum est, *occide, & manduca*: occide ab eo quod sunt, peccatores, & transfer in corpus Ecclesiæ: vnde inquit Angelicus Cantic. 4. *præcipuus dens Ecclesiæ est Petrus*, & August. l. 2. de doct. Christi c. 6. *Dentes Ecclesiæ sunt sancti, qui non cessant præcidere homines ab erroribus. Lacte candidiores*, quia eos conuertendo, ad candorem inculpatæ ac innocentis vitæ traducunt. Vel è contrà præferendo contemplatiuam, *pulchriores sunt Christi oculi, vino*, de quo in hymno D. Augustini; *& propinans potum vitæ, de psalmorum nectare; & dentes eius*; Lucæ 14. *Beatus qui manducabit panem in Regno Dei; Lacte candidiores.* Candor tangitur, quod ad lucem attinet, quia de clara visione, comparatione ad huius vitæ ænigmaticam agitur: *lacte*, itaque, *candidiores*, eoquòd statum præsentem pueritiæ comparat, ait D. Thomas, Apostolus 1. Cor. 13. propter imperfectionem, statum autem futuræ gloriæ, propter perfectionem virili ætati: *cum essem paruulus*. Chaldæa crassè legit; *distillabunt colles eius vinum: dealbabuntur campi eius frumento, & gregibus ouium*. Fortè denique; quia suprà dixerat *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti*: ne crederetur feræ instar terrere & oculo, & dente, adiecit, *pulchriores sunt oculi eius vino, lætificante; & dentes eius, lacte* demulcente, liuore omni amandato, *candidiores*.

VERSVS XIII. *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem.*

Quæ hic, & in sequentibus prædicuntur, secundùm literam quidem, etsi varijs metaphoris exornatam, quo digniòr venerabiliorque haberetur, singulis tribubus temporaliter prænunciantur, suntque eruditissimè exposita à D. Thoma. Verùm, quia vt ipsemet inquit, benedictiones, & annunciationes huiusmodi, per viam spiritus principaliter capiuntur, ideò figuratè secundum allegoriam, & tropum sunt accipiendæ.

Zabulon, igitur est ipse Christus, cum *fortitudinis habitaculum*, [B] interpretur. Sanè postquam de ipsius nece, prophetauerat, debuit quàm forti animo, illam sufferret, edisserere. Docet Angelicus secundùm Philosophum [C] in actu fortitudinis, ad perfectionem virtutis non requiri gaudium; sicut in alijs virtutibus; sed sufficit non tristari: sed tamen heroica fortitudo in malis & morte gaudet. Christus Dominus tantopere gauisus est pro nobis moriens, vt ad illa verba Hebræorum 12. *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem*, dicat Haymo; *gaudium namque maximum fuit illi, quòd pro nobis est passus; vt voluntatem Dei Patris impleret*: hinc de illius fortitudine exponitur; *os non comminuetis ex eo*, Io. 19. & propterea tanquam in propria & secura domo, quæ est tutissimum cuiuscumque habitaculum, requieuit Isaiæ 11. *super eum spiritus fortitudinis*. & c. 40. *In fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur*, & c. 63. *iste formosus in stola sua, & gradiens in multitudine fortitudinis suæ*: vnde & in Ps. 23. *Dominus fortis*, & 41. *ad Deũ fortẽ*. Matt. 3. *qui autem post me venturus est, fortior me est*. Lucæ 11. *si autem fortior eo superueniens vicerit eum*. Idcirco, reor *Gabriel*, qui interpretatur *fortitudo Dei*, annunciauit Mariæ: & præscius Isaias c. 7. præmissis de bello & prælijs, adiecit c. 8. *auferetur fortitudo Damasci*.

B D. Th. hic.

C 2. Cor. 5. l. 2.

VERSVS XIV. *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos; vidit requiem, quòd esset bona; & terram quòd optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.*

En quomodo fortitudini Christi expressius alluditur; quippe qui factus est *vt iumentum* dum *peccata multorum tulit*; Isaiæ 53. & onus peccatum est; *iniquitates meæ sicut onus graue*; Ps. 37. Gal. 6. *vnusquisque onus suum portabit*. Denique Hebr. 12. *deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum*. Iumento autem, aliud non est oneriferum magis. *Asinus ergo fortis: Dominus fortis & potens*: idcirco reor, in Hebræo [D] est, *asinus osseus*. Designat asinus corpus Christi apud Lauretum in Sylua, ex glossa interlineari, super quẽ vt dicitur Exodi 4. Moyses imposuit vxorem & filios, quia in corpore suo tulit ipse peccata nostra. Galat. 6. *vnusquisque*, &c. & sanè si Eccles. 33. *cibaria, & virga, & onus asino*; flagellatus Dominus, saturatusque opprobrijs, quod ait Ieremias, humiliatus, pro nobis asinum egit, sed osseus asinus, de quo dictum est Exodi 12. *nec os illius confringetis*, & Ioan. vt suprà, *os non comminuetis ex eo*. *Accubans inter terminos*; quia descendit ad inferos, postquam *somnum cœpit* in Cruce, medios, inter damnatorum, & adhuc viuentium terminos. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat*, quòd essent bona: sola requies *bona* simpliciter, non nisi postquam requieuit ipse in sepulcro; nam requiem desiderij non habebant in Limbo Sancti etiam Patres, [E] quamuis quietem haberent à pœna sensibili: vnde dicebantur esse *in sinu Abrahæ*. *Et terram quòd optima*: cœlestis nimirum promissionis, quò vt ferret animas nostras, tanquam ouem prius perditam *imponens humeris*, supposuit humerum suum. *Issachar* hic c. 29. & Apoc. 7. interpretatur, *merces*, mirè Isaiæ 40. *Ecce Dominus in fortitudine veniet*; (Zabulon) *& merces eius cum eo*. *Factusque est tributis seruiens*; tributa quippe eramus Inferni: vnde Augustinus in serm. de Passione, inquit,

D D. Th. hic.

E 4. d. 45. q. 1. a. 1. & 3. p. 52. a. 4.

tartareas regiones viſo Chriſto ad inferos, dixiſſe, *mundus qui nobis tributa perſoluit &c. nunquam talem mortuum miſit. Factus eſt ergo tributis ſeruiens, formam ſerui accipiens*: literaliter etiam Chriſtus *cenſum ſubijt, didrachma ſoluit*. Qui ergo (quod dicitur verſu præcedenti) in littore maris habitauit, etiam quando *venit in altitudinem maris*; quia ſemper, quamquam eſſet viator, fuit comprehenſor; Beatus Laurentius Iuſtinianus; *vno ſiquidem tempore & Dei fruebatur præſentia & intolerabili paſſione gemebat*: (*per ſoliditatem littoris*, ait Gregorius, *perpetuitas quietis æternæ figuratur* vndè poſt reſurrectionem Ioann. 21. *Dominus, in littore ſtetit*) ille ipſe *habitat in ſtatione nauium, pertingens vſque ad Sidonem*; quia in mari mundi huius, quod ſe caſuum tumultibus, & vndis vitæ corruptibilis illidit, fidam ſtationem quærentibus, etiam gentibus ex Sidone, tanquam nauibus, præſtò gratiæ auxilio ſemper eſt. Hic Sidonem pro gentilibus intellexit & ſanctus Beda. Adnectit etiam D. Thomas dicens; regit nauim Eccleſiæ, cuius ſtatio eſt portus ſalutis. Mirum eſt autem, quàm terrena interpretatione deprimit Prophetiæ huius altitudinem Chaldæus.

VERSVS XVI. *Dan iudicabit populum ſuum ſicut & alia tribus Iſrael. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò. Salutare tuum expectabo Domine.*

9 Quoniam ab Antichriſto, ſic dicto quia contra Chriſtum in membris ſuis. Opuſc. 60. 25. & myſtico, qui pluties in immani aliquo Eccleſiæ perſecutore præceſſit; & vero, qui ante iudicij diem venturus eſt, potiſſima eſt, quæ ſub oculis cadit, animarum ruina, vnde amiſſa ſpe littoris, inferni demerguntur in mare; graphicè velut pingit tyranni illius ſupremi aſtus, & vires, quo inde humiliter edocti, ab ipſo caueamus. Et ſanè Iudicij terret clangore, qui Antichriſto adhæſerint; diſtrictæ autem vltionis memoria ſolatur eos, qui ipſi in faciem conſtanter reſtiterint. *Dan* ſiquidem [F] interpretatur *iudicium*. D. Thomas Apocalypſis 7. ait, ſecundùm gloſſam naſcetur Antichriſtus de tribu Dan [G] cui alibi plaudit: licèt in præſenti caſtigatè loquatur dicens (*ſed neſcio an verè*:) vnde & 2. Theſſalonicenſium, ad aliorum veluti refert opinionem; [H] *dicunt quidam, quod Antichriſtus eſt de tribu Dan*; cuius tribus, inter alias duodecim, non numeratur, Apocalypſis 7. Congruenter etiam alio ex capite; quia primogenitus fuit Iacob, ex Bala ancilla Rachelis. Per Dan ergo, [I] Antichriſtus ſignatur; quia non de libertate gratiæ orietur, ſed potius de ancilla, cupiditate ſcilicet, & ambitione; & erit iudex iniquitatis. Ait etiam c. 8. Ieremias; *à Dan auditus eſt fremitus equorum eius*. Cæterùm expreſsè reuelatum non eſt.

Per hoc quòd dicitur *Coluber*, [L] notatur dolus Antichriſti; per hoc quòd dicitur *Ceraſtes*, notatur potentia. Serpens quippe doloſè ſeduxit Heuam: obliquè etiam dum ſerpit, fraudem ſignat. Ceraſtis tamen turpitudinem etiam præfert: qui ſecundùm Iſidorum, eſt ſerpens habens in capite [M] cornua ſimilia arietum: (*keras* Græcè, *cornu* dicitur) eſt flexuoſus pluſquam alij ſerpentes; ita vt ſpinam non habere videatur; totumque corpus tegit arenis; & ſolùm quandam oſtentationem corniculorum ſuorum relinquit, quaſi ad eſcam animalibus illuc venientibus, vt capiat ea. Qui fuerint *in via*; quæ *ſpatioſa eſt*, Matth. 7. *& ducit ad perditionem*, perſuaſionibus promiſſionibus, modo ſuauibus, minacibus modò verbis capientur: non ſic, qui erunt *in ſemita mandatorum Dei: arcta eſt enim via quæ ducit ad vitam*; atque Prouerb. 4. *iuſtorum eſt ſemita quaſi lux ſplendens*: ij detegent nebulonis inſidias: ideoquè cornibus ſolùm: hoc eſt ſæua tyrannicaque potentia corporaliter capientur, & occidentur potius, fide inuicti. Hinc dicitur *coluber in via, ceraſtes in ſemita*. Congruit primogenito Diaboli habere inſtar arietis cornua: nàm & Hirci in figuram Ægyptijs [N] dæmones apparebant; & decollauit Arietem, [O] qui plectere putabat Simonem Magum: aliàs etiam Apocalypſis 13. narratur de beſtia, quæ *habebat* [P] *cornua duo ſimilia agni*.

Mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò. Per vngulas equi, intelligitur [Q] fundamentale eiuſdem robur. Vidit equum album Ioannes Apocalypſis c. 6. pro quo intelligit ſanctus Doctor ibi Eccleſiam, vel iuſtos, & maximè prædicatores. Quia in vnum multifariè conueniunt, fortè ſingulariter dicuntur equus.

Equi proprietates elucent, [R] (alijs miſſis) præſertim in præliando, contra illius temporis tentationes. *Qui ſedebat ſuper illum*, Chriſtus eſt, inquit Angelicus, qui inſidet, inhabitat, & regit per gratiam. Vngula terreſtreitatem [S] ſignificat. Ea ex parte conabitur Eccleſiam mordere, *vt cadat aſcenſor eius retro*: atqui non cadet, qui *exiuit vincens*, deuicta morte, & inferno, *vt* denuò *vinceret*. Et ſi ſuis in membris cadet, iuxta illud, *Saule Saule quid me perſequeris*, non cadet retrò. Super illa verba Ioannis, 18. *ceciderunt retrorſum*, ait [T] cum Diuo Gregorio Sanctus Doctor, *iniqui dicuntur cadere retrorſùm: non ita de iuſtis*: Prou. 4. *iuſtorum ſemita quaſi lux; via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant. Omnis, qui poſt ſe cadit, cadit vbi non videt: iniqui ergò quia inuiſibilibus cadunt, retrorsù cadere dicuntur; quia ibi corruunt, vbi quid eos tunc ſequatur, modò videre non poſſunt; ſed qui ante ſe cadit, ibi cadit, vbi videt; & ideo Sancti, qui in iſtis viſibilibus ſemetipſos ſpontè deijciunt, vt in inuiſibilibus erigantur: in faciem ſuam cadere dicuntur; quia timore compuncti videntes humiliantur*. Vel vt idem Gregorius apud Maluendam l. 2. c. 12. *in faciem cadere, eſt in hac vita, ſuas vnumquemque culpas agnoſcere, eaſque pænitendo deflere; retrò verò, quò non videtur, cadere, eſt ex hac vita repente decedere, & ad quæ ſupplicia ducatur, ignorare*. Abire etiam retrorſum, & cadere, eſt, inquit, myſticè, vocem Chriſti in prædicatione, non audire. Et ſic fideles caderent retro, excluſi à Regno, ſi tunc ſanctis Prædicatoribus non darent aures.

Secundùm aliquos, per equum intelligitur Romanum imperium; [V] & per aſcenſorem Imperator, vel Papa. Sanè ad illud Pauli, *niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati*, [X] ait S. Doctor; ſed quomodo eſt hoc? quia iamdiu Gentes receſſerunt à Romano Imperio; & tamen nondùm venit Antichriſtus? Dicendum quòd nondum ceſſauit, ſed eſt commutatum de temporali in ſpirituale, vt dicit Leo Papa in ſermone de Apoſtolis, vndè debet intelligi, *niſi venerit diſceſſio primum*, etiam à ſpirituali, ſcilicet à

fide

F Apoc. 7. comm. 1. & hic c. 30.
G Apoc. 7. vtroque commentario.
H 2. Theſſal. c. 2. l. 1. & Apocal. 7.
I D. Th. hic.
L Apoc. 11. comment. 1.
M D. Th. hic.
N p. 2. 102. 3. ad 2.
O op. 60. 2. 25.
P D. Th. hic.
Q D. Th. h. c.
R Apoc. 6. comm. 2.
S p. 1. 2. 102. 6. 1.
T Ioann. 18. l. 1.
V D. Th. hic.
X 2. Theſſal. 2. l. 1.

fide Catholica Romanæ Ecclesiæ. Præterea circa illa tempora, sunt qui opinantur languidas, & flaccescentes reliquias Imperij, quæ nunc in Germania supersunt, omninò fore extinguendas: de quo Maluenda l. 4. c. 21. immò addiderunt alij, Romam ipsam miserè deuastandam: cui quidem non plaudit præfatus Auctor; sed videatur ibi c. 4. 5. 8. & 11.

Verùm sensum alium meditatur animus, circa eam phrasin; *Mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò*. Hic est *coluber*, qui suprà c. 3. *serpens* dicitur; nàm vtrobique, eadem vsurpatur hebræa vox, *nachàse*. Ibi *calcaneo* insidiaturus edicitur, hic *vngulas* mordens: sed cum pariter in ambobus locis, idem sit nomen ab vna radice *gnakab*, fas est & in præsenti transferre, *calcaneum*; vnde Septuaginta, *mordens calcaneum equi*. Vulgatus tamen noster maluit legere *vngulas*, expressiori indicio mysterij, quia cum ab eo verbo *gnakab*, posteriora pedis, planta, calcaneum, vestigium dicatur, licuit pro plantis & vestigijs, vngulas, quibus vestigia imprimuntur accipere: etsi propriùs in textu haud legatur *vngula*.

Vngula, iam prætactum est, terrestreitatem notari; & quidem rationabiliter, attenta vngulæ crasi: prohibitæ fuerunt, inquit S. Doctor, (Leuitici 11.) carnes animalium habentium soleas, idest vngulam continuam, non fissam, propter eorum terrestreitatem. Serpens ergo (Diabolus per Antichristum) ea ex parte, potissimùm, scilicet terrenorum morsu, tunc exagitabit, vt *cadat* quis *retrò*; temporalia enim per ly *retrò* significari palam docet Angelicus p. 2. q. 99. 6. ferens illud Philipp. 3. *Quæ quidem retrò sunt obliuiscens*: & satis liquet ex verbis Domini Lucæ 9. *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei*. Quæ dimittuntur ab euntibus, *retrò* sunt: terrena cuncta dimitti, vel in morte ab vnoquoque, necesse est. Ad hæc, serpentis tentatio, hoc est sensualitatis, sed ab extrinseco, concitamenta; nam per serpentem sensualitas significatur, ex Augustino 12. de Trinitate, relato p. p. q. 79. 12. & q. 81. 3. & aliàs sæpe in quantùm serpens inclinauit in affectum peccati, vt ibi a. 1. ad 3. Serpens *ab extrinseco*, dixi, est sensualitas; quia teste Origene relato p. 2. q. 80. 4. *etiamsi Diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum & venereorum, & similium*, qui posset esse inordinatus, nisi ratione ordinaretur.

Ad hæc autem aptissimè assumitur metaphora equi; quia irascibilis & concupiscibilis, quæ in statu naturæ lapsæ, sensualitatis nomine significantur, effrenes sunt, decetque regi instar equi (vt corpus pedibus, sic anima mouetur affectibus.) Non desunt locutiones similes in Scriptura. Ecclesiastici 30. *equus indomitus euadet durus*; vbi ex D. Thoma Ieremiæ 8. tangitur irrefrænata concupiscentia; & c. 5. *equi amatores, & emissarij facti sunt; vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat*. Quod attinet ad concupiscibilem, maximè verò corruptam: de qua p. p. 81. 2. & Iob c. 39. sub eodem tropo describitur equus; *terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis*, &c. *procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & vlulatum exercitus*. Quo certè nil congruentius ad irascibilem indicandam, quæ vt ibidem p. p. est quasi propugnatrix, & defensatrix concupiscibilis; dum insurgit contra ea, quæ impediunt conuenientia, quæ concupiscibilis appetit, & ingerunt nociua, quæ concupiscibilis refugit. Propter hoc pugnæ animalium sunt de concupiscibilibus; sicut de cibis & venereis, vt dicitur in 8. de animalibus. Hùc serpentis seu colubri morsus ferient, *vt cadat ascensor*, scilicet, ratio inferior, siue etiam superior, in quibus potest esse mortale peccatum, vt docemur in p. 2. q. 74. a. 5. non autem in sensualitate, vt ibi a. 4. *Vt cadat*, & *retrò*: Quòd innuit peccatum mortale; nàm *septies in die cadit quidem iustus*. Prou. 24. *sed in die; impij autem corruent in malum*, & c. 4. *via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant*: hoc est *retrò* cadere ascensorem.

Quomodo autem vires sensitiuas regat ratio, accipi potest ex D. Thoma cum Philosopho in 1. Politicorum, qui fertur & p. p. q. 81. a. 3. ad 2. & p. 2. q. 56. a. 4. ad 3. Siquidem ait; anima regit corpus despotico principatu, idest sicut Dominus seruum, & ideo totus motus corporis refertur ad animam, & propter hoc in corpore non est virtus, sed solùm in anima: sed irascibilis & concupiscibilis, reguntur à ratione, principatu politico, quo scilicet reguntur liberi, qui habent in aliquibus propriam voluntatem: vnde experimur irascibilem, vel concupiscibilem rationi repugnare, per hoc quòd sentimus vel imaginamur aliquid delectabile, quod ratio vetat, vel triste, quod ratio *refugit*. (in litera primæ partis per incuriam irrepsit, *præcipit*). Sic etiam Quæst. 3. de malo a. 9. in corp. ex similitudine, qua humores non subduntur interdum virtuti regitiuæ totius corporis astruit esse passiones & affectiones appetitus sensitiui, ægritudines animi, peccarique ex infirmitate, cum non subduntur rationi, quæ est regitiua huiusmodi passionum. Hùc facit illud Ps. 31. *in chamo & fræno maxillas eorum constringe*; Iacobi 3. *si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis*. Tandemque D. Thomas in Iob c. 4. l. 2. Homo cæteris animalibus præeminet ratione; cum ergo ratione prætermissa, passiones brutales sequitur, efficitur similis bestijs; & illius bestiæ nomen sibi competit, cuius passionem imitatur: vtpote qui subiacet concupiscentiæ passionibus, equo vel mulo comparatur, secundùm illud Ps. 31. *nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus*. Et ad firmandum per ly *mordens vngulas equi*, terrena indicari, audiendus est idem Sanctus Doctor Ephes. 6. l. 4. dicens; Marci 6. *misit* Dominus Apostolos calceatos sandalijs, quæ habent subtus soleas, quo significatur eleuatio mentis à terrenis: quæ nimirum calcantur, & veluti despiciuntur. Irascibilem ergo & concupiscibilem Antichristus vellicabit: cui consonat illud Hieronymi; *quos terroribus nequibit*, (quod ad irascibilem,) *subiugauit auaritia*; (quod ad concupiscibilem): quia *radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide*; primæ Timot. 6. Radix desigitur in terra. Vngulæ quibus pedes figuntur, quibusque fodit equus terram, radici aptantur malorum. *Et à Dan*, non hinnitus, sed *fremitus equorum* audietur, qui nedum concupiscibilis, sed & irascibilis, erumpentem passionem videtur confundere.

Conuertit fe ad Dominum, tot memoratis ærumnis; ac fi diceret in perfona fidelium, *expectabo Chriftum Iefum* preffus aduerfis. Concurrit Daniel etiam; *Beatus qui expectat, & peruenit.* (c. 12.) *ad dies mille trecentos triginta quinque*. (per paffionem etiam Chrifti, eft paratum hominibus remedium fe tuendi contra nequitias Dæmonum, tempore quoque Antichrifti.) Vel in propria perfona, femetipfum folatur, ac fi diceret; ipfe, qui Dei gratia morabor fotius Sanctorum Patrum in Limbo, ero tribulationum eiufmodi expers, felixque, *falutare tuum* Redemptorem meum *expectabo*; Quam diuerfa mei, atque illorum fors! de hoc aiebat Dauid; *defecit in falutare tuum anima mea*; & rurfum, *oculi mei defecerunt in falutare tuum*: Simeonque Iuftus, *quia viderunt oculi mei falutare tuum*. Thargum Ierofolimitanum; nempe vetuftiffima quædam Pentateuchi interpretatio, Ierofolymitana lingua, hoc eft, aliquantùm à cæteris linguæ Hebrææ dialectis, difcrepante, quæ magnæ inter Iudæoa auctoritatis cenfetur; quam ipfe, aliàs fub nomine Chaldææ interpretationis tuli, reddidit in hunc modum, verba Sancti Patriarchæ. *Non expecto falutare Gedeon, filij Ioas, quæ eft falus temporalis; neque falutare Sanfon, filij Manuë, quæ eft falus transitoria, fed expecto redemptionem Chrifti filij Dauid, qui venturus eft ad accerfiendum fibi filios Ifrael cuius redemptionem defiderat anima mea*. Vide loco cit. Maluendam copiofa eruditione locupletiffimum: Nam exponitur etiam litera de Sanfone.

A 3.p.49. a.3.

11 Poft hęc, nonnihil prælibari libet de Antichrifti ortu, progreffu, & fine: quamuis apud Maluendam loculentiffimè, quæcumque ad Antichriftum attinent pertractentur. Sanè Danielis 11. Antiochus Synagogæ acerrimus perfecutor in typum eius aptatur; Ad rem etiam inducitur à D. Thoma Apocalypfis 19. illud Danielis 9. *Confurget Rex impudens facie, & interficiet robuftos, & populum Sanctorum, & contra Principem Principum confurget*. Ibidem Danielis 12. fertur Hieronymus, orituruum ex Iudæis Antichriftum, de humili gente, defpectum, vt nullus ei detur honor regius. Sic Apocalypfis 11. ad illa verba; *Beftia quæ afcendit de abyffo*, ideft, inquit ex Iudæis in infidelitate profundis & tenebrofis. Item ait D. Hieronymus, *de Babylone*: de quo Maluenda præfatus, l. 2. c. 11. Quamuis autem vili ab ouo natus; vt dicitur Danielis 11. *Dominabitur thefaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiofis Aegypti*: vnde ait D. Thomas Apoc. 13. Diabolus ei reuelabit thefauros. Vijs aliquibus alijs, etiam congregabit iniquè diuitias, fimulabit fe ducem fœderis, ideft diuinæ legis, (Danielis 12.) cumque Deo permittente, diuifum futurum fit (Apocalypf. 17.) in decem Regna, Romanum Regnum; fient fubiecta Antichrifto; primò enim interficiet tres, ex illis Regibus, fcilicet Africæ, Aegypti, Aethiopiæ, quemsdmodum Hieronymus dicit. (Danielis 11. D. Thomas) primò pugnaturus eft aduerfus Regem Auftri, ideft Aegypti, poftea Libiam, & Aethiopiam fuperaturus, quia de decem cornibus, tria contrita legimus: fraude decipiet hos Reges, vel obtinebit, & Aegyptum, feducendo fortè Sarracenos. Tunc alij feptem Antichrifto colla fubmittent. Et ifti Reges cornua dicuntur, ad fignificandum beftialem impetum contra fideles; quia per eos pugnabit Antichriftus contra fideles. Tunc ait Gregorius relatus Apocal. 20. *antiquus hoftis fuis membris traditus, pauco quidem tempore, fed multa contra nos laxabitur virtute*. Ex gloffa (Ioannis 5. lect. 7.) Quia Iudæi noluerunt accipere Chriftum; pęna peccati huius congruè erit, vt recipiant Antichriftum; vt qui noluerunt credere veritati, credant mendacio. Apoc. 20. inquit; gens innumerabilis, contra fideles, per perfuafiones, comminationes, promiffa, dona, flagella, &c. Apoftolus 2. Theff. 2. *Cuius eft aduentus, fecundùm operationem Satanæ in omni virtute & fignis, & prodigiis mendacibus; & in omni feductione iniquitatis, iis qui pereunt*: quia, inquit opufc. 60. 15. per magicam artem faciet illa; & per phantafiam deludet homines, ficut Simon magus, delufit illum, qui putans eum occidere, decollauit arietem. Ad Theffal. c. 2. l. 2. aliud narrat: cum Simon magus fecit decollari arietem, & poftea oftenfus eft viuus: & homo decollatus eft; & poftea homo, qui credebatur decollatus, oftenfus eft viuus, & creditus eft refufcitatus. Quomodo huiufmodi apparentiæ fiant, Vide p. p. q. 114. a. 4. ad 2. & 2. 2. q. 178. a. 1. ad 2. Etiamfi Antichriftus, aliquod verum, prodigiosè detur quòd facturus fit; non tamen habebunt veram rationem miraculi, quia fient virtute naturalium caufarum. Sanè docemur ex pfalmis, folum Deum facere miracula; nam miraculum dicitur, quod excedit naturæ vires. Hinc Ioannis 10. l. 5. ea quæ funt fupra ordinem naturæ, nulla creatura quæcumque fit, fua virtute poteft facere; cum etiam ipfa fubiaceat legibus nstutæ: Deus autem folus, qui eft fupra naturam, operari poteft fupra naturæ ordinem. Quicquid ergo aliqua creatura operatur, oportet quod fiftat infra naturæ ordinem: ex quo patet, quod omne illud, quod poteft fieri fecundùm ordinem naturæ, poteft Angelus & bonus, & malus, quando fibi permittitur; ficut fecundùm femina, quæ funt in rebus naturalibus, ad generationem aliquorum animalium ordinata, poffunt illorum animalium generationem operari; ficut fecerunt Magi Pharaonis Exodi 7. Et fimiliter alterare naturam alicuius poffent; vnde poffent fanare infirmos, quibus beneficio naturæ fubueniri poffet: Ifta autem, quæ fimpliciter naturæ ordinem tranfcendunt, non poffunt fieri nifi à Deo, feu à bonis Angelis, & Sanctis hominibus, virtute Dei, quam orando impetrant. Tale autem eft illuminatio cęci, & refufcitatio mortuorum; non enim naturæ virtus fe extendere poteft ad oculorum reftitutionem; & mortuorum refufcitationem; & ideo dęmonium, non poteft cęcorum oculos aperire, & mortuos fufcitare. Sic in opufculo primo (in aliquibus codicibus, 2.) Quod eft Compendium Theologiæ cap. 136. aftruit miraculum effe, quod eft, præter ordinem caufarum fecundarum, quod folius eft Dei, qui eft huius ordinis inftitutor, & huic ordini non obligatur. Simile in Matth. cap. 24. profundè; cum igitur ab aliqua creatura miracula fieri videntur; vel non funt vera miracula, quia fiunt per aliquas virtutes naturalium rerum, licèt nobis occultas; ficut eft de miraculis dęmonum, quæ magicis artibus fiunt, de quo p. p. 114. 4. 2. vel fi funt vera miracula

impe-

impetrantur per aliquem à Deo, vt fcilicet talia operetur. Quando autem dixit fupra in Ioannem, excedere miracula illa, illuminationis, & refufcitationis, facultatem naturæ, intelligendum eft, vt exponit p. p. 105. art. 8. non quantùm ad id quod fit, fed quantùm ad id in quo fit; poteft enim natura caufare vitam, fed non in mortuo; & poteft præftare vifum, fed non in cęco. Sic in eadem p. p. q. 110. art. 4. declarat miraculum proprie effe, quod fit præter ordinem, non naturę alicuius particularis, fed totiùs naturę createę; & ideo dęmones miracula fimpliciter nequeunt facere, fed quoad nos, quia non omnis virtus naturæ creatæ, nota eft nobis. Quoniam autem miracula fimpliciter, (vt fequitur in opufc. 1.) folùm diuinitùs fiunt, conuenienter in argumentum fidei affumuntur, quæ foli Deo innititur; quod enim aliquid prolatum ab homine, auctoritare diuina dicatur, nunquam conuenientiùs oftenditur, quàm per opera, quæ folus Deus facere poteft. Et in Ioann. c, 9. l. 3. Quandoque miraculum fit in teftimonium prædicatæ doctrinæ, & tunc necefse eft, doctrinam illam efse veram: quando etiam fit in teftimonium perfonæ, necefse eft fimpliciter, quòd perfona fit bona; & 2. Theffal. citat. nullus contra fidem facit vera miracula, quia Deus non eft teftis falfitatis. Quæft. 6. de potentia a. 5. agit de prodigijs gentilium; & de miraculis Chrifti Domini 3. p. q. 43. & 44. De Antichrifti temporibus loquitur Dominus, cum Matthæi 24. prædicit; *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi, vfque modo, neque fiet. Tùnc*, ait Chriftus; & Daniel tempus indicat dicens, *cum creuerint iniquitates, confurgens Rex impudens.* 2. Theff. 2. appellatur Antichriftus, *homo peccati, filius perditionis*: quod ipfe libenter exponerem; ac fi dicat, partus erit peccatorum, in vnum propter ingentem numerum, congeftorum; & filius perditi orbis; nàm *difcefsio* præcedet Antichriftum, vt idem teftatur Apoftolus, *difcefsio* inquit D. Thomas, à fide Catholica Romanæ Ecclefiæ. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigefcet charitas multorum.* Matth. 24. parabitur via ad extinctionem fidei: iuxta illud, *lampades noftra extinguuntur*. Matth. 25. quia aliquid adhuc habebant, ait S. Doctor, de lumine fidei. Sic 3. p. q. 1. a. 5. docet non decuiffe incarnari Deum ab initio Mundi, etiam ne feruor fidei, temporis prolixitate tepefceret; quia circa finem Mundi, *frigefcet charitas multorum*; vnde Lucæ 18. *Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Sanè, vt affumit S. Thomas 2. 2. q. 39. 1. ad 3. amiffio charitatis eft via ad amittendam fidem; fecundùm illud 1. Timoth. 1. *à quibus quidem aberrantes*, fcilicet à charitate, & alijs huiufmodi, *conuerfi funt in vaniloquium*: & ideo de illo tempore idem S. Doctor 2. Timoth. 3. l. 1. quia inquit, fides & charitas, vel attenuabitur, vel totaliter peribit; (hìc irrepfit ex typis error; legitur enim, *vel annullabitur, vel totaliter peribit*; quæ nugatoria funt, idem omnino fignificantia,) quia quanto magis aliquid elongatur à fuo principio, tanto plus deficit. Cohæret hoc dictis in 3. parte nuper allata. Et defectionem eiufmodi conditio creaturæ facta ex nihilo moliri videtur. Proximè autem radix deficientis fidei, vt diximus; amiffio eft charitatis, ficut è contra Ioannis 7. *Si quis, inquit, voluerit voluntatem eius facere, cognofcet de doctrina, an ex Deo fit, an ego à me ipfo loquar*; Ratio eft, quia quæ fidem noftram potiffimùm intùs fouent, atque confortant, dona funt Spiritus Sancti, fapientia nimirum, & intellectus, quæ cum peccato non manent: vnde Sapientiæ illuftrationem 3. p. 44. a. 3. præcedit iuftificatio. Sapientia quæ eft donum Spiritus-Sancti facit, ex 2. 2. 45. 4. rectitudinem iudicij circa res diuinas, & quidem ex quadam connaturalitate, fiue vnione ad diuina, quæ eft per charitatem. Donum intellectus 2. 2. 8. 5. ad 3. importat quandam perceptionem veritatis, quæ non poteft effe circa finem, nifi in eo, qui habet gratiam gratum facientem: quamuis fides importet folùm affenfum ad ea, quæ proponuntur. In prima p. quæft. 1. 6. ad 3. hæc elucidat dicens; contingit aliquem iudicare per modum inclinationis; ficut qui habet habitum virtutis, rectè iudicat de ijs, quæ funt fecundùm virtutem agenda, in quantùm ad illa inclinatur; vnde & in 10. Ethicor. cap. 5. dicitur, *quòd virtuofus eft menfura & regula actuum humanorum*: hic modus iudicandi pertinet ad fapientiam, quæ ponitur donum Spiritus-Sancti, fecundùm illud 1. Cor. 2. *Spiritualis homo iudicat omnia*; & Dionyfius dicit 2. cap. de diuinis nominibus, *Ierotheus doctus eft, non folùm difcens, fed & patiens diuina*. Citato autem in loco 1. ad Corinth. vberius rem tractat; Notandum, quòd in omnibus, ille qui rectè fe habet, rectum iudicium habet circa fingula, ille autem qui in fe rectitudinis defectum patitur, deficit etiam in iudicando; vigilans enim rectè iudicat, & fe vigilare, & alium dormire; fed dormiens non habet rectum iudicium de fe, nec de vigilante: vnde non funt res tales, quales videntur dormienti, fed quales videntur vigilanti. Et eadem ratio eft de fano, & infirmo, circa iudicium faporum; & de debili, & forti, circa iudicium ponderum; & de virtuofo, & vitiofo circa agibilia.

Veruntamen, etfi iniquorum in penam, truculentiffimi tyranni, & impij feductoris tentamenta paffurus fit orbis terrarum, non deerit diuina clementia opem ferre. Ait Sanctus Doctor Apoc. 11. comm. 1. ficut Moyfes & Aaron fteterunt coram Pharaone; & Petrus & Paulus coram Nerone; & Genefis 5. quomodo referuantur Henoch & Elias pulchrè edifferit; ficut Apocalypfis 11. *Dabo duobus teftibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis fexaginta, amicti faccis*; *prophetabunt* ideft *prædicabunt*: vnde fubditur, *& cum finierint teftimonium fuum* &c. Gloffa ibi ait, *dabo* &c. *fcilicet Elia, & Henoch*; cum D. Thom. ibi & op. 60. a. 25. fanè de Henoch habemus Ecclefiaftici 44. *Henoch placuit Deo, & translatus eft in Paradifum, vt det gentibus pœnitentiam*: Et de Elia Malachiæ 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam; antequam veniat dies Domini magnus & terribilis*. Ait autem S. Doctor Apocal. 11. per Henoch & Eliam, alij Sancti Prædicatores fignificantur, & cap. 16. Per feptem Angelos, feptem ordines Prædicatorum intelliguntur, qui prædicabunt; Primus, contra Iudæos, qui Antichriftum recipient; Secundus contra Gentiles, qui Chrifticolas affligent; Tertius contra pfeudoapoftolos Antichrifti, qui fcripturas peruertent; Quartus contra ipfum Antichriftum, qui fupr

Deum ſe extollet; Quintus contrà infideles, quos Antichriſtus ſibi ſubjjciet; Sextus contra diuires, qui ſimiliter Antichriſto obedient; Septimus contra dæmones, qui prædicta mala fieri ſuggerent. Hinc D. Gregorius relatus Apocalypſ. 1. ſuper Iob air, *Dei adiutorio, electi vt Antichriſto contradicere valeant, ſulcientur*. Recolent illud Apoſtoli ad Galat. 1. *Licèt nos, aut Angelus de Cælo, euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* S. Doctor 2. Theſſ. 2. l. 1. ad ea verba, *ita vt in Templo Dei ſedeat*; eruditiſſimè; Aliqui dicunt, quòd Iudæi primò eum recipient, & reædificabunt Templum in Hieruſalem; quidam verò dicunt, quòd nunquam Hieruſalem, vel Templum reædificabitur, ſed vſque ad conſummationem & finem, perſeuerabit deſolatio, & hoc etiam aliqui Iudæi credunt: ideo exponitur, *in Templo Dei*; ideſt in Eccleſia, quia multi de Eccleſia eum recipient. (Adde ex Hieronymo; *quos terroribus nequibit, ſubiugabit auaritia.*) Vel ſecundùm Auguſtinum *in Templo Dei ſedeat*; ideſt principetur, & dominetur, tanquam ipſe cum ſuis Nuncijs ſit *Templum Dei*, ſicut Chriſtus eſt cum ſuis. Matt. 24. *cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto*. Opuſculo 60. ait D. Thomas, veniet Hieruſalem, & circumcidens ſe, dicet Iudæis, *ego ſum Chriſtus vobis promiſſus*: tunc confluent ad eum omnes Iudæi, & reædificabunt templum à Romanis deſtructum, & ibi ſedebit oſtendens ſe tanquam Deum. Sic Herodes Aſcalonita, vt haberi poſſet Meſſias, (quem Prophetæ prædixerant inſtauraturum Templum Dei) diruto Templo Eſdræ, aliud longè magnificentiùs ædificare cœpit. Et Danielis 11. faciet fieri ſtatuam, ex auro & argento, ac rebus pretioſis, & ſe coli; Sanè, vt memini, Caius Cæſar, cum in vita iſta adhuc eſſet, coli voluit, ſtatuam ſuam ponens in quolibet Templo; & de Rege Tyri, Ezechielis 28. *Dixiſti, quia Deus ego ſum*. Danielis 11. habemus; *Deum autem Maozin in loco ſuo venerabitur. Maozin præſidium ſonat*, eoquòd Antichriſtus ſecretò Diabolum, vt præſidium ſuum venerabitur. Sæuiens autem quantùm poterit, Angelica contempta cuſtodia, qua non priuabitur p. p. q. 113. a. 4. ad 3. beſtia iſta quæ *aſcendit de abyſſo*, Apoc. 11. *faciet aduersùs illos* (Henoch & Eliam) *bellum & vincet illos, & occidet eos; & corpora eorum iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ*; ideſt Ieruſalem, ait S. Doctor, quæ vocatur ſubdit ſacer textus, *ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus; vbi & Dominus eorum crucifixus eſt. Sed poſt dies tres & dimidium, ſpiritus vitæ a Deo intrauit in eos; & ſteterunt ſuper pedes ſuos; & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos*. Maluenda l. 10. capit. 9. *Poſtquam Henoch & Eliam Antichriſtus trucidauerit, tunc Chriſtiani maiori mentis ardore, viſo tanto miraculo reſurrectionis & glorificationis illorum, fidem Chriſtianam palam publiçeque profitebuntur: nec à verò abludit, tunc reperiendos in Hieruſalem plurimos Chriſtianos, ex omnibus terræ partibus, & non ſine Dei nutu, ad Eliam, & Henoch progreſsis*. Non ſecùs, crediderim ego, ac Act. 2. *erant ex omni natione, quæ ſub cælo eſt*.

Priùs tamen creduntur etiam Iudæi conuertendi, ad eorum prædicationem. Sic Cantic. 6. Haimo (quamquam feratur inter opera D. Thomæ) *cum plebs iudaica, ad prædicationem eorum conuerſa erit ad Chriſtum*. Super illa verba Romanorum. 11. *ſi enim amiſſio eorum* (Iudæorum) *reconciliatio eſt mundi, quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis?* quid inquam faciet talis aſſumptio, niſi quòd gentiles reſurgere faciat ad vitam? Gentiles enim ſunt fideles, qui tepeſcent Matth. 24. vel etiam qui totaliter cadent, decepti ab Antichriſto; & Iudæis conuerſis, in priſtinum feruorem reſtituentur. Sanè Roman. 11. ait Apoſtolus, *cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret*. Quod videtur referri, ad primæuã Chriſtianæ fidei dilatationem, qua pro toto, vel pro maiori parte in omnibus gentibus, ait D. Thom. l. 4. Eccleſia fundaretur; Pſ. *Domini eſt terra & plenitudo eius*. Actor. 21. Iacobus Apoſtolus, & alij ſeniores dixerunt Paulo; *Vide quot millia ſunt in Iudæis, qui crediderunt*, vbi Græca, *quot myriades ſunt Iudæorum*. Myrias continet decem millia. Sanctus Beda etiam Lucæ 1. relatus in aurea catena, ibi, *ſuſcepit Iſrael; Poteſt etiam*, inquit, *ad Iſrael carnaliter hoc adaptari, cum ex eo infiniti crediderint*. Quare autem, non omnes Iudæi ſint conuerſi; Reſpondet D. Thomas Apocalypſis 8. etſi aliqua ſuper hæc verè dici poſſent; tamen melius dicitur, huius rationem plenam, & claram apud Deum eſſe, & nobis occultam: *in talibus enim occulta ſunt ſua iudicia, licet iuſtiſſima, quia nihil ſine ratione iuſtiſſima facit: ita* ibi Gregorius; referens ſe ad illud Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Tu recole illud Oſee, *perditio, tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum*. Verùm quamuis, experiamur in ipſis, quod legitur Deuteronomij 31. *ſcio contentionem tuam, & ceruicem tuam duriſsimam*; vnde nunc pauci difficulter, quaſi cum quadam violentia conuertuntur, vt conſiderat D. Thomas Rom. 11. l. 4. iuxta Amos 3. *quomodo ſi eruat Paſtor de ore leonis, duo crura, aut extremum auriculæ, ſic eruentur filij Iſrael*; tamen referente eodem Apoſtolo c. 9. Iſaias clamat pro Iſrael, *ſi fuerit numerus filiorum Iſrael, tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient*: vnde & Oſeæ 3. *dies multos ſedebunt filij Iſrael, ſine Rege & ſine Principe, & ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim: & poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum* &c.

Quamuis autem, (quod ait gloſſa relata à D. Th. Pſ. 44. *ibi in fimbrijs aureis*) illi, qui inuenientur in fine mundi, futuri ſint perfecti & Sancti; vnde & Danielis 7. ait, fortè omnes Prelati & Religioſi ſancti erunt, ſicut primò Apoſtoli Chriſti; nihilominus, vt ait Dominus, Matthæi 24. *niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro; ſed propter electos breuiabuntur dies illi*. Itaque interficietur diuinitùs, 2. Theſſal. 2. *quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui*. Apocalyps. 13. interficietur à Domino, ſiuè per ſe, ſiuè per Michaelem. Danielis 7. ait, *& vidi quoniam interfecta eſſet beſtia*; (beſtia à feritate, ſiue a ferocitate dicitur), *& periſſet corpus eius, & traditum eſſet ad comburendum igni*, & c. 12. *In tempore autem illo, conſurget Michael Princeps magnus*. Apocalyps. 6. pariter ait D. Thomas, vili morte interficietur; & Hieronymus, Danielis 11. relatus, *ita quòd audietur vox de cælo dicens, morieris, & ſtatim fulminabitur*. Ait autem Angelicus Apocalyps. 13. occidetur in Monte Oliueti

in

in Papilione, & in ſolio ſuo; in illo loco, contrà quem Chriſtus in Cœlum aſcendit. Legitur Danielis 11. *figet tabernaculum ſuum in Apadno, inter duo maria, ſuper montem inclytum & ſanctum, & veniet, vſque ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei*. D. Hieronymus intelligit *Emmaus*. *Apadno* ibidem ex eodem interpretatur, *ſolium ſuum*.

Sic peribit Rex ille impudens, quem cæcitas Iudæorum primò ſuſcipiet & colet; ignari, ſed culpabili cæcitate, non fuiſſe venturum Meſſiam temporali, quod perit, Regno(quamuis Principem mundi eſſet eiecturus: & legatur Apocalyps. 11. *factum eſt Regnum huius mundi, Domini noſtri & Chriſti eius*.) Sed ad auferenda peccata, iuxtà illud Micheæ vltimo. *Quis Deus, ſimilis tui, qui aufers iniquitatem, & tranſis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ!* & deinde; *deponet iniquitates noſtras, & proijeiet in profundum maris omnia peccata noſtra*. Cui conſonat Zacharias c.8. *ecce Rex tuus veniet tibi, iuſtus & Saluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinæ*, vt fetur Matth. 21. (concinit Iſaias c. 53.) *peccata multorum tulit*: prout & Pſ. 21. *verba delictorum meorum*; non enim *re*, ſed *verbo* reus factus eſt, relicto paſſionis mortiſque ſuæ pretio, ad pro eis ſoluendum; ſicque regnat, deſtructo peccati regno & mortis; qua phraſi loquitur Apoſtolus Rom. 5. viuens in cœlis, eſtque vt ait Daniel c. 7. *Poteſtas eius Poteſtas æterna; quæ non auferetur, & Regnum eius, quod non corrumpetur*.

Non ſic fuerit Antichriſti tyrannicum: nam *tradentur*, vt ait Daniel c. 7. *in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*: gloſſa; *in tempore vnius anni; & tempora, duorum annorum; & dimidium temporis, ſcilicet vnius anni*: vnde adnecti poteſt illud, Apocalyps. 11. *& ciuitatem ſanctam conculcabunt menſibus quadraginta duobus*. Vbi D. Thomas, *ſicut Populus Iſrael quadraginta duabus manſionibus peruenit ad terram promiſſionum* Numeri 33.& *in illis manſionibus, multa mala priùs ſuſtinuit ab hoſtibus: ita Eccleſia per perſecutiones, quas in iſtis quadraginta duobus menſibus ſuſtinebit, perueniet ad terram viuentium*. Sic Eliæ tempore ad edomandam Regis ſuperbiam, & Idololatræ Gentis audaciam, clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, 3. Reg. 17. & Lucæ 4. quo ſignificabatur, vt tangit gloſſa, ceſſaturam pluuiam verbi Dei tribus annis, & dimidio, tempore Antichriſti: quod fert D. Th. Iacob 5. & ſic etiam ex Diuina clementia, adiectum eſt de prædicatione Henoch & Eliæ; *prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta*, ad eiuſmodi tempus.

Apocalypſ. 8. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in Cælo, quaſi media hora*, Hic agitur ex D. Thoma de apertione ſigilli ſeptimi, in qua, manifeſtatur ſtatus Eccleſiæ poſt mortem Antichtiſti: (Eccleſiam typo Cœli ſignari docet infra c. 12. ibi *factum eſt prælium magnum in cælo; claritate, ſublimitate, ſtabilitate*.) Per illud ſilentium ſignificatur pax & tranquillitas, quæ eſt futura in Eccleſia, quia citò Dominus veniet poſt, ad iudicium. Danielis 12. *Beatus, qui expectat, & peruenit ad dies mille trecentos triginta quinq.* Attamen Apoc.6.ait, illo autem interfecto, non ſtatim immediatè veniet Chriſtus ad Iudicium, ſed concedentur electis ad pęnitentiam quadraginta duo dies; Gloſſa quędam Apoc.8.hos aſtruit quadraginta duos dies, ſicut habuerunt Iudæi quadraginta duos annos ad pœnitendum poſt paſſionem Chriſti, vt dicit Hieronymus, ante Titi deſolationem. Cętetùm gloſſa iterum melius; *Quando autem poſt illos quadraginta dies, venturus ſit Dominus, prorsùs ignoratur*.

Quocirca, quemadmodum, & de præmiſſis, ſuccurrat oportet Iſaiæ viſio c. 6. vidit enim *Dominum ſedentem*, &c. *& Seraphin ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*. Per Diuum Dionyſium apud Angelicum in fine Quarti Sententiarum, *facies* ipſam diuinam Eſſentiam ſignificat, & ea quæ in æternitate fuerunt ante Mundi conſtitutionem: per *pedes*, ſignantur ea, quæ poſt Mundum erunt in gloria Beatorum, & in pęnis damnatorum: per media verò, ea quæ curſu temporis medio aguntur. Seraphin ergo *faciem*, & *pedes* ſedentis velare dicuntur, quia myſteria æternæ Deitatis, & futuræ beatitudinis & miſeriæ, nobis ad plenum non reuelantur. Sic dixerim ego de finali mundi huius cataſtrophe. Satis ſit nobis innoteſcere, (quo caueamus in timore Domini, à culpis) futuram eſſe, *cum creuerint*, apicemque attigerint *iniquitates*; Daniel. 8. per impium pſeudochriſtum, tribulationem magnam, qualis non fuerit ab initio Mundi, (*qui legit intelligat*.) Indiuiduas deſolationis circunſtantias perperam certitudine aſſequeremur: ſatis eſt pro firmanda veritate facti, illas commemoraſſe vtcumque: nihil ad ſalutem, ſed ad curioſitatem adamuſsim perquirere, aut ſcrutari: non eſt noſtrum *noſse tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. Sed quid prodeſt terroris tempus prænoſcere, ſi in generationibus, non contingit euadere?

Quærit autem S. Doctor Apoc. 6. Quare tunc Dominus tantam perſecutionem fieri permittet. Item quare miracula ſubtrahet. Et Reſpondet, ad primum; permittet propter electorum probationem; (Eccleſ. 27. *Vaſa figuli probat fornax, et homines iuſtos tentatio tribulationis*) & ſic ad meriti cumulationem. Prætereà hoc exiget malitia peruerſorum, per quam mali merebuntur, in illa tribulatione ſuccumbere, vt magis damnentur. Item peruerſitas diaboli hoc permitti merebitur à ſe fieri, vt ex hoc acriùs mereatur damnari. Ad aliud videtur dicendum iuxta prædicta, quòd non faciet Dominus miracula tunc, tùm propter malorum excæcationem, quorum malitia merebitur ſibi ſubtrahi, viam internæ illuminationis, tùm propter electorum probationem.

Supereſt de Mundi conſummatione exſcribere, quod ait D. Thomas p. 2. q. 106. a. 4. ad 4. exponens illud Matthæi 24. *prædicabitur hoc Euangelium Regni, in vniuerſo Orbe, in teſtimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet conſummatio*. Prædicatio Euangelij Chriſti poteſt intelligi dupliciter; vno modo quantùm ad diuulgationem notitiæ Chriſti: & ſic prædicatum fuit Euangelium in vniuerſo Orbe, etiam tempore Apoſtolorum, vt Chryſoſ. dicit, & ſecundum hoc, quod additur; *& tunc erit conſummatio*, intelli-

telligitur hoc de destructione Ierusalem; de qua tunc ad literam loquebatur. Alio modo potest intelligi prædicatio Euangelij in vniuerso Orbe cum pleno effectu, ita scilicet, quòd in qualibet Gente fundetur Ecclesia: & ita sicut dicit Augustinus, in Epist.78. ad Hesychium, nondum est prædicatum Euangelium in vniuerso Orbe: sed hoc facto, veniet consummatio Mundi. Hoc ipsum tradit Rom. 10. l. 3. dicens, non tamen, sic fuit impletum tempore Apostolorum, quòd in omnibus Gentibus Ecclesia ædificaretur, quod tamen est implendum ante finem Mundi.

Quia tamen *non est nostrum, nosse tempora* Act. 1. & Matth. 24. & Marci 13. *de die illa nemo scit*; eò quod, vt docet in opusc. Compendio Theologiæ, c. 242. non possunt præsciri futura, nisi comprehensis causis, & causa finis Mundi est Dei voluntas; quæ est nobis ignota; intelligendum est, quod dicit in præfata prima, secundæ *veniet consummatio*; idest proximiùs imminebit, non enim aliud ex scripturis præuium interuenturum habetur. Sic cum, vt tactum est, legitur Apocal. 8. *factum est silentium in Cælo quasi media hora*: indicatur quidem decursus minor temporis: vnde non dies memoratur, sed *hora*: verùm, vt de incertitudine extremi puncti moneamur, adiecit ly *quasi media hora*, quod ignorantiam finis, etiam finali tempore astruit: vnde, cum Dominus ait, Matthæi 24. *statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur*, &c. *& tunc parebit signum filij hominis in cælo*. *Statim* exponit Angelicus Matth. 24. quia *non diu post*. Et hoc est contra illos, qui fabulam ponunt de mille annis. Malach. 3. *& statim veniet ad Templum sanctum suum*. Apocalyp. 22. *ecce venio citò*; ex quibus claret ly *statim* in sacris literis, & respectu consiliorum æterni Dei, non accipi, amandata omni vel minima mora, vt in humanis. Nisi dicas ly *statim* referri ad cælestium immutationem, modumque obscurandi Solem, Lunamque obtenebrandam, &c. non enim naturæ cursu sensim deficient, sed diuino nutu, cui ineluctabiliter propensissimè parent omnia. Sic Ioannis 5. *statim sanus factus est homo ille*, quia sine interiectu temporis, non solùm conualuit, sed planè incolumis factus est. Hinc Hieronymus de socru Sermonis; (in Catena Matth. 8.) *natura hominum ishusmodi est, vt post febrem, magis lassescant corpora, & incipiente sanitate, ægrotationis mala sentiant. Verùm sanitas, quæ confertur à Domino, tota simul redit*. Ait autem Angelicus *factum est silentium in cælo, quasi media hora*; quia erunt in magna quiete post mortem Antichristi: & de diuinis nominibus c. 11. Lect. 2. explicatur, eo quòd signum perturbatæ mentis solet esse strepitus, & clamor. Cœlum quippe, vt tactum est, pro Ecclesia accipitur, & ita ad rem Apoc. 11. ibi, *factum est prælium magnum in cælo*. Hora mensura est in terris; dies, menses, & anni mensuræ sunt cœli, à quorum nempè motibus accipiuntur. Tunc nondum erit plenum, immò nec sempiternum gaudium ex pace in terris: (*vt gaudium vestrum sit plenum*, Ioan. 16.) hinc Bernardus lib. de amore Dei c. 4. de vnione loquens cum Deo, *hoc est gaudium, hoc est silentium in cælo*. Sed post hoc erumpimus in exultationem. At in gloriæ Cœlo non ita, neque enim est vicissitudo gaudij, & exultationis, *quia in exultatione metent*, Ps. 125. *& sancti eius exultatione exultabunt*, ps. 131. gaudij tanti impotes. Rupto ergo silentio non tamen amissa requie, dum *exultabunt sancti in gloria, & latabuntur in cubilibus suis*, Psal. 149. insonat meritò Ecclesia; *vix hora vel dimidia sit in cælo silentium*.

VERSUS XIX. *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum*. 12

Gad interpretatur [B] *tentatio*. Item interpretatur *accinctus*; quia ad expugnandum & vincendum tentationes, debet homo accingi virtute mentis. Secundum glossam [C] *discingitur, qui vadit ad quiescendum: succingitur, qui paratur ad ambulandum: præcingitur, qui ad seruiendum: accingitur, qui paratur ad bellum, puta miles*. Itaq; tūc, generosa fortitudinis indole, insti prælia inibunt, aduersus eum: at ipse semper *accingetur retrorsum*, quemadmodum dictus est insidiari *calcaneo*. Non deerunt impio vaferrimum ingenium, calliditas, virulentia, stratagemata, fraudes & doli; quare vndequaque oportebit esse paratos.

B Apoc. 7. comm. 2.

C ps. 44.

VERSUS XX. *Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*. 13

Doctrina Christi dicitur panis, [D] seu verbum Dei dicitur panis pinguis, [E] propter delectationis suauitatem. Gladius Christi, est doctrina eius: de hoc gladio habetur Ephes. vltimo; *& gladium spiritus quod est verbum* [F] *Dei*. *Aser* interpretatur *felix*: felix qui eo defendetur gladio.

D ps. 4?. E Ibid. 30.

F ps. 44.

VERSUS XXI. *Nephtali; Ceruus emissus; & dans eloquia pulchritudinis*. 14

Nephtali interpretatur *latitudo*, [G] & significat extensionem charitatis ad proximum. Qua quidem tunc, vel maximè, ardeat oportebit diuini verbi prædicator: ex quo euadet *ceruus emissus*. Ceruus transcendit sine læsione spinas & syluas: sic [H] spiritualis affectus, pertransit fine læsione, & infectione mala, delectationes mundi, (supple ad rem) mundi etiam magnas tribulationes. Ad illa verba Psalmi 28. *Vox Domini præparantis Ceruos*; inquit, [I] Cerui in desertis manent; & quia filij Israel fuerunt quadraginta annis in deserto, dicuntur Cerui. Et vide miram, sancti spiritus allusionem; trahit mentem, ex Cerui metaphora, in deserti memoriam non sine causa. Sicut populus Israel quadraginta duabus, (quod dictum est) mansionibus peruenit ad terram promissionum Num: 33. & in illis mansionibus multa mala prius sustinuit ab hostibus: ita Ecclesia per persecutiones quas quadraginta duobus mensibus sustinebit; & *ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus* Apoc. 11. perueniet [L] ad terram viuentium. Proprietas cerui, (quod tactum fuit) est vt transeat spineta sine læsione pedum; sic Christus transiuit per istam vitam præsentem, fine lui inquinatione. Item ceruus optimè salit; sic Christus de fouea mortis, ascendit ad gloriam resurrectionis: [M] idcirco Psalmus 21. inscribitur apud Hieronymum, *Victori, pro ceruo matutino*, & est *pro assumptione*, idest resurrectione: & hæc fuit matutina. 3. p. 53. a. 3. Christus resurrexit circa diluculum, illucescente iam die, ad significandum, quòd per suam resurrectionem, nos ad lucem

G Apoc. 7. comm. 2.

H ps. 1?. & ps. 44.

I ps. 28.

L Apocalypsis c. 11. comment. 1.

M ps. 21.

glo-

gloriæ inducebat. In noſtra litera habetur *pro aſ-
ſumptione*, vel *pro cerua matutina*; ideſt pro huma-
na natura. Igitur *Beatus*; (ſic etiam interpreta-
tur *Aſer*, Paulò ante dictus;) qui Chriſti Do-
mini agone memorato, triumphum reſurrectio-
nis præſtolatur, Hæc ſunt *eloquia pulchritudinis*;
quia qui fuit deſpectus moriens non habens *ſpe-
ciem* aut *decorem*, *decorem indutus eſt* in reſurre-
ctione factus pulcher dilectus & *ſpecioſus forma
præ filijs hominum*: cuiuſque pulchritudinem Sol,
& Luna mirantur. Ceruus ergò emiſſus ſine
dubio à Deo, hæc promet *eloquia pulchritudinis*:
ex quibus fideles recolant, poſt horrida per-
ſecutionis tam feræ ſpectra, poſt deformatam
nigrore tribulationum, tormentorumque per-
peſſione finalem Eccleſiam, inſtar Cerui matu-
tini, hoc eſt Chriſti reſurgentis, pulchriùs *con-
figurandas corpori eius claritatis*. Quò etiam, illud
faciat ex Iſaiæ 52. apud Apoſtolum Roman. 10.
*quàm ſpecioſi pedes, euangelizantium pacem; euan-
gelizantium bona!* tot nimirùm poſt mala, atque
dirum bellum.

VERSVS XXII. *Filius accreſcens; Io-
ſeph filius accreſcens, & decorus aſpectu. Filiæ di-
ſcurrerunt ſuper murum.*

15 *Ioſeph* interpretatur *augmentum*; quia per
Apoc. comm. Sapientiam [N] augmentauit redditus Pharaonis.
Tot meritis cumulatis augebuntur fideles. [O] Io-
ibi cō. cnt.2. ſeph ergo gratioſiſſimus, benedictiſſimus, &
D.Th. præ cæteris Domino conſecratus, ſtatum [P] ſi-
2. gnificat euangelicum in nouiſſimo tempore ſu-
ſcitandum. Et ſic quaſi recapitulat in vno, quæ
priùs dicta ſunt. Hinc gloſſa, vt ſuprà, ſuper
ps.44. illud, *in fimbrijs aureis* [Q] inquit quòd *illi qui in-
uenientur in fine Mundi, erunt perfecti, & Sancti*:
Danie. quod quidem non improbat Angelicus [R] dicēs,
7. fortè omnes Prælati, & Religioſi Sancti erunt;
Sicut primò Apoſtoli Chriſti. Bis autem dicit;
accreſcens, quia augmentum duplex erit, & me-
riti, & præmij. Quare autem *Nazaræus* decan-
tetur hic, & Deuteronomij 33. dicetur Numeri
6. Poſt tot fidei fideliumque diſcrimina tran-
quillitati relicta Eccleſia, *Filiæ diſcurrerunt ſuper
murum*, hoſtiles non vltrà anguſtias, aut ſæuam
obſidionem timentes. Eruntque in toto aman-
data formidine, Saluatoris diſcurſiua recorda-
tione: quippe qui *murus*, & *antemurale*, Iſaiæ 26.
aperite portas: adnectit Eccleſia, *quia nobiſcum
ps.44. Deus*. Iſtæ ſunt filiæ Regum: Reges [S] ſunt Do-
ctores: filiæ eorum, ſunt populus Chriſtianus;
in Chriſto Ieſu per Euangelium, 2. Cor. 4. *ego vos
genui*. Suprà dictum eſt, *Aſer pinguis panis eius,
& præbebit delicias Regibus*. Sancti Doctores deli-
cias experiuntur immortales in doctrina Chri-
ſti. Cætera recipiunt facilè allegoriam. *Deus*.

VERSVS XXIV. *Inde Paſtor egreſſus eſt
lapis Iſrael.*

16 Ipſe Paſtorem hunc dixerim *Paſtorem ani-
marum noſtrarum*. 1. Petri 2. *Egredietur* tandem
de loco ſancto ſuo, ad iudicium, finalem vt red-
dat fidelibus retributionem. Chriſtus quippe
eſt lapis Iſrael. Matthæi 21. *qui ceciderit ſuper la-
pidem iſtum confringetur: ſuper quem verò ceciderit
conteret eum*. Iſaiæ 8. *in lapidem offenſionis, & in
petram ſcandali duabus domibus Iſrael*. Pſ. 17. *&
comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti*. Iu-
dæus, quia vult, impingit in lapidem. Chriſtus
quaſi præter intentionem punit; quia *Deus mor-
tem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*.
Sap. 1. Hoc eſt ipſum cadere. Hinc memoratur
poſt datas benedictiones. *Ben-iamin*; quod in-
terpretatur *filius dexteræ*: eoquòd fuerint inſti
merito feruidæ [T] perſeuerantiæ tanquam filij T Apoc 7 comm
dexteræ, digni æterna mercede. Niſi dicatur, 2.
quòd lupus infernalis, qui quidem dexteræ filius
dici poteſt, eoquod fuit nobiliſſimus Angelo-
rum, qui mane oriebatur tanquam à dextera cæ-
li, quemadmodum ait Iſaias c. 14. *quomodo ceci-
diſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris*; rapuiſſe
ſibi viſus eſt prædam, mane mundi huius, cum
decepit, & cœpit primos parentes; ſed *veſpere*
(quod optimè accommodatur ad finem ſæculi)
diuidet vel coactè, *ſpolia, ſpolia Samariæ*, de qui-
bus Iſaias c. 8. nam plurimos, quos crediderit
impius in Idololatriam prolapſos, (Samaria
namque pro Idololatria [V] ponitur) conuerſos V 3.p.15
ad fidem ſaluabit Dominus Ieſus. Qui eſt lapis, 3.3.
in caput anguli, pſ. 117. angularis ſubinde dictus
Iſ. 28. p. Petri 2. & Epheſ. 2. *qui fecit vtraque
vnum*; tunc etiam reliquias Iſrael cum gentibus
collecturus; atque congregaturus in vnum, vt
dicitur Ioann. 11.

Hæc, hinc atque illinc, concinnata viden-
tur à ſancto Patriarcha Iacob, ſpecialiter allego-
riæ figura prænunciata, tanquam nouiſſimis
temporibus ventura: mirificè ſuper baſin hiſto-
rialis literæ expoſitæ, ab Angelico fundata. Non
deſunt ad membra Eccleſiæ, ac ad fidelium mo-
res, accommodæ atque ſapidæ expoſitiones,
quas in D. Thoma hic videre eſt. Nonnulla
tamen raptim aliunde collecta diſparatè ſubij-
ciam.

Iſſachar interpretatur [X] *Dominum comme-* 17 X Apoc
morans; & ſignificat Doctorem catholicum, qui 6. comm
ſemper accubat *inter terminos*, quos Patres po- 2. ante
ſuerunt, ideſt, ſequitur ſanctorum expoſitio- medium.
nes, iuxta illud Prouerb. 22. *ne tranſgrediaris ter-
minos antiquos, quos poſuerunt Patres tui*. Aliàs
interpretatur *merces*, & [A] ſignificat iuſtitiam A Apoc.
operum, cui merces debetur. *Gad* interpreta- 7. comm
tur *accinctus*; & pœnitentibus quadrat, vt ſiut vtroque.
accincti ad ſatisfactionem [B] *Aſer, pinguis eſt pa-* B Apoc.
nis eius. Præterquam literaliter accipi poteſt [C] 7. comm.
pro temporali; ſumitur pro ſatietate plena, 1. C Iſaiæ
quam habent, qui habitant cum Deo, ſiue in 10.
militante Eccleſia, ſiue in triumphante. Sonat
etiam [D] ſpiritualem pinguedinem. Potiſſimùm D Matth.
verò hic *pinguis* carnem, [E] Chriſti ſignificat, 26. E Io. 6.
quæ eſt *panis vitæ*; & hic panis Euchariſticus eſt, l. 4.
qui præbet delicias [F] vitæ æternæ; in cauſa, & F Io. 6.
in ſpe; vtpote continens Chriſtum, qui eſt Vita l. 6.
æterna. Sic ex Chriſti corpore recipient [G] bea- G op. 58.
ti delicias gloriæ: atque etiam ſaporem [H] inef- c.10.
fabilis ſuauitatis. Poteſt etiam referri ad Anti- H op. 58.
chriſti tempora, nam ad panem vitæ pro ſpiri- 24.
tus pinguedine, non deerit omninò confugium;
etſi enim publicè Miſſę, non ſint tunc celebran-
dæ, dicente Daniele, *ceſſabit iuge ſacrificium*,
celebrabuntur occultè, inquit D. Thomas ibi,
ſicut in primitiua Eccleſia. Pinguis eſt panis iſte
fideli cuique, pura mente ſumenti, ea, de qua
dicit Propheta pſalmo 62. *ſicut adipe & pinguedi-
ne repleatur anima mea*. Innuitur, Sacramentum
eſſe viuentium, quia enutritiuum: atqui licèt
omnes dignè accedentes reficiat; non tamen
ſingulis euadit in tantam dulcedinem vt in affe-

ctu firmæ & ardentioris deuotionis, ineffabilem sapiăt delectationē. Hasce spiritus delicias cordisque suauissimas voluptates non cuique dare dignatur; sed Regibus illas præbet, hoc est perfectis, Regali rationis imperio, vires & sensus corporis moderantibus: [I] Cant. 6. *Sexaginta autem sunt Reginæ*; Apoc. 9. Comm. 2. ecce, inquit, perfecti iam coronati; *& octoginta concubinæ*; ecce proficientes, qui iam cubant cum sponso; *et adolescentularum non est numerus*; ecce incipientes, quia incipientium maior numerus est; nec omnes, qui incipiunt perseuerant, quia de facili seducuntur, tanquam *nouellæ plantationum*. Vide S. Doctorem. Et adde ex psal. 36. ibi, *iunior fui*. panem spirituali intellectu, esse participationem Christi, scilicet veritatem, sapientiam, & iustitiam; & hic est panis, qui dat *delicias Regibus*.

I op. 58. 14.

VERSVS XXV. *Deus Patris tui erit adiutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi: benedicet tibi benedictionibus abyssi iacentis deorsum: benedictionibus vberum & vuluæ.*

Benedictionibus, quæ Cœlo, mari, terræ dantur desuper, precatur Ioseph, suisque futura bona; vnde plurium testimonio expositorum Sacrorum, nonnulli Ephraimiti tàm sub idololatra Ieroboam, quàm sub tyranno Salman-assare, & post reditum è Babylone cum tribu Iuda, benedictionibus cœlestibus, forsan & terrenis, (nàm Ephraimitæ cęteris dignitate præcellebant) vsque ad aduentum Christi abundarunt. Cumulantur autem [L] præcedentium Patrum meritis.

L D.Th. hic c.26.

VERSVS XXVI. id probat. *Benedictiones Patris tui confortatæ sunt, benedictionibus Patrum eius. Donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.*

Caput Ioseph, sicut fidelium omnium Christus est Dominus. Ipse est *desiderium collium æternorum*; *desideratus cunctis gentibus*. Colles intelliguntur, perfecti; quique [M] sanctæ conuersationis sublimitate, à terrenis subleuati sunt, & quasi camporum planitiem, melioris vitæ meritis excedentes. Quos quidem, ait Beda, fuisse Patriarchas & Prophetas; imò & Angelos. *Vel collium æternorum*, idest vita æterna supernorum ciuium, vel æternarum [N] mansionum; quæ sunt quasi colles, vel montes. Benedictiones ergo dat Ioseph; & in eo signatis, donec veniret. Cæterùm *fiant*, hoc est, *fiunt*, vel *fient* proficuæ in Christo, & per Christum; de quo ait Apostolus, Ephes. 1. *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in Cœlestibus, in Christo*. Ipse est Nazaræus, quia floridus. Vbi nos legimus Isaiæ 11. *& flos de radice eius ascendet*, iuxtà hebraicam veritatem habetur, vt ait Hieronymus in Catena Matthæi 2. *Nazaræus* ascendet: de quo [O] D. Thomas. *Nazaræus* etiam *Sanctus interpretatur*: *Sanctum autem futurum Dominum, omnis scriptura commemorat*; ait idem Hieronymus.

M D.Th. Cant. c.2.

N D.Th. hic.

O 3.p.q.35. 7. 2. & Ioan. 7. l.5.

VERSVS XXVII. *Ben-iamin lupus rapax.*

D. Thomas cùm alijs locis, tùm hic, hærens Sanctis Patribus, [P] exponit de D. Paulo, qui fuit de tribu Ben-iamin, persecutusque est oues Ecclesiæ: *vespere* diuisit spolia; quia cum fidelium animas & corpora persequeretur, vi & pseudoctrina; animas deinde acquisiuit Christo; corpora prædicans constanter pro fide tyrannis & tormentis, atque etiam morti exponenda; quia *mori lucrum*. Philip. 1.

P Rom. 11.l.1. Galat.1. l.1. Philip. 3. l.1.

VERSVS XXIX. *Et præcepit eis dicens: ego congregor ad populum meum; sepelite me cum Patribus meis.*

Insteterat etiam prædilecto ex prædilecta Rachele Iosepho sup. c. 47. *vt non sepelias me in Aegypto*; Nunc omnes filios suos ad id mouet. Quod quidem cupit ardenter; tum ex deuotione ad Sanctos Patres suos, & ad Christum in terra illa venturum; tum ad cultum Dei, ibi suo in populo habendum; tum denique, [Q] ad firmiùs testificandum, quàm certus erat de terra illa, breui suæ stirpi possidenda. Hoc etiam faciebat, vt fortiùs animarentur redire ad illam tempore suo; & ad eandem semper maiori deuotione flagrarent.

Q D.Th. hic.

VERSVS XXXII. *Finitisque mandatis* &c.

Viribus ergo, & mente valuisse, etiam Ethnicis euincitur Iacob, cum hæc filijs loqueretur; Deique nutu cuncta prænunciasse; vtpote, qui potuit colligere pedes suos super lectulum, præscius mori. D. Paulus; Hebr. 11. *fide, Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit*. Quis scit an collegerit pedes in lectulo, Christū Dominū in cruce sponte sua collecturum pedes, confixos clauis, dulciter memorans; ac si diceret, *si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam* fide, (fide quippe defuncti sunt, ait Apostolus) *tu mecum es Domine*. Decet præterea collectis pedibus mori iustum; quippe qui sapientiæ acquieuisse præsumitur, dicenti Prouerb. 4. *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui*. Præsertim quoniam, *angusta valde est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam*. Sicuti è contra, *lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem*. Matth. 7. Quòd si per pedes intelligantur affectus, quibus mouetur animus huc & illuc, pulchrè colligit pedes suos, eousque oraculis propheticis quasi distractos, in immediatam æternæ vitæ contemplationem. Quocirca recolendus est D. Thomas, in p. 2. q. 3. a. 2. ad 4. vbi ait; in præsenti vita est aliqua participatio beatitudinis; & quantò operatio potest esse magis continua, & vna; tantò plùs habet de ratione beatitudinis: & ideò in vita actiua, quæ circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis, quàm in contemplatiua, quæ versatur circa vnum, idest circa veritatis contemplationem &c. Quamuis, qui etiam ipsam cessationem, puta somni vel occupationis alterius naturalis, ad operationem prædictam ordinat, quasi videatur habere operationem continuam. Ad id ergo, puto ipse, collegerit pedes.

De benedictionibus hisce almi Patriarchæ, Iacob, nobiscum plura edisserit mirè Augustinus, Tomo 3. suorum operum ad finem: quemadmodum de Dan in Antichristi typum speciali Tractatu in calce Tomi 9. & Tomo eodem 3. de Genesi ad literam: qui quidem tanquam splendidissimum Scripturæ lumen, sicut & ibidem, *de mirabilibus eiusdem sacræ Scripturæ*, ad hactenus dicta, & infrà etiam dicenda, ne caligare contingat, videndus est.

C A P V T L.

1 QVod cernens Ioſeph, tuit ſuper faciem patris flens, & deoſculans eum. 2 Præ-
cepitque ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent patrem. 3 Quibus iuſſa
explentibus, tranſierunt quadraginta dies: iſte quippe mos erat cadauerum
conditorum: fleuitque eum Aegyptus ſeptuaginta diebus. 4 Et expleto
planctus tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis: Si inueni gra-
tiam in conſpectu veſtro loquimini in auribus Pharaonis: 5 eo quod pater meus adiuraue-
rit me, dicens: En morior, in ſepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, ſepelies me. Supr. 47. g 29.
Aſcendam igitur, & ſepeliam patrem meum, ac reuertar, 6 Dixitque ei Pharao: Aſcen-
de, & ſepeli patrem tuum ſicut adiuratus es. 7 Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſe-
nes domus Pharaonis, cunctique maiores natu Terræ Aegypti: 8 domus Ioſeph cum fra-
tribus ſuis, abſque paruulis, & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in Terra Geſ-
ſen. 9 Habuit quoque in comitatu currus, & equites: & facta eſt turba non modica. 10
Veneruntque ad Arcam Arad, quæ ſita eſt trans Iordanem: vbi celebrantes exequias plan-
ctu magno atque vehementi, impleuerunt ſeptem dies. 11 Quod cum vidiſſent habitato-
res Terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus eſt iſte Aegyptijs. Et idcirco vocatum
eſt nomen loci illius, Planctus Aegypti. 12 Fecerunt ergo filij Iacob ſicut præceperat eis.
13 Et portantes eum in Terram Chanaan, ſepelierunt eum in ſpelunca duplici, quam eme- Act. 7. b. 16.
rat Abraham cum agro in poſſeſſionem ſepulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mam- Supr. 23. d. 10.
bre. 14 Reuerſuſque eſt Ioſeph in Aegyptum cum fratribus ſuis, & omni comitatu, ſepul-
to patre. 15 Quo mortuo, timentes fratres eius, & mutuo colloquentes: Ne fortè memor
ſit iniuriæ quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus, 16 mandauerunt
ei dicentes. Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, 17 vt hæc tibi verbis illius
diceremus: Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ: quam
exercuerunt in te, nos quoque oramus vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc.
Quibus auditis fleuit Ioſeph. 18 Veneruntque ad eum fratres ſui: & proni adorantes in
terram dixerunt. Serui ſumus. 19 Quibus ille reſpondit: Nolite timere num Dei poſſu-
mus reſiſtere voluntati? 20 Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum, Supr. 45. b. 9.
vt exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, & ſaluos faceret multos populos. 21 No-
lite timere ego paſcam vos, & paruulos veſtros, conſolatuſque eſt eos, & blandè, ac leni- Supr. 49. c 12.
ter eſt locutus. 22 Et habitauit in Aegypto cum omni domo patris ſui, vixitque centum
decem annis. Et vidit Ephraim filios vſque ad tertiam generationem. Filij quoque Machir Num 32. g. 39.
filij Manaſſe nati ſunt in gentibus Ioſeph. 23 Quibus tranſactis, locutus eſt fratribus ſuis: Hebr. 11. d. 18.
Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram, quam
iurauit Abraham, Iſaac, & Iacob: 24 Cumque adiuraſſet eos atque dixiſſet: Deus viſita-
bit vos: aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto: 25 mortuus eſt, expletis centum decem Exod. 13. d. 19. Ioſ. 24. g. 32.
vitæ ſuæ annis. Et conditus aromatibus repoſitus eſt in loculo in Aegypto.

VERSVS I. *Quod cernens Ioſeph, ruit ſuper faciem Patris ſui, & deoſculans eum* &c.

Pompa qua ſepelierunt Patrem ſatis ſplendet in litera: sic etiam fuit Synagoga cum ſuis cæremonialibus ſepulta [A] cum honore. [A] D. Th. hic.

VERSVS XXII. *Filij quoque Machir nati ſunt in genibus Ioſeph.*

Ideſt poſtquàm nati ſunt, ſteterunt aliquando in genibus Ioſeph. Sic tertiam generationem vidit, nàm Machir filius erat Manaſſe. Et nota, quòd ter legitur baiulatio puerorum in genibus. Primò ſcilicet à Rachele ſupra cap. 30. Secundò hic. Tertiò 4. Regum cap. 4. de Sunamite ponente puerum ſuper genua ſua, vſque ad meridiem, & mortuus eſt. Et quidem in typicum triplicis noſtræ miſeriæ remedium præiuit figura. Iſaiæ vltimo, promittit Deus electis, *ad vbera portabimini, & ſuper genua blandietur vobis*: non ergo abſterreamur Dei Maieſtate, ſeruili naturæ conditione, ſtante facto Rachelis; quæ filium ex ancilla, genibus amanter excepit: neque etiam corruptione culpæ, qua morimur, ex filio Sunamitidis: denique, quia longè ſimus à Sanctis ſtipitibus; quia proauus immediatè ſuis genibus nobis blanditur. Sic Dei Maieſtas, qua factus eſt pro nobis ſeruus, ſeruitutem dignatur: Dei Sanctitas peccata, eorumque pœnas condonat; ac tandem immediata ſui viſione beatificat. [B] Hæc ex D. Thoma. [B] D. Th. hic.

VERSVS XXIV. *Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.*

Hùc facit quod dicit Apoſtolus Hebræorum 11. *Ioſeph moriens de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandauit.* Fides eius emicuit quantùm ad duo. Primò, quia credidit

pro-

promiſſionem factam, debere impleri per reditum filiorum Iſrael in terram promiſſionis. [c] Secundò quia in ipſa credebat, Chriſtum eſſe nasciturum, & reſurrecturum, & multos cum ipſo: vnde deſiderabat habere partem in illa reſurrectione. Sed quare, ait Angelicus, non fecit ſe ſtatim portari, ſicut Pater ſuus? Reſpondetque; hoc non potuit, quia non habebat tunc tantam poteſtatem, ſicut habebat in morte Patris. Secundò quia ſciebat, quòd multas afflictiones debebant ſuſtinere filij Iſrael poſt mortem eius: vt ergò haberent certam ſpem de liberatione ſua, & reditu ad terram promiſſionis, voluit ad ſolatium, corpus ſuum remanere cum ipſis: vnde & Moyſes tulit illud ſecum, ſicut & quælibet tribus corpus Patris ſui, vt dicit Hieronymus.

c Hebr. 11.l.5.

Faxit Deus, vt à generatione carnali, de qua in libro Geneſis agitur! ſiquidem [D] per generationis lauacrum, renati ſumus in filios Dei, ſubleuemur ad æternæ filij ſui generationis faſtigium, vt in genibus Maieſtatis Paternæ baiulemur, cum blanditijs familiaritatis, & gloriæ; illuc tandem corporibus euectis, vbi mente & ore Deum, Patrem, Filium, ac Spiritum-Sanctum adoremus, laudemus, benedicamus in ſecula ſeculorum. Amen. Scribebam die 14. Auguſti, qua ſacro baptiſmatis fonte renatus, pientiſſimi Patris adoptione, factus ſum filius: auſpicatò, Sacram Geneſin ſignet calamus.

D Hie.

FRA-

FRATRIS INNOCENTII PENCINI VENETI

Ordinis Prædicatorum, Diui Thomæ Aquinatis collectoris, ac interpretis, in Exodum

PROLOGVS.

Nscribitur liber iste Exodus, traducto ad nos ex Græcis titulo, qui sonat egressum: primò enim fusiùs hic agitur de liberatione electi populi de Aegyptiorum tyrannide. Ad hebræorum autem morem, nomenclatura hæc imposita est, quia consuetum est ipsis; si quando libros intitulant, non nisi ex primæuo illorum contento indigitare. Sic Geneseos cap. 5. quasi recolligendo prius dicta, inquit Moyses, hic est liber generationis Adam. [A] *Notatur tamen librorum caput, ijs quæ primò se se offerunt vocibus: quo pacto, Genesin prænotant hæbræi (vt vidimus)* Beresith. *Simili prorsùs modo huius in fronte, hebraicè est* Veelle semoth; *quod sonat;* hæc sunt nomina; *siuè* & ista nomina. *Litera quippe* vau *latinum &: Quamuis alibi per pleonasmum redundare credatur, vel ad ornatum, præsertim initio orationis ac sententiæ, vel ad præuisorum colligationem fortè subinnuendam, vt initio Ezechielis.* Et factum est in tricesimo anno; *Hoc in loco videtur, exteriorem ad subtexendum dicendorum cum dictis nexum, apposita esse. Ab initio sanè vnus continuusque atomus fuit Pentateuchus: diuisus posteà in quinque Sectiones, seu Libros. Constant Exodi librum Decem præcipuè Aegypti plagæ: Decalogus cum præceptis iudicialibus, atque cæremonialibus, (etsi non cunctis, pleraque enim infrà in Leuitico, Numero, & Deuteronomio) ac Tabernaculi fabrica. Quocircà sciendum, legem Moysi, (intellige præter moralia ex Decalogo, quæ æquè omnes arctant) pro extraneis nequaquàm esse euulgatam, sed tantùm obligasse Iudæos: idcircò alij non peccabant, si legis obseruantias non curabant: poterant quippe saluari, etiam si nihil de lege Moysi audissent, neque aliquid de ea scirent: non sic de lege Christi, quæ omnibus pronunciata est, quod docet Angelicus* [B] *in tertio. Et ideò non peccauit Iob cap. 1. tonso capite cadens in terram, quamuis hæc prohiberentur Deuteronomij 14.* Non vos incidetis, nec facietis caluitium suprà mortuum; *quia Iob gentilis erat; quod recolit idem S. Doctor in Ieremiam:* [C] *licèt omnes saluarentur, fide implicita Redemptoris. Feruntur autem eiusmodi præcepta excreuisse ad sexcenta quinquaginta quatuor; affirmantia quidem ad numerum ducentorum octoginta octo, quot hominum ossa à chirurgis recensentur; quasi moneretur homo fortiter se accingere, Deo largiente, ad horum obseruantiam: negantia verò, sexaginta sex supra trecenta fuisse; quanta summa est dierum anni: quo fortè innueretur, populum illum, nec momento, ab horum exemptum fore obseruatione, eoquòd negatiuum, nulla circumstantia intermittitur; obligant enim negatiua semper, atque etiam ad semper, si semper vigeant. Hæc autem non perperam illi populo data sunt; ordinabantur enim cæremonialia ad cultum Dei pro tempore illo obseruandum: & sic vel ad vitandam Idolomaniam, vel ad memoranda aliqua Dei beneficia, vel ad insinuandam excellentiam diuinam, vel etiam ad significandam dispositionem mentis, quæ tunc requirebatur in colentibus Deum, fiebant particulares determinationes: quæ etiam habebant rationes figurales & mysticas, siue accipiantur ex ipso Christo & Ecclesia; quod pertinet ad allegoriam: siue ad mores populi Christiani; quod pertinet ad moralitatem: siue ad statum futuræ gloriæ, prout in eam introducimur per Christum; quod pertinet ad anagogiam: quocircà videri potest Angelicus Doctor.* [D] *Diuidebantur autem cæremoniæ veteris legis, in sacrificia, sacramenta, sacra, & obseruantias. De quo pariter* [E] *S Thomas prima 2. Quemadmodum autem determinatio communis præcepti de cultu Diuino, per cæremonialia fiebat; ita & determinationes iustitiæ inter homines obseruandæ ex præceptis iudicialibus pendebant. Habebant porrò iuxtà quadruplicem ordinem, qui potest in aliquo populo inueniri, quaternam distinctionem. Vnus quidem est ordo Principum populi ad subditos: alius subditorum ad inuicem: tertius eorum qui sunt de populo ad extraneos: quartus ad domesticos, sicut Patris ad filium; vxoris ad virum; & Domini ad seruum. Et sic dabantur quædam præcepta de Institutione Principum, & officio eorum; ac etiam de reuerentia eis exhibenda. Et hæc est vna Pars iudicialium præceptorum. Dabantur etiam quædam præcepta pertinentia ad conciues ad inuicem,*

A D.Th. Matth. 1.

B 3. 25. 2. 2. 2. ad 3.

C Ier. 16.

D p. 2. 99. 4. & q. 102. 2. & Coloss. 2. l. 4.

E p. 2. 101. 4. & q. 102. 3. & infrà.

puta circà emptiones, & venditiones, & iudicia, & pœnas; & hæc est secunda pars iudicialium præceptorum. Dabantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos; puta de bellis contra hostes, & de susceptione peregrinorum, & aduenarum; & hæc est tertia pars iudicialium præceptorum. Dabantur etiam in lege quædam præcepta pertinentia ad domesticam conuersationem, sicut de seruis & vxoribus & filijs; & hæc est quarta pars iudicialium præceptorum: de quibus [F] *Sanctus Doctor vberrimè. Hæc si didicissent Manichæi, non blasphemè euomuissent, Deum veteris testamenti non bonum esse Deum, sed iniustum; atque subinde à Diabolo conditum, & repudiandum cum lege. Sanè in nouo testamento, quod ipsi ex parte probant, quibus confodiuntur, sunt iacula; ait enim Apostolus Romanorum 7.* lex quidem sancta & mandatum sanctum, & iustum & bonum. *Præterea 2. ad Timoth. 3. vetus testamentum*, sacras *appellat* literas, quas ab infantia *inquit* nosti: *nouum enim testamentum, non fuerat ab infantia doctus. Ad Hæbreos 3. ait,* quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus. *Deinde*, in hac fide *ait ad hebræos pariter cap. 11.* testimonium consecuti sunt senes, *ergò respui non potest testamentum sub quo vixerunt. Hæc expendit D. Thomas citatis locis, & adhuc opusc. 5. §. 5. nec non Matthæi 22. vbi ad illa verba*, iratus Rex; *inquit; ira attribuitur Deo, non in quantùm commotionem significat, sed vindictam, quia irati punire solent: vnde ira punitio vocatur; quod est notandum contra hæreticos, qui solent obijcere, Deum veteris testamenti non esse bonum, quia præcepit punitiones: Quoad legem etiam, facit contra eos quod Dominus ait*, non veni soluere legem sed adimplere; *& quod Lucæ vltimò*, incipiens à lege & Prophetis interpretabatur illis Scripturas. *Et Matthæi 23.* omnia quæ dixerint vobis, seruate & facite: *vbi ait S. Doctor: patet esse bonam, quia Dominus præcepit eam seruari. Obijciebat autem Manichæus: si lex vetus fuit data per Diuinam Prouidentiam, cùm ille sit immutabilis, etiam ipsa lex esset immutabilis; & per consequens non debuit mutari: cùm ergo mutata sit non est data per Diuinam Prouidentiam. Respondet S. Doct.* [G] *secundùm quod dicit Augustinus contrà Faustum, sicut sapiens dispensator vna, & eadem dispositione & prouidentia, secundùm diuersitatem temporum, & personarum dat alia, & alia præcepta: sicut alia hyeme, alia æstate; alia pueris, alia senibus; alia perfectis, & alia imperfectis; & tamen est eadem prouidentia: ita diuina prouidentia immobili permanente, mutata est lex propter mutationem temporum: quia antè aduentum debuerunt dari præcepta quæ figurarent venturum, sed post aduentum, quæ significent venisse. Item data sunt illis præcepta sicut pueris: in nouo verò sicut perfectis; vnde lex dicitur pædagogus, quod est propriè puerorum. Sed de hoc alijs in locis, cùm de legalibus, mortuis priùs, dein mortiferis fuerit sermo. Sint hæc per transennam, pro antiquæ dignitate legis, libata: quæ quidem infidelibus etiam tanta fuit in æstimatione, vt Ptolæmeus Philadelphus Rex Aegypti; nunciato sibi apud Iudæos esse legem ore ipsius Dei editam, & digito eius scriptam, petierit ab Eleazaro Pontifice Iudæorum, mitti in Aegyptum Iudæos hebrææ & græcæ linguæ peritos, qui ad eam transferendam sufficerent; quod & factum est, per interpretes septuaginta duos: vt recolit S. Doctor.* [H] *Nec debet quempiam à sanctæ huius legis veneratione abducere, quòd nimia videatur congeries præceptorum: in primis enim, quæ cuncta in cortice rudia, ac sine sale possent ab imperito censeri, causam aliquam habent figuralem, quantumcumque minutula sint, nàm iota vnum aut vnus apex vacuus non præterit: & vltrà adhùc in communi subest eisdem causa literalis, vt aduertit* [I] *Angelicus. Deinde ob aliud sunt exarata mysterium: Ait quippe S. Doctor* [L] *Cæremonialia ideò sunt multiplicata, ne liceret eis, dijs alienis cultum superaddere: & alibi; Data est lex ad domandam* [M] *concupiscentiam populi lasciuientis; vt fatigati cæremonijs, neque ad idololatriam, neque ad lasciuiam declinarent. Hinc idem D. Th. in 3. d. 40. q. 1. a. 1. ad 3. sicut qui tortuosa ligna dirigunt, ad partem contrariam magis deflectunt, vt sic ad rectitudinem veniatur, ita etiam vt dicitur in 2. Ethicorum tendentibus ad virtutem faciendum est, vt qui à rectitudine virtutis distorti fuerunt, magis à contrarijs virtutis abstrahantur. Et propter hoc etiam pœnitentibus grauiora onera imponuntur, quàm innocentibus. Et ita etiam carnali populo & ceruicoso maiora onera imponenda fuerunt, ad eius duritiam edomandam: cùm tamen modum ea non excederent; sicut & infirmis dieta arctior, & pueris disciplina strictior imponitur. Et adhùc in 4. d. 1. q. 1. a. 5. q. 2. ad 2. ex glossa Roman. 5. Lex data est ad domandam superbiam, vt scilicet Deo offerret potiùs quàm Idolis: ad flagellandum durum, in quantum erat ad satisfactionem: ad instruendum insipientem, ratione significationis. Et ibi ad 3. lex secundùm Augustinum, data est quantùm ad huiusmodi sacramenta, duris & superbis in flagellum, & onus: vt onerati diuinis sacrificijs, non liceret eis ad idololatriam declinare: sed perfectis, in signum, & paruulis in pædagogum. Quocirca etiam 3. p. 48. 3. ex Augustino,* Veri sacrificij Christi multiplicia variaque signa erant, sacrificia prisca Sanctorum: cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis, res vna diceretur, vt sine fastidio multùm commendaretur. *Et in Io. tract.* 10. sacrificia illi populo, pro eius carnalitate, & corde adhuc lapideo, talia data sunt, quibus teneretur, ne in idola diffluerett. *Et p. 2. q. 101. 3. vt quasi oneratis ex ijs quæ ad cultum Dei impenderent, non vacaret idololatriæ deseruire.*

Sanè ante legem de duobus homines præsumebant. Primò quidem de scientia; secundò de potentia. Et sic data est lex in remedium primò humanæ ignorantiæ, quia per legem *est* cognitio peccati, *vt dicitur Rom. 5. insipientes enim creaturas colebant;* Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt *Rom. 1.*

F 1. 2. 99. 4. & quæst. 104. art. 4. & infrà.

G Hebr. 7. l. 3.

H op. 41. l. 1. c. 2.

I p. 2. 102. 2. ad 3.

L Rom. 5. l. 6. ad finem.

M Galat. 3. l. 7. & p. 2. 101. 3.

Item

Item vt conuincerentur de impotentia per legem scriptam; aiebant enim, non deest qui impleat, sed deest qui iubeat, vt dicitur in glossa super illud Exodi 24. quicquid præceperit Dominus, faciemus, & erimus obedientes sicuti &c. 19 cuncta quæ locutus est Dominus faciemus. Itaque cùm lex auxilium gratiæ non daret ad vitandum peccata, homo sub lege constitutus vires suas infirmos vel coactus recognoscebat. Vnde Petrus Act. 15. hoc est onus quod neque nos &c. Et adhùc, ignorabat promiscuè quæ latitabant sub figurarum velamine. Igitur quemadmodum ait Apostolus lex subintrauit, vt abundaret delictum: quod consecutiuè factum est, Deo permittente, vt Mediatoris futuri remedium gratiùs humiliùs, ac auidiùs deposceretur. Hæc pluribus D. Thomæ locis excerpta [N] sunt; vt recti credantur sermones omnes diuinæ sapientiæ, vt dicitur Prouerb. 8. & non esse in eis prauum quid, neque peruersum. Adcò autem mirabili figurarum ænigmate à Deo tradita est hæc lex præceptorum, vt verè illud cani possit; lex Domini immaculata conuertens animas. Sanè legalium eiusmodi claram adeptus Dei munere intelligentiam, ex Thomistico Sole, prima secunda questione 101. & infrà, Paulus Burgensis Episcopus de Santa Maria, statim repudiatis erroribus Christum confessus, qualis in lege Domini abscondatur sapientia, innotescere celebriter fecit. Memorant eius conuersionem Christiano Orbi conspicuam, atque proficuam, libro præsertim inscripto, Scrutinium Scripturarum, plerique, inter quos recolo Bartholomæum Medinam prima 2. citata q. 103. & Thomam Maluenda tomo 1. in præfatione; eruditissimos Dominicanæ familiæ viros. Igitur dùm & nos fideli humilique studio meditabimur die ac nocte in hoc lege Domini, luce ac ardore diuino; mens fore vt illustretur, pariter ac accendatur, sperandum est; Rogemus interim Dominum, vt aperiat nobis Coloss. 4. ostium sermonis, elinguis enim omnis est eloquentia, nisi igneis linguis descendat Spiritus-Sanctus. Moyses Sacrosancto illius ductu admouit huic, & sequentibus libris calamum; imò & lingua eius fuit calamus quasi scribæ velociter scribentis. Quod si aliquando auctor alius videatur signari, cum legitur conceptis verbis. Dixit Dominus ad Moysen: non ita quidem; sed hebraicum in morem attexitur, quo sacris in eloquijs de se ipsis loquuntur, ac si tertius esset locutus, plerique Prophetæ; vt obseruauit Angelicus in [O] Danielem. Idm accedamus ad textum.

N ad Galat 3. l. 7. Ephes. 1. l. 3 Titi 1. l. 1. p. 2. 98.6.

O Danielis 2.

LIBER EXODI HEBRAICE

VEELLE SEMOTH.

CAPVT PRIMVM.

1 HAec sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum cum
Iacob: singuli cum domibus suis introierunt: 2 Ruben, Simeon,
Gen. 46. a. 8. Leui, Iudas, 3 Issachar, Zabulon, & Beniamin, 4 Dan, & Ne-
phtali, Gad, & Aser. 5 Erant igitur omnes animæ eorum, qui
egressi sunt de femore Iacob, septuaginta: Ioseph autem in Aegy-
pto erat. 6 Quo mortuo, & vniuersis fratribus eius, omnique co-
Act. 7. c. 17. gnatione illa, 7 filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multi-
plicati sunt: ac roborati nimis, impleuerunt terram. 8 Surrexit
interea rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph: 9 & ait ad populum suum:
Ecce, populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est. 10 Venite, sapienter opprima-
mus eum, ne fortè multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris,
expugnatisque nobis egrediatur de terra. Præposuit itaque eis magistros operum, vt affli
gerent eos oneribus: ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom, & Ra-
messes. 12 Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant:
13 oderantque filios Israel Aegyptij, & affligebant illudentes eis, 14 atque ad amaritu-
dinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in
terræ operibus premebantur. 15 Dixit autem Rex Aegypti obstetricibus Hebræorum:
quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, 16 præcipiens eis: Quando obstetricabitis
Hebræas, & partus tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite eum: si femina, reser-
uate. 17 Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis Ae-
gypti, sed conseruabant mares. 18 Quibus ad se accersitis, rex ait: Quidnam est hoc
quod facere voluistis, vt pueros seruaretis? 19 Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ si-
cut Aegyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus
ad eas, pariunt. 20 Benè ergo fecit Deus obstetricibus, & creuit populus, confortatusque
est nimis. 21 Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos. Præcepit ergo
Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proij-
cite: quidquid feminini, reseruate.

VERSVS V. *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta.*

Geneseos capite 46. egressæ dicuntur animæ de femore Iacob; quod quidem sanè accipiendum, vt ibidem exposuimus; nam vt alibi [A] etiam docet Angelicus, consueuit Scriptura sacra per synecdochen, partem pro toto vsurpare. Hic tamen relicta figura hac, non animæ sed ipsi dicuntur egressi de femore. Sed arguitur ex D. Thoma, [B] si totus homo ex femore Patris egreditur, non solum corpus, sed anima cum semine traducetur. Veruntamen ipse respondet; quòd totus homo egreditur de femore generantis, propter hoc quòd virtus seminis de femore egredientis, operatur ad vnionem corporis & animæ, disponendo materiam vltima dispositione, quæ est necessitas ad formam; ex qua vnione homo habet quòd sit homo: non autem ita quòd quælibet pars hominis per virtutem seminis causetur. Solet itaque Sacra Scriptura in feminibus, vel femoribus, generationis [C] propagationem designare. De numero septuaginta qui egressi sunt &c. satis dixi Geneseos cap. 46. & qua de causa legant Interpretes, septuaginta quinque. In his septuaginta non clauditur, qui seorsim ponitur Ioseph. *Ioseph autem in Aegypto erat*: ait sacer textus.

A 4. cont. G. c. 11.

B de potentia q. 3. a. 9. 1.

C Cant. 7.

VERSVS VIII. *Surrexit itaque Rex nouus super Aegyptum qui ignorabat Ioseph.*

Politicimus per fas nefasque, timore trepidans vbi non est timor, in tyrannidem vergit, diuino simul naturæque iure impiè conculcato: nouus hic Rex acharistiæ dedecore notus, ignorabat pessima ingratitudinis nota, ignorato Ioseph, quæ cuncta præstiterat Regno beneficia; malumque reddens pro bono filijs Israel, de iniusta oppressione cogitat. Ægypti Reges dicuntur traducto semper vocabulo, *Pharaones*, non secus ac Romani Imperatores vocantur Cæsares. Durè igitur vrgebantur miseri ad improbum laborem in luto ac latere. Inde, *ædificaueruntque vrbes*. Ramesses duarum altera, sic dicta à nomine illius terræ, vbi Iacob accepit à filio Ioseph

habi-

habitationis locum, vt legitur Genesis 47. ibi enim construxerunt hanc vrbem, quod [D] ait Magister Historiarum. Confortabantur tamen filij Israel, ex certa spe de liberatione sua, & reditu ad terram promissionis: [E] quod saltem vel ex corpore Ioseph, quod apud ipsos remanserat, habebant solatium.

D Genes. 46.
E Hebr. 11.l.5.

VERSVS XVI. *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum.*

1 Sic Pharaonis sæuitia ad Sephoram & Phua obstetricum primas, vt afflictos pressos atque illusos tandem extingueret. Veruntamen obstetrices tantum facinus non ausæ committere, se mendacio tuentur, dicentes, *non sunt Hebreæ sicut Ægyptiæ mulieres; ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusque veniemus ad eas, pariunt*. Hinc implexæ ebulliunt difficultates, quomodo si mendacium per se malum est, potuit (quod videtur) à Deo meruisse mercedem. Quid sibi velit idcircò Deum ædificasse illis domos &c.

Qua in re, pro certo in primis tenendum est, non excusari obstetrices à mendacio, quamquam fuerit officiosum; etsi enim laudentur, non laudantur quasi fuerint in perfecto statu virtutis; sed propter virtutis indolem, profectumque ad virtutem: ita ex D. Augustino l. de mendacio, quod recolit sanctus Doctor [F] pluribus locis.

F quod l. 2.2. 14. & quod. 38. 1. 1. 3. ad 2. & 4. & ad omnib. 2. ad 4.

Similiter exploratū est, mendaciū quantumcumque in bonum cedat alterius, esse ab intrinseco malum, atque adeo, nequaquam meritorium esse potuisse, quod quidem docet Angelicus conceptis [G] verbis. Vnde cum inquit 22. 110. 4. ad 4. quantum ad exteriorem actum mendacij potuerunt forte aliquam remunerationem temporalem mereri; intelligitur de mendacio, substractè, non quoad formalitatem mendacij, sed quoad inuolutam in illo actu exteriori beneuolentiam in pueros; vel defensionem etiam propriæ vitæ. Ratio huius est; quia actu malo nil promeretur quis apud Deum, qui malum odit: illud autem mendacium, vel fuit peccatum veniale [H] secundum D. Gregorium; vel potuit esse mortale ex omissione confessionis diuinæ veritatis & iustitiæ; si tamen coram Pharaone tunc confiteri tenebantur. Artificio potius aliquo tegenda erat veritas, non neganda; vel certè, quod ait Augustinus c. 17. lib. contra mendac. liberrimè recusandum, & etiam moriendum pro innocentissima veritate.

G p. 2. 14 10. 2. & 2. 2. 110. 3. 2.
H 1. 18. 1. 4. ad 3.

2 Quamuis autem in timore, qui exorbitauit in ipsis à naturali; (quo refugimus ea quæ sunt contra nostram [I] naturam), atque subinde in mendacio, deliquerunt; attamen alio ex capite Deo placuerunt; vnde ait sacer textus, *& quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos*. (quod signanter dictum esse [L] recolit S. Doctor) Dubium insurgit, quidnam mercedis, in domorum ædificatione intenderit significare Spiritus-Sanctus. Diuus Hieronymus relatus in 3. sententiarum [M] intelligit de Domibus spiritualibus, atque adeo fieri sermonem de remuneratione æterna, quæ quidem quantùm ad effectum beneuolentiæ in Iudæos, & quantùm ad reuerentiam diuini timoris, eis debebatur; quod quidem sentiendum est, quantùm ad rationem specificam talium operum; nam aliàs incertum est, an illarum affectus præcedens prolationem mendacij, fuerit gratia informatus, vt air sanctus Thomas, [N] astruens quòd vel meruerunt, vel ad meritum disponebantur. Alij exponunt de remuneratione temporali. Ait sane Hieronymus ad Dardanum. *In veteri testamento non exprimitur vita æterna; Hebræis enim domus significat sobolem, & filij ab ædificando dicuntur. Et propterea ab Euripide filij sunt appellati columnæ domus*. Fauet etiam quod initio huius capitis legitur; *singuli cum domibus suis introierunt*; Igitur erit sensus *ædificauit eis domos*, idest copiosam familiam, longam generis propagationem, amplasque eisdem opes largitus est Deus obstetricibus; *quia timuerunt Deum*. Sanè ex Philosopho 2. Polit. c. 1. Domus est œconomica communicatio, ex viro, vxore, filijs, seruis, supellectili, & iumentis. Huiusmodi merces temporalis forte potuit correspondere ipsi actui exteriori mendacij, in quo inuoluebatur pietas ac benignitas, qua putà intendebant prosequi obstetrices suum amanter officium; consimili enim merito deformitas mendacij non oberat; quamuis obsit merito remunerationis æternæ. Et in hoc sensu intelligitur D. Gregorius, dicens in glossa, quod *benignitatis earum merces, quæ eis potuit in æterna vita tribui, præmissa culpa mendacij, in terrenam est remunerationem declinata*. Et sic illud mendacium, etsi infecerit actum exteriorem præsentem, non tamen vitiauit anterius meritum earum, ex præcedenti affectu: quæ docet Angelicus [O] locis citatis.

I Apoc. 15. c. mensum cō. nene. 1.
L 2. 2. 10. 3. 2.
M ibi art. 4.
N 1. 38. 1. 4. 1.
O 1. 2. 114. 10. 2. & 2. 2. 110. 4. 4.

3 Quoniam autem, vt ait Augustinus l. 4. contra Faustum c. 2. relatus à S. Doctore in prima 2. vbi suprà ad primum, in temporalibus promissis, figuræ fuerunt futurorum spiritualiū, quæ implentur in nobis, antiquorum enim non tantùm lingua, sed etiam vita prophetica erat, ideò: Animaduertendum est, quòd in distinctione filiorum Israel [P] ab Ægyptijs significabatur character baptismalis: hinc secundùm glossam [Q] Pharao significat Zabulon, qui luti & lateris imponit grauissimum iugum, seruitutem scilicet lutulenti & terreni operis. Quod quidem docet iterum Angelicus [R] ad illa verba *à facie impiorum*, dicens, Ægyptij significant potentiam, & præsentiam Dæmonum, vel falsorum fratrum, qui tentationibus, & persecutionibus bonos affligunt; quod pariter de dæmonibus repetit [S] ad versum illum, *ab ijs qui oderunt me*.

P 4. 7. 2. 1. q. 1. ad 2.
Q op. 19. in Proœmio.
R ps. 16.
S ps. 17.

His adnectuntur quæ tradit alibi; in Apocalypsi super illud; *vt cum peperisset filium eius* &c. Diabolus quanto [T] melius opus quis facit, tantò magis eum extinguere nititur; quia quantò quis fortior, & sanctior est, tantò est inuidia diaboli maior. Masculus quippe pro validiori sumitur. Vnde op. 41. [V] paruulos actus extinguere, idest bonum propositum alicuius impedire, Babylonica impia crudelitas est. Sicut autem, quantò plus opprimebantur filij Israel *tantò magis multiplicabantur*; ita & in Ecclesia contigit; [X] nam tempore persecutionum eam Deus ampliauit, & inter opprimentes tyrannorum fluctus felicius emersit. Quod idem de iustis docemur; [A] nam virtus, in infirmitate perficitur. Mirus modus loquendi! ignis in aqua crescit. Memorat citato loco D. Thomas hanc filio-

T Apoc. 12. primo comm.
V op. 41. l. 5. c. 10.
X 1. Thess. Prologo.
A 2. Cor. 12. l. 3.

B Apoc. 12. primo co mm. in calce. rum Israel oppressionem, necnon, & in Apocalypsi, subdens [a] in tribulatione augetur virtus, & charitas. Recolo Senecam, *multum addit sibi lacessita virtus.*

C A P V T II.

Infr. 6. c. 20. Hebr. 11. d. 23. 1 EGressus est post hæc vir de domo Leui: & accepit vxorem stirpis suæ, 2 quæ con-
cepit, & peperit filium; & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. 3
Cumque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumi-
ne, ac pice: posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, 4 stan-
Act. 7. c. 21. Hebr. 11. d. 23. te procul sorore eius, & considerante euentum rei. 5 Ecce autem descendebat filia Pharao-
nis, vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cum vi-
disset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis: & allatam 6 aperiens, cernens-
que in ea paruulum vagientem, miserta eius, ait: De infantibus Hebræorum est hic. 7 Cui
soror pueri: Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit
infantulum? 8 Respondit: Vade. Perrexit puella, & vocauit matrem suam. 9 Ad quam
locuta filia Pharaonis: Accipe, puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem
tuam. Suscepit mulier, & nutriuit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis. 10 Quem
illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyses, dicens: Quia de aqua tuli
Hebr. 11. e. 24. eum. 11 In diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos: viditque
afflictionem eorum, & virum Aegyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis.
12 Cumque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Aegy-
ptium abscondit sabulo: 13 Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes: di-
xitque ei, qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum? 14 Qui respondit: Quis
te constituit principem, & iudicem super nos? num occidere me tu vis, sicut fieri occidisti
Aegyptium? Timuit Moyses, & ait: Quomodo palam factum est verbum istud? 15 Au-
diuitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen: qui fugiens de conspectu
eius moratus est in Terra Madian, & sedit iuxta puteum. 16 Erant autem sacerdoti Ma-
dian, septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare
cuplebant greges patris sui. 17 Superuenere pastores, & eiecerunt eas: surrexitque Moy-
ses, & defensis puellis, adaquauit oues earum. 18 Quæ cum reuertissent ad Raguel patrem
suum, dixit ad eas: Cur velociùs venistis solito? 19 Responderunt: Vir Aegyptius libe-
rauit nos de manu pastorum: insuper, & hausit aquam nobiscum potumque dedit ouibus.
20 At ille: Vbi est? inquit. Quare dimisistis hominem? vacate eum vt comedat panem.
Iol. 18. a 2. 3. 21 Iurauit ergo Moyses, quòd habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam eius vxo-
1. Par. 23. b. 15. rem, 22 quæ peperit ei filium, quem vocauit Gersam, dicens: Aduena fui in terra alie-
na. Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adiutor
meus eripuit me de manu Pharaonis. 23 Post multum verò temporis mortuus est rex Ae-
gypti: & ingemiscentes filij Israel, propter opera vociferati sunt: ascenditque clamor eorum
ad Deum ab operibus. 24 Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus est fęderis, quod
pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob. 25 Et respexit Dominus filios Israel, & cognouit
eos.

VERSVS II. *Et videns eum* (Mater Moysi) *elegantem abscondit tribus mensibus.*

1 Non solo teneritudinis affectu, sed & fidei expectatione, vt tangit Apostolus Hebræor. 11. qua credebant parentes (*Amram, & Iochabed*, infrà c. 6. aliquem nasciturum, qui liberaret eos ab [A] illa seruitute, ipsum absconderunt tribus primis mensibus; non enim spreto Regis edicto, personarum se exposuissent periculo, nisi credidissent aliquid magnum futurum de puero. Existimarunt autem aliquam virtutem Dei esse in puero ex ipsius elegantia; *ex visu cognoscitur vir*, Eccl. 19. ipsi etenim erant rudes, & rustici, sudantes in operibus luti, & lateris. *Fide*, inquit Paulus, *Moyses natus occultatus est mẽsibus tribus à parentibus suis, eo quòd vidissent, elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum.* Ex quo habetur, quòd ad ea quæ sunt fidei, per aliqua visibilia licet adniti, citra fidei demeritum. Quocircà expendantur quæ docet Angelicus [B] alibi. Rationabilia quippe credit Ecclesia.

A Hebr. 11. l. 5.

VERSVS III. *Cumque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice; posuitque intùs infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ flumine.*

B 2. 2. 2. 10. & 5. p. 55. 5. 3. & op 70. super Boetium q. 2. a. 1.

Ne subriperetur eis, [C] committentes rem tantam diuinæ prouidentiæ; potius quàm periculum incursuri interfectionis eius, quam probabiliter timebant, posuerunt eum in fiscella: fiscella, idest, arcula, scirpea, idest ex scirpo, seu iunco palustri contexta, satis pice, ac bitumine munita, & clausa; posita deinde fuit fiscella in papyrione, vt infrà; idest in parua cymba ex papyro arbore, ad Ægyptium morem formata. Sic expositus fuit puer Nilo; sed in Carecto, idest in loco caricibus, & arundini-

C Hebr. 11. l. 5.

bus,

bus, seu iuncis consito, vt ferè fit ad ripas fluminum.

VERSVS V. *Ecce autem descendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine.*

Quis scit? eo forte studio, vel sibi ignoto Dei ductu, tunc temporis eoque loci, exposuit Mater infantem, vt filiæ Regis accessus auspicatò ad infantuli vitam esset; non enim perperam, *stabat procul* Moysi soror *euentum rei tacita mente considerans*. Astruunt hæc omnia peculiarem Dei prouidentiam erga dilectum sibi, & hominibus Moysen, vt edicitur Ecc. 45. Dictus est autem Moyses, vt hic versu 10. ait filia Pharaonis, *quia de aqua tuli eum*. Aquam quippe Ægyptij vocant *Moi*; *esis* verò *saluatum* sonat, ceu ex aqua saluatus: quod ex Augustino Serm. 88. & Iosepho lib. 2. Antiquit. c. 9. apud Georgium Ederum, de Pentateucho. Ab aquarum periculo ereptus populum per transitum maris rubri saluandum satis portendit. Præstò fuit soror, *vis*, dicens, *vt vadam, & vocem tibi mulierem hebræam*. Subtexit, amante reticentia, Matris nomen; quare sic sibi faciendum, fuisse sororem edoctam, verisimile est. Traditus itaque Moyses, seu potiùs redditus Matri, donec adoleuisset, nutritus est: filiæque Pharaonis exhibitus, in filium est adoptatus, atque vt ait D. Stephanus, *eruditus est omni sapientia Aegyptiorum*, Actorum 7.

Satis autem probabile est, pluries, cum adhuc nutriretur à Matre, fuisse ad filiam atque etiam ad Pharaonem delatum. Quocirca ex Ioseph narrat Angelicus, [D] accidisse aliquando,
op. 41. c. 48. vt ex pueri pulchritudine, & elegantia, poneret Pharao diadema suum super caput eius, puerumque inspecta Idoli imagine in corona, proiecisse suos ad pedes coronam, & conculcasse. Quod quidem videntes Magi Pharaonis, dixerunt futurum esse, vt puer ille Regnum destrueret Ægypti. Alijsque factum ex pueritia excusantibus, allatus est ardens carbo ad id comprobandum; quem innocenter arreptum admouit puer ori suo, combustaque lingua, euasit inde impeditioris loquelæ. Fides sit penes auctorem.

VERSVS XI. *In diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos vidítque*, &c.

Implebatur Moysi vt ait D. Stephanus, *quadraginta annorum tempus*. Hic numerus, vt aliàs Augustinus, sacratus est. *Ascendit in Cor eius, vt visitaret fratres suos, filios Israel*. Viditque, ait Sacer textus, *afflictionem eorum, & virum Aegyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus*. Ab vno disce omnes; intelligeque, quàm durè agerent Ægyptij in Hebræos, dum eos impunè, nec legitur repercussi, percuti ebant, tanquam vilia mancipia, instar iumentorum. Non est hoc iniuriæ ac offensæ passus Moyses, sed audacter tutatus fratrem, *percussum Aegyptium* (mortem hic sonat percussio) *abscondit sabulo*. Deprehenditur Moysen, etsi huc illuc conspectasset priusquam Ægyptium percuteret, ne in ore cuiuscumque imprudentis esset ea vltio, fratribus intimioribus rem non celasse; eoquòd *existimaret*, ait Stephanus, *eos intelligere*; *quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis*. Ex circunstantijs quas potuit denarrare Moyses dabatur satis intelligi: *at illi*, inquit Stephanus, *non intellexerunt*. Promiscuè proinde re huic & illi delata, factum est, vt sequenti die miraretur Moyses dicens, *quomodo palam factum est verbum istud?* nisi fortè præter spem Moysi, aliquis dum Ægyptium percuteret inspexisset: quo docere mur nihil, præsertim speciem habens criminis, occultum fore.

Statim autem ebullit quæstio; quidnam sentiendum de hac Ægyptij occisione; num scilicet sibi Moyses nimium vsurpauerit; quo sensu Hebræus ille sequenti die respondit, *quis constituit te Principem & Iudicem super nos?* an potius Dei nutu inculpatè id fecerit. 2

Sanctus Doctor triplicem fert [E] solutionem. Prima quidem, vt Moyses videatur Ægyptium occidisse, quasi ex inspiratione diuina auctoritatem adeptus: (consequenter, addo ego, impulsu motus diuino) facitque pro Moyse, non solùm (quod ibi ait S. Doctor) dictum Actorum 7. *existimabat*, Moyses, *intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis*; (iam ergo ipse sic interiùs intelligebat) sed etiam, quia fide negare voluit eo facto; vt exponitur ad Hebræos, [F] *se esse filium filiæ Pharaonis*; atque adeò negauit se stare pro Ægyptijs; quin potius pro fratribus filijs Israel semper futurum, & ijsdem conatu omni esse profuturum. Accedit, quòd vt dicitur Numeri 12. *erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*: vnde egressus hic die altero, dixit Hebræo, alterum offendenti: quare percutis proximum tuum? idcirco hoc in capite sæpius Hebræos, fratres appellat suos; quod argumento est, charitatem non amisisse fraternam occiso Ægyptio. Sic in Quest. super Exodum, tuetur August. diuinitus admonitum Moysen, ad hoc perpetrandum. E 1.1.62. 6. ad 2.
F Hebr. 11.1.5.

Secunda solutio D. Thomæ est; excusari Moysen, quia defendit eum, qui iniuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ: vnde Ambrosius dicit in libro de officijs, quòd *qui non repellit iniuriam à socio, cum potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit*; & inducit exemplum Moysi. Tertio dici potest cum Augustino l. 22. contra Faustum c. 70. quòd sicut terra ante vtilia semina, herbarum inutilium fertilitate laudatur; sic illud Moysi factum vitiosum quidem fuit; sed magnæ fertilitatis signum gerebat; in quantùm scilicet erat signum virtutis eius, qua populum liberaturus erat.

VERSVS XV. *Audiuitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen; qui fugiens de conspectu eius* &c.

Æmulatio ac inuidentia potuit Pharaonis ad aures deferre, quæ fecisset Moyses; atqui aliunde Pharaonem percitum ira in Moysen crediderim, dum hoc audito duntaxat, voluit occidere eum; cum tamen pluries iniustè contra innocuos falsa fingantur. Igitur à puero in Dei cultu per piam Matrem instructus, Idololatriæ Ægyptiorum infensus, non mirum, si ab impio Rege expeteretur ad mortem. Fugit itaque Moyses; quia si quis salua honestate potest vitare periculum [G] & non vitat, stultus est, & Deum tentat; quod est diabolicum: idcirco Dominus cessit volenti bus ipsum lapidare; nec ad suggestionem diaboli voluit se præcipitare; docuitque Matth. 10. si 3
G Hebr. 11.1.6.

per-

perfecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Sic ergò Moyses confidens de diuino auxilio fugit, propter timorem Regis ad tempus: vnde legitur dixisse, *Deus Patris mei adiutor meus.* Vituperatur autem timens, quando propter timorem facit aliquid non faciendum, vel dimittit faciendum: de quo in 2.2. 125. a. 3. & 4. sed sic non timuit Moyses, quia propter timorem non dimisit iuuare fratres suos. Ex quo etiam in typum Christi, improperium sustinuit à fratribus suis: vnde dictum est ei, *nunquid interficere tu me vis, sicut heri occidisti Aegyptium*; nam & Christus suscipere debebat improperium à Iudæis. Spretis igitur cunctis, quæ temporaliter eum possent illicere, si cum Aegyptijs afflixisset filios Israel, futurorum præscius de Christo, eorum maluit inhiare liberationi, *magis* & ipse *eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æstimans Thesauro Aegyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem:* vt ait Apostolus ad Hebræos.[H]

H Hebr. 11.l.5.

Vbi D. Thomas; venit Christus, & occidens Aegyptium, hoc est diabolum; in quantùm mors, qua percutiebat hominem, mortua est, calumniam ac improperium de iustitiæ opere traxit.

VERSVS XXI. *Iurauit ergò Moyses, quòd habitaret cum eo; accepitque Sephoram filiam eius vxorem.*

Fugit Moyses Pharaonis iras; & Raguelis sacerdotis filiam ducit vxorem. Statim quæritur, quomodo cum infideli contraxerit; nam vnitatem cultus obseruabant Hebræi, etiam ante legem, vt patet Genesis 34. *non possumus dare sororem nostram* (de Dina loquuntur) *homini incircumciso.* Respondet Angelicus id illicitum fuisse in vniuersum, ex periculo prolabendi in idololatriam:[I] atqui non de Moyse id poterat timeri. Et tamen probabiliter credi potest, Athiopissam, (sic vocatur Numeri c. 12.) cum qua Moyses iniјt connubium, fuisse ad cultum Dei conuersam. Dicit *Aethiopissam* eruditissimè & Sanctus Doctor (intellige orientalem) nam hic Sacerdos Raguel secundùm Artapanum, apud Eusebium l. 9. de præparatione c. 4. fuit Rex Arabiæ; & verosimile est fidelem fuisse; quoniam eodem teste, fuerat magna in admiratione Moyses apud Aethiopas; sic vt circumcisionem didicerint: vbi etiam causa funditus, cur Pharao ad mortem sit insectatus Moysen, nonnulla aperitur.

I 4. Annibal. 39. a. 1. 3. & alio scripto.

VERSVS XXIII. *Ingemiscentes filij Israel propter opera, vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.*

Memorat hunc locum Angelicus[L] dicens, oppressionem innocentium clamare ad Deum, pariter ac homicidium; cuius similitudinem gerit: atqui, *expletis*, vt dicitur Actor. 7. *annis quadraginta*, (pœnitentiæ vtique in signum) *audiuit gemitum eorum*: quod ibidem fertur; *videns vidi afflictionem populi mei.*

L op. 41. l. 7. c. 12. & Iacob 5.

Ad hoc caput morale tangitur[M] de tribus mensibus; ad illa verba, *& Draco stetit*, in Apocalypsi: tres menses sunt tres defectus, qui debent attendi in operibus nostris, ne eorum ex elegantia decoreque gloriemur. Mensis rectè pro defectu; nam & *luna in sacro eloquio, quæ menstruis momentis decrescit, pro defectu carnis ponitur, & defectum nostræ mortalitatis designat*, vt ait Gregorius; Primus defectus est; quoniam opera nostra non sunt pura: secundus; quia non sunt plena: tertius, quia pauca. Cætera moraliter, quemadmodum & allegoricè, facilè quisque humili perscrutatione reperiet.

4 M Apoc 12.

CAPVT III.

Act. 7. c. 20. 1 MOyses autem pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian: cumque mi-
nasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. 2 Appa-
ruitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus ar-
deret, & non combureretur. 3 Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc
magnam, quare non comburatur rubus. 4 Cernens autem Dominus quòd pergeret ad vi-
dendum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: Adsum.
5 At ille: Ne appropies, inquit, huc: solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim,
Matt. 22. c. 32. Marc. 12. c. 26. Luc. 20. f. 37. in quo stas, terra sancta est. 6 Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus
Isaac, & Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra
Deum. 7 Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius
audiui propter duritiam eorum qui præsunt operibus: 8 & sciens dolorem eius, descendi
vt liberem eum de manibus Aegyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spa-
tiosam, in terram quæ fluit lacte, & melle, & ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi,
& Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi. 9 Clamor ergo filiorum Israel venit ad me: vidique
afflictionem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur. 10 Sed veni, & mittam te ad Pharao-
nem, vt educas populum meum, filios Israel de Aegypto. 11 Dixitque Moyses ad Deum:
Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Aegypto? 12 Qui dixit
ei: ego ero tecum: & hoc habebis signum, quòd miserim te: Cum eduxeris populum
meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum. 13 Ait Moyses ad Deum: Ecce
ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixe-
rint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? 14 Dixit Deus ad Moysen: EGO SVM
QVI SVM. Ait: Sic dices filijs Israel: QVI EST, misit me ad vos. 15 Dixitque ite-
rum Deus ad Moysen: Hæc dices filijs Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus

Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, &
hoc memoriale meum in generationem, & generationem. 16 Vade, & congrega seniores
Israel, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham,
Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens: Visitans visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vo-
bis in Aegypto. 17 Et dixi vt educam vos de afflictione Aegypti in terram Chananæi, &
Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi, ad terram fluentem lacte, &
melle. 18 Et audient vocem tuam: ingredierisque tu, & seniores Israel ad regem Aegy-
pti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium dierum
in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro. 19 Sed ego scio quòd non dimittet
vos rex Aegypti, vt eatis nisi per manum validam. 20 Extendam enim manum meam &
percutiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post
hæc dimittet vos. 21 Daboque gratiam populo huic coram Aegyptijs: & cum egrediemi-
ni, non exibitis vacui: 22 sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua, vasa argen- Iosr. 11. a. 2. & 12. c. 15.
tea, & aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios, & filias vestras, & spoliabitis Aegy-
ptum.

VERSVS I. *Moyses autem pascebat oues Iethro soceri sui Sacerdotis Madian, cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei-Horeb.*

1 Animaduertit D. Chrysostomus binomios [A] in Scripturis inueniri quosdam: vndè quemadmodùm Apostolus dictus est & *Matthæus* & *Leui*: ita & socer, inquit, Moysi, quandoque *Iethro*, quandoque *Raguel* vocatur: sic forsan, *Agar*, & *Cetura* eadem est, Genesis 25. Ex quo autem minabat Pastorum more gregem in deserto Moyses, non videtur dignitate Regia fulsisse ipsius socer: sed equidem Sacerdos fuisse; an Idolorum an Dei veri, non omnino certum. Simpliciori attamen stylo vitam ducebant temporis illius opulenti; nec dedignabantur naturales diuitias excolere; quod hodie renuit superbia, argenti & auri dumtaxat contubernalis. Aiunt autem à *rubis* in eo Monte frequentibus appellari montem *Sinai*; quod Hebraicè *Rubum* vocatur & *Horeb*, idest *siccitas*, *solitudo*, propter loci solitudinem, & ariditatem: duo ergo erant montis vnius iuga, sic variè nominibus distincta. Rubus est frutex spinosus.

A in Cat. Marci 2.

VERSVS II. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.*

2 Gilbertus Pictauiensis in Præfatione in Apocalypsin videtur sentire non fuisse verum ignem; *alia est enim* (inquit) *visio corporalis; quando videlicet corporalibus oculis aliquid videmus; alia spiritualis, seu imaginaria, cum videlicet dormientes, vel etiam vigilantes, imagines rerum cernimus, quibus aliquid aliud significatur; sicut vidit Pharao spicas; & Moyses rubum ardere.*

Sanctus Doctor pluribus in locis duxit visionem fuisse corporalem. In primis in Apocalypsin [A] ait id expressis paulò antè verbis. Deinde in secunda secundæ [B] per species, inquit, sensibiles ad hoc specialiter diuinitùs formatas rubus ostensus est Moysi, sicut Scriptura quam vidit Baltassar: Danielis 5. Denique etiam citandis, sat indicatur. In secundo autem Apocalypsis commentario nititur exponere dictum Gilberti [C] dicens; referendo visionem illam ad id quod corporale erat, & corporaliter videbatur, erat visio corporalis; referendo autem ad signatum per id quod sic videbatur, imaginaria dici potest, vnde super 2. Cor. 12. dicit Augustinus, quòd visione corporali vidit Baltassar manum; sed Daniel signatum intellexit: ex quo patet, quòd illud quod fuit Danieli visio spiritualis, fuit Baltassar corporalis. Probatio autem sententiæ D. Thomæ potest trahi ex glossa ibidem citata 2. Cor. 12. quia visio spiritualis, seu imaginaria est, quando aliquis in ecstasi, vel somno, videt non corpora, sed imagines rerum. Sic sanè cum de visione D. Petri in actibus Apostolorum fit sermo; dicitur quòd *cecidit super eum mentis excessus*; quapropter non solùm hoc in premio, sed & citata 2. 2. asseritur imaginaria fuisse: non sic autem in præsenti dici potest; quia legitur; *dixit autem Moyses; vadam & videbo*: &, *cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum*: quæ soli imaginationi non plenè quadrant. Nihilominùs in prædicto Proemio, ait S. Doctor. Vel fortè, vt quidam dicunt, videbatur ignis, qui reuera non fuit ignis.

A in Proemium Gilberti comm. 1. B 2. 2. 171. 1. C in Proemium vt supra comm. 2.

Diuinitus autem, (non enim [D] præexistebat) de nouo repente flamma speciesque eius in rubo formata est; cùm ad hoc solùm fuerit, vt quidpiam significaret, atque prædiceret. Quod cum ita dicatur de flamma: non de rubo crediderim intelligendum; præextabat enim eo loci copia ruborum: non consueuit autem Deus, quando non vrgeat, multiplicare prodigia.

D p. p. 47. 7. 2. 2. 2. 173. 3. & Matth. 3. ad finem.

Voluit autem Dominus sic apparere, ad reuelanda de quibus mox, indicia sua & mysteria: *non enim possibile est lucere aliter nobis diuinum radium* (quod sæpe recolit ex D. Dionysio c. 1. Cœlestis Hierarchiæ Sanctus Doctor) *nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum*: vnde & aiebat Oseæ 12. *in manibus prophetarum assimilatus sum*. Ait idem etiam D. Dionysius Epistola ad Demophilum, [E] quòd Moyses propter multam mansuetudinem, Dei apparitione dignus est habitus.

E 2. 2. 157. 4. 1. & in psal. 24.

4 Cur ergo apparuit in rubo, atque in igne? Respondeo quòd diuina sapientia plura mirificè collegit, in eiusmodi symbolo. Igitur tàm Deus quàm Angeli in Sacra Scriptura [F] sub igneis figuris describuntur; quia cum polleat ignis claritate, subinnuit perfectionem intellectualis visionis, in morem corporalis, quæ fit per lumen. Præterea hæc visio primò ordinabatur ad ostendendam filiorum Israel liberationem de dura seruitute Pharaonis: vnde & subditur. v. 9. *clamor ergò filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptijs opprimuntur*: per ignem verò, tribulationis vim

F 3. cont. G. c. 51. in fine.

signi-

significari, tritum est in Scripturis: & ideò, acrioris ignis similitudine, exaggeratur dura Pharaonis tyrannis. Hinc Deut. 20. *vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea AEgypti*: atque Ier. 11. *in die qua eduxit eos de terra AEgypti, de fornace ferrea: immò de medio fornacis ferreę*, vt dicitur 3. Regum 8. Philo propterea, ac Theodoretus rubo censent significari Israelitas, qui diuina ope, illæsi, ac splendidiores, eo ex igne egressuri erant; sed anteà spinis suis; idest decem plagis puncturi, & perdituri AEgyptum. Sanctus Augustinus Tomo 6. Tractatu vltimo, per Rubum spinosum, spinosum dixit populum Iudæorum significari: *qui non cremabatur, quia duritia Iudæorum, qui spinis eum coronarunt, legi Dei reluctabatur; flammaque Spiritus ab spinis peccatorum resistebatur*. Aiunt etiam, rubi folia serpenti superiecta ipsum necare: accommodè ad rem præsentem.

5 Atqui altiori *intelligentia*, qua *opus est in visione*, Danielis 10. Incarnationem diuini verbi cognouit Moyses; omnes enim apparitiones veteris testamenti, vt docet Angelicus, ad illam
G p.p.51. a.1. ordinatæ fuerunt, [G] qua filius Dei apparuit in
H op.60. a.1. carne: hinc ait Bernardus, [H] *quod Moysi monstratum est in rubo, & igne: Aaron in virga, & flore: Gedeon in vellere, & rore: hoc apertè vidit Salomon in forti muliere, & eius pretio: apertiùs præcinit Ieremias de fęmina, & viro; apertissimè Isaias in Virgine & Deo*. Cùm itaque legitur versu 10. *vidique afflictionem*: non tantùm intelligi-
I loc. cit. tur de liberatione [I] populi Israelitici, sed etiam de liberatione totius humani geueris de Diaboli potestate quomodo canit Ecclesia; *erepti de durissimo Pharaonis imperio*: vbi etiam exponitur de Christo, quod legitur capite 4. *mitte, obsecro Domine, quem missurus es*; & innuitur præfata sententia *vidi afflictionem*. &c. cùm subditur *& descendi liberare eum*: quod expendit S. Doctor
L Ephes. 4.l.4. ad illa verba Ephesiorum: [L] *qui descendit, ipse est qui ascendit*.

6 Congruè autem per ignis visionem signatur Deus; qui, aliàs in Scripturis appellationem ignis nō dedignatur. Quare Deuteronomij 4. dicitur; *quia Dominus Deus tuus ignis consumens est*. Paulo id repetente Hebræot. 12. Per Rubum quoque humanæ naturæ conditio, spinarum, hoc est dolorum, mortisque aculeis vndequaque patens, signatur. Atqui Dominus *cuius thronus*, vt dicitur Danielis 7. *flammæ ignis*, non combussit rubum: namque (quod ait Sanctus Leo Papa Serm. 1. de Natiuitate Domini) *tanto fœdere vtramque naturam conseruit, vt nec inferiorem consumeret glorificatio; nec superiorem minueret assumptio*. Ideòque ex Gregorio 28. moral. & 1. Ezech. 7. *igne Deitatis, carnis nostræ dolores quasi rubi spinas suscepit; & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa Diuinitatis flamma seruauit*.

Canit etiam Ecclesia ad Virginem: *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus tuam Virginitatem*. Sanè, nil faciliùs quàm senticolum fruticem flammas concipere; quemadmodum nihil labilius, quàm Virginitatis florem cùm fœtu procidere: atqui in Virgine Matre stimulus est carnis extinctus; nec ignis, quo cæteri, ne vrantur, nubunt, *omnia eradicans genimina*, vt dicitur Iob 31. tetigit eam. Vnde sanctissimus Beda, *spiritus-Sancti, quo impleris, opere concipies; concupiscentiæ in te non erit æstus. vbi vmbram faciet Spiritus Sanctus*. Potest ergo etiam explanari; *Vadam, & videbo*; [M] per men- M ps. 36. ad finem.
tis videlicet considerationem, tàm magnifica humiliter perscrutaturus mysteria.

Verùm Prou. 25. *Scrutator, seu perscrutator Maiestatis opprimetur à gloria*. Et Iob 26. *cùm vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Sequitur.

VERSVS IV. *Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi; & ait: Moyses Moyses?*

VERSVS V. *Ne appropies, inquit huc: solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est*.

Fides de non visis. Retroagitur, seu sistitur Moyses imperio Domini, quia Roman. 12. *non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Ingeminat autem vocationem *Moyses*; quo quantùm sit periculi, altiuola mente tentare quæ Dei sunt, innotescat: *visus animæ*, ait Gregorius, *cùm in Deum intenditur, immensitatis coruscatione reuerberatur*. Igitur, vt sibi omninò inaccessum sciat Moyses Deitatis Thronum; reuerentiæ timorem incutit, etiam erga remotius vestibulum, dicens, *locus enim in quo stas, terra sancta est*.

At cur vocauit eum de medio rubi? Chri- 7
stus ait S. Doctor [N] est media, in Trinitate N Apoc. 1. comm. 2.
Persona; *Operatus est salutem in medio terræ*: in medio lattonum mortuus est; in medio aere passus: *stetit in medio discipulorum*: *in medio denique candelabrorum*, post ascensionem visus est Ioanni, vt omnibus se subuenire paratum demonstraret. In medio Mundi passus est, scilicet in Ierusalem, quæ dicitur esse vmbilicus terræ; quia virtus passionis eius ad totum Mundum diffundenda erat, 3. p. 46. 10. & ad Hebr. 2. ps. 21. *nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*; quia sicut columna in medio domus ipsam sustentat; lucerna in medio domus illuminat, cor in medio corpus viuificat, ita Christus in medio Ecclesiæ, quia non ad vnum populum tantùm, sed ad salutem totius mundi. Et Apoc. 6. ibi *in medio throni*; quia redemptionem fecit generaliter quantùm est de se; nàm 2. Cor. 5. *vnus pro omnibus mortuus est*. Et ps. 45. In medio, vt ostendat quòd non est acceptor personarum; medium autem dicitur, quod æqualiter distat ab extremis & Deus quantùm est in se æqualiter se habet ad omnes. Genes. 2. *Lignum vitæ erat in medio Paradisi*.

VERSVS VI. *Et ait; ego sum Deus Patris tui: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*.

Propter Resurrectionis fidem insinnandā,
etiam si animæ Patriarcharum [O] non sint ipsi O 1.2.8. 11.5.
Patriarchæ, appellantur suis nominibus. Deus dicitur aliquorum, in colendo Deum; sed colere Deum, non est mortuorum, sed viuentium; ergò Abraham, Isaac, & Iacob, viuunt, sed non secundùm corpus, ergò secundùm animam; ergò consona naturæ, est hominum resurrectio.
Hæc ex Saluatoris Doctrina Matth. 22. [P] P Matth. 22.

VERSVS VIII. *Et sciens dolorem eius, descendi, vt liberem eum de manibus AEgyptiorum,*

& edu-

& educam de terra illa, in terram, quę fluit lacte, & melle, &c.

8 Nunquàm in Scriptura veteris testamenti inuenitur [Q] promissum Regnum cœlorum, vel mentio de vita æterna. Ratio est, quia populus carnalis [R] erat; vnde nil nisi temporalia quærebat: *oculus Iacob in terra*, Deut. 33. *bona terræ comedetis*. Isaiæ 1. Et adhuc quoniam Regni Cœlorum clausa erat ianua; solus enim Christus Dominus Cœlestis Regni fores [S] reserauit; clauesque reliquit Petro. In huius signum cùm quorundam Sacramentorum præcesserint in veteri lege figuræ; non ita extremæ vnctionis; quia hæc est quædam immediata [T] præpararìo ad introitum gloriæ; cuius aditus nondũ patebat, pretio insoluto. Attamẽ *Vmbram habuit lex futurorum bonorũ*. Heb. 10. & in ipsis terrenorum promissionibus, ceu sub velamine, cœlestis Patriæ bona contegebantur; Regnumque Dei [V] per terram promissionis significabatur: atque ita, in eo quòd dicitur *terra fluens lacte & melle*; gaudium [X] humanitatis atque Diuinitatis lætificans est intelligendum. Quæ dicitur ex D. Th. Sermone Dominicæ 4. post Epiphaniam, *terra spatiosa*, propter amœnitatem. Quocircà animaduertendum discrimen sermonis Dei; cùm enim loquitur Moysi, quid acturus sit, præmittit, tanquàm edoctum famulum instruens, quæ attinent ad *terram bonam, & spatiosam, fluentem lacte, & melle*; in quibus significatur *terra viuentium*: subditque, ad loca Chananæi, &c. vt paret versu 8. Posteà verò suggerens eidem Moysi, quæ populo exprimeret rudi, atque carnali; inuerso omninò ordine verba facit; quia populus cœlestis promissionis altitudinem capere non valebat, seu non volebat, Hinc ait D. Thomas p. 2. 91. a. 5. ad bonum sensibile, & terreuum, directè ordinabat lex vetus; & ita inuitatur populus ad Regnum Chananæorum.

Q Matth. 3. & 4. Rom. 10. l. 1.
R Matth. 12. & alibi.
S 3. p. 49. 5.
T p. 2. 102. 5. 3.
V 3. p. 39. 4.
X Serm. Dominicæ 13. ex Epist.

VERSVS XI. *Dixitque Moyses ad Deum: quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de AEgypto?*

9 Moyses dignus quidem effectus erat officio, ad quod assumebatur, ex diuina gratia; sed considerans propriæ [A] infirmitatis insufficientiam, recusabat: non tamen pertinaciter, ne in superbiam laberetur: pertinaciter siquidem resistere prælationi, malum est: [B] quod probat D. Hieronymus ex Moysi exemplo, & Ieremiæ. *Stude*, (aiebat Bernardus epistola ad Vellenium Abbatem 86.) *prodesse quibus praes; nec praeesse refuge, dum prodesse poses: quia va tibi quidem si praes; & non prodes; sed va grauiùs, si quia praeesse metuis, prodesse refugis*. Et D. Augustinus citatus [C] op. 19. *Nonnullos toleramus, quos corrigere, vel punire non possumus; neque propter paleam relinquimus aream Domini; neque propter pisces malos, rumpimus retia Domini*. Peccatum sanè est etiam pusillanimitatis, vt docet S. Thomas, in secunda secundæ citata. Sed heu hodie calcari non egemus, sed fræno; ambimus, petimus, rogamus; & armatis plerumque precibus, magnorum scilicet authoritate, emimus condicto reciproco; sicque vel libertate electionum Canonicarum sauciata, vel dignitate Ecclesiastici ordinis, vilissimo linguæ, manus, & obsequij munere, proculcata, non reuera Pastores, quia simoniaci, sed Pastorum idola ouibus præsunt; *ò Pastor, ò Idolum*, legitur Zachariæ, 11. & Eccl. 37. *ò præsumptio nequissima, vnde creata es?* aiebat Plutarchus ad Traianum; *modestiam tuam, olim nou appetere Principatum noui; quo quidem, tanto iudicaris dignior, quanto, à crimine ambitionis iudicaris remosior*. Opusc. 41. l. 5. c. 11.

A 2. 2. 133. 2.
B 1. 39. 1. 3. 1. 3.
C op. 19. 5. 10.

VERSVS XIV. *Dixit Dominus ad Moysen: Ego sum, qui sum. Ait: sic dices filijs Israel, qui est misit me ad vos.*

Sub lege facta est reuelatio prophetica, de ijs, quæ pertinent ad fidem Deitatis, excellentiùs quàm ante: quia iam oportebat circà hoc, instituì non solùm speciales personas, aut quasdam familias, sed totum populum: vndè præcedentes Patres (quorum primus Abraham, qui quo tempore cœperunt homines à fide vnius Dei deuiare, credidit Deo) instructi quidem fuerunt in fide, de omnipotentia vnius Dei; Sed de alijs Dei attributis, non pleniùs. Vnde Exodi 6. dicitur, *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis*. At sub lege reuelatus est Deus pleniùs, & excellentior quidem facta est Moysi reuelatio, ceu prima, supra quam fundanda erat omnis alia reuelatio Prophetarum. Hæc ex D. Thoma secunda secundæ 174. a. 6. 10

Igitur præstantior fit Moysi gratia; quoniam diuini nominis ineffabilis fit expressio; quæ Iacob Genesis 32. velata fuit; cum quærenti, *quo appellaris nomine*, Responsum est: *quid quæris*, seu potius; *cur quaris nomen meum, quod est mirabile*, vt legitur etiam Iudicum 13. Quocircà sciendum est, ineffabile nomen esse, etsi illud balbutiat humana ignorantia, multiplici mendicata à creaturis nomenclatura, quoadusque videamus eum in Patria sicuti est. *In die illa, erit Dominus vnus, & nomen eius vnum*, ait Zacharias c. 14. Vnde S. Doctor; quia Dei essentia prout in se vna, erit nobis in Patria cognita. [D]

D Rom. t. l. 6.

Igitur quamuis plura nomina in Diuinam laudem assumantur, vt paret p. p. q. 13. nihilominus hoc nomen *qui est*, maximè proprium est [E] Dei. Non ergò solummodo hic enunciatur, vt innotescat de Deo an sit, quod ineluctabiliter euincitur [F] hac auctoritate; sed vt attributorum Dei, immò & ipsius Diuinæ essentiæ nostro pro modulo haberetur notitia. Sanè esse Dei est ipsa [G] eius essentia: nec aliunde potest digniùs laudari à nobis Deus, quàm ab esse, tanquam ab omnium conceptuum primo, minusque determinato; vt docet Angelicus, non solum citata quæst. 13. a. 11. sed & in D. Dionysium [H] de diuinis nominibus: cui subscribit Damascenus dicens quòd, hoc nomen, *qui est*, totum comprehendit in se ipso, veluti quoddam pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatum: quodlibet enim nomen aliud, determinat aliquem modum substantiæ rei; sed hoc nomen *qui est*, nullum modum essendi determinat; sed se habet indeterminatè ad omnes; & ideò nominatur *pelagus substantiæ infinitum*: quia enim ea quæ in Deo sunt, incomprehensibilia sunt, & definiri à nobis non possunt; conuenientiùs, vtimur communibus nominibus quàm proprijs. *Qui est* autem, communissimum est. Ex eo autem quòd Dei no-

E p. p. 13. 11.
F p. p. 2. 3.
G p. p. 3. 4.
H in D. Dionis. c. 5. l. 1. & op. 1. c. 1.

men

men eiusmodi fuerit Moyses edoctus, instructus est etiam pleniùs [I] de ipsius Diuinæ essentiæ simplicitate; infinitè enim simplex est, qui omninò cum suo esse idem est. Præterea æternitas Dei hinc elucet, atque aliàs, ratio æternitatis immutabilitas. Dicitur sanè Deus æternus, quia caret [L] principio & fine: & quia eius esse non variatur per præteritum & futurum; nihil enim ei subtrahitur, nec aliquid ei de nouo venire potest: vnde (inquit Angelicus) dixit, *ego sum qui sum*; quia scilicet, eius esse, non nouit præteritum, & futurum, sed semper præsentialiter est; ly siquidem *Est*, significat [M] esse in præsenti: & hoc maximè propriè de Deo dicitur; cuius esse non nouit præteritum, vt dicit August. in 5. de Trinitate. Et ideò & Theodoretus in principio Genesis ait; Istud, *qui est*, æteruitatem significat. Idem etiam Augustinus Tomo 3. Tractatu vltimo speciali de hoc, ait; *nomen est incommutabilitatis. Omnia enim, quæ mutantur desinunt esse, quod erant, & incipiunt esse, quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum, non habet, nisi qui non mutatur. Ille habet esse, cui dicitur; mutabis ea, & mutabuntur: tu autem idem ipse es. Quid est, ego sum, qui sum; nisi, æternus sum? Quid est, ego sum, qui sum; nisi mutari non possum? Cum ergò sit hoc nomen æternitatis*; &c.

I 2.2.174.6.

L 1. cont. G.c.21.

M p. p. 13.11.

Quomodo autem dicatur apud Ioannem, *in Principio erat Verbum*; Et Apocalypsis 1. *qui erat*, in eundem Ioan. clementissimo dante Domino, enucleabitur. Quare propter præfatam immutabilitatem ac æternitatem, propriissimè dicitur Deus *qui est*; quoniam alia ad eum comparata quasi [N] non sunt; *omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo; & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei* ait Isaias c. 40. v. 17. Hoc nomen, *ego sum qui sum* (mutato *Iod* in *Vau*.) [O] significatur à Iudæis per hoc nomen *Adonai*, propter venerationem illius ineffabilis nominis. Nihilominus quamuis hoc nomen, *qui est*, quantùm ad id, a quo imponitur, scilicet ab *esse*, & quantùm ad modum significandi, & consignificandi, sit magis proprium nomen Dei, quàm hoc nomen *Deus*: non ita, quantùm ad id, ad quod significandum imponitur, sic enim magis proprium est nomen *Dei*, quod imponitur ad significandum, naturam Diuinam. Et adhuc magis proprium nomen, est Tetragrammaton Exodi 6. expressum ab ipso Deo, *Iehoua*, quod est impositum ad significandam ipsam Dei substantiam incommunicabilem, & (vt sic liceat loqui) singularem. Hæc D. Thomas citata q. 13. a. 11. ad 1. sed paulò anteà art. 9. sub dubio reliquerat dicens; si verò esset aliquod nomen impositum ad significandum Deum, non ex parte naturæ, sed ex parte suppositi, secundùm quod consideratur, vt *hoc aliquid*, illud nomen esset omnibus modis incommunicabile: sicut fortè est nomen Tetragrammaton, apud Hebræos. *Iehoua* autem prout à modernis effertur, quod est ineffabile Hebræis Tetragrammaton seu quadriliterum, etiam per hoc nomen *Adonai* pronunciare consueuerunt; quia nefas reputant ineffabilitatem Domini passim exprimere: immò ferunt, licuisse solummodo summo Sacerdoti, semel duntaxat in anno, decima luna septembris, arcano quodam more à Moyse tradito, illud proferre.

N Apoc. 1. comm. 2.

O 2. 2. 174.6.

Atqui non hic stetit reuelatio facta Moysi, sed indubitantèr pleniorem accepit diuinitus Sanctissimæ Triadis notitiam: quod postmodum Mysterium tempore gratiæ, ab ipso filio Dei reuelatum est; secundùm illud Matthæi vlt. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus-Sancti*. Hic animaduersione dignum est magna, quod ter, hoc in capite, nimirum versu 6. 15. & 16. inducitur Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: quo certè Sanctissimæ Trinitatis arcanum detegitur: vnde meritò ait D. Dionysius de Diuinis nominibus c. 2. *cum dicitur ego sum, qui sum; de tota Trinitate laudatur*. Sed vlteriùs realis Personarum diuinarum distinctiò vel ex hoc claret; quòd repetita copulatiua adnectitur sermo: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: quod licèt in Hebræo non expresè extet ad Isaac, tamen sic legunt Septuaginta, & prompsit Petrus Act. 3. Hinc, cùm Sabellius erroris sui fulcimentum sumeret ex illo Ioannis 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*: occurrit Hilarius mirificè [P] *si hoc ita esset, Dominus dixisset; qui videt me, videt Patrem, nulla coniunctione apposita: sed quia coniunctionem addidit dicens; videt & Patrem, distinctionem ostendit*. 11

P Io. 14. l. 5.

Mirabitur autem quispiam, cur Deus se sic dixerit, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Est autem ad hoc altissima Pauli responsio Hebræorum 11. *non confunditur Deus, vocari Deus eorum*. Quare ex D. Thoma [Q] ibidem sciendum est; quod reputatur maximus honor, quando denominatur aliquis ab aliquo solemni officio, vel seruitio magni, & excellentis Domini vel Principis; sicut notarius Papæ, vel Cancellarius Regis: maior autem honor est, quando ille magnus Dominus, vult nominari ab his, qui seruiunt ei. Sic autem est de istis tribus Abraham, Isaac, & Iacob; quorum *Dominus Rex magnus super omnes Deos*, specialiter vocat se eorum Deum. Huius autem potest triplex ratio assignari. Prima; quia Deus per fidem cognoscitur: isti autem leguntur primò separasse se per cultum specialem ab infidelibus: vnde & Abraham primus *accepit signaculum fidei* Rom. 4. vt fieret Pater multitudinis gentium; & ideò proponuntur nobis in exemplum; sicut illi, per quos Deus primò cognitus est; & per eos Deus nominatus est, vt obiectum fidei: & idcircò ab eis voluit nominari. Secunda per Augustinum in glossa; quia in istis latet aliquod mysterium; in istis enim inuenimus similitudinem generationis, qua Deus regenerauit filios spirituales. Primus modus est liberorum per liberas; sicut Abraham per Saram genuit Isaac; qui genuit, per Rebeccam Iacob: & hic octo Patriarchas per Lyam & Rachelem. Secundus modus fuit liberorum per ancillas; sicut Iacob per Balam & Zelpham genuit Dan, & Nephtalin, Gad, & Aser. Tertius modus fuit seruorum per liberas; sicut Isaac, genuit per Rebeccam Esau: de quo dictum est; *maior seruiet minori*. Quartus modus fuit seruorum, per ancillas; sicut per Agar genuit Abraham, Ismael. In hoc ergò designatur diuersus modus, quo Dominus spirituales filios generat; quia aliquando bonos per bonos, sicut Timotheum per Paulum: aliquando bonos per malos; & ista est generatio liberorum per ancillas: aliquando malos per bo-

Q Hebr. 11. l. 4.

nos

nos; ſicut Simonem magum per Philippum: & iſta eſt generatio ſeruorum per liberas: malorum autem generatio per malos non reputatur in ſemine, vnde ad Galat. 4. *eijce ancillam, & filium eius*. Tertia ratio quæ videtur magis ſecundùm intentionem Apoſtoli: quia conſuetum eſt, quòd Rex vocatur à principali ciuitate, vel a Patria, vt ſicut Rex Ieruſalem; Rex Romanorum; Rex Franciæ: & ideò Deus propriè vocatur Rex, & Deus illorum, qui ſpecialiter ſpectant ad ciuitatem illam Ieruſalem cœleſtem, cuius artifex, & conditor eſt Deus: Et quia iſti verbo & facto, oſtendebant ſe ad illã Ciuitatem pertinere, ideò dicitur Deus illorum. D. Auguſtinus Tomo qui ſuprà 6. Tractatu eo in vltimo ſentit ad ſolamen Moyſi ſic effatum Deum. *Ego ſum qui ſum: nomen eſt*, inquit, *æternitatis; ego ſum Deus Abraham; nomen miſericordiæ: illud, in ſe; hoc, ad nos. Quoniam dixi; ego ſum, qui ſum; & deſperaſti, te capere; erige ſpem: ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Iacob ſic ſum quod ſum, vt nolim hominibus de eſſe.*

12 Et ſi quæritur, num ſaltem hic apparuiſſe credendus ſit Deus ipſe, vel Dei vices, vt alibi, Angelus geſſerit? Dicendum de fide eſſe, quòd fuerit Angelus; Diuus enim Stephanus act. 7. de hac apparitione ſic ait: *apparuit illi in deſerto Montis Sina, Angelus in igne flammæ rubi: Moyſes autem videns admiratus eſt viſum; & accedente illo, vt conſideraret, facta eſt ad eum vox Domini.*

Quocirca libet ad verbum exſcribere quæ quatuor præcipue in locis tradidit D. Thomas: quorum quidem aliqua ſummatim retulimus in Geneſeos caput 2. ad verſum 17. & iterum tetigimus capite 28. Igitut in 2. ſententiarum. [a]
a. d. 8. 6. Quærens ex profeſſo, an Deus apparuerit in figuris, Reſpondet, dicendum, quòd Deus ſecundùm eſſentiam ſuam corporalibus oculis, nunquam videri poteſt, nec etiam intellectu niſi à beatis: ſed in corporalibus formis hominibus apparuit. Hæc autem apparitio facta eſt miniſterio Angelorum, vt dicit Auguſtinus in lib. de Trinitate; quia diuinæ illuminationes, non veniunt in nos, niſi mediante cœleſti hierarchia, vt dicit Dionyſius: vnde in omnibus illis apparitionibus, corpus formatum eſt, & aſſumptum, & motum ab Angelo: ſed tamen in corpore aſſumpto per Angelum, dicitur apparere Angelus, & aliquando Deus; formatio enim & apparitio corporis aſſumpti, vt dictum eſt, fit ad oſtendendas proprietates ſpiritualium ſubſtantiarum: quandoque enim Angelus, qui immediatè illuminat hominem, vult inſtruere eum de propria virtute, quam ipſe habet; & tunc in corpore illo exprimit ſimilitudines ſuæ virtutis; & ſic dicitur ille inferior Angelus apparere: aliquando autem, vult inſtruere hominem, de virtute diuina, vel etiam ſuperioris Angeli, per quam operatur; & tunc format corpus aſſumptum, ad exprimendam eminentiam diuinæ maieſtatis, vel etiam proprietates ſuperioris Angeli: & tunc dicitur Deus apparere, vel ille ſuperior Angelus. Et hoc etiam Gregorius dicit in gloſſa Exodi 3. aſſignans cauſam, quare Angelus qui loquebatur Moyſi, quandoque vocatur *Angelus*, quandoque *Dominus*.

In 4. autem ſic habet. Dicendum quòd ſecundum Dionyſium 4. cap. Cœleſtis Hierarchiæ,
S 4. 49. 2. 3. 1. per hoc, quod in Scriptura dicitur, [s] quòd aliquis Sanctus vidit Deum, vt Iſaias, vel quilibet alius; non eſt intelligendum, quòd eſſentiam Dei, quæ eſt omnibus viatoribus occulta, viderint; ſed quòd oſtenſæ ſunt eis aliquæ formæ vel corporales, vel imaginariæ, per quas ducebantur in Dei cognitionem: & hoc fiebat miniſterio Angelorum, quorum illuminatione confortabatur intellectus Prophetæ, & ad perueniendum in aliqualem diuinorum cognitionem, ex apparentibus formis: Et quia Angelus non intendebat ducere in ſui cognitionem principaliter; ſed in cognitionem Dei; ideò in huiuſmodi viſis, non dicebatur Angelus apparere, ſed Deus; ex cuius perſona apparebat Angelus; & ex cuius virtute efficaciam habebat ad illuminandum mentem, & hæc vocatur *Theophania*, id eſt Dei apparitio, in Scriptura. Quandoque tamen, & Angelus dicebatur ille, qui apparebat, propter miniſterium, quod exhibebat: vnde Gregorius dicit, *Angelus, qui Moyſi apparuiſſe deſcribitur, modo Angelus, modò Dominus memoratur: Angelus; quia exteriùs loquendo deſeruiit; Dominus; quia interiùs præſidens loquenti efficaciam tribuit*. Et hæc eſt etiam ſententia Auguſtini, in 3. de Trinitate.

Alibi autem [T] ſic ait: Omnes Dei apparitiones quæ in veteri teſtamento leguntur, ſicut dicit Auguſtinus in 3. de Trinitate, factæ ſunt miniſterio Angelorum, qui aliquas ſperies, vel imaginarias, vel corporeas formant, per quas animam hominia videntis in Deum reducerent: ſicut ex ſenſibilibus figuris, poſſibile eſt hominem in Deum reduci. Corpora ergo apparentia in apparitionibus prædictis, Angeli aſſumpſerunt; ſed in eis Deus apparuiſſe dicitur, quia ipſe Deus erat finis, in quem per repræſentationem huiuſmodi corporum, Angeli mentem hominis eleuare intendebant: & ideò in illis apparitionibus Scriptura quandoque commemorat Deum apparuiſſe, quandoque Angelum. — T de potentia q. 6. 7. 3.

In Iſaiam denique [V] cap. 6. ſecundùm Dionyſium 5. cap. de cœleſti Hierarchia; nullus purus homo; nec in Patribus noui, nec veteris Teſtamenti accepit aliquam reuelationem à Deo, niſi mediantibus Angelis: & hanc dicit eſſe legem inuiolabilem, vt in prima, per media ducantur infima. Et hoc probat per locum à maiori; quia etiam Moyſes legem accepit mediantibus Angelis, qui tamen excellentiſſime vidit: quod probatur per illud, quod habetur Galat. 3. *quid igitur lex? propter tranſgreſſionem poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat Deus, ordinata per Angelos in manu mediatoris:* Actorum 7. *qui accepiſtis legem in diſpoſitionem Angelorum, & non cuſtodiſtis*. Itaque non ſolùm ex parte finis dicitur Deus apparuiſſe, in quantùm intendebat Angelus ducere hominem, in cognitionem Dei, & non in cognitionem ſui, vt ex his quæ figuraliter videntur, aliquid de Deo cognoſcatur; ſed etiam ex parte principij, eò ferebatur intentio; quia tota virtus Angelici luminis ad manifeſtandum aliquid, eſt ex Deo authore, qui eſt fons luminis; ſicut in nobis tota virtus luminis, vel manifeſtationis eſt ex primis principijs. Vnde Gregorius in gloſſa ſuper caput 3. Exodi, ait; *Angelus, qui Moyſi apparuiſse deſcribitur, modo Dominus, modo Angelus nunciatur: An-* — V Iſaiæ 6.

gelus; quia exteriùs loquendo seruiuit. (& sic Actorum 7. & ad Galat. 3.) *Dominus . quia præsidens loquenti efficaciam tribuit :cum enim loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus; & per inspirationem Dominus memoratur*. Animaduerto autem ipse, quòd vbi tanquam exercitè apparitio visa denarratur, perhibetur *Dominus*, cuius mysteria tunc primò innotescunt: Cùm autem alibi ad aliud eadem apparitio commemoratur *Angelus*, prout reuera fuit, asseritur. Videantur, quæ expendi ad Genesis, c. 2. & 28.

VERSVS XVIII. *Ibimus viam trium dierum in solitudinem.*

Morale vndique è sacris literis trahi potest: puta, vt exitus de Ægypto, sit animarum elapsus de potestate Diaboli, & à statu peccati: ex quo sequitur accessus ad Deum: vnde dicitur, *vt immolemus Domino Deo nostro*. Propterea S. Doctor exponens hunc textum [x] ait, tres dietæ pænitentium, reuertentium ad Deum, fugientiumque de AEgypto; dolere corde, confiteri ore, & opere satisfacere: & sic Genesis 40. *tres dies adhuc sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui; & restituet te in gradum pristinum*: per quod patet, per veram pænitentiam ablata restitui. Sic Lucæ 15. filius pænitens indutus est stola prima. De quo 3.p. q.89.

X Apoc. 2. post initium comment. 2.

CAPVT IV.

1 REspondens Moyses, ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed
dicent: Non apparuit tibi Dominus. 2 Dixit ergo ad eum: Quid est quod
quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. 3 Dixitque Dominus: Proijce
eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses. 4 Dixitque Do-
minus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versaque
est in virgam. 5 Vt credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum,
Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. 6 Dixitque Dominus rursum: Mitte manum
tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. 7 Retra-
he, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reli-
quæ. 8 Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent
verbo signi sequentis. 9 Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audie-
rint vocem tuam: sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauseris
de fluuio, vertetur in sanguinem. 10 Ait Moyses: Obsecro Domine, non sum eloquens
ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris
linguæ sum. 11 Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mu-
Matt. 10. d.10. tum, & surdum, videntem, & cæcum? nonne ego? 12 Perge igitur, & ego ero in ore tuo:
doceboque te quid loquaris. 13 At ille: Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus
es. 14 Iratus Dominus in Moysen, ait: Aaron frater tuus leuites, scio quod eloquens sit:
ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde. 15 Loquere ad eum,
Inf.7.a.2. & pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis quid
agere debeatis. 16 Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in
his quæ ad Deum pertinent. 17 Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus
es signa. 18 Abijt Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum, dixitque ei: Vadam,
& reuertar ad fratres meos in Aegyptum, vt videam si adhuc viuant. Cui ait Iethro: Vade
in pace. 19 Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian: Vade, & reuertere in Aegyptum:
Mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam. 20 Tulit ergo Moyses vxorem
suam & filios suos, & imposuit eos super asinum, reuersusque est in Aegyptum, portans vir-
gam Dei in manu sua. 21 Dixitque ei Dominus reuertenti in Aegyptum: Vide vt omnia
ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor eius, & non di-
mittet populum. 22 Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus
Israel. 23 Dixi tibi: Dimitte filium meum vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum: ecce
ego interficiam filium tuum primogenitum. 24 Cumque esset in itinere, in diuersorio oc-
currit ei Dominus, & volebat occidere eum. 25 Tulit illico Sephora acutissimam petram,
& circumcidit præputium filij sui, tetigitque pedes eius, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi
es. 26 Et dimisit eum postquam dixerat: Sponsus sanguinum ob circumcisionem. 27
Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit ob-
uiam ei in Montem Dei, & osculatus est eum. 28 Narrauitque Moyses Aaron omnia ver-
ba Domini, quibus miserat eum, & signa quæ mandauerat. 29 Veneruntque simul, &
congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel. 30 Locutusque est Aaron omnia verba,
quæ dixerat Dominus ad Moysen, & fecit signa coram populo, 31 & credidit populus.
Audieruntque quòd visitasset Dominus filios Israel, & quod respexisset afflictionem illo-
rum, & proni adorauerunt.

VER-

VERSUS II. *Dixit ergo ad eum. Quid est quod tenes in manu tua?*

Sanctus Doctor [a] expendit eiusmodi loquendi modum, dicens; consuevit Sacra Scriptura in habitationem Dei in sanctis hominibus his modis significare: *Locutus est Dominus ad Moysen*; vel; *dixit Dominus ad Moysen; factum est verbum Domini ad Ieremiam; factum est Verbum Domini in manu Aggai Propheta.*

a 2.cont. 3.cap.34. post initium.

VERSUS III. *Dixitque Dominus, proijce eam in terram: proiecit, & versa est in colubrum; ita vt fugeret Moyses.*

Dignatur Dominus prævio virtutis suę experimento, Moysen ad futura portenta fidelem facere; dulciter enim disponit omnia; nosque sic edocet; non præstigiorum ludificatione, nec Dæmonis arte; sed divinæ suæ potentiæ futurum fuisse, vt Moyses ederet signa: quod adhuc elucet magis infrà c. 7. vbi legitur; *in hoc scies* (ad Pharaonem est sermo) *quòd sim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem.* Sic Rex per baliuum operatur. Exorditur autem prodigia in virga, quia hæc disciplina, & filios Israel erudiebat, Ægyptiorum pressura; & Pharaoni futura erat in monita, ne durus, Dei iussa contemneret. Ad erudiendam quoque Dominus plebem suam, non tam mandat, quàm sinit, vt proijciatur. Quapropter ait Angelicus; [b] virga disciplinæ non est proijcienda; proiecta enim vertitur in colubrum, qui occidit. Hebr. 12. *Si extra disciplinam estis*, &c. *ergo adulteri, & non filij estis.* Tribulatione quippe, & angustia probat nos Deus; ne mens terrenis his hæreat: quin potius ærumnis pressa, instar palmæ eleuetur, inclinata resurgat; Cant.7. *Statura tua assimilata est palmæ.* Ps. 91. *Iustus vt palma florebit.* Cœlumque suspicat. *Peto te nate, vt aspicias ad Cœlum*; solattix Salomonia aiebat. 2. Machab. 7. Hinc alibi: [c] rationalis disciplina est illa virga, quam Dominus dedit Moysi, in qua fuerunt miracula in Ægypto; quia qui in mundo disciplinatur, securè salvabitur. Et sanè quis nolit sufferre disciplinam per virgam, quæ Dei est: ita expressè infrà versu 20. *Portans virgam Dei in manu sua*; *portare* dicitur non absre. Mirumque est quomodo Dominus in sequenti ait.

b op. 41. §.31.

c Apoc. c.12. su- per illud in virga ferrea co- ment.1.

VERSUS IV. *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius?*

Consultiùs visum fuisset, propè caput apprehendere colubrum, quamuis enim teneatur cauda, adhuc facillimè mordet. Cauda, finis est virgæ huius: finem in tribulationibus si apprehendat (apprehendere nil aliud est, quàm fixa mente tenere) qui affligitur, securus eis manum porriget. Docuit hæc Apostolus clarius Hebræorum 12. *omnis autem disciplina in præsenti quidem* (ecce colubri caput) *videtur non esse gaudij, sed mæroris; postea autem*, (en cauda) *fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Moyses, qui prius meticulosus fugerat, pacatissimè manum extendit, & tenet. Non satis est per transennam, tribulationum finem concipere, *teneri* oportet: ne vltrà euadat in colubrum. Prouerb.4. *tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua.*

VERSUS X. *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.*

Dixi cap. 2. cur fortè ab infantia laborauerit Moyses defectu linguæ: nunc, siue ex reuerentia ad Deum, siue, ex magnitudine iniuncti muneris, ineptiorem se dicit: videturque reniti aliquantulum diuinæ missioni: quare infrà dicitur, cùm secundò graue onus resignit: *iratus Dominus in Moysen. Quęcumque scripta sunt*, certè *ad nostram doctrinam* (quod ait Apostolus) *scripta sunt*: vnde monemur, teneri nos quandoque [D] iningenti Prælationis officium humiliter obedire. D 2. 2. 185.a.2.

VERSUS XIII. *Obsecro Domine inquit, mitte quem missurus es.*

Non simpliciter renuit Moyses, sed sibi aliquantulum consulens, sciens aliàs ex fide Servatorem, cuius typum gerebat, aliquando venturum, qui populum de vtrinsque Pharaonis, terreni scilicet & Infernalis, tyrannide posset eripere; rogat accellerari illius aduentum; neque enim de quo alio loquatur Moyses innotescit; cùm consilij Dei de Aaron, aut alio mittendo, non legatur gnarus fuisse; Genes. 49. *donec veniat, qui mittendus est.* Hebr. 1. *locutus est nobis in filio.* Patres, inquit Sanctus Doctor, ex hoc textu [E] expectauerunt Christum: imò totam posuerunt spem suam [F] in aduentum Domini, eiusque dilatione affligebantur. Consonat ad mentem eiusdem S. Thomæ, quod ait Christus Dominus Ioannis 8. *ego enim* [G] *ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* Et Hebræorum 3. responsum, seu obsecrationem Moysis honestat, quasi dixerit; alium [H] digniorem missurus es. Vbi & Moyses appellatur, tanquàm à Deo missus, *Apostolus*; sic enim græcè *Apostolus*, latinè dicitur, *missus*. Et nota ex op. 60. relato a. 1. quòd afflictio & liberatio populi Israelitici fuit figura afflictionis, & liberationis totius humani generis. E Matth. 11. in principio. F op. 60. c.1. G Io. 8. l.5. H Hebr. 3.l.1.

VERSUS XXI. *Ego indurabo Cor eius, & non dimittet populum.*

In obduratione causa per se est homo: Deus verò non indurat, [I] nisi in non impartiendo gratiam: homo siquidem sibi imponit impedimentum lumini; ideoque ijs imputatur, quòd oculos clauserunt. Est autem ex culpa peccantis, quòd [L] Deus gratiam non largiatur. Et potest afferri exemplum de clauibus; nam cum clauis sit potestas ligandi, atque soluendi, quà Ecclesiasticus Iudex dignos recipere, (vtrumque ex iustitia,) indignos excludere debet à Regno, vt habetur in litera, & ex glossa Hieronymi; [M] dicitur excludere Sacerdos, in quantùm impedimentum, quod ipse minimè posuit, non remouet. Clariùs etiam [N] alibi; sol enim licèt quantùm est de se omnia corpora illuminet; si quod tamen impedimentum inueniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum; sicut patet de Domo, cuius fenestræ sunt clausæ: sic ergo in quantùm Deus suo iudicio gratiam non apponit, vbi obstaculum inuenit, dicitur esse causa obdurationis cordis: pariterque excæcationis, & aggrauationis aurium: quæ quidem distinguuntur secundùm effectus gratiæ, quæ & perficit intellectum dono Sapientiæ, & affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionem I Matth. 13. ibi; & oculos suos clauserunt. L primo ad Annib. d.40. 4. & in 2.37.3. 2. M 4. 18. 1.1.2. N p.1.79. 3.

T 2 intel-

intellectus maximè deseruiunt visus & auditus: quantùm ad visum ponitur excœcatio; quantùm ad auditum, aurium aggrauatio; quantum ad affectum, obduratio. Animaduerto, potuisset Dominus verborum aliorum tenore derelictionem suam promulgare, puta, *non dabo ei lumen, aut auxilium speciale meum*. Sicut Isaiæ 5. de vinea, *non putabitur, & non fodietur*, &c. sed sic magis claret passi contumax animus: ex quo in induratione relinquitur.

Quocircà, adhuc recolendum est quod tradit Angelicus [O] in 3. contra Gentes; vbi postquam retulit Dei verba hìc c. 10. *ego indurani cor Pharaonis*, & Isaiæ 6. *excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*; atque etiam Isaiæ 63. *indurasti cor nostrum, ne timeremus te*. inquit; hæc omnia intelligenda sunt, secundùm quòd Deus aliquibus, non confert auxilium, ad vitandum peccatum, quod alijs quibusdam confert: hoc autem auxilium non solùm est infusio gratiæ, sed etiam exterior custodia, per quam occasiones peccandi homini ex diuina prouidentia tolluntur: & prouocantia ad peccatum comprimuntur. Subditque; adiuuat etiam Deus hominem contrà peccatum, per naturale lumen rationis, & alia naturalia bona, quæ homini confert. Cùm ergò huiusmodi auxilia aliquibus subtrahit pro merito suæ actionis, secundùm quòd eius Iustitia exigit, dicitur eos obdurare, vel excœcare. Specialiùs autem de Pharaone ait in 4. [P] Habuit Pharao fixionem obstinatæ voluntatis ad malum, in quam inciderat diuina gratia desertus. Obmutescat itaque Caluinus impiè blasphemãs, Deum authorem mali culpæ impellere nos & cogere, cùm peccamus; nàm Ecclesiastici legitur: *Non dicas, ille me implanauit, non enim necessarij sunt ei homines impij*; & infrà, *nemini mandauit impiè agere: &, nemini dedit spatium peccandi*: & Iacobi 1. *nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentetur; Deus enim intentator malorum non est*. Passim in sacris litteris similia reperies.

[O 1. cont. Gent. c. 162.]

[P 4. 17. 2. a. 2. 1.]

VERSVS XXII. *Hæc dicit Dominus Filius meus primogenitus Israel.*

Nota ex 4. 8. q. 1. a. 3. ad 2. fuisse dilectissimum populum Israel pro tempore illo, comparatione aliorum populorum, qui Idolis seruiebant: non autem comparatione populi, noui testamenti, de quo 1. Petri 2. *Vos estis gens sancta, populus acquisitionis* &c. Vel dicendum, secundùm Apostolum Rom. 9. *Non qui sunt secundùm carnem, sed qui ex promissione, hi æstimantur in semine*: vnde populus noui testamenti non excluditur ab illo priuilegio amoris, ratione cuius Israel primogenitus Dei dicebatur.

VERSVS XXIV. *Cumque esset in itinere,*
3 *in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.*

VERSVS XXV. *Tulit illicò Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.*

Mirum! Moysi, de cuius vita adeò solicitus fuerat Dominus, vnde paulo ante vers. 1. illi dixerat; *vade & reuertere in Aegyptum; mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam*, minitatur Dominus mortem? (quod intellige visibili Angeli factum ministerio; hinc Chaldæa; *occurrit ei Angelus Domini, & quærebat interficere eum*.) Mirum certè; grauique non nisi de causa. Nonnulli arbitrati sunt, id propterea disposuisse Dominum; quo intelligeret quisquis ad gregis euocatur curam, non sibi de familia atque cognatis nimis curandum; ne *vno episcopante* (quod dolet Bernardus) *tota progenies episcopetur*; ideoque videtur ex capite 18. ad socerum remisisse Moyses vxorem & filios. Ita sub his verbis S. Doctor [Q] Moysen in itinere voluit occidere Angelus, quia ducebat secum filios, & vxorem.

[Q Apoc. c. 5. post medium comm. 1.]

Ad litteram planiùs, neglecta secundògeniti, Eliezer nimirum, circumcisio, videtur fuisse in causa indignationis diuinæ. Primum filium vocauit *Gersam*; secundum *Eliezer*, qui interpretatur *Dei adiutorium*, vt colligitur ex capite 2. & c. 18. ex quo loci à Septuaginta translatus creditur versus ille, qui in 2. capite hebraice non extat. Mortis quippe sententiam comminatus fuerat Deus, vt patet Geneseos capite 17. circumcisionis Sacramentum omittentibus; & meritò, quia præterquam inobedientiæ incurrebatur reatus, æternæ vitæ directè præcludebatur aditus, atque adeò reciproca mortis pœna eis debebatur. Sacer textus in præsentiarum id innuit; subditur siquidem, illicò absque omni cunctatione per Sephoram circumcisum filium: ex quo temporalis marito, nato spiritualis vita reparata est.

Verosimile est autem, Moysen quamquam primogenitum absque mora circumcidisset; ad secundi circumcisionem coniugis retractum precibus, non omninò constanti animo propendisse; sorteque, ne contristaret Sephoram ægrè filiorum omnium dolorosam ferentem sectionem fuisse perplexum, num quicquam dandum esset carni & sanguini; non enim crediderim Moysen deliberatè omnino permisisse incircumcisionem; sed ex illius conniuentia, factum esse dispensatione diuina, vt magnum sub cortice litteræ mysterium occuleretur.

Quis non miretur circunstantias rei huius? 4
Quæ creditur fuisse remotior ab effusione sanguinis filij, circumcidit puerum, tangit pedes Moysis, eumque alloquitur. *Sponsus sanguinum mihi es*. Nunquid hæc, & huiusmodi fine mysterio? non equidem. Docet Angelicus [R] hanc fuisse vnam ex principalibus circumcisionibus, in quibus Christum significari oportebat; & alibi [S] fuisse ex famosis circumcisionibus; in cuius signum facta est cultello lapideo; per quod figurabatur circumcisionem spiritualem esse fiendam per Christum; de quo dicitur 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*. Acutissimus quippe cultellus est Christus Dominus, per quem fit originalis peccati plena purgatio. Circumcisionem non abs re secundam, non manufactam exequitur in typum gentilitatis Sephora quondam gentilis; renuente, in figuram legis, & Hebræorum Moyse: *lex per Moysen data est*, Io. 1. quem proinde dimisit, vt legitur in sacro textu, ob circumcisionem, spiritualem scilicet; quamuis in hebræo literaliter in plurali dicatur, *ob circumcisiones*: nam duplex est circumcisio, carnis & cordis, vt dicitur Rom. 2. & vtriusque de causa dimissus est Moyses: vel in plurali, amborum nempè natorum, Matris adeò afflictiuas. Septuaginta crediderunt ly *dimisit* referri ad Angelum, qui erat eum percussurus, legentes, *abijt ab eo Angelus*; sed mysterio, accipiendum est

[R 4. 1. 2. 3. 3.]

[S 1. p. 70. 1. 2.]

la-

factum hoc: præparante intelligentiam Apostolo, qui Rom. 7. ait, *quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est*. Et posteà; *nunc autem soluti sumus à lege mortis*: idest à seruitute legis Moysi, quæ etiam corporaliter occidebat. Hebr. 10. *irritam quis faciens legem* &c. ita S. Tho. Et fortè noluit Spiritus-Sanctus clareret omnino, quo referatur ly *dimisit eum*, vt exerceretur piè mens: & quia masculinum verbum est; atque non ita appositè in Dominum aut Angelum cadit, de populo Gentium, cuius masculina proles, Moysen qui Io. 7. dedisse dicitur circumcisionem & cætera, idest legalia debebat relinquere, intelligeretur. Quoniam verò coeunt lex & sacerdotium, *translato enim Sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat*, Hebr. 7. ideo Aaron v. 17. vadit in occursum Moysi, & osculatur eum: vicissim quasi vale dicto; sicut vnionis in signum; *iustitia* Ps. 84. *& pax osculatæ sunt*. It autem in Montem Dei, qui passim pro Christo. Veruntamen idem Moyses populi liberator, Christi quoque figuram gerit; ideoque vel nescia mysterij erumpit in voces illas Sephora pro Ecclesia gentium: *Sponsus sanguinum tù mihi es*. Quocircà ait Angelicus [Y] Christus desponsauit sibi Ecclesiam per incarnationem & passionem, vnde figuratur per hoc quod dicitur Exodi 4. *sponsus sanguinum mihi es*. Et alibi; sponsa Christi [Y] est Ecclesia; & in huius figuram dixit Sephora ad Moysen; *sponsus sanguinum tù mihi es*. Idcircò, quasi nouissimè sibi datum sponsum vocitat; cùm tamen multò ante fuisset ei in vxorem, vt patet Actorum 7. futurus enim erat Christus Dominus spõsus Ecclesiæ non habentis *maculam* aut *rugam*, vt ait Apostolus. Neque perperam interseritur factum hoc, quia nullibi congruentiùs, quando hic de liberatione ab Aegypti seruitute historia attexitur. Vide Deuter. c. 2. ad v. 15. Prætereà: non videtur perperam fieri mentionem de populo hebræorum, sub primogeniti nomine; alter enim secundò genitus nasciturus figuraliter innotescit: maior quippe est, Populus Iudæorum, qui primò [X] adoptionem filiorum accepit, vt hic dicitur: minor autem est populus gentilium; de quo parabola prodigi Lucæ 15. Sed iam æquiparatur in dilectione. *Nec enim qui secundùm carnem*, vt ait Apostolus Roman. 9. *sed qui ex promissione*, [A] *computantur in semine*: vnde populus noui testamenti non excluditur ab illo priuilegio amoris, ratione cuius Israel primogenitus Dei dicebatur. Dicitur autem Christus *sponsus sanguinum* pluraliter; quia veteris testamenti mactatis hostijs præfiguratus est; noui autem, sanguinis effusione factus est re ipsa, non iam allegoricè sponsus. Quod valdè notandum est; nàm alias ex glossa [B] supra Psalmum 50. hoc nomen *sanguis* non declinatur in plurali numero. Litteraliter denique tetigit circumcisio pedes Moysi: eoquòd per pedes [C] significatur humanitas: Psalmo 131. *adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*; sicut & per caput intelligitur diuinitas: *caput eius aurum optimum*: *Caput Christi Deus*. 1. Cor. 11. Christus autem pro nobis dignatus est circumcidi. Et *Ecclesiam*, Actor. 20. *acquisiuit sanguine suo*.

Y 4. 49. 6.

Io. 3.

X Rom. 9. 1. 2.

A 4. E. 1. 3. 2.

B ps. 50.

C Io. 12. l. 3. & Io. 20. l. 2. Se serm. de S. Bernardo.

C A P V T V.

1 POst hæc ingressi sunt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Domi-
nus Deus Israel: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. 2 At il-
le respondit. Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? ne-
scio Dominum, & Israel non dimittam. 3 Dixeruntque: Deus Hebræorum vocauit nos,
vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè
accidat nobis pestis, aut gladius. 4 Ait ad eos rex Aegypti: Quare Moyses, & Aaron
solicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra. 5 Dixitque Pharao: Multus est
populus terræ: videtis, quòd turba succreuerit: quanto magis si dederitis eis requiem ab
operibus? 6 Præcepit ergo in die illo præfectis operum, & exactoribus populi, dicens: 7
Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius: sed ipsi vadant,
& colligant stipulas. 8 Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos,
nec minuetis quidquam: vacant enim, & idcirco vociferantur, dicentes: Eamus, & sacri-
ficemus Deo nostro. 9 Opprimantur operibus, & expleant ea: vt non acquiescant verbis
mendacibus. 10 Igitur egressi præfecti operum, & exactores, ad populum dixerunt: Sic
dicit Pharao: Non do vobis paleas: 11 ite, & colligite sicubi inuenire poteritis, nec mi-
nuetur quidquam de opere vestro. 12 Dispersusq. est populus per omnem Terram Aegypti
ad colligendas paleas. 13 Præfecti quoque operum instabant, dicentes: Complete opus
vestrum quotidie, vt prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ. 14 Flagellati-
que sunt, qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus: Qua-
re non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie? 15 Veneruntque præ-
positi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem dicentes: Cur ita agis contra seruos
tuos? 16 Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cæ-
dimur, & iniustè agitur contra populum tuum. 17 Qui ait: Vacatis otio & idcirco dicitis:
Eamus, & sacrificemus Domino 18 Ite ergo, & operamini: paleæ non dabuntur vobis, &
reddetis consuetum numerum laterum. 19 Videbantque se præpositi filiorum Israel in ma-
lo, eo quòd diceretur eis: Non minuetur, quidquam de lateribus, per singulos dies. 20

Occurreruntque Moysi, & Aaron, qui stabant ex aduerso, egredientibus à Pharaone. 21
& dixerunt ad eos: Videat Dominus, & iudicet quoniam fętere fecistis odorem nostrum
coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret nos. 22 Reuersusque est Moyses ad Dominum, & ait Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me?
23 Ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum: & non liberasti eos.

CVm capitis huius litera satis pateat, nonnulla satis fuerit excurrere quoad mores. Memorantur Moyses, & Aaron bini fratres, quoniam referunt duplex
A Matth. 4. charitatis [A] præceptum, Dei videlicet & proximi dilectionem; id quod obseruat Angelicus ad Simonis & Andreæ vocationem Matthæi 4. quoniam & in veteri lege dabatur mandatum de charitate.

VERSVS IV. *Ait ad eos Rex Aegypti; quare Moyses & Aaron solicitatis populum ab operibus suis?*

Typum gerit sæculi huius Ægyptus, sicut & Diaboli Pharao: hinc aduersus eos, qui nituntur fideles retrahere exponi potest; de quibus
B op. 17. c. 1. ait D. Thomas [B] Horum autem conatum nefarium præfigurauit Pharao, qui obiurgans Moysen & Aaron volentes populum Dei de Ægypto educere, *quare inquit solicitatis populum ab operibus suis?* vbi glossa Origenis; *hodie quoque si Moyses & Aaron*, idest *propheticus & sacerdotalis sermo animam solicitet ad seruitium Dei, exire de sæculo, renunciare omnibus quæ possidet, attendere legi, & verbo Dei, continuò audies vnanimes, & amicos Pharaonis dicentes, videte quomodo seducuntur homines, & peruertuntur adolescentes.* Et posteà subdit; *hæc erant tunc verba Pharaonis; hæc nunc amici eius loquuntur.* Quod quidem recolit conce-
C Quod l. 3. a. 11. ptis verbis alibi [C] Sanctus Doctor.

VERSVS XII. *Dispersusque est populus per omnem terram Aegypti ad colligendas paleas.*

1 Commistis paleis seu stipulis, lutum potosius fiebat; vnde & vim ignis in lateres excoquendum, magis poterat sufferre, minimeque diffringi. Luto comparantur terrena cuncta; *omne aurum*, (quo nihil pretiosius in terris) *arena est exigua* (sapientiæ 7.) *& tanquam lutum æstimabitur argentum*. Et Habacuc 2. *væ ei qui multiplicat non sua?* vsquequò *& aggrauat contra se densum lutum?* At alia subijcitur vilis terrenorum similitudo, palearum scilicet; tentatio siquidem diaboli, impiorum spargit [D] cogitationes, eorumque desideria, locutiones & opera per diuersa vitia; *& sic dispersus est populus per vniuersam terram Aegypti ad congregandas paleas*, scilicet mundi vanitates. Fatentur ipsi: ipsimet quàm laboriosam duxerint vitam dicentes Sap. 5. *ambulauimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis.* D op. 51. c. 10.

Quadrat etiam tropologia hæc Israelitici populi [E] Monachis de claustro discurrentibus Mundum propter diuitias terrenas: quocirca subdit eo loci, sicut ficus emittit grossos suos, ita emittit claustrum inutiles Monachos, ad peragendum negocia terrena, vel ad causas tractandas. Quàm verè ex ore suo se produnt dicentes *fætere odorem* suum, cum debuissent esse *Christi odor bonus*; incusant enim sæpe Religionis Sanctæ Institutum, quasi officina virtutum, eis fuerit ruinæ occasio; sicut & Hebræi Moysen & Aaron calumniabantur. Fœteot autem ipsi Pharaoni; nam cum ad carnalia peccata prolabuntur, computrescunt *tanquam iumenta in stercore suo*, vt ait Propheta Ioel c. 1. D. Philippus Nerius accedentes ad se impuros graueolentia quadam præsentiebat. Et Dæmones aliqui, memores antiquæ suæ nobilitatis, sic horrent carnis immunditiam, vt non dignentur [F] de peccato luxuriæ tentare; in signum cuius, lucifer tentans Dominum in deserto non tentauit de hoc peccato. Gemunt eiusmodi sub dura peccati tyrannide; neque cum possint, fugæ arripiunt remedium; quod vnum est.

2 E Apoc. 6. in calce comm. 1.

F op. 41. l. 5. c. 51.

CAPVT VI.

1 DIxitque Dominus ad Moysen: Nunc videbis, quæ facturus sum Pharaoni: per
manum enim forte dimittet eos, & in manu robusta eijciet illos de terra sua. 2
Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Ego Dominus, 3 qui apparui
Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum ADONAI non indicaui eis. 4 Pepigitque fędus cum eis, vt darem eis Terram Chanaan, terram peregrinatio-
nis eorum, in qua fuerunt aduenæ. 5 Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Aegyptij
oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei. 6 Ideo dic filijs Israel: Ego Dominus, qui
educam vos de ergastulo Aegyptiorum, & eruam de seruitute: ac redimam in brachio ex-
celso, & iudicijs magnis. 7 Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus, & scie-
tis, quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum: 8
& induxerim in terram, super quam leuaui manum meam vt darem eam Abraham, Isaac,
& Iacob: daboque illam vobis possidendam, ego Dominus. 9 Narrauit ergo Moyses om-
nia filijs Israel: qui non acquieuerunt ei propter angustiam spiritus, & opus durissimum. 10
Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 11 Ingredere, & loquere ad Pharaonem
regem Aegypti, vt dimittat filios Israel de terra sua. 12 Respondit Moyses coram Domi-
no: Ecce filij Israel non audiunt me, & quomodo audiet Pharao, præsertim cum incircum-

cisus

cisus sim labijs? 13 Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, & dedit mandatum
ad filios Israel, & ad Pharaonem regem Aegypti, vt educerent filios Israel de terra Aegy-
pti. 14 Isti sunt principes domorum per familias suas. Filij Ruben primogeniti Israelis: Gen.46.b.9.
Henoch, & Phallu, Hesron, & Charmi: hæ cognationes Ruben. 15 Filij Simeon: Iamuel Num.26.a.1.
& Iamin, & Ahod, & Iachin, & Soar, & Saul filius Chananitidis, hæ progenies Simeon. 1. Par.5.a.1.
16 Et hæc nomina filiorum Leui per cognationes suas: Gerson, & Caat & Merari. Anni
autem vitæ Leui fuerunt centum triginta septem. 17 Filij Gerson: Lobni, & Semei, per co- 1. Par.4.d.24.
gnationes suas. 18 Filij Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel, anni quoque vitæ 1.Par.6.a.
Caath, centum triginta tres. 19 Filij Merari: Moholi, & Musi, hæ cognationes Leui per 1.& 23.a.6.
familias suas. 20 Accepit autem Amram vxorem Iochabed patruelem suam: quæ peperit Num.3.c.17.
ei Aaron, & Moysen Fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta septem. 21 Filij quo- Num.26.g.57.
que Isaar: Core, & Nepheg, & Zechri. 22 Filij quoque Oziel: Misael, & Elisaphan, & 1. Par.6.a.2.23.b.12.
Sethri. 23 Accepit autem Aaron vxorem Elisabeth filiam Aminadab, sororem Nahason,
quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. 24 Filij quoque Core: Aser, &
Elcana, & Abiasaph, hæ sunt cognationes Coritarum. 24 At vero Eleazar filius Aaron ac-
cepit vxorem de filiabus Phutiel: quæ peperit ei Phinees: hi sunt principes familiarum Leui-
ticarum per cognationes suas. 26 Iste est Aaron, & Moyses, quibus præcepit Dominus vt
educerent filios Israel de Terra Aegypti per turmas suas. 27 Hi sunt, qui loquuntur ad
Pharaonem regem Aegypti, vt educant filios Israel de Aegypto: iste est Moyses: & Aaron,
28 in die qua locutus est Dominus ad Moysen in Terra Aegypti. 29 Et locutus est Domi-
nus ad Moysen, dicens: Ego Dominus: loquere ad Pharaonem regem Aegypti, omnia
quæ ego loquor tibi. 30 Et ait Moyses coram Domino: En incircumcisus labijs sum, quo-
modo audiet me Pharao?

VERSVS III. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai, non indicaui eis.*

1 Huiusmodi legitur in Psalmo 82. *nomen tibi Dominus*; Iudith 9. *Dominus nomen est tibi, &* c. 16. *Dominus nomen est illi*. Hoc est, veluti hominibus nomen Petri, aut Pauli, specialissimum proprium, & incommunicabile creaturis. Scribitur quatuor ijs literis, quæ non consueuere, eoquod sit ineffabile, pronunciari, sed earum loco Adonai, vel Dominus: de quo dictum est suprà ad caput 3. Ebullit illico difficultas, quomodo non indicauisse illud præcedentibus dicat Deus: at edocet D. Thomas, [A] id dici, quia excellentiùs facta est reuelatio Moysi de simplicitate diuinæ essentiæ, & sub lege, in qua non solùm oportebat instrui & institui speciales personas, aut quasdam familias, sed totum populum: non quod præcedentes Patres id omninò ignorarint; nam quoad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quæcunque posteriores crediderunt continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicitè. Quamuis quantum ad explicationem creuerit numerus articulorum; quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. Ita ex D. Thoma [B] vnde (inquit) Dominus dicit Moysi, *ego Dominus, qui apparui Abraham Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai, non indicaui eis*, & Dauid dicit; *super senes intellexi*; & Apostolus ad Ephesios 3. *Alijs generationibus, non est agnitum mysterium Christi, sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius & Prophetis, in spiritu*. De omnipotentia autem vnius Dei plenius etiam prisci instructi fuere: ex quo colligitur adhuc explicitè non fuisse cognitum Deum à præcedentibus in ratione Patris, filio consubstantialis, sed [C] innotuisse illis dumtaxat sub ratione Dei omnipotentis. Hinc ait Dominus Io. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*. Quod exponens Augustinus relatus 2.2. q. 2. 8. 2. dicit; *non id nomen quo vocaris Deus, sed id quo vocaris Pater meus*. Et subdit *In hoc, quod Deus fecit hunc mundum, notus in omnibus gentibus; in hoc quod non est cum Dijs falsis colendus, notus in Iudæa Deus; in hoc verò quod Pater est huius Christi, per quem tollit peccata mundi, hoc nomen eius priùs occultum, nunc manifestauit eis.*

A 2. 2. 7416. — B 1. 2. 1. — C Ioan. 8. 17.

Dicit autem, *apparui in Deo omnipotente*, quia diuina sua prouidentia, (à qua Dei nomen [D] dicitur) ijs innotuit omnipotens; puta cum Isaac, ex vetula sterilique Sara & promisit & dedit; cum Isaac à morte subtraxit oblato hirco, dicente Abraham, *Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi*; cum deuastante fame terram, alendam familiam Iacob prouidè instituit: vt ea mittam quæ hoc capite recolit ipse Deus; & Sapientiæ 10. vbi plura sapientiæ seu prudentiæ, (nam sapientia est viro prudentia Prouerb. 10.) cuius pars est prouidentia, referuntur accepta. Nec opinetis inde satis nomen suum Adonai illis indicasse; licèt enim quadriliterum ineffabile pronunciari consueuerit, *Dominus*, vt animaduertit S. Doctor [E] etiam, dicens Adonai quod interpretatur Dominus; & sit nomen Dominus, nomen potestatis vt ait Ambrosius, & recolit [F] Angelicus; attamen balbutimus, vt ita dicam; quia ineffabilem quadriliteri significationem, non plene attingit, idcircò tanquam impotes simus ad illud percipiendum, dixit D. Angelus Iacob Genesis 32. *cur quæris nomen meum*; & adiecit, (Iudicum 13.) *quod est mirabile*.

D p.p.13.8. — E Apoc. 2. ad illa verba; & tenes nomen meū comm. 1. — F Isaiæ 41.

VERSVS VII. *Qui eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum.*

Similia loquitur Dominus Leuitici 26. & 2
addit, *confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti*: quocircà vtrumque nectit Ange-

licus

G Cant. 7. licus, atque [G] subdit, statura Ecclesiæ perfecta, est eius rectitudo: *statura tua assimilata est palmæ* Cant. 7. neque enim à vitijs incuruatur, sed recta, & nobilis consistit: vnde Psalmista ex persona peccantium dicebat ps. 118. *incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque*: & post alia; statura ergo Ecclesiæ palmæ assimilatur; quia in omnibus quæ agit, semper supernam in memoria retinet remunerationem. Hinc legitur hic, cap. 1. fuisse filios Israel pressos & oppressos; & sub specie Ierusalem peccanti animæ dicit propheta Isaias, c. 51. *quia humiliauerunt te, & dixerunt animæ tuæ, incuruare vt transeamus.*

VERSVS XII. *Et quomodo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labijs?*

3 Septuaginta legunt; *ego autem balbus sum*: & in calce capitis; *ecce ego gracili voce sum*; quare non solùm videtur fuisse Moyses laborans *traulismo*, vt torta linguà nequiuerit hanc vel illam proferre syllabam, quod est esse blæsum: aut titubantia, vel hæsitantia vocis, *battologus*; quo pacto quis dicturus hanc vocem *canit*; *cacanit* pronunciaret, causa qua diximus supra c. 2. ad v. 5. & c. 4. v. 10. sed vlterius creditur, tenui adeò sono coactus promere verba gracili aliquo naturæ instrumento, vt vi destitutus idonea, ad Pharaonem terrendum, quasi Periclis exposceretur fulmen, adiecerit humili ac reuerenti renisu; *coram Domino*, scilicet, *responderit*; *præsertim cum incircumcisus sim labijs*. De Moyse hanc ad rem

H 2. 2. 133. 1. ait Gregorius; [H] *superbus fortasse esset, si ducatum plebis suæ sine trepidatione susciperet: & rursum superbus existeret, si Auctoris imperio obedire recusaret*: subditque S. Doct. Moyses, & Ieremias digni erant officio, ad quod diuinitus eligebantur, ex diuina gratia: sed ipsi considerantes propriæ infirmitatis insufficientiam, recusabant; non tamen pertinaciter, ne in superbiam laberentur. Mystice autem incircumcisus est labijs, qui à

I Hier. 4. prauis non abstinet [I] locutionibus; nam circumcisio purgationem significat delictorum.

VERSVS XIV. *Isti sunt Principes domorum per familias suas; filij Ruben primogeniti, Israelis* &c.

4 Recoluntur filij Israel, de quibus, Geneseos c. 25. vt Moysi & Aaron origo declaretur, de tam sancto stipite, qualis fuit Iacob, ac de tribu Leui; Vtriusque autem magnifica commendatio, attexitur Ecclesiastici 45. *Dilectus Deo, & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est*: Et postea; *Excelsum fecit Aaron fratrem eius, & similem sibi de tribu Leui*. Comparat Moysi Sanctum Benedictum

L Sermone in festo Sancti Benedicti. [L] Angelicus, dicens; ille Ægyptum deseruit, iste mundum: ille desertum dilexit, iste eremum: ille filios Israel in desertum introduxit, iste monachos: ille dedit legem, iste regulam: ille multa miracula fecit, & iste: ille fuit Moyses re, & nomine; & iste Benedictus re & nomine; fuit enim assumptus de aquis carnalis concupiscentiæ. Scribunt sanè lingua Ægyptiaca *mos* aquam, *is*, vel *ises*, seruatum significare; eademque vox Ægyptiaca videtur in Hebræum idioma translata, nam significat eductum ex aquis; vnde supra c. 2. legitur, *vocauit nomen eius Moyses dicens; quia de aqua tuli eum.*

Verùm tùm Moysi tùm Aaron laus potissima videtur, quòd eos dignatus sit Dominus eligere, vt in manu ipsorum, populus educeretur de Ægypto; siquidem præter ingentis gloriæ adeptionem, quam ad literam egregium adeò facinus præsefert, (quod etiam notat Angelicus Genesis 38. dicens, non ita solemniter tangi generationem Leui, sicut fit Exodi 6. & tandem in lib. Numerorum; quia vsque ad electionem Moysi & Aaron, non apparuit tanta dignitas tribus Leui) allegoricè præfiguratus est Christus, cuius ductu erepti sumus, quod canit Ecclesia, de durissimo Pharaonis, hoc est Diaboli, imperio. Hinc non sine causa, ad calcem capitis huius, absque omnis pleonasmi vitio, repetit sacer textus; *iste est Aaron, & Moyses* &c. *hi sunt qui loquuntur ad Pharaonem Regem Aegypti*: & mox iterum: *iste est Moyses, & Aaron*; quasi figurata anadiplosi, eis texatur Encomium. Et quoniam vterque, Moyses scilicet, & Aaron, in typum Domini Seruatoris fuerunt, vt passim apud Sanctos Patres videre est, idcircò semel Aaron, deinde Moyses præponitur, quia idem ipse est Christus, modò vnius, modò alterius operibus præsignatus; in quo neuter præcellit alterum, quin potius vnus in vtrisque emicat Christus.

VERSVS XXIII. *Accepit autem Aaron vxorem Elisabeth filiam Aminadab sororem Nahason* &c.

En quomodo prima iaciuntur typica fundamenta Christi Domini venturi, Sacerdotis, & 5
Regis; iunctis in sanctum connubium Aaron Sacerdote summo, & Elisabeth sorore Nahason, qui fuit Dux in tribu Iuda, vt expendi Geneseos 49. Hinc Augustinus l. 2. de cons. Euang. c. 1. *Cum autem euidenter dicat Apostolus Paulus, ex semine Dauid, secundum carnem Christum; ipsam quoque Mariam de stirpe Dauid, aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare vtique non debemus: cuius fœmina, quoniam nec sacerdotale tacetur genus, insinuante Luca, quòd cognata eius esset Elisabeth, quam dicit de filiabus Aaron: firmissimè tenendum est, carnem Christi, ex vtroque genere propagatam, Regum scilicet, & Sacerdotum.*

Trahitur etiam moraliter egressus de Ægy- 6
pto, ad animas, quæ Diaboli excusso iugo, ex seruitute peccati, ad gratiam redeunt; quod quidem vel illud monet, quod legitur suprà versu 13. *& dedit mandatum ad filios Israel, & ad Pharaonem Regem Aegypti, vt educerent filios Israel de terra Aegypti*: mandatur etenim nobis quoque vt educamur; vnde ait Augustinus; *qui fecit te sine te, non saluabit te sine te*, de cooperatione tangens nostra. Quocirca vide p. 2. q. 111. a. 2.

CAPVT VII.

1 Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron
frater tuus erit propheta tuus. 2 Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi: & il- Supr.4.d.
le loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israel de terra sua. 3 Sed ego in- 15.
durabo cor eius, & multiplicabo signa, & ostenta mea in Terra Aegypti, 4 & non audiet
vos: immittamque manum meam super Aegyptum, & educam exercitum & populum
meum filios Israel de Terra Aegypti per iudicia maxima. 5 Et scient Aegyptij, quia ego
sum Dominus, qui extenderim manum meam super Aegyptum, & eduxerim filios Israel de
medio eorum. 6 Fecit itaque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus, ita egerunt.
7 Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt
ad Pharaonem. 8 Dixitque Dominus ad Moysen, & Aaron. 9 Cum dixerit vobis Pha-
rao, Ostendite signa; dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proijce eam coram Pharao-
ne, ac vertetur in colubrum. 10 Ingressi itaque Moyses, & Aaron ad Pharaonem, fecerunt
sicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ
versa est in colubrum. 11 Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos: & fecerunt etiam 1. Tim.4.
ipsi per incantationes Aegyptiacas, & arcana quædam similiter. 12 Proieceruntque singu- b.8.
li virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum: 13
Induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos sicut præceperat Dominus. 14 Dixit
autem Dominus ad Moysen: Ingrauatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum.
15 Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum eius super ripã flu-
minis, & virgam, quæ conuersa est in draconem, tolles in manu tua. 16 Dicesque ad eum:
Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum vt sacrificet
mihi in deserto, & vsque ad præsens audire noluisti. 17 Hæc igitur dicit Dominus: In
hoc scies quòd sim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis,
& vertetur in sanguinem. 18 Pisces quoque, qui sunt in fluuio, morientur, & computre-
scent aquæ, & affligentur Aegyptij bibentes aquam fluminis. 19 Dixit quoque Dominus
ad Moysen: Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Aegy-
pti, & super fluuios eorum, & riuos ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in
sanguinem, & sit cruor in omni Terra Aegypti, tam in ligneis vasis, quam in saxeis. 20 Fe-
ceruntque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus: &, eleuans virgam percussit aquam Infr. 17.
fluminis coram Pharone, & seruis eius: quæ versa est in sanguinem. 21 Et pisces, qui e- b.5.
rant in flumine, mortui sunt: computruitque fluuius, & non poterant Aegyptij bibere a- Psal.77.e.
quam fluminis, & fuit sanguis in tota Terra Aegypti. 22 Feceruntque similiter malefici 49.
Aegyptiorum incantationibus suis, & induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos, sicut
præceperat Dominus. 23 Auertitque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor
etiam hac vice. 24 Foderunt autem omnes Aegyptij per circuitum fluminis aquam vt bi-
berent: non enim poterant bibere de aqua fluminis. 25 Impletique sunt septem dies, post
quam percussit Dominus fluuium.

VERSVS I. *Dixitque Dominus ad Moysen: ecce constitui te Deum Pharaonis.*

Prophetæ [A] quandoque dicuntur Dij; quia ad ipsos sermo Dei factus est; Ioannis 11. *illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*, sic dicitur Deus hic Moyses. Vel per participationem [B] diuinæ potestatis in miraculis faciendis. Additur autem *Pharaonis*, ad designandum, quòd non erat Deus simpliciter, nec per naturam, quia constituebatur Deus alicuius determinatè. [C] Subdit Dominus; *& Aaron frater tuus erit propheta tuus*, nam cogitationes cordis vnius, [D] alteri propheticè manifestantur, vt dicitur 1. corinth. 14. *si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, occulta cordis eius manifesta fiunt*. Chaldæa legit; *& Aaron frater tuus loquetur cum Pharaone*: quasi Nuncius Moysi.

A Prolo. ad Hebræos.
B ps. 49. principio.
C Io. 1. 1.
D 2. 2. 71.3.

VERSVS X. *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.*

Constat, ait Sanctus Doctor [E] (tù idem dic de Aaron) virgam Moysi verè in serpentem esse conuersam; quod quidem miraculum fuit; quia diuina virtute, absque omni naturalis virtutis operatione, hoc effectum est.

E de potentia q. 6.3.8.

VERSVS XI. *Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Aegyptiacas, & arcana quædam, similiter.*

De serpentibus, & de ranis pariter hic memoratis duplicem fert sententiã Angelicus. [F] Prima, quòd non fuerit vera conuersio virgarum in serpentes; sed hoc fuerit secundum apparentiam tantùm, per aliquam præstigiosam illusionem. Augustinus verò in glossa ibidem posita, dicit quòd fuit conuersio vera virgarum in serpentes; quod ex hoc verosimiliter probat, quia Scriptura eodem vocabulo nominat, & virgam magorum, & virgam Moysi. Hanc Augustini opinionem vbique sequitur Sanctus Doctor; in prima parte

F loci ajitatis.

sicut

G p. p. 114.4. H 2. 2. 178. 1. 2. & 10. 30. 1.5.

[G] ſicut magi Pharaonis per virtutem Dæmonum veros ſerpentes, & veras ranas fecerunt: in 2. 2. [H] ſicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas, & veros ſerpentes: ſubditque, citatis locis, non habuiſſe veram rationem miraculi; quia hoc fecerunt Dæmones per aliqua ſemina collecta, quæ habebant vim putrefaciendi virgas, & in ſerpentes conuertendi. Et alibi: [I] non fuit miraculum, ſed mirabile, quia citò fecerunt, quod natura tardius faceret.

I Apoc. 13. comment. 1. circa medium.

Hos magos nominat D. Paulus 2. ad Timotheum 3. dicens; *quemadmodum autem Iamnes & Mambres restiterunt Moyſi*: quod forte [L] habuit ex aliquibus verbis Iudæorum, inquit Angelicus; non enim alicubi in veteri teſtamento exprimuntur. Quocirca Numenius Pythagoricus in 3. volumine de bono inquit, *Iannes & Labres Ægypty erant viri, magicis artibus adeò præpotentes, vt Muſæo Iudæorum Duci, viro, Deo, coniunctiſſimo, ſoli reſiſtere poſſe, à cunctis Aegyptijs iudicati ſint*. Quod refert Euſebius de Præparatione Euangelica lib. 9. c. 3.

L 2. Timoth. 3. l. 2.

VERSVS XII. *Proiecerunt que ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones: ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum.*

Doctrinam hæreticorum vinci per veram doctrinam, norunt fideles: hoc eſt præfiguratum in facto, quo virga [M] Moyſi deuorauit virgas magorum. Arridet myſtice ſenſus; quia vt virga coercentur homines, doctrina ita vera vel falſa flectuntur animi.

M Apoc. 9. vtroque commentario non longe ab initio.

VERSVS XX. *Feceruntque Moyſes & Aaron, ſicut præceperat Dominus: & eleuans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in ſanguinem.*

Poſtquam ad minitantis atque terrefacientis virgæ viſum, non reſipiſcit Pharao: quo dignoſcatur, vnde flagellum Dei peccatores pupiat, ad ſanguinis portentum venitur. *Tolle virgam*, iubet Dominus; vellet ſiquidem, à facie illius etiam de longe inſpectæ, fugeret impius: cupit vt aſpiciat Cœlum: eum eleuatam ſuſpicit virgam; *& eleuans virgam*: atqui, *oculus Iacob in terra*; Deuter. 33. *Adhæſit pauimento anima eius* pſ. 118. Sanguis peccatum [N] ſignificat, ratione infectionis, ratione horroris, ratione ſigni mortis; quia peccatum turpiter inficit, horribile eſt, & ſignum eſt mortis ſpiritualis; immò, & cauſa, Oſeæ 4. *ſanguis ſanguinem tetigit*. Alto igitur conſilio fit per Moyſen à Deo prodigium in ſanguine. Patratur autem in flumine, quia radix peccati Pharaonis, falſa fuit doctrina, acquieſcens enim magis ſuis, Deum verum non coluit. Sicque ad futura trahendo ſacram literam, per flumina [O] hæretici intelligi poſſunt; per errata abundanter & turbidè fluentes; quibus ſanguis ſuccedit, ideſt damnatio horribilis infertur; ſanguis enim & mortem indicat & horrorem. Vel ſanguis ideo dicitur damnatio; quia infertur quibuſdam pro ſanguine, quem effuderunt, corporaliter vel ſpiritualiter; ſcilicet occidendo corpora, vel animas; vt tangit hic gloſſa. Quod etiam expendit S. Doctor in 1. Commentario Apocalypſis c. 16.

N Apoc. 8. comm. 2. ibi tertia pars maris ſãguis; & c. 14. ad calcem.

O Apoc. 16. comment. 2. ibi ſuper flumina, &c.

Hic tamen recoli oportet, quod ait Auguſtinus, reſpondens [P] quibuſdam, qui volebant accipere numerum perſecutionum, quas paſſa & paſſura eſt Eccleſia, ſecundùm numerum plagarum Ægypti; Ego per illas res geſtas in Ægypto iſtas perſecutiones propheticè ſignificatas eſſe non arbitror: quamuis ab eis, qui hoc putant, exquiſitè & ingenioſè illa ſingula, his ſingulis comparata videantur: non prophetico ſpiritu, ſed coniectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum peruenit; aliquando fallitur. Subdit autem S. Doctor; & ſimiliter videtur eſſe de dictis Abbatis Joachim, qui per tales coniecturas, de futuris aliqua vera prædixit: & in aliquibus deceptus fuit.

P 4. 45. 1. 3. 2. 1. & Op. 19. c. 24.

VERSVS XXII. *Feceruntque ſimiliter malefici Aegyptiorum, incantationibus ſuis.*

In aliqua aquæ portione ſimile patraſſe prodigium, vel ex eo colligitur, quòd fluuialis aqua præconuerſa fuerat in ſanguinem per Moyſen: vnde & *foderunt omnes Aegyptij per circuitum fluminis aquam, vt biberent* v. 24.

CAPVT VIII.

1 Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum:
Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi: 2 ſin autem
nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. 3 Et ebul-
liet fluuius ranas, quæ aſcendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui,
& ſuper ſtratum tuum, & in domos ſeruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos
tuus, & in reliquias ciborum tuorum: 4 & ad te, & ad populum tuum, & ad omnes ſeruos
tuos intrabunt ranæ. 5 Dixitque Dominus ad Moyſes: Dic ad Aaron: Extende manum
tuam ſuper fluuios ac ſuper riuos, & paludes, & educ ranas ſuper Terram Aegypti. 6 Et
extendit Aaron manum ſuper aquas Aegypti, & aſcenderunt ranæ, operueruntque Terram
Supr. 17. b. 7. Aegypti. Fecerunt autem, & malefici per incantationes ſuas ſimiliter, eduxeruntque ranas
ſuper terram Aegypti. 8 Vocauit autem Pharao Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Orate
Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt ſacrificet Do-
mino. 9 Dixitque Moyſes ad Pharaonem: Conſtitue mihi quando deprecer pro te, &
pro ſeruis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à ſeruis tuis, & à po-
pulo tuo, & tantum in flumine remaneant. 10 Qui reſpondit: Cras. At ille: Iuxta, in-
quit, verbum tuum faciam: vt ſcias quoniam non eſt ſicut Dominus Deus noſter. 11 Et re-
cedent ranæ à te, & à domo tua, & à ſeruis tuis, & à populo tuo: & tantum in flumine re-
manebunt. 12 Egreſſique ſunt Moyſes, & Aaron à Pharaone: & clamauit Moyſes ad Do-

minum

minum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni. 13 Fecitque Dominus iuxta
verbum Moysi: & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. 14 Congrega-
ueruntque eas in immensos aggeres, & computruit terra. 15 Videns autem Pharao quod
data esset requies ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus. 16
Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute
puluerem terræ: & sint sciniphes in vniuersa terra Aegypti. 17 Feceruntque ita. Et exten-
dit Aaron manum, virgam tenens: percussitque puluerem terræ, & facti sunt sciniphes in
hominibus, & in iumentis: omnis puluis terræ versus est in sciniphes per totam Terram
Aegypti. 18 Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes,
& non potuerunt: erantque sciniphes tam in hominibus, quam in iumentis. 19 Et dixerunt
malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic, induratumque est cor Pharaonis, & non au-
diuit eos sicut præceperat Dominus. 20 Dixit quoque Dominus ad Moysen: Consurge
diluculo, & sta coram Pharaone: egredietur enim ad aquas: & dices ad eum: Hæc dicit
Dominus: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. 21 Quod si non dimiseris eum,
ecce ego immittam in te: & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne
genus muscarum, & implebuntur domus Aegyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa
terra in qua fuerint. 22 Faciamque mirabilem in die illa Terram Gessen, in qua populus
meus est, vt non sint ibi muscæ: & scias quoniam ego Dominus in medio terræ. 23 Ponam-
que diuisionem inter populum meum, & populum tuum: cras erit signum istud. 24 Fecit-
que Dominus ita. Et venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in Sap. 16. b.6.
omnem Terram Aegypti: corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis. 25 Vocauitque
Pharao Moysen, & Aaron, & ait eis: Ite, & sacrificate Deo vestro in terra hac. 26 Et ait
Moyses. Non potest ita fieri: abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino
Deo nostro? quod si mactauerimus ea, quæ colunt Aegyptij coram eis, lapidibus nos ob-
ruent, 27 Viam trium dierum pergemus in solitudinem; & sacrificabimus Domino Deo
nostro sicut præcepit nobis. 28 Dixitque Pharao: Ego dimittam vos vt sacrificetis Domi- Sap. 3. d. 12.
no Deo vestro in deserto: veruntamen longius ne abeatis, rogate pro me. 29 Et ait Moy-
ses: Egressus à te, orabo Dominum: & recedet musca à Pharaone, & à seruis suis, & à po-
pulo eius; cras veruntamen noli vltra fallere, vt non dimittas populum sacrificare Domino.
30 Egressusque Moyses à Pharaone, orauit Dominum. 31 Qui fecit iuxta verbum illius:
& abstulit muscas à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius: non superfuit ne vna quidem.
32 Et ingrauatum est cor Pharaonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum.

Postquam impleti sunt septem dies à fluminis percussione, vt legitur in fine capitis præcedentis, vt septenarij numeri mysterio, tempus dedisse Pharaoni Deum, quo pæniteret, tandem innotescat; ad secundam plagam acceditur, quæ fuit ranarum immensa, ac infesta copia. Sic supra cap. proximo, bis, *quadraginta annorum erant Moyses, & Aaron, quando locuti sunt ad Pharaonem*: quo innui videtur tempus pœnitentiæ ei duplum indulsisse: at perperam indurato cordi.

VERSVS VI. *Et extendit Aaron manum super aquas AEgypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram AEgypti.*

Sanctus Doctor Apocalypsis 16. ad illa verba, *& de ore pseudoprophetæ tres spiritus immundos in modum ranarum*; [A] inquit, quia dæmones importunius garrulant in cordibus multorum, persuadendo fortiter errores per se, & per alios hæreticos garrulatores; & mentis quietem auferunt, & morantur in locis lutosis, & immundis, vt ranæ: fertque præsentem locum Exodi. Quomodo aduersùm Dominum, atque contra Moysen blaterarent impia ineptaque garrulitate, indicat secunda hæc plaga.

A Apoc. 1. comentar.

VERSVS XVIII. *Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque puluerem terræ, & facti sunt Sciniphes in hominibus, & in iumentis: omnis puluis, &c.*

Cubex latinè: de huius genere sunt *Syniphes* græcè: quorum quidam sunt subtilis adeo, & minuti corpusculi, vt vix acie cernantur; & tamen acerbè stimulo infestant; sic post ranarum multitudinem, innumera eiusmodi culicum agmina peruaserunt Ægyptios. Legunt alij *Cynyphes*: de quibus Folengius in Psalm. 105. *pediculi sunt; vnde morbus est pedicularis, morborum omnium turpissimus.*

Tertium hoc signum patrare nequiuerunt eorum magi, eousque potentes, & sapientes: quocircà ait glossa; *magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, quia Philosophi non peruenerunt ad notitiam personæ tertiæ*, scilicet Spiritus-Sancti; licèt enim appropriata tribus personis cognouerint, potentiam sapientiam & bonitatem; [B] tamen bonitatem quantùm ad potissimum effectum ipsius, nimirùm quantùm ad incarnationem, & redemptionem non cognouerunt. Vel quia à bonitate deuiauerunt, dum [C] cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, vt dicitur, Rom. 1. Sic Platonici, quamuis ponerent *Patrē, mentem*, & tertiam substantiam, quam dicebant *animam Mundi*, vt patet per Macrobium; quia tamen non ponebant aliquid Spiritui Sancto simile, sicut Patri, & Filio: anima enim mundi non est nexus illorum duorum secundùm eos, sicut Spiritus Sanctus Patris, & Filij; ideò dicitur in tertio signo defecisse, idest, in cognitione tertiæ personæ. Ita ex op. 70. citato; Sic Roman. 1. l. 6. in fine, dicuntur defe-

B p.1.1-4. & op. 70. q. 1. a. 4. ad 8. Roman. 1. l. 6.
C p.p. 32. 1.1.

cisse

cisse in tertio signo, ideſt in Spiritu-Sancto: quia non posuerunt aliquid respondere Spiritui-Sancto: ſicut poſuerunt aliquid reſpōdere Patri, ſcilicet ipſum primū principium: & aliquid reſpōdere Filio, ſcilicet primam mentem creatam, quã vocabant paternum intellectum, vt Macrobius dicit in lib. ſuper ſomnium Scipionis. Forte neſcientes, quid dicerent, ſicut Caiphas, dixerunt Pharaoni, digitus Dei eſt hic. Digitus ſtat pro Spiritu Sancto. Voluit tamen Dominus ad literam, vt re in minima deficerent, quo & Ægyptijs, & Orbi toti palam fieret, à ſe ſolo pendere omnia, nec ſine Creatoris nutu, vel permiſſu, quidpiam etſi minimum edi poſſe.

3 VERSVS XXIV. *Et venit muſca grauiſsima in domo Pharaonis*, &c.

D Apoc. 8. comm. 2. ibi, tertia pars creaturæ.

Singulare ponitur pro plurali, ideſt [D] multiplicitas muſcarum grauiſſimarum: hinc legunt Septuaginta; *& venit muſca canina, multitudo*: ſicut in Pſalmo 104. legitur *venit cœnomyia*. Sumitur autem apud profanos pro impudente; eſtque græcis nomen *cynomyia* formatum à *Cane*, & *Muſca* impudentiæ paris. Idem Folengius, Hebræis tradit, eſſe omne genus volatilium, inſectorumque venenatorum. Inquit Haymo pſ. 104. *Cynomya, ideſt, Muſca canina, & cyniphes, ideſt culices, qui intrabant in oculos.*

Et ſi roges, cur in tertio ſigno defeciſſe magos, trahatur ad Spiritus-Sancti cognitionem à gloſſa? Reſpondeo, non perperam, quia, cum agitur de eductione ſpiritali ex Ægypto, & Pharaone inferni: quod Incarnationis myſterio, Deique bonitate, ac amore factum eſt, incredulorum, & infidelium malitia in Spiritu-Sancto, deficit, ſecundùm illud etiam 1. Cor. 12. *nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi Spiritu-Sancto.* Quoniam autem ſcriptum eſt, vt fertur 1. Cor. 1. *perdã ſapientiã ſapientũ, & prudentiã prudentiũ reprobabo*, ſigno huiuſmodi meritò perturbãtur. Nec ipſi valent è cõtra vices reddere; iuxta quod Luc. 21. ait Dominus: *Ego enim dabo vobis os, & ſapientiã, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Sic Act. 6. *diſputãtes cum Stephano, non poterant reſiſtere Sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.* Cùm enim conſpexiſſent AEgyptij ſe impotes ad ſciniphum productionem, dialecticis quaſi eluſi argutijs, & philoſophicis ſophiſmatum conatibus; (quæ animaliuſculis ijs ſignificantur) propudui, & effrontes, adhuc cum Pharaone obſtinati iram diuinam prouocant, alias ad plagas.

VERSVS XXVI. *Non poteſt ita fieri: abominationes enim AEgyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro.*

Oues hirci & boues apud AEgyptios abominabiles erant [E] ad occidendum, vnde ea non offerebant in ſacrificium Dijs ſuis. Oues enim colebant: hircos venerabantur; quia in eorum figura dæmones apparebant: bobus etiam vtebantur ad agriculturam, quam inter res ſacras habebant: idcircò ad excludendam idololatriam AEgyptiorum, cum quibus conuerſati erant, cœperunt eiuſmodi ſacrificiorum cæremonialia apud Hebræos.

E p. 2. 192. l. 2.

CAPVT IX.

1 Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum:
Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, vt ſacrificet
mihi: 2 Quod ſi adhuc renuis, & retines eos: 3 ecce manus mea erit ſuper
agros tuos: & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues, & oues, peſtis valde grauis.
4 Et faciet Dominus mirabile inter poſſeſſiones Iſrael, & poſſeſſiones Aegyptiorum, vt ni-
hil omninò pereat ex his, quæ pertinent ad filios Iſrael. 5 Conſtituitque Dominus tempus,
dicens: Cras faciet Dominus verbum iſtud in terra. 6 Fecit ergo Dominus verbum hoc
altera die: mortuaque ſunt omnia animantia Aegyptiorum: de animalibus verò filiorum
Iſrael nihil omninò perijt. 7 Et miſit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum
de his, quæ poſſidebat Iſrael. Ingrauatumque eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum:
8 Et dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpar-
gat illum Moyſes in cęlum coram Pharaone. 9 Sitque puluis ſuper omnem terram Aegy-
pti: erunt enim in hominibus, & iumentis vlcera, & veſicæ turgentes in vniuerſa terra Ae-
gypti. 10 Tuleruntque cinerem de camino, & ſteterunt coram Pharaone, & ſparſit illum
Moyſes in cęlum: factaque ſunt vlcera veſicarum turgentium in hominibus, & iumentis: 11
nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vlcera, quæ in illis erant, & in omni Ter-
ra Aegypti. 12 Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, ſicut locutus eſt
Dominus ad Moyſen. 13 Dixitque Dominus ad Moyſen. Mane conſurge, & ſta coram
Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum
meum, vt ſacrificet mihi. 14 Quia in hac vice mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum,
& ſuper ſeruos tuos, & ſuper populum tuum: vt ſcias quòd non ſit ſimilis mei in omni terra.
15 Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte, peribiſque de ter-
Rom. 9. d.17. ra. 16 Idcircò autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen
meum in omni terra. 17 Adhuc retines populum meum: & non vis dimittere eum? 18
En pluam cras hac ipſa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Aegypto à die,
qua fundata eſt, vſque in præſens tempus: 19 Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta
tua & omnia quæ habes in agro: homines enim, & iumenta, & vniuerſa, quæ inuenta fue-

rint

rint foris, nec congregata de agris, cecideritque ſuper ea grando, morientur, 20 Qui ti-
muit verbum Domini de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos, & iumenta in domos,
21 qui autem neglexit ſermonem Domini, dimiſit ſeruos ſuos, & iumenta in agris: 22 Et
dixit Dominus ad Moyſen: Extende manum tuam in cęlum, vt fiat grando in vniuerſa
Terra Aegypti ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem herbam agri in terra Ae-
gypti. 23 Extenditque Moyſes virgam in cęlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandi- Sap 16. c. 16. & 19. d.19.
nem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram: pluitque Dominus grandinem ſuper Terram
Aegypti. 24 Et grando & ignis mixta pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis,
quanta ante nunquam apparuit in vniuerſa Terra Aegypti, ex quo gens illa condita eſt. 25
Et percuſſit grando in omni Terra Aegypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine vſque
ad iumentum: cunctamque herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confre-
git. 26 Tantum in Terra Geſſen, vbi erant filij Iſrael, grando non cecidit. 27 Miſitque
Pharao, & vocauit Moyſen, & Aaron, dicens ad eos: Peccaui etiam nunc: Dominus iu-
ſtus: ego & populus meus, impij. 28 Orate Dominum, vt deſinant tonitrua Dei, & gran-
do: vt dimittam vos, & nequaquam hic vltra maneatis. 29 Ait Moyſes. Cum egreſſus
fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & ceſſabunt tonitrua, & grando non
erit, vt ſcias quia Domini eſt terra: 30 noui autem, quòd & tu, & ſerui tui necdum timea-
tis Dominum Deum. 31 Linum ergo, & hordeum læſum eſt, eo quòd hordeum eſſet vi-
rens, & linum iam folliculos germinaret: 32 triticum autem, & far non ſunt læſa, quia
ſerotina erant. 33 Egreſſuſque Moyſes à Pharaone ex vrbe, tetendit manus ad Dominum:
& ceſſauerunt tonitrua, & grando, nec vltra ſtillauit pluuia ſuper terram. 34 Videns au-
tem Pharao, quòd ceſſaſſet pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum: 35 & ingra-
uatum eſt cor eius, & ſeruorum illius, & induratum nimis: nec dimiſit filios Iſrael, ſicut præ-
ceperat Dominus per manum Moyſi.

TRes plagas Ægyptiis inflictas memorat in hoc capite Moyſes: prima eſt ſuper animalia, quæ licèt à Septuaginta Interpretibus, dicatur *mors magna valdè*; Chaldæus tamen legit *peſtis grandis nimis*; & noſter, *peſtis valde grauis*: ex qua, *mortua ſunt omnia animantia ÆEgyptiorum*. Vnde cùm paulo poſt iterùm in iumentis *vlcera, & veſicæ*, oborta ſint: & adhuc verſu 25. dicantur percuſſa grandine in agris, videtur ex neceſſitate inferri, aliunde ſibi prouidiſſe Pharaonem; vel de Hebræorum armentis, in ſe, & in ſuos conuertiſſe: hæ ſiquidem, & ſequentes plagæ, etſi non anni integri ſpatium compleuerint, quod opinantur nonnulli, à medio Ianuarij forſan, vſque ad dimidium Martij afflixerunt Ægyptios; vt apud Tirinum videre eſt cap. 8.

Verùm quoniam iuxtà menſuram delicti, ſeu *pro menſura peccati erit*, ait Dominus, *& plagarum modus*, Deut. 25. cùm in omnia Ægyptiorum animantia animaduerterit peſtis, credendum eſt huiuſmodi excogitaſſe vltionem clementiſſimum Dominum, vt oculos aperiret pœna, quos clauſerat culpa; vtque pœniteret Ægyptios de ſcandalizatis minoribus, ac ſimplicioribus; qui apprimè per animalia ſignificantur rudiora; idem enim primis territa plagis, plebs reuerſa fuiſſet ad cor, niſi maiorum ſapientumque praua doctrina, & exemplum, offendiculum quo corrueret, appoſuiſſent.

VERSVS IX. *Sitque puluis ſuper omnem terram ÆEgypti; erunt enim in hominibus, & iumentis vlcera, & veſicę in vniuerſa terra ÆEgypti.*

Scientia ſi ſola eſt, inflat; vnde, qui ſine
A 1. Cor. 13.1. charitate illam habent, [A] inutiliter habent. Philoſophus etiam dixit; *ſcire aut nihil, aut parùm prodeſt ad virtutem*: hæc fuit plaga Ægyptiorum, ideſt ſapientum huius mundi, *veſicæ turgentes. Quid tenderis ſanies fætida, quid inflaris? quid tumeſcis puluis morticinus?* En literæ germana expoſitio. Extollitur puluis, ciniſque de camino ſpargitur in Cœlum, cum ſuperbit homo; puluis & cinis. At quoniam *initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo*, Eccleſ. 10. induratur permiſſiuè, & prout ſuprà expoſitum eſt, cor Pharaonis, vt legitur hic v. 12. & verſu 7. *ingrauatur*: ex quo innoteſcit, qua verborum proprietate fulgeat Sacra Scriptura; de quo ad caput 4. v. 21. ſatis. Reuocabitur textus iſte in memoriam, Deuteronomij 28. verſu 27.

VERSVS XVI. *Idcircò autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.*

Hæc iubetur Moyſes dicere ad Pharaonem. 1
D. Paulus ſcripturam hanc refert Romanorum 9. ſub his verbis, *quia in hoc ipſum excitaui te*, (vel *ſeruaui te*; ſecundùm aliam literam ait D. Thomas) *vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra*. Quod Exodi 9. apud Septuaginta ſic legitur; *& propter hoc ſeruatus es, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & vt narretur nomen meum in omni terra*. Ad quamuis autem literam ſatis accomodatur
ſancti Doctoris expoſitio dicentis, [B] *in hoc ip-* B Rom. 9.1.3.
ſum ſeruaui te, ideſt dignus eras mori propter mala quæ feceras; ſed tamen non tibi ſtatim mortem induxi, ſed ſeruaui te in vita: eo fine, qui ſequitur; *vt oſtendam*, &c. Et in hoc ſenſu poteſt legi quod dicitur, *excitaui te*; ideſt cum apud me pro tuis meritis mortuus eſſes, conceſſi tibi vitam, quaſi te excitarem. De reprobis autem exponit hæc D. Thomas; ſubditque: In quo apparet, quòd Deus iniquitatem reprobis non facit, cùm ipſi ſuis meritis eſſent digni ſtatim conſumi, ſed hoc ipſum, quòd eos ſeruat in vita, procedit ex nimia ſui bonitate. Alio modo poteſt intelligi, *excitaui te*, in peccatum, vt

deterior fias. Quod quidem non est intelligendum hoc modo, quòd Deus in homine causet malitiam; sed est intelligendum permissiuè, quia scilicet ex iusto suo iudicio, permittit aliquos ruere in peccatum, propter præcedentes iniquitates. Sicut suprà capite primo dictum est, *tradidit eos Deus in reprobum sensum*. Sed aliquid amplius videtur mihi (hæc adhùc Angelicus) in hoc, esse intelligendum; quia videlicet instinctu quodam interiori mouétur homines a Deo & ad bonum, & malum. Vnde Augustinus dicit in lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 20. quòd *Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum*. Vnde & Deus dicitur sæpius suscitare aliquos ad bonum, secundùm illud Danielis 13. *suscitauit Deus spiritum pueri iunioris*: dicitur etiam suscitare aliquos ad malum faciendum, secundùm illud Isaiæ 13. *suscitabo Medos, qui sagittis paruulos interficiant*. Aliter tamen ad bona, aliter ad mala: nàm ad bona inclinat hominum voluntates, directè, & per se; tanquam actor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines, occasionaliter: in quantum scilicet Deus homini, aliquid proponit, vel interiùs, vel exteriùs, quod quantū est de se, est inductiuum ad bonum; sed homo propter suam malitiam peruersè vtitur ad malum. Chaldaica habet: *verumtamen propter hoc sustinui te, vt ostenderem tibi fortitudinem meam: & vt narrent potentiam nominis mei in vniuersa terra*. Cogitur ergò gentilis, vel inuitus, sacros reuereri codices, in quibus, vel vnico verbo suppetit tam grauis materia theologizandi. Peculiari, & puriori instinctu excitat Dominus, ac homines ad malum. Hoc nouerat Dauid 1. Regum 26. dicens Saül. *Si Dominus incitat te aduersum me; odoretur sacrificium suum: si autem filij hominum; maledicti sunt in conspectu Domini*. Vide de hac materia, p. p. q. 49.

VERSVS XVIII. *En pluam cras, hac ipsa hora, grandinem multam nimis*.

Iam ad vltionem venturum se minatur Dominus: sed quàm suauis adhuc tempore vltionis! monet effugium, vt si qui timerent verbum Domini de seruis Pharaonis, vt nonnulli fuere, confugerent cum seruis suis, & iumentis in domos, & non perirent. Sapientiæ 8. *intrans in domum meam*. Qui reuertuntur ad cor, cum brutalibus seruilibusque affectionibus fugiunt irati numinis iram. Grando etiam facta est, inquit Ioannes in Apocalypsi, cap. 8. *Grando, & ignis*: pro qua sanctus Doctor, [c] intelligit ibi persecutionem Iudæorum in Apostolos, & in- C Apoc. 8. comm. 1.
teriorem eorumdem æmulationem. Sæuiebant Ægyptij persfeqnendo Iudæos; meritò grandine insolita puniuntur: ignisque pariter ferebatur, quia exardebant flamma inuida in Moysen atque Aaron. Fert textum hunc ibi Angelicus.

VERSVS XXXI. *Linum ergò, & hordeum læsum est, eoquòd hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret*.

Per hordeum intellige [D] fideles imperfe- 2 D Apoc. 6. comm. 1.
ctos, quippe, qui habeant paleam tenacem, idest temporalium amorem: per triticum perfectos accipias; & quia imperfecti scandaliaantur; perfecti verò non de facili ruunt, ideò legitur Exodi 9. quòd *hordeum læsum est*, eo quòd esset virens. Sane Isaiæ 18. habetur: *ante messem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit*. Quidam die vna aggrediuntur viam perfectionis improbo nisu, innouatæque vitæ fugacem spargunt odorem; at arescunt paulò post, quia non habuerunt humorem. Libet etiam linum in Ecclesiastici ordinis aptare ministros; *Linum fumigans non extinguet*, Isaiæ 42. Cum sollicat flatu ac tumore superbiæ; quid nisi de sursum proteri? *Omnia*, inquit Apostolus, *in figuram contingebant illis*. Vbi nota quòd panis hordeaceus significat [E] duritiem veteris legis, tùm propter E 3.p.74. 3.1.
duritiem panis; tùm etiam, quia vt Augustinus dicit in l. 83. q. 61. *hordei medulla, quæ tenacissima palea tegitur, vel ipsam legem significat, quæ ita data erat, vt in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur; vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tanquàm palea cordi eius inhærebat*. Quocircà in 1. Comm. Apocalypsis c. 6. Hordeum quod est cibus rusticorum, & iumentorum, & duritiam habet in cortice, sed medullam interiùs dulcem, significat veteris testamenti scripturam, quæ data est rudibus Iudæis, & exteriùs in litera prætendit duritiam, sed interiùs continet suauem intelligentiam. Per hordeum tandem significatur patientia. Ita S. Doctor Apocalyps. 1. Comm. cap. 2. ibi, *Scio tribulationem tuam*, ferens Ieremiam, c. 41. *thesaurum habemus in agro, frumenti, & hordei, & olei, & mellis*.

CAPVT X.

1 ET dixit Dominus ad Mòysen: Ingredere ad Pharaonem: ego enim indurau i cor
eius, & seruorum illius: vt faciam signa mea hæc in eo, 2 & narres in auribus filij
tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Aegyptios, & signa mea fecerim in
eis, & sciatis, quia ego Dominus. 3 Introierunt ergo Moyses, & Aaron ad Pharaonem,
& dixerunt ei. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: V∫ ueque non vis subijci mihi? di-
Sap.16.b. 19. mitte populum meum, vt sacrificet mihi. 4 Sin autem resistis, & non vis dimittere eum:
ecce ego inducam cras locustam in fines tuos: 5 quæ operiat superficiem terræ, ne quid-
quam eius appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini: corrodet enim omnia
ligna quæ germinant in agris. 6 Et implebunt domos tuas, & seruorum tuorum, & omnium
Aegyptiorum: quantam non viderunt patres tui, & aui, ex quo orti sunt super terram,
vsque in præsentem diem, Auertitque se, & egressus est à Pharaone. 7 Dixerunt autem
serui Pharaonis ad eum: vsquequò patiemur hoc scandalum dimittes? homines vt sacrificent

Do-

Domino Deo suo, nonne vide:, quod perierit Aegyptus? 8 Reuocaueruntque Moysen,
& Aaron ad Pharaonem: qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt,
qui ituri sunt? 9 Ait Moyses: cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filijs, &
filiabus, cum ouibus, & armentis: est enim solemnitas Domini Dei nostri. 10 Et respondit
Pharao. Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, & paruulos vestros, cui
dubium est quod pessimè cogitetis? 11 Non fiet ita: sed ite tantum viri, & sacrificate Do-
mino: hoc enim, & ipsi petistis. Statimque eiecti sunt de conspectu Pharaonis. 12 Dixit
autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super terram Aegypti ad locustam,
vt ascendat super eam, & deuoret omnem herbam, quæ residua fuerit grandini. 13 Et ex-
tendit Moyses virgam super terram Aegypti: & Dominus induxit ventum vrentem tota
die illa, & nocte: & mane facto, ventus vrens leuauit locustas. 14 Quæ ascenderunt super
vniuersam Terram Aegypti, & sederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles,
quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. 15 Operueruntque vniuer-
sam superficiem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quidquid po-
morum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat: nihilque omninò virens relictum est in li-
gnis, & in herbis terræ, in cuncta Aegypto. 16 Quam ob rem festinus Pharao vocauit
Moysen, & Aaron, & dixit eis. Peccaui in Dominum Deum vestrum, & in vos. 17 Sed
nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, vt aufe-
rat à me mortem istam. 18 Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, orauit Dominum.
19 Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum & arreptam locustam proiecit in
Mare rubrum: non remansit ne vna quidem in cunctis finibus Aegypti. 20 Et indurauit
Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel. 21 Dixit autem Dominus ad Moysen:
Extende manum tuam in cęlum, & sint tenebræ super Terram Aegypti tam densæ, vt pal-
pari queant. 22 Extenditque Moyses manum in cęlum: & factæ sunt tenebræ horribiles in
vniuersa Terra Aegypti tribus diebus. 23 Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de lo- Sap. 17. a. 2.
co, in quo erat: vbicumque autem habitabant filij Israel, lux erat. 24 Vocauitque Pharao Sap. 18. a. 1.
Moysen, & Aaron, & dixit eis: Ite, sacrificate Domino: oues tantum vestræ, & armenta
remaneant, paruuli vestri eant vobiscum. 25 Ait Moyses: Hostias quoque, & holocausta
dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro: 26 Cuncti greges pergent nobiscum:
non remanebit ex eis vngula: quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri: præsertim
cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perueniamus. 27 Indura-
uit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos. 28 Dixitque Pharao ad Moy-
sen: Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi
morieris. 29 Respondit Moyses: Ita fiet, vt locutus es, non videbo vltra faciem tuam.

VERSVS I. *Ego enim induraui cor eius & seruorum illius.*

Nec tamen Deus erat illis [A] causa peccandi.

A 1. cont. Gent. c. 162.

VERSVS IV. *Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos.*

Locustis comparantur hæretici & [B] pseudo-doctores. (tù Magis Aegyptiorum eorumque sectatoribus apta) quia nec volant per contemplationem, vel salubrem cogitationem; & non stant in vno loco propter instabilitatem. Item non diù volant, sed citò corruunt; atque etiam bonos, & bona aliorum spiritualium corrodunt detrahendo & impediendo; sic aiebat Apostolus Apocalypsis 9. *& de fumo putei exierunt locustæ.* Dicit autem *locustam*; singulare pro plurali, vt legitur etiam versu 19. & obseruat [C] Sanctus Thomas; *& arreptam locustam proiecit in mare rubrum*. Hinc.

B Apoc. 9. comm. secundò.

C Apoc. 8. comm. 1.

VERSVS XIV. *Quæ ascenderunt super vniuersam terram Aegypti, & sederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles.*

Super eos qui terram amant, quia [D] talibus nocet doctrina hæreticorum. Sanè nouissimè deprehensum est, an nostri temporis seducti ab hæreticis Luthero, & Caluino terram, hoc est, terrenas opes & carnis spurcitias ament: atqui faciet Deus aliquando flare ventum ab occidentali Ecclesia vehementissimum, qui arreptam locustam proijciet in mare rubrum, ruboris, & pœnitentiæ.

D Apoc. c. 8. cit.

Hæc est octaua Ægypti plaga, ad quam nisi resipiscant, quid superest nisi vt tenebris obuoluantur, ijsque densissimis, ceu quæ inferorum caligini præuiæ sunt? Sanè tropologicè exponi potest, quod dicitur Ecclesiastes 12. de canescente homine in peccato; *impinguabitur locusta*: propterea in finibus Ægypti est locusta, quia in fine, tot post Dei monita, nec salientis motum locustæ ad cœlum versus, tunc datur edere, cum crura, fortitudinis symbola, in senectute tumentia, in imo vna cum corpore animam figunt.

VERSVS XXI. *Dixit autem Dominus ad Moysen; extende manum tuam in cœlum, & sint tenebræ &c.*

Tam densæ vt palpari queant, subiecit Dominus; & mirificè describuntur Sapientiæ 17. De tenebris ignorantiæ [E] congruè exponitur. Sed etiam in futurorum figuram; Moyses enim extendit manus suas in Cœlum tribus horis, & factæ sunt tenebræ horribiles tribus diebus: sic Christus in cruce expandit manus suas, & factæ sunt [F] tenebræ tribus horis, ad signandum quòd priuati erant lumine Trinitatis. Cerno equidem diuinæ Omnipotentiæ quæ Patri appropriatur eos reluctari; Sapientia quæ Filio, abuti; & Bo-

E Apoc. 2. comm. 1. ibi & pedes eius.

F Math. c. 17.

nitati Spiritus Sancti infensos obdurari, meritò tenebræ & caligo densissima eosdem innoluunt. Sic apud Ecclesiasten citatum recolo prædicari, *memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, antequam tenebrescat Sol, & lumen, & Luna, & Stellæ.* cæcitas de qua dicitur Isaiæ 6. *excæca cor populi huius*, de maximis Dei flagellis est; rogat ideò Ecclesia enixè, *à cæcitate cordis libera nos Domine.*

Caueant fideles, quod ait Bernardus, duas esse caliginis tenebras, iram molliore mque affectum; nec quod cupiunt, sibi tam facilè crassa minerua suadeant; caueant Ecclesiastici in diiudicando hoc vel illo ad Prælaturas digniorem, quia sæpe fallimur dicentes, *malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Isaiæ 5.

CAPVT XI.

1 ET dixit Dominus ad Moysen: Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & Aegy- (margin: ...pr. 3. g. ...)
ptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet. 2 Dices ergo omni plebi, vt (margin: ...fr. 12. c. ...)
postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea, & aurea. 3 Da- (margin: ...ccl. 45. ...)
bit autem Dominus gratiam populo suo coram Aegyptijs. Fuitque Moyses vir magnus val-
dè in terra Aegypti, coram seruis Pharaonis, & omni populo. 4 Et ait. Hæc dicit Domi-
nus: Media nocte egrediar in Aegyptum: 5 & morietur omne primogenitum in Terra
Aegyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum
ancillæ, quæ est ad molam, & omnia primogenita iumentorum. 6 Eritque clamor magnus
in vniuersa Terra Aegypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est. 7 Apud omnes au-
tem filios Israel non mutiet canis ab homine vsque ad pecus: vt sciatis quanto miraculo di-
uidat Dominus Aegyptios, & Israel. 8 Descendentque omnes serui tui isti ad me, & ado-
rabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus, qui subiectus est tibi: post hæc egre-
diemur. 9 Et exiuit à Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen: Non
audiet vos Pharao, vt multa signa fiant in Terra Aegypti. 10 Moyses, autem & Aaron
fecerunt omnia ostenta, quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et indurauit Dominus cor Pha-
raonis; nec dimisit filios Israel de terra sua.

VERSVS I. *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Aegyptum.*

Quoniam vt dicitur sapientiæ 11. *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, possunt plagæ omnes quibus tacta est Ægyptus, ad illorum demerita adamussim referri; vnde sap. 19. *iustè enim patiebantur secundum suas nequitias.* Ægyptij fuderunt infantium sanguinem, Hebræorum natos demergentes in Nilo; Deus Nili aquam in Sanguinem transmutauit. Ægyptij obsurduere innocentium tot vagitibus, & lachrymis Hebræorum: Deus infesta ranarum coaxatione perturbat. Ægyptij laboribus flagellisque duris nulla permissa quiete populum angunt: sciniphes immittuntur, & muscæ, quæ non sinant quiescere. Ægyptij pecudes, & iumenta Hebræis abstulerant, ijs etiam, oneribus, & sarcinis tanquam iumentis abusi: par redditur meritò pæna immissa peste. Ægyptij verberibus vibicibusque Hebræorum carnem contuderant; vlcere pessimo vesicisque iustè laboraut. Ægyptij conuitia, minas & percussiones coacernarunt Hebræis; Dominus vicissim grandinibus eos & illorum mancipia, & sata prosternit. Studuere iniquissimè Ægyptij Hebræorum oppressione res suas augere: minuuntur & disperguntur cuncta locustis. Retinent quasi cæco carcere obscura seruitute liberum populum. Dominus eos tenebris loco figit. Ægyptij denique Israeliticum genus, Dei filium agnoscere nolunt; primogenitum quidem, vt dicitur Exodi 4. Deus in pænam illorum primogenitos necat; peruicaces, & impios, quod in profundum venerint perditurus profundo maris. Sapientiæ citato 11. & 16. pulchra dicuntur.

VERSVS II. *Dices ergò omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa, argentea, & aurea.*

Subripiunt mutuata Ægyptiorum vasa absque furti labe, quoniam [A] cum furtum sit acceptio rei alienæ, vbi, ex mandato Dei subripitur aliquid, non accipitur absque voluntate Domini; Deus enim vniuersorum dominus est; & ipsius sunt omnia. Et ideò quando filij Israel præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei vt ait S. D. p. 2. 100. 8. 3. & 22. 66. 5. 1. nec non q. 104. 4. 2. & de malo q. 13. a. 4. ad 20. ac q. 15. 1. ad 8. quocirca & in 3. distinct. 37. q. 1. a. 6. ad 1. tangit extorsisse Iudæos ab Ægyptijs spolia tanquam ab iniustè possidentibus, quæ in mercedem laboris, ipsis debebantur.

(margin: 1 A p. 2. 94. 5. 2.)

CAPVT XII.

1 DIxit quoque Dominus ad Moysen, & Aaron in Terra Aegypti: 2 Mensis iste,
vobis principium mensium primus erit in mensibus anni. 3 Loquimini ad vni-
uersum cętum filiorum Israel, & dicite eis: Decima die mensis huius tollat v-
nusquisque agnum per familias, & domos suas. 4 Sin autem minor est numerus, vt suffi-
cere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suæ, iuxta

nume-

numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. 5 Erit autem agnus absque ma-
cula, masculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hædum. 6 Et seruabitis eum vs-
que ad quartam decimam diem mensis huius: immolabitque eum vniuersa multitudo filio-
rum Israel ad vesperam. 7 Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrunque postem,
& in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. 8 Et edent carnes nocte illa
assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. 9 Non comedetis ex eo crudum quid,
nec coctum aqua, sed tantum assum igni: caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis. 10
Nec remanebit quidquam ex eo vsque mane, si quid residuum fuerit, igne comburetis. 11
Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus
tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Phase (id est transitus) Do-
mini. 12 Et transibo per Terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum
in Terra Aegypti, ab homine vsque ad pecus: & in cunctis dijs Aegypti faciam iudicia, ego
Dominus. 13 Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo san-
guinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero Terram
Aegypti. 14 Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eum solemnem
Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. 15 Septem diebus azyma comede-
tis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermenta-
tum, peribit anima illa de Israel, à primo die vsque ad diem septimum. 16 Dies prima erit
sancta, atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis: nihil operis facietis in
eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. 17 Et obseruabitis azyma: in eadem enim
ipsa die educam exercitum vestrum de Terra Aegypti, & custodietis diem istum in genera-
tiones vestras ritu perpetuo. 18 Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam co- Leu.23.a.
medetis azyma vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam. 19 Se- Num.28.
ptem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, c.16.
peribit anima eius de cœtu Israel, tam de aduenis, quam de indigenis terræ. 20 Omne fer-
mentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma. 21 Vocauit autem Hebr.11.
Moyses omnes seniores filiorum Israel, & dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias ve- c.28.
stras, & immolate Phase. 22 Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine,
& aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium do-
mus suæ vsque mane. 23 Transibit enim Dominus percutiens Aegyptios: Cumque
viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non
sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere. 24 Custodi verbum istud legitimum
tibi, & filijs tuis vsque in æternum. 25 Cumque introieritis terram, quam Dominus datu-
rus est vobis, vt pollicitus est, obseruabitis ceremonias istas. 26 Et cum dixerint vobis filij
vestri: Quæ est ista religio? 27 dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transi-
uit super domos filiorum Israel in Aegypto percutiens Aegyptios, & domos nostras libe-
rans. Incuruatusque populus adorauit. 28 Et egressi filij Israel fecerunt sicut præceperat
Dominus Moysi, & Aaron. 29 Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus om-
ne primogenitum in Terra Aegypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat,
vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Sap.18.b.
30 Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Aegyptus: & ortus est cla- 5.&11.b.
mor magnus in Aegypto: neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus. 31 Voca- 15.
tisque Pharao, Moyse, & Aaron nocte, ait: Surgite, & egredimini à populo meo, vos &
filij Israel: ite, immolate Domino sicut dicitis. 32 Oues vestras, & armenta assumite, vt
petieratis, & abeuntes benedicite mihi. 33 Vrgebantque Aegyptij populum de terra exire
velociter, dicentes: Omnes moriemur. 34 Tulit igitur populus conspersam farinam an-
tequam fermentaretur, & ligans in pallijs, posuit super humeros suos. 35 Feceruntque
filij Israel sicut præceperat Moyses: & petierunt ab Aegyptijs vasa argentea, & aurea, ve- Supr.c.11.
stemque plurimam. 36 Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptijs, vt com- a.2.
modarent eis: & spoliauerunt Aegyptios. 37 Profectique sunt filij Israel de Ramesse in
Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum absque paruulis. 38 Sed & vulgus promi-
scuum innumerabile ascendit cum eis, oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa
nimis. 39 Coxeruntque farinam, quam dudum de Aegypto conspersam tulerant, & fece-
runt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari cogentibus exire Aegy-
ptijs, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare.
40 Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Aegypto fuit quadringentorum tri-
ginta annorum. 41 Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de
terra Aegypti. 42 Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de Terra Aegy-
pti; hanc obseruare debent omnes filij Israel in generationibus suis. 43 Dixitque Dominus

ad Moysen. & Aaron: Hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo. 44
Omnis autem seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet. 45 Aduena, & mercenarius
non edent ex eo. 46 In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os
illius confringetis. 47 Omnis cętus filiorum Israel faciet illud. 48 Quòd si quis peregri-
norum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur priùs
omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit: eritque sicut indigena terræ; si quis autē circū-
cisus non fuerit, non vescetur ex eo. 49 Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregri-
natur apud vos. 50 Feceruntque omnes filij Israel, sicut præceperat Dominus Moysi, &
Aaron. 51 Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Aegypti per turmas suas.

Num. 9. b. 12. Iof. 19. f. 16.

VERSVS II. *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni.*

1 Quoniam agitur figuratè de salutari mundi renouatione; hoc mense, quo creditur fuisse creatus, restaurandus, per agni Sacramentum decernitur: Hebræi enim [A] incipiunt annum & mensem in lunatione Aprilis, quę incipit semper in Martio, nisi impediat embolismus, vt legitur in hoc cap. versu 18. Mirabitur autem quispiam, cur Dominus quintadecima luna iusserit celebrari Pascha; atqui vt natura gratiæ ministret, sciendum quod recolit Beluacensis in speculo doctrinali libro 10. cap. 182. nimirum ad fabricam nauium præcipuè obseruandum esse, vt arbores, ex quibus extruendæ sunt naues, à luna quintadecima vsque ad secundam suprà vigesimam præcidantur; sic enim cæsa materies immunis seruatur à carie: reliquis autem diebus, præcisa ligna etiam eodem anno, interna vermium labe exesa in puluerem vertuntur: Quod præter omnium architectorum doctrinam, quotidianus vsus edocuit, & contemplatione ipsius Religionis agnoscimus, quam pro æternitate his tantum diebus placuit celebrari.

A Hebr. 9.1.2.

VERSVS III. *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel &c.*

2 Quoniam tempore Moysis iam fides ad talem diffusionem deuenerat, vt non solùm in vno homine refulgeret vel in familia, sed in vna tota gente, populo Dei multiplicato, ideò oportuit & legem dari, quæ non nisi populo ferri potest: (vnde legis positio, est pars politicæ, non œconomicæ vel monasticæ), & Sacramenta in [B] speciali determinari, & multiplicari. Inter quæ præcipuum tenet locum Paschalis agni conuiuium. [C] Itaque decima die mensis iubetur vnusquisque tollere agnum per familias, & domos suas. Decem constant familiam.

B 4. 1. 1. 2.4.
C p. 2. 102.5.3.

VERSVS IV. *Si autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum: assumet vicinum suum.*

3 Ad pauperum succurrendam inopiam præceptum est; non enim valebat quisque agnum emere; idcircò prouidit vt hædum, minoris pretij; quare cum præcipit assumi vicinum, de propinquiori indigena intelligitur; sicque fiebat, vt superflua pauperibus erogarentur; amoris argumenta micarent, foueretur humilitas, quæ inopes ad mensam cogeret; & denique, ne si multum superesset de agno aut hædo, vltra residuum accidentarium igne comburendum, quidquam de Deo oblatis, remaneret in manu extraneorum. Quoniam verò, Ægyptij vt dictum est [D] hircos venerabantur, & oues colebant, & abominabiles erant ad occidendum; ad Idololatriæ expunctionem, inhibentur mactari & offerri: Et sic ratio quoque literalis, ex qua iussum est Hebræis, vt linirent superliminaria domorum, fuit vt quasi protestarentur se recedere, non tam à materiali habitatione, quàm [E] à ritibus Ægyptiorum colentium arietem.

D p. 2. 102.3.2.
E p. 2. 102.3.2.

VERSVS VI. *Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius: immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel.*

4 Vespere, ritu Iudaico incipiebat solemnitas omnis; quoniam lunares dies, signat exoriens luna, vespere non mane. Sic Christus Dominus celebrauit Pascha, cum discipulis suis, de quo [F] pluties S. Doctor. Decima ergò die, ex quo numero perfectio vndaquaque relucet, tollitur agnus aut hoedus; & quartadecima, ratione superius tacta, Deo immolatur.

F p. 46.9. & q. 74.4. in Matth. & Ioanne ac op. 15 antepenultimo.

VERSVS VII. *Et sument de sanguine eius &c.*

Libetantur per sanguinis agni aspersionem, vel linitionem in postibus domorum à periculo exterminij, quod imminebat; Ægyptijs, arietem immò colentibus, nefasque arbitrantibus occidi. Et ideò præceptum est eis, vt sanguine agni linirent superliminaria domorum, quasi protestantes, se recedere à ritibus ipsorum. Literaliter, quæ multa sequuntur exponit Angelicus. [G] In illo enim exitu de Ægypto duo fuerunt, scilicet festinantia ad egrediendum; impellebant enim eos Ægyptij vt exirent velociter: imminebatque periculum ei, qui non festinaret exire cum multitudine, ne remanens occideretur ab Aegyptijs. Festinantia autem designabatur dupliciter: vno quidem modo per ea, quæ comedebant; præceptum enim eis erat, quòd comederent panes azimos, in huius signum, quod non poterant fermentari, cogentibus exire Aegyptijs; & quòd comederent assum igni, sic enim velocius præparatur: & quod os non comminuerent ex eo; quia in festinantia non vacat ossa frangere. Veruntamen, ne ex tali festinantia, iustam coctionem omitterent, adiecit, (me iudice) *non comedetis ex eo crudum quid*: quo pacto crudos appellamus fructus, qui plenam non sunt assecuti maturitatem. Eò tendere videtur etiam quod sequitur, *caput cum pedibus, & intestinis vorabitis*, idest auide illa de causa sumetis.

G p. 2. 102.5.2.

5 Pergit S. Doctor subindè quantùm ad modum comedendi festinantiam enucleare. *Renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter*; quod manifestè designat homines, existentes in promptu itineris. Ad idem etiam pertinet, quod eis præcipitur: *in vna domo comedetis, neque feretis de carnibus eius foras*; quia scilicet propter festinantiam; non vacabat inuicem mit-

tere Xenia. Amaritudo autem quam passi fuerant in Ægypto, significabatur per lactucas agrestes. (amaræ sunt instar cichoriorum) Eadem ergo nocte, ante exitum filiorum Israel, mandauit illis Dominus immolari agnum, & de sanguine eius vtrumque postem, & superliminare liniri; carnes eius assas &c. comedi; & hoc [H] vocabatur Pascha, scilicet esus agni, & effusio sanguinis, quæ duo concurrebant ad transitum illum, quem facturi erant in proximo. Prima origo huius vocabuli Pascha [I] ex Hebræo habetur; Pascha enim dicitur quasi Phase, idest transitus Domini: fuit autem duplex transitus; vnus percutientis primogenita Ægypti, & saluantis primogenita Hebræorum, (Exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum pertransibat, nec percutiebat eos) alius filiorum Israel transeuntium mare rubrum: sic alibi; [L] fuit in illo Paschate duplex transitus; vnus quo transibat Dominus percutiens Ægyptum, alius quo populus transibat. Dicitur etiam Pascha à *pathos* græcè, quod passionem significat.

H Hebr. 11.l.6.

I Io. 13. l.1.

L Hebr. 11.l.6.

VERSVS XXIX. *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti.*

6 Quæritur quorum ministerio hoc factum sit; Vtrum scilicet bonorum, vel malorum Angelorum, quia videtur [M] quod per malos; psalmo 77. *immissiones per Angelos malos.* Respondeo dicendum, quòd non est inconueniens, de quibuscunque. Vnde sciendum est, quòd pœnarum inflictio fit interdum per bonos Angelos; sicut enim dicit Dionysius 4. cap. de Diu. Nom. *punire malum, non est malum; sed malum facere est malum;* punitio enim est opus iustitiæ; sicut patet de Angelo, qui contriuit castra Assyriorum Isaiæ 37. qui creditur fuisse bonus Angelus; vnde talis punitio indifferenter, fit per bonos, & malos; licèt malus Angelus id agat cum peruersitate voluntatis suæ, affligendo bonos, & malos; & libentius bonos si permittatur, sicut patet de Iob. Iste Angelus qui dixit Moysi, *transibit Dominus percutiens Aegyptum*, bonus Angelus fuit, cum ipse aliquando loquatur in persona sua. Bono autem Angelo aliquando subministrat spiritus nequam: vnde adhibitum fuit ibi ministerium eius malæ, & peruersæ voluntatis operantis ad cædem: & ideo dicit iram, & tribulationem, immissionem per Angelos malos. Alibi nimirum in Iob c. 2. lect. 2. sciendum quòd Deus malos punit, & per bonos Angelos & per malos, sed bonis nūquam aduersitatem inducit nisi per malos; ideò super Beatum Iob, aduersitatem, nonnisi per Sathan induci voluit. In 4. autem sentent. d. 21. q. 1. a. 1. ad quintam; In hoc sæculo, inquit, quandò adhuc locus pugnæ est puniuntur homines & à malis Angelis, sicut ab hostibus, vt patet de Iob: & à bonis, sicut patet de Iacob, cuius neruus femoris Angelo percutiente emarcuit. Et hoc expresse Dionysius dicit in 4. cap. de diuinis nominibus, quòd boni Angeli interdum puniunt.

M loc. cit.

VERSVS XXXX. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum.*

Sic etiam habet Apostolus ad Galatas 3. *quæ post quadringentos, & triginta annos facta est lex.* Actorum quoque 7. *locutus est Dominus* scilicet Abrahæ, *quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subijcient annis quadringentis triginta*: quarum auctoritatum sensus est, [N] quod si fiat computatio annorum à prima promissione facta Abrahæ, quæ legitur Genesis 12. vsque ad exitum filiorum Israel de Ægypto, quando data est lex, sunt anni quadringenti triginta. Inchoatiuè igitur accipiendo filiorum Israel habitationem in Ægypto, tot fuere anni; ab exitu enim Abrahæ de terra sua, quo cœpit esse peregrinus, eò perrexerunt. Ita præterea D. Thomas [O] alibi; & studiosa supputatione loco citato ad Galatas. Noluit Dominus vt excideret aliquando memoria posterorum tam mirabile facinus: vnde inhibuit vt Patres filios instruerent de mysterio, dicens v. 26. *cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista Religio?* seu *cultus* (legunt 70. & chaldæus) *dicetis eis, Victima transitus Domini est*; Quod quidem expendens S. Doctor; [P] circa filios, inquit, instituit, vt Patres eis disciplinam adhiberent, instruendo eos in fide. Et sanè nisi necessarium aliquid ad salutem in hoc velaretur; non fuerat necesse filios de hoc edoceri: cum enim fine [Q] fide passionis, nunquam potuerit esse salus, secundum illud Romanorum 3. *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repræsentatiuum dominicæ passionis, cuius in veteri lege præcipuum erat agnus paschalis; vnde dicit Apostolus 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Deprehenditur autem eiusmodi ritus institutus in signum ac typum alicuius futuri; quia præuia fuit agni oblatio, & cæremonia transitui Domini, & Israelis egressui; si enim dumtaxat in memoriam recepti beneficij facienda hæc fuissent, non illa Deus præcepisset, tanquam in gratiarum actionem, nisi post factum. Portendebat ergo agni immolatio Christi seruatoris oblationem; & ideò perpetuitatem cultus eiusmodi extollit, quia æterni alicuius futuri signum erat, vt ait ex Augustino hic Hugo. Ex ipsis autem indigni erant [R] qui illa sacrificia tantùm carnaliter attendebant; digni verò qui ea spiritualiter attendebant, & in eis Christum figuratum, vel explicitè vel implicitè credebant, & secundùm intellectum spiritualem vitam suam regebant.

N Gal. 3. l.6.

O Genesis c. 12. & 15.

P 1. 2. 105.4.

Q op. 60. 17.

R op. 58. 3.

Igitur in agno figuratus est Christus saluator. Et quidem concinunt prophetæ alij id ipsum, Isaias enim orat, *emitte agnum Domine*. Ieremias, *quasi agnus mansuetus*. Ioannes, *agnus qui occisus est ab origine mundi*; & tandem Baptista ostendit eum dicens, *ecce agnus Dei*. Offertur autem in agno Christus, propter innocentiam, [S] sicut in hirco propter similitudinem carnis peccati: Christus autem summè innocens fuit, vt potè, *qui peccatum non fecit* 1. Petri 2. &, [T] *psalmo 25. ego autem in innocentia mea ingressus sum.* Et præterea quia assumpsit carnem non inquinatam [V] contagio culpæ originalis, de ipso legitur, *erit agnus anniculus absque macula*; sic enim fuit in primo statu natura humana. 7

S p. 2. 102.3.2.

T Hebr. 7.l.4.

V Io. 3. l.5.

Ad comprobationem autem allegoriæ, circumstantiæ omnes implentur: vnde Dominus decima die primi mensis [X] Ierusalem intrare voluit, quasi ad locum immolationis accedēs: fuitque Bedæ meditatio [A] in quadam homilia. Erat immolandus ad Vesperam; [B] idest, vlti-

X Io. 12. l.3.

A op. 62. c.18.

B Apoc. 5. com n. 1. in principio.

ma

ma ætate: prætequã, ad opus suum exiens, venit ad vitæ vesperam. Semel tantùm in anno
C 3.p.80. 10.2. agnus sumebatur, quia [C] Christus semel mortuus est. Assabatur agnus: & Christus assus est
D Apoc. 3. comm. 2. ibi aurum igni tum. [D] igne passionis. Comedebaturque cum lactucis agrestibus, quæ itidem amaritudinem [E] passionis significabant. *Os non comminuetis ex eo*, Io. 19. vnde, & corpus indissolutum permansit,
E Is. 25. vt expenditur 3. p. q. 76. a. 2.1. & Io. 19. l. 6. vt daretur intelligi, quòd fortitudo Christi nullo modo erat commouenda per passionem. In genu quippe est fortitudo corporis, vt notat D. Th. Ephes. 3. l. 3. *indutus est autem Dominus fortitudinem; Dominus fortis, & potens: fortior fortiarmato*.

Hæc omnia recolligit sanctus Doctor in
F p. 2. 102.5.2. prima secundæ [F] dicens; figuralis autem ratio patet, quia per immolationem agni Paschalis significabatur immolatio Christi: *Pascha nostrum*, 1. Cor. 5. *immolatus est Christus*: sanguis verò agni liberans ab exterminatore, linitis superliminaribus domorum, significat fidem passionis Christi, in corde, & ore fidelium, per quam liberamur à peccato, & morte; secundùm illud 1. Petri 1. *redempti estis pretioso sanguine agni immaculati*: comedebantur autem carnes illæ, ad significandum esum corporis Christi in Sacramento: erant autem assæ igni, ad significandum passionem vel charitatem Christi. Comedebantur autem cùm azimis panibus, ad significandam puram conuersationem fidelium sumentium Corpus Christi, secundùm illud 1. Cor. 5. *Epulemur in azimis sinceritatis, & veritatis*. Lactucæ autem agrestes addebantur in signum pænitentiæ peccatorum, quæ necessaria est sumentibus Corpus Christi: Renes autem etiam accingendi sunt cingulo castitatis: calceamenta autem pedum sunt exempla mortuorum patrum: baculi autem habendi in manibus significant pastoralem custodiam: præcipitur denique, vt in vna domo agnus Paschalis comedatur, idest in Ecclesia Catholicorum, non in conuenticulis hæreticorum. Et quoniam expressiùs Christi passio ad memoriam reducitur per considerationem sanguinis quàm Corporis, dicitur hic; *erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis* [G]. Sicut enim agnus
G op.58. 29. sine macula occisus est in liberationem Israel de Ægypto, sic Sanguis Christi proprium, & expressum memoriale est suæ passionis. Præcipit autem vlteriùs Dominus; *fasciculum hyssopi tingite in sanguine, & aspergite ex eo superliminare,
H op.58. 32. & vtrumque postem*; Fasciculus [H] hyssopi significat perfectionem, & integritatem fidei; limen domus est Christus, per quem conceditur ad Cœlum introitus: fasciculum autem hyssopi tingere in sanguine, *qui est in limine*, est per fidem rectam sanguinem passionis Christi deuorare; & consummare: sed debemus eo vtrumque postem, & superliminare aspergere; idest intellectum, affectum, & memoriam ita sanguine Christi perfundere, & spiritualiter inebriare, vt intellectus, huius sanguinis circà genus humanum virtutem recognoscat; affectus tàm ingens erga se beneficium diligendo sapiat; & memoria tanti amoris, & largitatis Sacramentum nunquàm obliuiscendo semper teneat.

8 Sed quoniam potissimè quoque fuit Agni Paschalis oblatio figura ineffabilis Eucharistiæ Sacramenti, vt docet Angelicus 3. parte [I] iuuat, I 3.p.73. 6.
quæ tradit in opusculo mirificè, hanc ad rem recolere. Dicendum inquit est, qualiter ex figura agni paschalis consideretur nostræ præparationis modus; de qua Exodi 12. legitur. Hæc figura in tres partes est diuidenda [L] prima pars L op.58. 16.
est ipse agnus: secunda, fercula cum quibus est edendus: tertia, personarum edentium habitus. Quoad primam discimus præparari per fidei integritatem: comedendus est in nocte, cùm res plenè non videtur: in quo credendum significatur, quòd Corpus Christi in præsenti nobis dari debuit, non manifestum, sed in Sacramento velatum (vide lector, quomodo respondeat Apostolus; *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur*, 1. Cor. 11. Deinde non comeditur ex eo crudum, & significatur, quòd non debemus credere Christum esse hominem purum. Item, quòd non comeditur aqua coctum, significat, quòd non debemus credere Christum, secundùm communem hominum consuetudinem, conceptum aut natum. Item quòd comederunt eum tantùm assum igni, significat quòd Christi incarnatio, & eius corporis consecratio credenda est celebrari per potẽtiam Spiritus-Sancti. Quòd verò caput agni cùm pedibus, & intestinis vorari etiam præcipitur, significat esse credendum, quòd in hoc Sacramento totus Christus cum Diuinitate, & corpore, & anima continetur, & sumitur. Hoc postremum prædixerat capite 4. caput agni significat Deitatem, intestina animam, pedes carnem. Et alibi [M] crudum comedit, qui eum habuisse originale credit: coctũ M Apoc. 14. comment. 1. in principio.
aqua manducat, qui eum per naturam peccasse affirmat. Nos nascimur crudi, & immundi, & posteà coquimur aqua concupiscentiæ: ipse autem, & sanctus conceptus est, & sanctus natus est; propter quod, nec crudum quid ex eo, nec coctum aqua debet comedi, sed assum igni; passus ex charitate debet credi; ideò Christus significatur etiam per piscem assum, Io. 21. *Erit autem agnus* inquit, *absque macula*; de Christi corpore intelligitur, quia fuit purissimum, Hebr. 10. l. 1.

Quoad secundam partem figuræ, fercula sunt tria, cum quibus solebant agnum manducare, scilicet lactucæ agrestes, panes azimi, & sanguis agni. Lactucæ agrestes significant dolorem de peccatis; panes azimi intentionem puram, cum operibus bonis; sanguis agni, memoriam, & imitationem dominicæ passionis: hinc Gregorius; *Lactucæ agrestes valde amaræ sunt; Carnes verò agni cum his comedendæ sunt, quia cum corpus Christi accipimus, compungi pro peccatis debemus, vt amaritudo pænitentiæ abstergat amorem peruersæ vitæ*. Et iterum; *panes sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione inanis gloriæ facit*: qui opera misericordiæ sine peccati admistione exhibet. Comedere autem fermentatum (quod in figura propter figuratum præcauet repetitis vicibus Deus) est delectari peccati corruptione, quod committitur in se. *Sanguis agni* (subijcit Gregorius) *super vtrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore mentis hauritur, & ad imitationem intenta mente cogitatur: nam qui sic Redemptoris sanguinem accipit, vt imitari passionem necdùm velit in vno tan-*

tùm poste sanguinem ponit. Item in superliminaribus ponendus est sanguis agni, quia non tantùm in memoria, sed in manifesto portari debet crux passionis Christi.

Quoad tertiam partem; tria sunt insignia illorum qui manducauerunt agnum, scilicet, cingulus renum, calceamenta pedum, baculus manuum. Primum designat carnis, & mentis continentiam; secundum, exemplorum Patrum custodiam; tertium, vitiorum nostrorum correctionem. Qui ergo Pascha comedit renes accingit; quia qui Corpus Domini accipit, voluptatem domat, luxuriam refrænat. Calceamenta in pedibus habere (quod ait Gregorius) *est mortuorum Patrum vitam aspicere, & nostra vestigia à peccati vulnere custodire*. Baculus denique significat rectitudinem iustitiæ, qua debemus nosmetipsos de nostris excessibus ante communionem iudicare.

Suppetunt etiam ad hoc caput documenta morum. *Os non comminuetis ex eo*; cohæret cum illo psalmi 33. *custodit Dominus omnia ossa iustorum, vnum ex his non conteretur*, vbi D. Thomas recolens hunc locum ait; [N] quia in tribulationibus, nulla virtus hominis deficit, quem Deus custodit; non enim deficit in sanctis charitas per odium, quia pro persequentibus orant: non mansuetudo per iram, quia non murmur resonat: non patientia, per iniustitiam, immò in patientia sua possidebant animas suas. Verùm valdè pensandum est, virium superbiæ primogenitum esse diaboli [O] in cuius morte filij Israel liberantur. Ægyptus pluriès in Mundi huius typum apratur. Debent liniri postes [P] scilicet intellectus, & affectus sanguine agni, idest Christi pijssimi, innocentissimi pro hominibus immolati. Occidir Angelus exterminator omnes illos, qui non habuerunt signum sanguinis agni in [Q] postibus domus suæ: Duo postes sunt corpus, & anima; superliminare est intellectus, siue ratio. Et alibi [R] cum viderit Dominus sanguinem agni in superliminari, idest in mente fideli, non sinet percussorem ingredi Domos vestras, & lædere. Nota denique, quàm celeri pede de periculis mundi huius est exeundum cùm festinatione, ne cum mora peccari à cœtu segregati fideli, ab Ægyptijs infernalibns in mortem petamur.

N ps. 33.
O op. 41. l. 6. c. 8.
P Apoc. 12. comment. 2. ibi sanguinem agni.
Q Apoc. 7. comm. 1. ibi signemus.
R op. 58. c. 30.

C A P V T X I I I.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Sanctifica mihi omne primogeni- Infr. 14.
tum, quod aperit vuluam in filijs Israel, tam de hominibus, quam de iumentis: c. 9.
mea sunt enim omnia. 3 Et ait Moyses ad populum: Mementote diei huius, in Num. 8. c. 16.
qua egressi estis de Aegypto, & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Do- Luc. 2. d. 23.
minus de loco isto: vt non comedatis fermentatum panem. 4 Hodie egredimini mense Leuit. 27.
nouarum frugum. 5 Cumque introduxerit te Dominus in Terram Chananæi, & Hethæi, c. 26.
& Amorrhæi, & Hæuei, & Iebusæi, quam iurauit patribus tuis, vt daret tibi, terram fluen-
tem lacte, & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto. 6 Septem diebus vesce-
ris azymis: & in die septimo erit solemnitas Domini. 7 Azyma comedetis septem diebus:
non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. 8 Narrabisque
filio tuo in die illo, dicens: Hoc est, quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de
Aegypto. 9 Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos: &
vt lex Domini semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Aegypto. 10
Custodies huiuscemodi cultum statuto tempore à diebus in dies. 11 Cumque introduxerit
te Dominus in Terram Chananæi, sicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit tibi eam. 12 Inf. 22. d.
separabis omne, quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis: 29. & 34. c. 19.
quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino. 13 Primogenitum asini mutabis Ezec. 44.
oue, quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filijs tuis, 44. g.
pretio redimes. 14 Cumque interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? re-
spondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegypti, de domo seruitutis. 15
Nam cum induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primoge-
nitū in Terra Aegypti à primogenito hominis vsq; ad primogenitū iumentorū: idcirco immo-
lo Domino omne, quod aperit vuluam masculini sexus, & omnia primogenita filiorū meorū
redimo. 16 Erit igitur quasi signum in manu tua, quasi appensum quid, ob recordationē, inter
oculos tuos: eo quòd in manu forti eduxit nos Dn̄s de Aegypto. 17 Igitur cū emisisset Pharao
populum, non eos duxit Deus per viam Terræ Philisthijm, quæ vicina est: reputans ne for-
tè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum. 18
Sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta Mare rubrum: & armati ascenderunt filij
Israel de Terra Aegypti. 19 Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum: eo quòd adiurasset Gen. 50. d. 25.
filios Israel, dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. 20 Profectique Num. 14.
de Socoth castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. 21 Dominus autem c. 14.
præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in colum- 1 Cor. 10. a. 1.
na ignis: vt dux esset itineris vtroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, Neh. 9. d. 19.
nec columna ignis per noctem, coram populo.

VERSVS II. *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam.*

De prole nata, obseruat Augustinus, duplex præceptum in lege traditur; vnum quidem generale quantùm ad omnes, vt scilicet completis diebus purgationis matris, offerretur sacrificium pro filio siue pro filia, vt habetur Leuitici 12. & hoc sacrificium quidem erat ad expiationem peccati, in quo proles concepta erat, & nata; & etiam ad consecrationem quandam ipsius, quia tunc præsentabatur in templo; & ideò aliquid offerebatur in holocaustum, & aliquid pro peccato.

Aliud erat speciale præceptum in lege de primogenitis tam in hominibus, quàm in iumentis: sibi enim deputauerat Dominus omne primogenitum Israel, (iure Deo primitiæ) pro eo quòd ad liberationem Israel per Angelum exterminatorem, vt suprà, percusserat *primogenita Aegypti ab homine vsque ad pecus*, Ps. 134. primogenitis Israel reseruatis, ita op. 60. [A]

A op.60. a. 8. & 3. p. 17. 3.

Lex hæc exprimitur à Moyse populo infrà v. 12. subditurque, si aliquis ex primogenitis in filijs est redimendus, vt fiat, non alio animali, sed pretio. Et redimi mandatur infrà vnum mensem; vt recolit D. Thomas 3. p. q. 28. a. 3. ad 4. Ex quo colligit primogenitum dici eum, qui primò natus est, etiam si fratres non sequantur, aliàs etiam ius primogenituræ non haberet, qui primò nascitur; nec debuisset Deo offerri; vt arguit in 3. d. 30. q. 2. a. 3. ad 2. pro intemerata Virgine, post partum, etsi Lucæ 2. dicatur *peperit filium suum primogenitum, idest*, antequam non alius. Dominus autem, vt fertur numeri c. 3. & c. 8. *Leuitas tulit à filijs Israel pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Israel*; ministrabantque à vigesimo quinto ætatis anno sacerdotibus, vsque ad quinquagesimum. Dicitur autem, *omne quod aperit vuluam*, quia, sic consuetus est nascendi [B] modus vt ait Beda: quare relatus hic textus ad Christum Dominum, aliam subit expositionem, vt nimirum solùm significet exitum prolis de vtero: de quo Lucæ 2. Verùm prætereà indicatur primogenitum offerendum fuisse solum maternum: hinc ex vidua quæ ante peperisset, susceptus filius, ètsi esset primogenitus Patris non offerebatur, nec etiam si mulier femellam priùs peperisset; quia masculus posteà natus non adaperuisset vuluam.

B 3. p. 28. a. 1.

VERSVS IX. *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos.*

In vniuersum significationes cæremoniarum legis, prout sunt commemoratiuæ beneficiorum Dei propter quæ [C] institutæ sunt, non transcendunt ordinem literalium causarum, & huiusmodi fuit celebratio Phase, in signum liberationis ex Ægypto. Ad subcinericios autem panes sine fermento traducitur moralis significatio; frumenti enim contritione sub mola, cordis emollitio per contritionis dolorem significatur: [D] mundatur anima per confessionem, sicut cribri concussione separantur à fursure nuclei; & denique commiscentur sata similæ, cum charitatis dilectio nos proximis vnit.

C p. 2. 102. 2. 1.

D op. 58. 15.

VERSVS XV. *Nam cum induratus esset Pharao, & nollet eos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum.*

Voluit Dominus exprimere ob occisionem primogenitorum Ægypti, sibi primitias Hebræorum esse offerendas, cum potius videretur exigi oblatio, ob præseruationem; quis scit an non eo mysterio, quod tangit glossa dicens? [E] mors primogenitorum est amissio iustitiæ naturalis, qua sibi homines sociales sunt: ergo ob perditam primam innocentiam, Dei permissu necatam, offerant homines Deo, qui primogenita reparat.

E Serm. de sancto Francisco

VERSVS XVI. *Erit igitur quasi signum in manu tua*; &c.

Præceptum hoc non erat cæremoniale dumtaxat, proinde in signum futuri; sed fuit oblatio in signum præteriti beneficij: quemadmodum [F] primitiæ in recognitionem debiti offerebantur: quod quia dictamine naturalis rationis creaturis insitum est, adhuc in generali viget, perpetuoque vigebit.

F 2. 2. 86. 4. 1.

VERSVS XVII. *Non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthijm* &c.

Docemur [G] non exponere subditos periculis; ideo Dominus, educens Iudæos de Ægypto non eduxit eos per sata Philisthinorum. Certè potuisset Dominus eos & inter arma seruare: sed prudentem discretionem nos monuit, ne cum naturale suppetit effugium & regiminis opportuna custodia, tentemus Deum.

G Math. 13. & 16.

VERSVS XVIII. *Sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxtà mare rubrum; & armati ascenderunt* &c.

Aquila transtulit, *instructi*, propter æquiuocationem: melior [H] est autem litera 70. *filij Israel quinta generatione exierunt de Aegypto*; de quo satis dictum est Geneseos 15. in calce. Sic etiam Canticorum 3. legitur; *quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* vbi sermo est de Ecclesia, ex gentibus congregata: & [I] D. Thomas; Hoc dicitur ad imitationem plebis priscæ Iudaicæ, quæ liberata de Ægyptiaca seruitute per desertum, mari rubro transito, venit ad terram promissionis. Sic etiam, per desertum nationum descendebat iam de Ægypto; hoc est, de confusione idololatriæ liberata, & à Pharaone, idest diabolo submerso; vt cœlesti manna pasceretur, & veram terram repromissionis ingrederetur.

H Math. 1.

I Cant. 3.

VERSVS XXI. *Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux esset itineris vtroque tempore.*

Cum à diabolo recedimus, Dominum [L] inuenimus. Ad hoc quippe [M] extitit corporalis columnæ species, vt aliquid significaret atque prædiceret. Protectio columnæ nubis, & transitus maris rubri, fuerunt quædam [N] figuræ nostri baptismi, quo renascimur ex aqua significata per mare rubrum, & Spiritu-Sancto, significato per columnam nubis. Prætereà inquit Apostolus, *quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt* [O] sub nube protegente; vel sub nube, idest sub figura, & vmbra. Fides rursum significatur per hanc columnam, quia tanquam recta [P] ostendit rectam viam veniendi ad patriam: fides quippe ad modum nubis habet obscuritatem, quia cum ænigmate: dissolutionem quia euacuatur: humiditatem, quia excitat ad deuotionem. Significata est etiam per columnam ignis, charitas, quæ fortis est instar columnæ [Q] immò *fortis est vt mors dilectio*. Cant. 8. Sap. 18. *Ignis ardentem columnam*

L Math. 2. litera c.

M p. p. 41. 7. 1.

N 3. p. 70. 1. 2.

O 1. Cor. 10. l. 1.

P Prologo ad Ephesios.

Q loc. cit.

ducem

ducem habuerunt ignotæ via. Consimiliter loquitur Isaias c. 5. Vbi D. Thomas [a] expendit illa verba, *& creauit Dominus super omnem locum Montis Sion & vbi inuocatus est, nubem per diem*, &c. in quo innuitur protectio sub similitudine nubis; quia cum tribulationem ardori comparauerit, meritò securitatem comparat nubi. De quo iterum Numeri 9. De hac nube in ps. 28. *reuelabit condensa*, vel *saltus*, ait D. Thomas, quia ducatum eis præstitit per columnam ignis, per noctem, & nubis per diem.

[a] Isaiæ 5.

CAPVT XIV.

1 LOcutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere filijs Israel: Reuersi
castrametentur è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum, & mare contra
Beelsephon: in conspectu eius castra ponetis super mare. 3 Dicturusque est Pha-
rao super filijs Israel: Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. 4 Et indurabo cor
eius, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, scientque
Aegyptij, quia ego sum Dominus. Feceruntque ita. 5 Et nunciatum est regi Aegyptio-
rum, quòd fugisset populus: immutatumque est cor Pharaonis, & seruorum eius super po-
pulo, & dixerunt: Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis? 6 Iun-
xit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. 7 Tulitque sexcentos currus
electos, & quidquid in Aegypto curruum fuit: & duces totius exercitus. 8 Indurauitque
Dominus cor Pharaonis regis Aegypti, & persecutus est filios Israel: at illi egressi erant in
manu excelsa. 9 Cumque persequerentur Aegyptij vestigia præcedentium, repererunt 1. Mac 6
eos in castris super mare: omnis equitatus, & currus Pharaonis, & vniuersus exercitus erant a.9.
in Phihahiroth contra Beelsephon. 10 Cumque appropinquasset Pharao, leuantes filij Iof. 24. b. 6.
Israel oculos, viderunt Aegyptios post se: & timuerunt valde: clamaueruntque ad Domi-
num, 11 & dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Aegypto, ideò tulisti
nos, vt moreremur in solitudine: quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Aegypto?
12 Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes: Recede à nobis,
vt seruiamus Aegyptijs? multò enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine: 13
Et ait Moyses ad populum. Nolite timere: state, & videte magnalia Domini, quæ facturus
est hodie: Aegyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vsque in sempi-
ternum. 14 Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. 15 Dixitque Dominus ad
Moysen: Quid clamas ad me? Loquere filijs Israel, vt proficiscantur. 16 Tu autem ele-
ua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud: vt gradiantur filij
Israel in medio mari per siccum. 17 Ego autem indurabo cor Aegyptiorum, vt persequan-
tur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus
illius. 18 Et scient Aegyptij, quia ego sum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone,
& in curribus, atque in equitibus eius. 19 Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat ca-
stra Israel, abijt post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum
20 stetit inter castra Aegyptiorum, & castra Israel, & erat nubes tenebrosa, & illuminans
noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent. 21 Cumque
extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, &
vrente tota nocte, & vertit in siccum: diuisaque est aqua. 22 Et ingressi sunt filij Israel per Ps. 77. b.
medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum, & læua. 23 Persequentes- 13. & 104.
que Aegyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per d 36. Psal. 113.
medium maris. 24 Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super a.13. Hebr. 11.
castra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum; 25 & sub- d.29.
uertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptij: Fugiamus Sap. 15 b. 15.
Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. 26 Et ait Dominus ad Moysen: Ex-
tende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Aegyptios super currus, & equites
eorum. 27 Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo dilucu-
lo ad priorem locum: fugientibusque Aegyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus
in medijs fluctibus. 28 Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exer-
citus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis. 29
Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro à
dextris, & à sinistris: 30 liberauitque Dominus in die illa Israel de manu Aegyptiorum.
31 Et viderunt Aegyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercue-
rat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi
seruo eius.

1

IN hoc capite denarratur exardeſcens adhuc Pharaonis ira, & perſecutio in populum Dei. Deus autem Canticorum 1. equitatum ſuum appellat exercitum [A] filiorum Iſrael, videlicet ſexcenta ſex millia, quia illi multitudini, quaſi auriga præfuit, protegens illam & defendens, & ad terram repromiſſionis introducens. Quemadmodum autem hos tutabatur, ita in Ægyptios omnes inſecutores vindictam meritò exercet; ſiquidem quando tota [B] multitudo peccat, eſt de ea vindicta ſumenda; & quidem argumento eſt fuiſſe illos incorrigibiles & obduratos, quia ſi ſecus, non omnes perijſſent. Docemur enim, quando multorum ſperatur correctio, in paucos aliquos exercendam ſeueritatem, ſicuti Dominus Numeri 25. non omnes, ſed principes populi mandauit ſuſpendi, quibus punitis cæteri terrerentur.

A Cant. 1.

B 2. 2. 108. 1. 5.

VERSVS X. *Viderunt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt valde.*

Non ſic timuit Moyſes, de quo Apoſtolus Hebræorum 11. *fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis.* [C] in cuius ſignum, confidens de Diuino auxilio, dicebat; *Dominus pugnabit pro vobis; & vos tacebitis.* Et prius; *nolite timere, ſtate & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie.* Animaduertendum autem quomodo Dominus per Moyſen populo pollicetur victoriam dicens; *& vos tacebitis*, hoc eſt, non conſerendo manus, audacter vociferando, hoſtes fundetis: *tacebitis*; ac ſi veſtra non intereſſet, trophæa de illorum nece feretis. Quod quidem moraliter exponens Angelicus in Apocalypſis Com. 1. ad illa verba, *iudicat & pugnat*, [D] inquit, quaſi dicat diaboli loquenti non reſpondebitis; & tunc pro vobis pugnat. Diabolus loquitur cum peccatum ſuggerit: homo reſpondet quando conſentit; tacet quando ſuggeſtioni reſiſtit. O vtinam, adiecerim ego, tacuiſſet Heua! mentalis pugna non niſi per verba fit, fuga vincitur diabolus: fugit autem qui auertitur a tentatione, at quo fugiam, aiebat ille, niſi ad te Deus meus?

C Hebr. 11. l. 6.

D Apoc. c. 19. comment. 1.

VERSVS XV. *Dixitque Dominus ad Moyſen, quid clamas ad me?*

Moyſes non legitur quicquam voce prompſiſſe: atqui tacitus ore, clamabat [E] corde ad Deum; intentio enim cordis propter ſui magnitudinem clamor dicitur: clamabat ergo [F] affectu & deſiderio magno; neque enim operis aliquid moliri nos oportet, non præuio ad Deum recurſu pro auxilio impetrando. Hinc Auguſtinus relatus pſ. 30. *clamor fit ad Deum non voce, ſed corde; quia multi ſilentes labijs corde clamauerunt; multi ore ſtrepentes nihil impetrare potuerunt: clama ergo intus vbi Deus audit*; & Gregorius: *magnus clamor animarum, magnum eſt deſiderium.*

E Rom. 8. l. 3. & pl. 3.

F Apoc. 6. comm. 3. ibi clamabant.

VERSVS XX. *Erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem; ita vt ad ſe inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.*

Præter literalem ſenſum ſatis patentem, vt eſſet exitio Ægyptijs, & in ducatum ſolaminis Hebræis, extat allegoricus de Chriſto Domino, de quo, indicij die, legitur Apocalypſis 1. *& videbit eum omnis oculus.* Sic luminoſitas [G] corporis Dominici obſcura, & terribilis erit reprobis, & delectabilis electis, propter variam diſpoſitionem ipſorum: quod notatur in columna nubis. Abulenſis; *erat tenebroſa contra partem exercitus Aegyptiorum: illuminans verò noctem contra partem filiorum Iſrael.*

G Apoc. 1. comm. 2.

VERSVS XXI. *Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare &c.*

Diuiſa eſt aqua; at quà verſus non exprimit 2
ſacer textus: quapropter diuiſi ſunt etiam interpretes: arbitrantur quidam, ſic diſiectum mare rubrum, vt trans illud de littore ad littus tranſierint Iſraelitæ. Veruntamen Sanctus Doctor [H] aliter ſentit dicens; & *omnes mare rubrum*, ſubmerſis hoſtibus, *tranſierunt*, non de vna ripa ad ripam oppoſitam, ſed ad eandem: vnde tranſierunt quendam ſinum maris. Itaque itinere quaſi reflexo, ſemicirculo velut peracto, poſt longum per vada illa progreſſum, ad idem latus continentis ſe receperunt. Et hoc ipſum docuit magiſter in hiſtorijs relatus Iſaiæ 11. ad illa verba; *& deſolabit Dominus linguam maris Aegypti.* [I] Quocircà videatur eruditus Maluenda de Paradiſo c. 28. Aiunt Hebræi, trepidantibus multis ingredi mare, tribum Iuda, duce Aminadab [L] audacter fideliterque ſicco veſtigio ſe ſe immiſiſſe: ex quo propheticè creditur à quibuſdam præferri cæteris alijs dominio; per illa verba, *non auferetur ſceptrum de Iuda*: cuius dux etiam primus obtulit in tabernaculo. Ex calculo autem Ioſephi deprehendunt ſubmerſos equitum ad quinquaginta millia, peditum ad ducenta millia præter ſexcentos falcatos currus, quos, vt dicit canticum, *abyſſi operuerunt.*

H 1. Cor. 10. l. 1.

I Iſai. 11.

L Geneſ. 49.

Cum potuerit Dominus, vel ſolo nutu Ægyptios exterminare, non abs re voluit per vir- 3
gam diuidi mare, mergique cum ſuis Pharaonem: quo inde & moraliter & allegoricè ſalutis ſenſa promamus. Sanè ex Auguſtino, [M] cum Moyſes mare virga diuiſit, Pharaonem proſtrauit, & populum Dei redemit, fuit lignum illud figura Crucis. Pharao proinde diabolum refert, quem ligauit Dominus [N] in abyſſo, ideſt in inferno; mare ſiquidem appoſitè infernum ſignificat [O] tanquam profundiſſimum & pœnis amariſſimum: Eſt etiam mare, ſicut infernus, latum [P] profundum, longum, habenſque aquas amaras. Apoc. 18. *& ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidem quaſi molare magnum, & miſit in mare.*

M 3. p. 46. 4. op. 60.

N Serm. de Sancto Silueſtro.

O Apoc. 18. ad finem comment. 1.

P Apoc. 15. comment. 1. ibi, ſuper mare.

Tranſitus etiam maris figura [Q] fuit baptiſmi, quantum ad liberationem à ſeruitute peccati: ſicut diluuium fuit ſignum eiuſdem baptiſmi quantum ad ſaluationem fidelium in Eccleſia, ſi- 4
cut tunc paucæ animæ ſaluæ factæ ſunt in Arca, vt dicitur 1. Petri 3. Præterea tranſitus maris rubri præfigurauit [R] baptiſmum quantum ad hoc quòd baptiſmus delet peccata, ſicut Aegyptij ſubmerſi ſunt. Quod quidem dixerat alibi; [S] in baptiſmo ſubmerguntur & deſtruuntur peccata, ſicut in mari rubro Pharaoniſtæ. Quæ docemur ab Apoſtolo 1. Corinth. 10. *Et omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari*, ideſt, [T] per viſa ſigna illa purgati ab ignorantia: vel à vitijs; per fidem ſcilicet ſubmerſis Aegyptijs. Vel baptizati ſunt, ideſt ſignum baptiſmi receperunt; nam baptiſmus conſtat ex aqua & ſpiritu, Ioannis 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu*: nubes autem ſymbolum erat ſpiritus; mare verò aquæ baptiſmalis, vt inquit Damaſcenus.

Q 1. p. 66. 11. 1.

R 3. p. 19. 4. 1.

S Apoc. 15. ſupra citato.

T 1. Cor. 10. l. 1.

Poſt quæ, tranſitus fuit Iordanis qui baptiſ- 5

V 1.P.39. 41. ma prefigurauit [V] quantum ad hoc quòd aperit ianuam Regni cœlestis, qui est principalior effectus baptismi. Et quia baptizatus vitam solitariam [X] & quietam quærere debet, corpore vel mente mundum linquendo, populus post transitum maris rubri, ad terram promissionis per desertum & solitudinem venit, exemplo fortiori Christi Domini, qui baptizatus in Iordane petijt desertum. Osee 2. *ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*. Sic Ioan. 5. *Iesus declinauit à turba*: vbi D. Th. mysticè dat intelligere, quòd Christus non de facili innenitur in hominum multitudine, & in turbine curarum temporalium, sed in spirituali secreto. *Verba sapientum audiuntur in silentio*. Ecclesiastici 9. Consistentes etiam hinc, & hinc aquæ quasi murus à dextra ipsorum, & læua, tribulationibus [A] muniri nos admonent. Per has enim tanquam per multas tribulationes, oportet nos intrare Regnum Dei; actor. 14. Atqui in tribulationibus Beata virgo, signata per virgam [B] solamen est: de qua dixit Isaias c. 11. *egredietur virga de radice Iesse*; est enim virga, speciosa, gratiosa, & gloriosa: gratiosa verò præsertim, ob multas vtilitates, [C] inter quas potissima, quia mare, idest mundum nobis diuisit, vt transeamus. Sanè peperit nobis illum, qui via est, veritas & vita Io: 14. flante vehementi vento Spiritus-Sancti, & vrente tota nocte originalis culpæ; nam, *Deus noster ignis consumens est*. Hebr. 12.

X Math. 4.

A Apoc. 1. comm. 1. in principio.

B Isaiæ 11.

C Serm. de Annunciatione ex Epistola.

CAPVT XV.

1 TVnc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino, & dixerunt:
Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem
deiecit in mare.
2 Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & Sap. 10. d.15.
glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. Isa. 12. a. 2.
3 Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Psal. 117.
4 Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius submersi sunt c.14.
in Mari rubro.
5 Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.
6 Dextera tua Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua Domine, percussit inimicum.
7 Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos: misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam.
8 Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.
9 Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.
10 Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.
11 Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?
12 Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.
13 Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.
14 Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthijm.
15 Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.
16 Irruat super eos formido, & pauor, in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.
17 Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.
18 Dominus regnabit in æternum, & vltra.
19 Ingressus est enim eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris: filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius.
20 Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque
sunt omnes mulieres post eam tympanis, & choris, 21 quibus præcinebat, dicens: Can-
temus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem eius deiecit in mare.
22 Tulit autem Moyses Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur: ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. 23 Et venerunt in Mara,
nec poterant bibere aquas de Mara, eo quòd essent amaræ: vnde & congruum loco nomen
imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem. 24 Et murmurauit populus contra

Iudit. 5. f. a. 15. Eccl. 38. a. 5. Moysen, dicens: Quid bibemus? 25 At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei li-
gnum; quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt: ibi constituit ei præcepta, atque
iudicia, & ibi tentauit eum, 26 dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum
est coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius, cun-
ctum languorem, quem posui in Aegypto, non inducam super te: ego enim Dominus sana-
Num. 33. b. 9. tor tuus. 27 Venerunt autem in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, &
septuaginta palmæ: & castrametati sunt iuxta aquas.

VERSVS I. *Tunc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino*. Apocalypsis 15. *Cantaates Canticum Moysi serui Dei*.

A Apoc. 15. comment. 2. Canticum nihil est aliud, quàm laus [A] gloriosa: gloriosè quippe magnificatus est: quare laus Dei est hæc de effectu diuinæ iustitiæ. Siue canticum est mentis exultatio, in vocem prorupta [B] ex iucunditatis magnitudine. Cum autem pœna triplicem habere possit rationem, [C] scilicet supplicij, pretij satisfactorij, & remedij, primo modo hand quaquàm licet illam optare, aut de inflicta gaudere, alioquin infringeretur charitas; bene verò, secundo, aut tertio. Vel addo ego titulo aliquo alio iusto, puta in aliorum exemplum vt territi resipiscant, atque peccatorum pœniteat, quod est esse in remedium, vt dictum est. Sic verus Israelita, tanquam iustus, qui lætatur cum videt vindictam, Domino canit. Sanè ex 22. cum interitio vindicantis fertur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pęnam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iustitiæ continuationem, & Dei honorem, potest esse vindicatio licita; alijs debitis circumstantijs seruatis.

B Isaiæ 54. C Math. 1. c. 7. & 2. 2. 108. a. 1. & 2.

VERSVS II. *Iste Deus meus*.

D p. p. 39. 8. in calce. Licet pronomen *iste* grammaticè loquendo [D] ad aliquam certam personam videatur pertinere: tamen quælibet res demonstrabilis grammaticè loquendo persona dici potest, licèt secundùm rei naturam non sit persona: dicimus enim; *iste lapis; & iste asinus*; vndè, & grammaticè loquendo, essentia diuina secundùm quod significatur. & supponitur per hoc nomen Deus, potest demonstrari hoc pronomine *iste*: quemadmodum facit hic Moyses. Neque inconuenit, quamuis enim humano vsu, quod sub sensu cadit, huiusmodi pronominibus demonstratiuis significetur: de Deo aliter dicuntur, [E] nimirùm secundùm quod faciunt demonstrationem, ad id quod intelligitur, non ad id quod sentitur; secundùm enim quod à nobis intelligitur, secundùm hoc sub demonstratione cadit. Quamuis autem pronomen hoc *iste*, quemadmodum & suprà c. 3. nomen Dei, *qui est*, & pro essentia diuina, & infinitè sũptũ sit essentiale; tamen ipsũ nomen, *qui est* appropriatur personæ filij ratione adiuncti, in quantùm scilicet in locutione Dei ad Moysen præfigurabatur liberatio humani generis, quæ facta est per filiũ. Hæc D. Th. [F] loco citato. Quare idipsum dici potest de hoc pronomine, *iste*, vt scilicet referatur ad filium per quẽ liberati sumus, ereptique de durissimo Pharaonis imperio, vt canit Ecclesia; atque etiam eo ipso mysterio à Moyse sic fuerit cantatum. Hinc sequitur, *dextera tua Domine magnificata est in fortitudine; dextera tua Domine percussit inimicum*; metaphoricè autem [G] Filius dicitur dextera Patris; secundùm quòd per ipsum Pater operatur. Assumit autem dexteram fuisse magnificatam, & non manum dumtaxat, quia dextera significatur [H] prosperitas, ad quam nedùm ad literam, sed anagogico sensu perducerentur.

E p. p. 13. 1. 3.

F p. p. 19. 8. in calce.

G 1. 22. 3. 3. 2. 2.

H Psalm. 43.

VERSVS II. *Omnipotens nomen eius*.

2

I p. p. 13 1. Substantiuè accipiendum est ly omnipotens, quasi dicat; inter [I] cætera Dei æterni nomina, vnum est omnipotens; Cumque omnipotentiam suam parcendo maximè, & miserando manifestet, aliquid misericordiæ insigne sublatitet, necesse est; vmbra enim fuit hæc Pharaonis deiectio, dæmonis aliquando per Christum adigendi in imum Inferni, Mundo redempto.

VERSVS V. *Descenderunt in profundum quasi lapis*.

Corda Ægyptiorum lapidea, lapidis similitudine memorantur: & quo profundiùs corruant [L] lapis dicuntur. Sic Apocalypsis 18. *& sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare*.

L Apoc 18. com. 1. ibi, lapidem.

VERSVS X. *Flauit Spiritus tuus, & operuit eos mare; submersi sunt quasi plumbum*.

Spiritus hic pro aere concitato accipitur [M] Transitur ad aliam plumbi metaphoram; quam quidem Ieremias plorat dicens; *in igne consumptum est plumbum*; vbi D. Thomas [N] sufflante argentario fæces consumuntur; isti autem positi in fornace tribulationis, consumpti malis, quasi plumbum, non sunt correcti: *frustrà conflauit conflator*: quid mirum dicat Moyses; *in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ?* & iterùm, *flauit spiritus tuus, & operuit eos mare?*

M Genesis 1. in principio. N Ieremiæ 6.

VERSVS XI. *Quis similis tui in fortibus Domine: quis similis tui magnificus in sanctitate?*

Fortis est vt mors dilectio: nullus præter Deũ, tot inter dilectionis argumenta, Pharaonis suorumquè peruicaciam sustinuisset. Psal. *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Qui parcit virgæ, odit filium: nihil odisti eorum quæ fecisti*: an pepercerit virgæ, inflictæ amanter plagæ demonstrant. At illi disciplinam non receperunt: inde Dominus, qui cum sit omnipotens, & bonus bene facit, (quod ait Augustinus in Enchiridio) etiam de malo, aliàs nil mali sineret esse, ordinauit illorum proteruiæ culpam in bonum, cùm & in bonum dæmones ipsi cedant: hùc facit illud, *Omnipotens nomen eius. Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*: Igitur *magnificus in sanctitate*: quo nimirum doceamur, nihil à nobis magnificè [O] fieri posse, nisi cum ad religionem, sanctitatem, gloriamque Dei, magna molimur, magnificentia quippè fortitudini satis respondet: [P] terribilis est ergo ex vno, sed laudabilis ex alio; quemadmodum in secreta orat Ecclesia; terribilis &

O 2. 2. 134. 2. 3.

P ibi a. 4.

pijssime Deus. Et ecce, vtrobique patratis mirabilibus, percensentur statim.

VERSVS XII. *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra: dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.*

Iam prout apparet, Spiritus Sancti calamus præteruolat, ad signandam hoc facto, Christi redemptionem. Quamuis dicat Apostolus, 1. Cor. 10. *& omnes in Moyse baptizati sunt*, idest in ducatu Moysi; Dominum tanquam Ducem, non se ipsum effert. Se habet quippe Deus ex Philosopho etiam 12. Metaphysicæ sicut Dux ad exercitum [a] à quo tota multitudo castrorum dependet: quo pacto, exponitur esse prima causa ad totum Vniuersum: ac si diceret Moyses, non patiens Dominus perire quod fecit, ducis geret vices respectu nostri de prostrata diaboli inuidia, trophæa erecturus: iuxta quod Isaias ait; *ecce testem populi dedi eum, Ducem, ac præceptorem gentibus*: & S. Doctor similiter in sequentia. [b] Lauda Syon Saluatorem, lauda ducem, & pastorem, in hymnis, & canticis.

1. Cor. 10. 1.
op. 10. l. c. 1.
op. 57.

VERSVS XIIII. *Ascenderunt populi, & irati sunt.*

Sic Dauid Psalmo 2. *quare fremuerunt gentes; & populi meditati sunt inania?* Quæ sequuntur etiam facilè sonant perturbationem impiorum, aduersus Christum eius; super quos irruit *formido, & pauor in magnitudine brachij Dei, quando fecit potentiam in brachio suo*: præcipuè de Principe tenebrarum, cum membris infernalibus suis verificatur quod sequitur.

VERSVS XVI. *Fiant immobiles quasi lapis: donec pertranseat populus tuus Domine: donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.*

Sic Apocalypsis 20. legimus, *& vidi Angelum descendentem de cœlo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua; & apprehendit Draconem* (Ezechielis 29. *ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti draco magne*) *serpentem antiquum, qui est diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille*. Per baptismum etiam, qui ex passione Christi virtutem habet [c] intelligitur debilitari potentiam diaboli, ipsumque ligari. Non sine causa igitur postquam ad literam hostium Israelis cantatur formido, & pauor; repetitur, *donec pertranseat populus tuus iste*, quem fide præsentem videmus, *quem possedisti*, præterito, prophetica ex certitudine, pro futuro. Christianus autem cultor tanquam verus Israelita est populus acquisitionis, vt dicitur 1. Petri 2. Quæ quoniam per Christi Iesu passionem impleta sunt, recoluntur ab Ecclesia feria sexta.

Apoc. comment. ma. o Euntate.

VERSVS XVII. *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.*

Per montem [d] altitudo cœlestis gloriæ intelligitur: ibi quippe est habitaculum specialius Dei; qui quamuis vbique sit per immensitatem, ob vberiorem suæ Maiestatis claritatem, in cœlo tanquam in gloriæ suæ tabernaculo esse dicitur. Matthæi 21. *hic est hæres, venite occidamus eum*. Cohæret textus: siquidem de habitaculo meminit, quod firmauerunt Dei manus, ad tabernaculi, seu Sanctuarij terrestris discrimen, quod factum [e] fuit manu hominum: Celeste, non ita: sic Paulus Hebr. 9. *peramplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, idest non huius creationis*; & 2. Cor. 5. *ædificationem ex Deo habemus, non manufactam, sed æternam in Cælis*. Hoc ipsum alibi [A] tangit S. Thomas: Subditque Psalmo 43. quod plantatur, radicatur ad fructum. Ioannis 4. *qui metit mercedem accipit, & fructum congregat in vitam æternam*: de quo 1. 2. 70. Ait autem Apostolus, *in charitate radicati: charitas nunquam excidit*. Signanter autem (vt ex D. Thoma Hebræorum 4. l. 2. in princ.) dicitur, *introduces*, &c. quia Paradisi requies non est in bonis exterioribus, ad quæ est egressus, sed est in bonis interioribus. *Festinemus ingredi*, &c.

Ps. 14.
Hebr. 4. 1.
A Matth. 7. ibi; inuenietur & ps. 42.

VERSVS XVIII. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.*

Sciendum quòd æternum [a] accipitur hic pro sæculo: (sicut habet alia translatio) sic igitur dicitur quòd regnabit *vltrà æternum*, quia durat vltrà quodcunque sæculum, idest vltra quamcumque durationem datam; nihil est enim aliud, sæculum, quàm periodus cuiuslibet rei, vt dicitur in libro primo de Celo. Vel dicitur etiam *vltrà æternum* regnare: quia si etiam aliquid aliud semper esset, (vt motus Celi secundùm quosdam Philosophos) tamen Deus vltrà regnat; in quantùm eius Regnum est totum simul. In secundo Comm. Apocalypsis [c] exponit hunc locum similiter ex D. Anselmo in Prosologio, vt Deus dicatur regnare in æternum creaturæ: idest quamdiù durat creatura: *& vltrà*: non propter durationem ipsam; qua plus duret quàm alia omnia; sed propter triplicem durandi modum. Primus, quia per se durat æternaliter, alia autem hoc habent ab ipso, & sic quodammodo est vltrà alia. Secundus, quia Deus non potest intelligi habere finem, alia autem possunt intelligi finem habere: illud autem quod nullo modo potest habere finem, quodammodo est vltrà illud, quod aliquo modo potest habere finem, finem dico saltem intellectu, etsi non re. Tertius, quia diuina æternitas est tota simul; æternitas vero æuiternorum non est tota simul, secundùm Anselmum; vnde æternitas eorum non attingit, vbi attingit Dei æternitas. Septuaginta hic legunt. Dominus regnans in sæculum, & in sæculum, & vltra. Chaldæus; Regnum Domini in sæculum, & in sæcula sæculorum. *Lengolam* Hebraicè sæculum sonat. Sic Genesis 17. & alibi. Quod pro opportunitate rerum periodis aptari necesse est; vel pro figuratis etiam, de interminato explanari.

B p. p. 10. a. 2.
C Apoc. c. 1. ad finem.

VERSVS XIX. *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare*; &c.

Repetitur hoc versu, quod dictum est supra de equo & ascensore deiecto, & nec non de electis Principibus eius submersis; quare non eo studio vt gemina denarratio geminatum de Pharaone vero, & figurato triumphum agnoscamus? Etiam D. Thomas Cant. 1. exponens illud *in curribus Pharaonis*, inquit in Christi persona Ecclesiæ; sicut currus Pharaonis, & equites eius submersi sunt in mari rubro, ita dæmones te infestantes, qui intelliguntur per currus Pharaonis, ego conculcabo & deprimam. Sic capite præcedenti munimen aquarum hinc, & hinc propter literam, & propter mysticum sensum adduplicatur. Per

has aquas etiam notatur cupiditas, qua suffocantur [D] auari.

D Isaiæ 45.

VERSVS XXIII. *Et venerunt in Marath, nec poterant bibere aquas de Marath, eoquòd essent amara.*

Hæ aquæ *Marath* amaræ significant lachrymas, quas cor contritum [E] persentit. Expenditur autem ex Augustino in sermone de passione, à figura sanctissimæ Crucis amaram [F] aquam in dulcedinem commutari. Vnde & Ecclesiastici 38. *nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Ex quo vlteriùs ait S. Doctor [G] quòd memoria passionis Christi aquas tribulationis dulcoret, significatum est Exodi 15. vbi lignum ostensum est Moysi à Domino. Et sanè mirum valde, quomodo nolit Deus suo nutu, dulces reddere aquas, sed ligni mirifici ostensione, cui si virtus etiamnaturalis inesset, (vt solet glycerizæ) attamen quid altius insinuatur per fidem à longe conspectum, de medicina medicoque salutis, vt citato Ecc. 38. dilertè notari potest: *bonora medicum propter necessitatem. Altissimus creauit de terra medicinam: nonne à ligno indulcata est aqua amara?* propterea clanditur in calce, *ego enim Dominus Deus sanator, siue salutor tuus.* Hæc omnia compilata historia referuntur eleganti stylo Iudith 5. Mysticè equum & ascensorem exponit [H] Antichristum, & Diabolum, qui tyrannos regit, & ducit in mortem, & oppressionem Sanctorum. Et quia vndequaque scatet scriptura sensibus, Pharao quandoque typum gerit Dei, qui ignoscit quibusdam, quosdam condemnat, sicut ille pincernæ pepercit & suspendit pistorem Genesis 37. moraliter autem inimici nostri sunt motus concupiscentiæ, qui in nobis sunt, aduersum quos aptatur illud, *euaginabo gladium* [I] *meum, interficiet eos manus mea.* Quod & quadrat Christo, Iudæos, & alios peccatores punienti. At recole, Theologiam mysticam, ex D. Dionysio non esse argumentatiuam: non inde trahas quæ contigerunt Pharaoni ad Christum.

E Apoc. 18. com. fent. 1. ibi luctû.
F 1. p 46. 4. & op. 60. 18.
G op. 41. l. 5. c. 35.
H Apoc. 6. comm. 1. ibi al... equus.
I Psal. 17. l. v.

C A P V T XVI.

Sap. 1
1. 2. 1 PRofectique sunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum
Sin, quod est inter Elim, & Sinai: quintodecimo die mensis secundi, postquam
egressi sunt de terra Aegypti. 2 Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel
contra Moysen, & Aaron in solitudine. 3 Dixeruntque filij Israel ad eos: Vtinam mortui
essemus per manum Domini in terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium,
& comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem
multitudinem fame? 4 Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis
panes de cęlo: egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies: vt tentem
eum vtrum ambulet in lege mea, an non. 5 Die autem sexto parent quod inferant, & sit
duplum quàm colligere solebant per singulos dies. 6 Dixeruntque Moyses, & Aaron ad
omnes filios Israel: Vespere scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Aegypti: 7 &
mane videbitis gloriam Domini: audiuit enim murmur vestrum contra Dominum: nos verò
quid sumus, quia mussitastis contra nos? 8 Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vespere
carnes edere, & mane panes in saturitate: eo quòd audierit murmurationes vestras, quibus
murmurati estis contra eum, nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed
contra Dominum. 9 Dixit quoque Moyses ad Aaron: Dic vniuersæ congregationi filiorum
Israel: Accedite coram Domino: audiuit enim murmur vestrum. 10 Cumque loqueretur
Aaron ad omnem cætum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem: & ecce glo-
Eccl. 45. a. 4. ria Domini apparuit in nube. 11 Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 12 Au-
diui murmurationes filiorum Israel, loquere ad eos: Vespere comedetis carnes, & mane
saturabimini panibus: scietisque quòd ego sum Dominus Deus vester. 13 Factum est ergo
vespere, & ascendens coturnix, cooperuit castra: mane quoque ros iacuit per circuitum
Num. 11. b. 7. castrorum. 14 Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, &
Psal. 77. c. 24. quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. 15 Quod cum vidissent filij Israel,
Sup. 16. c. 20. dixerunt ad inuicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim quid esset.
Ioan. 6. d. 31. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. 16 Hic est
1. Cor. 10. a. 3. sermo, quem præcepit Dominus: Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescen-
dum: gomor per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in taber-
naculo, sic tolletis. 17 Feceruntque ita filij Israel, & collegerunt, alius plus, alius minus.
2. Cor. 8. b. 15. 18 Et mensi sunt ad mensuram gomor nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui mi-
nus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt. 19
Dixitque Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane. 20 Qui non audierunt eum, sed
dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cępit vermibus atque computruit, & iratus
est contra eos Moyses. 21 Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad
vescendum: cumque incaluisset Sol, liquefiebat. 22 In die autem sexta collegerunt cibos
duplices, idest duo gomor per singulos homines: venerunt autem omnes principes multitu
dinis, & narrauerunt Moysi. 23 Qui ait eis: Hoc est quod locutus est Dominus: Requies

sabbati sanctificata est Domino cras, quodcumque operandum est, facite, & quæ coquenda
sunt coquite, quidquid autem reliquum fuerit, reponite vsque in mane. 24 Feceruntque
ita vt præceperat Moyses, & non computruit, neque vermis inuentus est in eo. 25 Dixit-
que Moyses: Comedite illud hodie, quia sabbatum est Domini: non inuenietur hodie in
agro. 26 Sex diebus colligite: in die autem septimo sabbatum est Domini, idcirco non
inuenietur. 27 Venitque septima dies: & egressi de populo vt colligerent, non inuenerunt.
28 Dixit autem Dominus ad Moysen: Vsquequo non vultis custodire mandata mea, & le-
gem meam? 29 Videte quòd Dominus dederit vobis sabbatum, & propter hoc die sexta
tribuit vobis cibos duplices: maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de
loco suo die septimo. 30 Et sabbatizauit populus die septimo: 31 Appellauitque domus
Israel nomen eius Man: quod erat quasi semen coriandri album, gustusque eius quasi similæ
cum melle. 32 Dixit autem Moyses. Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple
gomor ex eo, & custodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem, quo alui vos
in solitudine, quando educti estis de Terra Aegypti. 33 Dixitque Moyses ad Aaron: Su-
me vas vnum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor: & repone coram Domino
ad seruandum in generationes vestras, 34 sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque il- Neh.9.d.
lud Aaron in tabernaculo reseruandum. 35 Filij autem Israel comederunt Man quadragin- 15.
ta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, vsquequo tangerent fi- Iudit.5.f.
nes terræ Chanaan. 36 Gomor autem decima pars est Ephi. c.15.

VERSVS IV. *Cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?*

1 Iudith 5. recolitur victus caritas eo loci; *egressi etiam mare rubrum, deserta sina montis occupauerunt, in quibus nunquam homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit.* Horror solitudinis illius magnæ atque terribilis tangitur etiam Deuteronomij 8. *in qua*, scilicet, *erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas.* Verum ferociorem expauescit populus belluam, & de fame, modicæ fidei conqueritur. Sed Dominus, (quod A 2.2.14. b. meditabatur Athanasius) infirmitatem ^ carnis eorum excusans, etsi contra Moysen & Aaron insurgant, sustinet eos patienter, & panem de cœlo pollicetur eis; quo *sine labore*, vt dictur Sap. 16. delectamento omni perfruantur.

VERSVS IV. *Ecco ego pluam vobis panes de cælo.*

2 Describitur panis iste infrà versu 14. *apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ, super terram.* Verùm etsi quantitatem perspectam haberent; immò, & qualitatem, prout infrà versu 31. *erat quasi semen coriandri album*: nihilominus ignorabant quid esset; & ideo dicebant, *Manhuh*; vnde tandem edulio illi mirabili ac suauissimo, imposuere admirationis, & ignorantiæ nomen *Man? Seu quid hoc?* vt ibidem constat, quod deinde græcè ac latinè Manna est.

VERSVS IV. *Ecce ego pluam vobis panes de cælo.*

3 Ita & in psalmo, *panem cæli dedit eis.* Cœlum accipitur tripliciter B quandoque pro aere; B Io.6.1. 4. Matthæi 13. & Lucæ 8. *& volucres cæli comederunt illud*, & psalmo 17. *intonuit de cælo Dominus.* Quandoque pro cœlo sydereo, secundùm illud psalmi 113. *Cælum cæli Domino.* Quandoque verò pro ipsis spiritualibus bonis, Matthæi 5. *gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cælo.* Manna ergò, de cœlo fuit non sydereo, aut spirituali, sed aereo: sic Iudith 5. & *per annos quadraginta annonam de cælo consecuti sunt.* Et Sapientiæ 16. *panem de cælo præstitisti eis.* Quod quidem crediderim dici, non solùm quia instar naturalium eiusmodi meteororum videretur, sed quoniam mirè diuinitus prouidebatur: quare non sicut nostrates pruinæ, sed altiori è regione, atque puriori ex materia, non sine Angelorum ministerio, statis diebus pluebat; tantaque copia, vt aleret innumerabiles populos: vnde non solum diebus æstiuis, in morem vulgaris mannæ, sed toto anno, præterquam die sabbathi, descendebat. Habebat autem vt dicitur Sap. 16. prodigiosum illud manna, *omnis saporis suauitatem.* Et quidem gustus eius erat præcipuè, quasi similæ cum melle; & decoctum in olla, redactumque in tortulas, saporem habuit quasi panis oleati: Num: 11. Carnis saporem non creditur retulisse, eoquod hoc loci proximè citati, fastidio tabescentes, carnis desiderio effræni tenebantur: immò hìc vespere ante mannæ delapsum comederunt carnes coturnicum, quæ cooperuerant castra.

Vbi accuratè considerandum est, ad versum 22. in die sexta collegisse singulos, cibos dupli- 4
ces. Quod si per quinque adhuc dies vltra hanc sextam collegerunt, oboritur quæstio de sequenti die septima, num fuerit consueta dies sabbathi, vel potius in nouum sabbathum post sex dies, inter quos vetus sabbathum, subrogata. Sanè ante lapsum mannæ vespere ascendit coturnix, vespere pariter comederunt carnes, ergo parauerunt & coxerunt; quod si immota fuissent Sabbatha, nisi ex speciali dispensatione, illicuisset. Iuuat itaque credere diem coturnicis non fuisse sabbathum, sed inter illos sex dies decurrisse, ex Moysis monito inobseruatum, vt ad tantæ rei mysterium docerentur, in illius figurata impletione fore aliquando, vt vmbram fugaret veritas, vetustatem nouitas; quod canit in Sequentia S. Doctor. Ex quo vlterius claret, non adeò arctam esse vnius potius, quàm alterius diei, in sabbathum designationem; quin possit aliquando tanquam cæremoniale omitti, retento morali, iure cultus diuini per diem dominicum, qui ad huc post sex dies operis obseruatur à nobis. De quo Paulus à Sancta Maria, in suo Scrutinio Scripturarum; & ipse infrà ad Caput 20. opportunè vberiùs. Et hoc cap. in textu.

VERSVS XIII. *Mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum.*

5 VERSVS XIV. *Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum.*

Ex chaldæo legitur; *& mane ros descendit per circuitum castrorum, & sublatus est ros qui descenderat, & ecce super faciem deserti minutum, quasi decorticatum, minutum aceruatum, quasi pruina super terram*: Ex quo apparet non habuisse Manna corticem, aut aliquid eiusmodi, extrinsecam superficiem hordei aut frumenti referens; sed purum absque omni furfutaceo tegumento fuisse, sublucidum proinde vt ait S. Doctor Canticorum 4. & leue, de quo iniuria Hebræi conquerebantur dicentes, *anima nostra nauseat, super cibo isto leuissimo.*

VERSVS XVIII. *Singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt.*

6 Quemadmodum subnectitur versu 22. *colligebant, præterquam sexta die, vnum Gomor.* Est autem Gomot decima pars Ephi, vt in calce dicitur, eadem est autem mensura [C] Ephi apud Iudæos, quæ Chaldæis est *Artaba*, atque vt Gomor est pars decima Ephi, sic Ephi pars est decima [D] Cori: Sunt autem hæ mensuræ aridarum rerum. Gomor dicitur etiam *Assaron*, (seu Gnisaron, vt legitur Numeri 15. textu Hebræo) tantumque continet quantū cuique edaci queat satis esse; libras scilicet octo. Gustusque eius quasi similæ cum melle.

C Danielis 14.

D Isaiæ 5.

Corpus Domini habet similitudinem saporis frumenti, mellis & olei. De tertio Numeri 11. quasi panis oleati: operatur enim morum honestatem, cordis suauitatem, proximi pietatem, quæ vide fusius in opusc. 58. c. 26.

VERSVS XXXII. *Imple Gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes.*

7 Ratio literalis asseruati Mannæ fuit in quantum repræsentabatur per illud vita, eo quòd fuerit sustentamentum vitæ. Vel quia significatur Dei bonitas, tùm [E] propter dulcedinem, tùm quia ex Dei misericordia est populo suo datum, & ideò in memoriam diuinæ misericordiæ conseruabatur. Ratio tamen magis literalis, est quæ & hic exprimitur, ad commemorandum beneficium, quod Dominus præstitit filijs Israel in deserto. Sed hæc, & alia vndequaque fulgent mysterijs, de quibus mox.

E p. 2. 102.4.6.

8 Itaque commune est sanctis Patribus per Manna præfiguratum fuisse suaue Eucharistiæ Sacramentum; vnde ipse Christus Dominus, veraciter in eo latens, manna dicitur: hinc Bernardus [F] *Manna de cælis descendit, gaudeant esurientes*: & S. Doctor [G] Christus dicitur manna secundùm Diuinitatem, quia dulcissimus est ineffabiliter (manna dulcissimum erat) (ita aliquantùm ante, idem sanctus Doctor) Aiebat propterea Augustinus, *tu summa suauitas, omni suauitate dulcior, sed non carni, & sanguini.* Imò Christus Dominus, Arca est continens vrnam auream (de qua hic) continentem manna, eo quòd habet in se humanitatem purissimam, cui est vnita [H] Diuinitas, cuius est dulcedo super mel, & fauum. Est autem Manna absconditum in humanitate Isaiæ 45. *verè tu es Deus absconditus.* Ad quod innuendum legimus hic, *viderunt* *gloriam Dei in nube*, idest [I] *Verbum Dei in carne. Et ecce gloria Domini apparuit in nube.* Et nihilominus hanc carnis nubem, qua nos gloriam eius videmus, prisci illi, sub nube respexerunt.

F op. 60. c. 1.

G Apoc. 2. comm. 2.

H Apoc. 11. comment. 2.

I Ioan. 1. l. 8.

Pressiùs autem fuit manna figura Eucharistici Saramenti. Quod quidem ex miris illius circunstantijs apptimè deprehenditur. Quamquàm enim ineffabile hoc mysterium, ob suam imò incomprehensibilitatē pluribus fuerit ænigmatibus adumbratum, iuxtà quod ait Angelicus; in Sequentia: In figuris præsignatur, cùm Isaac immolatur, agnus Paschæ deputatur; datur manna Patribus: attamen quantùm ad effectum Sacramenti fuit, [L] præcipua eius figura Manna, quod habebat in se omnis saporis suauitatem, vt dicitur Sap. 16. sicut & gratia huius sacramenti, quantùm ad omnia reficit mentem, *hic est panis qui de cælo descendit.* Sanè Oseæ vltimo legitur, *conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico*; quasi [M] diceret; fideles viuent tritico, idest Dominici Corporis sacramento; quod sacramentum dicitur vmbra Christi, quia dat se ibi, non in sua luce, sed in velamine. Quò facit, quod ait Ambrosius; *Dominici corporis figura præcessit, quando Dominus in deserto Patribus* [N] *manna pluit: quia sicut ille panis populum per desertum ad terram promissionis duxit, hæc esca cælestis, fideles huius sæculi desertum transeuntes, in cælum subuehit*: Vnde rectè viaticum appellatur, quia in via reficiens, in Patriam vsque perducit. Aiebat Hilarius, *vbi pars corporis idest minima pars Sacramenti, ibi est & totum corpus; eadem enim ratio est in corpore Domini, quæ in Manna, quod in eius figura præcessit*, de quo dicitur, *qui plus collegerat, non habit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus.* 9

L 1. p. 73. 6.

M op. 58. c. 14.

N opus. c. 24.

O op. cit. c. 13.

Non [O] enim æstimanda est quantitas in hoc visibilis, sed virtus spiritualis; vnde qui multū, vel magnum panem consecrat, non habet amplius; quàm verum corpus Christi ad salutem suam. Fracto demùm Sacramento [P] ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Quotidie autem dabatur Manna in deserto, quia [Q] in hoc Sacramento traditur nobis memoriale passionis Christi per modum cibi, qui quotidie sumitur. Mirè autem dixit Moyses ad Aaron ex præcepto Domini, *sume vas vnum, & mitte ibi Man*; Vas vnum [R] quasi singulariter, & excellenter mundum, quia congruum est vt vas susceptiuum corporis mundissimi sit mundum. Vas illud dicit Apostolus vrnam auream; decet enim cor quasi aurum esse purissimum per magnam munditiam, quod capere debet cęlestem panem; idque habetur ex glossa: *panis cælestis in similitudinem roris, & pruinæ* [S] *semper apparebat, quia corpus Christi à feruore prauæ concupiscentiæ, & peccatorum refrigerat*: hinc etiam mos Ecclesiæ, vt Sacramentum altaris, non serico, non panno tincto, sed puro linteo [T] celebretur. Hinc Can. de Consecrat. dist. 1. c. 44. extat ex Epistola Siluestri Papæ, legitur, *consulto omnium constituimus, vt sacrificium Altaris non in serico panno, nec intincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato.* Cœpit autem ritus iste sub Xysto I. salutis anno 121.

P op. 57. in sequentia.

Q 1. p. 80. 10. 2.

R op. 58. c. 13.

S op. cit. c. 6. & 24.

T op. cit. c. 15. & 5. p. 83. 1. 7.

Non desunt multifariam collecti mystici

sen-

V Cātic. 4. ibi cum nardo. sensus. Significat in primis Manna ^V^ tamquam è cœlo delapsum diuinam secundùm peregrinationis nostræ tempus de sursùm venit. Atqui, & in ea, & pro ea, non ociosè vitam transigere X psalm. 36. licet; siquidem nunc ^X^ est dies sextus, & ideò, qui non colligit nunc, esuriet in gloria. Veruntamen, siue parum, siue multum colligatur, mirum non fuerit, de æqua vniuscuiusque portione; quoniam si de præmio essentiali sit sermo A 2. Cor. 9.l.1. recipiemus omnes ^A^ *denarios singulos*; quamuis ad præmium accidentale, qui parcè seminauerit sit parcè quoque messurus. Omnes *videbimus eum sicuti est: & hæc est vita æterna*, qua nihil sit 10 vltrà quod melius sit. Vlterius autem per Manna B Apoc. 2. comm. primo ibi manna. dulcedo mentis, spiritusque suauitas ^B^ indicatur, cui desiderium est impar, eo quod quantumuis ardens ignitumque fuerit, haud illam potens est vincere, aut comprehendere. Radius ergò diuini Solis, qui est Christus, ille est cui cedat, cuiusque nutum sequatur; eoque incalescente, spirituali teneritudine liquefit: quo, ab eo qui continet omnia, capiatur, atque suo pro modulo capiat anima. Manna minimum erat ad modum *seminis coriandri*; & dulcedo mentis, quæ hic conceditur viris sanctis, modica est respectu dulcedinis æternæ, quæ dabitur in futuro. Item erat *quasi pilo tusum*, quia eiusmodi dulcedo sæpè prouenit ex tribulatione. Item Manna erat albi coloris, & frigidæ naturæ, soleque veniente liquefiebat; sic huius suauitas mentem facit albam, & puram, frigidam; quia amorem mundi retrahit, & veniente lætitia vel dulcedine mundana, deficit: vnde Bernardus; *delicata est diuina consolatio, nec conceditur admittentibus alienam*. Item de manna dicitur, *egrediatur populus, & colligat quod sufficit per singulos dies*; sic qui vult hanc suauitatem, debet egredi de mundo ad cœlum, de carne ad spiritum, de se in Deum: debet colligere per singulos dies, quia quolibet die debet vacare orationi, & meditationi. Debet colligere quantum sufficit; quidam parum colligunt quia parum orant, & parùm meditantur: alij nimis Prouerb. 25. *mel inuenisti; comede quod sufficit tibi*. Locus vbi inuenitur Manna, est solitudo: non autem inuenitur in ciuitate. Oseæ 2. *ducam eam in solitudinem*: Et capit. 11. *Deus ego, & non homo in medio tui sanctus, & non ingredior ciuitatem*. Demptis paucis; ad verbum hæc D. Thomas, si tamen D. Thomæ opus est.

Denique post considerationem plurium effectuum solis; est liquefactio ^C^ quæ pertinet C Apoc. 12. comment. 2. ibi amicta sole. ad donum pietatis, quo liquescit anima in compassionem proximi. *Cùm incaluisset sol, liquefiebat manna*; & Sap. 16. *quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis, calefactum tabescebat*.

Qui suauitatem Dei sentit ^I^, quantùmuis modicum, miratur vt merito dicat anima manhu; quid est hoc? Apoc. c. 2. supra relato.

CAPVT XVII.

1 IGitur profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas iux-
ta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad biben-
dum populo. 2 Qui iurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam, vt bibamus. Num. 20. a.4.
Quibus respondit Moyses: Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum? 3 Sitiuit
ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Moysen dicens: Cur fecisti nos
exire de Aegypto, vt occideres nos, & liberos nostros, ac iumenta siti? 4 Clamauit au-
tem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapida-
bit me. 5 Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populum, & sume tecum de senioribus
Israel: & virgam qua percussisti fluuium, tolle in manu tua, & vade. 6 En ego stabo ibi co- Supr. 14. c.20.
ram te, supra petram Horeb: percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. Psalm. 77. b.15.
Fecit Moyses ita coram senioribus Israel: 7 & vocauit nomen loci illius, Tentatio, propter 1. Cor. 10. a.4.
iurgium filiorum Israel, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: Est ne Dominus in no-
bis, an non? 8 Venit autem Amalec, & pugnabat contra Israel in Raphidim. 9 Dixit- Iudit. 4. d.12.
que Moyses ad Iosue: Elige viros: & egressus pugna contra Amalec: cras ego stabo in Supr. 11. a.13.
vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. 10 Fecit Iosue vt locutus erat Moyses, & Deut. 25. d.17.
pugnauit contra Amalec: Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem
collis. 11 Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset,
superabat Amalec. 12 Manus autem Moysi erant graues: sumentes igitur lapidem, posue-
runt subter eum, in quo sedit: Aaron autem, & Hur sustentabant manus eius ex vtraque
parte. Et factum est, vt manus illius non lassarentur vsque ad occasum Solis. 13 Fugauit-
que Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij. 14 Dixit autem Dominus ad Moysen:
Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue: delebo enim memoriam Ama-
lec sub cęlo. 15 Aedificauitque Moyses altare: & vocauit nomen eius. Dominus exalta-
tio mea, dicens: 16 Quia manus solij Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, à
generatione in generationem.

VERSVS III. *Sitiuit ergo ibi populus, & murmurauit contrà Moysen dicens; cur fecisti nos exire &c.*

Sustinet iterum Dominus iurgium tentationemque populi, ex carnis infirmitate, ^A^ non malitia exortam; atque benigno V 2.2. 14. 3. suæ clementiæ nutu, aquas è petra largissimè educit. Cum autem mille paterent viæ ad suc-

curren-

currendum illorum firi, non fine myfterio, & petræ percuffionem, & Thaumaturgæ Moyfis virgæ præcipit admotionem. *Sitierunt* legitur Sap. 11. *& inuocauerunt te; & data eft illis aqua de petra altiffima, & requies fitis de lapide duro. Petra autem erat Chriftus*, ait Paulus 1. Cor. 10. Quàm durus fit ipfe aperit Matthæi 21. *Et qui ceciderit fuper lapidem iftum, confringetur: fuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Sap. citato 11. *hos quidem tanquam Pater monens probafti: illos autem tanquam durus Rex interrogans, condemnafti.*

2 VERSVS VI. *Percutiefque petram, & exibit ex ea aqua.*

B 1. p. 74. 6. Sacrificium Chrifti Domini in Cruce, fignificatum eft etiam fecundùm Ambrofium, [a] per hanc aquam: vnde Apoftolus 1. Cor. citato, *bibebant autem de fpiritali, confequente eos petra*; & prius; *& omnes eundem potum fpiritualem biberunt*: fcilicet, [c] Chrifti fanguinem in figno. Sicut Petra fuit aliquod [D] materiale, & tamen fignificauit Chriftum. Vbi expendenda eft vox illa *eundem*, ex Auguftino, biberunt [E] *potum eundem fpiritualem*, quem & nos; corporalem verò alterum. Quod ipfe intelligo fide explicita, vel implicita, figuræ non plenè capto myfterio. Confiderare ergò poffumus Chrifti fanguinem, quem in Sacramento deguftant fideles vt potum aquæ viuæ. Potus aquæ vt dicunt Phyfici, eft humectatiuus aridorum, [F] extinctiuus incenforum, delatiuus ad membra ciborum. Similiter potus fanguinis Chrifti, vt fignificatur per aquam, tres habet effectus in anima fideli, arida eius humectat, & coniungit; malè incenfa refrigerat, & extinguit; cibum verbi Dei ad membra vehit, vt benè poffint operari. De primò Ifaiæ 44. *effundam aquam fuper fitientem, & fluenta fuper aridam*; vt fcilicet anima quafi puluis arida, ad fontale defluat, & ad malum prona, potu fanguinis Chrifti perfufa, coniungatur, conglutinetur, & roboretur ad bona. De fecundo effectu pfalmo 77. *percuffit petram, & fluxerunt aquæ*, ad refrigerandum fcilicet prauæ fitis ardorem; Ecc. 3. *ignem ardentem extinguit aqua*: quia fanguis fignatus per aquam deftruit feruorem iræ, auaritiæ, & praui amoris, & concupifcentiæ. De tertio effectu, 3. Regum 19. *Elias comedit, & bibit aquam, & ambulauit*: potus cibum ad membra vehit, & ad eundum, fiue operandum mouet; fic potus fanguinis Chrifti, cibum, verbum Dei, fiue præcepti ad corda defert, vt vires animæ & membra corporis viuant, fecundùm illud, regantur & bene operentur. Prouerb. 9. *comedite, bibite, relinquite infantiam, & viuite & ambulate per vias prudentiæ.* Comedite cibum, verbum Dei, & præcepti, & bibite fanguinem Chrifti, qui fcilicet, præceptum ad cor ad fenfus ad membra deferat; & praua relinquete, & bona perficere moneat.

Præter Sacramentum, à faluandis bibitur fpiritualiter potus aquæ fanguinis Chrifti: nam ficut ex foraminibus Petræ aquam [G] Iudæi, fic fideles ex vulneribus Chrifti hauriunt fpiritualem eius fanguinem: Ifaiæ 12. *haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, ideft, de vulneribus Iefu Chrifti fanguinem fpiritualem ad fitim malorum extinguendam, per piam paffionis meditationem.

3 VERSVS VIII. *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Ifrael in Raphidim.*

De Amalecitis legitur in fine capitis *bellum Domini erit: contra Amalec, à generatione in generationem*: quod expendens Sanctus Doctor, recolit Amalecitas [H] præ cœteris fuiffe Ifraeli aduerfarios, nullumque habuiffe cognationis confortium: Non adeò infenfi erant omni tempore Ægyptij, apud quos nati fuerant, & nutriti; Et idem de Idumæis, à lijs filijs Efau fratris Iacob: vnde circa hos lex ftatuit, vt in tertia generatione reciperentur in confortium populi. Vnde Deuteronomij 23. *Non abominaberis Idumaum, quia frater tuus eft; nec Ægyptium quia aduena fuifti, in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in Ecclefiam Domini.* Fuerunt autem oriundi, & denominati ab Amalec nepote Efau, vt patet Gen. 36. v. 12. & 1. Paralipom: v. 36. qui proinde veteri odio, alta mente repofito, primogenituræ præiudicio, Ifraelitas perfequebantur, omnique nequitia fe aduerfus illos gerebant. Potiffima poftremaque diuinæ indignationis prouocatio fuit hæc, quam recolit Dominus, Deuteronomij 25. dicens, *memento quæ fecerit tibi Amalec, in via quando egrediebaris ex Ægypto; quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui laffi refidebant, ceciderit; quando tu eras fame & labore confectus; & non timuerit Deum.* Certè grande fuit crimen, poft tot Pharaonis plagas, extremumque rubri maris excidium, fpreto tutelari vero Deo Ifraelis, in hunc infurgere: ideoque ne impunitus eat Amalec, fubditur, *caue ne obliuifcaris.* Et 1. Regum 15. idem Dominus, *recenfui quæcunque fecit Amalec Ifraeli, quomodo reftitit ei, in via cum afcenderet de Ægypto*; vbi Agag Rex cum fuis interfectus ac in frufta concifus perijt.

Quocircà valde notandum, quod obferuat Angelicus, [I] in præfatione ad Libros Machabæorum. Hebræos fcilicet pugnaffe præcipuè tribus de caufis: primò pro habitabiliū locorum acquifitione, vt patet in libris Iofue & Iudicum. Secundò pro fuorum demeritorum punitione, vnde & fuccumbebant; puta cum pugnauerunt contra Gabaonitas, vt patet Iudicum 20. Tertiò pro illatæ iniuriæ punitione, & vindicatione, ficut inquit, eo tempore quo pugnauerunt contra Amalecitas Exodi 17. & alibi frequenter. Iuuat autem credere Amalecitas profeciffe femper in peius; ideoque iufto Dei iudicio feuerius aliquando puniendos fuiffe; quemadmodum 1. Regum citato videre eft. In cuius roborationem præfentis belli exitus facit. Quomodo autem perfequi liceat inimicos, & in quo fenfu, dicetur Leuitici 19. verfu 18. & c. 26. v. 7.

VERSVS IX. *Cras ego ftabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.*

Oratione pugnaffe Moyfen pro populo, ad literam vel ex illo deprehenditur, quòd fubiectum eft; *cumque leuaret Moyfes manus, vincebat Ifrael*: leuat [L] enim quis manus orando; ad defignandum quòd oratio eius dirigitur pro populo ad Deum: fecundum illud Thren. 3. *leuemus corda noftra cum manibus ad Dominum*: quo publico fymbolo præterea proteftabatur fe non ab imbelli fuorum turba, fed cœlitus à Deo fperare, & orare victoriam. Dubitatur autem à quibufdam num fic leuaret manus, vt eas inuicem coniungeret, ftricta virga, quod volunt Oleafter & Caietanus

Marginal notes: B 1. p. 74. 6. — C 1. Cor. 10. l. 1. — D p. p. 101. 1. 4. — E op. 58. 41. — F op. 58. 30. — G op. 58. 51. — H 1. 2. 103. 3. — 4 I Mach. Præfatio. — 5 L 3. 9. 81. 3. 5. & Iacobi 3. in fine.

ietanus; an potius expansis, crucifixi instar brachijs, virgam transuersam teneret, vt alij sentiunt. Ipse huic subscribo opinioni, ceu quæ fuit Augustini Serm. de passione, dicentis in Crucis commendationem, pluribus præsignatæ figuris; *Et vt Amalec vinceretur, contra eum virgam Moyses expansis manibus extendit*: ita opusculo 60. [M] Quamuis alibi nimirum 3. parte. [N] corruptè legatur, circà virgam Moyses expansis manibus extenditur, vt consideranti patebit. Fauere etiam videtur sacer textus; *Aaron autem & Hur sustentabant manus eius, ex vtraque parte*: hinc & hinc ergo erant; sicque Moyses genus mortis Christi in cruce ostendebat. Quod & de Samsone exponit in sermone idem Augustinus cum Iudicum 16. apprehendens ambas columnas, alteram dextera, leua alteram tenuit.

M op. 60. 11.
N 3. p. 46. 4.

VERSVS XI. *Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.*

Manus, cum sit organum organorum, remissa dicitur quando vacat à bonis operibus; & ideo erigenda est, per rectam intentionem ad operandum, quæ Deo placent. [O] Propter quod Apostolus, *remissas manus, & soluta genua erigite.* Prouerb. 10. *egestatem operata est manus remissa*: & ideò peccatum omissionis innuitur fugiendum; & hùc facit, ait locus iste.

O Hebr. 12. l. 3.

Signantur autem hac pugna Dæmonum tentationes, quas labor sanctorum nititur [P] superare: tunc sanè quando egredimur de peccatorum Ægypto, insultat Diabolus, pro quo stat Amalec. *Cū accesseris* Ecc. 2. ad *Deum, præpara animam tuam ad tentationem.* Sed hoc exemplo monemur multum valere iusti deprecationem, quæ potestates [Q] aduersas superat.

P Serm. tom. Sexagesimæ

VERSVS XII. *Manus autem Moysi erant graues.*

Q Iacob. 5. in fin.

Cum Moyses vegetioris temperamenti, validæ complexionis fuisse deprehendatur, ex Deuteronomij vltimo, vbi *mortuus annorum centum atque viginti: & tamen non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt*; credendum est, non euasisse manus eius graues, quadraginta annis antea, ex aliqua corporis affectione, qua tanquam ægra valetudine laboraret; sed quoniam à mane ad vesperam perdurauit cum Amalec pugna Israelis, diuturna fessa brachiorum expansione, elanguerant corporeæ vires, idcircò perhibentur & manus graues. Si velimus ad mores traducere, neque ad prosperitatis dexteram, neque ad leuam aduersitatis flecti vnquam debet animus, in Dei seruitio operosus. Et si fiat, vt aliorum prece iuuetur, fortior qui orat euadit; nec manus illius lassantur vsque ad occasum solis: *oportet quippe semper orare* (Lucæ 18.) *& non deficere.*

Si autem arcano sensui admoueamus audi- 5
tum, manus Moysis sunt graues; quia *lex quæ per Moysen* (Ioannis 1.) *data est*, aggrauauit obseruantiarum onus; sic vt *nec nos*, (ait Petrus actor. 15.) *nec Patres nostri, iugum portare potuerimus*; ita [R] cum D. Thoma etiam hic Vgo. Et præterea ipsi Moysi regimen populi graue significatur, iuxtà quod dicitur sequenti capite eidem; *leuiusque sit tibi, partito in alios onere; si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentare.*

R Hebr. 3. l. 4. & Matth. 5 ibi iustiti vestra.

CAPVT XVIII.

1 CVmque audisset Iethro sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat
Deus Moysi, & Israeli populo suo, & quod eduxisset Dominus Israel de Aegy-
pto: 2 tulit Sephoram vxorem Moysi, quam remiserat: 3 & duos filios eius, Supr. 2. d 22.
quorum vnus vocabatur Gersam, dicente patre; Aduena fui in terra aliena, 4 Alter verò
Eliezer: Deus enim ait, patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis: 5 Ve-
nit ergo Iethro cognatus Moysi, & filij eius, & vxor eius ad Moysen in desertum, vbi erat
castrametatus iuxta montem Dei. 6 Et mandauit Moysi, dicens: Ego Iethro cognatus
tuus venio ad te, vxor tua, & duo filij tui cum ea: 7 Qui egressus in occursum cognati sui,
adorauit, & osculatus est eum: salutaueruntque se mutuò verbis pacificis. Cumque intras-
set tabernaculum 8 narrauit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni,
& Aegyptijs propter Israel: vniuersumque laborem, qui accidisset eis in itinere, & quod li-
berauerat eos Dominus. 9 Lætatusque est Iethro super omnibus bonis, quæ fecerat Do-
minus Israeli, eo quòd eruisset eum de manu Aegyptiorum, 10 & ait; Benedictus Domi-
nus, qui liberauit vos de manu Aegyptiorum, & de manu Pharaonis; qui eruit populum Supr. 1. b
suum de manu Aegypti. 11 Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes deos: eo 4. 10 c. 16
quòd superbè egerint contra illos. 12 Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta & d. & 31. b
hostias Deo: veneruntque Aaron, & omnes seniores Israel, vt comederent panem cum eo 7. d 18. 8 14 b. 8.
coram Deo. 13 Altera autem die sedit Moyses vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi
à mane vsque ad vesperam. 14 Quod cum vidisset cognatus eius, omnia scilicet quæ age-
bat in populo, ait: Quid est hoc, quod facis in plebe? cur solus sedes: & omnis populus
præstolatur de mane vsque ad vesperam? 15 Cui respondit Moyses: Venit ad me popu-
lus quærens sententiam Dei. 16 Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me
vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius. 17 At ille: Non bonam,
inquit, rem facis: 18 stulto labore consumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est: vltra
vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. 19 Sed audi verba mea atque Deut. 1. b 12.
consilia, & erit Deus tecum: Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ

dicun-

dicuntur ad eum: 20 ostendasque populo ceremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. 21 Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, 22 qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiusque sit tibi, partito in alios onere. 23 Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace. 24 Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. 26 Qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. 27 Dimisitque cognatum suum: qui reuersus abijt in terram suam.

VERSVS I. *Cumque audisset Iethro Sacerdos Madian cognatus Moysi, omnia,* &c.

Quis fuerit Iethro iste, dixi supra ad c. 2. Chaldęus ita legit, *& audiuit Iethro Princeps Madian.* Quòd si gratis detur fuisse hunc aliquando Idololatram; attamen post diuturnam cum Moyse cohabitationem, quis credat ad veri Dei cultum non fuisse vocatum? Neque obsit quod legitur hic v. 11. *nunc cognoui quia magnus Dominus super omnes Deos*; phrasis est enim, qua signatur, experimento deprehensum illud, quod antea vera fide credebatur. Noster legit; *cognatus Moysi. Socer* autem Septuaginta & Chaldæus, quemadmodum supra c.3. *Moyses autem pascebat oues Iethro soceri sui,* &c.

VERSVS XII. *Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta & hostias Deo,* &c.

Occurrit igitur gratulabundus Moysi: hostias subministrauit quas offerret Moyses Deo, & alia quædam in epulum, & viæ solatium, saltem genero suo eiusque familiæ; neque enim verosimile est virum copiosum, ac potentem ad generum suum, quem per desertam regionem incedere cognouerat, accessisse vacuum: quin potius ex gregibus, quos haud procul indè copiosos alebat subsidium aliquod attulisse: imò aliud ex domo Iethro seu Raguel, recepit Israel cum Moyse beneficium; in via nimirum comitatum, seu potius ducatum Hobab filij eiusdem Raguel, vt videtur Numeri 10. & apud S. Hieronymum in traditionibus Hebr. de quo tamen vide loco citato Numeri quid sentiendum.

VERSVS XIX. *Stulto labore consumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est: vltrà vires tuas, est negotium, solus illud non poteris sustinere.*

VERSVS XIX. *Sed audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum.*

VERSVS XX. *Ostendasque cęremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant.*

1 Magnum habent pondus verba, & consilia Iethro, quibus auditis, vt infrà dicitur, *Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.* quamuis Moyse minor esset [A] Iethro; quod perpendit Angelicus. Sanè siue ministris, quodcumque dominium esse non potest; quoniam [B] ministri, regiminis sunt complementum: per quos secundùm gradum personarum exerceantur officia; distribuantur opera, & administrentur necessaria. Hùc facisit monita Iethro primo Duci Israelitici populi, qualis fuit Moyses. Si secùs fiat, Dux *stulto labore* consumitur; propterea subdit; *& constitue tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Quod quidem, & apud Romanos, & apud alios inducit ibi S. Doctor obseruatum fuisse.

A op. 41. l.4.c.2.

B op. 20. l.2.c.10.

Ratio autem huius altera, ex parte Ducis esse dignoscitur, quia vltra vires vnius, *est negotium*: vnde, & Moysi dicit idem Iethro per 70. *corruptione consumeris intolerabili*; & ex Chaldæo, *fatigatione fatigaberis; non rectam rem facis*; siue vt noster, *stulto labore consumeris.* Quod quidem verissimè dicitur, cùm Princeps neglecto seipso, circa alios occupatur. Igitur monentur in Moyse Rectores omnes & Duces, ne inordinata dilectione, vt aliorum indigentiæ intendant, sui obliuiscantur. [C] Et hoc recolligit præceptum D. Thomas præsenti ex textu. Itaque distribuas, inquit Iethro, genero suo Moysi, munera; *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum. Ostendasque populo cęremonias, & ritum colendi.* Tanguntur hic legis cęremonialia, quæ sunt præcepta [D] quibus determinantur moralia in ordine ad Deum. Opportunè; quia legalis obseruantia tradi non debuit nisi populo [E] congregato, eo quòd lex ordinatur ad bonum publicum; vnde alij Patres, qui fuerunt ante legem, familias suas instruxerunt de rebus diuinis, per modum paternæ admonitionis: & sic Dominus dixit de Abraham, *Scio quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini.*

C op. 41. l.3.c.1.

D p. 2. 101.1.

E 3.p.70. 2.2.

Traditur autem hic etiam forma [F] eligendi ministros inferiores ad bonum regimen populi. Quòd si multitudo populi in politia sub certis limitibus, in gradu, & numero [G] disponitur quantùm ad sui directionem; multò magis in castris: in quibus maxima, & periculosissima est difficultas regiminis, tùm ex parte operis quod eis incumbit, quia ad finem terribilium ordinatur, quod est mors: tùm ex parte hostiū, qui infestant: & sic consulitur Moysi, vt onera diuidat: & Iudas pariter Machabæus cùm infestaretur ab hostibus, sua castra diuisit in eodem numero; *Constituit Iudas duces populi Tribunos, & Centuriones, & Pentacontarchos, & Decuriones*: 1. Machab. c. 3. qui quidem numerus satis proportionatus est militibus, ad distinctionem exercitus: vnde vnus in altero continetur, vt facilior sit ad coniunctionem vnius cum altero, cùm bellandi necessitas hoc requirit. Variantur autem ministri diuersis gradibus, quia con-

F op. 20. l.4.c.8.

G loc. cit. c.27.

fert

fert id maxime politiæ, & regimini bene dispo- I op.10. 4.c.11. sito; sicut enim [I] ædificium est stabile, quando partes eius sunt bene sitæ; ita de politia contingit quòd firmitatem habet, & perpetuitatem, quando quilibet in suo gradu, siue rector, siue officialis, siue subditus debitè operatur, vt suæ conditionis requirit actio. Et quia ibi nulla est repugnantia, consequenter ibi erit summa suauitas, & perpetua firmitas status; & ita describuntur huiusmodi rectores, & ministri in præsenti, subditurque; *Si hoc feceris, implebis imperium Domini, & præcepta eius poteris sustentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace.*

Verumtamen præscribuntur conditiones eligendorum ad munera: *Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas; & qui oderint auaritiam. Viros virtutis,* legit Chaldæus; ij verè sunt *potentes*, quia verbo, & opere, ad virtutem cæteros pronehunt. *Timentes Deum*: parùm est virtutis esse studiosos intra vires naturæ: non est firma virtus quæ summo non innixa est bono, & vltimo fini. Hùc spectare monetur Moyses, cùm illi dicitur *prouide*: prouidentia pars est prudentiæ, ordinatque in debitum finem: *Qui timet Deum, nihil negliget*. Ecc. 7. & Prouerb. 28. *Qui inquirunt Dominum, animaduertunt omnia. In quibus sit Veritas*. Triplex est veritas, scilicet vitæ, de qua Isaiæ 38. *Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate*: Doctrinæ Matth. 21. *Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*: & Iustitiæ. De hac postrema exponit S. Doctor hûc K.11. textum. [K] super illa verba, *diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Viros veraces* (Chaldæus,) *qui oderint accipere pecuniam*. Septuaginta autem; *Prouide ab omni populo, viros potentes, & pios: viros iustos odio habentes superbiam*. Mirificè concinunt.

2 Optima ordinatio Principum est in aliqua P. 2. 15.1. Ciuitate, vel Regno, in quo vnus [L] præficitur secundùm virtutem: & sub ipso sunt aliqui principantes secundùm virtutem: & tamen talis principatus ad omnes pertinet, tùm quia ex omnibus eligi possunt, tùm quia etiam ab omnibus eliguntur. Talis est enim optima politia, bene commista; ex regno, in quantùm vnus præest: ex arristocratia, in quantùm multi principantur secundùm virtutem: & ex democratia, idest potestate populi, in quantùm ex popularibus possunt eligi principes: & hoc fuit institutum secundùm legem diuinam. Nam Moyses, & eius successores (quorum institutionem sibi Dominus reseruauit) gubernabant populum, quasi singulariter omnibus principantes, quod est quædam species regni: eligebantur autem septuaginta duo Seniores, secundùm virtutem, dicitur enim Deut. 1. *tuli de vestris tribubus viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes*: & hoc erat Aristocraticum. Sed Democraticum erat, quia isti de omni populo eligebantur. Quod hic inchoatur: quinimmò populus eos eligebat, quemadmodum fertur Deuteronomij 1. vberiùs; *date ex vobis viros sapientes, & guaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris*. Per hoc quippè quòd omnes aliquam partem habent in principatu, conseruatur pax populi, & omnes talem ordinationem amant, & custodiunt, vt dicitur in secundo Politic.

Scripsit S. Doctor opusculum 21. in ordine de Regimine Iudæorum ad Ducissam Brabantię; & inibi inquit: Quærebatis de Baluis, & 3 Officialibus vestris, [M] Si liceat eis officia vendere; & Respondet, quòd quamuis liceat, cum M op.21. officialibus eiusmodi, nihil committatur, nisi temporalis officium potestatis; tamen multa licent quæ non expediunt, vt ait Apostolus 1. Cor. 6. & 10. vnde talis venditio expediens non videtur. Primò quidem, quia contingit frequenter, quòd illi, qui essent magis idonei ad huiusmodi officia exercenda, sunt pauperes, vt emere non possint: etsi etiam sunt diuites, illi qui meliores sunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio acquirenda: Sequitur igitur, quòd vt plurimum illi officia in terra vestra suscipiant, qui sunt peiores, ambitiosi, & pecuniæ amatores, quos etiam probabile est subditos vestros opprimere, & vestra etiam commoda non sic fideliter procurare: vnde magis videtur expediens vt bonos homines, & idoneos ad suscipiendum vestra officia eligatis, quos etiam inuitos, si necesse fuerit compellatis, quia per eorum bonitatem, & industriam, maiora accrescent vobis, & subditis vestris, quàm de prædicta officiorum venditione acquirere valeatis: & hoc consilium dedit Moysi eius cognatus. Quid diceret Angelicus hodie, de ministeriorum venditione, de solis diuitibus potentibusque Prælatis? Magnam autem discretionem, & diligentiam debet habere Princeps [N] in eligendo vel assumendo, qui secum habitent. N op.41 l.4.c.2. Huic negotio non se ingerat rogans: consilio non prece agendum est: alius pro alio, alius pro se fortè rogat: pro quo rogatur sit ei suspectus; qui rogat pro se, minus est admittendus. Plutarchus [O] Traiano; *modestiam tuam olim non appetere principatum noui: quo quidem tantò iu-* O op.41 l.5.c.11. *dicaris dignior, quanto à crimine ambitionis iudicaris remotior.*

VERSVS XXII. *Quicquid autem maius fuerit referant ad te: & ipsi minora tantummodo iudicent.*

Recolens locum istum Angelicus Doctor [P] 4 ait, in qualibet republica, ea quæ sunt minora P 3.5.67. 2.2. pertinent ad minora officia: maiora verò maioribus reseruantur: & ideò ad minores ciuitatis principes pertinet disponere de infimo populo; ad summos autem principes, pertinet disponere ea, quæ pertinent ad maiores ciuitatis, ex quo colligit meritò baptismum administrari per minores principes Ecclesiæ, idest presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi, vt dicit glossa Lucæ 10. quia per baptismum non adipiscitur aliquis, nisi infimum gradum in populo Christiano.

CAPVT XIX.

Num. 33. c.19. 1 MEnse tertio egressionis Israel de Terra Aegypti, in die hac venerunt in solitudi-
nem Sinai: 2 Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vsque in deser-
tum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israel fixit tentoria è regio-
Act. 6. c. 28. ne montis. 3 Moyses autem ascendit ad Deum, vocauitque eum Dominus de monte, &
ait: Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filijs Israel: 4 Vos ipsi vidistis, quæ fecerim
Deut. 29. a.2. Aegyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. 5 Si er-
Psalm.23. a.1. go audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis
populis: mea est enim omnis terra. 6 Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens san-
1. Petr. 2. b.9. cta. hæc sunt verba, quæ loqueris ad filios Israel. 7 Venit Moyses: & conuocatis maiori-
bus natu populi, exposuit omnes sermones, quos mandauerat Dominus. 8 Responditque
omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moy-
ses verba populi ad Dominum, 9 ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nu-
bis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Nunciauit ergo
Moyses verba populi ad Dominum. 10 Qui dixit ei: Vade ad populum, & sanctifica illos
hodie, & cras, lauentque vestimenta sua. 11 Et sint parati in diem tertium: in die enim
tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai, 12 Constituesque ter-
Hebr. 12. c.18. minos populo per circuitũ, & dices ad eos: Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis
fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur. 13 Manus non tanget eum, sed
lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis; siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet,
cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem. 14 Descenditque Moyses de
monte ad populum, & sanctificauit eum. Cumque lauissent vestimenta sua, 15 ait ad eos.
Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. 16 Iamque aduene-
rat tertius dies, & mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, &
nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat; & ti-
muit populus, qui erat in castris. 17 Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de lo-
Deut. 4. b.11. co castrorum, steterunt ad radices montis. 18 Totus autem mons Sinai fumabat, eo quòd
descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: erat-
que omnis mons terribilis: 19 & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius
tendebatur: Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei. 20 Descenditque Dominus su-
per montem Sinai in ipso montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius. Quò cum
ascendisset, 21 dixit ad eum: Descende, & contestare populum ne fortè velit transcen-
dere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. 22 Sacerdotes
quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. 23 Dixitque Moyses
ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai, tu enim testificatus es, &
iussisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum. 24 Cui ait Dominus: Va-
de, descende: ascendensque tu, & Aaron tecum, sacerdotes autem, & populus ne transeat
terminos, nec ascendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos. 25 Descenditque Moyses
ad populum, & omnia narrauit eis.

VERSVS III. *Moyses autem ascendit ad Deum, vocauitque eum Dominus de monte, & ait.*

1 Toto hoc capite perhibetur Dominus vocare, alloqui, & præcipere Moysi: veruntamen constans est fuisse id factum ministerio Angelorum, pront docet Stephanus actorum 7. versu 38. *Hic est qui fuit*, (loquitur de Moyse,) *in Ecclesia in solitudine, cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina*: Et Apostolus ad Galatas 3. *ordinata per Angelos, in manu mediatoris*; & idem Beatus Stephanus in sequentibus, *qui accepistis legem in dispositione Angelorum*. Itaque Diuina Maiestas non immediate Moysi apparuit: De quo dictum est in Genesin c. 2. ad v. 17. & cap. 28. & 32. retactum. Vnde & iterum S. Doctor ait [A] quòd Deus per Angelos hic loquebatur, & sic in textu capitis huius qui *Dominus* dicitur, mox *Dominum* memorat, sub his verbis; *ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum*: & in calce; *nec ascendant ad Dominum*.

A Hebr. 2. l. 4 & d.49.q. a. 7. ad item 2. 98. 2. ad 1.

2 Terribilia valde sunt quæ referuntur hoc in capite: vnde legitur v. 16. *Et timuit populus qui erat in castris*: & cap. sequenti; *Et perterriti ac pauore percussi steterunt procul, dicentes Moysi; loquere tù nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*; sed & terrebatur ipse Moyses dicente Apostolo, *& ita terribile erat quod audiebatur*; Moyses dixit, *exterritus sum, & tremebundus*. Quod licet in nostro textu non sit, forte est [B] ex alia litera inductum ab Apostolo, quam non habemus. Vel facto, etsi non verbis ipsis, expressit alias suum timorem Moyses, cum cap. 4. post visionem rubi dixit, *non sum eloquens ab heri & nudius tertius*. Potissimum autem caput timoris ac tremoris, fuit sonus verborum, quæ augusta, & maiestatis plena voce, detonabat per Angelum Deus: hùc facit quod legitur Iob 26.

B loc. cit.

quis

quis poterit tonitruũ magnitudinis illius intueri? propterea ait Paulus; *quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum; non enim portabant quod dicebatur*, ideſt non ſuſtinebant. Deut. 5. *Quid eſt omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, ſicut nos audiuimus & poſſit viuere?* Si ergo quæratur cauſa incuſſi huius timoris; dicendum, quod lex fuit terribilis etiam ipſis perfectis (Moyſes fuit perfectiſſimus inter omnes) quia non dabat lex gratiam adiutricem ex opere operato, proinde non refrenabat concupiſcentiam, ſed ſolum cohibebat actum, vnde ipſa fuit graue iugum, de quo dicit Petrus actor. 15. *quod hoc eſt onus, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt; lex per Moyſen data eſt* Io: 1. Breuis eſt differentia, ait Auguſtinus contra Adamantium Manichæi diſcipulum c. 17. legis & Euangelij; *timor, & amor*; Adhuc autem vetus Teſtamentum ideò datum fuit in terrore, vt corda Iudæorum, quæ prona erant ad Idololatriam arcerentur; nouum autem datum eſt in amore Roman. 8. *non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater*: vnde & Chriſtus non terrores in principio prædicationis ſuę pręmiſit, ſed Regnum cœlorum promiſit Matthæi 4. *pœnitentiam agite; appropinquauit enim Regnum cœlorum*: & Prouerb. vltimo; *lex clementiæ in ore eius*.

3 Quæ hìc leguntur incutientia terrorem tangit Apoſtolus Hebræorum 12. & mirè ibidem exponit Sanctus Doctor. Itaque ait Apoſtolus; *non acceſſiſtis ad tractabilem montem & acceſſibilem ignem*: quemadmodum ſcripſit Moyſes; *totus autem Mons Sinai fumabat; eò quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne: & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace*. Subdit Paulus; *& turbinem, & caliginem & procellam & tubę ſonum & vocem verborum*: quæ cuncta licèt non expreſſe habeantur hoc ex textu, nimirum *procella, & turbo*; tamen ſatis innuuntur, quia vt legitur; *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem*: turbo quippe, ait Sanctus Thomas, eſt ventus cùm aqua: & procella quamuis propriè ſit maris conturbatio, largè dicitur turbatio aeris cum turbine & pluuia.

Nec perperam, vt ibidem docet, hæc facta ſunt: zelum, ad puniendum ſi fuerint præuaricantes, ſignificat ignis: turbo pœnæ ſeueritatem: procella auſteritatem comminationum. Caligine ſignatur occultatio dantis legem; quia ſtatus legis occultus erat, ideſt velatus; vt dicitur 2. Cor. 3. *vſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*: ſed in noua lege iſtud velamen ablatum eſt, in cuius ſignum in paſſione Chriſti *velum templi ſciſſum eſt*. Item caligo ſignificat diuinam excellentiam; ſicut enim quod in caligine eſt, clarè videri non poteſt, & lux excellens hebetat oculum; ita & facit ipſum caligare (intellige in ordine ad nos) *qui lucem inhabitat inacceſſibilem*. Sonus tubæ ſignificat grauitatem præceptorum, ad quorum adimpletionem indicebatur homini quaſi bellum contra ipſum: & mons myſticè eſt altitudo myſteriorum diuinorum.

VERSVS VI. *Et vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens ſancta.*

Interpretatio Chaldæa ita legit, *vos autem eritis coram me Reges, & Sacerdotes*. Septuaginta; *vos autem eritis mihi regale Sacerdotium*: quod quidam pro vno eodemquè ſermone accipiunt: atqui non ita eſt; & ideo Angelicus in primam Petri [C] inquit; Sed cum dicatur Exodi 19. *Vos eritis in Regnum Sacerdotale. Quare dicitur hic, vos autem genus electum, regale Sacerdotium?* Reſponſio; ad innuendam prerogatiuam noui teſtamenti reſpectu veteris; in nouo enim teſtamento Sacerdotium præeminet Regno, ſicut ſpiritus præeminet corpori; Regnum enim conſiſtit in regimine ſpirituali; ideò poteſtas Sacerdotalis ponitur in ſubſtantiuo; regalis autem in adiectiuo. Rurſùs autem quare in noua lege Sacerdotes nõ ſint ſubditi Regibus, traditur alibi [D] fuſiùs; ei enim ad quem finis vltimi cura pertinet, ſubdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & eius imperio dirigi; quia igitur ſacerdotium gentilium, & totus diuinorum cultus erat propter temporalia bona conquirenda, quæ ordinantur ad bonum commune multitudinis, cuius Regi cura incumbit, conuenienter Sacerdotes Gentilium Regibus ſubdebantur. Sed & quia in veteri lege promittebantur bona terrena, non à dæmonibus ſed à Deo vero, religioſo populo exhibenda, ideò & in lege veteri Sacerdotes Regibus leguntur ſubiecti. Sed in noua lege eſt Sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cæleſtia, vnde in lege Chriſti, Reges debent Sacerdotibus eſſe ſubiecti, (recole quomodo Apoſtolus 2. Cor. 3. miniſtros noui teſtamẽti maioris aſtruit dignitatis, quàm eſſent miniſtri veteris.) Propter quod mirabiliter ex diuina Prouidentia factum eſt, vt in Romana Vrbe, quam Deus præuiderat Chriſtiani populi principalem ſedem futuram, hic mos paulatim inoleſceret, vt Ciuitatum rectores Sacerdotibus ſubiacerent, ſicut enim Valerius Maximus refert; omnia poſt Religionem ponenda, ſemper noſtra Ciuitas duxit, etiam in quibus ſummæ Maieſtatis decus conſpici voluit: quapropter nõ dubitauerũt Sacris Imperia ſeruire, ita ſe humanarũ rerũ habitura regimẽ æſtimãtia, ſi diuinæ potentiæ benè atque conſtanter fuiſſent famulata. Quia verò etiam futurum erat, vt in Gallia Chriſtiani Sacerdotij plurimùm vigeret Religio, diuinitùs eſt permiſſum (forte legi debet *prouiſum*) vt etiam apud Gallos gentiles, Sacerdotes quos Druidas nominabant, totius Galliæ ius definirent, vt refert Iulius Cæſar in libro quem de bello gallico ſcripſit. Huc mire facit, quod Ioann. Iſacus Pontanus ad Flori lib. 1. c. 2. obſeruat dicens, *Pontifices de cæremonijs, & Religione cognoſcebant; leges ferebant de ſacris quæ non erant ſcripta, aut moribus populi Romani recepta; Sacerdotes examinabant. Ipſi nulli iudicio, nullique mulctæ erant obnoxij: Neque Senatui, neque populo, dictorum factorumque rationes reddebant.*

C 1. Petri 2.

D op. 20. l. 1. c. 14.

4 Quæ ibi aſſumuntur à D. Thoma, ſolida valde ſunt; euidentiſſima eſt enim proportionalitas finium, & agentium; cæmentarij quippe, & dolantes ligna, quia fini inſudant inferiori, ſubduntur regimini Architectorum, qui ſupremum finem intendunt: arsque frænefactiua, & equeſtris regitur militari. Notum deinde ſatis eſt eruditis, antiquæ legis populum ex genere

quoque sacerdotali sub legalibus sic fuisse detentum, vt illorum ope, vel ministerio, nunquam ad vitam æternam posset efficaciter efficienterue peruenire, vnde legalia *infirma, & egena elementa* dicuntur ab Apostolo Gal. 4. & Actorum 15. dicitur lex *iugum quod non potuit portari*, eo quòd non dabat gratiam, sed ostendebat tantum culpam, vt lectione quarta citata ad Hebræos 12. repetit, & alibi D. Thomas: *gratia enim, & veritas per Iesum Christum facta est*, Ioan. 1. Itaque vis sacrificiorum, sacerdotijque illorum anctoritas, nou erat ad expianda peccata, neque ad promerenda cęlestia bona; nàm licet in veteri lege etiam [E] multi perfecti & sancti fuerint, hoc tamen non fuit ex operibus legis: sicut Micheæ 6. significatur; *nunquid placari potest Deus in millibus arietum, aut in millibus hircorum pinguium?* hoc inquam non erat virtute cęremoniarum aut legalium, sed per fidem Christi: & ideò frequenter in Leuitico cap. 5. & alibi dicitur; *Orabit pro eo sacerdos, & dimittetur ei*; quasi peccatum dimittatur non vi sacrificiorum, sed ex fide & deuotione offerentium, vt ait D. Th. citata p. 2. hinc ait Apostolus Hebræorum 7. *reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex*. Quia ergò lex inutilis erat ad beatitudinem quæ est finis hominis consequendam, nisi in quantùm disponebat [F] ad fidem: idcircò quo allicerentur ad illius obseruantiam, promittebat præmia carnalia Isaiæ 1. *si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*: de quo fuse Leuitici 26. & Deuteronomij 28. *Terramque bonam, & spatiosam: ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi*: Exodi 3. vt recolit D. Th. ad Titum capit. 1. l. 1. Quocirca iterum in 3. d. 40. q. 1. a. 1. æterna bona non promittebantur in veteri lege, nisi sub quibusdam figuris Hebr. 10. *vmbram habens lex futurorum bonorum*; Primò vt ex ijs quæ cognoscebant assuefierent etiam à Deo maiora sperare. Secundò vt non solùm cognitio, sed etiam affectus à temporalibus ad æterna manuduceretur. Tertiò quia bona æterna, nondùm statim eis poterant exhiberi nondùm soluto pretio: vnde dilatio promissorum inefficacem faceret apud infirmos promissionem. At lex, & sacerdotium Christi bona pollicetur, & dat æterna, vnde quia cęleste Regnum præeminet terreno, vt a terrenis essent spiritualia distincta, illius ministerium, non terrenis Regibus, sed Sacerdotibus est commissum; & præcipuè summo Sacerdoti successori Petri, Christi Vicario Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Christiani oportet esse subiectos, sicut ipsi Domino Iesu Christo; vt inducit S. Doctor loco [G] citato ex opusculo.

5 Hæc si verè expendisset Anglia, non tàm facile suo Regi adiurasset Ecclesiæ Christi primatum; dato siquidem, in veteri lege posthabitos Sacerdotes Regibus fuisse, dispar omnino est ratio in noua lege; impudentissimè enim æquiparantur vmbra, & corpus; corruptibile, & æternum; lex & Euangelium; sanguis vitulorum & Christi; Christus & Aaron; de quo D. Paulus pertractat Hebræorum 7.

VERSVS VIII. *Responditque omnis populus simul; cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus*.

E Hebr. 9. l. 2. & p. 2. 103. a. 2.

F Hebr. 7. l. 3. & p. 1. 99. 6.

G op. 20. l. 1. c. 14.

Obseruat Angelicus [H] legem veterem de qua hìc & in sequentibus erit sermo, opportunè à Deo populo datam esse propter quatuor, secundùm quatuor ex peccato cosecuta, quæ enumerat Beda, scilicet propter *malitiam, infirmitatum, concupiscentiam, & ignorantiam*: misso autem de malitia, & de concupiscentia sermone, superbiam populi, quantùm ad scientiam, & quantùm ad virtutem propriam operandi, voluit per legem reuincere & confundere Dominus: quæ quidem tangit alibi [I] nunquàm doctrinæ suæ immemor D. Thomas: Itaque superbierat de scientia quasi ratio naturalis posset ei sufficere ad salutem; & ideò relictus est homo absque doctrina legis tempore legis naturæ; vt experimento, accedente lumine legis, discere posset suimet defectum, quo & in Idololatriam, & in turpissima vitia, tempore Abrahæ deuolutus fuerat. Deinde Pelagiana origine de sua præsumebat virtute, dicebat enim, non deest qui impleat, sed deest qui iubeat, vt dicitur in glossa super illud Exodi 24. *omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes*; quod & asseuerauerant anteà. Simile quid temere promunt hoc loco; *cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus*. Hoc autem verbum; *omnia*: non conuenit dici nisi de solo Deo; homo enim aliquando potest errare: *per legem*, ait Apostolus, *cognitio peccati*. Roman. 3. quæ tamen auxilium gratiæ non dabat ad vitanda peccata: vnde homo sub lege constitutus impotens ad illam implendam, auidiùs deberet gratiam quærere, & ex sua infirmitate humiliari. De quo supra in Proęmio.

VERSVS IX. *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis*.

Sequenti capite legitur: *Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus*, & in psalmo 6
etiam dicitur; *nubes, & caligo in circuitu eius*. Sed quoniam vt ait Apostolus 1. Tim. 6. Dominus lucem inhabitat inaccessibilem, statim de intelligentia antilogiæ huius rogabit quis. Respondet [L] Dionysius; *omnis caligo est inaccessibile lumen: sed caligo est, in quantum non videtur, lumen verò in quantum videtur*. Sed aliquid est inuisibile dupliciter, vno modo propter se sicut opaca; alio modo propter excellentiam eius sicut sol ab oculo noctuæ: sic quædam sunt nobis non conspicua propter defectum sui esse, & quædam propter excellentiam eius, & sic Deus nobis quodammodo inaccessibilis est.

Hoc ipsum ex eodem D. Dionysio declarat per Arcæ Noemicę figuram Angelicus Doctor [M] sub his verbis; Nota quòd tectum Arcæ arctando semper ascendit, & in cubito consummatur; quia secundum Dionysium libro de mystica Theologia, in principio ascensionum in Deum, est Theologia lata, quia contemplatur Deum per omnium rerum negationes, & tantò plus ascendit, quantò plus ad huiusmodi negationes arctatur, vsque dum veniat ad silentium, & super excessum omnimodæ negationis, per caliginem nubis, in Moyse designatæ.

Nihilominus, præter hæc, dici potest, memorari hic caliginem, eoquòd signatur Moysis visio prophetica: hanc enim inter genera prophetiæ enumerat Isidorus, recensetque D. Thomas [N] inter sensibilia signa, quæ occurrere solét prophetis.

H Galat. 1. l. 7.

I Ephes. 1. l. 1. ad Titum 1. l. 1. & p. 2. 98. 6.

L 1. Tim. 6. l. 3.

M Genesis 8. post medium.

N 2. 2. q. 174. a. 1.

VERSVS X. & XI. *Vade ad populum & sanctifica illos hodie, & cras; lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium; in die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.*

Exponit hunc locum D. Thomas, de præparatione ad Dei [O] districtum iudicium: & congruè quidem, eoquòd Decalogi obseruantiam fouet & promouet vehementer diuinæ discussionis memoria. Primus dies, inquit, est dies nostræ natiuitatis, secundus nostræ conuersationis, tertius dies mortis, vel aduentus districti iudicij. Paratus erat semper D. Hieronymus, illum diem animo perpetuò reuoluens, dum aiebat; *siue comedam siue bibam siue scribam, siue aliud operis quidquam faciam, semper sonat in auribus meis, quasi tuba vehemens, vox illa terribilis*; Surgite mortui, venite ad iudicium. *Sed viri mali non cogitant iudicium* Prou. 28.

O op. 58. c. 1.

VERSVS XIII. *Manus non tangent eum (montem)* &c.

7 Quoniam hîc etiam in iumentum, si accedat ad montem, fertur mortis sententia, insurgit illico, cum Angelico [P] difficultas; quia cùm bruta libero careant arbitrio, atque adeò culpæ sint incapacia, non videntur sapienter puniri posse. Mirum ergò videtur Dei præceptum, quod itidem animalia tangit c. 21. cum de boue cornupeta, & Leuitici 20. cum de iumento, cui mulier succubuerit, fit vltio, ac denique cum 1. Regum 15. iussa sunt interfici pro peccato Amalecitarum. Ad hæc D. Thomas; Quòd cum bruta sint facta in obsequium hominis, secundùm hoc de brutis disponitur, quod hominibus expedit propter quos facta sunt: puniuntur ergò bruta lege diuina, non propter hoc quòd ipsa peccent, sed propter hoc, quòd ex eorum pœna, homines puniantur in eorum possessione, vel terreantur ex ipsa pœnæ acerbitate, vel etiam instruantur, ex mysterijs significatione: Et sic alibi [Q] inquit; in bruta verò animalia & quascunque alias irrationabiles creaturas, vindicta exercetur, quia per hoc puniuntur illi quorum sunt: & iterum, propter detestationem peccati.

P de veritate q. 24. a. 2. ad 6.

Q 1. 2. q. 102. a. 6. ad 4. 3.

Sed vltra hunc ad literam sensum; mysticè mons est [R] altitudo mysteriorum diuinorum: bestia verò est homo bestialiter viuens. Psalm. 48. *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Hæc bestia duobus modis tangit montem, vno modo, blasphemando; alio modo, ingerendo se indignè diuinis: vtrique conuenit sic opprimi: vnde Leuitici 24. *educ blasphemum extrà castra, & lapidet eum vniuersus populus*; & Prouerb. 25. *perscrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Iob 11. *forsitan vestigia Dei comprehendes*? Denique inquit [S] quòd tunc Prælatus inordinatè videtur tangi, quando irreuerenter obiurgatur, vel etiam quando ei detrahitur, & hoc significatur per contactum montis, & Arcæ damnatum a Deo.

R Hebr. 12. 4.

S 2. 2. q. 33. 4. ad 1.

VERSVS XV. *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.*

Ex hac auctoritate non potest certè probari fore peccatum mortale, si quis accedat vt petat debitum a consorte in die festiuo; nihilominus satis euincitur id incongruum esse. Et tamen de necessitate præcepti in veteri lege multa pertinentia ad munditias carnis exigebantur, eoquòd carnalibus dabatur, quæ non exiguntur in noua lege, quæ est lex spiritus. Ita ex D. Thoma. [T] Addo ipse omnia illis contigisse in figura, quam nefas est præterire. Quocircà, cum eiusmodi præparatio facienda præciperetur, descendente Domino in igne, & caligine, ad ineffabile Sacramentum Altaris referri potest: Ex quo subditur; [V] si talis continentia seruata est ad figuram, quantò magis seruanda est ad Corporis Christi veritatem. In igne descendit Dominus quoniam *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: & in caligine, quia sub panis ac vini accidentibus velatum suscipimus Christum.

T 4. 31. 1. 5. 2.

V op. 58. c. 16.

VERSVS XVI. *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem.*

Non fuerunt hæc ludificato sensu apparentia; sed verè audita, & visa sunt, quamquam miraculosè efformata; non secùs, ac fuit verus ignis in rubo Exodi 3. & vera visio columnæ in deserto, de quo [X] D. Thomas. Hæc autem omnia portendebant dari tunc legem in timore, & in spiritu seruitutis, vnde Apostolus: [A] *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore*; effrænis quippe populus ille, atque carnalis amoris nesciebat legem. Hinc D. Th. in 3. d. 40. 1. 1. ad 2. Lex autem vetus in ostensione diuinæ potestatis quæ timorem incutit, initium sumpsit, vnde & in ipsa legislatione propter fulgura voces, & tonitrua terror audientes inuasit, vt dicerent, *non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*: vnde homines præcipuè inducebat per comminationem pœnarum; & 1. 2. q. 99. a. 6. astruit quomodo lex vetus congruenter per temporales promissiones, & comminationes debuit manuducere homines ad Deum, qui temporalibus, & terrenis affecti erant. Sed opposuerit quis; legis etiam tempore non deerant, qui ex charitate, & non ex timore raperentur ad legem implendam: vnde hebræorum. 11. nunc autem meliorem Patriam appetunt, idest cœlestem, quod dicitur de antiquis patribus: Et præterea, non apparet, cur tunc fideles, non æquè ac hodie possent, ex dilectione Dei super omnia amabilis, excusso timore illam implere. Veruntamen occurritur primæ obiectioni dicendo [B] pertinuisse ad nouum testamentum, vt ait Augustinus, qui ex charitate obseruabant. Alteri verò dicendum non paria fuisse ad Deum diligendum excitamenta, ac modo sunt, nisi quis eo etiam tempore fide explicita futuræ Redemptionis mysteria mente illustrata recoleret; licèt enim (quod ait Bernardus) causa diligendi Deum, Deus sit; vnde etsi nihil boni homini fecisset, vel facturus esset, deberet [C] tamen eum semper diligere; nihilominus ex Augustino, ex ipsius charitate, qua prior dilexit nos, debemus diligere: *Miser ego quantùm diligere debeo Deum meũ, qui me fecit quod non eram, redemit cùm perieram: qui in peccatis meis venditus eram; venit ille pro me, & tantùm dilexit me, quòd pretium sanguinis sui dedit pro me.* Hæc Augustinus: cui Bernardus accinens; *super omnia*, inquit, *te mihi reddit amabilem bone Iesu calix quem bibisti, opus redemptionis meæ*: & iterùm: *quantùm pro me Dominus factus est vilior; tanto mihi factus est carior.* [D] Quibus addendum ex Domino Lucæ 12. *ignem veni mittere in terram*

8

X p. p. q. 43. 7. a. & Matth. 3. a 1 finem.

A Rom. 8. l. 3. & Gal. 3. l. 2.

B Ephes. 2. l. 5. & p. 3. 107. 1. ad 2. atq; in 3. 40 q. 1. a. 1. ad 2.

C Serm. Dominic. 1. post PE recoll. ex Epist.

D op. 58. c. 2.

& quid volo, niſi vt ardeat? ignem veni, &c. ideſt cauſam amoris miſi in mundum, beneficio paſſionis, quæ ſi pie recordata fuerit, amore magno cor accendit; pſalmo 38. *concaluit cor meum intrà me, & in meditione mea exardeſcet ignis.* ibi, Sanctus Doctor. Debet autem expendi mortuum fuiſſe Dominum Ieſum innocenter crudeliter, voluntariè, noſtrique amore; igitur ſi amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat; nimis enim durus eſt animus, qui etſi dilectionem nolit impendere ſaltem non velit rependere. Lex vetus etſi præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritus Sanctus per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris Rom. 5. principalitas autem legis nouæ conſiſtit in ipſa ſpirituali gratia indita cordibus.

Docemur ex his cùm Gregorio in Gregoriano, *quomodo in via Dei, à timore incipitur vt ad fortitudinem veniatur:* vnde poſt motum fidei hominis conuertentis ſe in Deum ad pœnitentiam, eſt motus timoris ſeruilis, quo quis [E] timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur: de quo timore alibi [F] ſubditur, quòd *præparat locū charitati, & eam tandem introducit ſicut ſeta, vel acus filum*, vt ait Auguſtinus, Tract. 9. in Canonic. Ioan. inter principium & medium. Sic etiam ait D. Th. p. 2. q. 92. 2. ad 4. quòd per hoc quòd aliquis incipit aſſueſieri ad vitandum mala, & ad implendum bona propter metum pœnæ, perducitur quandoque ad hoc, quòd delectabiliter, & ex propria voluntate hoc faciat.

E 3. p. q. 85. 5.

F 1. Io. 4. & 2. 2. 19. 8. 1.

9 Eiuſmodi timor ſeruilis talis dicitur, quia ſeruorum eſt operari non gratia ſui, quemadmodum facit liber, ſed ab extrinſeco moueri, vnde ſeiungitur à charitate qua quis propria inclinatione in quidpiam fertur. Habet pro ſuo obiecto pœnam quam timet, & ipſam primario inſpicit à Deo infligendam: nihilominùs eſt à Spiritu Sancto; & ſimpliciter ſecundùm ſuam ſubſtantiam, qua reſpicit pœnam, bonus eſt; ſiquidem non eſt malum timere Deum; eò vel maximè, quòd per ipſum peruenimus ad Deum; de quo D. Thomas vberrimè. [G] Sed tamen ſciendùm, huic bono timori poſſe adiacere malum, nempe ipſam ſeruilitatem, ſecundùm quam propriè dicitur ſeruilis timor; & tunc accidit quando pœna ſic timetur, vt principaliter ipſius effugium ſit in animo, de quo ibidem, [H] talis enim non auertitur à peccato, niſi vili mentis deiectione, nec quicquam honoris aut amoris admittit: & nihilominus quamquàm ſit timor, quemadmodum amor mercenarius, infectus, ſecundùm ſuam ſubſtantiam à Spiritu Sancto eſt, non ſecùs ac fides informis, quantùm ad id, quod eſt fidei; cuius munificentia etiam reluctantes reuocat ad ſalutem. Cùm quis ergo timet gehennam, & propter hanc dumtaxat abſtinet à perpetratione peccati, etſi non effugiat reatum, nonnihil habet ſani ſeminis vt fructificet; vnde & poteſt appellari timor initialis: & multò magis, quando ſic fertur in pœnam, vt non proptereà eam timeat tanquàm principale malum, licèt eam directe habeat pro obiecto. Quoaduſque vigeat ſeruilitas, implicat iuſtificari peccatorem, quia tacita voluitur animo iſthæc conditio; niſi eſſet timor gehennæ, peccatum placerer; qua durante clauditur via deteſtationi neceſſariæ ſimpliciter. Si tamen, ex huiuſmodi timore, attritio inſurgat, qua diſpliceant peccata, etſi motiuum doloris ſeruile ſit, non eſt dubium, vi ſacramenti fieri contritum, atque per actum timoris, nuncupati pariter initialis, iuſtificari. Quocircà docet Angelicus timorem initialem huiuſmodi [I] medium eſſe inter timorem ſeruilem & filialem; item ſecundariò [L] reſpicere pœnam: quod habet ex adiuncto timore ſeruili, qui [M] remanet ſecundùm ſuam ſubſtantiam cum charitate, ſeruilitate turpi remota. Qui tandèm non dicitur initialis; quia ſit iuſtificationis initium, quemadmodus initialis appellatur timor ſeruilis, ſed ſecundùm quod competit [N] ſtatui incipientium; vltrà timorem ſiquidem filialem, & caſtum, quo filius timet Patris offenſam, habet etiam oculum ad pœnam, vt loquitur D. Thomas ad Romanos loco citato. Quod quidem accidit hominibus in initio ſuæ conuerſionis, qui non ſolùm mouentur ad operandum ex amore iuſtitiæ, ſed etiam ex timore pœnæ. Sed charitas perfecta foras mittit timorem habentem pœnam præ oculis, vt dicitur 1. Ioannis 4.

G 2. 2. 19. 4. & Roman. 8. l. 3.

H 2. 2. 19. 4. & 6.

I 2. 2. q. 19. 2.

L ibi a[illegible] 4.

M 2. 2. 19. 8. ad 2.

N loc. cit.

VERSVS XVII. *Steterunt ad radices montis.* 10

Mos eſt Iudæorum, [O] vt ſtantes orent, vnde de ipſis ait Dominus Matthæi 6. *qui amant in ſynagogis, & angulis platearum ſtantes orare*: quia inquit Angelicus ſtando legem acceperunt. Solertes quippe vult nos eſſe in legis obſeruatione, nec ſedere pigritia, aut ſomno ſterni. Meminerimus deinde feciſſe Deum hominem rectum abſque peccaminoſa ad rerum curuitate, vtque Cœlum aſpiceret, quod ait Poeta.

Os homini ſublime dedit Cœlumque videre
Iuſſit, & erectos ad Sydera tollere vultus.

O Matth. 6.

Ritè nihilominus ac rectè aiebat Apoſtolus Epheſ. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, in ſignum [P] humilitatis propter duo, quia qui genua flectit quodammodo paruificat ſe, & ſubijcit ſe ei, cui genua flectit; vnde per huiuſmodi oſtenditur recognitio propriæ fragilitatis & paruitatis. Secundò quia in genu eſt fortitudo corporis: quando ergo quis genua flectit, proteſtatur fragilitatem ſuæ virtutis.

P Epheſ. 3. l. 3.

Verùm non dat Deus legem, vt ſit in retiaculum aut impactionem, ſed quo erigatur animus in Deum ſuum, idcircò iteratò repetit, ne curioſa conſcendant indagine montem, nimirùm ne pereant. Bonus Dominus!

CAPVT XX.

1 LOcutusque est Dominus cunctos sermones hos: 2 Ego sum Dominus Deus tuus, Deut.5.a.6.
qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. 3 Non habebis deos alienos Psalm.80.
coram me. 4 Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in c.11. 96.
cęlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. 5 Non ado- b.7. Leuit. 26 a.1.
rabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem pa-
trum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: 6 & faciens Deut.4 c. 25.
misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea: 7 Non assumes Iof.14.d. 14.
nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assum- Deut.5.b.
pserit nomen Domini Dei sui frustra. 8 Memento vt diem sabbati sanctifices. 9 Sex die- 11.
bus operaberis & facies omnia opera tua. 10 Septimo autem die sabbatum Domini Dei Leuit. 19. c.12.
tui est, non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, Matth. 5
iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas. 11 Sex enim diebus fecit Dominus c.27. Ezec. 20.
cęlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo, idcirco be- b.12.
nedixit Dominus diei sabbati, & sanctificauit eum. 12 Honora patrem tuum, & matrem Deut.5.b. 13.
tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. 13 Non occides. Infr.31.b. 14.
14 Non mechaberis: 15 Non furtum facies. 16 Non loqueris contra proximum tuum Gen.2.a.
falsum testimonium. 17 Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis vxorem 2. Deut.5 b.
eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. 18 16.
Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fu- Matt. 15. a 4.
mantem, & perterriti, ac pauore concussi, steterunt procul 19 dicentes Moysi: Loquere Ephes. 6.
tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. 20 Et ait Moy- a.2. Matth. 5.
ses ad populum. Nolite timere, vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset c.16.
in vobis, & non peccaretis. 21 Stetitque populus de longe. Moyses autem accessit ad ca- Rom. 7. b.7. 11. c.
liginem, in qua erat Deus. 22 Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filijs Israel: 9.
Vos vidistis quòd de cęlo locutus sim vobis. 23 Non facietis deos argenteos, nec deos au- Hebr. 12. c.18.
reos facietis vobis. 24 Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pa- Deut. 18.
cifica vestra, oues vestras, & boues in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei: ve- c.16. Inf. 27. b.
niam ad te, & benedicam tibi. 25 Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis il- 8.18. a. 7.
lud de sectis lapidibus, si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur. 26 Non ascendes Deut. 27. a.5.
per gradus ad altarę meum, ne reueletur turpitudo tua. Iof. 8. f. 11.

1 MIrabitur, primo in limine nouitius, cur tradiderit Deus per Moysen legem de moralibus scriptam; tum quia hæc precepta decalogi legem indicant & concernunt naturalem, quæ à corde hominis. [A] aboleri non potest, tum quia si fuisset necessaria, dedisset illam Deus à principio, nec siuisset per tot sæcula, ex leges cæca mente diuagari. Sed licèt, quod assumitur verum sit, quantum ad communia, & vniuersalia principia, quia in hominibus est quædam [B] participatio legis æternæ, iuxta quod dicit psalmus 4. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: vnde, & quoad hæc, vna dicitur [C] esse lex naturæ apud omnes, in quantum neminem fugit; *bonum v. g. esse prosequendum, malum fugiendum: esse operandum secundum rationem*; licet præterea verum sit, præcepta quæque moralia [D] pertinere ad legem naturæ: licet denique, vt in pluribus contingere possit, specialia quædam naturæ præcepta à cunctis teneri; iuxta illud Apostoli Roman. 1. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*; vbi glossa ordinaria, *quod si non habent legem scriptam, habent tamen legem naturalem*, qua quilibet intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum & quid malum: nihilominus conueniens fuit dari hanc etiam de moralibus legem, Ecc. 17. *addidit eis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos* (quia vt dicit ibi glossa, *legem vitæ quantum ad correctionem legis naturalis scribi voluit*;) vel quia, per legem scriptam suppletum est [E] quod legi naturæ deerat; vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus, quantum ad aliqua corrupta erat, in tantum vt existimarent esse bona, quæ naturaliter sunt mala. Quod quidem repetit S. Doctor [F] dicens, ratio autem hominis circa præcepta moralia, quantum ad ipsa communissima præcepta legis naturæ non poterat errare in vniuersali, sed tamen propter consuetudinem peccandi, obscurabatur in particularibus agendis. Circa alia vero præcepta moralia, quæ sunt quasi conclusiones deductæ ex communibus principijs legis naturæ, multorum ratio oberrabat, ita vt quædam, quæ sunt secundum se mala, ratio multorum licita iudicaret. Explicat hoc D. Thomas dicens [G] deficere in aliquibus legem naturæ, & quantum ad rectitudinem propter aliqua impedimenta particularia; & etiam quantum ad notitiam, & hoc propter hoc quòd aliqui habent deprauatam rationem, ex passione seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ: sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum (cum tamen sit expressè contra legem naturæ), vt refert Iulius Cæsar in libro de bello Gallico. Et sic pariter docet deleri posse de cordibus hominum [H] vel pro-

A p.2.94. 6.
B p.2.91. a.2.
C p.2.94. 4.
D p.2. q. 100.1.
E p.2.94. 5.1.
F p.2.92. a.2.
G p.2.94. 4.
H p.2.94. 6.

pter malas persuasiones, vel etiam propter prauas consuetudines, & habitus corruptos; sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, vt etiam Apostolus dicit ad Romanos 1. hinc ait 3. p. q. 61. 3. 2. per incrementa temporum peccatum cœpit in homine magis dominari: in tantum quòd ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficerent homini ad rectè viuendum præcepta legis naturæ, sed necesse fuit determinari præcepta in lege scripta: & cum his quædam fidei Sacramenta. Quare autem tunc solummodo data fuerit lex scripta, satis dictum est suprà ad versum 8. vt scilicet humiliaretur prius de inani victus superbia post tot ignorantias.
I 1. 37. 1. 1. Denique necessarium fuit ea quæ naturalis [I] ratio dictat, populo in præceptum dari, & in scriptum redigi propter quatuor rationes. Primò quia per contrariam consuetudinem, qua multi in peccata præcipitabantur, iam apud multos ratio naturalis in qua scripta erant, obtenebrata erat. Secundò quia etsi in aliquibus vigebat ratio; tamen amor boni in eis deficiebat: vnde per quandam coactionem legis obligatoriæ ad bonum inducendi erant. Tertio, vt ad opera virtutis non solùm natura inclinaret, sed etiam reuerentia diuini imperij. Quartò vt magis memoriæ tenerentur, & frequentius in cogitatione versarentur.

VERSVS I. & II. *Locutusque est Dominus cunctos sermones suos. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.*

Memorat memorabile beneficium, quo intelligant, quæ cuncta præcepturus est, cessura in perennem vtilitatem, & rursus vt Omnipotentem timeant ac reuereantur: subinde Dominus appellatur ac vocitatur; Domini siquidem est ad seruum respectus: & quemadmodum Domini est præcipere seruo suo, vt tradit Angelicus 3. cont. G. c. 120. *dico huic vade, & vadit*; ita seruorum est ineluctabiliter ac indiscussè parere: secus meminerint seruitutis tyrannicæ Pharaonis: & illud non excidat Iob. 20. *fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æneum.*

VERSVS III. *Non habebis Deos alienos coram me.*

2 VERSVS IV. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neque coles.*

. p. 2. 00.7.4. Homines proni erant [L] ad idololatriam propter vniuersalem consuetudinem gentium. Antiqui multipliciter hoc præceptum transgrediebantur; quidam [M] enim colebant Dæmonia; psalmo 95. *omnes Dij gentium Dæmonia.* Alij colebant cœlestia corpora, credentes astra esse Deos; Sapientiæ 13. *Solem, & Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt.* Alij verò colebant inferiora elementa Sap. 13. *aut ignem aut spiritum Deos putarent.* Alij errantes colebant homines, vel aues, vel alios, vel se ipsos.

M op. 4. 4.

N 3.cont. G.c.120. Plenius hæc explanat S. Doctor alibi. [N] Fuerunt autem aliqui qui latriæ cultum non solùm primo rerum principio exhibendum æstimauerunt, sed omnibus etiam creaturis quæ suprà homines sunt: vndè quidam licèt opinarentur Deum esse vnum, primum, & vniuersale principium; latriam tamen exhibendam æstimauerunt: primò quidem post summum Deum, substātijs intellectualibus cœlestibus quos Deos vocabant; siuè essent substantiæ omninò à corporibus separatæ, siuè essent animæ orbium aut stellarum; Secundò etiam quibusdam substantijs intellectualibus, quas vnitas esse credebant corporibus aereis, quas Dæmones esse dicebant; & tamen quia suprà homines eos esse credebant, sicut corpus aereum est supra terrestre, huiusmodi etiam substantias colendas diuino cultu ab hominibus ponebant: & in comparatione ad homines, Deos illos esse dicebant, quasi medios inter homines & Deos. Et quia animas bonorum per hoc quòd à corpore separantur, in statum altiorem, quam sit status præsentis vitæ, transire credebant, etiam animabus mortuorum, quas heroas, aut manes vocabant, diuinum cultum exhibendum esse opinabantur. Quidam verò Deum esse animam mundi æstimantes, crediderunt quòd toti mundo, & singulis eius partibus esset cultus diuinitatis exhibendus, non tamen propter corpus, sed propter animam, quam Deum esse dicebant; sicut & homini Sapienti honor exhibetur, non propter corpus, sed propter animam. Sed Deus esse nequit forma alicuius corporis, vt patet 1. p. q. 3. a. 8. & 1. cont. G. c. 28. vbi ait. Sic igitur gentilium error euacuatur, qui dicebant Deum esse animam Cœli, vel etiam animam totius mundi: & ex hoc errorem Idololatriæ defendebant, dicentes totum mundum esse Deũ, non ratione corporis, sed ratione animæ. Quo supposito sequi opinabantur, quòd mundo, & partibus eius non indebitè diuinus cultus exhibebatur. Commentator etiam dicit in 11. Metaphysicæ, quòd hic locus fuit lapsus sapientum gentis Saphiarum, idest idololatrarum, qui posuerunt Deum esse formam cœli. Quidam verò etiam ea quæ infrà hominem sunt secundum naturam, homini tamen colenda esse dicebant diuino cultu, in quantùm in eis participatur aliquid virtutis superioris naturæ: vnde cùm quasdam imagines per homines factas sortiri crederent aliquam virtutem supernaturalem; vel ex influentia cœlestium corporum; vel ex præsentia aliquorum spirituum; dicebant huiusmodi imaginibus; diuinum cultum esse exhibendum: quas etiam imagines Deos vocabant; propter quod & idololatræ sunt dicti, quia latriæ cultum idolis, idest imaginibus impendebant. Tot deliramenta vberrimè confundit ibi, & damnat S. Doctor. Quocircà videatur Eusebius de præparatione, l. 7. c. 1. & Sapientiæ, c. 13. & 14. vbi nonnulla aperitur idolomaniæ radix; *ex imagine, acerbo luctu capti filij & conualescente iniqua consuetudine, error tanquã lex custoditus est; & tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et prouexit ad culturam, artificis eximia diligentia.*

Adhuc hæc eruditissimè recoluntur. [O] Quidam per quandam nefariam artem imagines quasdam constituebant, quæ virtute Dæmonum aliquos certos effectus habebant: vndè putabant in ipsis imaginibus esse aliquid Diuinitatis; & per consequens, quòd diuinus cultus exhiberetur, & hæc fuit opinio Hermetis Trismegisti, vt Augustinus dicit in 8. de Ciuitate Dei O 2.2.94. 1.

c. 23. Alij verò non exhibebant cultum Diuinitatis ipsis imaginibus, sed creaturis quarum erant imagines, & vtrumque horum tangit Apostolus ad Rom. 1. Horum tamen fuit triplex opinio; quidam enim æstimabant quosdam homines Deos fuisse, quos per eorum imagines colebant, sicut Iouem Mercurium, & alios huiusmodi; Quidam verò æstimabant totum Mundum esse vnum Deum (vt suprà dictum est) vndè putabant toti Mundo, & omnibus partibus eius, esse cultum Diuinitatis exhibendum, cęlo, aeri, aquæ, & omnibus huiusmodi partibus; & ad hæc referebant nomina, & imagines suorum Deorum; sicut Varro dicebat, & narrat Augustinus 7. de Ciuitate Dei c. 16. Alij vero, scilicet Platonici posuerunt vnum esse summum Deum causam omnium: post quem ponebant esse substantias quasdam spirituales a summo Deo creatas, quas Deos nominabant participatione scilicet Diuinitatis: (nos autem eos Angelos dicimus) post quos ponebant animas cęlestium corporum, & sub his Dæmones, quos dicebant esse aerea quædam animalia; & sub his ponebant animas hominum, quos per virtutis meritum ad Deorum, vel Dæmonum societatem assumi credebant, & his omnibus cultum Diuinitatis exhibebant, vt Augustinus narrat in 8. de Ciuitate c. 14.

Circa adorationem Idolorum repetit D.
P 3. p. 25. 3. 1. Thomas [p] quæ dixerat, sub his verbis; Quidam adorabant ipsas imagines, vt res quasdam, credentes in eis esse aliquid numinis, propter responsa, quæ Dæmones in eis dabant, & alios huiusmodi effectus mirabiles. Secundò propter res quarum erant imagines; statuebant enim huiusmodi imagines aliquibus creaturis, quas in eis, latriæ adoratione venerabantur.

Q 2. 2. 111, 2. 1. Quoniam verò vt obseruat alibi [q] quidam quasdam creaturas pro Dijs colebant absque institutione imaginum; sicut Varro dicit, quòd antiqui Romani diu sine simulachris Deos coluerunt, inhipetur primò; *non habebis Deos alienos coram me*; Quia vero apud alios erat cultus falsorum Deorum sub quibusdam imaginibus, prohibet Dominus imaginum institutionem, eat umque cultum; *non facies tibi sculptile*. Et præterea *non adorabis*, scilicet exteriùs; neque *coles*, scilicet interiùs; vt glossa exponit apud D. Th. 2. 2. q. 84. a. 2. & q. 94. a. 2.

3 Hoc memorato sacræ paginæ textu, fortè garriunt Iconomachi æui nostri hæretici putantes ab vno palmam reportare triumphi: Sed vt rem hanc de qua toties disceptatum est, pressius pertractem, præmitto indubitabile esse, quòd imaginum structura non sit ab intrinseco mala, si non alio ex capite, vel ex hoc vno, quia Deus ipsemet præcepit fieri imaginem Seraphin, vt
R p. 2. 100. 4. dicitur Exodi 25. (recolit hoc D. Thomas [r]) & Cherubinos alios sculpsit in Templo Salomon 3. Regum c. 6. igitur dum hic vetat fieri sculptilia, non id prohibet quia sit simpliciter malum, sed quia Iudæis ad Idololatriam pronis sic expediebat. Constat id ex Deuteron. cap. 4. *ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem:* & iterùm; *ne fortè eleuatis oculis ad cælum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas.* Attigit profundissi-
S p. 2. 100. 7. 2. mè veritatem hanc Sanctus Doctor [s] dicens esse præceptum cæremoniale, proinde non perpetuò arctans, sed illius temporis opportunitate. *Quibusdam præceptis (moralibus) additur cæremoniale determinatiuum præcepti moralis communis, sicut in primo præcepto; non facies sculptile; & in tertio præcepto determinatur dies Sabbati.* & hac de causa in primo, & tertio præcepto ob annexa cæremonialia, obseruat assignari rationem eorum; quæ alias superfluisset, si essent purè moralia, satis seipsis manifesta, neque per rationem aliquam communita. Itaque propter Idololatriæ periculum fuerunt interdictæ imagines quęcunque & simulacra. Vnde quamquam Dei iussu Numeri 21. fecisset Moyses in deserto serpentem æneum, quem deuexerunt secum in Chanaanitidem, atque vsque ad Ezechiæ tempora seruauerunt; nihilominus pius Rex, videns quòd pro Deo à plebe coli inciperet, confregit illum, vt legitur 4. Regum 18. Igitur si absit erroris periculum, quod quidem post Seruatoris Christi Iesu aduentum, nullatenus esse deprehenditur, dum vnus vbique terrarum, explosa Idololatria, Deus colitur, poterunt sine culpa, & fieri, & adorari sacræ imagines, neque diuorum dumtaxat, sed Christi, ac æterni Patris: & esse licitus & honestus earum vsus, vt etiam ex Tridentino sess. 25. nec non ex alijs vt Niceno, & Romano sub Gregorio 2. vt apud Io. Bunderium; mille pene Episcoporum. Quamuis autem in quodam Concilio Constantinopolitano, vt fert Roffensis contra Lutherum art. 29. in quo fuerunt 330. Episcopi, contra Sanctorum imagines decretum sit, attamen nec auctoritate Pontificis, nec subinde Spiritu Sancto coactum est; idcirco non modo per Stephanum Papam in Romano Concilio, verùm etiam per Synodum septimam, reuocatum fuit, ac omnino condemnatum, & contra cunctos defensores anathema fulminatum.

His quæ dixi astipulantur, non solùm Concilia, & Sancti Patres, de quibus Ioannes Bunderius à Gandauo, & Paulus Grysaldus ordinis mei, sed & plurima antiquitatis probatæ historiæ exempla. Narrat D. Damascenus lib. 4. cap. 16. Abgaro Regi Edessenorum, qui vltra Euphratem (de quo meminit Eusebius Ecclesiasticæ historiæ l. 2. c. 25. nec non in septima Synodo Act. 5. ex Euagrio in Ecclesiastica historia, & Act. 7. ex Leone Constantinopolitanæ Ecclesiæ Lectore, vt apud Iulium Rugerium opusc. de Verbo Dei tradito cap. 9.) detersa sibi facie, sui imaginem sudario impressam transmisisse Christum Dominum; & hæc, Genuæ asseruatur in Ecclesia Sancti Bartholomæi: Quam Rugerius Romæ in Monasterio Sancti Syluestri se aït conspexisse; cùm tamen, vt dixi, Genuæ ab alijs credatur. Aliud recolit simile simulacrum Sanctæ Veronicæ in Basilica Sancti Petri commemorat [t]. Rursùs faciem suam linteo relictam dedit Veronicæ, quæ Romæ summa colitur veneratione, quaque inquiunt sanatus est Cæsar Tyberius. Scribit Eusebius lib. 7. cap. 11. Ecclesiasticæ Historiæ apud Cæsaream Philippi, extare imaginem æneam Saluatoris, ac mulieris quã à fluxu sanguinis liberauit. Quod refert Damascenus cum alijs plerisque oratione 3. Beronicæ nomen fuisse mulieris tradẽs; id habens Ioanne Antiochiæ Pontifice, qui & Malala, in Descriptione temporum. Commune est apud

omnes, per Sanctum Lucam epictam fuisse Deiparam suo cum Vnigenito pluriès. Quod & corroborat Lauretanæ Virginis miraculosa delatio. Denique Eusebio teste, Seth certè iustus, primus imagines fecit; nec dissonum esse potest, per artem figuras fieri, quando hoc ipsum naturanos edocet; siquidem obiecto speculo facies statim sui similitudinem eiaculatur in illud; sensusque & imaginatio hauriunt quotidie à rebus ipsis imagines; ac etiam spiritali in idolo mens nostra sua intellecta intuetur.

Sed quoniam hæreticorum perfidia sacrarum cultores imaginum, impudenter nedùm damnat impietatis, sed & crassæ ignauiæ ac inscitiæ, ideò operosiùs ostendendum est, quàm temerè de nobis iudicent & obloquantur, quasi idololatræ dementissimi essemus. Præiacto autem fundamento de nostræ & gentilium adorationis discrimine; nimirum quia, illi sic simulacra colebant, vt illis, quid numinis inesse vel adesse somniarent, quod nos horremus; quomodo sana mente imagines tangat cultus, aperimus. Quod quidem tametsi exercitè, vt ita loquar, quisque vel rudis satis teneat, attamen signatè non ita percipit. Et hoc fuit in causa, cur neoterici explosos toties errores, contrà imaginum adorationem, imperitorum animis disseminauerint. Pendet itaque controuersia à vera adorationis intelligentia, quæ præterea exposcit Aristotelicæ doctrinæ germanum captum. Inquit sanè Philosophus in libro de memoria, & reminiscentia cap. 2. duplicem esse motum animæ in imaginem. Vnus est in ipsam imaginem, secundùm quod res quædam est, puta lignum sculptum, vel pictum, & sic imagini nulla propriè reuerentia exhibetur, eoquòd reuerentia nonnisi rationali naturæ debetur. Miror quòd nos sic excordes & amentes existiment, cùm nec agrestis montanus tali abducatur dementia, vt lapidem colat vel lignum; cuius euidens signum est Catholicorum omnium consensus, de non curanda hac vel illa imaginum materie, imò de imaginibus picturis vel simulacris pretio vendendis, omni depulsa peccati trepidatione; eo quòd vt dicitur in 6. Synodo, & habetur de consecratione dist. 3. cap. Venerabiles; Venerabiles imagines Christiani non Deos appellant, neque seruiunt eis vt dijs, nec ab eis expectant futurum iudicium. Alter est motus in imaginem in quantùm est imago alterius, & hic est *vnus* omninò, & idem, cum illo qui est in rem. Philosophiam hanc ægrè capiunt aduersarij, cùm tamen extet prouerbium ab Aristotele in libro de memoria & reminiscentia cap. 2. *idem motus est in imaginem, & in imaginatum*. Igitur sicuti cum phantasiamur de hoste, idem est motus odij quo ferimur in hostem, & in idolum hostis, quod in phantasia præexstat, nec vllus dicet nos odio seorsim habere erroneè ac stultè phantasma illud, aut illud esse superfluum, non enim odimus accidens illud intentionale, cùm tamen non sine illo, sed in illo & per illud, hosti succenseamus: sic in exteriori imaginum sacrarum cultu, & vsu, quæcunque fideli ritu aguntur, non fiunt seiuncta mente, sed vnica simplicissima latione, quâ simul vnâ colimus ideatum ac ideam, in qua ideatum videmus. Cur ergò nos calumniantur, si agimus externè, quod ipsi, velint nolint, coguntur internè facere, dum cogitant Diuum Petrum, Beatam Virginem, & alios Sanctos, quos interiori obsequio venerantur? Eo prorsùs modo, quo ipsi intùs se gerunt circà interiores imagines, nos extra gradimur, & tùnc amandabimus exteriores imagines, cùm ipsi Phantasiæ simulacra ablegabunt. Quare vt ipsis, si contingat somniari de suo aliquo Patrono ac Domino, accidet deuota salutatione illum prosequi, & tamen si sub oculis caderet eodem omnino actu salutarent interiorem imaginem; ita fas est nobis imagines venerari. Quare D. Thomas 2. 2. 81. 3. ad 3. inquit quòd imaginibus non exhibetur Religionis cultus secundùm quòd in se ipsis considerantur, quasi res quædam, sed secundùm quòd sunt imagines ducentes in Deum incarnatum: motus autem qui est in imaginem prout est imago, non consistit in ipsa, sed tendit in id cuius est imago; & ideò ex hoc quòd imaginibus Christi exhibetur Religionis cultus, non diuersificatur ratio latriæ, nec virtus religionis, & q. 103. 3. ad 3. motus qui est in imaginem in quantùm est imago, refertur in rem cuius est imago: non tamen omnis motus qui est in imaginem, refertur in eam in quantùm est imago; & ideò quandoque est alius motus specie, in imaginem, & in rem: & sic 3. p. 8. 3. 2. inquit, sancti Patres non insistebant sacramentis legalibus tanquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus, & vmbris futurorum, Hebr. 8. Quod si Diuorum respuant cultum, alia erit quæstio. Hic solùm de imaginibus controuertitur.

Honestat autem sensibilium imaginum cultum naturæ humanæ conditio, quæ quia sensibile concernit corpus, cui per se inngitur anima, sensibilibus semper vtitur adminiculis: de quo 3. cont. G. c. 119. vbi ait: se homines esse non meminerunt, dum sensibilium sibi repræsentationem necessariam non iudicant ad interiorem cognitionem vel affectionem. Sic Deus per sensibilia Sacramenta nos ducit ad vitam: sic nedum interiora nostra, sed genuum manuum, & oculorum ad se trahit obsequium, vt membra, quæ *seruiebant iniquitati, exhibeamus seruire iustitiæ*; nam tandem vt ait Damascenus l. 4. c. 17. ex D. Basilio imaginis honor ad prototypum, exemplar, imaginisque veritatem, transfertur. Sic D. Th. quodlib. 8. a. 7. dum docet malo Prælato exhibendum esse honorem, inquit; ille cuius Prælatus malus vicem gerit, dignus est, vt eius vicario talis honor exhibeatur, sicut Beata Virgo digna est vt eius imaginem depictam in pariete reuereamur, quamuis tali reuerentia ipsa imago digna non sit. Hinc Damascenus relatus op. 41. l. 3. cap. 5. Dei genitricis imaginem non materiam, sed figuram adoramus: figuram hic intellige (ait D. Th.) figuratum, seu significatum per imaginem.

Accedit summoperè nostræ indigentiæ conferre sacrarum imaginum venerationem & cultum; siquidem quod legentibus scriptura, hoc præstat idiotis pictura; ad memoriam etenim reuocat sanctorum gesta & exempla, mysteria nostræ fidei repræsentat, & tandem cùm in imagine non sistamus, nos in affectus dulcissimos, in compunctionem, in fletus, ac si coram obiectis essemus, trahit & eleuat. Ex quo & D. Thomas 2. 2. 94. 2. neque etiam nunc imagines in Eccle-

sia instituuntur vt eis cultus latriæ exhibeatur; sed ad quandam significationem, vt per huiusmodi imagines mentibus hominum imprimatur & confirmetur fides de excellentia Angelorum, & Sanctorum.

Hanc fouit miraculis mille doctrinam Omnipotens Deus, adeò vt iam apud fideles vbique locorum compertum sit, sibi complacuisse Dominum in imaginibus, suis cum sanctis coli & adorari. Euincunt id vota appensa, quibus iam non sufficiunt Ecclesiarum parietes, dum in attestationem gratiarum, quæ à diuina munificentia Diuis intercessoribus receptæ sunt, in dies nouis iconibus tabellæ pinguntur. Si Deo hodie adhuc cum idola penitus contrita sunt, essent exosa sculptilia, non ad illorum venerationem tot mirabilia patraret: pudeat ergò nouellos fidei hostes, imaginum reprehendere cultum, quem Deus tantis prodigijs acceptum probat.

Post hanc autem inuolutam cum Sanctis imaginum venerationem, nonnulla etiam laudabiliter ex hibetur honoris ratio imaginibus ipsis; sed hæc longè est inferior; eo nimirum pacto, quo Sacra Bibliorum volumina exosculamur, & res omnes sacras, altaria, & calices deuota manu tractamus: sic passim Regum & Imperatorum, non solum imagines, sed & nomina, detecti pileo, venerabundi adimus, & audimus: quod Ioannes Barclaij in sua Parænesi doctè obseruat; & monet Propheta dicens ps. 98. *adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*. Tamen de adoratione humanæ naturæ a Deo assumptæ exponit Aug. verba præfata; *adorate* &c. op. 41. l. 3. c. 5. Quocirca post firmatam hanc expositionem, op. 58. c. 4. addit ex August. Sciendum, quia in Christo caro sine imperitate adoratur. Dicunt hæretici, quid est quòd carnem illius, quam creaturam non negas cum Diuinitate adoras, & ei non minus quam Diuinitati defetuis? Respondeo; Dominicam carnem perfectam humanitate ideò adoro, quia à Diuinitate suscepta, (ecce mysterium,) & Diuinitati in vnitate personæ vnita. Si hominè separaueris à Deo, illi nô credo, nec seruio: velut si quis purpurâ vel diadema Regis per se iacens inueniat, nunquam adorabit: cum verò ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si eam cum Rege adorare contempserit. Sic etiam in Christo humanitatem non solam yel nudam, sed Diuinitati vnitâ scilicet vnû filium Dei, verum Deum, & verum hominem si quis adorare contempserit, æternaliter morietur. Ita S. Damascenus relatus 22. 99. a. 2. *Purpura Regale indumentum facta honoratur & glorificatur: & si quis hanc perforauerit morte damnatur, quasi contrà Regem agens*.

Qui plura cupit, videat interpretes in 3. partem D. Thomæ q. 25. art. 4. vbi totius materiæ huius loca tanguntur: præsertim verò ad primum de Dei imaginibus; quamuis enim ante Verbi incarnationem nefas visum fuerit, Deum penicillo aut celte adumbrare; tanquam futurum erroris occasionem, mundo nimis sui Creatoris ignaro: vnde Isaias c. 40. dolet, *cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* quia vt inquit Damascenus l. 4. c. 15. *insipientiæ summæ est, & impietatis, figurare quod est diuinum*: attamen quia Deus homo factus est, potest exinceps in sui imagine corporali adorari; sed hoc nutu, & ductu Ecclesiæ, quæ suis in ritibus creditur erroris nescia. Sic post tantum mysterium quo nostram naturam dignatus est, indulsit veluti Deus per Ecclesiam, vt membris humanis; & ipse Pater caderet nobis sub visu: adquod animum diu præparauerat, antiquis apparitionibus, puta, cum Abrahæ Genesis 18. & Danielis 7. sub specie senis; nunc enim satis honestè corpus per remotionem epingitur æternus Pater; sicut, & per materialia intelligimus immaterialia, & Deum ex creaturis nominamus, nec tamen vllus est error in mente, de quo p. p. q. 13. a. 1. Et potest melius enucleari, ex ijs quæ docet ibi a. 12 ad 3. alius est enim modus intellectus in intelligendo, quam rei in essendo: manifestum est enim, quòd intellectus noster res materiales infra se existentes, intelligit immaterialiter, non quòd intelligat eas esse immateriales; sed habet modum immaterialem in intelligendo. Et similiter cum intelligit ea secundum modum suum, scilicet compositè, non tamen ita quòd intelligat ea esse composita. Hæc D. Thomæ doctrina potest optimè aptari præsenti controuersiæ, dicendo epingi Deum, quo intelligatur potius quid non sit, quàm quod sit: quare sicut dicitur de Iacob Genesis 32. *vidisse Deum facie ad faciem*, quantum ad figuram in qua repræsentabatur Deus, vt docet idem Sanctus Doctor, [T] ita poterit (maximè postquam visibilis Deus in carne vera apparuit,) visibilibus lineamentis castè adumbrari; quemadmodum & Sancta Trinitas Abrahamo Genesis 18. visibiliter apparuit, vt exponit Augustinus l. 2. super Genesin c. 11. Hinc D. Dionysius de diuinis nominibus c. 1. probat ex quibusdam apparitionibus diuinus denominari per theologos Deum: *& formas, inquit, & figuras humanas, aut igneas aut electrinas circumponunt; & oculos ipsius & aures, & cincinnos, & vultus & manus* &c. Et sic etiam metaphoricis possunt Diuinæ personæ significari figuris, vt Christus in specie agni, & sub Columbæ specie Spiritus Sanctus: quamuis sub his metaphoris non adorentur; quia proprietatem magis quàm personas repræsentant, ideoque neque Ecclesiæ visus id traxit in morem: id quod ad adorationem nonnihil facere obseruat etiam Suarez ex Caietano, hoc in loco. Sect. 5. Quomodo autem catholicus imaginum cultus ab impia gentilium superstitione, (qua & tacti sunt aliquando Hebræi) differat, satis, ex dictis suprà, innotescit; & videri luculentius potest Suarez, sect. 7. vbi animaduertit *Idoli* nomen, quemadmodum *sculptilis & simulacri*, passim in sacris literis in malum accipi; ideoque Christianis à similibus vocibus esse cauendum, quod apprimè monuit 4. synodus actione 7. præcipiensue Idolorum nomine imagines appellentur.

[T] p. p. 12. 11. 1.

Nota hic autem ex D. Thoma [V] quod licèt tam dulia quam latria græcè seruitutem importet; nihilominus, seruitus latriæ inuoluit diuinum cultum; immò si pressius loqui velimus, Latria dominium Dei, secundum creationis rationem spectat, quod incommunicabile est creaturis: secundum verò quod creaturæ Dei dominium participant, obseruantur dulia, quæ etiam ad Deum est per excellentiam, quatenus Deus excellenter est Dominus.

4
[V] 2. 2. 103. 3.

VERSVS V. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.*

Fit mentio in hoc præcepto, quemadmodum & in secundo, de pœnæ comminatione, [X] quoniam pœnæ ex Philosopho, præcipuè necessariæ sunt contra pronos ad malum: erant autem homines proni ad Idololatriam, propter generalem consuetudinem gentium: & similiter sunt etiam homines proni ad periurium propter frequentiam iuramenti.

X p. 2. 100. 7. 4.

Sed cum Ezech. 18. dicatur; *filius non portabit iniquitatem Patris*; statim consurgit admiratio de præsenti comminatione. Pro cuius intellectu, multiplici in loco consulendus est Sanctus Doctor. Itaque, pœna spirituali, pro certo tenendum est, alterum pro peccato alterius [A] nunquàm puniri: pœna autem temporali, nullum est inconueniens; quia vnus homo temporaliter est res alterius; & ita in pœnam eius etiam ipse punitur; sicut filij secundùm corpus sunt quædam res Patris, & Patres amant filios vt aliquid ipsorum sicut dicit Philos. 8. Ethic. c. 12. & serui sunt quædam res dominorum: sic paruuli Sodomitarum perierunt Genesis 19. & paruuli Num. 16. pro peccato Dathan, & Abiron, cum eis absorpti sunt: vnde & occiduntur pecora, & diruuntur [B] domus, in quibus nulla est culpa, pro eo quòd sunt res peccatoris, qui in eo punitur.

A 2. 2. 108. 4. & p. 2. 100. 5. 4.

B 1. Annib. 13. 2. & q. 4. de malo a. 8. 6. & q. 5. a. 4.

Nihilominus exponi potest hic locus de punitione filiorum, non quia insontium, sed quia fuerint paternæ malitiæ imitatores, vnde & in anima puniuntur. Sapientiæ 4. *ex iniquis nascitur iniquitas.*

Audiamus D. Thomam: [C] dicit autem puniri peccata Patrum in filios, quia filij in peccatis parentum nutriti, proniores sunt ad peccandum, tùm propter consuetudinem, tùm etiam propter exemplum, patrum quasi auctoritatem sequentes. Sunt etiam maiori pęna digni, si pęnas patrum videntes correcti non sint. Ideò autem addidit; *in tertiam & quartam generationem*, quia tantùm consueuerunt homines viuere, vt tertiam & quartam generationem videant; & sic mutuò videre possunt, & filij peccata parentum ad imitandum, & patres pęnas filiorum ad dolendum. Id ipsum traditur [D] in sententijs: intelligitur (inquit) in illis, qui imitando peccatum parentum, non præstant impedimentum vindictæ. Ideò autem tertia, & quarta generatio determinantur, & potiùs fit mentio de peccato parentum quàm aliorum, quia filij liberiùs imitantur peccata parentum, vtpote à pueritia in eis nutriti; & præcipuè illorum, quorum memoria adhùc manet, quod est in tertia & quarta generatione: vnde & ipsi magis quàm parentes puniuntur, quia ex maiori contemptu & libidine peccant. Et ita Chaldæa interpretatio legit, *quando filij sequuntur peccata patrum*. Et fortè ad hoc inuenendum Leuitici 26. reciprocè habemus, *propter peccata patrum suorum, & sua affligentur*: statimque *donec confiteantur iniquitates suas, & maiorum suorum.*

C p. 2. 88. 8. 1.

D d. 33. q. 1. a. 2. & ad Annib. cit.

Sic alibi; [E] Ad primum (inquit) dicendum quòd pęna spirituali, sicut Augustinus dicit in Epistola ad Auitum num. 75. nunquam puniuntur filij pro parentibus, nisi communicent in culpa, vel per originem, vel per imitationem, quia omnes animæ immediatè sunt Dei, Ezech. 18. *omnes animæ meæ sunt.*

E p. 2. 81. a. 1.

Doctrina hæc est ex sacro textu, ibi enim præmisso quòd *filius non portabit iniquitatem patris*; assignatur ratio [F] *omnes animæ meæ sunt*. Sicuti innuitur hoc in loco, cur puniantur quandoque, quia nimirum imitantur peccata [G] ijs *qui oderunt me*. Quibus addo ipse, constare magis, transitum peccatorum verbis illis, *visitans iniquitatem Patrum in filios*. Altero ex capite id explicans, aggrauat patrum peccatum [H] dicens; si vterque parens malus sit, rarò accidit, quin filius imitetur malitiam eorum; & filij malorum parentum assuescunt in iuuentute, & fortiùs adhærent, ideoque sunt procliues ad malum. Et dum parentes mali filiorum non corrigunt peccata, reatu aggrauantur.

F p. 2. 87. 8.

G ibi ad 1.

H Matth. 23. ante illa verba *Et vos implete mensuram.*

Exemplum in praxi hucusque dictorum habemus in Matth. cap. 1. qui genealogiam texens Saluatoris, cùm peruenisset ad Ioram, qui declinauit ad Idololatriam, puniri ostensus est in tertiam generationem, omissis per instinctum Spiritus Sancti tribus intermedijs Regibus Iuda, nimirum Ochozia eius natu minimo filio, Ioas nepote, & Amasia pronepote; qui omnes vt obseruat Hieronymus apud D. Thomam [I] in peccato Patris Ioram perseuerarunt; nam postquam Ioram per Athaliam, quam duxerat vxorem, tractus est in Idololatriam, Ochozias magis quàm Pater Idololatriæ deditus fuit; sic Ioas, & Amasias, vt videre est 2. Paralip. c. 21. & infrà; igitur etsi memoretur Ioras pio natus ex patre, attamen tres impij tacentur; & quasi per saltum legitur, *Ioras autem genuit Oziam*, qui tamen fuit filius Amasiæ, abnepósque Ioræ. His consentit etiam Augustinus, loco qui suprà. Hùc facit quod dixit Hieremias [L] *Patres nostri peccauerunt, & non sunt; & nos iniquitates eorum portauimus*. Et hoc ipsum docet 3. p. q. 31. a. 3. allato hoc textu ex Hieronymo & Chrysostomo, factum esse ob demerita Ioram, qui se miscuerat generi impiissimæ Iezabelis, & ob continuam memoratorum trium impietatem.

I Matth. c. 1.

L Thren. 5.

Quo suû cultum hominum inferat cordibus Deus optimus, se hic Zelotem asseuerat: zelus autem [M] est amor sponsi: sicut ergo sponsus nō parcit sponsæ malæ, sic nec Deus animæ peccatrici. *zelus, & furor viri non parcet*. Prouerb. 6. Sanè per fidem fit præcipuè anima addicta Deo; *Sponsabo te mihi in fide*, Oseæ 2. Si ergò eat post idola, iure se Deus zelotem contestatur, quo pacto & infrà c. 34. *Dominus zelotes nomen eius*; eique notam fornicationis pariter obiectat; quia crimen sponsæ non dimittit [N] inultum. 6

M Hebr. 10. 13.

N Hebr. 12. 14.

Sed quoniam zelus etiam, vt ponitur in Deo, aliam habet significationem, in quantum habet intensissimum amorem ad existentia, [O] possunt hæc verba accipi, non in comminationem, sed in amoris intensi indicium ad creaturas. Et iuxtà hunc sensum ait Diuus Thomas: [P] Quòd autem Dominus dicit; *visitans peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*, magis videtur ad misericordiam, quàm ad seueritatem pertinere, dùm non statim vindictam adhibet, sed expectat in posterum, vt vel saltem posteri corrigantur: sed crescente malitia posterorum, quasi necesse est vltionem inferri. In-

O p. 2. 18. 4. & c. 4. de diuinis nom. l. 10.

P 2. 2. 108. 4. 1.

horum

horum signum animaduerto quod sequitur; *& faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*; & Num. 14. legitur, *Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata Patrum in tertiam, & quartam generationem. Quàm bonus Israel Deus!*
Q op. 4. 5, 4. Sed tamen ipse non patitur [Q] consortem in anima, sicut nec vir in vxore. Et ideò dicit ipse. *Ego sum Deus tuus zelotes*: cui cohæret illud Isaiæ 28. *angustatum est stratum, ita vt alter decidat*.
R 2.2. q. 122. 3. Scilicet Deus verus [R] vel falsus à corde hominis.

VERSVS VII. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

Referuntur à D. Thoma loco citato quædam expositiones mysticæ huius præcepti. Sed literalis, inquit expositio est quæ habetur Deuteronomij 5. scilicet iurando pro re, quæ non est; & hic etiam exponitur in vanum, iurando scilicet pro nihilo, scilicet pro eo, quòd non est, quod pertinet ad falsam iurationem, quæ principaliter periurium nominatur: alia ibi digna videantur.

At audio dicentem, cur potius hic non prohibetur blasphemia? Occurrit Sanctus Doctor, in decalogo prohiberi præcipuè illa, quæ communiùs in cursu vitæ humanæ solent accidere; huiusmodi autem est periurium, quod frequentiùs accidit quàm blasphemia, in quam homo rariùs prolabitur. Nam ex p. 2. 100. 5. 3. sicut Apostolus dicit ad Hebr. 6. *homines per maiorem se iurant, & omnis controuersię eorum finis ad confirmationem est iuramentum*, & ideò quia iuramentum est omnibus commune, propter hoc prohibitio inordinationis circà iuramentũ, specialiter præcepto Decalogi prohibetur.
S 2.2. q. 13. 2.2. Nihilominus addi potest, [S] quòd cum blasphemia opponatur confessioni fidei, eius prohibitio reducitur ad prohibitionem infidelitatis, quæ intelligitur in eo quòd dicitur, *Ego sum Dominus Deus tuus*. Vel prohibetur per id quod dicitur; *Non assumes nomen Dei tui in vanum*; magis enim in vanum assumit nomen Dei, qui aliquid falsum de Deo asserit, quàm qui per nomen Dei, aliquod falsum confirmat.

Moraliter; multi dicuntur Magistri, & Domini, & non sunt
T Apoc. 1 c. 3. in principio. [T] facientes contrà hoc præceptum *non accipies nomen Dei tui in vanum*; id est Christi qui est Dominus, & magister, vt dicitur Io. 13. Nomen igitur magistri Dei sui in vanum accipit qui vocatur magister aut Dominus; & non facit officium magistri & domini. Magistri est docere veritatem: Domini est facere iustitiam, regere, & defendere bonos, & punire malos.
V Apoc. 1. cap. 14 post principium. Item ille in vanum [V] nomen Dei accipit, qui non facit opera, quibus se filium Dei, imò Deum per gratiam, *ego dixi dij estis*; & Christi imitatorem, se ostendat.

VERSVS VIII. *Memento vt diem sabbathi sanctifices.*

7 Quod primò occurrit exponendum circà hoc præceptum est, de abstinentia ab operibus seruilibus, nam repetitur *omne opus seruile non facietis in eo*, quænam ergò opera seruilia sunt? de corporalibus nunc est sermo; rident siquidem nos Iudæi quasi perpetuò in diebus festis simus transgressores legis. Igitur opera illa seruilia sunt quæ propriè pertinent ad seruientes; proinde sunt corporalia, nam vt ait Seneca l. 3. de beneficijs c. 20. [X] *errat si quis existimat, seruitutem in totum hominem descendere; pars enim melior excepta est, corpora obnoxia sunt & ascripta Dominis, mens quidem est sui iuris*; X 2. 2. 104. 5. Quæ vero opera communia sunt & seruis & liberis, seruilia non dicuntur. Quilibet autem tam seruus quàm liber, tenetur in necessarijs [A] prouidere, non tantùm sibi, sed etiam proximo, præcipue quidem in A 2. 2. 122. 4. 3. ijs quæ ad salutem corporis pertinent, secundariò verò in damno rerum vitando. Caput istud necessitatis fert D. Thomas [B] locis è regione citatis: non enim est contrà obseruantiam sabbathi, quod aliquis comedat, & alia huiusmodi faciat quibus salus corporis conseruatur. B p. 2. 107. 2. 3. 2. 2. 122. 4. 3. 3. p. 40. 4. 1. Sic excusatos ostendit discipulos Matthæi 12. qui colligebant spicas in die sabbathi. Multò magis cum de vitæ conseruatione proxima agitur; sic ibi, 2. 2. dicitur, propter hoc Machabæi non polluerunt sabbathum pugnantes ad sui defensionem; primi Machabæorum 2. *cogitauerunt in die illa dicentes; omnis homo quicumque venerit ad nos in bello, die sabathorum, pugnemus aduersus eum*. Fuit sanè huiusmodi cogitatio [C] magis interpretatio præcepti, quàm dispensatio. C p. 2. 100. 8. 4. Quocircà idem Sanctus Doctor in commentarijs Machabæorum [D] hæc scribit. D 1. Machab. 2. Ad hoc inquiunt aliqui, quòd Mathatias id fecit ductus familiari instinctu Spiritus-Sancti. Alij verò quòd propter articulum necessitatis; in qua erant, & cum esset summus Sacerdos, potuit in hoc dispensare; quod videtur etiam haberi ex facto Apostolorum, quando euellentes spicas comederunt. Dauid quoque tempore necessitatis comedit panes propositionis (1. Reg. 21.); ideo dicit glossa, ita sabbathum custodiri præceptum est, vt non sit reus qui violauerit, si necessitas fuerit. Vel dicunt quòd propriè non fuit ibi sabbathi violatio, nec dispensatio, sed commoda eius obseruatio, quia licitum & iustum est, etiam sabbatho fieri charitatis opera; & isti mouebantur charitate & zelo legis; quæ opera etiam, alias de seruilibus, sunt moralia, & maximè quando fiunt ex charitate illa imperante propter honorem, & obseruantiam legis & sabbathi; vnde videtur (inquit) mihi sine præiudicio, quod ipsi fecerunt meliùs quàm primi, de quibus benè dictum est, quòd *in simplicitate sua* mortui fuerunt. Nihilominus doctior factus, sola ex necessitate illos excusauit; & recurrit pro similibus ad legis intentionem, quæ non est [E] vt à salutaribus operibus abstineatur. E p. 2. 107. cit. Vnde Marci 6. legitur, *sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter sabbathum*.

Sic Sabbathum non violauit Helias fugiens à facie Iezabel in die Sabbathi. 8 Sic etiam in ordine ad proximi salutem, secundùm illud Prou. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*. Imo etsi agatur solùm ad imminens damnum rei exterioris vitandum, quo pacto ad hominem, Pharisæos Dominus arguit Lucæ 13. *vnusquisque vestrum Sabbatho non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare?* & infrà 14. *cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi?* Matthæique 12. *Quis erit ex vobis, qui habet vnam ouem, & si ceciderit Sabbatho in foueam, nonnè tenebit, & leuabit*

eam? Quæ quidem præmonita satis fuere in veteri lege Deuter. 22. *non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo.*

Multò magis ab omni exempta erant calumnia opera miraculorum quæ Christus faciebat, eoquòd pertinebant ad salutem corporis, & animæ. Vnde Ioannis 7. aiebat, *mihi indignamini quòd totum hominem sanum feci in Sabbatho?*

Multò minùs violatur sabbathum, quamuis materialiter violetur, per opus ad Dei seruitium pertinens; vnde Matthæi 12. *an non legistis in lege, quia sabbathis Sacerdotes in templo, sabbathum violant*, idest corporaliter in sabbatho operantur, *& sine crimine sunt*; & sic etiam Sacerdotes in sabbatho circumferentes Arcam non transgrediebantur præceptum de sabbathi obseruatione; & sic Ioan. 7. *circumcisionem homo accipit in sabbatho, vt non soluatur lex Moysi*. Et cum Christus mandauit Paralitico, vt lectum suum sabbatho portaret, ex hoc etiam capite, non soluebat sabbatum, quia ad cultum Dei pertinebat, idest ad laudem virtutis diuinæ: quamuis hoc Iudæi falsò obijcerent Christo dicentes Ioa. 9. *non est hic homo à Deo qui sabbatum non custodit*. Quemadmodum & Pharisæi secundùm superstitiosum intellectum huius præcepti incusabant discipulos. Et nihilominus pro Christo benedicto specialis
F 3.p.40. 4.1. est ratio, quia per præceptum [F] de sanctificatione sabbathi non interdicitur opus diuinum, sed opus humanum; quamuis enim Deus die septimo cessauerit à nouis creaturis condendis, semper tamen operatur in rerum conseruatione & gubernatione. Quòd autem Christus miracula faciebat, erat operis diuini, vnde ipse dicit Ioann. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.*

Verùm haud putet quis præcipi diem festum, vt vel ad scurrilia diuagetur, vel ocio torpescat; non est hæc legis intentio: ridebat hac de causa Seneca Iudæorum cæremonias, sicut Augustinus narrat in lib. de Ciuitate Dei, quia omissis diuinis, in Sabbathis, magis inutilibus rebus vacabant. O vtinam plusquàm septimam partem vitæ suæ in ocio non amitterent Christiani! quo D. Th. in 3. d. 37. q. 1. a. 5. Hoc Dei præceptum idcirco nos ab operibus arcet, vt vacemus diuinis ps. 45. *vacate, & videte quoniā*
G p. 2. 100.3.2. *ego sum Deus*. [G] Et ideo quantùm ad hoc dicitur præceptum morale; (morale quippe dicitur
H Math. 21.ibi, qui decimatis quod ratio naturalis suggerit) [H] scilicèt quòd habeat homo aliquod tempus, in quo vacet ad
I 3. 36. 1.3.5. orandum Deum. Ex hoc inquit alibi [I] Diuus Thomas, quòd quamuis ad perfectum statum contemplationis non perueniat omnis, qui in vita actiua est; tamen omnis Christianus, qui in statu salutis est, oportet quòd aliquid de contemplatione participet, cum præceptum sit omnibus; *vacate & videte*, &c. ad quod etiam est tertium præceptum legis. Itaque in obseruantia Sabbathi duo sunt consideranda, cessatio scilicet ab operibus quasi medium; & vt homo vacet rebus diuinis, tanquam finis: quod significatur per hoc quod dicit; *Memento vt diem Sabbathi sanctifices*: illa enim dicuntur sanctificari in
L 1. 2. 122.4.3. lege, quæ [L] diuino cultui applicantur.

Sed quoniam præceptorum veteri in testamento sunt aliqua purè moralia, puta non occides: aliqua purè cæremonialia, vt oblatio agni; & quædam partim moralia, partimque cæremonialia, vt pluries docet Angelicus, operæ pretium est ipsum rem hanc absolutissimè resoluentem, quantùm spectat ad præsens, audire.

Igitur citata in secunda secundæ sic ait [M] 9
Ad primum ergò dicendum, quòd præceptum M 2. 2. 122.4.1.
de sanctificatione Sabbathi literaliter intellectū est partim morale, partim autem cæremoniale. Morale quidem quantùm ad hoc quòd homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum diuinis; inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc quòd cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & alijs huiusmodi: vnde etiam spirituali refectioni qua mens hominis in Deo reficitur, secundùm dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo, & sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum diuinis, cadit sub præcepto morali: sed in quantùm in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est præceptum cæremoniale. Similiter etiam cæremoniale est secundùm allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi in sepulcro, quæ fuit septima die. Et similiter secundum moralem significationem prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo; & secundùm hoc quodammodo est præceptum generale. Hinc legitur Ezechielis 20. *Sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me, & eos*; de quo ad Rom. 5. l. 6. (hùc spectat quod scribit in eodem art. ad 3.) & quia magis homo impeditur à rebus diuinis per opus peccati, quàm per opus licitum, quamuis sit corporale, ideò magis contrà hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit: vnde Augustinus dicit in libro de decem chordis capit. 3. ante medium: melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro sedens otiosus existeret; & meliùs, fœminæ eorum in die sabbathi lanam facerent, quàm quòd tota die in neomenijs suis impudicè saltarent: & in opusc. 4. vbi plura percurrit, ait ex eodem August. minus malum est in die festo, arare quàm ludere. Pergit D. Thomas loco priori: similiter etiam cæremoniale est secundùm significationem anagogicam, prout scilicet præfigurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria.

Sed dicet quis; videtur sibi S. Doctor contrarius; siquidem hic & 1. 2. q. 100. a. 5. ad 2. docet quietem animæ in Deo, indicare præceptum hoc cæremoniale: & tamen non solum Isaiæ 56. ait, sabbathi obseruatio erat moralis, quantum ad hoc quòd quies in Deo ponatur, & quòd aliquando diuinis rebus vacetur; sed etiam in 2. 2. q. 35. a. 3. ad 1. inquit, secundùm quod est præceptum morale, præcipitur quies mentis in Deo; si morale est quomodo cæremoniale? & è contrà, si cæremoniale quomodo morale? Facile concordatur Angelicus; quies enim prout est fructus vacationis nostræ ab operibus, & est nonnulla redactio animæ in Deum, morale astruitur præceptum: prout verò quies in Deo præsefert plenitudinem gratiæ, quæ per Iesum Christum facta est, & fruitionem gloriæ de qua ad Hebræos 4. sic est cæremoniale; & ideò citato art. 5. 1. 2. ait, inter omnia autem futura beneficia, quæ

erant

erant præfiguranda, præcipuum & finale erat, quies mentis in Deo, vel in præsenti per gratiam, (en cæremoniale quoad mores) vel in futuro per gloriam (en anagogicum cæremoniale. N Colot. 2.14. Quocirca alibi etiam recolit [N] rationem allegoricam præcepti huius esse, quia significat quietem in sepulcro, & anagogicam quia quietem, (intellige consummatam) animæ in Deo, & ita etiam 1. 2. 102. 4. 10. per sabbatum inquit designatur spiritualis requies nobis data per Christum, vt habetur ad Hebræos 4. Secundùm quòd hoc præceptum morale est, illi contrariatur tri- O 2.2.35. 3.1. stitia [O] mentis de bono diuino; & gula etiam per quandam reductionem, in quantum inordinata ciborum concupiscentia, auertit ab vltimo fine, in quo nobis quies præcipitur, opponitur P 2. 2. 148. 2. & de malo 14. 2. in fine. illi. [P] impeditur quippe per immoderantiam gulæ quies ista.

Ex hoc tanquam ex lucidissimo fonte, ema-
10 nat vnde Iudæorum nebulę dispergantur. Certè antiquata in lege, seuerior erat diei festi obseruatio. Infrà c. 31. & c. 35. legitur; *omnis qui fecerit opus in hac die morietur*, & sic Numeri 15. factum est, vt inuenirent *hominem colligentem ligna in die sabbathi, & obtulerunt eum Moysi & Aaron, & vniuersæ multitudini, qui concluserunt eum in carcerem nescientes quid super eo facere deberent; dixitque Dominus ad Moysen, morte moriatur homo iste: obruat eum lapidibus omnis turba extrà castra.* Credendus est verbum Domini contempsisse. Immò tanquam infidelis, vt ait D. Th. 1.2.q. 105. a. 2. ad 9. Præterea hic c. 16. & 35. præcipitur; *non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per* Q Matth. 24. *diem sabbathi*; & super illa verba [Q] *orate ne fiat fuga vestra in hyeme, vel in sabbatho*: ait S. Doctor; Deus præcepit, quòd non irent Hebræi vltra vnum milliare, quod obseruat etiam D. Hieronymus in catena, dicens; quia in altero transgressio legis est, si fugere voluerint. Cum enim Exodi 16. præcepisset Dominus eo loci, *nullus egrediatur de loco suo die septimo*, interpretabantur vniuersaliter id inhibitum esse; & erat apud eos inconcussa traditio; de quo eruditè Maluenda noster libro 11. de Antichristo c. 9. Quare iam R 2. 2. 122. 4. insurgit D. Thomæ argumentum [R] satis apparens; in noua lege non seruatur hoc præceptum, nec quantùm ad diem sabbathi, nec quantùm ad diem dominicam, in qua & cibi coquuntur, & itinerantur, & piscantur homines, & alia multa huiusmodi faciunt.

Respondet D. Thomas profundissimè quòd Dominicæ diei obseruatio non est figuralis, sicut fuit obseruatio sabbati in veteri lege; & ideò non est ita arcta prohibitio operandi in die dominica, sicut in die sabbati; sed quædam opera conceduntur in die dominica, quę in die sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi. Sic etiam in quibusdam operibus prohibitis, faciliùs propter necessitatem dispensatur in noua, quàm in veteri lege; quia (ò pulchram rationem!) figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet.

Opera autem secundùm se considerata immutari possunt pro loco & tempore. Sanè, aio ego, sicut voces si tantillùm in vi significandi immutentur, trahunt in errorem, primæuo significato non vltrà aptæ, vt patet de cantatissima voce *omusios* siue potiùs *omousios*, ab *omos* & *vsia*, quod sonat consubstantialem, siue eiusdem essentiæ, siue naturæ: quæ quidem vox si vel tantillùm varietur dicendo vel *emiusios*, quod sonat semiessentialis, vel *ominsios*, quod sonat similem essentiam, vel destruit vel labefactat Catholicum dogma. Et eiusmodi callidam atque versutam immutationem obtrudere conati sunt olim Ariani in Concilio Ariminensi, vt refert eruditè Grauina in Deposito Ecclesiæ cap. 4. numer. 8. quamuis *ominsion* pium sensum habere posse secundùm Hilarium recolat cap. 14. num. 12. Igitur cum omnia in figura, quod ait Apostolus, contingerent illis, hoc est in parabolam & significationem, nefas fuisset, non adamussim figuratiuam legem implere, & sic ab vniuerso opere non vacare. Potest idipsum appositè explicari, exemplo Regis, qui sibi ad nuptias cupienti, dissita ab regione Reginam, illius expressam, ipsissimam effigiem transmitti rogat. Certè si pictor futuræ vxoris regiæ imaginem ad prototypum non efformat, quamquam in minimo delinquat, summè est reus, eoquòd figura pertinet ad veritatis protestationem, quam nec in modico præterire oportet. Postquàm autem nuptiæ celebratæ sunt, traductaque est in thalamum sponsa, haud curat Rex, si dissimilis, nec ad vnguem prospiciatur iàm priùs nuptæ imago. Sic ad rem nostram.

At rogabis; cum Dominus de tàm exacta Sabbathi obseruatione solicitus fuerit, cur hunc in finem futuræ quietis Christi Domini in sepulcro animæque in Deo per gratiam, & in gloria eam ordinauit? gratis enim videtur hoc à nobis excogitatum, ne præcepti transgressores dicamur.

Sanè, rationabiliter dicitur, nec temere excogitatum, eo quòd ineffabile incarnationis mysterium, & ad illud feliciter consecuta, debuere multifariam multisque modis populo ex quo Christus secundùm carnem nasciturus erat, præsignari. Venturum omnia sonabant, cuncti in diem expectabant, vicissim deprædicabant: beati oculi, qui eum viderent: sic per maiorum documenta anxiè promissis bonis inhiabant, gliscebant; idcircò, vt in figura caperent summum bonorum omnium, quæ post Messiæ aduentum promittebantur, in plena Dei quietissima fruitione consistere, sacrum otium à seruilibus custodiebant. Aptior veritatis huius figura præmitti non potuit. Sic de quiete Christi Domini in sepulcro, quem decuit præ cunctis non in sinu Abrahæ sed in sinu Patris, quasi vnigenitū esse, & perennare. Verosimile est autem, vt hi qui tūc tēporis etiā feruebant cæremoniarū scire mysteria, de miro præcepti huius rigore edocerētur: & imò ex tàm seuera festi obseruatione excitarentur multi ad quærendum, & perquirendum quidnam præsignaretur. In cuius comprobationem in diebus alijs festis solemnissimis, licitè opera nonnulla fiebant, vt coquere cibos; suprà c. 12. *nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.*

Iecit hucusque dictorum fundamenta Moyses inspirante Numine scribēs Geneseos 2. dicens *requieuit Deus ab omni opere quod patrarat*; signanter enim verbo requietionis vsus est [S] post opera Dei, vt signaret spiritualem requiem, quam S Io. 5. 2. 2.

Z Deus

Deus fidelibus suis pollicebatur. Si hæc non admittat fidelis; dicat cur præsignatis tot alijs, non debuerit & requies Christi & animæ præfigurari? & quia figuris impletis, inane colendi easdem studium foret; idcircò conceduntur rationabiliter nunc quædam opera, quæ licet quietem aliquantulum interturbent, tamen non omninò tollunt, nec sunt in vigore seruilia, quia sui ipsius; neque ex propria indigentia quis dicitur seruus: cuiusmodi sunt decoctio ciborum, emptio necessariorum, & verrere domum. Facilius etiam in aliquibus dispensatur. Nec tamen hoc est dispensare in præcepto decalogi prout morale est [T] sic enim sunt indispensabilia: sed est, in modis quibusdam specialibus ad illorum obseruantiam ordinatis, honestè, & congruenter iudicium ferre, de opere hoc vel illo exercendo; quemadmodum dispensatur in voto, [V] determinando in hoc vel illo casu, hoc non esse congruam materiam voti: alijs permanente, in suo robore satis, morali præcepti obseruatione, vacando vel in Missa Deo, & diuinis.

T p. 2. oc.8.

V 2.2.88. 0.2.

11 Caueant tamen ad quos spectat à nimia indulgentia, potiusue corruptela: iàm enim vnusquisque secum priuatim præsumit dispensare: iàm plura fiunt opera seruilia in die festo quàm in profestis; iàm tonsores atque sutores, & alij huiusmodi proprio marte suas artes indiscriminatim quauis in solemnitate impudenter exercent. Recolant Prælati sibi ex officio incumbere animam etiam ponere pro ouibus suis; & caueant iterum ciues, qui plùs, quàm animæ, corporis addicti delicijs, trahunt vel inuitos sibi seruientes in culpam: quamuis excusentur nonnulli, puta, ne fiat tonstrina deserta.

12 Sed ab hoc nōdum possumus expediri præcepto; Iudæis etenim insultantibus ritui Christianorum de cultu diei dominicæ, abiecto sabbatho, illud Isaiæ cap. 24. fertur reprehensionis aculeo; *mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum*. Vt igitur quàm licitè, quàmque solido fundamento Spiritus-Sancti illustratione ducta, ita decreuerit Ecclesia, innotescat, est iterùm repetendum; cæremonialia [X] antiquæ legis iamdiu expirasse, (quinimo illorum obseruationem, post Euangelij promulgationem, non solùm mortuam esse, sed etiam mortiferam:) inter hæc autem meritò recensetur sabbathi festum; quia non potest dies hic vel ille determinatè moralem præseferre obseruantiam, quæ sita est in vacando diuinis, quouis fiat die. Itaque est veluti accessorium præcepto, vt sanctificetur dies sabbathi, in memoriam scilicet ingentis Dei beneficij nempè creationis; vt patet in ipso textu: hinc ait D. Thomas [A] in quantùm in hoc præcepto determinatur speciale tempus, in signum creationis Mundi, sic est præceptum cæremoniale; omnes quippe solemnitates veteris legis, sunt institutæ in commemorationem [B] alicuius diuini beneficij, vel præteriti commemorati, vel futuri præfigurari; inter omnia autem beneficia Dei commemoranda, præcipuum erat beneficium creationis. Crediderim propterea recordationis themate præceptum esse; memento nimirùm vt diem sabbathi sanctifices, quoniam vbi agitur de beneficijs, vt ait Seneca l. 3. c. 1. *ingratissimus omnium qui oblitus est, signum est enim illum non sæpe* [C] *de reddendo cogitasse, cui obrepsit obliuio*. Quocirca D. Thomas p. 2. 100. 7.4. præceptum de sabbatho ponitur vt commemoratiuum beneficij præstiti; & ideò specialiter in eo fit mentio de memoria. Vel quia præceptum de sabbatho habet determinationem adiunctam, quæ non est de lege naturę, & ideo hoc præceptum speciali admonitione indiget. Igitur sacris docti institutis, si maius agnouerimus nobis collatum beneficium à Domino Deo, non abs re fuerit peculiari diei alicuius sanctificatione, illud recolere: cuius quidem innouati ritus protulit nobis Deus ipse exemplum, Deuteronomij 5. dicens post iteratum diei festi præceptum; *memento quòd & ipse seruieris in Aegypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento, idcirco præcepit tibi vt obseruares diem sabbathi*. Sic Exodi capit. 31. *Videte vt sabbatum meum custodiatis; quia signum est inter me & vos, in generationibus vestris*. Si signum, ergo cæremoniale. Cùm ergo beneficiorum maximi, (cuius nuper memoratum fuit signum) nobis sit recolenda memoria, nempe resurrectionis Iesu Christi ex mortuis, in quo tanquàm in capite nostra cuncta complentur, excusso peccati, inferni, & mortis iugo, meritò sabbathum quod significat primam creationem mutatur [D] in diem dominicum, quo commemoratur noua creatura, inchoata in resurrectione Christi: sicut & alijs solemnitatibus veteris legis, nouæ solemnitates succedunt, vnde festo Phase succedit festum Passionis Christi, & resurrectionis. Festo Pentecostes, in quo fuit data lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo fuit data lex spiritus vitæ. Festo Neomeniæ, succedit festum Beatæ Virginis, in qua primo apparuit illuminatio Solis, idest Christi per copiam gratiæ. Festo tubarum succedunt festa Apostolorum. Festo expiationis succedunt festa Martyrum & Confessorum. Festo tabernaculorum succedit festum consecrationis Ecclesiæ. Festo cœtus atque collectæ, succedit festum Angelorum, vel etiam festum omnium Sanctorum.

X p. 2. 101. 1. & 3. & q. 107. 2. 1.

A 2. 2. 122. 4. 1. & Isaiæ 56.

B p. 2. 100. 5. 2.

C 2. 2. 107. 1. 2.

D p. 2. 103. 3. 4.

Verum ne nugari in fidelibus Iesu Christo, atque ipsius Sanctæ Ecclesiæ videamur, exploratissimum esse contendimus; non eiusdem momenti apud Dominum æstimari, si omittatur septimus dies simpliciter, atque si omittatur hic septimus celebrari. Certè Exodi 12. legitur; *dies septima eadem festiuitate venerabilis*, & priùs; *dies prima erit sancta atque solemnis*: in quamcunque autem incideret ea dies septima, non fuit solicitus Dominus; etenim phase secundùm lunæ variationem variabatur quotannis. Et fortè instruimur suprà c. 16. de hac non adeò fixa sabbathi obseruatione; eòquod ibi habemus, ante Mannæ lapsum, vespere comedisse carnes; ascendit enim coturnix & cooperuit castra: igitur parauerunt vespere illa, & coxerunt quos comederent cibos: ex quo apparet diem illum non fuisse diem sabbathi; nam fecerunt in eo seruile, alias vetitum opus; ergò ad summum post quinque alios dies operis debuisset succedere dies sabbathi; & tamen inquit facet textus; *in die autem sexta collegerunt cibos duplices*: ex quo rursus deprehenditur primæuum diem sabbathi pertransisse tanquam profestum diem; quia ad noui beneficij memoriam, nouum erat signandum sab-

bathum:

bathum: vel si non est variata dies sabbathi, quomodo coxerunt die sabbathi coturnices, absque speciali dispensatione? Scio dixisse Dominum, *vespere comedetis carnes*: vnde posset quis opinari indultum eis fuisse opus illud, aliàs prohibitum: sed si res ita se haberet, post sex dierum collectum Manna, frustra fuissent moniti sub his verbis, *requiès sabbathi sanctificata est domino cras*, & iterum; *in die autem septimo sabbathum est Domini*, prænotum enim satis fuisset. Quid mirum si & fideles post Manna Verbi Dei; *rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*: sicut hic dicitur; *mane quoque ros iacuit*, *cras* sequens ad consuetum sabbathum, nempe Dominicum diem, pro sabbatho habituri erant? iam satis impletur diuinum præceptum, quia sex diebus operamur; septima autem die vacamus ab opere: neque sabbathum sonat hunc determinatè diem, sed solummodo requiem; quam die dominico in Domino quæritamus. Sic etiam Leuitici 25. Sabbatizat terra post sex annos; nec tanti facit Deus, quisuam sit septimus annus. Nos itaque sabbatum seruamus, quia requiescimus post sex dies, sic vt vigeat creationis memoria: atqui hanc diem septimam sanctificamus *cras*; eoquòd suppetat renouatæ creaturæ per Christi resurrectionem recordatio. Sicque per diem septimum septimam quiescentium ætatem, quæ etiam thalmudistis tota est sabbathum, congruenter recolimus; sed vna simul, resurrectionis meminimus, quæ tanquam octaua ætas, signatur per diem octauum ad veterem feriarum supputationem.

Denique si alicui deserta incolenti loca, obreperet ex morbo, sabbathi obliuio; si neminem factus rationis compos haberet, à quo doceretur, ignorando consuetum sabbathum, teneretur post sex dies qualescunque sabbathizare, & sic satis legem impleret; vt etiam sentit Rabbi Moyses in 3. sui Deuteronomij libro, Ritu de sabbatho. Quod certè forti est argumento; non paris esse momenti diem hunc vel illum determinatè, cum absoluta sabbathi obseruatione. Octauus etiam dies pethibetur sanctissimus & celeberrimus Leuitici 23. de quo ibi.

VERSVS XII. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

13 Recolitur præceptum hoc Deuteronomij c. 5. sicut & cætera, & Ecclesiastici 3. *qui honorat Patrem suum vita viuet longiore, & qui obedit patri refrigerabit matrem*, & à D. Paulo Ephesiorum 6. similiter: honor autem importat [A] exhibitionem reuerentiæ ijs quæ supra nos sunt; parentes verò sic sunt ergà nos; ideo præcipitur nobis; *honora* &c. Constans autem est Diuo Thomæ, non intelligi de sola reuerentia, quæ Patri debetur tanquam superiori quasi principio filij, in quantum filius habet à patre esse, viuere, & disciplinam, vt dicitur 6. Ethicor. sed de subuentione in necessarijs, vnde postquam id firmauit in 4. sententiarum [B] ex Augustino, repetit alibi, [C] & fulcit auctoritate Christi Domini Matthæi 15. vbi redarguit Pharisæos impedientes filios [D] à subuentione parentum in necessarijs. Intelligitur autem tripliciter debere filios parentes honorare; quia debent eis reuerentiam sicut maioribus, [E] obedientiam sicut instructoribus, sustentamenta sicut nutrientibus, cum fortes essent. Docet autem, [F] hæc deberi à filijs quasi per accidens; sicut honor & reuerentia per se: secundùm enim accidens est, Patrem infirmum esse atque pauperem, vt egeat visitari curari, & sustentari; & tamen fiunt hæc & similia ex debito tanquam maiori. Et hac de causa pietas parentes respicit, vt eis exhibeat non solum cultum, sed & obsequium: dicimur autem secundum Augustinum colere homines, quos honorificatione vel recordatione, vel præsentia, frequentamus; nam pietas importat quandam affectionem ad suum principium; & sic ad parentes, ad consanguineos, ad patriam, ad concines, & amicos; & potissimè transfertur etiam ad Deum, qui est Pater omnium; vnde *Eusebia* interpretatur pietas vel Religio: de quibus, loco cit. 22. & alibi. [G] Præceptum de honoratione senum; & vniuersaliter, præcepta inducentia ad reuerentiam exhibendam maioribus; vel ad beneficia exhibenda æqualibus vel minoribus, adduntur Leuit. 19. huic de honore parentum. Ita ex 1. 2. q. 100. a. 11.

A Ephes. 6.l.1.
B 4. 15. 2.1.4.
C 1.cont. Gen. 18. & 1. Timoth. 5. l.1.
D Rom. 11.l. 1. & 2.2. 101. 2.
E Ephes. 6.l.1.
F 2. 2. 101.2.
G 1. ad Timoth. 4.l. 2.

Ad hoc præceptum de honoratione Patris ac matris, reducitur præceptum de eleemosyna, quia omnis subuentio proximi in eo subintelligitur: quod probatur ex Apostolo etiam 1. ad Timoth. 4. vbi hortans ad pietatem, sub qua comprehenditur omnis eleemosynarum largitio, recolit huius præcepti promissa; *vt sis longæuus*, dicens promissionem habens vitę quę nunc est, & futuræ. Ita ex D. Thoma. [H] Ad idem etiam reuocatur obligatio correptionis fraternæ quæ eleemosyna est spiritualis; & sic omnia præcepta quæ pertinent ad impendendum aliquod beneficium proximo. Ita idem Sanctus Doctor [I] Quoniam vero in hoc quarto præcepto, fit mercedis promissio, statim insurgit curiositas, cur potius in hoc quarto id fiat, quàm in alijs?

H 4.15.2. 1.4. & 2. 2.32.5 4
I de virtut. 1.1 ad 12. & 2.2. 31.2.2.
L p. 2. 100.7.3.

Hanc tangit S. Doctor in prima 2. [L] & occurrit dicens, quòd homines vt plurimum actus suos ad aliquam vtilitatem ordinant, & ideò in illis præceptis necesse fuit promissionem præmij apponere, ex quibus videbatur nulla vtilitas sequi, vel aliqua vtilitas impediri. Quia verò parentes sunt iam in recedendo, ab eis non expectatur vtilitas; & ideò præcepto de honore parentum additur promissio. Similiter etiam in præcepto de prohibitione idololatriæ: quia per hoc videbatur impediri apparens vtilitas, quam homines credunt se posse consequi per pactum cum dæmonibus initum. Quàm bonus, quàm indulgens Deus!

Sed vt innotescat quàm tenax esset Sanctus Doctor suæ sapientiæ, profertur in medio alia eius auctoritas in eadem fere verba. Huius, inquit, promissionis duplex est ratio; [M] vna quia homines in alijs quæ agunt quærunt vtilitatem propriam; & quia à parentibus iam senibus nullam expectant vtilitatem (supple, ideò, &c.) Secunda ratio est, ne aliquis credat, quod honoratio parentum non sit meritoria, quia naturalis est, ideò addit vt sis longæuus super terram: denique in 3. d. 37. q. 1. 2. 1. ait addi huic primæ tabulæ præcepto præmium, vt ostendatur, omnia sequentia præmiabilia esse.

M Ephes. 6.l.3.

Sed est difficultas; Contingit quandoque quod ij qui honorant parentes, citò moriuntur & è contrario, qui parentes non honorant, diu

N 2. 2. 122. 5. 4. viuunt. Ita D. Thomas 22. [N] Quod quidem tangit magistraliter ad Ephesios cap. 6. l. 1. dicens; Sed contra, multi deuoti parentibus citò moriuntur; & 1. ad Timoth. 4. l. 2. Sed tunc est quæstio, quia aliquando inuenitur aliquis pietatem sequens, qui tamen non est longæuus.

14 Solutio Diui Thomæ ex præfatis locis præmittit, titulo gratitudinis promitti filijs vitæ diuturnitatem; qui enim est gratus beneficio, meretur secundùm quandam congruentiam, vt sibi beneficium conseruetur: sicut è contrà ob ingratitudinem, meretur aliquis beneficium perdere; & ideò qui honorat parentes, à quibus, post Deum, beneficium vitæ corporalis accepit, meretur vitæ conseruationem; sicut & ingratus meretur illa priuari. Quamquam igitur eiusmodi promissio claudat etiam sensum spiritualem, vt sis longæuus in terra viuentium; (quàm longæuus! immò perpetuus) nihilominus secundùm sensum literalem, ad vitam temporalem referri potest; eoquòd in veteri testamento, cum populus ille paruulus esset, promissionibus temporalibus tāquam paruulus, sub pædagogo instruebatur, gratiosèque illectabatur: quamuis in illis paucis munusculis populum illum paruum decentibus figurabantur magna bona, scilicet spiritualia. Et id manifestè docet Apostolus dicens citato primæ ad Timoth. 4. *promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ*. Quoniam igitur hæc temporalia bona non sunt bona absolutè, sed in quantùm sunt ordinata ad spiritualia: quemadmodum, & Philosophus 10. Ethicorum dixit, non reputari ad bonam fortunam, sed ad malam, si cui bona temporalia impediât virtutis acquisitionem, & felicitatem; idcircò cùm promisit Dominus vitam ad honorationem parentum, debet sanè intelligi de vita si coadiuuet ad virtutem, non verò si sit occasio peccandi: sic enim præmium promissum habet, vt ex dictis constat, rationem boni; & hinc fit, vt quandoque secundùm occultam rationem diuinorum iudiciorum (quæ maximè futuram remunerationem respiciunt) aliqui, qui sunt pij in parentes, citiùs vita priuentur; alij verò qui sunt impij in parentes, diutius viuant: vnde Sap. 4. dicitur; *raptus est ne malitia immutaret intellectum eius*; & aliàs monentur peccatores diù viuentes, Ecclesiastici 15. *nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi*. Tangit etiam theologicum dogma p. 2. q. 114. a. 10. quia præsentia bona vel mala, non cadunt sub merito vel demerito, nisi in quantùm ordinantur ad futuram remunerationem. Posset Deus diuturnitatem vitæ semper ad æternam effectiuè ordinare, sed *sapientiam Dei præcedentem omnia, quæque disponit omnia suauiter, quis inuestigauit?* Ecclesiastici 1.

Adeò autem vrget præceptum hoc de honoratione parentum, vt ijs in necessitate existentibus, ita quòd eis commodè aliter subueniri
O 2. 2. 189. 6. non possit, non licet filijs, prætermisso [O] parentum obsequio, Religionem intrare. Cùm tamen ab his expediti, fiunt religiosi, non sunt ab impletione præcepti huius remoti, eoquòd
P Quodl. 3. 8. 2. 7. ait glossa; *honora Patrem tuum &c.* [P] idest Prælatos. An autem Religiosus possit & debeat ad subueniendum parentibus claustrum exire, vide D. Thomam in quodlib. 3. a. 16.

VERSVS XIII. *Non occides*.

Admonet S. Doctor [Q] moris esse Scripturæ Sacræ accipere futurum indicatiui pro præsenti, & inquit, sicut in præceptis decalogi patet *non concupisces, non furaberis*. Addidetim ego, id fortè consultò fieri, quoniam negatiua præcepta obligant semper & ad semper, prout commune est theologorum proloquium, tractum etiam ex Aristotele 2. Ethicorum cap. 6. nulla enim vnquam futura potest esse temporis circumstantia, in qua non teneamur fugere malum: idcircò, *non occides*, quia nunquam tempus erit inobseruantiæ. Quod de affirmatiuis non ita perenne est; non enim perenniter honorare parentes tenetur quis, cum quandoque his orbetur. 15 Q Genesis 4.

Cùm audimus, inquit Augustinus, [R] *non occides*: non accipitur hoc dictum esse de fructetis, quia nullus eis est sensus; nec de irrationalibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur: relinquitur ergò, (colligit S. Thomas) vt intelligamus de homine, quod dictum est; *non occides*. Verùm scito, eatenus præsertim licitum esse occidere animalia, quatenùs sunt propter hominem: vnde Genesis 9. dicitur; *omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum*. Nec tamen propterea pro libito cuiuscunque, quoduis animal absque causa occidi potest, quia etsi id concedit de bestijs syluestribus, [S] non tamen vniuersaliter de cunctis: non enim est actio bona, nisi honestum sit ordinata in finem. Itaque non solùm propter damnum domini, non licèt indiscriminatim animalia vita priuare; (quod ibi tangitur) sed etiam ex alijs capitibus, non est qui occidit animal cauem puta aut felem, inculpatus. R 2. 2. 64. 1. S 2. 2. 64. 1.

Satis hoc innuit D. Thomas; loc. cit. assumit enim licere cuilibet priuatæ personæ occidere bestiam syluestrem, maximè nocentem; & ad syluestres etiam arctatur in responsione. Deinde quia 1. Regum c. 15. cum pro peccato Amalecitarum iussa sunt interfici bruta animalia, quamuis illorum aliqua, sine dubio nullius domini essent; argumento est, irrationabilem esse irrationabilium occisionem, quando aliqua non vrgeat causa, qualis tùnc fuit; præ alijs, in detestationem peccati; horror enim ingens peruadit, cùm omnia etiam innoxia pereunt iniquis. Hæc ex D. Thoma [T] Viuant ergò animalia Dei, ad quorum species conseruandas destinauit diuina prouidentia suos Angelos; iuxtà quod [V] aiebat Origenes; *opus est Mundo Angelis, qui præsunt super bestias, & præsunt animalium natiuitati*; & nisi fuerint nobis nociua ac infesta, nisique fugere eorundem insultus, & molestias nequeamus, nisi fuerint nobis in escam, nisi in honestam etiam venationem, sinamus viuere diù Dei creaturas, nàm perperam animalia occidere sæuitiam & crudelitatem sapit, quàm Deus etiam in ipsa bruta, (de quo cum de sacrificijs) summoperè odit. T 2. 2. 108. 4. 3. V p. p. 110. 1. 1. & q. 113. 1.

Sed heu quid de animalibus? *Mendacium & homicidium*, quod ait Propheta Osee 4. *inundauerunt; & sanguis sanguinem tetigit*; nec fideliter Saluatoris recolitur comminatio, *omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*; illorum enim perditionis causa, is gladius erit. Prouer. 12. *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia*. Atqui in tàm sæua vi- 16

tz

tæ hominum messe, non solùm rei dicantur qui occidunt, sed & Vrbium & Oppidorum Rectores, qui impunè humanum sanguinem fundi sinunt. *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*: at breue etsi timeant, non formidant sicarij exilium: viuunt enim aliena sub ditione in tuto; & quamuis comminationes audiant de petenda ipsorum carceratione exteris à Principibus, præsciunt experimento ad praxim reduci nunquàm; quinimò se potiùs propediem aureo tubæ clangore esse reuocandos. Hinc nullis parcentes ausibus, nullis neglectis insidijs, quem sibi adhuc leui de causa nouerunt hostem, è medio quàm citò tollere ferro & igne consummato facinore gliscunt. Non hæc tàm passim committerentur scelera, si grauiori consilio iniquis eiusmodi, liberationis adimeretur spes omnis. Si quemadmodum publicâ post expilationem ærarij, reuocandi gradum exulatis nulla sit spes, ita post alicui proditoriè præsertim ademptam vitam, irreuocabiliter damnarentur; cauerent forsan à tot perpetrandis delictis. Pretiosior est auro sanguis, nec Dei zelus aurum æquiparat vitæ. *Omnes miquis animæ meæ sunt*. Ezech. 18. Videant ergò Prætores quorum interest, & Præfecti, quia *potentes* Sap. 6. *potenter tormenta patientur*: videant, *dignos esse morte non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus*. Rom. 1. Est autem consensus nonnullus, non totis viribus adhibere mortali morbo remedium: propterea legitur infrà cap. 22. *maleficos non patieris viuere*. Signanter enim ait, *non patieris viuere*; ne tolerantia crudeli humanæ vitæ hostes viuere sinant. Ne sint *canes muti*, qui prædicant; exaggerent iniquitates, quæ ad cumulum peruenerint, & gladio spiritus, ex his respectiue monendo, vitam ouium suarum tueantur.

16 Quoniam verò nec propriæ quam à Domino accepimus sumus domini vitæ, nulli absque graui reatu, licet sibi manus inijcere, de quo in hac [x] quæstione tractatur. Verùm quia demptis deliris, non facilè quis sui ipsius est occisor, ad ignoratum huius generis crimen increpationes conuerto. Quàm multi semetipsos occidunt! aiebat Hieronymus; *non refert vtrum breui aut longo tempore te interimas*. Sensim gulæ vitio pereunt, nec animaduertunt plerique bibones, & manducones hic loquor, qui grauissimis morbis paulatim viam sternunt, & præcoci morte, se se interemisse non norunt. Quàm pauci naturæ resolutione finiuntur! quàm multi violento letho rapiuntur! De vini nimia epotatione habemus Prouerb. 23. *Ingreditur blandè; sed in nouissimo mordebit vt coluber*. Aduersùs ingluuiem, Ecclesiastici 37. *Noli auidus esse in omni epulatione; & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas; & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adijciet vitam*. Considerabat Chrysostomus aliquorum generis huius conditionem, & refertur opus. 41. l. 5. c. 24. in hæc verba. *Ij qui luxurijs, & diuitijs vitam ducunt, resoluta corpora, & omni cera molliora circunferunt, atque infirmitatibus repleta: quibus ad cumulum malorum, podagræ tremor & immatura senectus accedit*. Idcirco D. Thomas [A] quamquam retulisset ex Augustino in sed contra; *quoties aliquis in cibo aut potu plùs accipit, quàm necesse est, ad minuta peccata noverit pertinere*; adiecit; si quis tamen scienter; propter immoderatam concupiscentiam cibi, graue suo corpori nocumentum inferret, nimis comedendo, & nociua sumendo, non excusaretur à peccato mortali. Præcepto autem huic, *non occides*, additur odij prohibitio, & cuiusque violationis proximi Leuitici 19. *non stabis contra sanguinem proximi tui*.

[x] 2.2. q. 64. a. 5.

[A] de malo q. 14. a. 4.

VERSVS XIV. *Non mæchaberis*.

17 Quoniam pressè Hebraico ex textu sola mœchia (quæ est adulterij peccatum, quo scilicet ad alterius acceditur) prohibetur, posset alicui oboriri scrupulus de fornicationis malitia, vbi ad liberam fit accessus. Idcircò recolatur oportet quod pluries docet D. Thomas, scilicet præcepta decalogi, [B] tradita esse de ijs, quæ statim in promptu mens hominis suscipit, dijudicatque communiter facienda esse, vel non esse facienda; vnde sunt veluti prima principia, è quibus posteà alia moralia manant, quæ prima etiam principia editione indigent, quia in aliquibus, licèt paucioribus, contingit iudicium eorum peruerti vt loc. c. a. 11. Nihilominus non omisit Dominus posteà per Moysen, & Aaron, moralia tradere documenta de actibus omnium virtutum: de quo, [C] loco citato. Et ita percurruntur ad prima hæc præcepta, alia [D] plura vt videre est singillatim: etsi enim in tertio Decalogi præcepto, fiat solùm de periurijs mentio: non ob id sequitur, improhibitam esse blasphemiam; quia Leuitici 24. dicitur *educ blasphemum extra castra*. Sic ergo de fornicatione factum est: hinc D. Thomas; [E] fornicatio verò, & aliæ corruptelæ prohibentur per sequentia legis præcepta, quæ à Deo tradita sunt populo per Moysen; quia scilicet horum inordinatio, cùm non manifestè contineat iniuriam proximi, non est omnibus manifesta, sed solùm Sapientibus, per quos debet ad aliorum notitiam deriuari. Quod quidem patet Leuitici 19. *ne prostituas filiam tuam*; Et Deuteronomij 23. vbi dicitur; *non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel*: quo loci, interpretatio Chaldæa legit; *non erit mulier de filiabus Israel, vxor viro seruo; neque accipiet vir de filijs Israel vxorem ancillam*: fortasse quia sub matrimonij prætextu, ad non suas, non intellecto Abrahæ, & Iacob mysterio, præsertim ad ancillas accedebant: Oseæ etiam 4. distinguitur de adulterio, & fornicatione, Dei indignatione; quo ampliùs à flagello supersedet, furente, *non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cum adulterauerint*. D. Paulus etiam pluries fornicationem condemnat; ad Galatas 5. *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, &c. qui talia agunt Regnum Dei non possidebunt* Hebræorum 13. *fornicatores, & adulteros iudicabit Deus*, idest [F] condemnabit, & anteà 1. Corinth. 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebũt*. & Ephes. 5. *omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei*; & Apocalypsis 9. *Et non egerunt pœnitentiam ab homicidys suis, neque à veneficijs suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis*. Est ergo hæresis dicere [G] fornicationem simplicem non esse pecca-

[B] p. 2. 100. 1. & a. 5. ad 1. & a. 6. & 11.

[C] loc. cit. a. 2.

[D] loc. cit. a. 11.

[E] de malo 15. a. 2. ad 3.

[F] Serm. Dominic. 1. post Epiph. ex Euang.

[G] op. 4. § nõ mœchab.

tum mortale: ex quo in decretis dicitur 22. q. 1. *Nosse debent, talem de periurio pœnitentiam imponi debere, qualem & de adulterio, & de fornicatione, & de homicidio, spontè commisso, & de cæteris criminalibus vitijs.* Crimen autem, vt ait Augustinus apud Magistrum sententiarum in 2. d. 42. dicitur, quod est dignum accusatione, & damnatione: hinc Tobias cap. 4. *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Prouerb. etiam 23. *Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.*

18 Sed quoniam Actorum 15. habetur; *Visum est Spiritui-Sancto, & nobis, nihil vltrà imponere oneris vobis, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*, posset alicui primo aspectu videri, esse prohibitam fornicationem dumtaxat legalium more; & ita quemadmodum nullius cibi eius simpliciter est peccatum, ita nec esse fornicationem. Idcircò cum S. Doctore locis è regione citatis, [H] sciendum est, connumerari cum legalium obseruantia fornicationẽ, non quia & ipsa eiusmodi sit; sed quia in primitiua Ecclesia Iudæorum, & gentilium vnionem interturbabat dogmatum eorum discrepãtia. Iudæis propter antiquam consuetudinem, sanguis & suffocatum erant abominabilia; quorum abstinentiam non facilè assumebant Gentiles. Similiter Gentiles falsò existimabant fornicationem simplicem non esse peccatum: Iudæi in hoc non assentiebant; idcircò prouidit ab alto Spiritus-Sanctus, per sacrum Apostolorum cœtum decernens, abstinendum ab omnibus commemoratis; non quia sint æquè legales obseruationes; sed quia dissensio oborta id poscebat. Errauit hac in re Rabbi Moyses, vt suprà c. 38. 3.

[H] de malo 15. a. 1. ad 2. & p. 2. 105. 4. ad 3.

Hũc autẽ gentiliũ errorẽ, nõ deerit fortasse, qui laudet; siquidem cum de carnis illecebris agitur, properant plurimi ad nassam Diaboli spontè, nam à Simone introducta fuit vxorum communitas (Epiphan. hær. 21.) In multiplici fœminarum coitu, turpibusque, ac intolerabibus actibus (quos nec dicere fas est) versabantur Nicolaitæ; ex eodem, hæresi 25. Lumine amoto ad cœnam conuenientes viri, cum mulieribus turpiter alij miscebantur, ex Clem. 3. strom. Carnis voluptatibus insatiabiliter inseruiebant Valentiniani, ex Irenæo lib. 1. c. 8. 9. & 10. Post Epulas ad œstrum se conuertebant gnostici, viro vxorem suam alteri concedente ex Epiph. hæres. 26. Fœminas maximè honestas, & circumpurpuratas Marcosiani corrumpebant ex Irenæo l. 1. c. 8. Nudi in hypocaustis, & locis subterraneis lucem fugientes conueniebant Adamitæ, communesque mulieres faciebant, & lumine extincto promiscuè in quamcũque incidissent, commiscebantur ex Theodor. l. 1. hæret. fabularum. Harum turpitudinum hæredes fuerunt Symmachiani discipuli Patricij Manichæi, & alij; & nouissimè Anabaptistarum examina, condormientes, & fratres (vt vocant) de familia charitatis sunt imitati. Hæc ex Graninæ Deposito c. 11. nu. 8. libuit referre, ne si quem fortè his diebus ægrè ferentem vnius dumtaxat vxoris societatem audiamus, miremur.

At hos, & similes, qui vagum optarent esse concubitum, rogauerim solùm, nùm natis in lucem editis, vellent de illorum educatione, & instructione, ac perenni conseruatione, in bonis & virtutum, & rerum curare, vel non? Certè hoc naturæ dictamen est, eo quòd etsi mater possit infantili in ætate filium custodire, non tamen sustentare diu, docere, ac pro illo thesaurizare. Atqui ex altera parte si licita sit fornicatio, nullus erit fornicarius, qui certus sit sua de prole, ad quam enim accedit vnus, accedit & alius, ergo præterquam esse solicitum de certitudine proprioram filiorum innatum est, nullus reperietur, qui velit, incerto filio Patris operam dare, ergò peribit educatio filiorum, ac instructio, nec non illorum ad exteriora, & interiora bona prouectio; quo nihil absurdius, quia deficitur à debito fine, ad quem natura ordinauit mulieris & viri commistionem. Et hoc est quod ait D. Th. astruens in 4. d. 26. q. 1. a. 1. necessitatẽ matrimonij, quia ex Philosopho tria à parẽtibus habemus, scilicet esse, nutrimentum & disciplinam (8. Ethic. c. 11. & 12.) filius autem à parente educari & instrui non posset, nisi determinatos & certos parentes haberet. Hoc ergò efficacissimo telo confodit [I] D. Thomas hanc hæresim: arguens præterea inuerecundam hominis procacitatem; qui more canum, vagum ex optat concubitum, relicto turturum exemplari, in quibus, quia vnius parentis vna haud sufficit pullo educando, cernitur matrimonialis fidei specimen: quod in canibus non deprehenditur, eoquòd fœmina sola satis est filio. Nihilominus per hoc præceptum, *non mœchaberis*, potest & debet intelligi [L] prohiberi non solum adulterium, sed & omnis carnalis corruptio, & illicitus vsus genitalium membrorum; ne fine generationis frustretur actus. 19

[I] de malo 15. a. 1. & 2. 2. q. 154. 2. & 3. cõtr. Gen. c. 122. & ex c. 123.

[L] de malo q. 15. a. ad 2. & op. 4. cit.

VERSVS XV. *Non furtum facies.*

20 Apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata: & sic apud Germanos olim, [M] latrocinium non reputabatur iniquum, vt refert Iulius Cæsar in libro 6. de bello gallico; cum tamen sit expressè contra legem naturæ. Quemadmodum autem omnia nocumenta [N] quæ in personam proximi inferuntur, intelliguntur prohiberi in homicidio, sicut in principaliori; & quæ inferuntur in personam coniunctam, & maximè per modum libidinis, intelliguntur prohiberi simul cum adulterio; ita quæ pertinent ad damna in rebus illata, intelliguntur prohiberi simul cum furto.

[M] p. 2. 94. 4. & a. 6.

[N] 2. 2. 122. 6. ad 2.

VERSVS XVI. *Non loqueris contrà proximum tuum falsum testimonium.*

Falsum testimonium esse peccatum mortale, indubium est; eoquod [O] triplicem illud habet deformitatem; primò ex periurio, quia testes non admittuntur nisi iurati. Secundo ex violatione iustitiæ; quod est ex suo genere mortale, sicut & quælibet iniustitia: & id insinuat vis verbi illius, *contra*; tertio ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum, & ex hoc non habet falsum testimonium quod semper sit peccatum mortale, de quo in 3. d. 38. q. 1. a. 4. ad 5. Detractiones & blasphemiæ, & si quæ huiusmodi, tanquam pertinentes ad locutiones, intelliguntur [P] prohiberi falso testimonio, quod directiùs iustitiæ contrariatur. Et

[O] 2. 2. 70. 4.

[P] 2. 122. 6.

præ-

præterea Leuitici 19. exprimitur ad hoc, *non erit criminator*.

VERSVS XVII. *Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

Q 1. 40. q. 1. & 1. ad 1. Opponit D. Thomas [Q] dicens; nihil debet lege prohiberi quod licitè fieri potest, sed licitè potest fieri, quòd aliquis domum proximi sui possideat; vt si emat eam, ergo &c. Respondet quod non potest licitè possideri domus proximi, nisi dominio translato in alterum, & tunc desinit esse proximi; & ideò non simpliciter prohibetur concupiscentia domus, sed concupiscentia domus proximi sui: dum ipsum concupiscentiæ nomen, quia intensionem desiderij dicit, in quandam superfluitatem sonare videtur, & ita in malum.

Præterea videntur hæc postremò iussa, superfluè apponi, vel priora aliqua præcepta esse diminuta; siquidem in quolibet genere peccati contingit peccare corde & opere, ergo post furti prohibitionem & mœchiæ, vel redundanter concupiscentia vxoris & rerum proximi; vel hoc ipsum debuit prohiberi de homicidio & falso testimonio; dicendo *non concupisces occidere*, immò à fortiori, quia homicidium saltem, est grauius peccatum, quàm adulterium vel furtum. Hæc

R 1. 40. 1.1. 2. p. 1. 100. 5. 5. & 1. 2. 1.2. 4. difficultas tacta est triplici in loco [R] D. Thomæ Ex quibus constans illius habetur doctrina, quæ radicem discriminis attingit; ibi enim conueniens fuit per præceptum frenari concupiscentiã, vbi effrænis potest erumpere: erumpit autem in illud, quod per se habet rationem appetibilis seu boni; adulterium autem ex se rationem ostentat boni delectabilis; res cæteræ ferunt secum rationem boni vtilis, ideo ne exorbitaret animus illectus delectatione, prohibita est de illis concupiscentia; nam sine progressu ad actum, ferunt eiusmodi obiecta delectationem. Non sic est de homicidio & falsitate, quæ secundum se horribilia sunt, nec desiderantur per se, quasi illectent, sed propter aliud; idcircò non oportuit circa peccatum homicidij & falsi testimonij, prohiberi peccatum cordis, sed solum operis: proximus quippe & veritas naturaliter amantur, & contraria vt dictum est, in horrore sunt; nec habent in se rationem delectabilis boni aut vtilis.

S p.1.98. 1. In fine ergo decalogi clausit Dominus dicens nihil proximi nobis concupiscendum; voluit

T Rom. 7.1.2. quippe concupiscentiam frænare. [S] Et ideò intelligitur de concupiscentia [T] auaritiæ; cum radix omnium malorum sit cupiditas 1. ad Timoth. 6. vnde secundum Hieronymum Antichristus, *quos terroribus nequibit, subiugabit auaritia*. Et hic prohibetur voluntas, distincta etiam ab actu furti

V 1. 42. 1.1.1. exteriori, quæ etiam (vt dixi) sine actu, [V] quandoque quandam turpem habet iucunditatem. In prohibitione homicidij & adulterij, scribæ & Pharisæi, nõ intelligebant nisi exteriorem actum, prohibitum: sed Dominus verum intellectum expressit; quod recolit D. Th. 1. 2. q. 107. a. 2. vnde Matth. 5. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; & qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.*

VERSVS XVIII. *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ Montemque fumantem.*

Quemadmodum supra dictum est, ex ipso modo legislationis apparet, quòd [X] vetus lex X 1. 40. 1.4.2.
est lex timoris; data est enim in ostensione diuinæ potestatis, quæ timorem incutit: vnde propter fulgura, voces & tonitura terror audientes inuasit, vt dicerent; *non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*. Terribilis autem erat lex etiam ipsis [A] perfectis, quia non dabat gratiam, vt di- A Hebr. 12.1.4.
ctum est, sed tantum ostendebat culpam: & pariter vetus testamentum datum fuit in terrore, vt corda Iudæorum quæ prona erant ad idololatriam, arcerentur. Colligit autem S. Doctor [B] B de malo q. 3. a. 7.
teneri omnem hominem scire præcepta decalogi, per quæ potest peccata vitare, & bonum facere, tanquam ex consentaneo signo, quia coram omni populo sunt diuinitus promulgata. Secretiora autem legis, Moyses & Aaron à Domino audierunt.

Occasione verborum eiusmodi libet mihi 21
quæ graues produnt auctores huc afferre. Narrat quippe eruditè Picus Mirandulæ, Moysi vltrà Decalogum, tradidisse Deum plurimam de secretioribus fidei nostræ notitiam, quam deinceps deberet sapientioribus tradere, vt sic per illorum manus ad posteros perueniret: Et sanè non solùm id ex 4. Esdræ c. 14. deducitur, vbi legitur, *& adduxi eum super montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & ostendi ei tempora secreta & finem; & præcepi ei dicens, hæc in palam facies verba; & hæc abscondes*; sed & ex Rabbi Moyse Ægyptio satis habetur; huicque opinioni suffragantur Origenes Epistola 3. Diui Pauli, & Hilarius in Psalmo 2. Quoniam verò in captiuitate Babylonica, futurum erat Hebræorum exitium, ne quæ vsque ad tempus illud oretenus tradacta fuerat maioribus, notitia deperderetur, scribit idem Picus, assentiturque Xistus l. 2. & 6. Bibliothecæ, libris exaratam fuisse; vt sic eorum sapientibus remaneret. Eodem id quoque capite, in calce innuitur; *nouissimos autem Septuaginta* (libros) *conseruabis, vt tradas eos sapientibus, & populo tuo*. Et huiusmodi appellantur *Cabala*, idest *receptio*, (quod ait Tirinus in Indice Authorum) constans libris septuaginta, quos Esdras solis Iudæorum sapientibus reliquisse scribitur: sed hæc non est illa erronea Iudæorum. *Hanc ergo Cabalam, siue hos libros* (verba sunt Pici quæst. 1. suæ Apologiæ) *non mediocri impensa, mihi eum comparassem, summa diligentia, indefessis laboribus cum perlegissem, vidi in illis* (*testis est mihi Deus*) *Religionem non tam Mosaicam, quàm Christianam: ibi Trinitatis mysterium: ibi Verbi incarnatio: ibi Messiæ Diuinitas: ibi de peccato originali: de illius per Christum expiatione: de cœlesti Hierusalem: de casu Dæmonum: de ordinibus Angelorum: de purgatorijs & inferorum pœnis: eadem legi, quæ apud Paulum & Dionysium, apud Hieronymum & Augustinum, quotidie legimus*.

VERSVS XXI. *Stetitque populus de longe: Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus.*

Hanc caliginem, quam Deus præfert, me- 22
morat sæpe Scriptura sacra: cui consonat etiam D. Dionysius 7. capite de diuinis nominibus dicens; *& impalpabilem, & inuisibilem caliginem luminis inaccessibilis* (supple, *reponimus*) vbi D. Tho- C De diuinis nomin. c. 7. l. 3.
mas; [C] & attribuimus ei, quod est caligo impal-

pabilis

pabilis & inuisibilis, in quantùm est lumen inaccessibile, excedens omne lumen, quod à nobis videri potest, vel per sensum, vel per intellectum.

Verùm accessisse dùm dicitur Moyses ad caliginem, peruenisse subinnuitur ad supremam, quam de Deo potest quis, imo potest Angelus, extra Verbum habere cognitionem. Cognoscitur quidem Deus, *quia est*: quòd est omnium causa eminens omnibus atque supereminens: atqui perficitur hæc viæ cognitio si intelligamus Deum ab omnibus separatum super omnia esse; hoc enim est vltimum, & perfectissimum nostræ cognitionis, vt dicit Dionysius in lib. de mystica theologia, [D] & ad hoc peruenit Moyses cum dicitur intrasse ad caliginem in qua erat Deus: quod quidem repetit D. Thomas [E] dicens, vnde & ad huius sublimissimæ cognitionis ignorantiam demonstrandam, de Moyse legitur, *accessit ad caliginem in qua erat Deus*. Et hoc est quod suprà innuimus ex Dionysio; cum Deo quasi ignoto coniungimur, dum de eo quid non sit cognoscimus; quid verò sit, penitùs manet ignotum. Sic & in 1. cont. Gent. c. 14. astruit ad cognitionem Dei vti oportere via remotionis; tantò quippe eius notitiæ magis appropinquamus, quantò plura per intellectum nostrum ab eo poterimus remouere.

D 5.35.2. 2.2.

E 1. cont. G. c. 49.

VERSVS XXII. *Hæc dices filijs Israel; vos vidistis, quòd de cælo locutus sim vobis.*

Super illa verba Iob 38. *respondens autem Dominus Iob de turbine.* [F] potest, inquit Diuus Thomas, ad literam intelligi, vt dicatur formatam esse vocem Dei miraculosè in aere, cum quadam aeris turbatione, sicut in monte Synai factum legitur: vel sicut ad Christum vox facta est, quando quidam dixerunt, tonitruum factũ esse Ioannis 12. Igitur quemadmodum dixi suprà ad caput 19. versu 15. sensibiliter hæc audita sunt de monte. Conuenientissimè autem traduntur hæc immediatè ab ore Dei, quia sunt manifesta naturali rationi cuiuslibet hominis, quod quidem lumen, *signatum est à Deo super nos* vt innuit S. D. [G] quæst. suprà citata ad v. 14. & ita immediatè se locutum perhibet etiam Deuteronomii 10. *scripsit in tabulis iuxtà id quod prius scripserat verba decem, quæ locutus est Dominus ad nos in monte.*

F Iob. 38. 1.

VERSVS XXIV. *Altare de terra facietis mihi & offeretis, &c. In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te; & benedicam tibi.*

VERSVS XXV. *Quod si Altare lapidum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus &c.*

VERSVS XXVI. *Non ascendes per gradus ad Altare meum, ne reueletur turpitudo tua.*

23 Hic in primis operę pretium est ad verbum referre sapientissimam expositionem D. Thomę. [H] Ait ergo; de constructione Altaris datur à Domino duplex præceptum. Vnum quidem in principio legis Exodi 20. vbi Dominus mandauit, quòd facerent Altare de terra vel saltem de lapidibus non sectis; & iterum quòd non facerent Altare excelsum, ad quod oporteret per gradus ascendere: & hoc ad detestandum idololatriæ cultum; Gentiles enim idolis construebant altaria ornata & sublimia, in quibus credebant aliquid sanctitatis & numinis esse; propter quod etiam Dominus mandauit Deuteronomij 16. *non plantabis lucum & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui*. Idololatræ enim consueuerunt, sub arboribus sacrificare, propter amœnitatem, & vmbrositatem.

H 1. p. 2. qu. 102. ar. 4. ad 7.

Quorum etiam præceptorum ratio figuralis fuit, quia in Christo, qui est nostrum Altare, debemus confiteri veram carnis naturam quantùm ad humanitatem; quod est Altare de terra facere: & quantum ad diuinitatem, debemus in eo confiteri Patris æqualitatem; quod est non ascendere per gradus ad Altare. Nec etiam iuxta Christum debemus admittere doctrinam Gentilium, ad lasciuiam prouocantem. Sed facto tabernaculo ad honorem Dei, non erant timendæ huiusmodi occasiones idololatriæ; & ideo Dominus mandauit quòd fieret Altare holocaustorum de ære quod esset omni populo cõspicuum: & altare thymiamatis de auro, quod soli Sacerdotes videbant: nec erat tanta pretiositas æris; vt per eius copiam populus ad aliquã idololatriam prouocaretur.

Sed quia Exodi 20. ponitur pro ratione huius præcepti, *non ascendes per gradus ad Altare meum*, id quod subditur, *ne reueletur turpitudo tua*; considerandum est quòd hoc etiam fuit institutum ad excludendam Idololatriam; nam in Sacris Priapi sua pudenda Gentiles populo denudabant. Postmodum autem indictus est sacerdotibus feminalium vsus ad tegmen pudendorum: & ideo sine periculo institui poterat tanta Altaris altitudo, vt per aliquos gradus ligneos, non stantes, sed portatiles, in hora sacrificij, Sacerdotes ad Altare ascenderent sacrificia offerentes.

Licet autem Altare esset de terra, circumquaque tamen [I] erat de lapidibus, vbi congregabantur ignes sacrificij.

I Isaiæ 6.

Illustratur præfata doctrina alibi à Diuo Thoma [L] per hoc argumentum; Veritas debet respondere figuræ, sed in veteri testamento, quod gerebat figuram noui, non fiebat Altare de lapidibus sectis, Exodi 20. &c. Exodi etiam 27. mandatur fieri altare de lignis Sethim vestitis ære, vel etiam auro vt habetur Exodi 25. ergo videtur inconueniẽter obseruari in Ecclesia, quòd Altare fiat solum de ladipe.

L 3. p. 83. 1. 5.

Ad 5. Respondet S. Doctor, quòd sic legi- 24
tur, de consecratione d. 1. c. 29. *Altaria si non fuerint lapidea, chrismatis vnctione non consecrentur*: quod quidem competit & significationi huius Sacramenti, tùm quia Altare significat Christum; dicitur autem 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*: tum etiam quia Corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum. Competit autem, & vsui Sacramenti; lapis enim & solidus est, & de facili potest inueniri vbique: quod non erat necessarium in veteri lege, vbi fiebat in vno loco altare. Quòd autem mandatur fieri de terra, vel de lapidibus insectis, fuit ad idololatriam remouendam.

Similiter infra [M] inquit, vel Altare est ipse Deus, cuius participationem petimus; de hoc enim altari dicitur Exodi 20. *Non ascendes ad altare meum per gradus*: idest in Trinitate gradus non facies. Sic S. Leo Papa Serm. 3. de Pentecoste: *cogitatio de Deitate Trinitatis concepta, ni-*

M 1. p. 83. 3. 9.

hil

hil per distantiam intelligat, nihil per gradus quærat.

Pro Altari etiam intelligi posse Christum in vtraque sua Apocalypsi docet Angelicus [N] dicens, *Altare de terra facies*, idest Christum de virgine educes, (notum certè est in scripturis per terram virginem significari; ps. 84. *& terra nostra dabit fructum suum*; Isaiæ 53. *& sicut radix de terra sitienti*) & iterum, [O] Per altare significatur Christus, super quod offeruntur Deo Patri omnes oblationes Ecclesiæ: de quo Exodi; *Altare de terra facietis mihi*; idest Christum de Virgine nasciturum secundum carnem, credetis per me. Aptat præterea textum huius capitis D. Thomas ineffabili Sacramento [P] dicens. *In omni loco in quo fuerit memoria nominis mei* &c. Memoria nominis Domini sacrificium est Altaris, scilicet Corpus Christi, quod fieri iussit in commemorationem eius: hoc fit in multis locis, & in hoc venit vnus Dominus ad benedicendum nobis.

N Apoc. 9. ibi altaris

O Apoc. 11. ibi & altare.

P op. 58. c. 13.

Superest vt recolamus quo tempore, & quo loco data sit lex. Vt habetur ex capite præcedente & D. Paulo ad Galatas 4. in monte Sinai data est, qui mons est in Arabia. Mysticè hæc est causa; quia secundùm glossam [Q] Sina interpretatur mandatum; vnde & ab Apostolo vetus lex, appellatur, *lex mandatorum*. Mons etiam significat superbiam: vnde per montem istum in quo data est lex, significatur superbia iudæorum; duplex quidem; vna, qua superbiebant contra Deum; Deuteronomij 31. dixit Moyses populo; *ego enim scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam. Adhuc viuente me, & ingrediente vobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum*: alia, quâ superbiebant contra alias nationes; abutentes eo quod dicitur in psalmo 147. *non fecit taliter, omni nationi*. Quoad tempus; dedit Deus legem post septem [R] hebdomadas ab exitu ex Ægypto. Sic certè lex amoris per charitatem diffusam in cordibus nostris, sacro dietum numero nobis data est in Apostolis; dum complerentur dies Pentecostes. Numerus autem quinguagesimus est numerus remissionis & Iubilæi: nam sic multifariam indulsit nobis, ignorantiam, & duritiam cordis nostri, tollendo ac emolliendo.

Q Gal. 4. 18.

R Danielis 9.

Magister sententiarum in fine 3. libri, sic ait: *audistis decem chordas psalterij vtrique sexui impositas; quæ charitate tangendæ sunt, vt vitiorum feræ occidantur*. Vbi D. Thomas; sicut enim Dauid [S] egregius psaltes sono cytharę & psalterij spiritum malum à Saul expellebat 1. Regum 16. & Vrsum & Leonem interfecit, vt dicitur in eodem c. 17. ita Christus qui per Dauid significatur, corda nostra quasi psalterium, his decem præceptis percutiens, omnium mortalium peccatorum feras in nobis occidit, & virtutes perficit, quibus ad vitam peruenitur æternam, in qua cum Christo viuamus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

S § 40. in fine.

C A P V T XXI.

1 HAec sunt iudicia quæ propones eis. Si emeris seruum Hebræum, sex annis ser- Deut. 15.
uiet tibi: in septimo egredietur liber gratis. 3 Cum quali veste intrauerit, cum c. 12.
tali exeat: si habens vxorem, & vxor egredietur simul. 4 Sin autem dominus Iere. 34.
dederit illi vxorem, & pepererit filios, & filias: mulier, & liberi eius erunt domini sui, ipse c. 14.
verò exibit cum vestitu suo. 5 Quòd si dixerit seruus: Diligo dominum meum, & vxorem
ac liberos, non egrediar liber: 6 offeret eum dominus dijs, & applicabitur ad ostium, &
postes, perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in sæculum. 7 Si quis vendiderit
filiam suam, in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueuerunt. 8 Si displicuerit
oculis domini sui cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habe-
bit potestatem, si spreuerit eam. 9 Sin autem filio suo desponderit eam, iuxta morem filia-
rum faciet illi. 10 Quòd si alteram ei acceperit, prouidebit puellæ nuptias, & vestimenta,
& pretium pudicitiæ non negabit. 11 Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pe-
cunia. 12 Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. 13 Qui autem Leu. 25. c.
non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, constituam tibi locum, in quem fu- 17.
gere debeat. 14 Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab alta- Deut. 19. a. a.
ri meo euelles eum, vt moriatur. 15 Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte mo-
riatur. 16 Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moria- Leuit. 20.
tur. 17 Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. 18 Si rixati fuerint viri, & b. 9.
percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit Prou. 20.
in lectulo: 19 si surrexerit, & ambulauerit foris super baculum suum, innocens erit, qui c. 20.
percusserit, ita tamen vt operas eius: & impensas in medicos restituat. 20 Qui percusserit Matt. 15. a. 4.
seruum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. 21 Mar. 7. b. 10.
Sin autem vno die, vel duobus superuixerit, non subiacebit pęnæ, quia pecunia illius est.
22 Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem
fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iu-
dicauerint. 23 Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, 24 ocu- Matth. 5. f. 31.
lum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, 25 adustionem Leuit. 24. d. 20.
pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. 26 Si percusserit quispiam oculum Deut. 19.
serui sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. 27 d. 20.

Deo-

Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. 28 Si bos
cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur: & non come-
dentur carnes eius, dominus quoque bouis innocens erit. 29 Quod si bos cornupeta fuerit
ab heri, & nudiustertius, & contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum, occideritque
virum, aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident. 30 Quòd si
pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus. 31 Filium
quoque, & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subiacebit. 32 Si seruum, ancillam-
que inuaserit, triginta siclos argenti domino dabit, bos verò lapidibus opprimetur. 33 Si
quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in
eam, 34 reddet dominus cisternæ pretium iumentorum: quod autem mortuum est, ipsius
erit. 35 Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit: vendent bouem
viuum, & diuident pretium, cadauer autem mortui inter se dispertient. 36 Sin autem scie-
bat, quòd bos cornupeta esset ab heri, & nudiustertius, & non custodiuit eum dominus suus,
reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.

1 QVemadmodum in Prologo tetigimus, triplex preceptorum genus in lege est. Moralia enim sunt quæ ex ipso rationis dictamine vim habent obligandi, [A] & dicuntur moralia, quia à ratione dicuntur mores humani, & ratio est principium moraliũ. Huiusmodi generalia sunt, v.g. *Deum esse colendum; iustitiam inter homines esse seruandam.* [B] Et specialiùs potest exemplificari in alijs, vt in honore parentum, [C] *non mœchaberis, non furtum facies* & similibus. Cæremonialia dicuntur determinationes quædam eorundem moralium ex institutione diuina vel humana, per quæ ordinetur homo in Deum. Iudicialia pariter per quæ ordinentur homines ad inuicem, secundum iustitiam, vnde non solum iudicialia præcepta sunt, quæ pertinent ad lites iudiciorum, sed etiam quæcunque pertinent ad ordinationem hominum ad inuicem, vt dictum est. [D]

A p. 2. 105.1.
B p.2.99. 4.
C Quod l.2.8.
D p. 2. 105.1.

Hæc præceptorum diuisio satis innuitur Deuterono.nij 4. *Hæc sunt præcepta, & cæremonia atque iudicia*: præcepta enim antonomasticè dicuntur moralia; & pariter à D. Paulo Rom. 7. *mandatum iustum, bonum, & sanctum*: iustum quidem quantum ad iudicialia, sanctum quantum ad cæremonialia; (nam sanctum dicitur quod est Deo dicatum) bonum, idest honestum quantum ad moralia. [E]

E p.2.99. 4.

Igitur ad disponendum statum illius populi in ordine ad iustitiam, & æquitatem, voluit Dominus pet Ducem suum Moysen tot instituere præcepta, quæ & in Exodo, in Num. in Leultieo, & in Deuteronomio leguntur. Ad pulcherrimam autẽ diuisionem reducit D.Thom. hęc [F] omnia præcepta, iuxta quadruplicem ordinem. Vnus est, Principum populi ad subditos: alius est, subditorum ad inuicem: tertius, eorum qui sunt de populo ad extraneos: quartus ad domesticos, sicut Patris ad filium; vxoris ad virum; & domini ad seruum. Dantur autem quædam præcepta de institutione Principum, & officio eorum, & de reuerentia eis exhibenda; & hæc est vna pars iudicialium præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta, pertinentia ad conciues ad inuicem; puta circa emptiones, & venditiones; & iudicia, & pœnas; & hæc est secunda pars iudicialium præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos; puta de bellis contra hostes; & de susceptione peregrinorum, & aduenarum: dantur etiam in lege quædam præcepta pertinentia ad domesticam conuersationem, sicut de seruis, de vxoribus & filijs; & hæc est quarta pars iudicialium præceptorum. Quàm conuenienter autem hæc tradita fuerint, mirificè declarat Angelicus singillatim 1. 2. cit. q. 105.

F p. 2. 104 4.

Itaque VERSVS est 1. & 2. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi; in septimo egredietur liber gratis.*

Casus ponitur Leuitici 25. *si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius & colonus erit: mei enim sunt serui, & ego eduxi eos de terra Ægypti, vt non veneant conditione seruorum.* 2

Ex hoc ergo Respondet S.Doctor [G] obiectioni, quæ fieri potest ex Philosopho 1. Politicorum, quia seruus id quod est, Domini est; dicens; quia filij Israel erant à Domino de seruitute liberati; & per hoc diuinæ seruituti addicti, noluit Dominus vt in perpetuum serui essent. Sed quia simpliciter serui non erant, sed secundum quid, finito tempore dimittebantur liberi. Quàm modestè autem tractarentur ex lege, illiusmodi serui, recolit ibi in corpore, ne scilicet immoderatis laboribus affligerentur, vnde Deuteronomij 5. mandauit, vt in die sabbathi requiescerent: imposuit etiam mutilatoribus seruorum, vt dimitterent eos liberos; sicut legitur hic versu 26. *si percusserit quispiam oculum serui sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos, pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo, vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.* Statuitur etiam vt liberi abeuntes, ferant omnia quæ apportauerant etiam vestimenta; & Deut. 15. vt eis detur viaticum. His de causis, etiam si multæ pœnæ statuantur in lege, seruitutis pœna perpetua numquam [H] reperitur in lege, demptis duobus casibus, de quibus infrà, in hoc & sequenti capite dicam.

G p. 1. 105.4. ad 1.
H p. 2. 105. 4.1. ad 10.

VERSVS IV. *Si autem Dominus dederit illi vxorem, & peperit filios, & filias: mulier, & liberi eius erunt Domini sui.* Secundùm leges ciuiles; partus sequitur ventrem; & quia seruitus, corporalis conditio est, ideò proles in libertate & seruitute, sequitur matrem: ergo etiamsi libertatis viri aduenerat tempus, cùm muliere serua, nati quoque remanebant meritò ipsi domino: ita ex D. Th. in 4. d. q. 36. q. 1. a. 4. dicente; huic legi ciuili concordant canones, & lex Moysi Exodi 21. 4

VERSVS VI. *Quòd si dixerit seruus, diligo Dominum meum, & non egrediar liber: offeret eum Dominus Dijs, & applicabitur ad ostium, &*

postes, perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in sæculum.

Hic est primus casus, quem loco citato memorat, quando septimo anno remissionis, ille qui erat seruus nolebat beneficio legis vti, vnde pro pœna ei infligebatur, vt in perpetuum seruus remaneret. Hoc etiam repetitur Deuteronomij 15. *Sin autem dixerit; nolo egredi, eo quòd diligat te, & domum tuam, & bene tibi apud te esse sentiat; assumes subulam, & perforabis aurem eius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi vsque in æternum.* Nescio autem cur Tirino arrideat magis perforatam aurem in signum perpetuæ seruitutis, ac renunciationis iuris sui, quàm in promeritam pœnam; cùm hæc ipsi quæ prodit pœnalia sint; ait loco cit. D. Thom. quia nolebat beneficio legis vti, vt liber exiret, pro pęna ei infligebatur, vt in perpetuum seruus remaneret. Qui priuilegio non vtitur, meretur priuari. Incompositi certè erat animi, qui seruitutem cùm posset excutere, manere præeligebat sub iugo; & immemor liberationis de seruitute Ægypti, merebatur omnimodam perdere libertatem: Si tamen foret ipsius voluntas nota Iudicibus; idcirco dicit; *offeret eum Dominus Dijs*, de quibus fusiùs c. sequenti ad v. 8. & 28. Sic enim Deuteronomij 16. mandatur, vt iudices, & magistri constituerentur per singulas tribus, vt indicarent populo iusto iudicio. Sicut grauiora dubia, ad summum ex c. 17. deferenda erant iudicem, vt recolit D. Thomas [I] Veruntamen ly *in sæculum*, non necessariò sonat totum tempus vitæ serui illius; Sed intelligitur ab interpretibus, vsque ad annum Iubilæum, qui erat quinquagesimus cuiusque sæculi, siue is adhùc procul, siue parùm abesset. Vnde vim ne faciant peruicaces Iudæi, de perpetuitate circumcisionis carnalis, & cæremoniarum, quia vox illa *ngolam*, non significat absolutè, & pressè perpetuitatem. Erat etiam alia tunc lex Leuitici 25. quæ relaxari iubebat eiusmodi seruos.

I p. 2. 105. 3.

VERSVS VII. *Si quis vendiderit filiam suam in famulam &c.*

Cum ex Philosopho in 1. & 3. Politicorum, alius sit principatus Domini ad seruum, ac Patris ad filium, non videtur sine reprehensione supponi, in lege, vt quis vendere possit filiam suam in famulam, quod potius Domini est, quam Patris.

Respondetur. [L] eiusmodi seruitutem non fuisse talem simpliciter, sed secundùm quid, quasi famulæ in morem, vt dictum est; idcirco permittebatur; & hoc etiam verba ipsius legis, quæ sequuntur ostendunt, dicit enim, *non egredietur sicut exire ancillæ consueuerunt*, non ergo erat sic venditus verus seruus, sed potius mercenarius vsque ad tempus.

L p. 2. 105. 1. 4.

5 VERSVS XX. *Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit.*

VERSVS XXI. *Sin autem vno die vel duobus superuixerit, non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est.*

Videtur lex ista dura atque crudelis in seruos, quia quamquam superuixerint post percussionem vno die vel duobus, poterat accidere, vt post aliquot dies ex pristina percussione morerentur; inconuenienter ergo nec pœnæ pecuniariæ subiacebant Domini percussores. Nihilominus sanè intellecta rationabilis lex ista est, videtur enim voluisse distinguere inter certam, & incertam, eamque grauem læsionem; si quidem certa extabat grauitas læsionis, iniuncta erat, etiam extra casum mortis, debita pœna, vnde subditur posteà pro mutilatione seruum libertate donandum: & si moreretur seruus in manu Domini verberantis, incurrebat Dominus homicidij pęnam. Si autem certa non esset in præsentiarum, & intellige, neque in futurum ab vno vel altero die, deprehendebatur occisio, euadebat reatum Dominus etiam soluendæ pecuniæ, quia quicquid seruus haberet, & etiam ipsa persona serui erat quædam possessio Domini. Sic non erat in percussione liberi, quia tenebatur percussor ad impensas soluendas, vt hic dicitur: quamuis si percussus posteà super baculum suum ambularet (quod est se incolumem satis ostentare) non existimabatur homicidij reus, in rixa percussor. Id potius in imperitiam curæ erat referendum. Hæc satis ex D. Thoma habentur. [L]

L p. 2. 105. 4. 4.

VERSVS XXII. *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subiacebit damno quantùm maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddent animam pro anima.*

Docet D. Thomas ferendo textum istum, quòd ille, qui percutit mulierem prægnantem dat operam rei illicitæ: & ideò si sequatur mors, vel mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidij crimen; præcipuè cum ex tali percussione in promptu sit, quòd mors sequatur. Fieri quippe potest, aio ego, vt fętus aliunde moriatur. [M]

M 2. 2. 64. 4. 2.

VERSVS XXIV. *Oculum pro oculo; dentem pro dente; manum pro manu; pedem pro pede.*

Sicut D. Augustinus dicit 21. de Ciuitate Dei capite 11. octo genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius. Damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, seruitutem. [N] In hoc textu pęna talionis inducitur; quæ solet etiam deficienti accusatori, vbi malitia [O] locum habuerit, infligi; Sic quippe exposcit æqualitas iustitiæ; vnde huius generis iustum, dicitur ob æqualem [P] recompensationem, contrapassum, quod propriissimè, dicitur in passionibus, & actionibus iniuriosis, quibus aliquis personam proximi lędit. Taxauit autem in hoc lex modum vindictæ, [Q] vt non procederetur ad immoderatam vindictam. Quamquam in hoc turpiter errarent scribæ & Pharisæi, credentes [R] appetitum vindictæ esse licitum propter præceptum datum de pęna talionis: quod quidem fuit datum vt iustitia seruaretur, non vt homo vindictam quæreret. Quod omninò etiam in affectu illicitum est: quamuis laudabile sit optare alicui malum [S] sub ratione boni, vt per aduersitatem aliquis perueniat ad spiritualem profectum. Iob 5. *Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.* Vbi aduerto, quàm signanter dicat, *maledixi statim*, quia non veteri aliquo ex odio, sed ex subitanea consideratione stultitiæ morum illius, rapitur anima in mediceam maledictionem, qua oleaster in bonam transeat oliuam.

6

M p. 2. 105. 2. 10.

O 2. 2. 68. 4.

P 2. 2. 61. 4.

Q p. 2. 107. 2. 2.

R p. 2. 108. 1. 2.

S Rom. 12. l. 3.

Secus est de maledictione, re vel mente ex odio, de qua dicitur; *qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*.

Hæc alibi collegit Angelicus, nimirùm in Matthæum ad illa verba *audistis quia dictum est, oculum pro oculo*. In quo, [T] lex talionis erat iniuriæ illatæ statuta, vt Augustinus dicit Exodi 21. & Deureronomij 19. Sed quæritur, inquit, quare legem talionis concessit Moyses: Resp. Moyses vidit eos temerarios in iniurijs, & vindictis faciendis, & ideò cùm non posset aliter eos retrahere, pœnam vindictæ voluit temperare, ne supra modum illatas iniurias vindicarent; sed ad plura, pro pari, parem redderent talionem: & quamuis Leuitici 19. legatur, *non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*: Occurrit, quòd lex talionis erat iudici in præcepto, & hoc vt facerent zelo iustitiæ & non zelo vindictæ, ad malorum cohibitionem. Et sic intelligitur Augustinus dicens. *Lex modum vltionis constituit*. Sed quia erat permissa in iuriaro secundùm paritatem, putabant Iudæi se posse vlcisci, & ideo inhibetur in Leuitico. En quomodo ipsissima est D. Thomæ hoc & superioribus in locis doctrina; vnde abduci nequeo, vt credam alterius ab ipso esse opus in Matthæum, licèt facilè, ac libenter dederim, non esse Diui Thomæ eiusmodi stylum; quin potiùs ab aliquo ipsius discipulo post diligêtem auscultationem, raptim scriptis mandatum.

[T Matth. 5.]

VERSVS XXVIII. *Si Bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur*.

7 Arguit S. Doctor; pœna non debetur nisi culpæ; sed bruta animalia non possunt habere culpam, ergo. Respondetque [V] quòd bruta animalia mandabantur occidi, non propter aliquam ipsorum culpam, sed in pęnam Dominorum, qui talia animalia, non custodierant ab huiusmodi peccatis: Et ideò magis puniebatur Dominus, *si bos cornupeta fuerit, ab heri & nudiustertius*, (in quo casu poterat occurri periculo,) quàm si subitò cornupeta efficeretur: vel occidebantur animalia in detestationem peccati, & ne ex eorum aspectu aliquis horror hominibus incuteretur.

[V p. 2. 105. a. 11.]

Quocircà tangens hanc eandem scripturam inquit, [X] euentus ille, scilicet mortis per bouem cornupetam ab heri & nudiustertius, pro quo Domino pęna infligenda mandatur, & per se sequitur ex tali causa: & iterum ponitur vt præcogitatus, & ideò imputatur ad pęnam.

[X p. 2. 20. 5. 3.]

Accumulat autem difficultates de brutorũ occisione alibi [A] quoque dicens; pęna non debetur nisi ei qui habet liberum arbitrium; sed in veteri lege frequenter inuenitur pęna inflicta brutis; sicut Exodi 19. patet de bestia tangente montem; & 21. de boue cornupeta; & Leuitici 20. de iumento cui mulier succubuit, ergo &c. Occurrit, quòd cùm bruta sint facta in obsequiũ hominis, secundùm hoc de brutis disponitur, quòd hominibus expedit propter quos facta sūt: puniuntur ergo bruta, lege diuina, non propter hoc quòd ipsa peccent, sed propter hoc, quòd ex eorum pœna homines puniantur, in eorum possessione: vel terreantur ex ipsa pœnæ acerbitate: vel etiam instruantur ex mysterij significatione.

[A de veritate 24. a. 2. 6.]

VERSVS XXXIII. *Si quis aperuerit cisternam & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam*.

Non solùm ex intentione malum, & ex monita negligentia secutum, in damnum vitæ 8
proximi prohibet Dominus; sed etiam aliquantulum per accidens subsecuturum, bestijs etiam, multò magis hominibus, vult vitari: euentus quippe sequens vt in pluribus, addit ad bonitatem [B] vel malitiam actus, quia sine dubio potuit ac debuit præcogitari, nec potest neglectus eiusmodi esse inculpabilis. Intendit igitur Moyses præcauere ruinam animalis ad literam: sed moraliter commonere de scandalo. Sanctus Doctor inquirens num [C] pueri non exercitati in præceptis sint recipiendi 3. loco sic arguit Exodi 21 dicitur; *si quis aperuerit cisternam* &c. Sed ille qui aliquem puerum nondum in præceptis exercitatum ad religionem inducit, quodammodo aperit ei cisternam; quia plerique tales religionem ingredientes, egrediuntur, & in desperationem incidunt, quasi in quandam spiritualem cisternam, ergo. Respondet: (en quomodo admittit intelligi auctoritatem de scandalo) quod duplex est occasio, scilicet data & sumpta: tunc quidem dat aliquis occasionem alicui ruendi, vel in cisternam cadendi, quando facit aliquid vel dicit minus rectum; ex quo datur proximo occasio ruinæ; & tunc ruina proximi, imputatur danti occasionem. Aliquando autem non est occasio data sed sumpta, puta cum aliquis inducit aliquem ad bonum, & ipse ex hoc fit deterior: non est relinquenda monitio bona, propter hoc quòd ille sumit inde occasionem ruinæ: vnde & Dominus non dimisit prædicationem veritatis, propter scandalum Pharisæorum, vt habetur Matth. 15. & Augustinus dicit in Epistola ad Bonifacium. De scandalo 22. q. 43.

[B p. 2. 1. 5.]

[C Quodl. 4. a. 2. 1.]

Similiter scandalum potest accidere in altioris doctrinæ traditione: propterea D. Gregorius super hunc locum, [D] *qui in Sacro eloquio iam alta intelligit, sublimes sensus coram non capientibus per silentium tegat*; ne per scandalum interius, aut fidelem paruulum, aut infidelem, qui credere potuisset, interimat. Sed audi alibi [E] D. Thomam: Aliter per calamum potest intelligi scriptura secundum glossam; quia calamo metitur quis longitudinem, latitudinem, & altitudinem construendæ domus: sic qui habet scripturæ intelligentiam, metitur cum ea singulorum capacitatem, vt maioribus maiora, minoribus minora proponat. Exodi 21. *si quis aperuerit cisternam; Cisterna est scriptura: bos, & asinus fidelis, & infidelis: cadere in cisternam est cadere in errorem: & qui stultè, quod non debuit prædicauit, tenetur ad restitutionem animarum in multis casibus*. O Verbi Dei profanatores si qui estis, audite!

[D op. 70. q. 2. Prop. mali 4. in c.]

[E Apoc. 2. cap. 11. post principium.]

CA-

CAPVT XXII.

1 SI quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boues
pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue. 2 Si effringens fur domum, 1. Reg.
siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non 12.b.6.
erit reus sanguinis. 3 Quòd si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse mo-
rietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur; 4 si inuentum fuerit
apud eum quod furatus est, viuens, siue bos, siue asinus, siue ouis: duplum restituet. 5 Si
læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum suum, vt depascatur alienam:
quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. 6
Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in
agris, reddet damnum qui ignem succenderit. 7 Si quis commendauerit amico pecu-
niam, aut vas in custodiam, & ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint, si inuenitur fur,
duplum reddet, 8 si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit, quòd non
extenderit manum in rem proximi sui 9 ad perpetrandam fraudem tam in boue, quam in
asino, & oue ac vestimento, & quidquid damnum inferre potest, ad deos vtriusque causam
perueniet: & si illi iudicauerint, duplum restituet proximo suo. 10 Si quis commendauerit
proximo suo asinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad custodiam, & mortuum fuerit,
aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit: 11 iusiurandum erit in
medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietque dominus iuramen- Gen. 3. f.
tum, & ille reddere non cogetur. 12 Quòd si furto ablatum fuerit, restituet damnum do- 19.
mino. 13 Si comestum à bestia, deferat ad eum, quod occisum est, & non restituet. 14
Qui à proximo suo, quidquam horum mutuo postulauerit, & debilitatum, aut mortuum
fuerit domino non præsente, reddere compelletur. 15 Quod si in præsentiarum dominus
fuerit, non restituet, maximè si conductum venerat pro mercede operis sui. 16 Si seduxe- Deut. 22.
rit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit d. 29.
eam vxorem. 17 Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis,
quam virgines accipere consueuerunt. 18 Maleficos non patieris viuere. 19 Qui coierit
cum iumento, morte moriatur. 20 Qui immolat dijs, occidetur, præterquam Domino so- Leu. 19. a.
li. 21 Aduenam non contristabis, neque affliges eum: aduenæ enim, & ipsi fuistis in Ter- 4.
ra Aegypti. 22 Viduæ, & pupillo non nocebitis. 23 Si læseritis eos, vociferabuntur ad Zach. 7. e.
me, & ego audiam clamorem eorum: 24 & indignabitur furor meus, percutiamque vos 10.
gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. 25 Si pecuniam mutuam dede-
ris populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris op-
primes. 26 Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei.
27 Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo
dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. 28 Dijs non detrahes,
& principi populi tui non maledices. 29 Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis red- Act. 23. a. 5.
dere, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. 30 De bobus quoque, & ouibus simi- Leu. 22. b. 8.
liter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi. 31 Viri san- Ezec 44. g. 30
cti eritis mihi; carnem, quæ à bestijs fuerit prægustata, non comedetis, sed proijcietis ca- Sup. 13 a. 2. & b. 2.
nibus. Inf. 13. b. 19.

VERSVS I. *Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem; & occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue.*

1 A 4.1 (?) 2.2. Habuisse irascibilis, & concupiscibilis corruptionem Iudæos, notat Angelicus: [A] idcirco que permissum libellum repudij, atque etiam extraneis fœnerari. Meritò igitur, postquam coercuit eos Moyses à proximorum offensa statutis pœnis, quia & grauius est homicidium quàm furtum: pergit præcepta tradere iudicialia, de furto, de deposito, de commodato, de fornicatione, de maleficijs, de charitate in peregrinos, viduas, pupillos: de vsura, & pignore, de decimis, & primitijs; quæ vel auaritiam, vel damna proximi tanquam morbos animi curent.

Itaque quia auferre rem alterius, est quoddam iniustum facere; [B] ideò secundariò etiam in his dicitur contrapassum, prout scilicet aliquis, qui damnum intulit, in re sua etiam ipse damnificatur. & hoc etiam iustum damnum continetur in lege Exodi 22. *Si quis furatus fuerit.* Sed quoniam posset quis mirari, quòd non satis putetur, fieri restitutionem ablati: sciendum est, quòd [C] licèt quantùm ad inæqualitatem ex parte rei, sufficiens adhibeatur remediũ, per rei aut eiusdem restitutionem, aut æquiualentis compensationem: non tamen id sufficit ad satisfaciendum culpæ, & iniuriosæ ablationi. Iniustitiæ culpa locum habere potest, & exigere satisfactionem, etsi in re nihil fuerit ablatum: puta cum aliquis intendit violentiam inferre. sed non præualet: & propter hoc lex de plus dando,

B 2.2. 61. 4.

C 2.2. 62. 3. & 4. d. 15. 1. a. 5. ad 2.

quam fuerit iniustè acceptum factū est, vt patet etiam Numeri 5. si autem non haberet fur quod pro furto redderet, venundandus erat, vt hic dicitur, in seruum; quod tradit D. Thomas 1. 2. q. 105. a. 2. ad 10.

Quoniam verò in alijs furti reatibus, vt patet in hoc capite, non cogitur qui fuit fur reddere nisi duplum, enascitur quæstio, quare quatuor oues, & boues quinque pro vno ac pro vno, decernantur reddenda. Respondet D. Thomas [D] pro furto aliarum rerum, quæ de facili custodiri possunt a furibus, non reddebat fur nisi duplum (cerne quomodo negligentia custodiæ demerebatur maiorem compensationem: iniuriam quippe inaccuratus custos leuiorem facit) Oues autem non de facili possunt custodiri à furto, quia pascuntur in agris; & ideò frequentius contingebat, quòd oues furto subtraherentur: vnde lex maiorem pœnam apposuit, vt scilicet quatuor oues pro vna oue redderentur. Adhuc autem boues difficiliùs custodiuntur, quia habentur in agris; & non ita pascuntur gregatim sicut oues, & ideò adhuc hic maiorem pęnam apposuit; vt scilicet quinque boues pro vno boue redderentur. Et hoc dico nisi fortè idem animal inuentum fuerit viuens apud eum, quia tunc solum duplum restituebat; sicut & in cæteris furtis: poterat enim haberi præsumptio, quòd cogitaret restituere, ex quo viuum seruasset. Vel potest dici secundùm glossam, quòd bos habet quinque vtilitates: quia *immolatur, arat, pascit carnibus, lac dat, & corium etiam diuersis vsibus ministrat*; & ideò pro vno boue quinque boues reddebantur. Ouis etiam habet quatuor vtilitates; *immolatur, pascit, lac dat, & lanam ministrat*. Errabant autem in intellectu huius literæ scribæ & Pharisæi [E] putantes, motum cupiditatis temporalium rerum licitum esse, quia mandabatur restitutio rei ablatæ cum aliqua additione; & hoc quidem mandauit lex propter iustitiam obseruandam, non vt daret cupiditati locum. Verùm inflictio pęnarum huiusmodi ad iudicem [F] pertinet: vnde antequam esset quis cōdemnatus per iudicem, non tenebatur restituere plus quàm acceperat: tenebatur tamen postquam fuerat condemnatus.

Videbitur autem fortassè alicui debuisse eiusmodi peccatis tanquam mortalibus statui pęna mortis: Atqui Respondet D. Thomas; [G] quòd secundùm iudicium præsentis vitæ, non pro quolibet peccato mortali infligitur pęna mortis, sed solùm pro illis, quæ inferunt irreparabile nocumentum: vel etiam pro illis, quæ habent aliquam horribilem deformitatem. Et ideò pro furto, quod irreparabile damnum non infert, non infligitur secundùm præsens iudicium pęna mortis, nisi cum furtum aggrauatur per aliquam grauem circunstantiam; sicut patet de Sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, & de peculatu, quod est furtum rei communis, vt patet per Augustinum super Ioannem; & de plagio, quod est furtum hominis; pro quo quis morte punitur vt patet Exodi 21. Certè ibi legitur; *qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ morte moriatur*. Ratio autem quare non semper pro mortali inferatur mortis pœna, est quam tangit, quia pœnæ præsentis vitæ magis sunt medicinales, quam retributiuæ; retributio enim reseruatur diuino iudicio, quod est secundùm veritatem in peccantes. Quod quidem repetit alibi, vt infra q. 68. a. 1. dicens [H] pœnæ præsentis vitæ non per se expetuntur, quia non est hic vltimum retributionis tempus; sed in quantùm sunt medicinales, conferentes vel ad emendationem personæ peccantis; vel ad bonum reipublicæ; cuius quies procuratur per punitionem peccantium.

VERSUS II. *Si effringens fur domum, vel suffodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.*

Colligit hoc ex textu D. Thomas, multo magis licere [I] pro defensione propriç vitæ alium occidere: nihilominus exponit in corpore, id fieri posse cum moderamine inculpatæ tutelæ: vnde si quis ad defendendam propriam vitam vtatur maiori violentia quàm oporteat, illicitum erit. Quod quidem multò magis obseruandum est, cum pro rerum suarum damno ad arma venitur.

VERSUS VI. *Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit aceruos frugum, siuè stantes segetes, in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit.*

Adstipulatur lex ista iuri; siquidem ff. ad legem Aquiliam, lege, *si putator*, & lege, *Qui occidit*; qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur: culpatur quidem qui succendit, quoniam incautè succenderit. Et §. in hac actione. *Cæterùm in crimine est, qui non obseruauit, ne ignis longiùs procederet.*

VERSUS VII. *Si quis commendauerit amico pecuniam &c.*

Hoc & sequentibus agitur de lege Depositorum: Non tam arcta est lex depositum recipientis, atque recipientis mutuò: eoquòd, vt optimè obseruat Angelicus [L] depositi traditio est ad vtilitatem deponentis; mutuum è contrà, ad vtilitatem recipientis; vnde minor negligentia aggrauat eum qui recipit mutuum, quæ ferè non imputatur Depositario.

Lex ergò est de eximendo depositario ab onere par reddendi, si ab eo pecunia vel vas in custodiam recepta, furto fuerint ablata: tenetur enim solùm iuramentum coram iudicibus præstare, quòd non extenderit manum in rem proximi sui. Verùm quia D. Thomas loquens de depositis ait citato proximo loco; alio modo poterat perdi, ex causa euitabili, puta per furtum, & tùnc propter negligentiam custodiæ reddere tenebatur: imò, & facer textus infra v. 12. habet; *quòd si furto ablatum fuerit, restituet damnum proximo*: videtur contradictio aperta; primò enim dicitur satis esse iuramentum; & deinde faciendam esse restitutionem. Atqui vtrumque verum est; si præsumitur negligentia custodis, reddere sine dubio tenetur; & hoc ait D. Thomas: si non præsumitur negligens fuisse, satis est, si iuramento firmet fidelitatem. Ex casibus autem in sacro textu diuersis, innotescit an fuerit negligens custos. Sanè cum quis pecuniam, & vas recipit deposito, supponitur accuratè pariter custodire: nam domum suam diligenter quisque custodit: ad quod innuendum dicit textus; *Dominus domus applicabitur*, & Chaldæa interpretatio habet, & furto sublata fuerint *de domo viri*, & sic Septuaginta. Faciliùs autem ne-

[D] p. 2. 105. a. 9.
[E] p. 2. 108. 3. ad 2.
[F] 2. 2. 62. 4.
[G] 2. 2. 66. 6. 2.
[H] 2. 2. 68. 1.
[I] 2. 2. 64. 7.
[L] p. 2. 105. a. 5.

negligentia committitur in custodiendis iumentis; quia vbi imò est periculum, eò debent studia referri: idcirco pro huiusmodi reddere tenebatur custos, nec sufficiebat se fidelem iurare. Quod si de negligentia effugeret notam, ex cusabatur vt patet, si tot vijs alijs animalia perirent: puta si essent, vel à feris comesta, vel capta ab hostibus. Negligentia ex 2. 2. q. 54. a. 1. importat defectum debitæ solicitudinis & a. 3. prouenit ex quadam remissione voluntatis; per quam contingit, quòd ratio non solicitatur, vt præcipiat ea quæ debet, vel eo modo, quo debet.

VERSUS VIII. *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit &c.*

4
M Io. 10. l. 7. Hoc nomen *Deus* tripliciter accipitur; aliquando enim significat [M] ipsam diuinam naturam, & sic dicitur singulariter solùm, Deuteronomij 6. *audi Israel Dominus Deus tuus vnus est*: Quandoque autem dicitur *Deus* nuncupatiuè; & hoc modo dicuntur Idola *Dij* Psalm. 91. *omnes Dij Gentium Dæmonia*: quandoque autem dicitur aliquis *Deus* participatione aliqua Diuinitatis, seu excellentioris virtutis, diuinitùs infusæ, & hoc modo iudices dicuntur *Dij* in Scriptura, & fert D. Thomas hunc textum. Hoc ipsum alibi docet, vt infrà v. 28.

VERSUS XIV. *Qui à proximo suo quidquam horum mutuò postulauerit &c.*

5
Si perit animal apud mutuatarium inculpabiliter, perit Domino qui mutuauit; maximè autem dominus subiacet damno, si non mutuò sed mercede conductum dedit. Nonnulla tamen esset æquitas, vt qui mutuum animal accepit, si pereat vel debilitetur, reddat domino tantundem, quantum potuisset conduci. Qui tamen conduxit animal, & non suum, alteri mutuauit, apud quem perit, non videtur posse domino referre damnum, quia dominus dedit illi, non vt alteri ipse mutuaret: Euincitur autem, quòd iste, non suum dans mutuum, nullam possit expetere compensationem, quia sic ex mutuo reportaret lucrum, cùm potuisset etiam apud semetipsum perire animal illud, absque omni remedio. Hæc docere deprehenditur si attentè

N p. 2. 105. a. 4. legatur hac ex lege Angelicus præceptor [N].

VERSUS XVI. *Si seduxerit quis Virginem &c.*

Hanc dotandi pœnam memorat & probat S. Doct. in 4. 49. q. 4. a. 1.

VERSUS XVIII. *Maleficos non patieris viuere.*

6
Septuaginta legunt; *veneficos, non viuificabitis*; & interpretatio Chaldæa habet; *venefica non viuat*. Quomodocunque traducatur, certè de sceleratis sermo fieri videtur; quibus ademptio vitæ decernitur; ne cui error posset obrepere, & ansa ad peccandum, quoniam, mortis pœna in superioribus non memoratur. Intelligitur tamen illi committi qui potestatem habet

O Apoc. 2. c. 18. in fine interficiendi [O] & puniendi malefactores, dum tamen hoc faciat, affectu iustitiæ, & secundùm meritum offensæ. Sanè videmus quòd si saluti corporis humani expediat præcisio alicuius mé-

P 2. 2. 64. 2. bri, puta cum est putridum [P] vel corruptiuum aliorum membrorum, laudabiliter, & salubriter abscinditur. Qualibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut pars aliorum, & ideò, si aliquis homo sit periculosus communitati & corruptiuus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter, & salubriter occiditur; vt bonum commune conseruetur; modicum enim fermentum totam massam corrumpit, vt dicitur 1. Cor. 5. Quando ergò in maximam malitiam incidunt; & insanabiles sunt, de quibus etiam magis præsumitur nocumentum aliorum, quàm ipsorum emendatio, secundùm [Q] legem diuinam, & humanam præ- Q 2. 2. 25. 6. 2.
cipiuntur occidi. Et tamen hoc facit iudex non ex odio eorum sed ex amore charitatis, quo bonum publicum præfertur vitæ singularis personæ. Et tamen mors per iudicem inflicta peccatori prodest, siuè conuertatur, ad culpæ expiationē, siue etiam non conuertatur, ad culpæ terminationem, quia per hoc tollitur ei potestas amplius peccandi. Habent autem mali in ipso mortis articulo facultatem, vt per pœnitentiam [R] conuertantur ad Deum: quòd si adeò sunt ob- R 3. cont. Gent. cap. 146. in fine.
stinati, quòd etiam in mortis articulo cor eorum à malitia non recedit, satis probabiliter æstimari potest, quòd à malitia nunquam resipiscant. Docet autem proximè citato loco 2. 2. eiusmodi malis hominibus non esse amicitiæ familiaritatem exhibendam: quamuis quousque spes est sanationis, vt ait Philosophus in 9. Ethicorum, non sint amicitiæ beneficia subtrahenda: sed magis est eis auxilium dandum ad recuperationem virtutis, quàm ad recuperationem pecuniæ si eam amisissent; quantò virtus est magis amicitiæ affinis, quàm pecunia.

VERSUS XX. *Qui immolat dijs occidetur, præter Domino soli.*

Chaldæa interpretatur pro *Elohim*, idola. Fit autem hoc expressè præceptum; quia etiam salua interiori cordis puritate, nefas est falsos Deos colere, per sacrificij immolationem, quod soli Deo debetur. Sicut inquit D. Thomas [S] in S 2. 2. 85. 2.
omni Republica summum Rectorem aliquo signo singulari honorant, quod cuicunque alteri deferretur esset crimen læsæ Maiestatis; ita in lege statuitur pœna mortis ijs, qui diuinum honorem alijs exhibent. Interseruntur hæ capitales pœnæ vt opinor: ne quis æquè scelera cuncta pecuniarijs dumtaxat crederet fore punienda. Quæ sequuntur autem non videntur subiecta iudici Mundi huius; neque certam habere pœnam sed iussa sunt sub metu vltionis diuinæ, eòquod cômune bonum non adeò lædant, vt egeant exemplari sub oculis punitione.

VERSUS XXV. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum, quasi exactor, nec vsuris opprimes.*

Posset hic tractari de permissione vsuræ, facta iudæis, & de eiusdem iniusta simpliciter exactione: sed supersedeo vsque ad cap. 23. Deuteronomij; *non fœnerabis fratri tuo, sed alieno.*

VERSUS XXVIII. *Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* 7

D. Thomas loco suprà citato [T] exponit T Io. 10. l. 7.
cum legitur applicandos esse homines ad *Deos*, idest ad iudices: & deinde ferens præsentem locum; *Dijs* inquit, *non detrahes*, idest Prælatis. In Prologo ad Hebræos; [V] *Dijs non detrahes*, idest V Prol. ad Hebræos.
Sacerdotibus; & fert etiam textum superiorem vers. 8. *Si latet fur; dominus domus applicabitur ad deos*. Nihilominus admittit alibi [X] accipi ly X p. 2. 2. 4. 1.

Dys pro hominibus, qui in potestate sunt: in hoc quippe stat talium ad Deum similitudo: vnde & in opusculo [A] considerans magnitudinem regiæ virtutis, apparet, inquit, quòd præcipuè Dei similitudinem gerit, dùm agit in regno, quod Deus in Mundo: vnde & in Exodo cap. 22. Iudices multitudinis dij vocantur. Imperatores etiam apud Romanos dij vocabantur. Septuaginta legunt: *Dys non maledices*; & Chaldæa, *iudices non vilipendes*. Etsi autem propter participationem diuinæ cuiusdam virtutis, & Sacerdotibus & Prælatis deos dici conueniat; attamen quia ad iudices tot erant in his legibus deferenda, de ipsis interpretanda videtur hæc inhibitio: idcirco subditur *& Principibus populi tui non maledices*: quod expendens D. Thomas [B] ait ex parte proximi tantò grauiùs peccatur, quantò peccatum plures tangit; & ideò peccatum quod fit in personam publicam, puta regem vel principem, qui gerit personam totius multitudinis, est grauius, quàm peccatum, quod committitur contra vnam personam priuatam: vnde specialiter dicitur Exodi 22. *Principi populi tui non maledices*.

A op. 20. l. 1. c. 9.

B 2. 2. 71. 9.

VERSVS XXIX. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere*.

Quoniam de decimarum iniũctione redibit sermo Leuitici 27. ideò nunc abstinemus.

VERSVS XXIX. *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi*.

8 Simile sequitur præceptum de iumentis; sibi enim deputauerat Dominus [C] omne primogenitum in Israel, pro eo quòd, pro liberatione Israel percusserat primogenita Ægyptiorum *ab homine vsque ad pecus*; primogenitis Israel reseruatis; & hoc mandatum ponitur Exodi 13. Nota tamen sibi complacuisse Dominum loco primogenitorum de Leuitis, vnde Numeri 3. *ego tuli Leuitas à filijs Israel pro omni primogenito* &c. & sic cap. 8.

C op. 60. a 8.

VERSVS XXX. *De bobus quoque & ouibus similiter facies; septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi*. 9

Rabbi Moyses aperiens causam, [D] cur ante octauum diem non circumcideretur puer, ait ideo fuisse, quia puer anteà est ita tener, quasi in vtero matris. Quare sicut animalia non offerebantur propter hanc causam ante octauum diem; ita nec puer circumcidebatur.

D 4. 1. c. 2. 3. in corp.

VERSVS XXXI. *Viri sancti eritis mihi. Carnem quæ à bestijs fuerit prægustata, non comedetis, sed proijcietis canibus*.

Dominus illis sanctitatem iniungit; ac si diceret, non satis est decimas animalium offerre, nisi & vos ipsos domino sanctificetis: brutales exosi mores, quos ne in anima referatis, iubeo ab ijs abstinere carnibus, quas bestia prægustasset: quæ imò tanquam horrori proijciantur canibus. Propriè sanctitas dicitur in ordine ad Deum, in quantum scilicet homo seruat ea quæ sunt iusta quoad Deum; D. Thom. Rom. 12. l. 1. Dei sanctitas describitur à Dionysio cap. 12. de diu. nom. *ab omni immunditia, libera & perfecta, & omninò immaculata munditia*. Sed de sanctitate adhùc Leuitici 8. & D. Thomas Heb. 7. l. 4. sanctitas importat puritatem consecratam Deo, & Coloss. 2. l. 4. consistit in humili conuersatione & cultura Dei.

C A P V T   X X I I I.

1 NOn suscipies vocem mendacij: nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas fal-
sum testimonium. 2 Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudi-
cio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. 3 Pauperis quoque
Deut. 22. a. 1. non misereberis in iudicio. 4 Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.
5 Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.
6 Non declinabis in iudicium pauperis. 7 Mendacium fugies. Insontem, & iustum non
Dan. 13. f. 53. occides: quia auersor impium. 8 Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, &
subuertunt verba iustorum. 9 Peregrino molestus non eris, scitis enim aduenarum animas:
Deut. 16. d. 19. Eccl. 20. d. 32. quia & ipsi peregrini fuistis in terra Aegypti. 10 Sex annis seminabis terram tuam, & con-
Gene. 46. a. 5. gregabis fruges eius. 11 Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt co-
medant pauperes populi tui: & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in
vinea, & in olieto tuo. 12 Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, vt requiescat bos,
& asinus tuus: & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena. 13 Omnia, quæ dixi vobis, cu-
stodite. Et per nomen externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro.
14 Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. 15 Solemnitatem azymorum
Supr. 13. a. 4. custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi, tempore mensis nouorum,
Infr. 34. c. 22. quando egressus es de Aegypto: non apparebis in conspectu meo vacuus. 16 Et solemni-
Deut. 16. d. 16. tatem messis primitiuorum operis tui, quæcumque seminaueris in agro, solemnitatem quo-
Eccl. 35. a. 6. que in exitu anni: quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. 17 Ter in anno ap-
Deut. 14. c. 12 parebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo. 18 Non immolabis super fer-
Infr. 34. c. 26. mento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ vsque mane. 19
Deut. 7. b. 11. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei. Non coques hœdum in lacte
matris suæ. 20 Ecce ego mittã Angelũ meũ, qui præcedat te, & custodiat in via, & intro-
ducat in locum quem paraui. 21 Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum
putes, quia non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo. 22 Quòd si audieris
vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes

te: 23 Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Infr. 13.
Pherezæum, Chananæumque, & Heuæum, & Iebusæum, quos ego conteram. 24 Non 2.2.
adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, & confrin- Iol.24.c.11.
ges statuas eorum. 25 Seruietisque Domino Deo vestro, vt benedicam panibus tuis, & Deut.7.c.22.
aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. 26 Non erit infæcunda, nec sterilis in terra
tua: numerum dierum tuorum implebo. 27 Terrorem meum mittam in præcursum tuum, Deut.7.c.14.
& occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum co-
ram te terga vertam: 28 emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum, & Chana-
næum, & Hethæum, antequam introeas. 29 Non eijciam eos à facie tua anno vno: ne
terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. 30 Paulatim expellam eos de
conspectu tuo, donec augearis, & possideas Terram. 31 Ponam autem terminos tuos à
Mari rubro vsque ad Mare Palæstinorum, & à deserto vsque ad fluuium: tradam in manibus Deut.7.a.2.
vestris habitatores Terræ, & eijciam eos de conspectu vestro. 32 Non inibis cum eis fędus, Is.ft.34.b.15.
nec cum dijs eorum. 33 Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si ser-
uieris dijs eorum: quod tibi certè erit in scandalum.

POstquam per Moysen instruxit Dominus populum suum de seruanda in pluribus æquitate: quoniam etiam iustitiæ amatores accidit iustitiam deserere, externo ab aliquo impulsu, & excitamento; vt vndequaque ab iniquitatibus reddat alienos, à quibus peruerti possent, monet, ac præcipit Itaque.

VERSVS est I. *Non suscipies verbum mendacij, nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falsum testimonium:*

Si mendacij verbo non acquieuissent *filij duo diaboli* 3. Regum 21. non protulissent, instigante Iezabel impia, testimonium falsum contra Naboth, de læsa maiestate accusantes eum: *sic* præceptum Domini nihili facientes, corrupti sunt maiores natu & optimates per literas Iezabel, cui obtemperantes iniquos illos testes suscitanerunt, lapidato, illorum de causa, innocente Naboth.

VERSVS II. *Non sequaris turbam ad faciendum malum.*

1 Hic ait glossa, non populum sequendum; sed Doctores, qui licet pauciores sint, sanioris tamen sunt consilij. Et distinct. 62. Epist. 3. c. 3. ait Cęlestinus *docendus est populus, non sequendus.* In codice pariter tit. 20. ff. de veteri iure enucleando l. 1. §. 6. *Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius & æquius est iudicatote, cum possit vnius forsan & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua in parte superare.* Animaduerto Genesis 38. vnum Iudam stetisse pro innocente Ioseph, dicendo, *nolite peccare in puerum*: ac in nouo testamento, vnum Ioseph ab Arimathæa, in necem Christi figurati Ioseph, noluisse cum cęteris conspirare Lucæ 23. *qui erat vir bonus & iustus: hic non consenserat consilio & actibus eorum. Beatus* ergo *vir qui non abijt in consilio impiorum* ps. 1. quique dixerit cum Iacob Genesis 49. *in consilium eorum non veniat anima mea.*

A 2.2.70.2.1. Vno verbo hac nixus auctoritate [A] inquit D. Thomas, quantacunque multitudo testium determinaretur, posset quandoque testimonium esse iniquum.

VERSVS III. *Pauperis quoque non misereberis.*

2 Durus videtur hic sermo, nisi sit sanè intellectus, & tamen videtur probare hoc ipsum Apostolus, Hebræorum 10. dicens, *irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur.* [B] vbi S. Doctor; sed nunquid lex Dei excludit misericordiam? Constat quod non; Oseæ 6. *misericordiam volui, & non sacrificium.* Respondeo dicendum, quòd differunt, misericordia, clementia, & venia; quia misericordia est quando homo, ex quadam passione cordis & animi, mouetur ad remittendum pęnam; & hoc aliquando est contra iustitiam; & istam prohibet (nam semper, dico ego, iniquum est, quod recta ratio non probat); Venia autem est quando propter aliquam vtilitatem publicam, remittit aliquid de pęna debita; clementia autem, quando non solum de pęna aliquid, sed etiam de culpa remissiùs iudicat, quod quidem nouerat Seneca dicens l. 2. de clementia circa finem: *clementia hoc primum præstat, vt quot dimittit, nihil aliud illos pati debuisse pronunciet.* B Hebr. 10.l.3.

VERSVS IV. *Si occurreris boni inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.*

Dicit D. Augustinus l. 1. de Doctrina Christiana, c. 28. *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimè consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitate, constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur:* dicit, *pro locorum opportunitatibus*, quia non tenetur homo per mundum quærere indigentes, quibus subueniat, sed sufficit, si eis qui sibi occurrunt, misericordię opus impendat. Hæc apud D. Thomam [C] qui huc refert hunc textum *si occurreris boni inimici tui*, &c. Nescio qua praua abducerentur antiqui Scribæ doctrina, *odio habebis inimicum tuum*; quando, nec inimici bouem vel asinum, poterant sine piaculo præterire. Recolo palam Leuitici 19. inhiberi, *non oderis fratrem tuum in corde tuo*: vnde idem Sanctus Doctor 1. Machab. 7. docet, præceptum de dilectione inimicorum etiam in veteri lege obligasse. Quod si legitur in psal. *auerte mala inimicis meis; confundantur, qui me persequuntur*, & huiusmodi, Occurrendum est ex D. Th. 22. q. 25. a. 6. ad 3. & q. 83. a. 8. nec non ps. 9. atque etiam ex 1. Machab. suprà vbi ait: pęna triplicem habet rationem; scilicet supplicij, pretij satisfactorij, & remedij. Primo modo non licet eam viris sanctis optare, alioquin infringeretur in eis charitas: sed bene secundo, & tertio modo. Sic aiebat Dauid, *perfecto odio oderam illos*, de quo adhuc ad versum 22. Sic, attenta necessitate sequitur in litera, *si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis,* 3 C 2.2.71.1.

D l. c. ad 1. *sed subleuabis cum eo*: ad quæ charitatis officia, non tenemur inquit [D] si posset aliunde præsto esse remedium. Et ex his & similibus enucleat D. Thomas, num Aduocatus teneatur præstare patrocinium causæ pauperum. Quæ rangit, ex

E Math. 5. ante finem. hac auctoritate alibi [E] dicens, obsequium in opere tenetur quilibet præstare huic indigenti.

VERSUS VI. *Non declinabis, in iudicium pauperis.*

Legunt septuaginta; *non peruertes iudicium pauperis in iudicio suo*. Et Chaldæa, *non declinabis iudicium pauperis, in causa eius*.

VERSUS VII. *Mendacium effugies. Insontem & iustum non occides* &c.

F 2. 2. 64. 6. Legunt 70. *ab omni iudicio iniquo recedes*. In nullo quippe casu licet occidere innocentem. [F] Quòd si falsis testibus reluctari nequeat iudici-

G loc. cit. ad 3. & q. 67. a. 2. um, videatur idem D. Thomas. [G]

VERSUS IX. *Peregrino molestus non eris.*

Quamuis & capite præcedenti aduenas commendauerit, nunc repetitis monitis omnem illorum læsionem ac molestiam amandat: quamuis quippe id exigat lex charitatis, potuissent ab illa abduci propriæ peregrinationis immemores in terra Ægypti: ergo vt aiebat illa; *haud ignara mali miseris succurrere disco*: sic Hebræorum populo indicitur aduenarum amor, tacitè naturæ præcepto suggesto: *alteri ne feceris, quod tibi non volueris*.

VERSUS XIII. *Et per nomen externorum Deorum non iurabitis.*

Quamuis liceat sano sensu per creaturas, vt in ipsis relucet diuina veritas, aliquando iurare;

H 2. 2. 89. 6. tamen quia cultus latriæ [H] adhibetur ei, cuius testimonium iurando inuocatur, ideò hic præcipitur; *per nomen* &c.

VERSUS XVII. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum, coram Domino Deo tuo.*

4 Hoc ipsum repetitur Leuitici 16. atque Exodi huius 34. Præmittuntur hic quoque solemni-

I Io. 13. l. 1. Thren. 1. tates, hasque recolit pluries D. Thomas. [I] Super Ioannem, inquit; tres dies anni solemnes erant, in quibus Iudæi conuenire debebant, in locum quem elegerat Dominus, scilicet Phase, quando immolabatur Pascha; & Pentecoste; (in hac panes duo primitiarum è recenti frumento debebant Deo offerri, vt patet Leuitici 23.) & festum Tabernaculorum, scilicet scenophegiæ.

L Coloss. 2. l. 4. Præterea ad colossenses; [L] in veteri lege, erant solemnitas iugis, vt sacrificium vespertinum vel matutinum: quædam autem quæ certis temporibus fiebant; & harum quædam fiebant pluries in anno, quædam semel tantùm. Sicut Pascha, Scenophegia, & Pentecoste; sed Sabbathum & Neomenia pluries, quia illud qualibet hebdomada, istud semel in mense. Quoniam verò, vt ob-

M p. 2. 100. 5. 2. seruat S. Doctor, [M] omnes solemnitates legis veteris, sunt institutæ in commemorationē alicuius diuini beneficij, vel præteriti commemorati, vel futuri præfigurati, iuuat recolere; Phase celebrationem fuisse propter beneficium liberationis ex Ægypto, & propter futuram passionem Christi, quæ temporaliter transiuit &c. Pentecoste, fuit in commemorationem beneficij legis datæ; & scenophegia, vt discerent posteri quòd in tabernaculis habitare fecerit filios Israel cum eduxerat eos de terra Ægypti, vt ipse exprimit, Leuitici 23. Exponitur autem hoc nomen [N] ex græco: est siquidem compositum ex *scenos* quod est vmbra, & *phagim*, quod est comedere; Dominus enim mandauit quòd mense septimo (qui appellatur *Tisri*, & apud nos est september) incipiendo annum sacrum à martio, Hebraicè *nasan*, per septem dies habitarent in tabernaculis, in memoriam quòd quadraginta annis habitauerunt in tabernaculis in deserto; & dicitur in exitu anni ciuilis, quem more Ægyptiorum & aliarum gentium, à septembri etiam Iudæi inchoabant. Sed huc expedit referri quod traditur 1. 2. 102. a. 4. ad 10. vbi postquam alias commemorauit legis solemnitates, inquit, celebrabatur festum scenophegiæ, ideſt tabernaculorum septem diebus, ad commemorandum beneficium diuinæ protectionis, & deductionis per desertum, vbi in tabernaculis habitauerunt; vnde in hoc festo debebant habere fructum arboris pulcherrimæ, ideſt citrum, & lignum densarum frondium, ideſt myrtum, quæ sunt odorifera, & spatulæ palmarum, & salices de monte, quæ diù retinent suum virorem: & hæc inueniuntur in terra promissionis; ad significandum, quòd per aridam terram deserti eos deduxerat Deus ad terram promissionis. Figuraliter autem per festum tabernaculorum, significabatur peregrinatio illorum in hoc mundo, in quo ambulant, in virtutibus proficiendo. Sic sapienter exponit S. D. quæ iubentur pro Scenophegia Leuitici 23.

N In 1. 3. 1. 1.

Legimus autem versu 15. *non apparebis in conspectu meo vacuus*: quod quidem repetitur Deuteronomij 16. *non apparebis ante Dominum vacuus*. Itaque in loco quem elegisset Dominus, vt ibidem legitur, ideſt vbi fuisset, vel tabernaculum, vel templum, obstringebantur & comparere, & offerre, vnusquisque secundùm quòd habebant; vt expressè in eodem Deuteronomij loco, dicitur.

Memorat autem S. Doctor accessum Iudæorum in Ierusalem sub tempus Paschæ [O] dicens; O Matth. 21.
Vt legitur Exodi 23. omnes filij Israel semel in anno habebant comparere coram Domino, & non debebant apparere vacui, sed debebant offerre oblationes suas. *Tunc eiecit vendentes, & ementes*, &c. & ipsis improperauit; *fecistis eam speluncam latronum*. Quid autem offerretur in aliis duabus solemnitatibus, paulò ante retulimus, & hic iubetur de primitijs.

Attingitur discrimen inter sacrificium, & oblationem, quòd quamuis etiam [P] sacrificium oblatio sit; attamen pressiùs, quod exhibetur, vt integrum maneat diuino cultui deputandum, vel in ministrorum vsum expendendum, dicitur oblatio, & non sacrificium. 5 P 2. 2. 86. 1.

Super illud, *non apparebis in conspectu meo vacuus*, ait Thomas [Q] de operario in vinea, non debet hic apparere nisi cum opere bono. Et ita [R] *non apparebis vacuus, bonis operibus*, & D. Gregorius, *non erit vacua manus à munere si arca cordis repleta fuerit bona voluntate*. Quia vero Apocalypsis 3. habetur: *quia non inuenio opera tua plena*, iam intelligitur quid sit vacuitas [S] plena; efficacia & merito, per plenitudinem circumstantiarum, vt intentionis, deuotionis, diligentiæ humilitatis, & huiusmodi; Sed vacua, per vanam gloriam, Matthæi 25. de fatuis virginibus. Exodi 23. *non apparebis*, &c. vel propter mortale additum;

6 Q Matth. 20.
R op. 60. art. 8.
S Apoc. 3. comm. 2.

ditum; vel quia non est ex charitate, quæ facit opera plena, Roman. 13. *plenitudo ergo legis est charitas*. Et in primo Commentario; [T] sit ergo cor tuum plenum charitate, os veritate, opus humilitate, oculus castitate, pes grauitate, manus auctoritate; & tunc implebis illud mandatum Domini, Exodi 23. *non apparebis*, &c. Denique ad Coloss. 2. l. 4. Differentia est inter inflatum, & pinguem, quia pingues veritate sunt pleni, inflati verò vacui, sed vento extensi. Qui verè sunt humiles sunt pleni. Sed, qui apparent tantùm inflati, sunt vacui, *scientia inflat* 1. Cor. 8. forte Dominus, aio ego, hic humilitatem commendat.

T Apoc. 1. primo comm.

7 Sed opusculo citato [V] fertur pulcherrima glossa: Tribus vicibus per singulos annos, hoc est, omni tempore præsentis vitæ, in Sanctæ Trinitatis confessione per fidem, spem, & charitatem, bonorum operum obsequia Deo creatori vestro, exhibebitis; Pascha enim celebratur mense nouorum, cùm per sanguinem agni immaculati ab Ægyptia seruitute liberati per spirituales aquas, de veteri homine in nouum transimus, non in vetustate literæ, sed in nouitate spiritus, quo in terram promissionis, per gratiam Christi peruenimus. Solemnitatem verò messis primitiuorum celebramus, cùm operum nostrorum voluntatem, & sermonum primitias Domino consecramus. Solemnitatem verò in exitu anni celebramus, quando congregatis frugibus, idest virtutum fructibus, ad finem vitæ, & introitum regni cœlestis peruenire contendimus: in tabernaculis septem diebus commorantes, quia per omne tempus vitæ præsentis, peregrinos nos esse cognoscimus; nec hic, sed in futuro requirimus, sedulò curantes, ne in conspectu Domini vacui appareamus.

V op. 60. 8.

Consonat etiam hucusque dictis, quod habetur in secundo Commentario Apocalypsis [X] ad illa verba *quoniam aruit messis terræ*. Messis multiplex: & post pauca: est messis internæ refectionis Exodi 23. *Septem diebus azima comedetis, tempore mensis nouorum*; siue, addo ego, nouarum frugum: quia vniuerso tempore vitæ, in quo iusti metunt noua, dum de suis meritis habent à Deo nouas, & internas refectiones, debent habere opera azima, idest sine fermento; quæ opera sunt in nutrimentum animæ, & ideo dicuntur azima comedi.

X Apoc. 14.

VERSVS XIX. *Non coques hædum in lacte Matris.*

8 Etsi hædus occisus non sentiat qualiter carnes eius coquantur, tamen [A] in animo decoquentis ad quandam crudelitatem pertinere videtur, si lac matris, quod datum est ei pro nutrimento, adhibeatur ad consumptionem carnium ipsius. Itaque Dominus, vt populum [B] iudaicum ad crudelitatem pronum, ad misericordiam reuocaret, voluit eos exercere ad misericordiam, etiam circa bruta animalia, prohibens quædam circa animalia fieri, quæ ad crudelitatem quandam pertinere videntur; & ideò prohibuit, ne coqueretur hædus in lacte matris; & quòd non alligaretur os boui trituranti, & quòd non occideretur mater cum filijs inuento auis nido. Deut. 22.

A p. 2. 102. a. 6. ad 4.

B ibi ad 8.

Quare autem nunc sermo inducatur de hoc, aperitur loco cit. [C] quia scilicet gentiles in solemnitatibus idolorum taliter carnes hædi decoquebant ad immolandum vel ad comedendum; & ideò postquam prædictum est de solemnitatibus celebrandis in lege, subditur, *non coques hædum in lacte matris suæ*. Figuralis autem ratio huius prohibitionis est, quia præfigurabatur, quòd Christus qui est hædus propter similitudinem carnis peccati, non erat à Iudæis coquendus, idest occidendus in lacte matris, idest in tempore infantiæ. Vel significatur quòd hædus idest peccator, non est coquendus in lacte matris, idest non est blanditijs deliniendus. Sic 22.q. 114 a. 1. ad 3. his qui sunt proni ad peccandum non debemus hilarem vultum ostendere ad eos delectandum, ne videamur eorum peccato consentire, & quodammodo peccandi audaciam ministrare. Ecc. 7. *filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas*. Multiplici hoc ex sensu, & infra c. 34. & Deut. 14. repetitur, vt opinor, hoc præceptum; *non coques* &c.

C p. 2. 102. 6. ad 4.

VERSVS XX. *Ecce ego mitto Angelum meum.*

Textus iste euincit, quomodo etsi in esse rei, verus esset Angelus qui allocutus fuerat [D] Moysen in monte Sina, nihilominus Dei personam gerebat: Et petit vlterius, vt explicetur, quomodo Angelis sanctis nihil depereat diuinæ felicitatis & gloriæ, quamuis physicè absint aliquando à supremi corporis loco, nempe ab empyreo, ipsorum nobilissimæ naturæ iure congruenti. Quando ergo [E] ibi non sit Angelus, nihil eius dignitati subtrahitur; sicut nec Regi quando non actu sedet in regali solio, quod congruit eius dignitati. Et alibi; [F] sicut locus cœlestis pertinet ad gloriam Angelorum, tamen gloria eorum non minuitur cum ad nos veniunt, quia considerant illum locum esse suum; eo modo quo dicimus honorem Episcopi non minui dum actu non sedet in Cathedra; similiter dicendum est, quòd Dæmones &c.

D Genesis c. 16.

E p. p. 112. 1.

F p. p. 64. a. 4. ad 3.

Ecce ego mitto Angelum meum. Intelligitur etiam de custodibus, vt citata p. p. q. 112. Et propterea subditur, qui *præcedat te*, scilicet, [G] lumē virtutū ostendēdo; *& custodiat in via*, in igne purgatorij defendendo; *& introducat te*, ad sydera cœlestis Regni perducendo.

G op. 58. 5.

VERSVS XXII. *Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.*

Impegerunt hic scribæ & Pharisæi, apocripham & erroneam sequentes doctrinam, de qua 9
Matthæi 5. dicit Dominus, *audistis quia dictum est antiquis*, à quo? nescitur: *odio habebis inimicum suum*. Hoc ergo [H] in toto veteri testamento non inuenitur, sed hoc erat, ex traditione scribarum, quibus visum fuit hoc esse addendum, quia Dominus præcepit filijs Israel persequi inimicos suos. Matthæi etiam 5. inquit [I] Istud nunquam inuenitur in lege; sed additio est ex parte Iudæorum, putabant enim hoc fortè addendum ex multis quæ in lege dicta sunt, nam Deus præcepit vt delerent Amalecitas, & Exodi 23. dicitur *inimicus ero inimicis tuis*. Itaque sicut dicitur sapientiæ 1. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, sed in sua iustitia. [L] ita dico ego, loquitur in minis, hoc loco, *quia iustus Dominus, & iustitias dilexit*.

H de virtutib. q. 2. 8. 5.

I. Matth. 5

L 2. 2. 25. 6. 1.

VERSVS XXVI. *Non erit infœcunda nec*

sterilis in terra tua; & numerum dierum tuorum implebo.

10 Lego apud D. Thomam, [M] [M op. 20. l. 4. c. 15.] & quamuis lex Mosaica sterili maledictionem imprecaretur, vt in Exodo, & Deuteronomio est manifestum; & ad multiplicandam generationem, plurium vxorum sit facta concessio, hoc non fuit sibi concessum, nisi ad virtutem, referendo ad cultum diuinum, sicut Augustinus dicit de ciuitate Dei. Habetur certè Deuteronomij 7. *non erit apud te sterilis vtriusque sexus*. Verùm quia in his duobus locis non legitur maledictio in steriles, quæ tamen recolitur à D. Thoma in 4. d. 30. q. 2. a. 1. 1. 1. & ex Magistro ibi in expositione textus, quęstio exoritur, vnde & quomodo diceretur hęc maledictio.

Quocircà dubium non est, incurrisse tunc temporis notam aliquam quasi infamiæ, si quis coniugatus liberis caruisset, non solùm si erat de tribu Iuda, ob frustratam spem de futura Messiæ parente; immò de parentibus, apud illos qui nasciturum de virgine nondum scirent: (vnde aiebat D. Bernardus: quid est hæc maledictio nisi hominum ex probratio?) & sic si continuissent: sed etiam fortassè aliquam culpam, cuiuscunque tribus essent. Ratio esse poslet, quia tunc etsi pluralitas vxorum paulatim dissuesceret, attamen ad multiplicationem populi colentium Deum, sic expediebat. D. Thomas non abnuit; siquidem loco è regione citato [N] [N 4. 33. 3. 1. ad 1. & 2.] inquit; superfluum esset, si quis obseruare vellet virginitatem quando non deberet, sicut tempore legis Moysi; & iterum; sed posteà facta multiplicatione humani generis, vel colentium Deum sufficienti, non peccasset quis virginitatem seruans etiam in lege Moysi: quare videtur propendere ad culpandum qui secus fecissent. Præterea supra [O] [O dist. 30 q. 2. a. 1. ad 1.] studens eximere virginem Deiparam à legis transgressione ait, ipsam tanquam Auroram, fuisse confinium diei ac noctis, & quod votum eius (de virginitate) sapuit nouam legem, in quantum virginitatem nouit, & veterem, in quantum conditionem apposuit. Quamquam dicit Paulus, *qui spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege*. Suffragatur etiam huic sententiæ, vt timerent continendo, ex voto saltem, culpam, quia etsi aliqui puritatem toto vitæ cursu, vel ad tempus custodirent, non tamen vouisse deprehenduntur. Elias & Hieremias eiusmodi fuerunt ex D. Ignatio, & sic etiam Daniel ex D. Damasceno & Hieronymo (de quo Suarez Tom. 2. tertiæ partis disp. 6. sect. 1. & 3.) Beata autem virgo à Deo sine [P 3. p. 28. 4.] dubio inspirata illud nouit. Nihilominus finaliter non audet D. Thomas rem definire; sed dicit loco proximè citato, videbatur lege prohibitum, nota, *ly videbatur*, non dare operam ad relinquendum semen. Radix decisionis pendet, ex intelligentia textus capitis huius, & cap. 7. Deuteronomij; si enim vim habent præcepti, sine dubio peccatum implicant, iuxta quod dicitur Deuterononij 27. *maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius*. Atqui id plerique negant; volentes esse potius quandam benedictionem, vnde & cadit super iumenta Deut. 7. *non erit apud te sterilis vtriusque sexus, tam in hominibus quàm in gregibus tuis*: attamen neque hoc cogit, vt dissentiamus D. Hieronymo, qui ratus est contineri præceptum, quia in Exodo, non memorantur greges: quare quod hic præcipitur, repetitur fortè posteà in benedictionem: cuius etiam hoc in loco nonnulla fit mentio, sub ijs verbis; *numerum dierum tuorum implebo*.

VERSVS XXVIII. *Emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum & Chananæum, & Hethæum.*

Habitantes in terra promissionis se destructurum etiam corporaliter pollicetur Deus, si vocem Dei audiant: cuius quidem destructionis meminit psalmus 43. *manus tua gentes disperdidit & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos*: vbi D. Thomas [Q] [Q Psal. mo 43.] inquit, non statim fuit destructa, (terra promissionis) quia terra fuisset inculta, & bestiæ multiplicatæ, & ideò paulatim eos consumpsit; vnde dicit *afflixisti populos*; & per bella, & per bestias, & crabrones. Iosue 24. *misi ante vos crabrones*. Sap. 12. *misisti antecessores exercitus tui vespas*. En quomodo videtur D. Thomæ sermo referri propriè ad ea, quæ dicuntur hoc in loco; *emittens crabrones prius*; & deinde; *paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram*. Vide Deuteron. 7. v. 20. & infra.

CAPVT XXIV.

1 MOysi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, &
septuaginta senes ex Israel, & adorabitis procul. 2 Solusque Moyses ascen-
det ad Dominum, & illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum
eo. 3 Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia: respon-
ditque omnis populus vna voce: omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. 4 Scri-
psit autem Moyses vniuersos sermones Domini: & mane consurgens ædificauit altare ad ra-
dices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel, 5 Misitque iuuenes de filijs
Israel, & obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos. 6
Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam
fudit super altare. 7 Assumensque volumen fęderis, legit audiente populo: qui dixerunt:
Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. 8 Ille verò sumptum
sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fęderis quod pepigit Dominus vo-
biscum super cunctis sermonibus his. 9 Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nadab, & A-
[Heb. 9. c. 20.] biu, & septuaginta de senioribus Israel: 10 & viderunt Deum Israel: & sub pedibus eius
quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cęlum, cum serenum est. 11 Nec super eos, qui pro-

cul

cul recesserant de filijs Israel, misit manum suam, videruntque Deum, & comederunt, ac
biberunt. 12 Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi:
daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata, quæ scripsi: vt doceas eos. 13 Surre-
xerunt Moyses, & Iosue minister eius: ascendensque Moyses in montem Dei, 14 seniori-
bus ait: Expectate hic donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron, & Hur vobiscum: si quid
natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. 15 Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes
montem, 16 & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus, septi-
mo autem die vocauit eum de medio caliginis, 17 Erat autem species gloriæ Domini, qua-
si ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel. 18 Ingressusque Moy-
ses medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta
noctibus.

VERSVS V. *Miseruntque iuuenes de filijs Israel & obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim.*

De holocaustis ac victimis sermo fit oblatis à iuuenibus de filijs Israel. Quocirca ait Chaldæus; *miseruntque primogenitos de filijs Israel*: & quidem credendum est, primogenitos Principum fuisse. Nondum autem instituto Sacerdotio Aaronico, illo ij fungebantur. Quærit S. Doctor [A] vtrum ceremoniæ legis fuerint ante legem; docetque ex quodam instinctu diuino persæpe visas esse, sic vt conuenirent interiori cultui, & congruerent ad significanda Christi Mysteria, quæ figurabantur etiam per alia eorum gesta. Quòd si ante Moysen; multò magis sub tempus legis, ad praxim, eodem suggerente Moyse, & in præsentiarum quoad sacrificia deductum esse, nemo erit qui ambigat.

A p. 2. 103, 1.

De holocaustis, & hostijs pacificis inquit, [B] in veteri quidem testamento, quædam sacrificia fiebant, quæ non totaliter comburebantur, sed pars; & pars in vsum offerentium veniebat, sicut hostiæ pacificæ: quædam quæ totaliter comburebantur, quæ dicebantur sanctissima, quæque appellabantur holocausta, ab *olon*, quod est totum, & *Cauma*, quod est incensum.

B p. 1. 19.

Verùm vberius rem hanc pertractat in prima secundæ. [C] Triplex erat sacrificiorum genus: quoddam erat, quod totum comburebatur, & hoc dicebatur holocaustum, quasi totum incensum: huiusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter, ad reuerentiam Maiestatis ipsius, & amorem bonitatis eius; vt sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur, totum hominem, & omnia quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subiecta, & ei esse offerenda. Aliud autem erat sacrificium pro peccato, quod offerebatur Deo ex necessitate remissionis peccatorum; quod diuidebatur in duas partes; nàm vna pars eius cõburebatur, altera verò cedebat in vsum Sacerdotum; nisi quando offerebatur sacrificium pro peccato populi, vel specialiter pro peccato Sacerdotis &c. Tertium verò sacrificium vocabatur hostia pacifica, quæ offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium, ex debito beneficij, vel accipiendi, vel accepti.

C p. 2. 102, 3.

Adhùc summariè doctrinam hanc tangit [D] dicens. Sacrificium aut erat de inanimatis, puta pane vel thure, & tunc dicebatur oblatio; vel de animatis: & tùnc vel ad placandum Deum, & dicitur holocaustum, quod erat dignissimum, quia totum comburebatur, & cedebat in honorem Dei: aut erat pro emundatione peccati, & dicitur sacrificium pro peccato, & istud habebat duplicem partem, quia vna pars comburebatur in altari, altera cedebat in vsum ministrorum: aut erat pro beneficijs Dei; & istud minùs dignum, quia tantùm tertia pars comburebatur, & dabatur ministris vna, & alia offerentibus; & istud dicitur sacrificium pacificorum.

D Hebr. 10. l. 1.

VERSVS VI. *Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare.*

Animalia in sacrificium oblata occidebantur, quia veniunt in vsum [E] hominis occisa, secundum quòd à Deo dantur homini ad esum, & ideò etiam igni cremabantur, quia per igneam decoctionem fiunt apta humano vsui. Huiusmodi autem animalia (vituli) præ cœteris causis, occidebantur, ad Idololatriæ destruendos ritus; siquidem [F] ij bobus vtebantur ad agriculturam, quam inter res sacras habebant. Quemadmodum autem legitur in Leuitico cap. 1. effuso sanguine moriebantur offerenda animalia, quia in tali morte minus affligebantur; [G] voluitque Dominus iudæos à crudelitate prohibere etiam circà animalia bruta, vt per hoc magis recederent à crudelitate hominis, habentes exercitium pietatis circa bruta: ex quo etiam à suffocato abstinebant & sanguine, de quo act. 15. Vnde & hic, quo præparentur eorum animi futuros ad legis ritus, vituli offerendi ferro mactantur.

E p. 2. 102. 3. 4.
F ibi ad 2.
G p. 2. 102. 6, 1.

Cœterùm opportunè, alio ex capite, sanguis effunditur, quia voluit Dominus per Moysen, humano veluti more, cum populo ex quo nasciturus erat Christus, inire fœdus, seu vetus confirmare testamentum. Quocircà notandum est, quòd testamentum [H] dupliciter sumitur in scripturis, vno modo communiter pro quolibet pacto, quod quidem testibus confirmatur, & sic considerandum est, quòd Deus, dupliciter pactum inijt cum humano genere; vno modo promittendo bona temporalia & à malis temporalibus liberando; & hoc vocatur vetus testamentum vel pactum: alio modo promittendo bona spiritualia, & à malis oppositis liberando; & hoc vocatur testamentum nouum: vnde dicitur Hieremiæ 31. *feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum, quod pepigi cùm Patribus vestris, vt educerem eos de terra Aegypti: sed hoc erit pactum; Dabo legem meã in visceribus eorum & ero eis in Deum*: (hùc facit quod traditur à D. Thoma pluribus in locis [I] & suprà tetigi, per temporales promissiones tanquam imperfectum, fuisse populum inducendum

H 1. Cor. 11. l. 6.
I p 2. 99. 6. & psal. 43. in princ.

ad obseruantiam, præceptorum) est autem notandum, prosequitur D. Thomas ibi ad Corinthios, quòd apud antiquos erat consuetudo, vt alicuius victimæ sanguinem funderent, ad confirmationem pacti; vnde legitur Genesis 31. quòd postquam inierunt fœdus Laban, & Iacob, immolatis victimis in monte vocauit fratres suos: vnde & Exodi 24. (inquit) legimus quòd Moyses sumptum sanguinem respersit in populum. Sic in Matthæum; [L] Testamentum communiter accipitur pro quocumque pacto; quia ita solebat esse, quòd in omni pacto adducebantur testes & fiebat pactio sanguine, quia in confœderatione pacis antiquitus ostendebant sanguinem, ideò dicebatur *sanguis fœderis*. Primò autem factum fuit pactum scilicet veteris legis de temporalibus, quòd patet quia promisit eis terram Amorrhæorum &c. Sic secundùm Papiam Testamentum in Sacra Scriptura dicitur esse pactum vel placitum.

L Matth. & ps.

VERSVS VII. *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus.*

Hæc populi verba præsumptionem sonant, ideò sub iugo humiliandi erant, vt dictum est supra cap. 19. ad vers. 8.

VERSVS VIII. *Ille verò sumptum sanguinem aspersit in populum dicens, hic est sanguis fœderis &c.*

3 Quàm humanissimè dignatur Dominus nostræ condescendens naturæ, quæ inuisibilia percipit per visibilia, firmatum fœdus sanguine vtrinque sancire: passusque obstringi veluti, sua ex parte pacto, dimidia reliqua portione sanguinis fusa super altare, per positum in crateris sanguinem ac in populum factam aspersionem, ipsum vicissim in obligationem mutui consensus vocat & signat. Memorat factum hoc D. Thomas ex D. Paulo [M] ad Hebræos. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit &c. Aspergitur liber legis, quia passio Christi adimpleuit legem Io: 19. *consummatum est*. Sciendum est (inquit) quòd Apostolus tangit historiam, quæ habetur Exodi &c. accepit Moyses sanguinem quem præceperat seruare de duodecim vitulis, & aspersit librum legis & populum quasi in confirmationem testamenti, & ideò dicit: *lecto enim omni mandato* &c. illa enim lectio fuit legis promulgatio, oportebat enim legem promulgari. Hic est duplex obiectio literalis; vna quia Exodi 24. nulla fit mentio de hirco, sed de duodecim vitulis. Secunda quia etiam ibi non fit mentio, de aqua, cocco, & hyssopo. Responsio ad ista duo est duplex; vna scilicet, quia Apostolus nutritus erat in lege, vnde sciebat, quòd ille vsus erat in emundationibus secundùm legem, quòd aspersio fiebat de sanguine hircorum, & vitulorum, & aqua admista cùm hyssopo & lana coccinea, tanquam aspersorio, & ideò licèt non agatur de his in Exodo, tamen Apostolus hoc accepit ex consuetudine ritus legalis. Vel potest dici, quòd ista fuit prima consecratio; & ideò quasi virtute continebantur in ipsa aliæ sanctificationes futuræ, inter quas potissimè fuit illa, quæ fiebat in die expiationis, de qua Leuitici 16. & alia de vitula rufa Numeri 19. in prima autem erat sanguis vituli, & hirci; in secunda verò aqua, & lana coccinea, & hyssopus; quia ergo illa prima continebat istas duas, ideò Apostolus, totum retulit ad ipsam.

M Hebr. 4.

Sed vltra legalem eiusmodi sanctificationem, aliud præfiguratum nouimus & quidem altius: sanguis enim ille figurabat sanguinem Christi; *omnia in figura contingebant illi* 1. Cor. 10. & quidem hoc tangit Apostolus [N] Hebræorum 9. *si enim sanguis hircorum aut taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi* & postea, *sine sanguinis effusione non fit remissio*. Et dictis istis respondent etiam Prophetæ. Isaias quippe inquit; *iste absterget gentes multas, scilicet sanguine* [O] *suo*. Quocirca in commentario eiusdem Isaiæ; *iste absterget*, [P] abstersione sanguinis, & aquæ baptismi:

N Hebr. 9. l. 4. & Hebr. 12. l. 4. Infra.

O Matth. 26.

P Isaiæ 52.

Verùm quia dicitur hic, *sanguis fœderis*. 4
Considerandum est, quod testamentum in scripturis quandoque vt suprà dixi idem sonat ac pactum; sed magis strictè accipitur pro dispositione hæreditatis. Vnde vt obseruat D. Thomas in ps: 24. Testamentum dicitur testificatio legis mentis secundum Iuristas; & sic testamentum dicitur quasi manifestatio, & certificatio mentis diuinæ, siuè quod aliquid velit Deus. Deus autem [Q] primò quidem dispositionem fecerat de æterna hæreditate percipienda, sed sub figura temporalium bonorum, quod pertinet ad vetus testamentum, sed postmodum fecit nouum testamentum expresè promittendo hæreditatem æternam; quod quidem confirmatum est per sanguinem Christi; sicut vetus testamentum confirmatum est sanguine figurali taurorum. Quod, quidem iteratò docet [R] D. Thomas dicens; Testamentum est dispositio hæreditatis: hæreditatem autem cœlestem disposuit Deus hominibus, dandam per virtutem sanguinis Iesu Christi. Sanguis autem Christi dupliciter est hominibus exhibitus, primò quidem in figura, quod pertinet ad vetus testamentum, & ideò Apostolus ibidem (Hebræor. 9.) concludit; *nec primum testamentum sine sanguine dedicatum est* (& recolit hoc caput Exodi 24.). Secundò autem est exhibitus in rei veritate. Hæc D. Thomas. Sed interserit dictum Apostoli ibidem; *vbi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris*. Et sequitur Apostolus: *testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est*, vbi S. Doctor; [S] mors autem testatoris ad duo necessaria est: primò vt testamentum habeat firmitatem; quia cum sit expressiuum vltimæ voluntatis, potest semper mutari ante mortem: secundò, vt testamentum valeat & habeat efficaciam; quia, nec hæres potest petere hæreditatem ex vi testamenti nisi post mortem testatoris, ideò Christus voluit mortem suam pro nobis interponere, vnde dixit Dominus Matth. 26. *hic est sanguis meus noui testamenti*; scilicet confirmator & dedicator.

Q 1. Cor. 11. l. 6.

R 1. p. 78. 3. 1.

S Hebr. 9. l. 4.

Occisio autem animalium non solùm Christi mortem in sanguine significauit; sed etiam [T] destructionem peccatorum; & quòd homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur, ad significandam expiationem peccatorum. 5

T p. 2. 102. 3. 5.

Iuuat etiam recolere, quòd Christus in vi

tulo

V p. 3. 101. 2. ad 2. tulo offertur [V] propter virtutem Crucis; in agno propter innocentiam; in ariete propter principatum; in hirco propter similitudinem carnis peccati &c. quæ habentur ex glossa, sicut vitulum offerimus, (moraliter) cum carnis superbiam vincimus; agnum, cum irrationales motus corrigimus; hędum, cum lasciuiam superamus &c. Ac etiam ex D. Gregorio; *Holocaustum est, quod totum incendebatur, & signat perfectos viros*. X ps. 50. Oblationes sunt illi, qui aliquid offerunt, & aliquid reseruant, & tunc Sacerdotes imponent vitulos, idest conuersos de nouo, super altare, idest super fidem Christi: vel tunc Prælati maiores imponent Prædicatores mugientes doctrina fidei, super altare, idest super confessione fidei. Quàm plena mysteriorum messis! de quibus alibi.

Eruit etiam moralem expositionem lepidè D. Thomas; [A] Cratera est vas vinarium, mul- A op. 58. c. 29. tis circulis circumligatum; significans Religiosorum Sacerdotum vitam, virtutibus custoditam, ad Christi sanguinem suscipiendum aptam: Eccl. 6. *iniyce pedem tuum in compedes sapientiæ, & collum tuum in torques illius*. Pergo explicans.

6 Aureus circulus, & catena certè emergit è virtutibus, quæ sibi inuicem necessariò conne- B p. 2. 65. 1. nexæ sunt, vt tradit p. 2. q. 65. sicut [B] autem vinum vas specialiùs, & diligentiùs præparatum, in quo seruetur, exigit, quàm panis; sic sub specie vini; (præmiserat hæc D. Thomas opusculo citato) ita sanguis Christi sumendus solùm Sacerdotibus conceditur, tanquàm vasis Domini ad hoc specialiter consecratis, & sacra religione constrictis; & virtutum pulchritudini excellentiùs præparatis. Imò ibi; altari etiam consecrato ob id comparantur: quare potest aptari huic literæ, qua dicitur fudisse Moysen, residuam partem sanguinis super altare.

Verùm quoniam huic mysticæ expositioni adnectit Angelicus aliunde rationes ad astruẽdum, sano consilio interdici laicis communionem sub specie vtraque, libet rem hanc breui profundiùs, Deo dante, discutere. Secunda D. Thomæ ratio, vitandi est inquit periculum effusionis propter multitudinem, quæ se circa altare comprimit: hinc est quòd Dominus in cęna Apostolis paucis, & vt suis Sacerdotibus, non solùm corpus in specie panis, sed & sanguinem in specie vini dedit; multitudini hominum in deserto (Matthæi 14.) panem sine potu distribuit. De his & in 3. p. q. 80. a. 12. Tertia ratio est ad præcauendum erroris periculum: si enim populus rudis acciperet sanguinem sub specie vini, vix crederet illum esse sub specie panis. Hæc duo fundamenta sic Ioannes noster à Gandauo cognomento Bunderius corroborat, in suo compendio concertationis Tit. 22. art. 3. dicens, *causa huius sanctionis fuit vel ex parte, ad euitandum Nestorij errorem, asserentis quòd sub specie panis corpus Christi sine sanguine; & sub specie vini sanguis Christi sine corpore sit*. Et mox; *si aliquando in hoc Sacramento sub specie panis irreuerentia accidisse comperta est; quantum putamus periculi effusionis, vomitus, aciditatis &c. in Calice erit, vbi sub specie liquida continetur?* Nestorius ductus est in errorem, eoquòd fuerit in morte Christi saparatus sanguis à corpore.

Hæc passim Auctores expendunt vt Catholicæ ritum Ecclesiæ ab aduersarijs propugnent. Atqui haud quiescit, haud acquiescit animus, nisi captiuetur intellectus in Christi obsequium. Contendunt hostes vel esse diuino de iure sub vtraque, vel illicuisse primæuum primitiuæ Ecclesiæ linquere vsum; præsertim cum negare nequeamus, plerunque, quod ait Roffensis, ab initio laicis sub vtraque specie communionem exhibitam. Ipse abstinendo à quæstione an Dominus semper sub vtraque specie se ipsum dederit, firmiter teneo ac credo, id iuris diuini non esse. Boemi, quos tutatur Lutherus, adhuc contumaces in vsu, putant pro se stare Scripturæ auctoritatem; Ioann. 6. *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; & iterum Apostolus 1. Cor. 10. *omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus*. Haud quadrat quod Caietanus in opusculo & 3. p. q. 80. ad art. 12. ad hæc respondit, dicens vsum particularis Ecclesiæ Corinthiorum, non totam arctare Ecclesiam: siquidem scripsit Apostolus & Spiritus-Sanctus per eum, vniuersalis Ecclesiæ pro instructione: Et iterum negans Ioan. 6. sermonem fieri de Sacramento: argumento certè frigido; concedimus enim esse & Eucharistiam de necessitate salutis, *in voto* prout expresè docet D. Thom. 3. p. 73. 7. quo tendit illud, *nisi manducaueritis carnem filij hominis*; &c. respondens ad priora verba, *si quis manducauerit ex hoc pane*: non autem *in re*; quò spectat illud, *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, respondens subiunctis suprà, *& panis quem ego dabo, caro mea*, &c. Non ita D. Thomas, nec literæ contextus; qui tamen pro nobis est si accuratè scrutemur. *Ego sum panis viuus*, inquit, *qui de cælo descendi; si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*. De pane solùm meminit manducando, & tamen vitam pollicetur; ergo hoc solo pane viuet homo. At dices, statim adiecit, *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: fateor; atqui id subiunxit Iudæis litigantibus, planiùs exponens quod dixerat; ac si exprimeret mysterium, hæc in verba: Paulo ante assumpti, me esse *panem viuum* &c. *si quis manducauerit* &c. *& panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*. Satis certè potest ex his quisque pius intelligere, sanguinem etiam meum concerni, dum de vita bis & tertiò fit mentio; siquidem ex sacris literis (Leuitici 17.) *anima carnis in sanguine est*: nihilominus amandatis contentionibus rem magis enucleare haud dedignor; *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem* &c. *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*: hæc vita æterna, de qua supra dixeram, *panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*, ab hoc pendet Sacramento; de quo primò sub panis solius specie locutus sum; *panis quem ego dabo*, & deinde sub panis & vini; *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*, vt æquè sumentibus prodesse intelligatur, sub vna, & sub vtraque specie communicare. *Manet* quippe *Christus totus sub vtraque specie*. Fateor tamen me propendere, vt cum primò ait Dominus, *ego sum panis viuus qui de Cælo descendi*; &, *si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*, intelligendum sit de manducatione spiri-

tuali,

tuali, de quo D. Thomas 3. p. q. 80. & in opusc. 58. c. 17. & sequentibus: de qua & Augustinus super Ioann. *Hunc cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum*: quod est res Sacramenti: quod est vniri charitate & fruitione Christo: idcirco, subdit, *corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit quæ ad vnum aliquid rediguntur; ex multis namque granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit*. Hinc Apostolus, *vnus panis*, inquit, *vnum corpus multi sumus*. *O Sacramentum pietatis, ô signum vnitatis, ô vinculum charitatis!* Apostol. 1. Cor. 10. *calix benedictionis, nonne participatio sanguinis Christi est; & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?*

Ad hoc innuendum fortè dixit Dominus Ioann. pariter 6. *verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, prout admitti videtur à D. Thoma q. 80. a. 1. ad 1. vnde Augustinus ad hæc, *qui vult viuere habet vbi viuat, habet vnde viuat; accedat, incorporetur, vt viuificetur*. Et Apostolus 1. Cor. 6. *qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est; adhæret*, ait D. Thom. scilicet per fidem, & charitatem. Et quia quantùm ad hoc, quod est spiritualiter ita manducare panem, *de plenitudine eius accipimus*, & non totum, ideo ait Dominus, *si quis manducauerit ex hoc pane*: ly *ex* participationem indicat: è contra verò quoniam sacramentaliter, totum Christum sumimus; subdit qui se perhibuerat panem ex quo manducaretur; *panis quem ego dabo*; non ait *panis ex quo ego dabo*: sed *quem ego dabo* sacramentaliter.

Sic posset exponi ly *omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus*. 1. Corinth. 10. non enim perperam apposuit ly *de vno pane*, & ly *de vno calice*; ad participationem respiciens, ex spirituali manducatione. Attamen (id quod obseruat Roffensis) exemplaria græca, quo sermone Paulus Epistolam illam scripsit ly *de vno calice* non habent. Vnde esse potest, vt additum sit, alicuius ex imperitia, eoquòd paulo antè dicitur, *calix benedictionis cui benedicimus*; sed is quisquis fuerit, non animaduertit benedictionem, Sacerdotis innuere munus; & propterea de calice vltra panem adnectitur: cum autem ad omnes dirigitur doctrina, supersedetur *à calice*, solùmque de pane dicitur *vnus panis, & vnum corpus multi sumus*: quamuis & de vno calice participemus; quomodo dictum est supra.

Ex huc usque dictis claret discrimen esse, de Eucharistia loquendo, inter Sacramentum, & sacrificium, quod incruentè in Altari offertur. Sacrificant Sacerdotes, quibus dictum est à Domino; *hoc facite*: populus autem suscipit Sacramentum, sacrificium non offert; Doctrina est D. Thomæ 3. p. q. 79. a. 5. & 7. In quantùm in hoc traditur inuisibilis gratia sub visibili specie, habet rationem Sacramenti: in quantùm repræsentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo, vt dicitur Ephes. 5. habet rationem sacrificij. Et quia sacrificium quod semel obtulit in Cruce, per sanguinis effusionem consummatum est, idcirco, id *per se* sacerdotibus competit, & facere & sumere. Non ergo de iure est diuino, nec fini, & institutioni tāt. mysterij consentaneum, vt promiscuè de calice bibant laici: sed neque iuris est diuini, vt soli qui consecrant, hauriant sacerdotes: benè verò quid iuri diuino faciendi, & consecrandi adnexum; adnexum inquam, oblationi & sacrificio, peracto ante manducationem & haustum. Ex hac radice liquet cur absque vlla reprehensionis nota, potuerit in primitiua Ecclesia mos irrepere, non rarò communicandi sub vtraque specie, excitata eadem Ecclesia ad id dispensandum ac indulgendum, ex seruore charitatis, (cuius typus in vino & sanguine est) piorum fidelium: Quamuis non vniuersaliter, siquidem habemus Act. 2. *erant perseuerantes in communicatione fractionis panis*. Post quæ refrigescente multorum charitate, cum cæteris supra tactis incommodis, ministrorum, etiam in tanto munere incuria, exoleuit sensim, vsus laicorum sub vtraque specie, & tandem contraria sic inualuit consuetudo, vt ad illam respiciens decreuerit Basiliense Concilium sessione 30. sequenti tenore: *laudabilis quoque consuetudo communicandi laicum populum sub vna specie, à sanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutissimè obseruata, & à Doctoribus diuina legis, sacrorum Canonum, atque sanctarum scripturarum multam peritiam habentibus, idem à longæuo tempore commendata, pro lege habenda est; nec alicui licitum est eam reprobare, aut sine authoritate Ecclesiæ ipsam immutare*. Et similiter generali Concilio ad Constantiam vocato sess. 13. sacerdotibus inhibitum est, atque id sub excommunicationis pœna, ne quisquam eorum populum sub vtraque specie communicaret: insuper tanquam hæreticos puniendos decreuit, quicumque huic sanctioni contrauenirent. Hinc Trident. sess. 21. capit. 1. & Can. 1. anathematizat, qui dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis, sub vtraque specie omnes & singulos fideles communicare debere.

Nec debet inconstantiæ aut vsurpationis incongruæ potestatis insimulare Ecclesiam impietas, quasi studia in contraria scissa sit. Marci quippe 6. misit Dominus discipulos *sine sacculo, sine pera, & calceamentis*: deinde Lucæ 22. in cœna dixit, *nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*. Quocircà Beda, *non eadem viuendi regula, persecutionis, quæ pacis tempore discipulos informat*. Augustinus contra Faustum; *nulla inconstantia præcipientis, sed ratione dispensantis, pro temporum diuersitate præcepta vel consilia, vel promissa mutantur*. D. Bernardus etiam de præceptis, & ipsorum dispensatione dicebat; *Quæ quoniam à Sanctis tradita sunt, sancita stabiliter perseuerant, nec omninò cuius subiectorum, ea aliquo modo variare vel mutare conceditur: quæ tamen ab hominibus, & per homines loco & officio illis canonicè electione succedentes, licitè interdum innoxièque pro causis, personis, locis & temporibus dispensantur*. At nota, necessitatis causa, non leuiter id faciendum. Gelasius Papa; *vbi necessitas non est, inconuertibilia maneant Patrum sanctorum decreta*. Leo quoque Papa; *vbi necessitas non est, nullo modo sanctorum Patrum instituta violentur*: & infert; *vbi ergo necessitas fuerit ad vtilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet ea dispenset: ex necessitate enim fit mutatio legis*. Hinc Pius V. in quadam Bulla reuocatoria licentiarum græcis latino more, & latinis græcorum Missas ac alia diuina officia celebrādi ait, *Prouidentia Romani Pontificis plurimùm circumspecta, nonnunquam e . . quæ certis suadentibus causis per eius prædecessores gesta sunt, ex alys non minus*

ratio-

rationabilibus causis, alterat, & ad pristinum statum reducit, prout æquitas suadet, & in Domino conspicit expedire. En quomodo, Orthodoxæ Romanæ Ecclesiæ ritus si quando varius variaque interdum consuetudo, vt in præsenti materia, à calumnijs vindicatur, & charitate fixa & immobilis, in quo semper eadem, sine macula ac ruga, luna pulchrior suspicitur. De his nonnihil recolam Deuteronomij 12. n. 15.

VERSVS X. *Et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi Cælum, cum serenum est.*

7 Sapphirus lapis est, [C] (super illa Canticorum 5. venter eius eburneus distinctus sapphiris) cœli serem habens colorem: per sapphiros opera diuinæ maiestatis intelliguntur; & memorat D. Thomas hunc locum. In Apocalypsi verò; sapphirus sereno cœlo similis est, & significat cœlestium bonorum spem.

C Cant. 5. & Apoc. 21.

VERSVS XII. *Daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata, quæ scripsi, vt doceas eos.*

Lex vetus in sensibilibus [D] figuris dabatur, ideò etiam conuenienter sensibilibus signis scripta fuit. Sed doctrina Christi, quæ est lex spiritus vitæ, scribi debuit non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, vt Apostolus dicit 2. ad Corinth. 3. Continebantur autem mandata in duabus tabulis: prima [E] continebat ea quæ ordinantur ad Deum; secunda, ea quæ ad proximum; & in hac secunda, primum mandatum est de honore parentum. De his redibit sermo infrà c. 32. & 34.

D 1. p. 46. 42. & p. 2. 106. 1.
E Ephes. 6. 1. 2.

VERSVS XV. *Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem.*

Indicatur, inter cetera, genus quoddam [F] prophetiæ, quæ quantum ad sensibilia signa, quandoque est per vocem exterius formatam, quandoque per nubem, vt ex Isidoro explicat D. Thomas, Moysis allato exemplo, ad quem Deus loquebatur.

F 2. 2. 174. a. 1. ad 3.

VERSVS XVII. *Et fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*

D. Basilius magnus in homilia 1. de ieiunio, *Moysen*, inquit, *per ieiunium nouimus in montem ascendisse; neque enim aliter ausus esset verticem fumantem adire, atque in caliginem ingredi, nisi ieiunio munitus. Per ieiunium mandata digito Dei in tabulis conscripta suscepit*. Certè quod canit Ecclesia, *mentem eleuat*: si quando autem, tunc mente extolleretur oportebat, dū cū Altissimo colloquia humiliter miscere illi datum est. Nil sibi detulisse pro cibo legimus, legimus autem quadragenario dierum numero totidemque noctibus ibi fuisse. Hic numerus autem [G] præfigurauit nostrum Quadragesimæ, quo Christus Dominus in deserto abstinuit. Verum ieiunante Moyse, non sic populus; quinimmo hic legitur, *videruntque Deum, & comederunt ac biberunt*. Quod ideo relatum creditur, vt intelligatur ex ijs, qui non longè fuerunt, senioribus, neminem Maiestatis terrore tabefactum fuisse, quin potius sanos atque incolumes ad propria redijsse. Quæ res visa est mirabilis, eoquòd insederat communiter omnium in animis, vix posse quempiam quoquo modo videre Deum, quin mortis manifesto periculo obnoxius esset; sed Dominus clemens est & misericors, in eos, qui humili obrutu reuerentiaque obsequio, diuina inspiciunt ac suspiciunt.

G Matth. 4.

Pro coronide horum capitum, in quibus de lege scripta tractatur; sciendum est, quod & supra tetigi; legem eiusmodi, demptis ijs quæ sunt de iure naturæ, tanquam moralibus, ad quæ omnes tenentur, non arctasse nisi populum Iudæorum, [H] cui tanquam ex quo nasciturus erat Christus Dominus, sibi complacuit Deus largiri prærogatiuam aliquam Sanctitatis. Sicut ad quędam obligantur clerici, qui mancipantur diuino ministerio, ad quæ laici non obligantur. Et similiter Religiosi ad quædam perfectionis opera obligantur ex sua professione, ad quæ sæculares non obligantur: hinc legitur Deuteronomij 4. *quæ est alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias iustaque iudicia, & vniuersam legem?* proinde cum præcepta fuerint (vltra decalogum) & cæremonialia & iudicialia, nec modo obligare gentes, immo nec ipsos, si vt debent Christum nouerint, Iudæos. Cæremonialia, quæ sunt quædam [I] determinationes moralium in ordine ad Deum ac ipsius cultum, cuiusmodi sunt circumcisio, immolatio agni & similia, docet pluries cessasse, tanquam impleta, eoquod erant solummodo primo [L] & per se in figuram: Immò illorum obseruantia illicita euasit, peccaminosa, [M] & mortifera, vt ex professo videre est 1. 2. 103. 4. quod innuit Christus Dominus Ioannis 4. dicens, *venit hora quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem: sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*, vt expenditur [N] a D. Thoma. Iudicialia similiter desierunt obligare, quia & ipsa licèt non primò & per se, ex consequenti [O] tamen aliquid figurabant, in quantum scilicet totus status illius populi qui per huiusmodi præcepta disponebatur, figuralis erat atque propheticus, vt dicit Augustinus l. 22. contra Faustum c. 24. & propter hoc iudicialia illi populo tradita magis sunt figuralia, quàm iudicia alijs populis tradita; sicut etiam bella, & gesta illius populi exponuntur mysticè, non autem bella vel gesta Assyriorum vel Romanorum, quamuis longè clariora secundum homines fuerint. Igitur pro comperto sit, [P] iudicialia veteris legis perpetuam obligationem nec ipsa induxisse. Nihilominus quoniam huiusmodi iudicialia, nonnihil moralis habent, vt tangit Hebræorum 7. l. 2. duo sequuntur. Primum vt relinquatur arbitrio hominis, vtrum sic vel aliter esset determinandum, [Q] & ideo circa hæc Dominus non ordinauit. Et sic si quis Princeps ordinaret in Regno suo illa iudicialia [R] obseruari, non peccaret, nisi fortè hoc modo obseruarentur, vel obseruari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione, talis enim intentio obseruandi esset mortifera. Hoc deducendo ad praxim exponi potest ex D. Thoma [S] de præcepto iudiciali reddendi quinque boues pro vno boue, & quatuor oues pro vna: potest enim idem vel simile statui in lege humana. Et si ab aliquo Rege ita [T] statuatur, tenentur eius subditi obseruare. Tamen vt tetigi [V] non est necesse in eadem forma seruari. Vnde quemadmodum non eædem leges conueniunt in Democratia, quæ est potestas [X] populi, & in oligarchia, quæ est potestas diuitum, vt patet per Philosophum in sua Politica l. 3. c. 5. 6. & 9. 8

H p. 2. 98. 1.
I p. 2. 108. 3. 3. Hebr. 7. l. 2. & 2. 2. 87. 1.
L p. 2. 104. 2.
M p. 2. 103. 4. & quodl. 2. 8.
N p. 2. 108. 3. 3.
O 1. 2. 104. 2.
P p. 2. 104. 3.
Q p. 2. 108. 3. 3.
R p. 2. 104. 3.
S 2. 2. 62. 4. 1. & 4. 15. 1. 5. 2. ad 5.
T 2. 2. 87. 1.
V Hebr. 7. l. 2.
X p. 2. 104. 1. ad 2.

ita etiam mutato statu colentium Deum, oportuit præcepta iudicialia mutari. Intellige hoc vniuersaliter loquendo, oportet enim absolutè ab illorum obseruantia figurali abstinere. Si autem singillatim de hoc vel illo præcepto legali sermo sit, debemus, vt congrue loquamur, dicere, non oportet illud seruari, & maximè in eadem forma vt dictum est; & potest afferri exemplum Leuitici 5. de accusando, *si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis testisque fuerit, quod aut ipse vidit aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam*, cum tamen ad huiusmodi accusationem, modo non teneamur, vt

A 2.2.68. 1. colligitur [a] ex D. Thoma. Et iterum dicere possumus de aliquo præcepto quoad materiam non oportet illud inobseruari; nam etiam in no-

B 2.2.86. 1. ua lege tenentur aliquando [b] homines ad oblationes, quamuis non causa solemnitatum legalium. Et similiter decimæ in noua lege soluuntur,

C 2.2.87. 1. sed decimatio est instituta [c] auctoritate Ecclesiæ; quæ licet posset aliam partem determinare, & non decimam, tamen sic voluit, prudenti adhoc inducta consilio, & deliberatione. Quamuis, quia præceptum de decimis claudit rationem moralis, (quia debitum est iure naturali, vt qui altari seruit de altari viuat, vnde Matthæi 10. dignus est operarius mercede sua; & docemur ab Apostolo 1. Corinth. 9.) non dicitur decimarum

D p. 2. 108. 3. & quodl. 2. 2. 8. simpliciter cessasse obligatio; eo quòd [d] moralia omninò in noua lege remanere debent, tanquam pertinentia ad rationem virtutis. Sic etiam aliquando cæremoniale videtur perseuerare in Ec-

E 3. p. 83. 5. ad 1. & 2. clesia: vnde argumentatur D. Thomas [e] contrà ea quæ in celebratione sacramenti aguntur, quoad ablutionem & thurificationem, quæ videntur cæremoniæ veteris legis, vt patet Exodi 30. Sed Respondet, quòd etsi rationabiliter hæc, instituerit Ecclesia, attamen non illa obseruat tanquam cæremonialia veteris legis præcepta, sed tanquam quiddam secundum se conueniens: & ideo ablutio non eodem modo obseruatur, sicut tunc; prætermittitur enim pedum, & seruatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in promptu, & quæ sufficit ad significandam perfectam munditiam: cum enim manus sit Organum organorum vt dicitur 3. de anima t. 38. omnia opera attribuuntur manibus, vnde in psalmo 23. dicitur, *lauabo inter Innocentes manus meas*. Sic thurificatione non vtimur quasi cæremoniali præcepto legis; sed sicut Ecclesiæ statuto: vnde non eodem modo vtimur, sicut in veteri lege erat statutum. Hæc ergo hucusque visa doctrina de omnibus infrà præceptis tradita sit: dicaturque cum sponsa sponso, *meliora sunt vbera tua vino* Cant. 1. quia dulcedo

Euangelij, qua veluti [f] lacte nutritur infantia credentium, melior est austeritate legis tot præcipientis. Sanè hoc est quod prædixit Isaias c. 10. *consummatio abbreuiata inundabit iustitiam*: quod Apostolus recolit Roman. 9. *Verbum enim consummans, & abbreuians in æquitate, quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram*. Quocirca D. Thomas; [g] efficacia Euangelici verbi est abbreuiandi, quia quantò aliquod verbum est magis perfectum, tantò est altius, & per consequens magis simplex & breue. Est autem verbum Euangelij abbreuians verba legis, quia omnia sacrificia figuralia legis, in vno vero sacrificio comprehendit, quo Christus obtulit se ipsum pro nobis hostiam, vt dicitur Ephes. 5. Omnia verò præcepta legis moralia in duobus præceptis charitatis concludit Matth. 22. *In his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & prophetæ.*

F Cant. 1.

G Rom. 9. l. 5.

CAPVT XXV.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere filijs Israel vt tollant mi- Infr. 35. a. 5.
hi primitias ab omni homine, qui offeret vltroneus, accipietis eas. 3 Hæc sunt
autem quæ accipere debetis: Aurum, & argentum, & æs, 4 hyacinthum, & pur-
puram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, 5 & pelles arietum rubrica-
tas, pellesque ianthinas, & ligna Setim: 6 oleum ad luminaria concinnanda: aromata in
vnguentum, & thymiamata boni odoris: 7 lapides onychinos, & gemmas ad ornandum
Hebr. 9. a. 2. ephod, ac rationale. 8 Facientque mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum: 9 iux-
ta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum
eius: sicque facietis illud: 10 Arcam de lignis Setim compingite, cuius longitudo habeat
duos, & semis cubitos: latitudo, cubitum, & dimidium: altitudo, cubitum similiter ac se-
missem. 11 Et deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris: faciesque supra coronam
auream per circuitum: 12 & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angu-
los: duo circuli sint in latere vno, & duo in altero, 13 Facies quoque vectes de lignis Se-
tim, & operies eos auro. 14 Inducesque per circulos, qui sunt in arcæ lateribus, vt porte-
tur in eis: qui semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis. 16 Ponesque in
arca testificationem, quam dabo tibi. 17 Facies & propitiatorium de auro mundissimo:
duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum ac semissem latitudo. 18
Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex vtraque parte oraculi. 19 Che-
rub vnus sit in latere vno, & alter in altero. 20 Vtrumque latus propitiatorij tegant ex-
pandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitia-
torium, quo operienda est arca, 21 in qua pones testimonium quod dabo tibi. 22 inde
præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt
super arcam testimonij, cuncta quæ mandabo per te filijs Israel. 23 Facies & mensam de

lignis Setim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine
cubitum ac semissem. 24 Et inaurabis eam auro purissimo: faciesque illi labium aureum
per circuitum, 25 & ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis: & super illam,
alteram coronam aureolam. 26 Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos
in quatuor angulis eiusdem mensæ per singulos pedes. 27 Subter coronam erunt circuli au-
rei, vt mittantur vectes per eos, & possit mensa portari. 28 Ipsos quoque vectes facies de
lignis Setim, & circumdabis auro ad subuehendam mensam. 29 Parabis & acetabula, ac
phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo. 30
Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. 31 Facies & can-
delabrum ductile de auro mundissimo, hastile eius, & calamos, scyphos, & sphærulas, ac
lilia ex ipso procedentia. 32 Sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere, &
tres ex altero. 33 Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulaque
simul, & lilium: & tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulaque simul, &
lilium: hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili: 34 in ipso autem can-
delabro erunt quatuor scyphi in nucis modum sphærulæque per singulos, & lilia. 35 Sphæ-
rulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili vno. 36 Et
sphærulæ igitur, & calami ex ipso erunt, vniuersa ductilia de auro purissimo. 37 Facies &
lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso. 38 Emunctoria
quoque, & vbi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo. 39 Omne pon-
dus candelabri cum vniuersis vasis suis habebit talentum auri purissimi. 40 Inspice, & fac Hebr. 8. b.5.
secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Act. 7. f. 44.

1 QVamquam in hoc capite de materia ornamentorum tabernaculi primo in limine fiat sermo; de illa non nisi capite sequenti dantur præcepta. In hoc potissimè tractatur de ijs, quæ erant construenda, locanda que in tabernaculo eodem. Cum enim exterior cultus Dei ad hoc præcipuè ordinetur, vt homines Deum in reuerentia habeant, meritò circà hunc exteriorem cultum, multa specialia iubentur, quasi in excitamentum A p. 2. 102.4. ᴬ Habet hoc humanus affectus, vt ea quæ communia sunt, & non distincta ab alijs, minus obseruet; quæ verò habent aliquam excellentiæ discretionem ab alijs, magis admiretur, & reuereatur. Et inde etiam hominum consuetudo inoleuit vt Reges & Principes quos oportet in reuerentia haberi a subditis, & pretiosioribus vestibus ornentur, & etiam ampliores, & pulchriores habitationes possideant. Sic etiam, quamuis vetuisset fieri sculptile vel similitudinem, ne co- B p. 2. 100.4. lerentur vt dij; ᴮ attamen vt per huiusmodi imagines ᶜ imprimeretur & confirmaretur fides de C 2.2.q.94. a.1. excellentia Angelorum, iussit fieri cherubin duos: in quo vnà simul diuinum illorum cultum satis D Hebr. 9.l.1.ante medium. prohibuit; nam erant duo ᴰ ad designandum, quòd non erant ibi positi ad colendum, eo quòd vt dicitur Deuteronomij 4. *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.*

VERSVS X. *Arcam de lignis Setim compingite &c.*

2 De Arcæ ad amussim, iuxta præceptum Domini compactione, agitur infrà c. 37. & sic, de propitiatorio, de mensa, de candelabro, de altari: hic illorum structura qualis esse debeat præfigitur. Ad literam autem præter ea quæ habentur in textu, iuuat, quæ scripsit D. Thomas E Hebr. 9.b.1. referre: De lignis Setim, inquit, imputribilibus ᴱ (locus est Setim in eremo Sinai, à quo arbor eiusmodi nominatur, estque similis spinæ albæ, redditque ligna durissima, leuissima, pulcherrima, teste Hieronymo) inquit autem imputribilibus, quia sic legunt Septuaginta, neque vacat Mysterio, vt videbimus. Pergit Sanctus Doctor, secundùm quòd & Apostolus Hebr. 9. *circumtectam ex omni parte auro*, idest, tam intus quam extrà. In tali Arca erant tabulæ testamenti, in memoriam legis. Noster habet, *ponesque in Arca testificationem, quam dabo tibi*: Septuaginta legunt, *testimonia quæ dedero tibi*. Chaldæa; *ponesque in Arca testamentum, quod dabo tibi*. Vetus testamentum ᶠ testimonium dicitur, quia est testi- F Ps. 24. monium noui, Actorum 10. *huic omnes prophetæ testimonium perhibent*. Vel testimonium dicitur quasi testata veritas. Erat præterea teste Paulo, in Arca *Vrna aurea habens manna*; & hoc in memoriam illius beneficij eis præstiti Exodi 16. & præterea *virga Aaron quæ frondeurat*, Numeri 17. in memoriam sacerdotij Aaron, ne alius extraneus præsumeret accedere. Neque obstat quia 3. Regum 8. dicitur, quòd in Arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ; intelligitur enim, *principaliter*, quia ad hoc primò facta est, vt patet hic v. 16. *ponesque in Arca testificationem.* Et Deuteronomij 10. *ponesque eas in Arca*. Cæterum quia locus ille 3. Regum vrgere videtur, multa meditantur Auctores, apud Maluendam, 3. Reg. Certè Exodi 16. de Manna seruando, & Num. 17. de virga reponenda præcipitur; licet non ita expressè dicatur, *in Arca*, vt Apostolus firmat. Hugo noster facile se expedit 3. Regum dicens, tacitus supplendum moneri, de vrna, & de virga. Ipse adhuc non abnuerem in priori tabernaculo, (quod distinguit Paulus ibi) ea omnia fuisse: atqui tempore Salomonis fortasse, solas legis tabulas seruatas esse: non enim perperam dicit Moyses Deuteronomij 10. de tabulis; *quæ hucusque ibi sunt*, signanter innuens, contenta etiam in Arca periculis obnoxia. Repositum in Arca, & librum fœderis vel testificationem, aliud à tabulis, indicatur Exodi 24. v. 12. & 25. 16. Vnde cum legitur Regum 3. *in Arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ*, excluditur omne aliud in genere scriptarum rerum; ac si diceret; non erat tunc liber fœderis in Arca: sola erat tabularum Scriptura. Vel ergo tunc interciderant Vrna Mannæ, & Virga Aaron; vel ex

tracta fuerant, ab Arca: aut habetur in ly *aliud* relatio ad librum fœderis. Secùs si semper solæ tabulæ fuissent, vt quid res olim nota considerator? dicendo, *in Arca autem* &c.

3 Super Arcam erant duo Cherubin, qui tangebant se duabus alis, & tangebant alijs duabus latera tabernaculi, & ad se ipsos versis vultibus respiciebant in propitiatorium. Inter duas autem alas quibus tangebant se, erat tabula aurea eiusdem longitudinis, & latitudinis, ac Arca, scilicet duorum cubitorum in longitudine, cubiti & semis in latitudine; & erat supereminens; quæ dicebatur propitiatorium, vnde erat quasi sedes, de qua Deus exaudiret, ad repropitiandum populo, Psalm. 79. *qui sedes super Cherubim*, addit alibi, [G] ad preces summi Sacerdotis.

G p. 3. 102.4 6.

Duo hic insurgere possunt dubia, dè materia propitiatorij primum; eoquòd legimus Diuum Thomam in loco nuper allegato dicentem; & super Arcam erat quædam tabula lapidea. Certum est, imò certo certius fuisse ex auro. Sic enim hic & infra cap. 37. habetur; *fecit & propitiatorium idest oraculum, de auro purissimo*. Vnde ne defecisse aliquando tantùm Doctorem perperam suspicemur; dicendum est, *ly lapidea* in sua summa, externa aliqua ex causa, interiectum fuisse; errore ne malitia dicatur, ideoque in antiquioribus codicibus non ita est. Dubium alterum esse potest, cur iusserit fieri Cherubin, super quos quasi sederet; cum potius Throni deberent sculpi pro sede Dei; exponit enim D. Dionysius [H] nomen Thronorum per conuenientiam ad materiales sedes. Auget vim argumenti idem Sanctus Doctor, & soluit in Isaiam: [I] Cùm tabernaculum sit dispositum secundùm exemplar Cœlestis curiæ; vt sumitur, inquit ex Exodi 25. videtur, quòd malè dicatur sedere super Cherubin, sed magis super Thronos. Respondet; Dicendum quod sedet super Cherubin, & Thronos quia super Seraphim qui sunt vltra eos. Vel secundùm Gregorium & Dionysium, quòd est inferiorum attribuitur etiam superioribus eminenter; vnde proprietatem Thronorum eminentiùs habent Cherubin. Vel dicendum, quòd super Thronos, sicut super sedem iudicij: super Cherubin sicut super Cathedram Magistri; quia Cherubin interpretatur fusio scientiæ: & ob hoc congruè ibi dicebantur dari responsa.

H p. p. 108 5. ad 6.
I Isaiæ 47.

4 Sciendum est autem, sequitur D. Thomas ad Hebræos, quòd omnes cæremoniæ legis ordinabantur ad vnum, secundùm statum illum: ad aliud verò secundum quòd erant figuratiua, prout scilicet repræsentabant Christum. Quoad primum; omnia instituta fuerunt ad repræsentandam magnificentiam Dei; & quidem in effectibus: Isti autem effectus habent quasi duplex sæculum; vnum superius, scilicet substantiarum incorporearum; & illud repræsentatur per Sancta Sanctorum; aliud est istius mundi inferioris sensibilis; & illud repræsentatur per Sancta. In mundo autem superiori sunt tria, scilicet *Deus, rationes rerum, & Angeli*: Deus autem omnino est incomprehensibilis; & ideo erat sedes sine sedente, quia non potest comprehendi à creatura, nisi ex effectibus. Quod Cherubin respiciant in propitiatorium (infrà cap. 37. *seque mutuò & illud respicientes*) designat quòd non recedunt à contemplatione Dei, Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris* &c. Rationes rerum signantur per Arcam; supple, in qua erant tabulæ legis. Illa verò quæ sunt in hoc Mundo vel pertinent ad sapientiam, quæ per tabulas significatur; vel ad potentiam, quæ per virgam; vel ad bonitatem, quæ per manna, quod erat dulce; quia quicquid est dulcedinis in creatura, totum est ex Bonitate Dei. Quia verò rationes rerum quæ sunt intelligibiliter in Deo sunt sensibiliter in creaturis corporalibus, ideò sicut in tabulis erat lumen intellectuale, ita in Sanctis erat lumen corporale: ibi manna, hic panes: ibi virga hic altare, quod pertinet ad officium sacerdotis. In interiori erat propitiatorium (en quoad Christum mysteria) & *Christus est propitiatio pro peccatis nostris*. 1. Ioann. 2. Duo Angeli sunt duo Testamenta concorditer Christum respicientia: vel omnes Angeli Christo seruientes concorditer, & vnanimiter. Item obumbrant propitiatorium, idest Christi Ecclesiam custodiunt; vel quia eorum ministerio fiebant visiones & apparitiones, in quibus obumbratoriè figurabatur Christus. Arca aurata de lignis setim, est caro Christi pura & pretiosissima: quæ & dicitur Vrna aurea, propter sapientiam, plena dulcedine Diuinitatis. Tabulæ sunt eius sapientia. Virga est sacerdotium eius æternum. Vel virga est potestas Christi: manna dulcedo gratiæ, quæ datur per sacerdotium Christi, vel per obedientiam mandatorum, sicut homo obedit potestati. Sed quia nullus habet sic gratiam, quin peccet, excepto Christo, & Matre eius, ideò necesse est habere propitiatorium.

Suprà autem discurrit D. Thomas de alijs quæ erant in Sanctis. Erat enim candelabrum ad meridiem, & quidem aureum, quod ita erat factum; Ex vno enim longo hastili procedebant sex calami, quasi sex brachia, scilicet tres à dextris, & tres à sinistris, & sic in summitate erant septem rami; & in quolibet calamo erant quatuor, scilicet calamus, qui erat ex tribus partibus, quasi tribus petijs, (siue segmentis) scyphi, sphærulæ, & lilia: addit autem expositionem D. Thomas, quomodo essent tres partes in calamo, quia ibi (vbi erant scyphi, sphærulæ, & lilia) duæ partes iungebantur. Subdit deinde: in fine cuiuslibet partis, erat quasi quidam scyphus, in quo duo scyphi iungebantur, in nucis modum, & duæ sphærulæ volubiles, & duo quasi folia lilij hinc & inde. Ad literam per candelabrum, & per mensam (de qua dicetur postea) designatur quòd qui altari seruit, de altari viuat. Per candelabrum autem significatur Christus; ipse enim est candelabrum luminis; Ioannis 8. *ego sum lux mundi*. In isto sunt sex ordines tres à sinistris, scilicet perfecti veteris testamenti; & tres à dextris, scilicet perfecti noui testamenti. Et isti (inquit) designantur Ezechielis 14. per Noe, Prælati; per Daniel, contemplatiui; per Iob, actiui: isti calami lumen accipiunt, & infundunt; quia sicut dicitur 1. Petri 4. *vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes*. Scyphi sunt propinantes potum sapientiæ: sphærulæ propter promptitudinem obedientiæ: lilia propter finem vitæ æternæ (fortè dico ego quia odor bonorum operum, non est momentaneus, sed perseuerat diù quasi inuenis perennitatem, & ad hoc ob- 5

puri-

puritatem intentionis.) Septem lucernæ sunt septem dona spiritus sancti.

In parte Aquilonari erat mensa aurea in modum altaris super quam ponebantur in Sabbatho duodecim panes calidi (calidos didicit fuisse ex 1. Regum c. 21.) & super quemlibet thus lucidum in patena aurea, & stabant illi panes, qui dicebantur propositionis vsque ad diem sabbathi, vbi oportebat illos amoueri, & reponebantur alij loco ipsorum. Ex vi græcę dictionis (aduerto ego) hic potest traduci *panes aspectus*: & infrà c. 35. *panes propositionis*. Exponunt autem, quia præceptum erat eos proponi in conspectu Domini, vt ex contextu innotescit: de his agitur infra Leuitici 24.

Sanctus Paulus de his loquens, ait, *& propositio panum*, vbi D. Thomas, idest panes propositionis, per ypallagen, sicut: *perflauit fistula buccas*. Addo, descriptionem figuræ huius; est enim cum oratio inuersa vice profertur, potestque dici subalternatio. Præfata Mensa habebat in gyrum assurgentem limbum quatuor digitis, qui quia non planus vndique, & æqualis erat, sed hinc, & inde cauitatibus artificio incisis, & emblematis exornatus, corona interrasilis dicitur. Quæ alia erant super mensam, videatur in litera, & apud interpretes. Satis sit nobis recolere eiusmodi panes azimos fuisse, solitosque præberi ex publico, quibus duodecim tribus publicè significabant se à Deo continuè ali, & gratitudinis ergò, perpetuam hanc oblationem tanquam vicem referre: hæc thure quoque innuebantur; ob idque solis Sacerdotibus in esum cedere poterant. An autem aliquando licuerit laicis comedere panes sacros, videantur interpretes, primi Regum ad c. 21.

6 Post hæc, iuuat quæ docet D. Thomas in prima secundæ [l] circa ista referre. Super arcam erat quædam tabula, (lege *aurea*) quæ dicebatur propitiatorium super alas Cherubin, quasi ab ipsis Cherubin portaretur; ac si imaginaretur, quòd illa tabula esset sedes Dei; & ideò quasi portabatur à Cherubin, quasi Deo obsequentibus: arca verò testamenti erat tanquam scabellum sedentis super propitiatorium. Sic designabatur Deum esse omninò incomprehensibilem cuiuis creaturæ; vnde nulla erat ibi similitudo ad repræsentandam eius inuisibilitatem: sed ponebatur quædam figura sedis eius, quia scilicet creatura, quæ est subiecta Deo sicut sedes sedenti, comprehensibilis est. Cherubin præterea mutuò se respiciunt ad designandam cõcordiam eorum ad inuicem, Iob 25. *qui facit concordiam in sublimibus*. Quoniam verò in altiori intelligibili sæculo, rationes omnium eorum, quæ in hoc sęculo perficiuntur, sunt quodammodo clausæ, sicut rationes effectuum clauduntur in suis causis, & rationes artificiatorum in artifice, id significabatur per arcam. Et per tria inibi contenta, repræsentabantur tria potissima in rebus humanis: sapientia per tabulas testamenti; potestas regiminis per virgam; vita per Manna, quod fuit vitæ sustentamentum. Vel per hæc tria, tria Dei attributa, sapientia in tabulis; potentia in virga, & bonitas in Manna: tum propter dulcedinem, tum quia misericorditer populo datum fuerat; & ideò in memoriam diuinæ misericordiæ, conseruabatur. Quæ tria supra primò tacta, etiam figurata sunt in visione Isaiæ (cap. 6.) *vidi Dominum sedentem* &c. *Seraphim stabant: plena est omnis terra gloria eius; quia domus repleta est fumo*, quod hic exponit dicens, domum impletam esse gloria Dei.

[l] l. p. a- 102. 4. ad 6.

Potest etiam & horum alia ratio assignari magis literalis: in arca enim continebantur tabulæ legis, iuxta præceptum Domini Deuteronomij 10. *ponesque eas* (tabulas) *in Arca*, ad tollendam legis obliuionem, vnde dicitur Exodi 24. *dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi, vt doceas filios Israel*; Virga verò Aaron ponebatur ibi ad comprimendam dissensionem populi de Sacerdotio Aaron; vnde dicitur Numeri 17. *refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur in signum rebellium filiorum Israel*. Manna autem conseruabatur in arca ad commemorandum beneficium, quod Dominus præstitit filijs Israel in deserto; vnde dicitur Exodi 16. *imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retro generationes, vt norint panes, quibus alui vos in solitudine*.

Sed iam de tribus alijs quæ erant in Sanctis. 7
Erat altare thymiamatis directè contrà arcam; mensa propositionis ex parte aquilonari; candelabrum ex parte australi, seu, quod dixerat, ad meridiem. Quæ tria videntur respondere tribus in arca clausis: Sed manifestius illa demonstrant, quàm sint in mente diuina & Angelorum, vt homines sapientes, significati per sacerdotes, qui ingrediebantur tabernaculum, illa cognoscere possint. Candelabrum igitur tanquam signum sensibile sapientiæ, respondet eidem, intelligibilibus verbis repræsentatæ in tabulis. Altare thymiamatis, quod refert officium Sacerdotum, respondet *virgæ*, qua itidem Sacerdotalis dignitas significatur. Sacerdos regit populum per potestatem diuinam quam virga significat, & fructum sui regiminis scilicet sanctitatem populi Deo offert, (floruit & fructificauit ea virga), quasi in altari thymiamatis; vbi etiam thymiama boni odoris sanctitatem eandem populi, acceptabilem Deo signat, iuxtà quod Apocalypsis 8. dicitur, per fumum aromatum significari iustificationes Sanctorum. Per mensam denique significatur temporale nutrimentum vitæ, sicut & per Manna, sed hoc est suauius, & subtilius; illud autem etiam communius. Conuenienter autem candelabrum ponebatur ex parte Australi, mensa autem ex parte Aquilonari; quia Australis pars, est dextera pars mundi, Aquilonaris autem sinistra, vt dicitur in 2. de cęlo & mundo; sapientia autem pertinet ad dextram, sicut & cætera spiritualia bona, temporale autem nutrimentum ad sinistram, secundum illud Prouerb. 3. *in sinistra illius diuitia & gloria*. Potestas autem Sacerdotalis media est inter temporalia, & spiritualem sapientiam, quia per eam & spiritualis sapientia, & temporalia dispensantur.

Item candelabrum erat institutum ad honorificentiam tabernaculi; pertinet enim ad magnificentiam domus, quòd sit benè luminosa. Habebat autem candelabrum septem calamos, ad significandum septem planctas, quibus totus mundus illuminatur, & ideò ponebatur candelabrum ex parte Australi, quia ex illa parte est nobis planetarum cursus. Altare autem thymiamatis erat institutum, vt iugiter in tabernaculo

esset fumus boni odoris, tum propter venerationem tabernaculi, tum etiam in remedium fœtoris, quem oportebat accidere, ex effusione sanguinis, & occisione animalium; ea enim quæ sunt fœtida, despiciuntur quasi vilia; quæ verò sunt boni odoris homines magis appretiantur. Mensa autem apponebatur ad significandum, quòd sacerdotes Templo seruientes, in templo victum habere debebant, vnde duodecim panes superpositos mensæ, in memoriam duodecim tribuum solis sacerdotibus edere licitum erat, vt habetur Matthæi 12. mensa autem non ponebatur directè in medio ante Propitiatorium, ad excludendum ritum idololatriæ; nam gentiles in sacris Lunæ ponebant mensam coram idolo Lunæ, vnde dicitur Ieremiæ 7. *Mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ Cœli.*

Figuralis verò ratio omnium horum assignari potest ex relatione tabernaculi ad Christum, qui figurabatur. Est autem considerandum, quòd ad designandam imperfectionem legalium figurarum, diuersæ figuræ fuerunt institutæ in templo, ad significandum Christum: ipse enim significatur per propitiatorium, quia *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, vt dicitur 1. Ioann. 2. & conuenienter hoc Propitiatorium à Cherubin portatur, quia de eo scriptum est, *adorent eum omnes Angeli eius*, vt habetur Hebræorum 1. Ipse etiam significatur per Arcam; quia sicut Arca erat constructa de lignis Setim, ita Corpus Christi de membris purissimis constabat. Erat autem deaurata, quia Christus fuit plenus sapientia, & charitate, quæ per aurum significatur. Intra Arcam autem erat Vrna aurea, idest Sancta anima, habens Manna, idest omnem plenitudinem sanctitatis, & diuinitatis. Erat etiam in Arca, Virga, idest potestas sacerdotalis, quia ipse est factus sacerdos in æternum. Erant etiam ibi tabulæ testamenti ad designandum quòd ipse Christus est legis dator. Ipse etiam Christus significatur per candelabrum; quia ipse dicit; *ego sum lux Mundi*: per septem lucernas septem dona Sancti-Spiritus. Ipse etiam significatur per mensam, quia ipse est spiritualis cibus, secundùm illud Ioann. 6. *ego sum panis viuus*. Duodecim etiam panes significabant duodecim Apostolos. Siue per candelabrum & mensam potest significari doctrina & fides Ecclesiæ, quæ etiam illuminat, & spiritualiter reficit. Ipse etiam Christus significatur per duplex altare, scilicet holocaustorum, & thymiamatis; quia per ipsum oportet nos Deo offerre omnia virtutum opera, siue illa quibus carnem affligimus, quæ offeruntur quasi in altari holocaustorum; siue illa, quæ maiore mentis perfectione per spiritualia perfectorum desideria Deo offeruntur in Christo, quasi in altari thymiamatis, secundùm illud ab Hebræos vltimo; *per ipsum ergò offeramus hostiam laudis semper Deo*. Ponitur etiam propitiatorium super Arcam, idest Christus super Ecclesiam, vt exponit ab Roman. 3. l. 3. *quem proposuit Deus propitiatorem*, & 1. Ioann. 2. *ipse est propitiatio*. Post hæc præcipuis duobus ex locis D. Thomæ decerptis, superest, vt quæ alibi sparsim dixit colligamus; igitur.

VERSVS VI. *Aromata in vnguentum, & thymiamata* &c.

Cohæret cum cap. 30. infrà; *sume aromata boni odoris faciesque thymiama*. Papias; thymiama [M] est confectio boni odoris, ad incensum cultus Dei. Gregorius; *thymiama, ex aromatibus facimus, cum in altari cordis virtutum multiplicitate redolemus*. M op. 51 c. 12.

VERSVS VII. *Lapides onychinos, ad ornandum Ephod & rationale.*

Onix ex glossa [N] est pretiosus lapis, sic dictus quia habet candorem permistum cum rubedine, ad similitudinem (quod traditur) vnguis humani, quia onix græcè, vnguis latinè dicitur. Onychinus præterea habet [O] quasdam noxias virtutes, scilicet excitandi tristitias & timores. Sed de eiusmodi lapidibus pretiosis redibit sermo infrà ad cap. 28. N Gen. 2. O Iob 28.

VERSVS X. *Arcam de lignis Setim compingite.* 9

Arca Corpus Christi significat [P] hæc sit de lignis setim imputribilibus, quia Corpus Christi constitit ex membris purissimis, & ab initio mundis. Super illa verba Apocalypsis, *& visa est Arca testamenti eius in templo eius*: Et visa est inquit, idest hominibus manifestata in carne visibili, Arca idest Christus, [Q] qui est Arca quæ continet omnes thesauros Sapientiæ, Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*; Item gratiæ; Io. 1. *plenum gratiæ & veritatis*; continet vrnam auream continentem Manna, idest habet in se humanitatem purissimam, cui est vnita Diuinitas; cuius est dulcedo super mel, & fauum. Item continet virgam Aaron plenariæ potestatis, cuius est dominari in præsidendo Ps. *virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*; Matthæi vlt. *data est mihi omnis potestas*. Item regere in informando, scilicet documentis, & exemplis, & alliciendo donis; psal. *virga directionis, virga Regni tui*. Item corrigere flagellando; Ps. *virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*; Hebræor. 12. *quis enim filius quem non corripit Pater?* Rursus continet tabulas testamenti, quia ipse habet plenam notitiam veteris, ac noui testamenti, & docet nos sicut Magister certissimus, Matthæi 23. *Magister vester vnus est Christus*. Dicitur etiam Arca, quia continet in se vetus testamentum, & etiam nouum, idest vtriusque habet notitiam, & vetus in se complevit, & nouum instituit. P op. 51. c. 9. Q Apoc. 21. in fine.

VERSVS XVII. *Facies & propitiatorium*, &c.

Exponitur quomodo Christus sit propitiatio. 1. Ioannis 2. [R] quia dùm satisfaciendo nos redimit à noxa peccati, Deum peccatis nostris propitium facit, Ps. 78. *& propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*. Et in huius figura hic mādatur quòd fiat propitiatorium super arcam, idest quòd Christus ponatur super arcam, idest, Ecclesiam. R Rom. 3. l. 5.

Quoniam vero in typum Ecclesiæ fuit Arca, congruit sic allegoricè interpretari, quod suprà dicitur, versu 12. & infrà. *Facies quoque vectes de lignis Setim, & operies eos auro, inducesque per circulos, qui sunt in arca lateribus, vt portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec vnquàm extrahentur ab eis*. D. Hieronymus: in Præfatione in Euangelium Matthæi. *Ecclesia quatuor & angulos, & annulos habet*, (Euangelistas intellige,) *per quos, quasi arca testamenti, & custos legis Domini lignis immobilibus vehitur.* 10

Ide-

Idoneitatem ad docendum parit ex Apostolo ad Timotheum 1. c. 4. exercitium, *attende lectioni, exhortationi, doctrinæ*: ideo mouentur Sacerdotes & Episcopi sub his verbis: debet esse semper promptus', (subaudi cui incumbit) ad docendum, & hoc significatur Exodi 25. vbi dicitur quòd semper in arca Domini debebant esse vectes in circulis, & circuli in angulis [S] quasi semper parati ad portandum. Quod quidem repetit ad illa verba ad Titum, *vt potens sit exhortari*; non dicit vt exhortetur, sed vt potens sit: quod est quando habet in promptu [T] exhortationes, quando necesse est exequi; quod figuratur (inquit) Exodi 25. *per vectes in circulis arcæ, vt arca scilicet posset portari*. Et hoc hausit ex Gregorio in Pastorali, vbi exponens hunc locum *vectes semper erunt*, &c. *nimirum necesse est, vt qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis* [V] *studio non recedant, vt scilicet semper sint parati ad prædicandum, etsi non semper prædicent*. Quod quidem declaratur magis, [X] quia Prædicatoribus non solùm necessarium est vt habeât tempus liberum ab occupatione, in quo prædicent; sed etiam in quo studeant, cùm non habeant scientiam ex infusione sicut Apostoli, sed continuo studio; & memorat S. Doctor ibi quoque D. Gregorium, qui suprà. Sic 1. Petri 3. *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*.

S 1. Tim. 4. 1.
T ad Titum c. 1. l. 1.
V opusc. 19. cap. 5. post medium.
X Quodl. 7. a. 18. ad 7.

VERSVS XXV. *Et ipsi labio* (mensæ) *coronam interrasilem altam quatuor digitis; & super illam alteram coronam aureolam*.

11 Quoniam hic agitur de corona duplici, atque secunda vocatur aureola, notat D. Thomas [A] præmium beatorum, & essentiale, & accidentale intelligi posse. Certè, cui datur præmium post victoriam, datur corona, quæ itidem dicitur aurea, figura sua circulari beati illius status perfectionem significans. At non solùm meretur iustus ex radice charitatis possessionem vltimi finis, in quo beatitudo, sed ex ipso genere actus, quod laudabilitatem quandam habet ex debitis circunstantijs, ex habitu eliciente & proximo fine; & sic debetur ei quoddam accidentale præmium, quod aureola dicitur, quasi superadditum minus quid; estque quoddam gaudium de operibus à se factis, quæ habent rationem victoriæ excellentis, distinctum ab eo, quo de coniunctione ad Deum gaudemus. Hoc ipsum sensit Beda loc. cit. a. 3. in 1. *Sed contra*, dicens, *de eorum præmio potest rectè intelligi, qui generalia mandata, sponsanea vitæ perfectioris electione transcendunt*. Et art. 1. citato in *Sed contra*, aureolam virginum significari ex glossa super hunc textum memorat, dicens, (quemadmodum alibi [B] etiam) ad hanc coronam pertinet canticum nouum, quod virgines tantùm coram agno concinunt. Gloria etiam corporis ex quadam glossa, [C] aureola nominatur. Denique in Quodlibeto [D] cum aureola importet quandam singularem excellentiam præmij, necesse est, quòd præsupponat auream, sicut comparatiuus præsupponit positiuum; & hoc figuratur Exodi 25. *facies super coronam auream, alteram aureolam*.

A 4. 49. 5. 1.
B op. 41. l. 5. c. vltimo.
C 4. cit.
D Quodl. 5. a. 24.

Hæc mensa propositionis sic extruenda in modum Altaris, vt ait D. Thomas ad Hebræos 9. l. 1. duodecim panes habebat, vt dictum est. Figuratur his panibus perseuerantibus semper in conspectu Domini perennitas [E] Eucharistici sacramenti in Ecclesia Dei, & pulchrè (inquit) *figuratur perennitas*, quia consecrando in forma panis, quasi sacramentum nutriendo & renouando conseruamus.

E op. 58. 14.

12 Obseruat autem Angelicus, quod [F] Dominus in duabus vicibus pauit homines duodecim panibus (nempe Matthæi 15. septem, & Marci 6. quinque) & significant duodecim, quibus ipse pascit, qui sequuntur ipsum in via ista: primus panis est charitas; secundus, gaudium; tertius, pax; quartus, patientia; quintus longanimitas; sextus, bonitas; septimus, benignitas; octauus mansuetudo; nonus fides; decimus, modestia; vndecimus continentia; duodecimus, castitas: isti sunt duodecim panes propositionis.

F Serm. Dominic. 4 Sp. diaget ex Euang.

Christus est mensa refectionis; ait S. Doctor. [G] duodecim panes sunt doctrina duodecim Apostolorum, & successorum suorum, qui ponuntur in Sabbatho spei, vsque ad Sabbatū rei, & si interim vnus remouetur per mortem, alter substituitur: sed in magno sabbato remouebuntur omnes. Arbitror D. Thomam pro magno Sabbato intelligere requiem æternæ fruitionis, de qua dicitur Isaiæ 66. *erit Sabbatum ex Sabbato*: tunc enim implendum est quod dicitur Ieremiæ 31. *non docebit vltrà vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, à minimo vsque ad maximum, ait Dominus*. Nunc Sabbata decurrentia sunt sabbata spei, iuxtà quod ait Apostolus, Hebræor. 4. *ingrediemur in requiem qui credidimus*. De eiusmodi doctrina Apostolorum redibit sermo infrà c. 37. cùm de Beseleel, qui fuit selectus à Deo, pro Arcæ & Tabernaculi Architecto.

G Hebr. 9. l. 1.

VERSVS XXX. *Facies & candelabrum ductile &c.*

Moraliter candelabrum est vir iustus; [H] ductile, quia multis tribulationibus ad perfectionem ducitur; Act. 14. *per multas tribulationes*; &c. Aureum totum, quia facit omnia in charitate; Coloss. 6. *omnia vestra in charitate fiant*. Tres calami ex vno latere tres partes pœnitentiæ, quæ respiciunt statum gratiæ: tres ex alio; tres virtutes theologicæ, quæ respiciunt statum gloriæ. Scyphi sunt beatitudines; alias fructus spiritus; sphærulæ dona Spiritus-Sancti. De Beatitudinibus, Matthæi 5. de fructibus spiritus; Gal 5. Septem deinde percurrit D. Thom. lucernas quæ sunt in candelabro. Prima lucerna est ratio; de hac Iob 18. *lucerna, quæ super caput eius est*, idest in superiori parte animæ, *extinguetur*, idest obtenebrescet, propter multa peccata. Psalm. 4. *signatum est* &c. secunda est diuina inspiratio; Prou. 20. *lucerna Domini spiraculum hominis*. Tertia verbum & lex diuina; Psalm. 118. *lucerna pedibus meis verbum tuum*. Quarta virtus infusa; Iob 29. *quis mihi tribuat*; & post: *quando splendebat lucerna eius super caput meum*, idest mentem. Quinta, bona operatio; Psalm. 17. *Tu illuminas lucernam meam Domine*, quia à Deo est, quòd opera nostra luminosa sint, Matth. 5. *sic luceat lux vestra* &c. Sexta, recta intentio; Matth. 6. *lucerna corporis tui est oculus tuus*; idest intentio. Septima Christus; Apoc. 21. *lucerna eius est agnus*; propter multa. Zach. 4. *Vidi, & ecce candelabrum aureum, & septem lucernæ eius super illud* &c.

H Serm. in festo S. Benedicti ex Euang.

VER-

VERSUS XXXX. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.*

Supponit rogasse Moysen Dominum de forma Sanctuarij faciendi, ideòque ait Paulus, Hebræorum 8. fuisse sic illi responsum, *vide, omnia facito secundùm exemplar, quod tibi in monte ostensum est*. Exemplar quippe prius est [l] exemplato, quod propriè dicitur exemplum. Videtur ergò imaginaria visione Moyses, quæcumque facienda iubentur quoad tabernaculum, quæ ideo sic exprimit, ne audax quis posset imperium detrectare.

Hebr. 1.1.

13 Quoniam verò, vt etiam dicemus infra, tabernaculum Ecclesiæ militantis figura est, pluries exponitur textus iste ad hunc sensum. Itaque D. Thomas; Ecclesia militans facta est ad similitudinem Ecclesiæ triumphantis; astruitque [L] in hac nouem ordines hominum, sicut in triumphanti nouem sunt chori Angelorum. Et præterea docet [M] secundùm rationem, & ordinem Cælestium spirituum, siue rerum spiritualium, esse ordinata humana ministeria in Ecclesia militante. Addit, in contra Gentes, [N] contextum Ioannis, *vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo*: in hoc enim descendere dicitur Ecclesia militans, quòd à triumphanti per similitudinem deriuatur; & colligit exinde S. Doctor, vnum esse debere, qui in Ecclesia præsidet vniuersis, sicut in triumphanti, & toto Mũdo vnus præsidet Deus. Hoc etiã fundamento retorquet D. Thomas in aduersarios telum; contendebant enim, non posse Religiosos prædicare aut confessiones audire, quod Episcopis, & Parochis proprium est, quia (aiebant,) in cælesti Hierarchia Angelus inferioris ordinis numquam exercet officium ordinis superioris; Ecclesiastica autem Hierarchia est ad exemplar cælestis; Occurrit [O] vltrà disparitatem, quòd imo in cælesti Angelus inferioris ordinis, in suo ordine manens, exequitur actum superioris ordinis, superioris virtute; sicut ex Dionysio cap. 13. cælestis Hierarchiæ Angelus, qui purganit, labia Isaiæ dictus est Seraphin, quia Seraphin officium exercuit; & Gregorius dicit in homilia de centum ouibus, quòd hi spiritus, qui mittuntur, illorum vocabulum percipiunt, quorum officia gerunt.

Apoc. 1. comment. 1. ibi c. 1.

4. cont. c. 76.

O op 19 c. 4.

Hic denique ob sacræ Scripturæ fæcunditatem, non videtur [P] D. Thomas abnuere; si Christus Dominus dicatur Exemplar, in quo repræsentatur omnis vita gratiæ, & gloriæ.

P De veritate q. 1.16.

CAPVT XXVI.

1 TAbernaculum verò ita facies: Decem cortinas de bysso retorta, & hyacintho,
ac purpura, coccoque his tincto, variatas opere plumario facies. 2 Longitu-
do cortinæ vnius habebit vigintiocto cubitos: latitudo quatuor cubitorum erit.
Vnius mensuræ fient vniuersa tentoria. 3 Quinque cortinæ sibi iungentur mutuo, & aliæ
quinque nexu simili cohærebunt. 4 Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus fa-
cies cortinarum, vt possint inuicem copulari. 5 Quinquagenas ansulas cortina habebit in
vtraque parte, ita insertas, vt ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit aptari. 6 Fa-
cies & quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela iungenda sunt, vt vnum taber-
naculum fiat. 7 Facies, & saga cilicina vndecim, ad operiendum tectum tabernaculi. 8
Longitudo sagi vnius habebit triginta cubitos & latitudo, quatuor: æqua erit mensura sago-
rum omnium. 9 E quibus quinque iunges seorsum, & sex sibi mutuo copulabis, ita vt sex-
tum sagum in fronte tecti duplices. 10 Facies, & quinquaginta ansas in ora sagi vnius, vt
coniungi cum altero queat: & quinquaginta ansas in ora sagi alterius, vt cum altero copule-
tur. 11 Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus iungantur ansæ, vt vnum ex omni-
bus operimentum fiat. 12 Quod autem superfuerit in sagis, quæ parantur tecto, id est, v-
num sagum, quod amplius est, ex medietate eius operies posteriora tabernaculi. 13 Et cu-
bitus ex vna parte pendebit, & alter ex altera qui plus est in sagorum longitudine, vtrumque
latus tabernaculi protegens. 14 Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum
rubricatis, & super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus. 15 Facies & ta-
bulas stantes tabernaculi de lignis Setim, 16 quæ singulæ denos cubitos in longitudine ha-
beant, & in latitudine singulos ac semissem. 17 in lateribus tabulæ, duæ in-
castraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur, atque in hunc modum
cunctæ tabulæ parabuntur. 18 Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad
Austrum. 19 Quibus quadraginta bases argenteas fundes, vt binæ bases singulis ta-
bulis per duos angulos subijciantur: 20 in latere quoque secundo tabernaculi, quod vergit
ad Aquilonem: viginti tabulæ erunt, 21 Quadraginta habentes bases argenteas, binæ ba-
ses singulis tabulis supponentur. 22 Ad occidentalem verò plagam tabernaculi facies sex
tabulas, 23 & rursum alias duas, quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi. 24
Eruntque coniunctæ deorsum vsque sursum, & vna omnes compago retinebit. Duabus
quoque tabulis, quæ in angulis ponendæ sunt, similis iunctura seruabitur. 25 Et erunt si-
mul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per vnam tabulam suppu-
tatis. 26 Facies, & vectes de lignis Setim quinque ad continendas tabulas in vno latere
tabernaculi, 27 & quinque alios in altero, & eiusdem numeri ad occidentalem plagam;

28 qui mittentur per medias tabulas à summo vsque ad summum. 29 Ipsas quoque tabu-
las deaurabis, & fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant: quos
operies laminis aureis. 30 Et eriges tabernaculum iuxta exemplar, quod tibi in Monte Supr. 24. a.10.
monstratum est. 31 Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, &
bysso retorta, opere plumario, & pulchra varietate contextum: 32 quod appendes ante
quatuor columnas de lignis Setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita
aurea, sed bases argenteas. 33 Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones ar-
cam testimonij, quo & Sanctuarium, & Sanctuarij sanctuaria diuidentur. 34 Pones & pro-
pitiatorium super arcam testimonij in Sancto sanctorum: 35 mensamque extra velum: &
contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte
Aquilonis: 36 Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coc-
coque bis tincto, & bysso retorta, opere plumarij. 37 Et quinque columnas deaurabis li-
gnorum Setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, & bases æneæ.

1 IN hoc capite denarratur accuratissimè tabernaculi exstructio. Erat autem tabernaculum, veluti Templum mobile, & portatile. Quare autem, non templum, sed tabernaculum iusserit fieri, refert D. Thomas [A] ex Rabbi Moyse tres causas: prima, ne gentes appropriarent sibi locum illum: secunda, ne gentes ipsum destruerent: tertia, ne quælibet tribus vellet habere locum illum in forte sua, & propter hoc orientur lites & iurgia; & ideò non fuit ædificatum templum, donec haberent Regem, per quem posset huiusmodi iurgium compesci. Itaque ad cultum Dei erat ordinatum tabernaculum portatile per diuersa loca, quasi nondum existente determinato loco diuini cultus: & hæc est ratio literalis diuersitatis tabernaculi, & templi: & adde, quià populus tunc erat in deserto, non habens certam mansionem: posteà verò habuerunt varia bella cum finitimis gentibus; donec tempore Dauid, & Salomonis, habuerunt quietissimum statum, & tunc primò ædificatum fuit Templum. Nihilominùs factum posteà fuisse Templum etiam alia de causa traditur: [B] crescente scilicet populi statu & Religione. Quod quidem innuitur blanda promissione, Isaiæ 54. *Dilata locum tentorij tui; & pelles tabernaculorum tuorum extende; longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida;* hæc enim leguntur [C] fuisse in tabernaculo fœderis.

A p. 2. q.102. a.4. ad 6.
B psal. 41.
C Is. 54.

Describitur autem etiam à S. Doctore tabernaculum [D] in hæc verba. Sciendum est, quòd Dominus in deserto, præcepit fieri tabernaculum quod haberet triginta cubitos, vel passus in longitudine, & decem in latitudine; ita quòd ostium erat ad orientem, ante quod dependebat velum super *quatuor* columnas: (hic error est, nàm quinque erant columnæ vt patet in calce capitis 26. sed alicuius imperitia recognitoris, id factum esse quis dubiter? fortè quia prope Sancta Sanctorum quatuor memorantur,) & quoddam tentorium, in quo erat Altare holocaustorum. Sed in tabernaculo versus occidentem, spatio decem cubitorum longitudinis, & decem latitudinis appendebatur velum super quatuor columnas; & istud diuidebat partem vnam decem cubitorum, ab alia viginti cubitorum. Pars autem viginti cubitorum dicitur Sancta, & tabernaculum primum; sed illa decem, dicitur Sancta Sanctorum, & tabernaculum secundum; quod posteà subdit appellari Sancta Sanctorum antonomasticè pro dignitate, sicut Maria dicitur Virgo Virginum.

D Hebr. 9.1.

Corpus autem Tabernaculi [E] constabat ex quibusdam tabulis in longitudinem erectis: quæ quidem interiùs tegebantur quibusdam cortinis ex quatuor coloribus variatis, scilicet de bysso retorta, & hyacintho, ac purpura coccoque bis tincto; sed huiusmodi cortinæ tegebant solùm latera tabernaculi. In tecto autem tabernaculi erat operimentum vnum de pellibus hyacinthinis; & super hoc, aliud de pellibus arietum rubricatis; & desuper, tertium de quibusdam sagis cilicinis, quæ non tantùm operiebant tectum tabernaculi, sed etiam descendebant vsque ad terram, & tegebant tabulas tabernaculi exteriùs. Horum autem operimentorum ratio literalis in communi erat ornatus, & protectio tabernaculi, vt in reuerentia haberetur: In speciali verò secundùm quosdam, per cortinas designabatur Cœlum Sydereum, quod est diuersis stellis variatum; per saga, aquæ, quæ sunt supra firmamentum; per pelles rubricatas Cœlum Empyreum, in quo sunt Angeli; per pelles hyacinthinas Cœlum Sanctæ Trinitatis.

E p. 2. q.102. a.4. ad 6.

2 Figuralis autem ratio horum est, quia per tabulas ex quibus construebatur tabernaculum, significantur Christiani fideles, ex quibus construitur Ecclesia. Tegebantur autem interiùs tabulæ cortinis quadricoloribus, quia fideles interiùs ornantur quatuor virtutibus; nàm in bisso retorta, (vt glossa dicit) significatur caro castitate renitens; in hyacintho, mens superna cupiens; in purpura, caro passionibus subiacens; in cocco bis tincto, mens inter passiones, Dei & proximi dilectione præfulgens. Per operimenta verò tecti, designantur Prælati & Doctores, in quibus debet renidere cœlestis conuersatio; quod significatur per pelles hyacinthinas; promptitudo ad martyrium, quod significant pelles rubricatæ; austeritas vitæ, & tolerantia aduersorum, quæ significantur per saga cilicina, quæ erant exposita ventis & pluuijs, vt glossa dicit.

Alibi habetur pluries significari per tabernaculum [F] Ecclesiam militantem, vel triumphantem; & quidem absolutè pro militante, Dauid loquitur dicens, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo*, idest in præsenti Ecclesia, [G] vnde tùnc habuerunt bella & labores. Et in Psalm. 41. ad illa verba; *transibo in locum tabernaculi*; quia (inquit) per tabernaculum, quod erat mobile, signatur status præsentis Ecclesiæ, quæ non est [H] perpetua, nec stabilis, nisi vsque ad consummationem sæculi; & hoc est, quod dicitur Apo-

F Hebr. 8.1.2.
G psal. 14.
H psal. 41.

ealy ps. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, ideſt præſens Eccleſia, donec homines erunt in vita iſta: & ex hoc *tranſibo* ad ſtabilem domum Dei, quæ dicitur tabernaculum Hebræorum 9. l. 3. quia eſt locus peregrinorum; non enim debetur nobis ex conditione naturæ, ſed tantùm per gratiam; facitque Pſalm. præfatus etiam, & Iſaias c. 32. *in tabernaculis fiducia*.

Præterea dicitur Eccleſia tabernaculum; (ita D. Ioannes in Apocalypſi) quia ad honorem Dei militat contra vitia, & contra hoſtes fidei; & in ea Deus ſicut in tabernaculo [I] habitat pugnans pro ſuis [Apoc. 5. comment. 2.]. Et ſimilitudo in his emicat; Manna enim erat in teſtimonium, quòd panem de cœlo dedit eis; tabulæ in teſtimonium quod legem naturalem ſopitam in eis, ſuſcitauerat in ſcripto; virga Aaron in teſtimonium, quod omnis poteſtas eſt à Deo. Iuxta hæc Eccleſia dicitur Tabernaculum teſtimonij; quia in ſe habet humanitatem Chriſti plenam Manna Deitatis; quod eſt teſtimonium diuinæ bonitatis, Eccleſiam paſcentis veriſſimo cibo: Item habet legem nouam ſcriptam in tabulis cordis; quod eſt teſtimonium, diuinæ bonitatis ſimul & veritatis Eccleſiam erudientis cœleſti documento. Item habet poteſtatem ligandi & ſoluendi; quod eſt teſtimonium diuinæ bonitatis, ſimul & poteſtatis extollentis Eccleſiam dignitatis faſtigio. Sed tamen etiam per tabernaculum ſignificatur ſtatus veteris legis, ſicut per templum a Salomone conſtructum, ſtatus nouæ legis: vnde ad conſtructionem tabernaculi ſoli Iudæi ſunt operati; ad ædificationem verò Templi, cooperati ſunt etiam gentiles, ſcilicet Tyrij & Sidonij 1. 2. q. 102. 4. ad 2. Dicitur etiam corpus tabernaculum 2. Petri 1. *velox eſt depoſitio tabernaculi mei*, quia in ipſo, tanquam in bello habitamus contra hoſtes, & modicum manet. Hebræorum 13. lect. 2.

3 Sed quoniam erat tabernaculum primum, & tabernaculum ſecundum, quod poſſet quaſi dici chorus ſacelli, preſſius loquendo per interius tabernaculum duntaxat ſignificabatur Eccleſia triumphans; hinc D. Thomas [L] ſuper illa verba [Mauh. 7.], *Velum Templi ſciſſum eſt*. Notandum (inquit) quòd duplex erat velum in templo ſicut in tabernaculo, quia erat velum intra Sancta Sanctorum, & erat velum, quod erat in Sanctis; & iſta duo duplicem velationem ſignificabant; quia velum interius ſignificabat velationem myſteriorum Cœleſtium quæ nobis velabantur: aliud quod erat exteriùs, ſignificabat velationem myſteriorum, quæ ad Eccleſiam pertinent; vnde illud exterius fuit ſciſſum, alterum non, ad ſignificandum, quòd myſteria quæ ad Eccleſiam pertinent manifeſtabantur per mortem Chriſti; Sed aliud non fuit diuiſum, quia ſecreta cœleſtia adhuc remanent velata: Et ſic 3. p. q. 44. 4. 2. circà paſſionem diuiſum eſt velum, ad oſtendendum reſerationem myſteriorum legis, & 1. 2. q. 103. a. 3. 2. poſt mortem Chriſti totaliter debuerunt ceſſare legalia; in cuius ſignum in paſſione Chriſti velum templi legitur eſſe ſciſſum. Et 2. Cor. 3. l. 3. Chriſtus per mortem ſuam remouit velum de occiſione Agni paſchalis; Et ideò ſtatim cum emiſit ſpiritum, *velum templi ſciſſum eſt*.

Propterea id ipſum alibi tradit dicens [M] per interius tabernaculum ſignificatur vel cœleſtis gloria, vel etiam ſtatus ſpiritualis nouæ legis qui [M p. 2. 102. 4. ad 1.] eſt quædam inchoatio futuræ gloriæ, in quem ſtatum nos Chriſtus introduxit; quod figurabatur per hoc, quòd ſummus ſacerdos ſemel in anno ſolus in Sancta Sanctorum introibat. Et quidem ſic ſentit Apoſtolus Hebræorum 6. dicens de ſpe; *quam ſicut anchoram habemus animæ, tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis*. [N] vbi S. Doctor; Apoſtolus per Sancta [N Hebr. 6. l. 4.], quæ erant in tabernaculo, intelligit ſtatum præſentem Eccleſiæ: ſed per Sancta Sanctorum, quæ per velum diſtinguebantur à Sanctis, intelligit ſtatum futuræ gloriæ; Iſaiæ 64. *oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus* te, Pſalmo 30. *quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Non ſit igitur mirum, ſi ſummus ſacerdos [O] Sancta Sanctorum ingrediens [O Hebr. 9. l. 1.] implebat thuribulum Thymiamate, ita quod ex fumo aſcenderet nebula, quæ operiret Sancta Sanctorum, ne poſſet videri ab ijs qui extrà erant, immò neque Sacerdos, impediente fumo, qui aſcendebat de thuribulo, videbat Sancta Sanctorum; vt expendit S. D. Hebr. 9. l. 5. Et hæc figuraliter. Quæ quidem repetuntur Hebræorum 9. l. 2. à D. Thoma dicente quòd eſt intentio Apoſtoli, vt per Sancta intelligatur vetus lex: per Sancta Sanctorum ſtatus noui teſtamenti, & Cœlum, quia per nouam legem intratur in Cœlum.

Velum quod diſtinguebat Sancta Sanctorum à Sanctis, quatuor coloribus erat [P] diſtinctum [P p. 2. 102. 4. ad 4.]; per quos, materia quatuor elementorum ſignificatur, quæ profectò eſt impedimentum, per quod velantur nobis incorporales ſubſtantiæ; nam illarum ſæculum altius etiam per Sancta Sanctorum diximus deſignari. Itaque in biſſo ſignatur terra, quia biſſus ideſt linum de terra naſcitur: in purpura aqua; fiebat enim purpureus color ex quibuſdam conchis, quæ inueniuntur in mari: in hyacintho ſignificatur aer; quia habet aereum colorem: in cocco bis tincto ignis. Hęc expoſitio literalis, eſt ſecundùm quòd tabernaculum ordinatur ad cultum Dei, ad cuius obſequium, creaturæ etiam inuiſibiles conſurgunt, per interius ſignatæ, & ad quarum ſæculum introductio, noſtra eſt finalis perfectio in ſummo ſacerdote præhabita.

4 Quoniam vero alterum velum erat, per quod exterius tabernaculum diſtinguebatur ab atrio, vt locis citatis ad Hebræos & prima 2. recolit D. Thomas, quod in fine capitis huius Noſter dicit, *tentorium, ante quinque columnas de lignis ſetim*, vbi Chaldæa, *facieſque velum in oſtio tabernaculi ex hyacintho & purpura, & coccino & biſſo retorta, opere polymitarij*; iuuat figuraliter colores eiuſmodi interpretari. Velum itaque ait D. Thomas, [Q] ſignificabat occultationem ſpiritualium ſacrificiorum [Q p. 2. 102. 4. ad 4.], in veteribus ſacrificijs: biſſo quidem erat ornatum ad deſignandam carnis puritatem; purpura ad figurandum paſſiones, quas Sancti ſuſtinuerunt pro Deo; cocco bis tincto, ad ſignificandam charitatem geminam Dei, & proximi; hyacintho denique ſignificabatur cœleſtis meditatio. Intrà hoc velum introibant Sacerdotes quotidie, ſacrificiorum officia conſummantes, vt dicit Apoſtolus Hebræorum 9. non quòd [R] in Sanctis ſacrificarent [R Hebr. 9. l. 2.], quia ſacrificabant ſuper altare holocauſtorum, quod erat ante fores tabernaculi ſub diuo; ſed adole-

tio-

tionem thymiamatis & deuotionem offerentium, vocat sacrificium. Præterea introibat sacerdos quolibet die, propter duo, scilicet ad parandum lucernas, & adolendum thymiama, vt lumen, & bonus odor iugiter esset in Sanctis. Ad literam populus etiam non intrabat in Sancta, quamuis ᵗ ad atrium accederet; quia ipsa corporalia populus percipere potest; ad interiores autem eorum rationes, soli sapientes, (siue sacerdotes) per considerationem attingere possunt. Itaque populus ipse corporalia sacrificia considerabat, quæ in atrio offerebantur; Sacerdotes verò rationem Sacrificiorum considerabant, habentes fidem magis explicitam de mysterijs Christi; quædam enim erant velata populo circà mysterium Christi, quæ sacerdotibus erant nota: non tamen erant eis plenè reuelata, sicut posteà in nouo testamento, vt habetur Ephes 3. (*alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est*, &c.) Quando autem intraret in Sancta Sanctorum summus sacerdos, dicetur Leuitici 16.

p.1.c.k.

5 Quare autem tabernaculum locaretur sic vt adoratio fieret ad occidentem, nam vt c. 38. dicitur, ostium respiciebat ad orientem, exponitur ᵛ sub his verbis; adoratio ad occidentem fuit introducta in lege, ad excludendam idololatriam; nam omnes gentiles in reuerentiam solis, adorabant ad orientem; vnde dicitur Ezechielis 8. quod quidam habebant, *dorsa contra templum Domini & facies ad orientem, & adorabant ad ortum solis*, vnde ad hoc excludendum, tabernaculum habebat Sancta Sanctorum ad occidentem, vt versus occidentem adorarent. Ratio etiam figuralis esse potest, quia totus status prioris tabernaculi, ordinabatur ad significandum mortem Christi, quæ figuratur per occasum, secundùm illud ps. 67. *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*.

p. 1. q. 1. ad

Veruntamen nunc secundum ᵛ quandam decentiam, adoramus versus Orientem; primò quidem propter diuinæ maiestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu cœli, qui est ab oriente. Secundò propter Paradisum qui est in oriente constitutus, vt legitur Genesis 2. secundum literam septuaginta interpretum, quasi quæramus ad paradisum redire. Tertiò propter Christum, qui est *lux Mundi, & oriens* nominatur Zachariæ 6. *& qui ascendit super cælum cæli ad orientem*; & ab oriente etiam expectatur venturus, secundum illud Matthæi 24. *sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque ad occidentem, ita erit & aduentus filij hominis*.

1.2.84. d.1.

6 Quoniam vero, nec tabernaculi, nec Arcæ aut Sanctuarij vlla videntur alicubi extare vestigia, torquebit animos nonnullorum curiositas, quidnam de ijs factum sit. Sanè leguntur 2. Machabæorum 2. capite hæc verba. *Inuenitur autem in descriptionibus Ieremiæ Prophetæ: quòd iussit eos ignem accipere*, &c. & post pauca. *Erat autem in ipsa scriptura quomodo tabernaculum, & Arcam iussit Propheta, diuino responso ad se facto, comitari secum: vsquequò exijt in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem. Et veniens ibi Ieremias inuenit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incensi, intulit illùc, & ostium obstruxit; & accesserunt quidam simul, qui sequebantur, vt notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire*. Vbi D. Thomas ˣ Istud non legitur alibi in Scriptura sacra, quàm hic: De hoc tamen dicit Epiphanius (libro de vita, & interitu Prophetarum p. 7.) *hic est Ieremias, qui templum subuertendum prænoscens*, (quod quidem recolo ego fuisse sub Nabuchodonosore de quo 4. Regum c. 25.) *Arcam testamenti, cum ijs, quæ in eadem erant tulit, & precibus eam fecit absorberi in petram: petram verò digito designans, nomen Dei impressit, & factum est sigillum in similitudinem scripturæ quæ ferro cauatur, & ipsum Domini nomen nubis operimento ita celatum est, vt ex tunc nec locum quis cognoscere queat, nec nomen legere vsque in finem: & pristinæ figuræ instar ignis, & nubis, sæpe illic fit nocturno tempore, apparitio, eoquòd gloria Domini ab eius lege non desinat. Est autem petra illa in Eremi terra inter duos montes, inter quos iacent sepulti Moyses, & Aaron: dixitque Ieremias præsentibus; Dominus de Sion ascendit ad Cœlos, inde cum virtute reuersurus; & erit signum præsentiæ eius quando omnes gentes adorauerint lignum: dixitque quòd arcam hanc nemo poterit producere præter Moysem electum Dei Prophetam. Et tabulas quæ in ea sunt nullus aperiet Sacerdotum, nullusque Prophetarum, nisi electus Dei Aaron; & in prima resurrectione resurget hæc arca, & exibit de petra, & ponetur in monte Sina, & omnes Sancti congregabuntur ad ipsam, regressum Domini expectantes, & vt vitent aduersarium, qui eos fugientes est quæsiturus interimere*; hæc ille. Quæ tamen non sunt concepta Epiphanij verba, sed æquè sonant. Sic absconditam fuisse Arcam meminit Eusebius, de præparatione l. 9 c. vltimo ad finem dicens, (secundum quod scribit Polyhistor) *Nabuchodonosorem, aurum, argentum, æs, cæteraque omnia quæ in templo fuerant, arca excepta, & tabulis, in Babylonem asportasse. Arcam enim Hieremias detinuit*. Vbi autem loci fuerit abstrusa, non exprimit sacer textus, nisi quòd memorat *montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem, & ibi locum speluncæ*. Exponens loco citato 2. Machabæorum c. 2. Sanctus Doctor inquit; montem *Abarim*, scilicet, Numeri 27. & Deuteronomij 34. Sanè legitur in Numeri c. 27. & Deuter. 32. *dixitque Dominus ad Moysen, ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filijs Israel*: legunt Septuaginta, *ascende in montem, qui est contrà Iordanem*. Verùm quoniam Deuteronomij 34. dicitur, *ascendit ergò Moyses de campestribus Moab, super montem Nebo in verticem Phasga contra Iericho*, recolendum est habere Abarim iuga plura, vt est Nebo, Phasga; vnde nulla est dissonantia.

X Machabæor. 2. c. 2.

Quod insurgit hic dubium, est de arcæ restitutione, num scilicet reuersis de Babylone 7
Iudæis reædificato Templo, fuerit iterum visa, & quidem rem istam abundè satis pertractat Maluenda eruditissimus noster, in eam pronus sententiam, fore, vt lateret Sanctuarium eiusmodi, vsque ad postrema Mundi tempora, quando ad reuocandos Iudæos ad veram fidem, ministerio Angelorum veniet in medium: Videri potest l. 11. de Antichristo, c. 12.

Hanc ego opinionem laudo, tueorque prò virili, quia & Diui Thomæ. Et sanè in 2. Machabæorum cit. c. 2. legitur ignotum fore locum illum speluncæ, vbi miraculosè trusa

est,

est *donec congreget Deus congregationem populi*, scilicet, vt ibi inquit, perfecta congregatione, quæ erit post Antichristum: illam enim quando reuersi sunt de Babylonia non habuerunt perfectam: Hæc S. Doctor; & certè, pauci cum tribu Iuda, & Beniamin vltrà Leuitas, comparatione ad ingentem decem tribuum numerum, quæ illic tunc remanserunt, venerunt Ierusalem: vnde congregationi illi non plene congruit, quod hic promittitur, quin potius de illo reditu, alia loquitur Ieremias phrasi dicens, ex ore Dei c. 3. *assumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione*. Nec populorum nomine Iudæos dumtaxat intelligi quispiam asseuerabit: potius cum in vnum tandem ouile reducentur nobiscu, congregationem populi consandam esse videtur. Addo ex præfato Ieremiæ testimonio, tunc non apparuisse Arcam, imò, *non dicent vltrà: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltrà*. Tantùm abest igitur, vt reædificato sub Neemia templo viderint arcam, quin potius obliuioni tradendam propheticè legimus. Et certè mirum esset, si tunc è latebris emersisset Arca, quam tanti faciebant, nec verbum legi in Esdra, de tam felici, ac miraculoso euentu.

Deinde, si illam Dei munere tunc temporis recoluissent, certè deuotiùs, & accuratiùs eam, tanquam fidei, & securitatis asylum, custodiendam curassent; sic vt intacta vsque ad Antiochi desolationem peruenisset. Atqui legimus Machabæorum 1. c. 1. pleraque ad tabernaculum pertinentia ab impio illo comminuta fuisse; capite 4. ibidem renouata: de arca verò nec verbum: argumento est inibi non extitisse. *Et intrauit in sanctificationem* (en textus) *cum superbia, & accepit Altare aureum, & candelabrum luminis & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & ornamentum aureum, quod in faciem templi erat, & comminuit omnia*: in tam exacta sacrorum recensione, nec meminit arcæ: quare? de tam sacro sancto oraculo nihil dicitur? neque enim potuissent Antiocho celare: igitur vt tantum nefas tantamque iacturam possent posteri cum lacrymis recogitare illata iniuria non debuit subticeri. Deinde c. 4. post diram eiusmodi deuastationem *ædificauerunt Sancta* (vix Sancta Sanctorum vltrà appellitabant, eo quòd non adesset ibi cum Arca diuinum propitiatorium,) *& quæ intrà Domum erant intrinsecus, & ædem, & atria sanctificauerunt. Et fecerunt vasa sancta noua, & intulerunt candelabrum, & altare incensorum, & mensam in templum*: (vtique noua, quia Antiochus comminuerat) De arca nil dicitur: signum equidem manifestum illius irreparabilis, donec congreget Deus populum, subductionis.

Adstipulatur Ioseph lib. 7. Belli c. 24. qui Titi triumphum describens, quando è Hierosolymis rediit onustus sacrorum furtis, de arcæ asportatione nil recolit. Imò lib. 4. c. 6. cum de Templo ab Herode instaurato loquitur, stat pro nobis, & satis fide dignus quia ibi Sacerdos. *Intima verò* (inquit) *templi pars viginti cubitorum erat: discernebatur autem similiter velo ab exteriore, nihilque prorsus in ea erat positum: inaccessa verò & inuiolata, & inuisibilis omnibus habebatur, Sanctique*, addit, *Sanctum vocabatur*. Fecerant instar tabernaculi & in templo sacrum antonomasticè sacellum, atqui in eo nihil erat. Ezechielis 33. *omnis finis eius in circuitu Sanctum Sanctorum est*.

Et si obiectet quis, ab Ieremia non solum arcam, sed & tabernaculum, & altare aureum fuisse hianti rupe contecta: quare si Antiochus potuit altare aureum euertere, iam hoc, & consecrariò emerserat arca ipsa. Occurritur, eiusmodi Altare cùm cæteris potuisse de nouo per Zorobabelem construi; non sic autem ausos esse Arcæ iterum facere similitudinem, cùm ne quid in ea locarent offerretur, ob tanti oraculi sanctitatem: perterritos fortè etiam Diuina apud Ieremiam 3. citato capite inhibitione; *nec fiet vltrà*. Noui, hoc ex textu plerisque significari legalium extinctionem, quæ post Christum futura erat. Arca enim fuit potissimum legis veteris fulcimentum: sed literam literaliter Iudæi secuti, ne diuino contrairent nutui, contenti fuere, quæ in priori tabernaculo præextiterant reficere; Arcam in voto dumtaxat venerari. Sub dubio relinquit Canus l. 2. 2. 11. ante medium §. ad sextam, (quam proposuerat rationem contrà libros Machabæorum anteriori cap. 10.) an prodierit Arca redeuntibus in Iudæam Hebræis post captiuitatem Babylonis, vel potiùs in conuersione Iudæorum ante Iudicij diem, id miraculi futurum sit: Nec tamen improbat Ruperti sententiam, vt figuratè de arca noui testamenti, idest de humanitate Iesu Christi, permulta respectiuè intelligi possint.

Scio equidem nonnulla in contrarium produci; quæ ne ignoremus collegi. Durandus in suo Rationali diuinorum l. 1. c. 2. inquit, tempore Siluestri Papæ positam fuisse Arcam testamenti, asportatam de Ierusalem à Tito, in lateranensi Basilica, quam construxit Constantinus. Sed aio ego, quomodo de Arca solicitus fuit primò Titus, deinde Pontifex, & non de contentis in arca saltem de tabulis legis, quæ summo debuissent haberi in honore? Sed dices ex Domino Iosepho Stephano Oriolensi Episcopo in libros Machabæorum apud Maluendam, præfato l. 11. c. 12. ligna quædam vetustissima in templo Lateranensi videri, quæ, vt fama refert, ex Arca Domini remanserunt, cum inter triumphandum illam Titus abduxit Romam. Et præterea ex Historico Gallo habetur in Vrbe Senonensi apud Gallias, partem virgæ Moysi repertam, tam multa miracula edidisse, vt Rainardi Regis animum in Moysi legem amplectendam impulerint. Respondeo laborare auctorem hunc in æquiuoco; nam Virga Aaronis alia prorsus fuit à prodigiosa virga Moysi, perpetuòque virentem permansisse, vt inquit Tostatus, appendentibus etiam floribus, & fructibus; vt apud Tirinum Numeri 17. non ergo facit ad rem, quod de Mosaica fertur.

Quod verò reliquiæ Arcæ nonnullæ asseruentur Romæ, nisi mendax sit famæ rumor, nisi que sint de mensa panum, aut de Altari thymiamatis, quod iterum extruxerunt Machabæi; fortasse fuerint de typo aliquo, quem, ne viderentur Deo infensi ob illius amissionem apud extraneos, iactabundi confecerant. (Et sic satisfit iterum Durando, vbi supra.) non verò de prisca

illa,

illa, quam Ieremias abſconderat. Sic quippe magiſter Hiſtoriarum Petrus Comeſtor Iudith c. 3. ab Iudæis aliam nouam, inſtar antiquæ potuiſſe fabricari. Et ſanè indecorum nimis videtur, vt etiam in ſanctuarium Sanctuarij permiſerit Deus à ſacrilegis iniji manus; cum tot prodigijs eluxerit, quando à Philiſtijm capta, percuſſit eos plagis multis, ſic vt tandem illam reſtituere Iudæis coacti ſint, vt patet 1. Regum 5. & 6.

Quoniam verò fabrica tabernaculi huius diuini myſtice exponi poteſt, idcircò aliquando S. Doctor eiuſmodi ſenſum tangit: quod ergò litera ſonat rectè aptatur fidelibus. Hinc ad verſum 1. vbi dicit, *decem cortinas de byſſo retorta*; [A] Cortinas, ait S. Doctor, tabernaculi, ideſt ornatus animæ, facies de byſſo retorta, ideſt de operibus pœnitentiæ, Ieiunijs, Orationibus, afflictionibus, & huiuſmodi, & ſic etiam animam facit tabernaculum, in eo quod dicitur pſ. 18. *in ſole poſuit tabernaculum ſuum*, ſcilicet ad ſiccandum per amorem diuinum &c.

A eq. 38. c. 15.

Prætereà ad verſum 4. *anſulas hyacinthinas in lateribus ac ſummitatibus facies cortinarum, vt poſſint inuicem copulari*, inquit in D. Matthæum [B] feciſſe Leui poſt ſuam vocationem conuiuium, inuitaſſeque multos, vt ad Deum traherentur, quia cortina trahit cortinam Exodi 26. Vnde ſignum eſt quòd aliquis firmiter conuerſus eſt ad Dominum quando alios trahit, quos magis diligit. Hoc ipſum repetit Ioannis 1. dicens, quare Ieſus [C] à principio non vocauit diſcipulos; ad quod ait Chryſoſtomus quòd noluit à principio aliquem vocare, antequam aliquis ſpontaneus ei adhæreret per prædicationem Ioannis, quia homines, magis exemplo trahuntur, quam verbis Exodi 26. cortina trahit cortinam. Et ſic etiam quærens, [D] Vtrum aliquis debeat alios inducere ad Religionem intrandam; aſtruens quòd ſic, affert, *ſed contrà* Exodi 26. cortina cortinam trahit; debet ergò vnus homo, alium trahere ad Dei obſequium. Denique ad verſum 23. *& rurſum alias duas, quæ in angulis erigantur*, ſuper illa verba Apocalypſis, *& habebat murum magnum & altum*, & deinceps, qui murus ſtat pro Chriſto, de quo Zachariæ 2. *ego ero ei ait Dominus murus ingens in circuitu: habentem portas duodecim*, per quas intelliguntur Apoſtoli: *& in portis, angulos duodecim*, inquit D. Thomas, [E] per angulos, minores quoſque, & meritis occultiores intelligimus; angulus enim occultationem ſignificat, & duodenarius numerus vniuerſitatem; & adijcit; in figura huiuſmodi poteſt accipi quod in Exodo dicitur c. 26. *fecit ſex tabulas & duas alias per ſingulos angulos tabernaculi retrò, quæ vinctæ erant à deorſum vſque ſurſum, & in vnam compaginem pariter ferebantur*. Iam dixi ſupra ex eodem S. Doctore, per tabulas ex quibus conſtituebatur tabernaculum, figuraliter ſignificatos Chriſti fideles. Ab vno diſce cuncta, quæ allegoricam referre poſſunt hic intelligentiam: ſciaſque hanc ad rem Philocaliæ cap. 1. ſcribere ſic Origenem. *Sed & Tabernaculi conſtructio cum legitur, qui credunt huiuſmodi ſcripta, figuras eſſe occultarum quarundam rerum, ſingula ad tabernaculum pertinentia, ad certa quærunt accomodare: Et quidem dum credunt alicuius rei figuram eſſe tabernaculum, non errant: at dum aptant rationem eius, cuius typus tabernaculum, ad rem certam congruentem ſcripturæ, aliquando aberrant*.

B Matth. 9.

C Ioann. 1. 16.

D 2. 2. 189. 9.

E Apoc. 21. comment. 2.

Exaggerari autem poteſt difficultas, quia ex D. Thoma Iſaiæ 22. multipliciter dicitur tabernaculum. Primò carnalis Concupiſcentiæ quod eſt peccatum. Hebræorum, vltimo; *habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt*. Secundò temporalis, & naturalis vitæ, quod eſt hominis 2. Petri 1. *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*. Tertiò militantis Eccleſiæ, quod eſt pugnantium, Iſaiæ 4. *tabernaculum erit in vmbraculum dies ab æſtu*. Quartò contemplatiuæ, quod eſt quieſcentium pſ. 131. *introibimus in tabernaculum eius*. Quintò cœleſtis patriæ, & viſionis æternæ, quod eſt omnium beatorum Iſaiæ 33. *oculi tui videbunt Hieruſalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod non poteſt transferri*.

Item in pſ. 18. per tabernaculum intelligitur corpus 2. Petri 1. *in ſole poſuit tabernaculum ſuum*. Tabernaculum etiam ſignificat Eccleſiam Apoc. 21. *ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, & Hebræorum 9. l. 4. Tabernaculum; ideſt Eccleſia: vaſa; miniſtri.

CAPVT XXVII.

1 Facies & altare de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, ideſt, quadrum, & tres cubitos in altitudine. 2 Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt, & operies illud ære. 3 Facieſque in vſus eius lebetes ad ſuſcipiendos cineres, & forcipes, atque fuſcinulas, & ignium receptacula, omnia vaſa ex ære fabricabis. 4 Craticulamque in modum retis æneam: per cuius quatuor angulos erunt quatuor anuli ænei, 5 quos pones ſubter arulam altaris: eritque craticula vſque ad altaris medium. 6 Facies, & vectes altaris de lignis Setim duos, quos operies laminis æneis, 7 & induces per circulos, eruntque ex vtroque latere altaris ad portandum. 8 Non ſolidum, ſed inane, & cauum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in Monte monſtratum eſt. 9 Facies & atrium tabernaculi, in cuius auſtrali plaga contra meridiem erunt tentoria de byſſo retorta: centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine. 10 Et columnas viginti cum baſibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis ſuis habebunt argentea. 11 Similiter & in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & baſes æneæ eiuſdem numeri, & capita earum cum cælaturis ſuis argentea 12 In latitudine verò atrij, quod reſpicit ad Occidentem, erunt tentoria per quinquaginta

Infr. 38. 2. 6.

Supr. 10. d. 14.

cubitos, & columnæ decem, basesque totidem. 13 In ea quoque atrij latitudine, quæ re-
spicit ad Orientem, quinquaginta cubiti erunt: 14 in quibus quindecim cubitorum tentoria
lateri vno deputabuntur, columnæque tres, & bases totidem: 15 & in latere altero erunt
tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & bases totidem. 16 In introitu ve-
rò atrij fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, &
bysso retorta, opere plumarij: columnas habebit quatuor, cum basibus totidem. 17 Om-
nes columnæ atrij per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & ba-
sibus æneis. 18 In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquagin-
ta, altitudo quinque cubitorum erit, fietque de bysso retorta, & habebit bases æneas. 19
Cuncta vasa tabernaculi in omnes vsus, & cæremonias, tam paxillos eius, quàm atrij, ex
ære facies. 21 Præcipe filijs Israel vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum,
piloque contusum: vt ardeat lucerna semper 21 in tabernaculo testimonij, extra velum
quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron, & filij eius, vt vsque mane luceat
coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum à filijs Israel.

1 IN hoc capite describitur altare holocaustorum, & atrium tabernaculi; in cuius anterioris partis, dico atrij, medio, erat altare holocaustorum: de quibus etiam infrà c. 38. Atque de altari Ezechielis 43. possuntque de his fusius consuli expositores. De hoc altari præcipue nonnulla recoluntur à D. Thoma. Itaque ait; [A] in atrio verò extra tabernaculum, continebatur altare holocaustorum, in quo offerebantur Deo sacrificia, de ijs quæ erant à populo possessa, & ideò in atrio poterat esse populus, qui huiusmodi, Deo offerebat per manus Sacerdotum: sed ad interius altare, in quo ipsa deuotio & sanctitas populi offerebatur, non poterant accedere nisi Sacerdotes, quorum erat Deo offerre populum. Est autem hoc altare extra tabernaculum in atrio constitutum, ad remouendum cultum idololatriæ; nam gentiles infrà templũ altaria constituebant ad immolandum idolis. Quamquam autem primò factum fuerit altare de terra, Exodi 20. nunc mandat Dominus fieri de ære, quod esset omni populo conspicuum; [B] immò & altare thymiamatis de auro, quod soli sacerdotes videbant, quia facto tabernaculo ad honorem Dei, non erant timendæ occasiones Idololatriæ; nec erat tanta preciositas æris, vt per eius copiam, populus ad aliquam idololatriam prouocaretur. Habuit huiusmodi altare cornua [C] quatuor, vt ex eis penderet craticula, in qua oblata sustentarentur.

A p. 2. 102. 4. ad 6.

B ibi ad 7.

C Hieremiæ cap. 17.

2 Per hoc etiam altare [D] significatur Christus; quia per ipsum oportet nos Deo offerre, virtutum opera, quibus carnem affligimus, quæ offeruntur quasi in altari holocaustorum: vnde & cor iusti dicitur altare, quia in eo immolantur motus bestiales, & in hoc altare dicitur holocausti; sed in quantum sancta desideria in eo igne charitatis cremantur, dicitur Altare thymiamatis, ita ex Apoc. c. 8. vbi etiam exponitur quomodo Christus pro altari stat, & *ante altare*. Et in hoc alibi [E] consentit dicens; altare significat Christum. Veruntamen quoniam Christus ipse etiam per immolata in veteribus sacrificijs figurabatur, altare holocaustorum [F] factum fuit de lignis, quia in ligno moriturus erat, igne charitatis: & in hoc veritas respondet figuræ. Nunc tamen solummodo lapidea fiunt altaria: & competit etiam hoc mysterijs, secundum [G] illud 1. Corinth. 10. *Petra autem erat Christus*; Corpusque Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum: lapis etiam de facili potest inueniri vbique: quod non erat necessarium in veteri lege, vbi fiebat in vno loco altare: Cuius ratio [H] assignatur, ad ostendendum scilicet, quod corporalis cultus in ijs sacrificijs, non propter se erat Deo acceptus: Et ideo compescebantur ne passim, & vbique sacrificia offerrent. Et figuralis ratio esse potest, quia per hoc significabatur vnitas Ecclesiæ vel militantis, vel triumphantis. Similiter ad exclusionem idololatriæ literaliter erat vnitas templi, quia gentiles diuersis dijs diuersa templa constituebant, & ideò vt firmaretur in animis hominum fides vnitatis diuinæ, voluit Deus, vt in vno loco tantùm sibi sacrificium offerretur. Quantum verò ad ea quæ pertinent ad spiritualem cultum, qui consistit in doctrina legis, & Prophetarum, erant in veteri lege diuersa loca deputata, in quibus conueniebant ad laudem Dei, quæ dicebantur Synagogæ; sicut & nunc dicuntur Ecclesiæ, in quibus populus Christianus ad laudem Dei congregatur, & sic Ecclesia succedit in locum templi & Synagogæ; quia ipsum sacrificium Ecclesiæ spirituale est: vnde non distinguitur apud nos, locus sacrificij à loco doctrinæ. Altare huiusmodi de quo hactenus dictum est, erat sub dio, & rationabiliter propter ignem, fumum, & nidorem victimarum. In eo autem soli Sacerdotes comedebant dimidiam hostiæ pro peccato partem, in ipsa die sacrificij. Quod habetur Leuitici 6. Addit autem Philo apud Tirinum ibi c. 5. huius rationem fuisse, ne forsan hac via innotescerent aut euulgarentur offerentiũ peccata, quæ sacerdoti clam aperuerant: [I] non sic autem de hostijs pacificis, quia si erant pro gratiarum actione, tertia pars sacerdotum comedebatur ab ipsis, ipso quidem die, sed vbique in Ierusalem; si vero erat hostia pacifica ex voto ob beneficia sperata; poterat etiam in crastino comedi. Huc autem facit quod ait Chrysostomus; [L] *noluit Dominus pati sub tecto, non in templo Iudaico, ne Iudæi subtraherent sacrificium salutare; ne putares pro illa tantum plebe oblatum; & ideo foras ciuitatem, foras muros, vt scias sacrificium esse commune, quod totius terræ est oblatio, quod communis est purificatio.*

D p. 2. 102. 4. ad 6.

E 3. p. 83 3. 5.

F 1 p. 46 4. 1.

G 1. p. 83. ca.

H p. 2. 102. 4. ad 3.

I p. 2. 102. 3. ad 8. & 10.

L 3. p. 46. 10. ad 2.

3 AD VERSVM XXI. *Perpetuus erit cultus per successiones eorum à filijs Israel*; recolendus est Augustinus contrà Faustum, qui cessationem veteris sacrificij, & sacerdotij profunda veritate tuetur; sicut sapiens [M] inquit dispen-

M Hebr. c. 1.

satot

ſator vna, & eadem diſpoſitione, & prouidentia, ſecundùm diuerſitatem temporum, & perſonarum dat alia, & alia præcepta: ſicut & alia hyeme, alia æſtate; alia pueris, alia ſenibus; alia perfectis, alia imperfectis; & tamen eſt eadem prouidentia: ita diuina prouidentia immobili permanente, mutata eſt propter mutationem temporum; quia ante aduentum debuerunt dari præcepta quę figurarent venturum, ſed poſt aduentum quæ ſignificent veniſſe. Item data ſunt illis præcepta ſicut pueris: in nono verò ſicut perfectis, vnde lex dicitur *pædagogus*, quod eſt propriè puerorum; vnde ſi in lege dicitur aliquid quod ſonet perpetuitatem, hoc eſt ratione figurati.

Sic Apoſtolus in eodem capite locutus de Melchiſedech ait, *aſſimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum*; vbi D. Thomas, [N] quia figuratum eius, ſcilicet ſacerdotium Chriſti, in perpetuum eſt: vnde & in ſcriptura pluries repetitur: ritu perpetuo; Exodi 27. *cultus perpetuus erit*; Leuitici 24. *cultu rituque perpetuo*; quia illud quod figurabatur per iſtud, perpetuum erat. Vnde & idem Apoſtolus adiecit,

N Hebr. 7. l. 1. in fine.

reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Sed obijcit ibi D. Thomas; non reprobatur niſi malum, Iſaiæ 11. *vt ſciat reprobare malum*: illud autem mandatum non eſt malum, Rom. 7. *lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum*. Et reſpondet, [O] quòd non erat malum ſecundùm ſe, ſed vt inconueniens tempori; non enim ſeruanda ſunt in nouo ſacerdotio, quæ fuerunt in antiquo Pſ. 39. *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti*. Et tù adde ex Ezechiele; *ergo & ego dedi ei præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent*; quod quomodo poſſit intelligi habes ex iis quæ D. Thomas ediſſerit loco citato. Et videantur quæ dicta ſunt in Geneſin c. 17.

O Hebr. 7. l. 1.

Moraliter, altare holocauſtorum eſt fides pura, doctrina, [P] & conuerſatio bona Chriſti miniſtrorum. pſalm. 33. *altaria tua Domine virtutum*, &c. quaſi dicat, ò quàm ſancta, quàm ornata, quàm delecta debent eſſe ſanguinis Chriſti vaſa! & ſignificat ex gloſſa vitam iuſtorum, qui carnem ſuam quotidie crucifigunt cum vitijs, & concupiſcentijs, atque in hoſtiam Deo viuentem offerunt; Rom. 12.

P op. 51 29.

CAPVT XXVIII.

1 APplica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs ſuis de medio filiorum Iſrael,
vt ſacerdotio fungantur mihì, Aaron, Nadab: & Abiu, Eleazar, & Ithamar.
2 Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem. 3 Et
loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron,
in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. 4 Hæc autem erunt veſtimenta, quæ facient: Rationale,
& ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, cidarim & balteum. Facient veſtimenta
ſancta fratri tuo Aaron, & filijs eius, vt ſacerdotio fungantur mihi. 5 Accipientque aurum,
& hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum. 6 Facient autem
ſuperhumerale de auro, & hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta,
opere polymito. 7 Duas oras iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum
redeant. 8 Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, &
purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta. 9 Sumeſque duos lapides onychinos, &
ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael: 10 ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero,
iuxta ordinem natiuitatis eorum. 11 Opere ſculptoris, & cælatura gemmarij, ſculpes eos
nominibus filiorum Iſrael, incluſos auro atque circundatos: 12 & pones, in vtroque latere
ſuperhumeralis, memoriale filijs Iſrael. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino
ſuper vtrumque humerum, ob recordationem. 13 Facies, & vncinos ex auro, 13
& duas catenulas ex auro puriſſimo ſibi inuicem cohærentes, quas inferes vncinis. 15 Rationale
quoque iudicij facies opere polymito iuxta texturam ſuperhumeralis ex auro, hyacintho,
& purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta. 16 Quadrangulum erit, & duplex:
menſuram palmi habebit tam in longitudine, quam in latitudine. 17 Poneſque in
eo quatuor ordines lapidum: in primo verſu erit lapis ſardius, & topazius, & ſmaragdus, in
18 ſecundo carbunculus, ſapphirus, & iaſpis: in tertio ligurius, achates, & amethyſtus: 20
in quarto chryſolitus, onychinus, & berillus incluſi auro erunt per ordines ſuos. 21 Habebuntque
nomina filiorum Iſrael: duodecim nominibus cælabuntur, ſinguli lapides nominibus
ſingulorum per duodecim tribus. 22 Facies in rationali catenas ſibi inuicem cohærentes
ex auro puriſſimo: 23 & duos annulos aureos, quos pones in vtraque rationalis ſummitate:
24 catenaſque aureas iunges annulis, qui ſunt in marginibus eius: 25 & ipſarum
catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere ſuperhumeralis, quod rationale
reſpicit. 26 Facies & duos annulos aureos, quos pones in ſummitatibus rationalis, in
oris, quæ è regione ſunt ſuperhumeralis, & poſteriora eius aſpiciunt. 27 Nec non, & alios
duos anulos aureos, qui ponendi ſunt in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum, quòd reſpicit
contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari poſſit cum ſuperhumerali, 28 & ſtringatur
rationale anulis ſuis cum anulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina: vt maneat iunctura

fabrefacta, & à se inuicem rationale, & superhumerale nequeant separari. *29* Portabitque
Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicij super pectus suum, quando ingredietur San-
ctuarium, memoriale coram Domino in æternum. *30* Pones autem in rationali iudicij Do-
ctrinam, & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino: &
gestabit iudicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper. *31* Facies, &
tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, *32* in cuius medio supra erit capitium, & ora
per gyrum eius textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur.
33 Deorsum verò, ad pedes eiusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies, ex
hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis: *34* ita vt tintin-
nabulum sit aureum, & malum punicum: rursumque tintinnabulum aliud aureum, & ma-
Eccl. 45. b.11. lum punicum. *35* Et vestietur ea Aaron in officio ministerij, vt audiatur sonitus, quando
ingreditur, & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. *36* Facies, &
laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino. *37* Liga-
bisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram, *38* imminens fronti pontificis. Porta-
bitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificauerunt filij Israel, in cunctis
muneribus, & donarijs suis. Erit autem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit eis Do-
minus. *39* Stringesque tunicam bysso, & tiaram byssinam facies, & balteum opere pluma-
rij. *40* Porrò filijs Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, ac tiaras in gloriam, & deco-
rem: *41* vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo. Et cuncto-
rum consecrabis manus, sanctificabisque illos, vt sacerdotio fungantur mihi. *42* Facies &
feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ, à renibus vsque ad femora: *43* &
vtentur eis Aaron, & filij eius, quando ingredientur tabernaculum testimonij, vel quando
appropinquant ad altare, vt ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legiti-
mum sempiternum erit Aaron, & semini eius post eum.

1 IN hoc capite describuntur vestes Aaron summi Sacerdotis, & aliorum Sacerdotum vulgarium.

Tribus Leui deputata erat diuino cultui: inter ipsos autem [A] soli de stirpe Aaron erant Sacerdotes: ideò autem institutum fuit, vt non sparsim ex quolibet genere ad Dei [B] ministerium applicarentur, sed ex certa prosapia secundùm generis successionem, vt ex hoc clariores haberentur. Ad hoc autem quòd in reuerentia haberentur, adhibebatur eis specialis ornatus vestium, & specialis consecratio, & hæc est in communi causa ornatus vestium: hæc D. Thomas, qui pergens ait.

A Hebr. 7.b.2.
B p. 2. 102. 5. ad 10.

2 In speciali autem sciendum est, quòd Pontifex habebat octo ornamenta; primò enim habebat vestem lineam. Secundò habebat tunicam hyacinthinam: in cuius extremitate versùs pedes, ponebantur per circuitum tintinnabula quædam, & mala punica facta ex hyacintho, & purpura coccoque bis tincto. Tertio habebat superhumerale, quod tegebat humeros & anteriorem partem vsque ad cingulum, quod erat ex auro, & hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & bysso retorta: & super humeros habebat duos onychinos in quibus erant sculpta nomina filiorum Israel. Quartum erat Rationale ex eadem materia factum, quod erat quadratum, & ponebatur in pectore, & coniungebatur superhumerali: & in hoc Rationali erant duodecim lapides pretiosi, distincti per quatuor ordines, in quibus etiam sculpta erant nomina filiorum Israel; quasi ad designandum, quòd ferret onus totius populi, per hoc quod habebat nomina eorum in humeris; & quod iugiter debebat de eorum salute cogitare, per hoc quòd portabat eos in pectore, quasi in corde habens. In quo etiam Rationali mandauit Dominus poni doctrinam & veritatem; quia quædam pertinentia ad veritatem iustitiæ, & doctrinæ scribebantur in illo Rationali. Iudæi tamen fabulantur, quòd in Rationali erat lapis, qui secundùm diuersos colores mutabatur, secundùm diuersa, quæ debebant accidere filiis Israel: & hoc vocant veritatem, & doctrinam. Quintum erat balteus, idest cingulus quidam, factus ex prædictis quatuor coloribus. Sextum erat Tiara, idest Mitra quædam de bysso. Septimum autem erat lamina aurea pendens in fronte eius, in qua erat scriptum nomen Domini. Octauum erant femoralia linea, vt operirent carnem turpitudinis suæ, quando accederent ad Sanctuarium vel altare. Ex istis autem octo ornamentis minores Sacerdotes habebant quatuor, scilicet tunicam lineam, femoralia, balteum, & tiaram. Gentiles in sacris Priapi sua pudenda populo denudabant; idcircò indictus est Sacerdotibus feminalium vsus ad tegmen pudendorum p. 1. q. 102. 4. 7.

Horum ornamentorum quidam rationem literalem assignant dicentes, quòd in istis ornamentis designantur dispositio orbis terrarum, quasi Pontifex protestaretur, se esse ministrum Creatoris mundi. Vnde etiam Sapientiæ 18. dicitur, *quòd in veste Aaron erat descriptus orbis terrarum*. In quo ostenditur debere esse solicitum Prælatum, sicut erat Apostolus pro toto mūdo, 1. Col. a. Femoralia figurabāt terrā, ex qua linū: Balteus oceanū, qui cingit terrā: Tunica hyacinthina aerē: tintinnabula, tonitrua; granata, coruscationes: superhumerale, sua varietate sydereū: Onychini, emisphæria, vel solē & lunā. Gemmæ, duodecim signa in Zodiaco: quæ dicebantur posita in rationali, quia in cœlestibus sunt rationes terrenorum, secundùm illud Iob 38. *Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* Cidaris autem, vel tiara significabat cœlū empyreū. Lamina aurea Deū omnibus præsidentem. 3

Figuralis verò ratio manifesta est, nàm per ornamenta designantur virtutes ministrorum Dei. Sunt autem quatuor quæ sunt necessaria omnibus ministris, scilicet castitas, quæ significatur per femoralia; puritas vitæ, quæ significatur per lineā tunicā: moderatio discretionis, quæ significatur per cingulum: & rectitudo intentionis, quæ significatur per tiaram protegentem caput. Sed præ his Pontifices debent quatuor habere: primò quidem iugem Dei memoriam in contemplatione: & hoc significat lamina aurea habens nomen Dei in fronte. Secundò quòd supportent infirmitates populi; quod significat superhumerale. Tertiò quod habeant populum in corde, & in visceribus, per sollicitudinem charitatis: quod significatur per rationale. Quartò quod habeant conuersationem cœlestem per opera perfectionis; quod significatur per tunicam hyacinthinam. Vnde & tunicæ hyacinthinæ adiunguntur in extremitate tintinnabula aurea, per quæ significatur doctrina diuinorum, quæ debet coniungi cœlesti conuersationi Pontificis. Adiunguntur etiam mala punica, per quæ significatur vnitas fidei, & concordia in bonis motibus; quia sic coniuncta debet esse eius doctrina, vt per eam fidei, & pacis vnitas non rumpatur.

De pertinentibus ad hoc caput nonnulla tradit alibi D. Th. Et quidem in 4. sententiarum [C] Vestes inquit ministrorum designant idoneitatem, quæ in eis requiritur ad tractanda diuina. Et quia quædam sunt quæ in omnibus requiruntur, & quædam quæ in Superioribus, quæ non ita exiguntur in inferioribus, ideò quædam vestes sunt omnibus ministris communes, quædam autem Superiorum tantùm. Feminalibus vtebantur sacerdotes veteris legis, eo tantum tempore quo [D] ad suum ministerium accedebant, in signum castitatis seruandæ in sacrificiorum oblatione. Balteo circa pectus cingebantur, & femoralibus: per [E] primum significatur castitas cordis; per secundum sanctimonia corporis. Sacerdotes veteris legis habebant mitram, quæ erat sicut quoddam galerum [F] vt Hieronymus dicit: Cydaris autem quæ erat signum dignitatis solis Pontificibus dabatur, sicut & nunc mitra. Superhumerale significabat onus Euangelij, [G] vt dicit Beda: nunc autem vtitur sacerdos stola, ad idem significandum.

C 4. 24. 13.

D loc. cit. ad 1.

E Apoc. 16. comment. 1. ante medium.

F 4. cit. ad 1.

G 4. citat. ad 4.

Per tintinnabula significari doctrinam docuerat nedum in 4. supra citato, sed & in psalmo ad illa verba [H] *in fimbrijs aureis*; dicens: per has fimbrias intelligitur doctrina Ecclesiæ, Exodi 28. vbi Dominus mandat, quòd in fimbrijs vestimenti Sacerdotis essent tintinnabula, quorum sonus audiretur; per sonum ergo doctrina designatur. Ad versum 36. vbi de lamina aurea, legit noster *sculpes sanctum Domino*; Septuaginta legunt, *sanctificationem Domini*; Chaldæa, *& sculpes super ea scriptura distincta Sanctum Domino*. D. Thomas in Isaiam [I] ferens hunc locum ait, scriptum erat nomen Sanctum Domini. Itaque concors est sibi dicenti suprà vt vidimus, ea in lamina scriptum nomen Domini. Verùm quoniam multiplici nomine arctæ nostræ cognitioni respondet incomprehensibilis Dei maiestas, vt tradit Hieronymus ad Marcellam: dicitur enim *El*, idest Deus: *Elohim*, idest, Dij: *Elohe*, siue *Elohà*, idest pariter Deus: *tzeuaoth*; idest, virtutum, vel exercituum: *ngelion*, idest excelsum: *Ehieh*, nimirum, *qui est*, Exodi 3. *Adonai*, idest, Dominus: *Iah*, quod in fine dictionis ponitur, vt allelu *ia laudate Deum*, in extremaque syllaba sonat, *Saddai*, idest Omnipotens: de nullo horum interpretantur hunc textum, sed solum de quadrilitero, quod est tetragrammaton ineffabile, quod inquiunt *Iehoua*; & sanè in textu Hebræo siuè velimus patrij, siue datiui casus, *kodes laiehoua*; quod quidem inter cœtera nomina, resque diuinas, erat Sanctissimum.

H psl. 44.

I Isaiæ 3. versus finem.

Subditur; *ligabisque eam vitta hyacinthina*. Quocirca idem Sanctus Doctor, præfato Isaiæ 3. intelligit, de ligamento ad modum retis facto, quo pacto mulieres ligant capillos suos: & consonat Chaldæa dicens, *ponesque eam* (laminam) *super vittam hyacinthinam*. Ex hoc summæ Sanctitatis expressiuo, benè potest cum [L] D. Thoma repeti; cum Dominus Sanctus sit, cum sanctitate vult appropinquari ad eius ministerium: sic legitur hic versu 3. *Aaron sanctificatus ministret mihi*.

L op. 41. l. 3. c. 5.

Vnum superest hoc in capite tantillum ex- 4
pendere. Quoniam enim versu 30. legitur in Hebræo, & secundum Chaldæam, *ponesque in rationali, iudicij Vrim & thumim*, quod noster vertit, *iudicij doctrinam & veritatem*, opinati sunt varij varia de sensu litteræ. Rem istam eruditè de more pertractat Maluenda noster de Antichristo l. 11. c. 11. atqui ego non ipsi assentio, alijs assentienti auctoribus, vt *Vrim & thumim* quid à rationali, atque lapidibus in eo positis distinctum esset, ad futura Reipublicæ diuino aliquo, puta insoliti fulgoris indicio, prænoscenda. Nec ipsis lapillis rationalis, libet miracula istiusmodi comminisci aut forte ascribere, quicquid astruat ibi Iosephus l. 3. Antiquitatum c. 9. Nimia fuisset isthæc familiaritas, Dei & hominum, nec vulgo, decens est promiscuè patuisse prodigia. Quamuis autem illuminationes, inflammationes, & similia, ex *Vrim & thumim* possit transferri; attamen nihilominus vertitur (quod ait Noster) iudicij doctrinam & veritatem, vt etiam opinatores isti fatentur. Igitur à peritia D. Thomæ haud recesserim vsquam: citata supra 1. 2. expressè inquit, quædam pertinentia ad veritatem iustitiæ & doctrinæ scribebantur in illo rationali: parcè loquitur D. Thomas, quia diuinare haud præsumit, vt isti faciunt: subditque; Iudæi tamen fabulantur, quòd in rationali erat lapis, qui secundum diuersos colores mutabatur secundum diuersa quæ debebant accidere filijs Israel: & hoc vocant veritatem, & doctrinam. Nequit fidus tanto magistro quisquis fuerit refragari; nam scripsit, ait Pontifex, sine vllo prorsus errore. De lapidibus hisce pretiosis haud vacat scribere. Vnum memorar, nempe Chrysolithum [M] qui est inquit auro similis, cum quadam specie marini coloris. Nisi alibi, in Apocalypsi vberrimè.

M Danielis 10. ante mediū

CAPVT XXIX.

1 SEd & hoc facies, vt mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, Leu. 9. 1. 2.
& arietes duos immaculatos, 2 panesque azymos, & crustulam absque fermen-
to, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de simila triticea cun-
cta facies. 3 Et posita in canistros offeres: vitulum autem, & duos arietes. 4 Et Aaron,
ac filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cumque laueris patrem cum filijs
suis aqua, 5 indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica, & superhumerali, &
rationali, quod constringes balteo. 6 Et pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam
super tiaram, & oleum vnctionis fundes super caput eius; atque hoc ritu consecrabitur. 8
Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque balteo. 9 Aaron scilicet,
& liberos eius, & impones eis mitras: eruntque sacerdotes mihi religione perpetua. Post- Leu. 1. a. 1.
quam initiaueris manus eorum, 10 applicabis, & vitulum coram tabernaculo testimonij.
Imponentque Aaron, & filij eius manus super caput illius, 11 & mactabis eum in conspe-
ctu Domini, iuxta ostium tabernaculi testimonij. 12 Sumptumque de sanguine vituli, po-
nes super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes iuxta basim eius. 13
Sumes & adipem totum, qui operit intestina, & reticulum iecoris, ac duos renes, & adipem, Leu. 1. a. 3.
qui super eos est, & offeres incensum super altare: 14 carnes verò vituli, & corium, & fi-
mum combures foris extra castra, eò quod pro peccato sit. 15 Vnum quoque arietem su-
mes, super cuius caput ponent Aaron, & filij eius manus. 16 Quem cum mactaueris, tol-
les de sanguine eius, & fundes circa altare, 17 ipsum autem arietem secabis in frusta, lota-
que intestina eius, ac pedes pones super concisas carnes, & super caput illius. 18 Et offeres
totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino, odor suauissimus victimæ Do-
mini. 19 Tolles quoque arietem alterum, super cuius caput Aaron, & filij eius ponent ma-
nus. 20 Quem cum immolaueris, sumes de sanguine eius, & pones super extremum auri-
culæ dextræ Aaron, & filiorum eius, & super pollices manus eorum, ac pedis dextri, fun-
desque sanguinem super altare per circuitum. 21 Cumque tuleris de sanguine, qui est su-
per altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron, & vestes eius, filios, & vestimenta eo-
rum. Consecratisque ipsis, & vestibus, 22 tolles adipem de ariete, & caudam, & arui-
nam, quæ operit vitalia, ac reticulum iecoris, & duos renes, atque adipem, qui super eos
est, armumque dextrum, eò quod sit aries consecrationis, 23 tortamque panis vnius, cru-
stulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu
Domini: 24 ponesque omnia super manus Aaron, & filiorum eius, & sanctificabis eos ele-
uans coram Domino. 25 Suscipiesque vniuersa de manibus eorum, & incendes super alta-
re in holocaustum, odorem suauissimum in conspectu Domini, quia oblatio eius est. 6 Su-
mes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud eleuatum
coram Domino, & cedet in partem tuam. 27 Sanctificabisque & pectusculum consecra-
tum, & armum quem de ariete separasti, 28 quo initiatus est Aaron, & filij eius: cedent-
que in partem Aaron, & filiorum eius iure perpetuo à filijs Israel: quia primitiua sunt, & ini-
tia de victimis eorum pacificis, quæ offerunt Domino. 29 Vestem autem sanctam, qua vte-
tur Aaron, habebunt filij eius post eum, vt vngantur in ea, & consecrentur manus eorum.
30 Septem diebus vtetur illa, qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filijs eius, & qui in-
gredietur tabernaculum testimonij, vt ministret in Sanctuario. 31 Arietem autem conse- Leu. 8. f. 31. 24. b. 9.
crationis tolles, & coques carnes eius in loco sancto: 32 quibus vescetur Aaron, & filij
eius. Panes quoque qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonij comedent, 33 Matt. 12. a. 4.
vt sit placabile sacrificium, & sanctificentur offerentium manus. Alienigena non vescetur
ex eis, quia sancti sunt. 34 Quòd si remanserit de carnibus consecratis, siue de panibus vs-
que mane, combures reliquias igni: non comedentur, quia sanctificata sunt. 35 Omnia,
quæ præcepi tibi, facies super Aaron, & filijs eius. Septem diebus consecrabis manus eo-
rum: 36 & vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum, mundabisque al-
tare cum immolaueris expiationis hostiam, & vnges illud in sanctificationem. 37 Septem
diebus expiabis altare, & sanctificabis, & erit Sanctum sanctorum, omnis qui tetigerit illud,
sanctificabitur. 38 Hoc est quod facies in altari: Agnos anniculos duos per singulos dies Num. 26. a. 6.
iugiter: 39 vnum agnum mane, & alterum vespere, 40 decimam partem similæ consper-
sæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, & vinum ad libandum eiusdem
mensuræ in agno vno. 41 Alterum verò agnum offeres ad vesperam iuxta ritum matutinæ
oblationis, & iuxta ea, quæ diximus, in odorem suauitatis: 42 sacrificium est Domino,

oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonij coram Domi-
no, vbi constituam, vt loquar ad te. 43 Ibique præcipiam filijs Israel, & sanctificabitur
altare in gloria mea. 44 Sanctificabo, & tabernaculum testimonij cum altari, & Aaron
cum filijs suis, vt sacerdotio fungantur mihi. 45 Et habitabo in medio filiorum Israel, ero-
que eis Deus, 46 & scient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de Terra Aegy-
pti, vt manerem inter illos, ego Dominus Deus ipsorum.

VERSVS IV. *Cumque laueris Patrem cum filijs suis aqua.*

Sicut populus instituebatur ad cultum Dei per circumcisionem, ita minister per aliquam specialem [A] purificationem, vel consecrationem: & totum quod circa eos fiebat in eorum consecratione, vel institutione, ad hoc pertinebat vt ostenderetur, eos habere quandam prærogatiuam puritatis, veritatis (nisi legendum sit virtutis, vt ex alio loco infra c. 40. videtur deduci) & dignitatis. Et ideo in institutione ministrorum tria fiebant, primò enim purificabantur: secundò ordinabantur & consecrabantur: tertiò applicabantur ad vsum ministerij. Purificabantur autem communiter per ablutionem aquæ. In his verbis loquitur D. Thomas de purificatione ab immunditia corporali, si quam contraxissent, de qua supra, & infrà, [B] cuiusmodi esset contactus rei immundæ, aut quæuis immunda fragilitatis humanæ infectio. Repetitur hoc ipsum c. sequenti 30. *faciet, & labrum æneum, cum basi sua ad lauandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonij, & altare: & missa aqua, lauabunt in ea Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino.* Literalis huius ratio, erat propter reuerentiam [C] eorum, quæ ad diuinum cultum pertinent; tum quia homines pretiosas res contingere non audent cum fuerint immundi; tum etiam vt ex raro accessu ad sacra, ea magis venerarentur. Hæc de alijs dicta, applicari huc possunt.

A p. 2. 102. 5. ad 8.

B p. 2. 102. 5. ad 4. & 5. & q. 103. 2.

C p. 2. 102. 5. ad 4.

Verùm significat hæc lotio animæ ablutionem: vnde S. Doctor [D] *lauabunt Aaron, & filij eius manus & pedes*, idest opera, & cogitationes aqua compunctionis, & confessionis, *quando accessuri sunt ad altare, ne moriantur.* Ieremiæ 4. *Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias: vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ.* Certè aptissimè per manus; cum sint organum organorum, significantur opera; per pedes, cogitationes; siquidem non mouetur anima pedibus sed affectibus, vt ait Augustinus.

D op. 58. a. 15.

VERSVS X. *Applicabis & vitulum coram tabernaculo*, &c.

Post purificationem corporalem ad consecrationem acceditur, in qua & expiatio pro peccato intenditur. Hoc ergo ordine fiebat consecratio. [E] Primò enim postquàm abluti erant, induebantur Pontifices, & Sacerdotes quibusdam vestimentis specialibus, pertinentibus ad designandam dignitatem ipsorum. Specialiter Pontifex oleo vnctionis in capite vngebatur, vt designaretur, quòd ab ipso diffundebatur potestas consecrandi alios, sicut oleum à capite deriuatur ad inferiora, vt habetur in ps. 132. *sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam barbā Aaron.* Minorū Sacerdotū solæ manus consecrabantur, (de quibus mox) quæ erant applicandæ ad sacrificia. De eiusmodi oleo, capite sequenti ad versum 23. & infrà. Offerebatur autem præ cæteris in consecratione ipsorum vitulus pro peccato, in memoriam remissionis peccati Aaron, circa conflationem vituli. Obseruabantur autem nonnulla in hoc sacrificio quæ non vacant mysterio: & quidem primò imponebant Aaron, & filij eius manus super caput illius, quo ritu, ait Tirinus, significabat Sacerdos, vel quicunque offerens se victimam tradere, quæ ipsius locum subiret. Suo digito ponebat Moyses nonnihil sanguinis super cornua altaris, quod & exprimitur Leuitici 8. & quam ob causam versu 15. *& tincto digito tetigit cornua altaris per gyrum*: quo expiato, & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta eius, iuxtà præceptum, quod hic dat Dominus; *reliquum autem sanguinem fundes iuxtà basim eius.* Effundebatur autem sanguis (quod ait D. Thomas [F] de aspersione) ad detestationem opinionis idololatriæ, in qua sanguis immolatitius non effundebatur, sed congregabatur, & circà ipsum homines comedebant in honorem idolorū. Comburebatur igne, (loquitur de sacrificio vitulæ rufæ Numeri 19. sed accommodari potest ritui præsenti) vel quia Deus Moysi in igne apparuit, (Exodi capite 3.) & in igne data est lex; vel quia per hoc significabatur, quòd Idololatria totaliter erat extirpanda, & omne quod ad ipsam Idololatriam pertinebat. Reliquà extra castra comburebantur, quia pro multitudine peccatorum, illorumque expiatione. Cohæret his, quod ait Apostolus Hebræorum 13. *quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta, horum corpora cremantur extra castra: propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra castra passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra*: quod nectit D. Thomas loco citato ad 6. vbi & ait, contigisse, vt sacrificium combureretur in detestationem peccati; quoties immolabatur pro aliquo graui peccato, vel pro multitudine peccatorum.

E p. 2. 102. 5. 8.

F p. 2. 102. 5. ad 5.

VERSVS XV. *Vnum quoque arietem sumes*, &c.

Offerebatur Aries iste [G] in holocaustum in memoriam oblationis Abrahæ: cuius obedientiam Pontifex imitari debet. Sic Leuitici 16. antequam Aaron ingrederetur sanctuarium, iussus est offerre vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum: quæ recolens sanctus Doctor ait, [H] & quia, sicut dicit Apostolus Hebræorum. 7. *Lex constituit homines Sacerdotes infirmitatem habentes*, oportebat quòd Sacerdos priùs offerret pro se ipso vitulum pro peccato, in commemorationem peccati quod Aaron fecerat, in conflatione vituli aurei: & arietem in holocaustum: per quod significabatur, quòd Sacerdotis prælatio, quam aries designat, qui est Dux gregis, erat ordināda ad honorem Dei.

2
G p. 2. 102. 2. 5. ad 8.

H p. 2. 102. 5. ad 6.

l p. 2. 1. ad. 102. 11.

Nota ex Rabbi Moyse quòd quantò grauius [l] erat peccatum, tanto vilior species animalis offerebatur pro eo: vnde capra, quod est vilissimum animal, offerebatur pro Idololatriâ, quod est grauissimum peccatum: pro ignorantia verò Sacerdotis offerebatur vitulus: pro negligentia autem Principis hircus. Hinc ait Diuus Thomas [L] alibi; vitulus erat hostia sacerdotalis: ex glossa autem Christus in vitulo offertur [M] propter virtutem crucis: & iterum, vitulum offerimus cum carnis superbiam vincimus. Fortè tamen pro Aaron peccato immolabatur vitulus ad literam, ex relatione ad culpam in eo patratam; & in detestationem idololatriæ certè fiebat, quia [N] Ægyptij horrebant occidere boues, quibus vtebantur ad agriculturam, quam inter res sacras habebant. Multitudinem forte videns non posse compescere delirantem, crassa quadam excusationis ignorantia, vitulum eis conflare adorandum absque graui culpa se posse arbitratus est: vndè & populo non fuit creditus communiter reus peccati, vt suo loco dicetur, capite nimirum 32.

L Hebr. 13. l. 2.
M p. 2. 102. 3. ad 2.
N loc. qui supra.

VERSVS XIX. *Tolles quoque arietem alterum.*

3
O p. 2. 102. a. 5. ad 8.

Hic aries dicitur *consecrationis*, [O] qui erat quasi hostia pacifica, in memoriam liberationis de Ægypto per sanguinem agni.

VERSVS XX. *Quem cum immolaueris, sumes de sanguine eius, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum eius, & super pollices manus eorum ac pedis dextri.*

P loco citato.

Minorum sacerdotum solæ manus consecrabantur, quæ erant applicandæ ad [P] sacrificia: & de sanguine animalis immolatitij tingebatur extremum auriculæ dextræ ipsorum, & pollices pedis ac manus dextræ, vt scilicet essent obedientes legi Dei, in oblatione sacrificiorum; quod significatur in intinctione auris dextræ: & quòd essent soliciti, & prompti, in executione sacrificiorum, quod significatur in intinctione pedis, & manus dextræ.

VERSVS XXI. *Cumque tuleris de sanguine, qui est super altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron & vestes eius; filios & vestimenta eorum.*

4
Q loco citato & ad 2. & a. 5. ad 2.
R p. 2. 103. 2. 2. ad 1. & 3. p. 62. 6. ad 2.

Aspergebatur [Q] sic sanguine animalis immolati in memoriam sanguinis agni, per quem fuerunt liberati in Ægypto. Quando enim fuerunt ex Ægypto liberati, præceptum est eis, vt sanguine agni linirent superliminaria domorũ, quasi protestãtes se recedere à ritibus Ægyptiorum, qui arietem colebant, oues & hircos venerabantur, quia in eorum figura dæmones apparebant. Loquens autem alibi de his inquit, [R] sanctificatio sacerdotis, & filiorum eius, & vestium ipsorum, vel quorumcumque aliorum per aspersionem sanguinis nihil aliud erat, quàm deputatio ad diuinum cultum, & remotio impedimentorum ad emundationem carnis. Immunditia huiusmodi nihil aliud erat, quàm irregularitas quædam; vt ait ibi in corpore: pergit ad 1. hanc sanctificationem Apostolus dicit, in præfigurationem illius sanctificationis, qua Iesus per suum sanguinem sanctificauit populum. Sancti nomen secundum latinos potest ad munditiam pertinere, vt intelligatur sanctus quasi sanguine tinctus, eo quod antiquitùs illi, qui purificari volebant, sanguine hostiæ tingebantur, vt dicit Isidorus. Ita 2. 2. quæst. 81. art. 8.

VERSVS XXII. *Tolles adipes de ariete*; &c.

S p. 2. 102. 3. 8. & a. 6. ad 1.

Generaliter obseruabatur, quòd sanguis, & adeps, non veniebant, [S] neque in vsum Sacerdotum, neque in vsum offerentium: sed sanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei, adeps verò adurebatur in igne. Cuius ratio, vna quidem fuit ad excludendam idololatriam: idololatræ enim bibebant de sanguine victimarum, & comedebant adipes, secundùm illud Deuteronomij 32. *de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Secunda ratio est ad informationem humanæ vitæ; prohibebatur enim eis esus sanguinis, vt horrerent crudelitatem: vnde dicitur Genesis 9. *Carnem cum sanguine non comedetis: sanguinem enim animarum vestrarum requiram.* Esus verò adipum prohibebatur, eis ad vitãdam lasciuiam, & voluptatem, vnde dicitur Ezech. 34. *quod crassum erat occidebatis.* Tertia verò ratio est, propter reuerentiam diuinam; quia sanguis, est maximè necessarius ad vitam, ratione cuius dicitur anima esse in sanguine; adeps autem abundantiam nutrimenti demonstrat; ideò vt ostenderetur, quòd à Deo nobis est & vita, & omnis bonorum sufficientia, ad honorem Dei effundebatur sanguis; & adurebatur adeps. Quarta ratio est, quia per hoc figurabatur effusio sanguinis Christi, & pinguedo charitatis eius, per quam se obtulit Deo pro nobis.

VERSVS XXIII. *Tortamque panis vnius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum*, &c.

T p. 2. 102. 5. ad 8.

Panum erant delicatorum genera. Crustulas vocat alibi Hieronymus collyridas. Distinguuntur autem vt ex Leuitico c. 7. colligitur; quòd, lagana in clibano coquerentur: collyrides in sartagine: panes azimi vulgares etiam in clibano. Iubet eiusmodi Deus incendi, in holocaustum, in [T] memoriam Mannæ præstiti populo.

VERSVS XXVII. *Sanctificabisque, & pectusculum consecratum, & armum, quem de ariete separasti*, &c.

V p. 2. 102. 5. ad 8. 2. 2. 95. 5. & op. 25. 3.
X p. 2. 102. 5. ad 5.

De hostijs pacificis in vsum Sacerdotis [V] cedebat pectusculum, & armus dexter, ad excludendum quandam diuinationis speciem, quæ vocatur spatulamantia; quia scilicet in spatulis animalium immolatorum diuinabant, & quibusdam signis, in eis apparentibus, & similiter in osse pectoris, & ideò ista offerentibus subtrahebantur. Per hoc etiam significabatur, quòd sacerdoti erat necessaria sapientia cordis, ad instituendum populum, quod significatur per pectus, quod est tegumentum cordis: & etiam fortitudo ad sustentandum defectus, quæ significatur per armum dextrum. De quibus Leuitici 7. Post consecrationem Sacerdotum supererat ipsorum applicatio ad ministerium, & ideò imponebantur super eorum [X] manus adeps arietis, & torta panis vnius, & armus dexter, vt ostenderetur quòd accipiebant potestatem huiusmodi offerendi Domino.

Figuralis horum ratio erat, quia illi, qui sunt consecrãdi ad spirituale ministerium Chri-

sti, debent primò purificari per aquam baptismi, & laccymarum, in fide passionis Christi, quod est expiatiuum, & purgatiuum sacrificiũ: debent etiam ornari virtutibus, & consecrari oleo Spiritus-sãcti, & aspersione sanguinis Christi, & sic debent esse intenti ad exequenda spiritualia ministeria.

VERSVS XXXVIII. *Hoc est quod facies in altari; agnos anniculos duos per singulos dies iugiter: vnum agnum manè, & alterum vespere.*

5 A ps.28. De tribus generibus animalium [A] fiebat oblatio: de bobus, capris, & arietibus; & super coetera animalia, agnus maximè consuetum sacrificium erat: quia per agnum maximè, & expressiùs figurabatur Christus. Ioannis 1. *Ecce agnus Dei*. Circa quod sciendum (repetit Diuus

B Jo.1.1.14. Thomas) [B] quòd sicut dicit Origenes, in veteri lege consueuerunt quinque animalia offerri in templo; tria de terrestribus; scilicet vitulus capra, & ouis, sed ouium quidèm, aries, ouis, & agnus: de volucribus verò duo scilicet turtur & columba; quæ quidem omnia fuerunt præfiguratiua veri sacrificij, quod est Christus, qui semetipsum obtulit oblationem Deo Ephes. 5. Quare autem Baptista Christo testimonium perhibens agnum specialiter nominauit, est quia sicut dicitur Exodi 29. licet alia fierent sacrificia in templo cæteris temporibus, vnum tamen erat quotidianum, in quo iugiter vnus agnus mane, & alius vespere offerebatur; nec hoc mutabant vnquam, sed tanquam principale obseruabatur; alia vero ex adiuncto: Et ideò per agnum, qui erat principale sacrificium significatur Christus, qui est principale sacrificium: nam licèt omnes sancti, qui pro fide Christi passi sunt prosint ad salutem fidelium, hoc tamen non habent, nisi in quantùm super oblationem agni, quasi oblatio adiuncta principali sacrificio immolatur. Offertur mane & vespere, quia per Christum patet aditus, ad intelligibilia diuinorum contemplanda & fruenda; quod pertinet ad cognitionem matutinam; & instruimur, quomodo vtamur terrenis absque inquinamento; quod pertinet ad vespertinam. Igitur significabatur, [C] quod oblatio agni veri idest Christi, esset sacrificium consummatiuum omnium aliorum; & huiusmodi agni sacrificium erat quasi continuum [D] festum, & repræsentabatur perpetuitas diuinæ beatitudinis, & perpetuitas Christi, qui est agnus Dei; Hebræorum vltimo *Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula*: de quo iterum, Leuitici 23. & Numeri 28. & Apostolus ad Hebræos 10. *& omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans*, & Danielis 12. *cum ablatum fuerit iuge sacrificium*.

C 3.p.22.3.1. D p. 2. 102.4. ad 10.

C A P V T X X X.

1 FAcies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis Setim, 2 habens cubi-
tũm longitudinis, & alterum latitudinis, idest, quadrangulum, & duos cubitos in
altitudine. Cornua ex ipso procedent. 3 Vestiesque illud auro purissimo, tam
craticulam eius, quam parietes per circuitum, & cornua. Faciesque ei coronam aureolam
per gyrum, 4 & duos annulos aureos sub corona per singula latera, vt mittantur in eos ve-
ctes, & altare portetur. 5 Ipsos quoque vectes facies de lignis Setim, & inaurabis. 6 Po-
nesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonij coram propitiatorio, quo
tegitur testimonium, vbi loquar tibi. 7 Et adolebit incensum super eo Aaron suaue fra-
grans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud: 8 & quando collocabit eas
ad vesperum, vret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras. 9 Non
offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem, & victimam, nec libabi-
tis libamina. 10 Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum, in sanguine
quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum san-
ctorum erit Domino. 11 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens. 12 Quando tu- Num. 1. a.2.
leris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Do-
mino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. 13 Hoc autem dabit omnis, qui tran-
sit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media Leuit. 27. c.25.
pars sicli offeretur Domino. 14 Qui habetur in numero, à viginti annis, & supra, dabit Num. 3. g 27.
pretium. 15 Diues non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet. 16 Susceptamque Ezec. 45. d.12.
pecuniam, quæ collata est à filijs Israel trades in vsus tabernaculi testimonij, vt sit moni-
mentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum; 17 Locutusque est Do-
minus ad Moysen, dicens: 18 Facies, & labrum æneum cum basi sua ad lauandum: Po-
nesque illud inter tabernaculum testimonij, & altare. Et missa aqua, 19 lauabunt in ea
Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes, 20 quando ingressuri sunt tabernaculum testi-
monij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, 21 ne
fortè moriantur, legitimum sempiternum erit ipsi, & semini eius per successiones. 22 Lo-
cutusque est Dominus ad Moysen, 23 dicens: Sume tibi aromata, primæ myrrhæ, & ele-
ctæ quingentos siclos, & cinnamomi medium, idest, ducentos quinquaginta siclos, calami
similiter ducentos quinquaginta, 24 casiæ autem quingentos siclos in pondere sanctuarij,
olei de oliuetis mensuram hin: 25 faciesque vnctionis oleum sanctum, vnguentum com-
positum opere vnguentarij, 26 & vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testa-

menti,

menti, 27 mensamque cum vasis suis, candelabrum, & vtensilia eius, altaria thymiamatis, 28 & holocausti, & vniuersam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet. 29
Sanctificabisque omnia, & erunt Sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur. 30
Aaron, & filios eius vnges, sanctificabisque eos, vt sacerdotio fungantur mihi: 31 Filijs
quoque Israel dices: Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. 32
Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. 33 Homo quicunque tale composuerit, & dederit
ex eo, alieno, exterminabitur de populo suo. 34 Dixitque Dominus ad Moysen: Sume
tibi aromata, stacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis
ponderis erunt omnia: 35 faciesque thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum
diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum. 36 Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo
tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. 37 Talem compositionem non facietis in
vsus vestros, quia sanctum est Domino. 38 Homo quicumque fecerit simile, vt odore
illius perfruatur, peribit de populis suis.

1 QVod præcipue dicendum occurrit in capite isto, est de vnctionis oleo Sancto, quod Dominus præcepit per Moysen fieri, ad inungendum ex eo tabernaculum testimonij &c.

Aiunt Hebræi, sacrum istud vnguentum ex varijs pretiosissimis succis, & aromatibus confectum; atque a Moyse, Auctore Deo, confecratum; (quo soli Reges, & sacerdotes vngebantur) maximo miraculo sine diminutione durasse vsque ad captiuitatem Babylonicam, asseruatum, & in Tabernaculo, & in Templo, per annos nongentos: quali prodigio apud Francos ampulla diuinitùs allata ad consecrandos Gallorum Reges, etiam hodie post mille, & centum annos, Rhemis sanctum chrisma suggerit. In secundo autem templo Zorobabelico atq; Herodiano, non fuisse illud, sed aliud, ad eius similitudinem conflatum, æquè affirmant; Sed de miraculoso illo vnguento multa atque miranda tradunt &c.

2 Hebræos verò omni vnguento sacro nunc carere, nec deinceps habituros ad finem vsque mundi, Sanctus Chrysostomus illis exprobrat, dicens oratione tertia contrà Iudæos. *Cùm igitur dicit scriptura, quòd his rebus, nempe sacro oleo, alijsque legitimè initiatus sit Aaron, his purificatus, his sanctificatus, per hæc placauerit Deum: nihil autem horum nunc fiat, neque victima, neque holocaustum, neque sanguinis aspersio, neque olei inunctio, neque adsit Tabernaculum testimonij, neque ad præfinitum dierum numerum sedeatur intùs: profectò palam est, quòd Sacerdos, qui nunc apud istos est, impurus sit ac nefastus, illegitimus ac profanus.* Hæc ex Maluenda de Antichristo lib. 11. c. 10. De inunctione Tabernaculi infrà Leuitici 8.

3 Porrò ante inunctionem Aaron & filiorum eius præmittitur versu 19. *lauabunt Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare.* Hanc ad rem D. Thomas loquens ᴬ de Sacerdote celebrante missam ait; ablutio manuum fit in celebratione Missæ propter reuerentiam huius sacramenti; & hoc dupliciter; primò quidem quia aliqua pretiosa tractare non consueuimus nisi manibus ablutis: vnde indecens videtur, quòd ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus etiam inquinatis. Secundò propter significationem; quia vt Dionysius dicit 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, extremitatum ablutio, significat emundationem etiam à minimis peccatis; secundum illud Ioannis 13. *qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.* Et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc Sacramentum. Quod etiam significatur per confessionem, quæ fit ante introitum Missæ. Et hoc idem significabat ablutio Sacerdotum in veteri lege, vt ibidem Dionysius dicit. Nec tamen Ecclesia hoc seruat, tanquam cæremoniale veteris legis præceptum, sed quasi persanctè institutum, sicut quoddam secundum se conueniens: & ideò non eodem modo obseruatur, sicut tunc; prætermittitur enim pedum ablutio, & seruatur ablutio manuum, quæ potest fieri magis in promptu, & quæ sufficit ad significandam perfectam mundationem; cum enim manus sit organum organorum, vt dicitur 3. de anima, omnia opera attribuuntur manibus; vnde in ps. 25. dicitur; *Lauabo inter innocentes manus meas.*

A 3.p.83. 5.1.

Quoniam vero de altari thymiamatis in principio capitis huius fit sermo, & præcipitur fieri quadrangulum; subditurque *cornua ex ipso procedent*, expedit nectere quod hic dicitur, cum visione Ioannis in Apocalypsi ᴮ *& audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, supple procedentem*, vbi ait D. Tho. Itaque per hoc altare etiam Christus Dominus significatur, quia in ipso, & per ipsum offerre debemus Patri, quicquid volumus esse acceptum, siue sacrificium Orationis, siue alia bona. Hebræorum vltimo; *habemus altare de quo edere*, &c. Hoc altare est aureum propter splendorem Sapientiæ. Coloss. 2. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*: propter eminentiam charitatis intimæ, qua scilicet nos dilexit: aurum enim splendet, & præeminet alijs metallis: similiter sapientia fulget; & charitas, non tantùm fulget, sed etiam omni virtuti præeminet. Ephes. 3. *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Huius altaris cornua sunt prædicatores sancti, per quos debet Christus eleuari, & attolli. Exodi 30. *Facies altare ad adolendum thymiama de lignis Setim; cornua ex ipso procedent.* Item quia debent esse pro Christo mori parati, & ipsius passionem portare in memoria, & affectu; & imitationis effectu effundere

B Apoc. 9. com. 2.

san-

ſanguinem; ſicut in cornibus altaris in lege ponebatur ſanguis, Leuitici 4. (loquitur de altari holocauſtorum.) Hæc autem cornua dicuntur quatuor, propter quatuor, quæ debent prædicari de Chriſto: Duo ſunt diuinæ poteſtatis, ſcilicet Reſurrectio, & Aſcenſio. (Supple, duæ ſunt infirmitatis aſſumptæ, quod, præmittit Angelicus, ſcilicet natiuitas & paſſio). Vel quatuor, propter quatuor modos expoſitionis ſcripturarum, ſcilicet modum hiſtoricum ſiue literalem, allegoricum, moralem, & anagogicum.

CAPVT XXXI.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2 Ecce, vocaui ex nomine Beſeleel
filium Vri filij Hur de tribu Iuda, 3 & impleui eum ſpiritu Dei, ſapientia, & in-
telligentia, & ſcientia in omni opere, 4 ad excogitandum quidquid fabrefieri
poteſt ex auro, & argento, & ære, 5 marmore, & gemmis, & diuerſitate lignorum. 6
Dedique ei ſocium Ooliab filium Achiſamech de tribu Dan: Et in corde omnis eruditi po-
ſui ſapientiam: vt faciant cuncta, quæ præcepi tibi, 7 tabernaculum fœderis, & arcam
teſtimonij, & propitiatorium, quod ſuper eam eſt, & cuncta vaſa tabernaculi, 8 men-
ſamque & vaſa eius, candelabrum puriſſimum cum vaſis ſuis, & altaria thymiamatis, 9 &
holocauſti, & omnia vaſa eorum, labrum cum baſi ſua, 10 veſtes ſanctas in miniſterio Aa-
ron ſacerdoti, & filijs eius, vt fungantur officio ſuo in ſacris, 11 oleum vnctionis, & thy-
miama aromatum in Sanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient. 12 Et locutus eſt Do-
minus ad Moyſen, dicens: 13 Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Videte, vt ſabbatum Supr. 20.
meum cuſtodiatis: quia ſignum eſt inter me, & vos in generationibus veſtris: vt ſciatis, quia b.8.
ego Dominus, qui ſanctifico vos. 14 Cuſtodite ſabbatum meum, ſanctum eſt enim vo- Ezec. 20.
bis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de me- b.12.
dio populi ſui. 15 Sex diebus facietis opus: in die ſeptimo ſabbatum eſt, requies ſancta
Domino, omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. 16 Cuſtodiant filij Iſrael Sabba-
tum, & celebrent illud in generationibus ſuis. Pactum eſt ſempiternum 17 inter me, &
filios Iſrael, ſignumque perpetuum, ſex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & Gen. 1. d.
in ſeptimo ab opere ceſſauit. 18 Deditque Dominus Moyſi, completis huiuſcemodi ſer- 31.
monibus in monte Sinai, duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei. Deut. 9. b.10.

VERSVS II. *Ecce vocaui ex nomine Beſeleel &c.*

1 Hic eligitur à Deo, vt ſit eorum omnium quæ pertinẽt ad tabernaculum, architectus ſupremus executionis. Beſeleel ex D. Thoma in corollario poſt canonicas Epiſtolas, interpretatur *Vmbraculum Dei, vel Vmbraculum diuinum*, & ſignificat Chriſtum Dominum, in quo humanitas quaſi vmbraculum, & tabernaculum (quod nequaquam transferri poterit Iſ. 33.) fuit Diuinitatis: vbi ita vmbrata fuit Diuinitas, vt de ea dicatur illud Iſaiæ 45. *verè tu es Deus abſconditus*, ſcilicet ſub vmbra humanitatis. Sanè, aio & ego, Chriſtus Dominus Eccleſiam, cuius eſt lapis angularis, & fundamentum, architectatus eſt: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* Matth. 16. *Quam acquiſiuit* (Actorum 20.) *ſanguine ſuo; & domum non manu factam* nobis ſua Redemptionis opera, fabrefecit, *in cœlis*; ſiquidem *gratiam & gloriam dabit Dominus*. Cohæret textus, nam ſtatim ſequitur, & *impleuit eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere*. Quis eſt (rogo) iſte niſi Chriſtus? in *quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*. Coloſſ. 2.

VERSVS XIII. *Videte vt Sabbatum meum cuſtodiatis &c.*

Pleraque dicuntur de Sabbato; ex quibus quidem patet præceptum de celebratione ſabbati cæremoniale etiam fuiſſe, vt ſupra dixi ad
Mat. d.17. 18.f.2. caput 20. & obſeruat S. Doctor: [a] vnde ſubditur, *quia ſignum eſt inter me, & vos*, &c. Et ideo poſt eiuſmodi cæremonialia, *completis ſcilicet huiuſcemodi ſermonibus in monte Sinai, dedit Dominus Moyſi duas tabulas teſtimonij*. Itaque eſt

VERSVS XVIII. *Deditque Dominus Moyſi duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei.*

Debuiſſe præcepta decalogi in ſcripturam
redigi propter quatuor præſertim rationes in 3. 2
[a] docemur: Primò quidem, quia per contrariam conſuetudinem peccandi, ratio naturalis in qua ſcripta fuerant, erat obtenebrata. Secundò, quia etſi in aliquibus vigebat ratio naturalis, tamen amor boni in eis deficiebat: vnde per quandam coactionem legis obligatoriæ ad bonum inducendi erant. Tertiò, vt ad opera virtutis non ſolùm natura inclinaret, ſed reuerentia diuini imperij. Quartò, vt magis memoriæ tenerentur, & frequentiùs in cogitatione verſarentur. Quoniam verò præcepta iſta [c] legis naturæ immobiliter permanſura erant, in huius ſignum, tabulis lapideis Deus ea ſcribi voluit. Iubentur quippe ſuper lapides ſcribi verba legis, vt patet Deuteronomij 27. *cumque tranſieritis Iordanem, in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, vt poſſis in eis ſcribere omnia verba legis huius Iordane tranſmiſſo*: quod quidem impleuit Ioſue c. 8.

B 1.17.1. 1. c. & ad Annib. a. 1.

C 3. cit. ad 2.

Verùm ſubditur, *& calce læuigabis eos*. Igitur non par noſcitur durabilitas præceptorum decalogi ac legalium, incruſtatus enim calce lapis, calcem breui excutit; non ſic impreſſa lapidibus obliterantur: *ſcribit in marmore læſus*;

pro-

prouerbium est: quia diù recordatur offensæ. Addi potest etiam duritiem significari animorum: Sic ad illud 2. Cor. 3. *non in tabulis lapideis*, subdit S. D. sicut lex vetus, quasi dicat, non in lapideis cordibus habentibus duritiem, Ezech. 37. *auferam à vobis cor lapideum*; Act. 7. *dura ceruice*, &c. Tu necte illud ps. *nolite obdurare corda vestra*; & Ieremiæ 31. *dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Nota ex 1. 2. q. 28. a. 5. inter effectus amoris poni primùm liquefactionem quæ opponitur congelationi: vnde cordis congelatio vel duritia est dispositio repugnans amori: liquefactio importat quandam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile, vt amatum in ipsum subintret. Quis ignorat legem nouam legem esse amoris, & legis scriptæ tempus fuisse timoris?

3 Quoniam verò eiusmodi legis diuinæ tabulæ, scriptæ sunt digito Dei, colligitur [D] sacram scripturam esse profundam, & obscuram, & plenam multis mysterijs. Hoc ipsum prompsit Diuus Cyrillus Alexandrinus in Euangel. Ioan. c. 3. *pleni* (inquit) *sunt libri Mosaici figurarum quæ ita latent, vt sine magno labore & studio* (addam etiam, gratia Saluatoris) *interpretari rectè non possint*. (Et rursùm in Apologia) *est enim vehementer profũda illius doctrina, etiã illis, qui potissimũ mente valẽt, & diuinas scripturas exquisitè versant, ægrè tanquam in ænigmate, & veluti in speculo cognoscibilis.* Quæ quidẽ obscuritas, (quãquã in necessarijs ad salutem non extet, vnde aiebat Augustinus de doctrina Christiana l. 2. *in ijs, quæ apertè in scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque viuendi, spem scilicet, & charitatem*. Sic D. Thomas 1. p. q. 1. a. 10. ad 1. nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod scriptura per literalem sensum, alicubi manifestè non tradat:) præ cæteris ex amplitudine diuinæ intelligentiæ oritur, quæ literarum aut sensuum nostrorum finitis, angustisque spatijs haud potest definiri; vt apud Iulium Rugerium in primo suorum opusculorum, de Scripturæ Sacræ obscuritate, atque eiusdem interpretatione c. 3. videre est. Et prætereà innuit S. D. ad Galatas 6. l. 3. dici & esse scriptas à Deo, vt hoc scientes, magis obediremus.

D Prologo Isaiæ.

4 Verùm cum digitus Dei memoratur, rapitur animus ad intellectum quoque manus & brachij: in eiusmodi autem locutionibus, in quibus figuratiuè aliquid significatur, non est [E] sensus literalis ipsa figura, sed id quod est figuratum; non enim cum Scriptura nominat Dei brachium, est literalis sensus, quòd in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operatiua. Hoc etiam traditur alibi, [F] ad illa verba, *Si habes brachium vt Deus*; per brachium potentia diuinæ virtutis exprimitur, quo quidem brachio vtitur, & ad sustentationem bonorum, secundùm illud Isaiæ 40. *in brachio suo congregabit agnos*; & ad punitionem malorum secundùm illud Lucæ 1. *fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui*, & Sap. 16. *negantes enim te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt*. Per manum significari potest apptime sapientia, nam legitur, *omnia in sapientia fecisti*, & iterum, *manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*: per digitum etiam, non incongruè videtur posse intelligi bonitas, ac dulcedo operandi, quæ enim digitis facimus ait D. Thomas in Psalm. [G] *subtilia opera sunt*. Cùm ergo sit apud Theologos in confesso Patri appropriari potentiam, Filio sapientiam, bonitatem Spiritui-Sancto, non abs re fuerit, hic per digitum Dei, eandem Spiritus-sancti Personam accipere. Quod quidem probans ipse D. Thomas ait, [H] *Lex est à Spiritu Sancto data, qui digitus Dei dicitur in scripturis*: sicut & filius manus appellatur [I] iuxta illud Ps. 143. *Emitte manum tuam de alto*: & Deut. 32. *Leuabo in cælum manum meam*. Sanè per ipsum *omnia facta sunt*. Ex quo videtur per brachium intelligi Patrem.

E p. p. q. 1. 10. ad 1.

F Iob 40. l. 1.

G ps. 8.

H Rom. 7. l. 1.

I Ierem. 16. & ps. 16.

Non me latet filium vnà simul apud Sanctos Patres significari per manum, & brachium. Isaiæ 51. *induere fortitudinem brachium Domini*: vnde Cyrillus in libro Thesaurorum [K] ait; *sicut brachium, & manus naturaliter à corpore innatum, & propagatum existit, & à manu naturaliter fluit digitus, ita à Deo Patre naturaliter filius, brachium & manus eius generatiuè, oriuntur. Deus de Deo, & ab ipso filio tanquam à naturali manu Patris, naturaliter producitur profluens Spiritus-Sanctus Dei digitus.* Sic idem Cyrillus (in catena D. Thomæ Lucæ 10.) *Spiritus-Sanctus dicitur digitus Dei; filius enim manus & brachium Patris dictus est; operatur enim Pater cuncta per eum. Sicut igitur digitus non est alienus à manu, sed ei naturaliter insitus, sic Spiritus Sanctus consubstantialiter connexus est filio, & per eum omnia filius operatur*. Et Ambrosius; *Nec tamen tibi membrorum compactione nostrorum, portio quadam videatur facienda virtutis; indiuidua enim rei. non potest esse diuisio: & ideò ad formam vnitatis, non ad distinctionem potestatis referenda digiti nuncupatio est.*

K op. 12. 5 item distinctio

C A P V T X X X I I.

Act. 7. e. 40. 1 VIdens autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses,
congregatus aduersus Aaron, dixit: Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de Terra Aegypti, ignoramus quid
acciderit. 2 Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, &
filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. 3 Fecitque populus, quæ iusserat, deferens
Psal. 105. d. 19. inaures ad Aaron. 4 Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.
5 Quod cum vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens:

Cras

Cras solemnitas Domini est. 6 Surgentesque mane, obtulerunt holocausta, & hostias
pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. 7 Locutus est au- 1.Cor.10.
tem Dominus ad Moysen, dicens: Vade, descende: peccauit populus tuus, quem eduxi- b.7.
sti de Terra Aegypti. 8 Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis: feceruntque sibi vi- Deut.9.b.12.
tulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dij tui
Israel, qui te eduxerunt de Terra Aegypti. 9 Rursumque ait Dominus ad Moysen: Cer- 3. Reg. 12.g.28.
no, quod populus iste duræ ceruicis sit: 10 dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, Infr.33.a.3.
& deleam eos, faciamque te in gentem magnam. 11 Moyses autem orabat Dominum
Deum suum, dicens. Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem edu- Deut.9.c.11.
xisti de terra Aegypti, in fortitudine magna, & in manu robusta? 12 Ne quæso dicant Psal.105.
Aegyptij: Callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira b.23.
tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. 13 Recordare Abraham, Isaac, & Israel Num.14.c.13.
seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum Gen. 12.
sicut stellas cęli: & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & b.7.& 15.
possidebitis eam semper. 14 Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fue- b.7.& 48.c.16.
rat aduersus populum suum. 15 Et reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas
testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, 16 & factas opere Dei: scripturà quo-
que Dei erat sculpta in tabulis. 17 Audiens autem Iosue tumultum populi vociferantis,
dixit ad Moysen: Vlulatus pugnæ auditur in castris. 18 Qui respondit: Non est clamor
adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem can-
tantium ego audio. 19 Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros: ira-
tusque valde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis: 20 arripiens-
que vitulum quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in
aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel. 21 Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic po-
pulus, vt induceres super eum peccatum maximum? 22 Cui ille respondit: Ne indigne-
tur dominus meus: tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum: 23 dixerunt
mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de Terra
Aegypti, nescimus quid acciderit. 24 Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tu-
lerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egressusque est hic vitulus. 25 Videns
ergo Moyses populum quod esset nudatus (spoliauerat enim eum Aaron propter ignomi-
niam sordis, & inter hostes nudum constituerat) 26 & stans in porta castrorum, ait: Si
quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui: 27 quibus
ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel. Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite
de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & ami-
cum, & proximum suum. 28 Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque
in die illa quasi viginti tria millia hominum. 29 Et ait Moyses: Consecrastis manus ve-
stras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio: 30
Facto autem altero die: locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum:
ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro. 31 Re-
uersusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, fece-
runtque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, 32 aut si non facis, dele me de li-
bro tuo quem scripsisti. 33 Cui respondit Dominus: Qui peccauerit mihi, delebo eum
de libro meo: 34 tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi: angelus meus
præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo, & hoc peccatum eorum. 35 Percussit
ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

IN hoc capite quæ præcipue traduntur sunt de Vituli adoratione, ac de iusta in idololatras vltione.

Descendebat itaque Moyses de monte mense Iulij, qui est quartus mensis [A] ab Aprili, quem Iudæi primum habent. Quod quidem prius dixerat in 4. addens, septima die mensis eiusdem descendisse Moysen fregisseque tabulas propter peccatum vituli conflatilis: habeturque, vt ibi, ex Hieronymo: [B] ideò ieiunabant Iudæi mense illo. Respondent hæc ijs quæ accepit Tirinus infrà c. 40. scilicet 15. die mensis primi, egressos de Ægypto; à qua fluxerunt 50. dies vsque ad legis promulgationem per Angelum in monte. Inde Moyses sex diebus in monte neque intrà nubem: sed mox 40. diebus ieiunus, & intrà nubem, in qua Deus erat: quibus exactis ad vitulum conflatilem descendit.

A 2. 2. 147.1.a.

B 4.15.3. 3.1.24.4.

Mirum autem videtur quomodo tàm turpiter lapsus sit populus, idest [C] quidam de populo in facinus execrandum idololatriæ. Quocircà hic legitur v. 7. *vade, descendes peccauit populus tuus*, [D] quasi non meus, quia me deseruit. Occasio nonnulla fuit exemplum Ægyptiorum, apud quos fuerant, & in eiusmodi vitulo colebāt Iudęi ceu Deū Apin vel Serapin: quēadmodū enim dixi [E] bobus vtebantur ad agriculturam, quam inter res sacras habebant. Ad huius vituli imitationem, suos fecit postmodum vitulos

C 1. Cor. 10.l.2.

D Danie. lis 9.

E p. 102.3.2.

Ieroboam 3. Regum 13. & aliis populus declinasse perhibetur in idololatriam, Amos 5. *Et portastis tabernaculum Moloch Dei vestri, & imaginem* [F] *idolorum vestrorum, Sydus Dei vestri; quæ fecistis vobis.* Dixerunt autem, *fac nobis Deos*; & iterum, *hi sunt dy tui*, ex Augustino in Enchiridio ad Laurentium, plurale pro singulari.

F p.2.98.4.

Ad huiusmodi nefas remouendum (quod suprà tactum est) præcepit Dominus in sacrificia offerri boues & vitulos, quod antea non fecerat. [G] Quodque expressè dicitur Ieremiæ 7. *quia non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcept eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum.* Aliud peccati incentiuum indicat.

G Isaiæ 1. & Ieremiæ 7.

VERSVS VI. *Et sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere.*

In conuiuijs interdum vltrà alias impuritates quas contrahunt, immerguntur homines in grauioribus peccatis, aliquando vsque ad Dei contemptum, etiã propter lasciuiam, [H] ratione absorpta, & à reuerentia diuina abstracta, sicut in Exodo dicitur; *sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*; idest, fornicari vel idolis immolare. Alibi etiam; [I] *& surrexerunt ludere* idest idola venerari, ludendo scilicet coram eis. Et iterum ad illud Apostoli [L] *neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est, sedit populus manducare & bibere*, coram (inquit) idolo, de quo psalmo 105. *& fecerunt vitulum in Horeb & adorauerunt sculptile.* Inepta etiam lætitia deprehenditur esse filia gulæ; quod ait ex hac sacra historia Gregorius relatus 22. q. 167. a. 2. 2.

H Iob 1. 1.2.

I Genesis 21.

L 1. Cor. 10.1.2.

VERSVS XIV. *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat, aduersus populum suum.*

Suprà comminatus fuerat dicens, *dimitte me, vt irascatur furor meus contrà eos, & deleboeos, faciamque te in gentem magnam.* Furor est irà accensa & [M] acrior vindicta: hinc Prouerb. 27. *ira non habet misericordiam, nec erumpens furor.* Et super illa verba ps. 37. *Domine ne in furore tuo*, [N] furor Dei ardet in inferno. Græci furorem dicunt maniam, quasi insaniam. Sic erat acturus Dominus, nisi Moysis Oratio obstitisset. Moyses & Samuel fuerunt [O] efficaces in orando, eoquod de populo soliciti, & pro inimicis exorauerunt: ex magna charitatis dilectione accensa ascendit ad cœlum Oratio.

M Iob 41

N op.58. c.25.

O Ieremiæ 15.

2 Animaduerte, quod quando tota multitudo peccat, est de ea vindicta sumenda, vel quantum ad totam multitudinem, sicut Ægyptij submersi sunt in mari rubro [P] persequentes filios Israel, vt habetur Exodi 14. vel quantum ad magnam multitudinis partem, sicut patet in pœna eorum, qui vitulum adorauerunt Exodi 32. Quandoque verò si speretur multorum correctio, debet seueritas vindictæ exerceri, in aliquos paucos principaliores; quibus punitis, cæteri terreantur: sicut Dominus Num. 25. mandauit suspendi *Principes populi* pro peccato multitudinis. Ex his philosophari licet, ingentem multitudinem peccasse hoc loci; immò videntur peccasse omnes aliquali consensu, vnde & post occisionem aliorum dixit Moyses superstitibus, *peccastis peccatum maximum.* (nisi demas Leuitas aliquot) idcircò si pereuntibus adhuc tot mille, placatus dicitur Dominus, aliquibus fortè æterna pœna donata; quid nisi puniisset? fuit adeò excedens crimen, vt in duriores extremum mortis remedium fuerit adhibendum; ne impunitas, ruinæ esset occasio.

P 2. 2. 108.1.5.

3 D. Athanasius [Q] inducit de Iudæorum parentibus, qui primò quidem contrà Moysen contenderunt, propter defectum aquæ & panis, & hoc Dominus sustinuit patienter, habebant enim excusationem ex infirmitate carnis, sed postmodum grauius peccauerunt, quasi blasphemantes in Spiritum-Sanctum, beneficia Dei, qui eos de Ægypto eduxerat, idolo attribuentes, cum dixerunt: *hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*: & ideò Dominus & temporaliter fecit eos puniri, quia *ceciderunt in die illa, quasi tria millia hominum*: & in futuro, eis pœnam comminatur dicens (versu 34.) *ego autem in die vltionis, visitabo & hoc peccatum eorum.* Constanter id ipsum docet infrà; [R] peccatum idololatriæ non fuit punitum illa pœna, quasi sufficienti, sed in posterum pro illo peccato grauior pœna reseruabatur; dicitur enim Exodi 32. *ego autem in die vltionis visitabo hoc peccatum eorum.*

Q 2. 2. 14.3.

R 2.2.97. 4.1.

4 Noluit autem Dominus eiusmodi peccatum impunitum omninò dimittere iustis de causis. Primò, quia id grauissimum [S] est omnium peccatorum. Et vide quomodo id fassus sit Moyses pro populo: *peccauit* (inquit) *populus iste peccatum maximum.* Secundò quoniam iustitia Dei quammaximè exposcit, vt in signum futuri iudicij, [T] Deus etiam in hoc mundo pro peccato aliquos puniat; quod præcipuè obseruatum videtur in principio legislationis, tam nouæ quàm veteris: legimus enim Exodi 32. propter peccatum vituli aurei adorati, multa millia hominum perempta: rursum legitur actorum 5. propter peccatum mendacij & furti, Ananiam & saphiram interijsse. Congruè, aio ego, nam & in terrena Republica id moris est: siquidem si transgressores primi euadant immunes à pœna, cum non sit vnde terreantur cæteri, lex statim contemnitur. Peccarũt statim post legẽ datam [V] eoquod radicem in corde non haberent: quàm laxatis præcipitassent habenis nullo timore coerciti! nimis ad huiusmodi deliramenta erant proni; vnde & comminatur Dominus, (subaudi nisi pœnituerint) vltrà temporalem, qua plexi fuerant, in amicis, in agnatis, & affinibus, in die iudicij particularis aut vniuersalis, æternam vltionem: hoc sonant illa verba in calce capitis; *ego autem in die vltionis, visitabo, & hoc peccatum eorum*: ly *&* alia præsumit peccata, quibus placatum Dominum ingrati prouocauerant.

S 2.2.94. 3.

T 1.Cor. 11.1.7.

V Heb. 8.1.2.

Posset autem quis calumniari eiusmodi interfectionem quasi illicitam, vt pote priuato ense patratam. Atqui occurritur facilè, [X] factum id esse, imperio Domini. Sic sanè animaduerto colligi, ex sacro textu; nam Moysi reuelauerat Dominus, facinus iudæorum antequam de monte descenderet; *vade; descende; peccauit populus.* Et præmittitur *hæc dicit Dominus Deus Israel: ponat vir gladium suum super femur suum.* Ille autem [A] aliquid facit cuius auctoritate fit, vt patet per Dionysium; & ideò vt Augustinus dicit in 1. de Ciuitate Dei; *non ille occidit qui ministerium debet*

X 2. 2. 101.4.1.

A 2.2.64 31.

iuben-

iubenti, sed sicut adminiculum gladius est vtenti: vnde illi qui occiderunt proximos & amicos, ex mandato Domini, non hoc fecisse ipsi videntur, sed potius ille cuius auctoritate fecerunt: sicut & miles interficit hostem auctoritate Principis, & minister latronem auctoritate iudicis.

Hanc occisionem collaudat moriturus Moyses Deuteronomij 33. vbi loquens de Leui ait: *Qui dixit Patri suo & matri suæ, nescio vos: & fratribus suis ignoro illos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* D. Gregorius [a] exponens illud verbum Domini Lucæ 14. *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem, & vxorem, & filios & fratres & sorores* &c. dicit, quòd parentes, quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo nescire debemus: si enim parentes nostri nos prouocent ad peccandum, & abstrahant nos à cultu diuino, debemus quantùm ad hoc eos deserere & odire. Et hoc modo dicuntur Leuitæ suos consanguineos ignorasse &c. De quo, etiam Deuteronomij 9. num. 5.

[a] 2. 2. tot. 4. 1. & Matth. 10. ad finem.

5 Videbitur autem fortasse alicui dissonum, vt huiusmodi de idololatris vltio per manus Leuitarum facta fuerit: clericis quippe in noua lege similia non mandarentur. Respondeo expendens veteris, & nouæ legis discrimen: lex vetus haud dabat gratiam, haud cohibebat animum, haud erat lex amoris, sed lex timoris: itaque ad obseruantiam sui inducebat per comminationem pœnarum, vt fusè supra dictum est, & tradit expressè D. Thomas: [c] sic imperfecti ad meliorem frugem trahuntur: At legis illius ministri erant Leuitæ, non ergo dedecuit, vt per ipsos, sumeret Deus vltionem de idololatris. Tangit hoc S. Doctor; [D] Sacerdotes (inquit) vel Leuitæ veteris testamenti, erant ministri veteris legis, secundùm quam pœnæ corporales infligebantur; & ideò etiam eis occidere propria manu congruebat. Clericis autem committitur ministerium nouæ legis, in qua non determinatur pœna occisionis vel mutilationis corporalis; & ideò vt sint idonei ministri noui testamenti, debent à talibus abstinere. Promittuntur in noua lege [a] spiritualia, & æterna, quæ sunt obiecta virtutis, præcipuè charitatis: vnde præsumitur ex amore operatio; ad quam idoneus minister per se non inducit per pœnam. Ex S. Doctore id elicitur. Mysticè cur id factum sit, Deuter. 33. v. 9. iam hic illa memoratur benedictio.

[c] p. 2. 107. 1.

[D] 2. 2. 64. 4.

[a] 1. p. 2. circa ad 2.

6 Difficultas hoc ex capite non exigua, ad literam surgit. Etsi enim communiter in Vulgata occisi legantur *viginti tria millia:* in hebræo *tria* dicitur, & sic Septuaginta, & Chaldæa. Discrepantiæ scrutati sunt causam expositores, & varia dixerunt. Inter hos, haud est audiendus à Lapide, qui vt vicenarium tueatur numerum, ad scificit Apostolū primæ Corinthiorum 10. dicentem; *& ceciderunt vna die viginti tria millia:* cùm tamen D. Paulus, hos memorans præmittat, neque *fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt*, satis indicans, se loqui de fornicatione secuta cum filiabus Moab, Numeri 25. prout nouit ibi D. Thomas. Tostatus hoc admittens, non inde quiescit animo, animaduertens hanc Epistolam scripsisse Paulum hebraicè, proinde fortiorem subesse quæstionem de dissonantia.

Non me latet, quod suprà retuli ex Diuo Thoma in Iob, fornicationem etiam accipi posse eo ex ludo. Quod opinatus est Tertullianus in libro de ieiunio, quem contra psychichos, idest animales, (sic appellabat factus Montanista ob laxationem Christianos) composuit, referens in sacræ Scripturæ verecundiam, turpitudines honestis verbis innuere. Vnde & Rabbini crassè exponunt ludere pro fornicari. Cuius etiam opiniònis occasio esse potuit, tùm ipsa vitulolatria, cum sit vitulus lasciuus valde, ac libidinosus; tùm ritus antiquior Gentilium, qui in suis ludis, & spectaculis linguæ, ventri, & luxurijs, largè indulgebant. Post solemniorum celebrationem, nonnullus est hodie adhuc superstes vsus, (corruptelam dixerim potiùs) in conuinijs, & epotationibus relaxari, quod noster dolet Hugo, in præsentiarum. Porrò, his datis, non inde deprehenditur Paulus loqui de numero eorum, qui nunc perierunt: iam enim historiam plenè retulerat dicens, sicut scriptum est, *sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*; coram scilicet idolo choros ducendo. Disiungit autem factum in libro Numeri subdens; *neque fornicemur*, &c. Non est autem verosimile, omisisse Apostolum liquidam de fornicarijs vltionem, vt Corinthios moneret de incerta, quam pressè verbum illud *ludere* non importat. In literæ Apostolicæ intellectu consentit & Haymo, quamuis non abnuat fuisse, & hic fornicatos. Præterquam in libro Numeri fuere ex primæua intentione fornicatores, exinde idololatræ: hic in primis vitulolatræ deinde lasciui.

Regredior ergò ad inuestigandam numeri huiusce inconstantiam. Certè apud hebræos co- 7
dices tria millia perhibentur occisa: at quoniam præmittitur affixa litera *Caph*, quæ viginti significat seorsim sumpta, putant plerique potuisse præponi tanquam numeri vicenarij indicem: vbi quoniam ly *tria* non exprimitur arithmeticè, torquebitur adhuc veritatis cupidus, cur id factum sit. Hoc admisso, inquiunt, ex scriptorum inaduertentia annexum fuisse *Caph* sequenti dictioni, & degenerasse in signum similitudinis, vt legatur *quasi* tria millia, & apud vulgatam, retenta illius *Caph* vi vtraque, *quasi viginti tria millia*. Quid factum sit Deus nouerit: ne tamen eant Thalmudistæ glorioli, quasi in latinam irrepserit error, nàm, vt apud Tostatum, ipsimet fatentur, suis in Biblijs scriptorum inertia, quindecim notantur errata: quare potuit è calamo excidere vicenarius numerus, potiùs, quàm negligenter à nostris additus fuerit. Imò cum tota ferme delirasset in vitulo multitudo: ex quo Dominus eos deleuisset sicut patet pariter Deuteronomij 9. *& deleam nomen eius de sub cœlo*: secùs etiam præualuissent fideles, nec Aaron annuisset, credendum est minoribus data venia, de maioribus, de peioribus, qui fuerunt pusillis scandalo, sumptam vltionem: hos autem tàm arcto fuisse in numero difficile est, *quia omnes filij Leui congregati fuerant ad Moysen*: in paucos, non tot Leuitæ assumpsissent gladium. Non potuerunt non esse multa millia fratrum, amicorum, & proximorum dumtaxat, quibus nec parcere debebant; Igitur si addas occisos plures extraneos, excrescat valde numerus necesse est.

Adde, Moysen inspirante Domino vindicaturum, animaduertisse populum, quòd esset nudatus, fortè expoliatum armis ad sui defensionem; signum vtique, plurimos reos mortis fuisse, quos non nisi nudatos aggredi ausus esset.

Hac de re loquens D. Thom. vtramque literam fert indirempta lite: nam 2. 2. quæst. 14. a. 3. in corpore ait *quasi tria millia*, &c. quæst. 97. a. 4. in primo argumento; *interfecti sunt tria millia*. Quæstione verò 64. a. 4. in primo; Moyses enim à Leuitis fecit interfici *viginti tria millia*. Quod quidem quomodocumque fuerit, certum est Dei nutum adfuisse, vt in Leuitas nemo auderet insurgere; neque enim legimus, vel vnum fuisse interemptum.

8 Iratus est valde Moyses, quòd populus tam impiè in idololatriam deuolutus esset, & iustè excandescens tabulas legis confregit; quasi in indomitos nulla ferenda sit lex, quin potius tradi eos expediat in reprobum sensum. Sed forte easdem disiecit tabulas, vt Aaron summum Sacerdotem præfractum animo demonstraret; nec vltra opus esse lege, quando qui eam doceat ex lex est factus. Nec destitit verbis etiam acriùs commonere: vnde ille respondit humiliter, *ne indignetur Dominus meus*, excusationem prætendens nonnullam ex pronitate populi ad malum. Atqui non propterea fuit labis expers; oportebat enim potius generosè mori quàm fœdari.

Certum est, Dominum grauiter aduersum Aaron indignatum; nam vt legitur Deuteronomij 9. *Aduersum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere*; aitque Moyses: *& pro illo similiter deprecatus sum*. Hanc rem tractans D. Thom. in 4. [f] Aaron inquit punitus fuit, quamuis, non pœna manifesta, sicut & populus; F 4. 46. 2. a. 2. q. 2. ad 5. sed occultè propter scandalum vitandum. Pœna autem Aaron dicitur fuisse in ipso & filijs eius, quòd in sacrificio vitulæ rufæ immundi efficiebantur, vt habetur Numeri 19. Augustinus tamen in glossa Exodi 32. hoc, occulto Dei iudicio ascribit, qui quibusdam parcit ad tempus, vt in melius commutentur; alijs punitis. Tu hinc collige, mitiùs cum Aaron, vi precum Mosaicarum actum fuisse; cæterum, non omnino exemptum à pœna, qui non fuit immunis à culpa. Deinde quantùm sit curæ Deo scandalum; ne enim ansam peccandi lapsus Aaron daret populo, non fuit perspicuè illius peccatum damnatum: vulgus facilè excusabat Aaron, quasi inuitus & coactus populo acquieuisset: vnde ne de summo Sacerdote bona hæc opinio periret, haud palam punitur. Disce tandem quàm conferat ad veniam reatus confessio: *peccauit*, ait Moyses, *populus iste peccatum maximum*. Nos ideo, mea culpa, mea maxima culpa consueuimus dicere.

CAPVT XXXIII.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Vade, ascende de loco isto tu, &
populus tuus quem eduxisti de Terra Aegypti, in terram, quam iuraui Abraham,
Gen. 12. b. 7. Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam: 2 & mittam præcursorem tui
Supr. 32. c. 20. angelum, vt eijciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & He-
uæum, & Iebusæum, 3 & intres in terram fluentem lacte, & melle. Non enim ascendam
Ios 24. c. 11. tecum, quia populus duræ ceruicis es: ne fortè disperdam te in via. 4 Audiensque popu-
Deut. 7. d. 21. lus sermonem hunc pessimum luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo. 5 Dixitque
Supr. 32. b. 9. Dominus ad Moysen: Loquere filijs Israel: Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in
Deut. 9. c. 11. medio tui, & delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi. 6 De-
posuerunt ergo filij Israel ornatum suum à monte Horeb. 7 Moyses quoque tollens taber-
naculum, tetendit extra castra procul, vocauitque nomen eius, Tabernaculum fœderis. Et
omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis,
extra castra. 8 Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs,
& stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingre-
deretur tentorium. 9 Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna
nubis, & stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse, 10 cernentibus vniuersis quòd co-
lumna nubis staret ad ostium Tabernaculi. Stabantque ipsi, & adorabant per fores taberna-
culorum suorum. 11 Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet
loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reuerteretur in castra, minister eius Iosue filius
Nun, puer, non recedebat de Tabernaculo. 12 Dixit autem Moyses ad Dominum: Præ-
cipis vt educam populum istum, & non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim
cum dixeris: Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me. 13 Si ergo inueni gra-
tiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante
oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc. 14 Dixitque Dominus: Facies mea
præcedet te, & requiem dabo tibi. Et ait Moyses: Si non tu ipse præcedas, ne educas nos
de loco isto. 16 In quo enim scire poterimus ego, & populus tuus inuenisse nos gratiam
in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificemur ab omnibus populis, qui ha-
bitant super terram? 17 Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod locu-
tus es, faciam: inuenisti enim gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine. 18 Qui ait:
Ostende mihi gloriam tuam. 19 Respondit; Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo

in nomine Domini coram te: & miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi pla- Rom. 9
cuerit. 20 Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me ho- c.15.
mo, & viuet. 21 Et iterum: Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram. 22
Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, do-
nec transeam: 23 tollamque manum meam, & videbis posteriora mea: faciem autem
meam videre non poteris.

1 POtissimè in hoc capite denarratur diuino dialogus inter Deum & Moysen: qui quidem, vt summa vndeqnaque scatet sapientia, sic aciem humani captus exuperat: & nisi præstò sit cœlestis irradiatio, cogitur vel inuitus ad caliginem mentis hærere calamus.

Ne sint autem incredibilia quæ sublatent mysteria Moysi ex fide prænota: perhibetur de illo; *loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. Magna dignatio! Quod qnidem non est intelligendum secundùm corticis superficiem; quasi videret diuinam essentiam. Nam (quod aliàs supra dictum est) secundum Dionysium [A] quarto capite de cœlesti Hierarchia, nullus purus homo, nec in Patribus noui, nec veteris testamenti, accepit aliquam reuelationem à Deo, nisi mediantibus Angelis: cum sit lex inuiolabilis, vt in prima, per media ducantur infima. Et hoc probat per locum a maiori, quia etiam Moyses legem accepit mediantibus Angelis, qui tamen excellentissimè vidit: quod probatur per illud, quod habetur Gal. 3. *lex propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat Deus, ordinata per Angelos in manu mediatoris*; & Actorum 7. *qui accepistis legem in dispositione Angelorum*. Ergo hoc dicitur, inquit Angelicus, propter eminentissimum modum claræ visionis, quo Moyses super alios prophetas vidit. Sic alibi, [B] per visionem faciei intelligitur quædam eminens contemplatio, & familiaris, infra essentiæ diuinæ visionem: qua secreta reuelando & contemplando. Et in Iob, [C] hæc significant frequentem, & diuturnam reuelationem. Quoniam verò phrasis eiusmodi etiam de Iacob Genesis 32. vsurpatur; *vidi Deum facie ad faciem*; iuuat & de illo recolere, [D] non esse intelligendum, quod Dei essentiam viderit; sed quod formam, scilicet imaginariam vidit, in qua Deus locutus est ei: vel quia per faciem quemlibet agnoscimus, cognitionem Dei, faciem eius vocamus, sicut glossa Gregorij ibidem dicit.

A Isaiæ 6.

B p.2.q8. a.2. Apoc ... 1. in appendice c.1.

C Iob 4. l.5.

D 2. 2. ... 5. 1. & 4. sent. ... ad 2.

Sed quæret quispiam, cur tam grandis diuinę maiestatis dignatio in Moysen exprimitur? Respondeo [E] quòd secundum opinionem populi loquitur Scriptura, qui putabat Moysen ore ad os loqui cum Deo, cum per subiectam creaturam, idest per Angelum, & nubem, ei loqueretur & appareret. Hoc ipsum scripserat in 4. sententiarum allegando glossam; [F] subditque ibi; hæc autem locutio potest intelligi fuisse imaginaria, vel corporalis: vnde dicit Augustinus 2. de Trinitate c. 16. *locutio illa quæ fiebat vocibus, sic modificabatur, tanquam esset amici loquentis ad amicum*. Potest etiam intelligi esse intellectualis, secundum quod intelligibilia inspiciebat, per modum quo dicitur in ps. 48. *audiam quid loquatur in me Dominus meus*: & vtroque modo, ostenditur priuilegiata eius reuelatio; in quantum familiaribus cæteris, ei sua secreta reuelauit, iuxta illud Ioannis 15. *iam non dicam vos seruos sed amicos, quoniam omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*: & ideò Deuteronomij vltimo dicitur; *non surrexit vltra Propheta in Israel, quem nosset Dominus facie ad faciem*.

E p.2.q8. 3.2.

F 4. ... q. 3. ad 4.

Deinde alio ex capite tam altè de Moyse sit sermo; quia scilicet imaginatiam visionem [G] quasi ad nutum habebat, non solùm in dormiendo sed etiam in vigilando; non solùm audiens verba, sed etiam videns loquentem, etiam in specie Dei: quod quidem eminentius est, vt ex Rabbi Moyse obseruat S. Doctor loco suprà citato in 4. ad 2. Non ergò aberret quis, opinatus per eiusmodi Moysis exaltationem significari vidisse Deum per essentiam, familiari colloquio; quia quandiù sumus in via, constans est Theologorum dogma, statui nostro impar esse: de quo [H] alibi fusè: vnde ex D. Dionysio 4. cap. cœlestis Hierarchiæ, sic in scripturis dicitur aliquis Deum vidisse, in quantum formatæ sunt aliquæ figuræ, vel sensibiles, vel imaginariæ, secundùm aliquam similitudinem, aliquod diuinum repræsentantes. Et quidem suffragatur Deus ipse Theologiæ Sacræ: siquidem pronunciat hoc in capite, *non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet*.

G 2. 2. 174. 3. & 4.

H p p.12. a.11. & de veritat. q. 10. a. 11. & 3. cont. Gent. 47.

Quocircà, vt pro modulo rem istam assequamur, Moysi petitiones accuratiùs expendi oportet. Igitur versu 12. Dominum suum fiducialiter ac enixè rogat dicens; *præcipis vt educam populum istum, & non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc*. Interpretatio Chaldæa habet; *ostende mihi viam bonitatis tuæ*: Septuaginta, *ostende mihi te ipsum manifestè*. Ex quibus, sicut & ex Domini Responsione, *facies mea præcedet te*, siue iuxta Chaldæam; *maiestas mea ibit*; satis innotescit, Moysen, eo direxisse orationem suam, vt non solùm Angelum haberet ductorem (quod iam Dominus promiserat suprà in calce capitis præcedentis) sed sublimioris alicuius ducatum immò & Dominum ipsum sibi assistentem. Nota quandoque Angelos in persona propria nobiscum agere; quandoque verò gerere vices Dei. Vnde non contentus Moyses diuino præcursu, *facies mea*, in Angelo scilicet, *præcedet te*, adhuc instat, *nisi ambulaueris nobiscum*, nimirum, vt à dextris & à sinistris, & vndequaque ipsius præsidio sit tutus. Dominus autem quemadmodum gaudet rogari, ita clementer exaudit: *& verbum istud quod locutus es, faciam*. Et sic Moysi impletur votum, vt manifestè diuinæ præsentiæ comitatu fruatur, quod est nouisse Dominum, vt exoptabat. Causam autem exauditionis palam declarat dicens,

per quod obsecrauerat Moyses; *inuenisti enim gratiam coram me: & te ipsum noui ex nomine*. Septuaginta legunt, *noui te prater omnes* Chaldæa, *nobiscum*. Quod exponit Angelicus [I] quia illos ex nomine vocamus, quos familiariter cognoscimus: vnde Saluator de Pastore; *vocat eas nominatim*, vt cognitionem, & familiaritatem ostendat. Et in Apocalypsin [L] ait, sonat hoc verbum, approbationem & familiaritatem diuinam: vnde & cap. 3. ibi, *sed habes pauca nomina*; idest paucos bonos, qui digni sunt nomine, quia Deo accepti: ideo diues Lucæ [M] 16. non nominatur, quia non acceptus nec nomine dignus. Huc facit quod traditur de reprobatione, nam eorum non sunt scripta nomina in libro vitæ; non enim [N] est consuetum conscribi eos, qui repudiantur, sed eos qui eliguntur.

I Ioannis 10.l.1. — L Apoc. 13. ante medium comm. 2. — M Apoc. c.3. comment. 2. — N p.p.24. 1.3.

VERSVS XVIII. *Qui ait* (Moyses) *ostende mihi gloriam tuam*.

Sancto ac humili ausu pergit Moyses maiori de gratia exorare Dominum, & gloriam eius sibi exoptat ostendi.

2 Nouerat sine dubio Propheta magnus, quidnam signaret populi sui perrectio in terram promissam, nimirum animarum ad cœlestem gloriam traductionem: ideoque terrena velut fastidiens, illam vel primis labris per transitum prægustare enixe petit. Verùm quia ineffabilia sunt, quæ videntur, gloriæ nomine, quasi indistinctæ significationis voce, ab effectu diuinæ glorificationis, denominat; quid sit, quia *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*, nescire professus: *parasti*, aiebat & Dauid, *in dulcedine tua*: quid autem, subticuit. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*! Suprà in hoc capite dicitur, *& intres in terram fluentem lacte & melle*: Docet Angelicus [O] æternam gloriam lac dici propter facilem absorptionem.

O Isa.28.

Pluribus locis, quæ postmodum referam, huiusmodi Moysis desiderium de beatæ visionis esse fruitione, vel per transitum, docet Diuus Thomas: quibus quidem addo Apocalypsis textum, [P] *& videbunt faciem eius*, quod vna cum præsenti Moysis petitione de Dei facie nectit Angelicus. Benignus & Clemens Dominus nostram ad instructionem, vult diuino responso, quid sit eius gloria priùs pro captu nostro explanare. *Ego*, inquit, *ostendam omne bonum tibi*. Septuaginta habent, *ego praibo prior te gloria mea*: Chaldæa; *ego transire faciam omnem gloriam meam super faciem tuam*. Attigisse magis Noster rem hanc videtur, dum altissima responsione, edocet Dominus nos in Moyse, quidnam sit suprema felicitas quam anxiè suspirat; *ego ostendam omne bonum tibi*. Caligantes etiam Philosophi, tantilla irradiatione tacti, sic eam descripsere: vnde Tullius; *felicitas est, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio*. Alias communiter inquiunt, *est summum bonum*. Et Boetius 3. de consolatione prosa 2. *Est status, omnium bonorum aggregatione perfectus*. Hinc D. Thomas [Q] ostendit ex his verbis Deum esse omnis boni Bonum, iuxtà illud etiam Sapientiæ 7. *venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa*: & prædixerat suprà. [R] Hinc est, quòd cum quæreret Moyses diuinam videre faciem seu gloriam; responsum est ei a Domino, *ego ostendam tibi omne bonum*: per hoc dans intelligere in se omnis boni-

P Apoc. 22. comment. 1. — Q 1.cont. G.c.41. — R 1.cont. G.c.29.

tatis plenitudinem esse. Dum inquit autem, *ego ostendam*: tali prænomine indicat, [S] quomodo ipse solus sufficienter mouere potest voluntatem nostram: vnde neque Angelus sufficienter mouet voluntatem siue vt obiectum, siue vt ostendens obiectum. Vlteriùs etiam solus Deus potest mouere efficienter voluntatem quę fertur in bonum. Quot latent in vna vocula arcana!

S p. 3 106.2.

3 Magna vis etiam facienda est in *ly ostendam*. Legitur, quòd Alexander [T] cum moreretur, vocauit pueros suos, cum quibus nutritus fuerat à pueritia sua, & diuisit illis Regnum suum. Aliter est de Regno Dei, & Mundi; videre enim Regnum mundi, non est habere, Matthæi 4. *Ostendit illi omnia Regna mundi, & dixit ei; hæc omnia tibi dabo*: non dicit; *tibi do*: Sed videre Regnum Dei, est habere illud; Sapientiæ 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei*. Hanc Historiam suo loco recolit [V] dicens. Alexander diuisit Regnum, *idest*, diuidendum innuit; & primò fuit diuisum in quatuordecim portiones: (Magister Historiarum dicit primò fuisse diuisum in duodecim, & eo mortuo in quatuordecim,) & postea ex pugna deuenerunt ad quatuor. Regnum Ægypti tenuit Ptolemæus Lagi filius: secundum Regnum Macedonum tenuit Philippus, qui & Iudæus fuit, frater Alexandri. Tertium Syriæ Babyloniæ; quod habuit Seleucus Nicanor. Quartum Asiæ, quod tenuit Antigonus. Igitur, *ego ostendam omne bonum tibi*. Consonant sacræ Scripturæ alia loca: Iudicum 18. *Vidimus terram valde opulentam, & vberem*. Isaiæ 60. *tunc videbis, & affluens, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum*. Et prius c. 33. *Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam*. & c. 66. *videbitis, & gaudebitis*. Et Apostolus 1. Cor. 15. *erit Deus omnia in omnibus*. Idcirco comparatur cœlestis illa gloria Ciuitati, quæ exposcit habere sufficientiam per se; [X] in vico enim non inueniuntur omnia necessaria; *fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*. & Apocalypsis 21. *vidi Ciuitatem Sanctam*. Non omittitur autem explicatio plenitudinis boni, per remotionem cuiuscunque mali, iuxtà quod Prouerb. 2. legitur, *abundantia perfruetur, timore malorum sublato*, & Augustinus vltimo de Ciuitate Dei; *quanta erit felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum*! & alibi, *ibi erit quicquid voles*. Cum summo bono (ait D. Thomas in 3. cont. G. c. 86.) locum non habet aliquod malum.

T in præfatione Canonic tum. — V 1.Machab.1. — X ps.45.

Bonum quoque plenæ cognitionis rerum signatur in ly *omne bonum*. Oportet igitur, concludit Sanctus Doctor, [A] quòd quilibet videns diuinam substantiam, in ipsa diuina substantia cognoscat omnia, ad quæ se extendit sua capacitas naturalis; capacitas autem naturalis cuiuslibet intellectus, se extendit ad cognoscenda omnia genera, & species & ordinem rerum: hoc igitur quilibet Deum videntium in diuina substantia cognoscet: hinc est quòd Dominus Moysi petenti diuinæ substantiæ visionem, respondit, *ego ostendam tibi omne bonum*, Et Gregorius, *quid est quod nesciant, qui scientem omnia sciunt*. Sic Ieremiæ 31. *non docebit vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo vsque ad maximum*, & Zachariæ 14. *in illa die erit Dominus vnus, & nomen eius vnum*. 4

A 3.cont. G.c.53.

Quam-

Quamuis enim ex 1. p. quæst. 13.3. pluribus nominibus nominemus Deum, propter imperfectionem nostri intellectus, non ita in Patria: quia [B] Dei essentia prout in se vna, erit nobis in Patria cognita. Erit igitur ex hoc perfectissima scientia, quia [C] omnes naturas rerum, & omnem veritatem, & quicquid volemus sciemus. Et sic Augustinus; *habemus vnum Doctorem in cælis, quem semel vidisse totum didicisse est.*

[B Rom. 1.l.6.] [C op. 6. § 15.]

VERSVS XIX. *Et vocabor in nomine Domini coram te.*

Hæc crediderim promere Angelum in persona propria, nam ait, *in nomine Domini*, non ergo tanquam ipse Dominus loquitur; quasi ad æternæ felicitatis mentionem, recolat se vna cum Moyse aliquando in Domini nomine fruiturum; nam gestiunt lætitia, erumpuntque beati illi spiritus in voces exultationis, quoties nos exules, conciues fore suos reminiscuntur. Nisi mauis legere, cum nostra (nam *ly vocabor* translatio est Hieronymi) & Chaldaica, atque Græca *vocabo coram te*: subaudi *plurimos*, ad illam felicitatem *multi enim sunt vocati; quos vocauit*, &c. *in nomine Domini*: hoc est in nomine Christi Iesu filij mei, vt intelligatur loqui cum Moyse Deus Pater in nomine Domini: nàm *Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus*. Et coram te; eo quòd Moyse vidente, mirabilia dignatus est Deus facere; vt in terram promissam, futuræ gloriæ typum perduceret Israel. Ad quod quidem consummatæ redemptionis opus, *vocabor* etiam legi potest, in Dei filij persona, iuxta quod pluribus appellari nominibus dignatus est: vnde Esaiæ 8. *voca nomen eius, accelera, spolia detrahere, festina prædari*. & c. 9. & vocabitur nomen eius, *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.*

5 Sed heu, miserationis huius meritum quis sibi præsumat? subdit hic Dominus, *& miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*. Hanc sententiam fert Apostolus ad Romanos, c. 9. in hæc verba; *Moysi enim dicit, miserebor cui misertus sum, & misericordiam præstabo, cui miserebor; igitur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, & paulo post, (præmisso de Pharaone,) *ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Vbi D. Thomas [D] profundè enucleat mysterium de gratuita prædestinatione, de vsu gratiæ, qui pariter est à Deo; & quòd merita consequentia gratiam nequeunt esse ratio miserendi, aut prædestinandi. Verba eius sunt ista. Alio modo potest intelligi, vt aliquis dicatur dignus misericordia, non propter aliqua merita præcedentia, puta vt dicamus, quod Deus dat alicui gratiam, & proposuit eam ab æterno illi se daturum, quem præsciuit, ea bene fore vsurum: & secundùm hoc intelligit glossa, *quòd miseretur*, cui miserendum est; vnde dicit *miserebor cui misertus ero*, idest illi miserebor vocando, & gratiam apponendo, cui præscius ero, quòd misericordiam daturus essem, sciens illum conuertendum, & apud me permansurum. Sed videtur quòd nec hoc conuenienter dici possit: manifestum est enim, quòd nihil potest poni vt ratio prędestinationis, (puta bonum opus, oratio &c.) quod est prædestinationis effectus; etiamsi accipiatur prout est in Dei præscientia; quia ratio prædestinationis, præintelligitur prædestinationi, effectus autem in ipsa includitur. Manifestum est autem quòd omne Dei beneficium, quod homini confert ad salutem, est diuinæ prędestinationis effectus: diuinum autem beneficium, non solùm extendit se ad infusionem gratiæ, qua homo iustificatur, sed etiam ad gratiæ vsum &c.

[D Rom. 9.l.3.]

Quod quidem docuerat suprà [E] dicens; circà ordinem autem præscientiæ, & prædestinationis, dicunt quidam, quòd præscientia meritorum bonorum & malorum est ratio prædestinationis & reprobationis: vt scilicet intelligatur quòd Deus prædestinet aliquos, quia præscit eos benè operaturos, & in Christum credituros: Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantùm vitam ęternam, quæ datur meritis: Sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno diuinitùs præparatum: vnde eadem ratione, omnia beneficia, quæ nobis confert ex tempore, præparauit nobis ab æterno. Vnde ponere quòd aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cuius præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud, quàm gratiam ponere dari ex meritis nostris: & quòd principium bonorum operum est ex nobis, & consummatio est ex Deo. Et in fine Lectionis: Prædestinatio sequitur dilectionem, sicut voluntas de fine naturaliter præcedit directionem aliquorum in finem. Et paulò post; Et ideò præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio prædestinationis, quia merita præscita cadunt sub prædestinatione. Sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis, in quantùm scilicet Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quæ à se ipsis habent, non à Deo: iustos autem proponit se præmiaturum propter merita, quæ à se ipsis non habent. Oseæ 13. *perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum.*

[E Rom. 8.l.6.]

Concludo cũ ijs quæ loco priùs citato subiecit. Manifestum est, inquit, [F] quòd iustitia distributiua locum habet in ijs, quæ dantur ex debito, puta si aliqui meruerunt mercedem, vt plùs laborantibus maior merces detur; non autem habet locum in ijs, quæ spontè & misericorditer aliquis dat: puta si aliquis duos pauperes in via inueniens, det vni, illud quod potest, vel disponit in eleemosinam dare, non est iniquus, sed misericors. Similiter si aliquis duobus æquè ipsum offendentibus, vni dimittat offensam, & non alteri, est misericors vni, & iustus ad alterum, neutri verò iniquus. Cum enim omnes homines propter peccatum primi parẽtis, damnationi nascantur obnoxij, quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat: & sic quibusdam est misericors quos liberat, quibusdam autem iustus, quos non liberat, neutris autẽ iniquus: Et ideo Apostolus quæstionem soluit per auctoritatem, quæ omnia diuinæ misericordiæ adscribit. Sciendum est tamen, quòd Dei misericordia, secundùm tria attenditur; primò quidem secundùm prædestinationem, qua ab æterno proposuit aliquos liberare. Ps. 103. *misericordia eius ab æterno, & vsque in æternum*. Secundò secundum vocationem, & iustificationem, quibus homines saluat ex tempore Tit. 3.

[F Rom 9. l.3.]

secu-

secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Tertiò magnificando per gloriam, quando liberat ab omni miseria: ps. 102. *qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, & ideò dicit; *miserebor*, scilicet vocando, & iustificando, *cui misereor*, prædestinando, & misericordiam præstando: finaliter glorificando eum, cui misereor vocando, & iustificando: & hic sensus magis concordat cùm nostra litera, quæ dicit *miserebor cui voluero, & clemēs ero cui mihi placuerit*; vbi manifestè non meritis, sed soli diuinæ voluntati ascribitur diuina misericordia, hæc D. Thomas.

VERSVS XX. *Rursumque ait, non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet*.

6 Potest diuinæ vocis pondus geminum reddere sensum; alterum, de quo suprà diximus, quia mortales in hac vita, nequeunt ad claram Dei visionem pertingere; alterum ex D. Dionysio [G] aiente, *de hac supersubstantiali, & occulta Deitate, non est audendum dicere neque cogitare aliquid præter illa, quæ diuinitus nobis ex sanctis eloquijs sunt expressa*: & subdit, *ipsius quidem quicquid est scientia, & contemplatio, omnibus est in via existentibus, sicut ab omnibus supersubstantialiter segregata*: vbi D. Thomas; idest secundùm supersubstantialem Deitatis excessum: ei enim soli competit de se cognoscere quicquid est; & hoc præcipuè videtur sumptum ex hoc quod dicitur Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet*; & 1. Timothei vltimo, *Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Hinc ad illud Matthæi 17. quòd audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, [H] ait S. Doctor, quòd conueniens fuit discipulos voce paterna terreri, & prosterni, vt ostenderetur quòd excellentia illius gloriæ, quæ tunc demonstrabatur, excedit omnem sensum & facultatem mortalium, secundùm illud Exodi 33. *Non videbit me*, &c. certè poterant discipuli cum Iob dicere, c. 26. *& cùm vix paruam stillam sermonum eius audiuerimus, quis poterit tonitruũ magnitudinis eius intueri*? Quod postremum exponitur de cognitione [I] qua prima veritas cognoscetur, non sicut credita, sed sicut visa: *videbimus enim sicuti est*, vt dicitur 1. Io: 3. nec aliquid modicũ de diuinis mysterijs percipietur: sed ipsa maiestas diuina videbitur, & omnis bonorum perfectio, vnde Dominus ad Moysen dixit; *ostendam tibi omne bonum*.

7 Quamuis autem in ly, *facie ad faciem*, non significetur vidisse Moysen clarè diuinam essentiam, vt efficaciter colligit Augustinus 12. super Genesin ad literam, [L] quia paulo post subditur; *ostende mihi gloriam tuam*: vnde sentiebat quod videbat, & quod non videbat desiderabat, nec immediatè à Deo instruebatur: Attamen idem Sanctus Pater Augustinus, loco in eodem sentit, [M] ad videndam ipsam diuinam essentiam peruenisse, sicut Paulus in raptu; vnde inquit, dicitur Numeri 12. *palam, non per ænigmata Deum vidit*; licèt tunc primò [N] negatum illi fuerit. Quod quidem, vt manifestius fiat, largiùs refero Numeri auctoritatem. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata &*

figuras Dominum videt. Vel *gloriam Domini*, [O] ait S. Doctor secundùm Septuaginta: Vbi ostenditur impleta fuisse eius petitio, quam petiuerat Exodi 33. *ostende mihi faciem tuam*, ita quòd ante mortem Deum per essentiam vidit, vt Augustinus dicit 12. super Genesin ad literam, & in libro de videndo Deum: & ideò signanter dicitur *ore ad os loquor ei*. Quod in Exodo dictum non fuerat; quia visio Dei per essentiam, non fit mediante aliquo superiori spiritu, sed ipse Deus immediatè se ostendit; & hoc est loqui *ore ad os*; non enim os corporis, sed os mentis intelligendum est, vt Augustinus dicit.

Congruentiam autem priuilegij huius tangit D. Thomas [P] quia Moyses fuit primus Doctor Iudæorum, sicut Paulus primus Doctor Gentium. Et alibi quia Moyses fuit minister veteris testamenti (hoc innuit Dominus suprà dicens, *in omni domo mea fidelissimus est*) & Paulus [Q] minister noui testamenti, & Doctor gentium. Hinc non est mirum, si præaccepit reuelationem intelligibilis & supernaturalis [R] veritatis absque imaginaria visione; & si fuit visio Moysi excellentissima quantùm ad cognitionem Diuinitatis; sicut Dauid pleniùs cognouit, & expressit mysteria incarnationis Christi. Effrænis ille populus, in Dei veri cognitione & cultu cohibendus erat: meritò suo Duci plenissima Diuinitatis datur notitia: non sic rudis duræque ceruicis populus egebat Mysteria Christi doceri; typum verò Christi Domini Dauid ipse gerebat, ideoque in illo, quæ non ita clarent in alijs, prophetiæ leguntur.

Verùm in Moysi petitione non solum intelligi potest desiderium videndi Deum, vt suprà dictum est, & recolitur adhuc in ps. 26. [S] Sed etiam de facie seu de [T] præsentia humanitatis. Hinc super illud, *& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*: hanc autem verbi gloriam Moyses videre optauit dicens, *ostende mihi gloriam tuam* Exodi 33. [V] sed eam videre non meruit; immò dictum est ei à Domino; *posteriora mea videbis*, idest vmbras, & figuras: Huc facit, quod ait Dominus; *multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*. Vidit etiam Agar Genesis 16. *posteriora videntis se*: at vario vt ibi diximus sensu.

Veruntamen quod non vidit Moyses incarnationis mysterium instar Simeonis, vidit fide futurum postquam venisset temporis plenitudo: quare de Moyse sicuti & de Abraham dici potest, *vidit & gauisus est*. Nec perperam hæc dicuntur annuente hic sacro textu, nam sequitur.

VERSVS XXII. *Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ*.

Sic legunt & septuaginta, in *foramen petræ*; & Chaldæa *in cauerna maceriæ*. Hic ego libenter prætereo corticem literæ, vt in petra, quam volunt esse ex qua suprà c. 17. eduxerat aquas, veluti in securitatis Domicilio, se à fulgore Numinis, in Sina reciperet; immo, ibi ex qua parte immensam pati potuisset reuerberationem, Dei quasi dextera præseruaretur: spirituali hæreo sensui; nimirum *ponam te in foramine Petræ, quæ Christus est, petra autem erat Christus* ac si diceret, ne cadas ad gloriæ, quam fide tenes, contemplationem; stabis supra petram, futuris Christi

meri-

Margin notes: G de diuinis nomin. c. 1.l.1. — H 3.p.45. 4.4. — I 4 cont. Gent.c.1. — L p.1.98. 3.2. — M 2. 2. 174.4. — N 2.Cor. 12.l.1. — O 4.49.1 7.4. — P 2. 2. 175.3.2 1. — Q 2.Cor 11.l.1. — R 2. 2. 174.4.1. — S ps.26. — T Apoc 10. comment. 1. in principio. — V Ioan.1. 1.8.

meritis stabis: (*defecit*, aiebat David, *in salutare tuum anima mea*: & iterum, *oculi mei defecerunt in salutare tuum: consideraui opera tua, & expaui*:) humanitas Saluatoris, illiusque passio, vulnera & mors, qua transiturus erat ad Patrem, Diuinitatis mysteria ne obruamur, attemperat: dum enim ipsum tot passum mala videmus, nostræ consortem naturæ agnoscimus, ac per hominem Deum discere incipimus, quemadmodum ait Hieronymus, *à carnalibus autem cœpit, filij David, filij Abraham, vt per hominem Deum discere incipiamus*, ideò dicit se *filiū hominis*.

Per foramina autem intelliguntur vulnera quæ pro salute nostra in cruce suscepit; in quibus Ecclesia ab insidijs malignorum spirituum delitescit, vt Cant. 2. ait. Sic *protegit dextera sua*, quia per manum signatur ideminet Christus; iuxta illud, *mitte manum tuam de alto*, vt dictum est. Et quia horum notitiam recipiebat Moyses propheticè; & prophetia est per modum cuiusdam passionis vel impressionis transeuntis, ideò legitur *cumque transibit gloria mea*:
X 2. 2. 171. 2 quod obseruat Angelicus * addens illud 3. Regum 19. ad Eliam; *egredere & sta in monte coram Domino; & ecce Dominus transit*. Vnde & capite sequenti habetur; *quo transeunt coram eo*.

Ad exactam capitis huius notitiam superest de memorato hic tabernaculo nonnihil dicere. Notant enim interpretes, ante constructionem illius, secundum exemplar quod in monte conspexerat Moyses, & de quo infrà c. 35. aliud præfuisse paruum in castris, quasi publicum Sacrarium, quo ad Deum deprecandum conuenirent. Et credunt huiusmodi tabernaculum à Moyse fabricatum suprà c. 24. cum fœdus inter Deum & populum sancitum est: idcircò appellatum tabernaculum fœderis: quæ postea agnominatio permansit. Tabernaculum hocce iubet Deus è medio populi auferri, quo diuinæ iræ indicio, in posterum à tanto scelere præcauerent. Huic tabernaculo, adstabat Iosue in custodiam, non tam æditui fungens munere, quàm præfecti vigilum, iam enim erat magister militiæ: & quamuis nuncupetur hic puer, non ad ætatem, sed ad mores, ad puritatem præsertim, potest referri, quemadmodum Geneseos c. 19. dictum est.

CAPVT XXXIV.

1 AC deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam Deut. 10.
super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti. 2 Esto paratus mane, a 1.
vt ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis.
3 Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boues quoque, &
oues non pascantur è contra. 4 Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant,
& de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas. 5 Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, inuocans nomen Domini. 6 Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, mise- *.
ricors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax, 7 qui custodis misericordiam Psal. 142.
in millia: qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se inno- a 2.
cens est. Qui reddis iniquitatem patrum filijs, ac nepotibus in tertiam, & quartam proge- Ier. 32. c. 18.
niem. 8 Festinusque Moyses, curuatus est pronus in terram, & adorans 9 ait: Si inueni Deut. 5. a.
gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum (populus enim duræ cer- 9
uicis est) & auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas. 10 Respondit Do- Deut. 5. a. 2.
minus: Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam quæ numquam visa sunt super Ier. 32. a.
terram, nec in vllis gentibus: vt cernat populus iste, in cuius es medio, opus Domini 2.
terribile quod facturus sum. 11 Obserua cuncta hodie quæ mando tibi: ego ipse
eijciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Phere-
zæum quoque, & Heuæum, & Iebusæum. 12 Caue ne vnquam cum habi-
tatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam: 13 sed aras eorum destrue,
confringe statuas lucosque succide. 14 noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes
nomen eius, Deus est æmulator. 15 Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: Deut. 7. a.
ne, cum fornicati fuerint cum dijs suis, & adorauerint simulacra eorum, vocet te quispiam 2.
vt comedas de immolatis. 16 Nec vxorem de filiabus eorum accipiet filijs tuis, ne post- 1. Reg.
quam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos. 17 Deos conflati- 11. 1. 2.
les non facies tibi, 18 Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vesceris azy-
mis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis nouorum: mense enim verni temporis egressus es
de Aegypto. 19 Omne quod aperit vuluam generis masculini, meum erit. De cunctis Sup 13. a.
animantibus, tam de bobus, quam de ouibus, meum erit. 20 Primogenitum asini redimes 2. b. 77.
oue: sin autem nec pretium pro eo dederis, occideris. Primogenitum filiorum tuorum re- 12. d. 19. Supr. 23.
dimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus. 21 Sex diebus operaberis: die septimo b. 15 Deut. 16.
cessabis arare, & metere. 22 Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitijs frugum d. 16.
messis tuæ triticeæ, & solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. Eccl. 15. a. 6.
23 Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Supr. 23. b 16

Do-

Domini Dei Israel. 24 Cum enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos,
nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter
Supr. 23. c. 18. 19. in anno. 25 Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ: neque residebit ma-
ne de victima solemnitatis Phase. 26 Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini
Deut. 15. c. 21. Dei tui. Non coques hædum in lacte matris suæ. 27 Dixitque Dominus ad Moysen:
Supr. 24. d. 18. Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus. 28 Fuit ergo ibi cum
Deu. 9. b. 4. c. 18. Domino, quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non
Deut. 4. b. 11. bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem. 29 Cumque descenderet Moyses de mon-
te Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quod cornuta esse facies sua ex con-
sortio sermonis Domini. 30 Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem,
timuerunt prope accedere. 31 Vocatique ab eo, reuersi sunt tam Aaron, quam principes,
synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, 32 venerunt ad eum etiam omnes filij Israel:
2. Cor. 3. c. 13. quibus præcepit cuncta quæ audierat à Domino in Monte Sinai. 33 Impletisque sermoni-
bus, posuit velamen super faciem suam. 34 Quod ingressus ad Dominum, & loquens cum
eo, auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Israel omnia, quæ sibi fuerant im-
perata. 35 Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus
faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

1 Libet de Moyse præsertim sermonem texere: & quidem versus se se offert 28. *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit.*

De hac Moysi abstinentia posset quis quærere, si naturalibus non fuit viribus, quanam via illum Deus sustentauerit? pro quo sciendum, (A ad Annib. in 3. 15.4.) quòd ex [A] naturali colligantia, qua potentiæ animæ in vna essentia radicantur, contingit quòd dum vna potentia intenditur in suo actu, reliqua in suo impeditur, & quòd ex potentijs sit mutuus refluxus in inuicem: & ex hoc contigit in Moyse; quod per vehementiam contemplationis, etiam inferiores vires absorbebantur, ne afflictionem famis sentirent. Quam doctrinam pressius [B] declarat dicens; (B p. 2. 77. 1.) cum enim omnes potentiæ animæ, in vna essentia animæ radicentur, necesse est quòd quando vna potentia impeditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam totaliter in suo actu impediatur: tùm quia omnis virtus ad plura dispersa, fit minor; vnde è contrario quando intenditur circa vnum, minus potest ad alia dispergi: tùm quia in operibus animæ requiritur quædam intentio, quæ dùm vehementer applicatur ad vnum, non potest alteri vehementer attendere. Sic ad praxim traducto calamo, legimus Carneadem de necessario sumendo cibo obliuiosa distractione captum: Thaletem cogitabundum in foueam non semel lapsum: & Archimedem neglecta militis hostis percontatione, miserè occisum. Arguit eius vecordiam his verbis Lipsius; *Siracusæ tua exciduntur, & tù in puluere pingis?*

At hoc admisso de animalibus seu sensibilibus viribus, sic vt afflictionem ieiunij non senserit Moyses: vrgeri adhuc posse videtur quoad naturales, cuiusmodi sunt concoctio, digestio ac perennis nutritio; eo vel maximè quòd ad animalium ligationem, intenduntur potius naturales, quo pacto describitur somnus. Huic obiectioni fit satis a D. Thoma [C] hisce verbis (C 3. 46. 1. 3. 6.) de Moyse prolatis: calor naturalis agebat, & fiebat deperditio, at non tanta; quia quando vires intellectiuæ vehementer contemplantur, etiam vires naturales in suis actibus impediuntur. Vel si nulla fiebat consumptio, hoc non fuit nisi virtute diuina per miraculum. Nec par est ratio de somno, in quo sopiuntur & vacant vires sensibiles.

VERSUS XXIX. *Cumque descenderet Moyses de Monte Sinai tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quòd cornuta esset facies sua, ex consortio sermonis Domini.*

Recolit locum istum in opusculo, [D] facies (D op. 58. 8.) (inquiens) Moysi tam magnam recepit radiositatem ex frequenti & familiari appropinquatione ad diuinum lumen, quòd videbatur humanis oculis quasi cornuta: vnde non poterant claritatem vultus eius sustinere nisi velatam: sic nimirum immò multò magis Corpus Christi in Resurrectione eius glorificatum, & spiritale ac Deiforme factum, nullus potest mortalibus inspicere oculis, nisi alia specie velatum. Legunt septuaginta; *& Moyses non sciebat, quòd glorificatus fuerat aspectus eius.* Chaldæa; *Moyses autem nesciebat, quòd multiplicatus esset splendor gloriæ vultus sui.* Propterea vbi nos habemus, *cornuta*, alia litera habet, ex Diuo [E] Thoma, *faciem splendidam*, (E 2. Cor. 3. l. 2.) quod (inquit) meliùs dicitur. Apostolus eo loci, *gloriam* vocat eiusmodi irradiationem, *ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius.* Quocircà idem Sanctus Doctor; [F] gloria secundum Origenem (F Ioan. 13. l. 6.) aliter accipitur in communi vsu hominum, & aliter in Scriptura; nàm secundùm communem vsum, gloria nihil aliud est quàm *à pluribus collata præconia, vel clara cum laude notitia,* vt Ambrosius dicit: in Scriptura Sacra, gloria *importat aliquod diuinum indicium super homines,* vnde in Exodo (supple c. 40.) *gloria Domini apparuit super tabernaculum,* (Sic Leuitici 9.) idest aliquod diuinum indicium requieuit super illud. Et similiter illud quod dicitur de facie Moysi, quod glorificata esset. Recolo quod scribitur suprà c. 24. *erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel.*

Pulchra hoc in loco suboritur difficultas: qua nimirum de causa, non posset filij *Israel intendere in faciem Moysi*, & læderentur ab illius lucido aspectu, sic vt tandem velamine operiretur; eo vel maxime quòd transfiguratum

Chri-

Christum Dominum in Monte viderunt corporalibus oculis selecti discipuli: *transfiguratus est enim ante eos:* vt dicitur Matth. 17. & quia claritas corporis gloriosi videri potest ab oculo non glorioso, vt traditur in 4. sententiarum. [G]

G 4.44.2.4.q.1. Hac de re loquitur D. Thomas assignat discrimen inter Christi Domini, & Moysis claritatem; quia fulgor Christi [H] fuit eiusdem generis cùm fulgore corporum glorificatorum, non tamen ita perfectus; & exemplificat de charitate viæ respectu charitatis Patriæ. In Moyse autem fuit claritas non eiusdem generis, similis tamen claritati Patriæ, sicut fides assimilatur visioni: & ideo subdit; aspectum intuentium offendebat, quod non fuit de claritate Christi. Assignat autem rationem, quare corpori Christi conuenienter attribuatur claritas gloriosa; quia iam anima Christi glorificata erat; non sic anima Moysi: vnde non fuit conueniens vt priùs esset in corpore gloria, quam in anima.

H 3.16.q.2.2.

3 Quamuis autem nouitio, videri possit imò contrarium, scilicet lædendum fore sensum visus potiùs à claritate gloriosa, quàm ab extranea, eo quòd quo excellentior, eo est magis improportionata. Nihilominus haud ita est, quia, vt ibi [I] inquit, claritas gloriosi corporis visum non corrumpit, sed demulcet: vnde Apocalypsis 21. comparatur claritati iaspidis, quæ visum demulcet, & delectat. Quod quidem constanter repetit in quarto radicitùs declarans vtriusque claritatis [L] differentiam his verbis. Claritas intensa non offendit visum, in quantùm agit actione animæ; sed secundùm hoc magis delectat: offendit autem in quantùm agit actione naturæ, calefaciendo, & dissoluendo organum visus, & disgregando spiritus: & ideò claritas corporis gloriosi, quamuis excedat claritatem Solis, tamen de sui natura non offendit visum, sed demulcet: propter quod claritas illa comparatur claritati Iaspidis Apocalypsis 21.

I 3.16.2.2.ad 4. L 4.46.2.4.q.2.ad 2.

Quæri curiosiùs potest de corpore Christi post resurrectionem glorificato, núm posset ab oculo mortali sua cum claritate videri. Et quidem S. Doctor in quarto [M] id tangit: verum quid acciderit discipulis non decernit; sed solummodo respondet in genere, fore arbitrium corporis gloriosi claritatem suam ostendere, vel occultare: & sic ad Annib. [N] esse in potestate corporis gloriosi, quòd videatur cum claritate, vel absque claritate, vel nullo modo. Et tamen argumenta petebant, vt nonnihil de Christi corpore diceret post resurrectionem. Verùm de quo abstinuit præfatis locis aliunde in opusculo [O] pertractat dicens, velari nobis Christum in Sacramento ratione imbecillitatis nostræ; quod probat tribus modis; primò à figura legali de Moyse sic facie splendida; secundò, ex illo, & *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*; accidit enim, inquit, Matri Dei Mariæ non posse sustinere claritatem præsentiæ filij, & gloriam, nisi esset obumbrata. Carne autem Virginis velata, facta est Maiestas, Spiritus-sancti operatione, possibilis à Virgine, & etiam à nobis videri; vnde, *Verbum caro factum est*. Sed carne illa post passionem per resurrectionem glorificata, & ad similitudinem Dei glorificata secundùm illud Ioan. 17. *Clarifica me Pater*; facta est impossibilis ab oculis mortalium in propria forma nuda videri nisi esset velata aliqua specie visibili. Tertiò, ratione naturali, quæ est nimia dissimilitudo luminis oculi nostri, ad claritatem luminis corporis Christi; est enim quodammodo immensa, & Deiformis: Itaque S. Doctor etsi præmittat discrimen oculi nostri, & claritatis Christi, eo quòd hęc est incorruptibilis: hoc praiacto, communi etiam aliqualiter hac ratione alijs beatis, premit de ipsiùs veluti immensitate, ad quam sit impotens angustus oculus noster, subaudi nisi diuinitùs confortetur. Ex quo fas est colligere, sensisse Diuum Thomam, discipulis deiformem suam claritatem postquã resurrexit à mortuis, non ostendisse.

M 4.44.2.4.q.2.3. N 4.44.q.1.a.3.ad 5. O op.58.c.8.

Non sine mysterio attamen quæ de Moyse legimus, gesta sunt; nam impletis sermonibus posuit velamen super faciem suam, hac prima vice ita factum est; posteà verò *Operiebat rursùs faciem suam, si quando loquebatur ad eos*. Post editos ergò sermones velatus est Moyses: Moysem pro lege ipsa accipi in scripturis, & pro populo sub illa, vel paululum exercitatis perspicuum est. Moyses, & Elias in monte apparuerunt, lex scilicet, & Prophetæ, ait Leo Papa. Diuus Paulus hoc asserit mysterium 2. Corinth. 3. *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam vt non intenderent filij Israel in faciem eius*: & posteà, *vsque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum*, (quod in Christo euacuatur) *Sed vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*. Christus exempli gratia, ait D. Thomas per mortem suam [P] remouit velamen de occisione Agni Paschalis, & ideo statim cùm emisit spiritum, *Velum templi scissum est*. Et post nonnulla: In signum huius, velamen erat in facie Moysi, & non in faciebus eorum; sed veniente Christo, velamen remotum est à facie Moysi, idest à veteri testamento, quia iam impletum est. Nota tamen ex eodem supra, quòd velamen dicitur apponi alicui dupliciter; aut quia apponitur rei visæ ne possit videri, (Ezechielis 32. legimus; *Solem nube tegam*,) aut quia apponitur videnti ne videat; sed Iudæis in veteri lege vtroque modo appositum erat velamen: nam & corda eorum excæcata erant, ne cognoscerent veritatem propter eorum duritiem, & vetus testamentum nondum completum erat. Non vident excæcati ex culpa Isaiæ 5. *Excæca cor populi huius*, quàm belle in Christo Domino impleta sint omnia: sic vt meritò dixerit: *Consummatum est*; neque enim arte aut industria humana possent vetera cuncta tàm exacto figuræ nexu veris Rèdemptionis euentibus respondere: nisi digitus Dei hic esset. Quæ solidè expendens in D. Thoma quoad legalia quondam Paulus Burgensis agnitæ veritati manus dedit, disiecto oculis velamine ab Solis radio: viditque factum esse, vt (?) *figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & lex in Euangelium verteretur*, quod ait, Leo Papa.

P 2.Cor.3.l.1.

Suprà autem orat Moyses pro populo ad Dominum, & intermiscet versu 7. *Qui reddis iniquitatem Patrum filijs, ac nepotibus, in tertiam, & quartam generationem*: quæ quidem videntur ad misericordiam pertinere [Q] potiùs, quàm ad seueritatem, dum non statim vindictam adhibet, Q 2.2.108.4.

sed

sed expectat in posterum, vt vel saltem posteri corrigantur. Quod clarius habetur Numeri 14. vbi præmittitur. *Dominus patiens, & multa misericordiæ*: vt dixi ad caput 20.

Sunt qui putent iussum Moysen non solùm confringere tabulas, sed & volumen legis, quod Israelitis prælectum fuerat suprà c. 24. publicè dirumpere: & colligunt hoc ex reassumptis in hoc capite nonnullis, omninò cum ijs quæ extant suprà c. 23. Vnde & hic legitur: dixitque Dominus ad Moysen, *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus*. Video autem per Spiritum-Sanctum, non cuncta, quæ suprà capite præsertim 13. & 23. scripta sunt, recenseri, sed nonnulla, & quidem ijsdem omninò verbis, prout assequor, non alia de causa, nisi quia sic expetebat commonitionis occasio. Itaque recolitur de sacrificijs, ac oblationibus primitiarum: eo quòd ad rectam ordinationem

R p. 2. 102. 1. mentis in Deum [a] pertinet, quòd omnia quæ habet homo recognoscat à Deo, tanquam à primo principio, & ordinet in Deum tanquam in vltimum finem: & hoc repræsentabatur in oblationibus, & sacrificijs, secundùm quòd homo ex rebus suis, quasi in recognitionem quòd haberet ea à Deo, in honorem Dei ea offerebat secundùm quòd dixit Dauid 1. Paralipomenon, *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Nota hic etiam iuberi de primitijs eundem in finem. Deinde per huiusmodi sacrificia retrahendi erant à sacrificijs idolorum: vnde etiam præcepta de sacrificijs (quod suprà retuli) non fuerunt data populo Iudæorum, nisi postquam declinauit ad idololatriam, adorando vitulum conflatilem: vnde Ieremiæ 7. *Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum*. Imò quia blasphemauerant impiè, aduerto ego, dicentes de Vitulo, *hi sunt Dij tui, qui te eduxerunt de Aegypto*, remandat de primogenitis, ne tantum redemptionis beneficium possint ingrata obliuione obliterare. Præcauet autem Dominus omnem iterandæ idololatriæ occasionem, dùm imò præcipit immolari boues; tantùm absit eos adoratu: deindè pressiùs eum idololatris prohibet connubia, & ritus omnes eorumdem idololatrarum, nolens *super fermento sanguinem* fundi: nàm illi vt

S p. 2. 102. 4. 8. fertur à D. Thoma, bibebant [s] de sanguine victimarum, secundùm illud Deuteronomij 32. *de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum*. Nonnulla breui animaduertenda supersunt. Primò; quod dicitur, *Omne quod aperit vuluam generis masculini, meum erit*: Quod prædictum fuerat cap. 13. non sic grammaticaliter fore capiendum, vt etiam in Virgine Matre, quæ peperit filium suum primogenitum, virginalis aulæ apertionem sonet: ipse namque solus [T] ineffabiliter conceptus, & incomprehensibiliter editus, virginalem vterum aperuit, non anteà connubio reseratum, seruans & post partum inuiolabiliter signaculum castitatis: vnde quod dicitur *adaperiens vuluam*, designat quòd nihil ante inde intrauerat, vel exiuerat. Et per hoc (Christus) specialiter dicitur masculinus, quia nihil de femineitate culpæ portauit. Feminea dicitur culpa, dixerim ego, vel quia Eccl. 25. *à muliere initium peccati*, (suggerente 1. Cor. 15. l. 3.) vel quia, ex infirmitate, *maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votū vouens immolat debile Domino*. Secundò statim rogabitur cur de primogenito Asini feratur lex: non vero de cæteris.

T 3. p. 17. 3. 1.

Vgo Eminentissimus ad caput 13. ait cætera, vt canis primogenitum, nec offerenda fuisse, nec redimenda: sed occidenda, & quidem in memoriam vltionis sumptæ de Ægyptijs. Malueda eruditissimus ibidem putat intelligi per synecdochen, ita vt hoc ipsum de cæteris immundis iumentis, ac animalibus ineptis sacrificio, capiatur: exprimi autem potissimè primogenitum asini; eo quòd horum ingens in eis Palæstinæ regionibus extet copia: quod quidem ex Iudicum 10. & 13. satis habetur: imò esse robustiores, & maiores, equosque æmulari, vt apud à Lapide constat. De discrimine autem mundorum, & immundorum animalium dicetur Deo dante Leuitici 11. Quare autem potiùs meminerit asini inter cætera, vult à Lapide, quoniam Hebræi in Ægypto talia possederant iumenta; vel ad gentilium arcendos infandos ritus, in quibus Priapum colentes ex turpi genitalium præpollentia, asinum venerabantur. Dictum est suprà, præcepisse Dominum Exodi 20. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua*, ad excludendam idololatriā: nam in Sacris Priapi sua pudenda Gentiles populo denudabant. Quod si non redimebatur hoc animal, vel oue, vel ouis pretio, *interficies*, ait sacer textus: & Chaldæa, *caput truncabis*: ex quo, occiderat Dominus vt dicitur suprà c. 13. in terra Ægypti à primogenito hominis, vsque ad primogenitum iumentorum. Apparet satis aduersùm Idololatras Asini fuisse repudium: nam paulo ante multa circà illos vetantur: & quidem, v. 16. *nec vxorem de filiabus eorum accipies*. Quocircà D. Thomas part. 2. q. 105. 4. ad 6. Dominus alienigenas prohibuit in matrimonium duci propter periculum seductionis, ne inducerentur in idololatriam: Et specialiter hoc prohibuit de illis Gentibus, quæ in vicino habitabant, de quibus erat magis probabile, quòd suos ritus retinerent. Si qua vero Idololatriæ cultum dimittere vellet, & ad legis cultum se transferre, poterat in matrimonium duci, sicut patet de Ruth, quam duxit Booz in vxorem. Et ideò captiua non aliter permittebatur in vxorem duci, nisi priùs rasa cæsarie, & circumcisis vnguibus, & deposita veste in qua capta est, & fleret Patrem, & Matrem: per quæ significatur idololatriæ perpetua abiectio; de quo infrà Deuteronomij 21.

Legitur hic versu 25. *neque residebit mane de victima solemnitatis Phase*: suprà autem c. 23. *nec remanebit adeps solemnitatis meæ, vsque manè*. Quid mysterij? Hoc satis intelligitur, si recolatur sermonem fieri de victima solemnitatis Phase, hoc est Paschatis seu transitus: & quidem ad commemorandum [V] liberationis beneficium ex Ægypto. Suprà autem c. 12. cum de paschali victima, pariter inhibetur, *Non remanebit quicquam ex eo vsque mane, si quid residuum fuerit igne comburetis*: ne apud profanos reliquiæ remanerent: festinantia autem egressus significanda, non sinebat in colligendo, si quid superfuerat immorari. Præterquam Deo supremo rerum V p. 2. 102. 4. ad 10.

om-

omnium prouisori libandum erat. Quare verò de adipe, dictum est ante, & D. Thomas [x] nos docet.

X p. 2. 102, p. ad 8.

VERSVS XXVI. *Non coques hædum in lacte matris.*

Caqite 23. id ipsum præcipitur: opportunè autem crudelitatem semouere contendit ab eorum corde eiusmodi studioso pioque iussu, quoniam nunc recèns diuinæ miserationis, & clementiæ experiuntur insignia. Sanè ad iracundiam, procliuis erat gens illa: ne hac excandescant vxoricidio, permittitur eis potiùs libellus repudij. Sic ergò ne feri sint & crudeles, quando sic ipse est misericors. *Non coques* (inquit) *hędum in lacte matris*. Dulce boni Dei præceptum! qui aliàs pro ipsis, ingratitudinis nota, & perduellionis reatu magis eradicandis, signa se pollicetur facturum, *quæ nunquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus; vt cernat populus iste*, (inquit Moysi) *in cuius es medio, opus Domini terribile, quod facturus sum*. Inter hæc recenset Hugo noster Iordanis diuisionem, mœniũ Hiericho ruinam, & solis stationem Iosue 3. 6, & 10. capite. D. Thomas opusculo 58. cap. 11. Eucharistici Sacramenti miracula pandens, hæc assumit Dei verba; *Signa faciam, quæ nunquam sunt visa super terram, nec in vllis gentibus*.

C A P V T X X X V.

1 IGitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos: Hæc sunt quæ iussit Do-
minus fieri. 2 Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, sabba-
tum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur: 3 Non succendetis
ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati. 4 Et ait Moyses ad omnem cater-
uam filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens: 5 Separate apud
vos primitias Domino. Omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino: aurum, Supr. 25. 2.2.
& argentum, & æs, 6 hyacinthum, & purpuram: coccumque bis tinctum, & byssum, ,
pilos caprarum, 7 pellesque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna Setim, 8 & oleum
ad luminaria concinnanda, & vt conficiatur vnguentum, & thymiama suauissimum. 9 la-
pides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis, & rationalis. 10 Quisquis ve-
strum sapiens est, veniat, & faciat quod Dominus imperauit. 11 Tabernaculum scilicet,
& tectum eius, atque operimentum annulos, & tabulata cum vectibus, paxillos & bases:
12 Arcam, & vectes, propitiatorium, & velum, quod ante illud oppanditur. 13 Men-
sam cum vectibus, & vasis, & propositionis panibus: 14 Candelabrum ad luminaria su-
stentanda, vasa illius, & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium: 15 Altare thymia-
matis, & vectes, & oleum vnctionis, & thymiama ex aromatibus: Tentorium ad ostium
tabernaculi. 16 Altare holocausti, & craticulam eius æneam cum vectibus, & vasis suis:
labrum, & basim eius: 17 Cortinas atrij cum columnis, & basibus tentorium in foribus
vestibuli, 18 paxillos tabernaculi, & atrij cum funiculis suis: 19 Vestimenta, quorum
vsus est in ministerio sanctuarij, vestes Aaron pontificis ac filiorum eius, vt sacerdotio fun-
gantur mihi. 20 Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi, 21 ob-
tulerunt mente promptissima, atque deuota primitias Domino, ad faciendum opus taber-
naculi testimonij. Quidquid ad cultum, & ad vestes sanctas necessarium erat, 22 viri cum
mulieribus præbuerunt, armillas, & inaures, & annulos, & dextralia: omnem vas aureum in
donaria Domini separatum est. 23 Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccumque
bis tinctum, byssum, & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas 24 argen-
ti, ærisque metalla obtulerunt Domino, lignaque Setim in varios vsus. 25 Sed & mulie-
res doctæ, quæ neuerant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac byssum,
26 & pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes. 27 Principes verò obtulerunt la-
pides onychinos, & gemmas ad superhumerale, & rationale, 28 aromataque & oleum
ad luminaria concinnanda, & ad præparandum vnguentum, ac thymiama odoris suauissi-
mi componendum. 29 Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fie-
rent opera, quæ iusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filij Israel voluntaria Domi-
no dedicauerunt. 30 Dixitque Moyses ad filios Israel: 30 Ecce, vocauit Dominus ex Supr. 31. 2.2.
nomine Beseleel filium Vri, filij Hur de tribu Iuda. 31 Impleuitque eum spiritu Dei, sa-
pientia, & intelligentia, & scientia, & omni doctrina 32 ad excogitandum, & faciendum
opus in auro, & argento, & ære, 33 sculpendisque lapidibus, & opere carpentario, quid
quid fabrè adinueniri potest, 34 dedit in corde eius: Ooliab quoque filium Achisamech
de tribu Dan: 35 ambos erudiuit sapientia, vt faciant opera abietarij, polymitarij, ac plu-
marij de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, & bysso, & texant omnia, ac noua
quæque reperiant.

1 IN hoc & sequentibus capitibus vsque ad trigesimum nonum suppetunt pauca dicenda; eoquòd quæ in superioribus præscripta sunt de tabernaculo, de Arca, de Propitiatorio, de Altari vtroque Thymiamatis, & Holocaustorum, de vestibus ornamentisque sacerdotalibus, ac denique de omni tabernaculi supellectili, executioni mandantur.

Duobus in locis expressè D. Thomas meminit huius capitis; Et quidem 22. ^A vbi de deuotione edisserit, filiorum Israel hoc in loco deuotionem expendit: vnde dicitur versu 20. *egressaque multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi, obtulerunt mente promptissima, atque deuota primitias Domino ad faciendum opus Tabernaculi*: vnde emicuit in eis verè deuotio, quæ nihil aliud esse videtur, quàm voluntas quædam promptè tradendi se, ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Quocircà valde mirandum, & de artificum ingenuitate, & de populi magnanimitate: nam capite sequenti legimus: *artifices venire compulsi dixerunt Moysi: plus offert populus, quàm necessarium est. Iussit ergo Moyses præconis voce cantari; nec vir nec mulier quicquam offerat vltrà, in opere Sanctuarij: sicque cessatum est à muneribus offerendis, eoquod oblata sufficerent, & superabundarent*. Auarus est qui non repletur pecunia; quia sicut ait & profanus

Intereà pleno dum turget sacculus ære,
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Non vult Dominus, qui *cum esset diues, pro nobis pauper est factus*, vt sacrorum vel sacrificiorum prætextu ingurgitentur insatiabiliter fidelium oblata. Ad huiusmodi compescendam voraginem Sanctissima Vrbani VIII manauit Constitutio de celebratione Missarum: quæ quamquam non extaret, adhuc non essent auaro Sacerdoti laxandæ habenæ, eoquòd, vt præscripserat Cano de locis l. 12. ad finem capitis decimitertij; *nec Sacerdos laboris sui mercedem quamlibet accipere à multis, pro missa vna potest, sed quæ satis erit, vt de altari ad sobrietatem comedat: non enim sanguinis Christi fructum meritumque vendit, sed operas suas ministeriumque locat*. En quomodo tangit scandalum: ex quo Alexander VII inter propositiones quas damnat, eam recenset; *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre*, vt minimùm tanquam scandalosam. Sanè in 4. sent. dist. 45. q. 2. a. 4. q. 3. ad 2. habetur, quòd quamuis virtus Christi, quæ continetur sub sacramento Eucharistiæ sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur. Consentaneè loquitur etiam in quodlibeto 2. a. 14.

Redeo ad literam: *obtulerunt primitias*. Vltronea hæc donatio, quia ex præstantiori specie cuiuscumque materiæ fiebat, primitiarum promeruit nomen. Oblatio directè dicitur cum Deo aliquid offertur etiam si nihil circà ipsum fiat: sicut dicuntur offerri denarij, vel panes in altari circà quos nihil fit: primitiæ autem oblationes sunt quæ Deo offerebantur, vt legitur Deuteronomij 26. Sacrificia autem propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur: quòd panis frangitur, & comeditur & benedicitur; & hoc ipsum nomen sonat; nam sacrificium dicitur, ex hoc quòd homo facit aliquid sacrum, vnde omne sacrificium est oblatio, sed non conuertitur. Hæc distinguuntur ita à D. Thoma. ^B Et fusius in Prologo Leuit. 2

In Ieremiam autem ad illa verba, *vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suaue olentem de terra longinqua?* calamum inquit, idest cinnamomum; quod ponebatur in thymiamate, cuius compositio habetur Exodi 35. Superest Beseleel interpretationem meminisse, vmbraculum diuinum, stareque pro Christo; vt in peroratione post Canonicas, exponit D. Thomas. De diuino hoc vmbraculo fas sit quod Isaiæ 4. legitur. *Erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine & pluuia*.

A 2. 2. 82. 1.

B 2. 2. 85. 1. 4.

C A P V T XXXVI.

Supr. 26. a. 1. 1. Par. 21. d. 29.

1 FEcit ergo Beseleel, & Ooliab, & omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam, & intellectum, vt scirent fabrè operari, quæ in vsus Sanctuarij necessaria
sunt, & quæ præcepit Dominus. 2 Cumque vocasset eos Moyses, & omnem
eruditum virum cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, 3 tradidit eis vniuersa donaria filiorum Israel. Qui cum instarent operi, quotidie mane vota populus offerebat, 4 Vnde artifices venire compulsi, 5 dixerunt Moysi: Plus offert populus quam necessarium est. 6 Iussit ergo Moyses præconis voce cantari:
Nec vir, nec mulier quidquam offerat vltra in opere Sanctuarij. Sicque cessatum est à muneribus offerendis, 7 eo quod oblata sufficerent, & superabundarent, 8 Feceruntque
omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de bysso retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, opere vario, & arte polymita: 9 quarum
vna habebat in longitudine vigintiocto cubitos, & in latitudine quatuor: vna mensura erat omnium cortinarum. 10 Coniunxitque cortinas quinque alteram alteri, & alia quinque
sibi inuicem copulauit. 11 Fecit, & ansas hyacinthinas in ora cortinæ vnius ex vtroque
latere, & in ora cortinæ alterius similiter, 12 vt contra se inuicem venirent ansæ, & mutuo iungerentur: 13 vnde, & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent corti-

na-

narum ansas, & fieret vnum tabernaculum. 14 Fecit, & saga vndecim de pilis caprarum
ad operiendum tectum tabernaculi: 15 vnum sagum in longitudine habebat cubitos tri-
ginta, & in latitudine cubitos quatuor: vnius mensuræ erant omnia saga: 16 quorum
quinque iunxit seorsum, & sex alia separatim. 17 Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi
vnius, & quinquaginta in ora sagi alterius, vt sibi inuicem iungerentur. 18 Et fibulas æneas
quinquaginta, quibus necteretur tectum, vt vnum pallium ex omnibus sagis fieret. 19 Fe-
cit, & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque desuper velamen-
tum de pellibus ianthinis. 20 Fecit, & tabulas tabernaculi de lignis Setim stantes. 21
Decem cubitorum erat longitudo tabulæ vnius: & vnum ac semis cubitum latitudo retine-
bat. 22 Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, vt altera alteri iungeretur. Sic fecit
in omnibus tabernaculi tabulis. 23 E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra
Austrum, 24 cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub vna tabula ponebantur
ex vtraque parte angulorum, vbi incastraturæ laterum in angulis terminantur. 25 Ad
plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas, 26 cum
quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas. 27 Contra Occidentem
verò, id est, ad eam partem tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas, 28 & duas
alias per singulos angulos tabernaculi retrò, 29 quæ iunctæ erant à deorsum vsque sursum,
& in vnam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex vtraque parte per angulos: 30 vt
octo essent simul tabulæ, & haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub sin-
gulis tabulis. 31 Fecit, & vectes de lignis Setim, quinque ad continendas tabulas vnius
lateris tabernaculi, 32 & quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: & extra
hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. 33 Fecit
quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulum perueniret. 34
Ipsa autem tabulata deaurauit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit au-
reos, per quos vectes induci possent: quos, & ipsos laminis aureis operuit. 35 Fecit & ve-
lum de hyacintho, & purpura, vermiculo, ac bysso retorta, opere polymitario, varium
atque distinctum: 36 & quatuor columnas de lignis Setim, quas cum capitibus deaurauit,
fusis basibus earum argenteis. 37 Fecit, & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho,
purpura, vermiculo, byssoque retorta, opere plumarij: 38 & columnas quinque cum ca-
pitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

ANtehac dictum est, tabernaculum hocce Moysi ostensum idealiter in monte maius fuisse, quàm alterum illud in castris de quo c. 33. Nouam noui fabricam crediderim, non vacasse mysterio. *Dilata*, inquit Isaias, [a] *locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida.* Vbi D. Thomas; exhortatur inquit ad loci ampliationem sub metaphora tentorij (*dilata*) locum quantum ad solum, quo extenditur; (*Pelles*) quibus tegitur; (*funiculos*) quibus paxilli ligantur; (*clauos*) quibus tabulæ coniunguntur; vel ipsos paxillos: & hæc leguntur fuisse in Tabernaculo Exodi 26. & 36. adde & 38. & sup. de paxillis. Constat autem apud Prophetam eo loci gentilitatem significari: igitur firmatur magis, quod suprà dictum est, stare tabernaculum pro Ecclesia; vt & palam Isaiæ 4. allegato.

[a] Isaiæ 4.

C A P V T X X X V I I.

1 FEcit autem Beseleel, & arcam de lignis Setim, habentem duos semis cubitos in
longitudine, & cubitum, ac semissem in latitudine, altitudo quoque vnius cubiti
fuit, & dimidij: vestiuitque eam auro purissimo intus, ac foris. 2 Et fecit illi co-
ronam auream per gyrum, 3 conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos eius:
duos annulos in latere vno, & duos in altero. 4 Vectes quoque fecit de lignis Setim, quos
vestiuit auro, 5 & quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam.
6 Fecit, & propitiatorium, id est, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum, &
dimidij in longitudine, & cubiti, ac semis in latitudine. 7 Duos etiam Cherubim ex auro
ductili, quos posuit ex vtraque parte propitiatorij. 8 Cherub vnum in summitate vnius
partis, & Cherub alterum in summitate partis alterius: duos Cherubim in singulis summi-
tatibus propitiatorij, 9 extendentes alas, & tegentes propitiatorium, seque mutuo, &
illud respicientes. 10 Fecit, & mensam de lignis Setim in longitudine duorum cubito-
rum, & in latitudine vnius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum, ac semissem, 11 cir-

circumdeditque eam auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum, 12 ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, & super eandem, alteram coronam auream. 13 Fudit, & quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis, per singulos, pedes mensæ 14 contra coronam: misitque in eos vectes, vt possit mensa portari. 15 Ipsos quoque vectes fecit de lignis Setim, & circumdedit eos auro. 16 Et vasa ad diuersos vsus mensæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina. 17 Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo. De cuius vecte calami, scyphi, sphærulæque ac lilia procedebant, 18 sex in vtroque latere, tres calami ex parte vna, & tres ex altera: 19 tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul, & lilia: & tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque simul, & lilia. Aequum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri. 20 In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul, & lilia: 21 & sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte vno, 22 & sphærulæ igitur, & calami ex ipso erant, vniuersa ductilia ex auro purissimo. 23 Fecit & lucernas septem cum emunctorijs suis, & vasa, vbi ea quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo. 24 Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis. 25 Fecit & altare thymiamatis de lignis Setim, per quadrum singulos habens cubitos, & in altitudine duos: è cuius angulis procedebant cornua. 26 Vestiuitque illud auro purissimo cum craticula, ac parietibus, & cornibus. 27 Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos sub corona per singula latera, vt mittantur in eos vectes, & possit altare portari. 28 Ipsos autem vectes fecit de lignis Setim, & operuit laminis aureis. 29 Composuit, & oleum ad sanctificationis vnguentum, & thymiama de aromatibus mundissimis opere pigmentarij.

TRopologicè plura huius capitis exponit S. Doctor in corollario, siue malis peroratione post Epistolas Canonicas, quas appellat septem lucernas. Christum ait Candelabrum. Mensam Ecclesiam è gentibus &c. quæ ibi videantur. Exactè autem in hoc & sequenti capit. feruntur executioni mandata, quæ suprà capit. 25. iussa sunt; cùm potuisset summariè tangi, vt Genesis 1. *& factum est ita*: vel quia ex Deo est nobis *velle & perficere*; Philipp. 2. vel quia *operarios conducit* Matth. 20.

CAPVT XXXVIII.

2. Par. 1. b.5. 1 FEcit & altare holocausti de lignis Setim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine: 2 cuius cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis. 3 Et in vsus eius parauit ex ære vasa diuersa, lebetes, forcipes, fuscinulas, vncinos, & ignium receptacula. 4 Craticulamque eius in modum retis fecit æneam; & subter eam in altaris medio arulam, 5 fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos vectes ad portandum: 6 quos, & ipsos fecit de lignis Setim, &

Supr. 27. b.8. operuit laminis æneis: 7 Induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant. Ipsum autem altare non erat solidum, sed cauum ex tabulis, & intus vacuum. 8 Fecit, & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. 9 Fecit, & atrium, in cuius australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum, 10 columnæ æneæ viginti cum basibus suis, capita columnarum, & tota operis cælatura argentea. 11 Aequè ad septentrionalem plagam tentoria, columnæ, basesque, & capita columnarum eiusdem mensuræ, & operis ac metalli, erant. 12 In ea verò plaga, quæ ad Occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum basibus suis æneæ, & capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea. 13 Porrò contra Orientem quinquaginta cubitorum parauit tentoria: 14 è quibus, quindecim cubitos columnarum trium, cum basibus suis vnum tenebat latus; 15 & in parte altera (quia inter vtraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æquè cubitorum erant tentoria, columnæque tres, & bases totidem. 16 Cuncta atrij tentoria byssus retorta texuerat. 17 Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earũ cũ cunctis cælaturis suis argentea: sed, & ipsas columnas atrij vestiuit argento. 18 Et in introitu eius opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo verò quinque cubitorum erat iuxta mensuram, quam cuncta atrij tentoria habebant. 19 Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum, & cælaturæ argenteæ. 20 Paxillos quoque tabernaculi, & atrij per gyrum fecit æneos. 21 Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonij, quæ enumerata sunt iuxta præce-

ptum

ptum Moysi in ceremonijs Leuitarum per manum Ithamar filij Aaron sacerdotis: 22 quæ
Beseleel filius Vri filij Hur de tribu Iuda, Domino per Moysen iubente, compleuerat, 23
iuncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan: qui, & ipse artifex lignorum egre-
gius fuit, & polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo, & bysso.
24 Omne aurum quod expensum est in opere Sanctuarij, & quod oblatum est in donarijs,
viginti nouem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum ad mensuram Sanctua-
rij. 25 Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum à viginti annis, & supra,
de sexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta, armatorum. 26 Fuerunt præ-
terea centum talenta argenti, è quibus conflatæ sunt bases Sanctuarij, & introitus vbi ve-
lum pendet. 27 Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases
singulas supputatis. 28 De mille autem septingentis, & septuaginta quinque fecit capita
columnarum, quas & ipsas vestiuit argento. 29 Aeris quoque oblata sunt talenta septua-
ginta duo millia, & quadringenti supra sicli, 30 ex quibus fusæ sunt bases in introitu ta-
bernaculi testimonij, & altare æneum cum craticula sua, omniaque vasa, quæ ad vsum
eius pertinent, 31 & bases atrij tam in circuitu quam in ingressu eius, & paxilli tabernacu-
li, atque atrij, per gyrum.

Occurrit VERSVS VIII. *Fecit & labium æneum, cum basi sua de speculis mulierum.*

Specula eiusmodi ænea, spreta formæ expoliendæ vanitate, obtulerant certatim deuotę mulieres: vnde sicut hodie ex chalybe, aliarũ rerum mistione, pellucidę fiunt columnæ, artefactaque alia: sic conflatum fuisse vas ingens æneum aqua plenum accipimus; ex quo per fistulas, delabente aqua, lauabant Sacerdotes victimas, manusque ac pedes: nàm reuerentiæ causa nudis pedibus in tabernaculo ministrabant.

Virgines, ait Sanctus Doctor [A] sunt speculum Ecclesiæ, in quibus conspiciendo possumus videre maculas defectuum nostrorum: vnde in lege Sacerdotes oblaturi, cum volebant lauare se, videbant maculas, sed in speculis mulierum: deberent enim magistri & Prælati confundi valde, cum videant tenellas puellas multa pati pro Christo, quod ipsi renuunt. Gregorius: *quid inter hæc nos barbati, & debiles dicimus?*

A Apoc. 3. comm. 1. ibi in a'bis.

C A P V T XXXIX.

Supr. 28 a. 6.

1 DE hyacintho verò, & purpura, vermiculo ac bysso fecit vestes, quibus indue-
retur Aaron quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moysi.
2 Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccoque
bis tincto, & bysso retorta, 3 opere polymitario, inciditque bracteas aureas, & extenua-
uit in fila, vt possent torqueri cum priorum colorum subtegmine, 4 duasque oras sibi in-
uicem copulatas in vtroque latere summitatum: 5 & balteum ex eisdem coloribus, præce-
perat Dominus Moysi. 6 Parauit, & duos lapides onychinos, astrictos, & inclusos au-
ro, & sculptos arte gemmaria, nominibus filiorum Israel: 7 posuitque eos in lateribus
superhumeralis in monimentum filiorum Israel, sicut præceperat Dominus Moysi. 8 Fe-
cit & rationale opere polymito iuxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura,
coccoque bis tincto, & bysso retorta: 9 quadrangulum duplex, mensuræ palmi. 10 Et
posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smarag-
dus. 11 In secundo, carbunculus, sapphirus, & iaspis. 12 In tertio ligurius, acathes,
& amethystus. 13 In quarto, chrysolithus, onychinus, & beryllus, circundati, & inclusi
auro per ordines suos. 14 Ipsique lapides duodecim, sculpti erant nominibus duodecim
tribuum Israel, singuli per nomina singulorum. 15 Fecerunt in rationali, & catenulas si-
bi inuicem cohærentes, de auro purissimo: 16 & duos vncinos, totidemque annulos au-
reos. Porrò annulos posuerunt in vtroque latere rationalis, 17 è quibus penderent duæ
catenæ aureæ, quas inseruerunt vncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant. 18
Hæc & ante, & retro ita conueniebant sibi, vt superhumerale, & rationale mutuo necte-
rentur, 19 stricta ad balteum, & annulis fortius copulata, quos iungebat vitta hyacin-
thina, ne laxa fluerent, & à se inuicem mouerentur, sicut præcepit Dominus Moysi. 20
Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, 21 & capitium in supe-
riori parte contra medium, oramque per gyrum capitij textilem: 22 deorsum autem

ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta: 23 & tintin-
nabula de auro puriſſimo, quæ poſuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per
gyrum, 24 tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incede-
bat Pontifex quando miniſterio fungebatur, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 25 Fece-
runt, & tunicas byſſinas opere textili Aaron, & filijs eius: 26 & mitras cum coronulis
ſuis ex byſſo, 27 feminalia quoque linea byſſina: 28 cingulum verò de byſſo retorta,
hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto arte plumaria ſicut præceperat Dominus Moy-
ſi. 29 Fecerunt & laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo, ſcripſeruntque in ea
opere gemmario, Sanctum Domini: 30 & ſtrinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina,
ſicut præceperat Dominus Moyſi. 31 Perfectum eſt igitur omne opus tabernaculi, & te-
cti teſtimonij: feceruntque filij Iſrael cuncta quæ præceperat Dominus Moyſi. 32 Et ob-
tulerunt tabernaculum, & tectum, & vniuerſam ſupellectilem, annulos, tabulas, vectes,
columnas ac baſes, 33 opertorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentum
de ianthinis pellibus, 34 velum, arcam, vectes, propitiatorium, 35 menſam cum
vaſis ſuis, & propoſitionis panibus: 36 candelabrum, lucernas, & vtenſilia earum cum
oleo: 37 altare aureum, & vnguentum, & thymiama ex aromatibus: 38 & tentorium
in introitu tabernaculi 39 altare æneum, retiaculum, vectes, & vaſa eius omnia:
labrum cum baſi ſua: tentoria atrij, & columnas cum baſibus ſuis: 40 tentorium
in introitu atrij, funiculoſque illius, & paxillos. Nihil ex vaſis defuit, quæ in miniſte-
rium tabernaculi, & in tectum fęderis iuſſa ſunt fieri. 41 Veſtes quoque, quibus ſacer-
dotes vtuntur in Sanctuario, Aaron ſcilicet, & filij eius, 42 obtulerunt filij Iſrael,
ſicut præceperat Dominus. 43 Quæ poſtquam Moyſes cuncta vidit completa, benedi-
xit eis.

VEſtes Sacerdotales hic conficiuntur, completurque tota fabrica tabernaculi. Memoranturque numero duodecim gemmæ *in diademate* Sacerdotis, [A] quia in hoc numero commendatur myſterium perfectionis; de quo alibi dicendum eſt.

A Iſaiæ 6.

Verùm irrepſiſſe alicuius exſcriptoris imperitia errorē de eiuſmodi pretioſis lapidibus, *in diademate*, conſtat: cum in rationali poſiti fuerint, vt habetur in textu, non autem in tiara. Hodie ſecus accidit; coronæ & diademata radiant lapillis.

CAPVT XL.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2 Menſe primo, prima die men-
ſis, eriges tabernaculum teſtimonij, 3 & pones in eo arcam, demitteſque
ante illam velum: 4 & illata menſa, pones ſuper eam quæ ritè præcepta ſunt:
Candelabrum ſtabit cum lucernis ſuis, 6 & altare aureum in quo adoletur incenſum,
coram arca teſtimonij. Tentorium in introitu tabernaculi pones, 6 & ante illud altare
holocauſti: 7 labrum inter altare, & tabernaculum, quod implebis aqua. 8 Circum-
dabiſque atrium tentorijs, & ingreſſum eius. 9 Et aſſumpto vnctionis oleo vnges taber-
naculum cum vaſis ſuis, vt ſanctificentur. 10 altare holocauſti, & omnia vaſa eius: 11
labrum cum baſi ſua: omnia vnctionis oleo conſecrabis, vt ſint Sancta ſanctorum.
12 Applicabiſque Aaron, & filios eius ad fores tabernaculi teſtimonij, & lotos
aqua 13 indues ſanctis veſtibus, vt miniſtrent mihi, & vnctio eorum in ſacerdo-
tium ſempiternum proficiat. 14 Fecitque Moyſes omnia quæ præceperat Dominus.
Num. 7. a. 1. 15 Igitur menſe primo anni ſecundi, prima die menſis, collocatum eſt tabernacu-
lum. 16 Erexitque Moyſes illud, & poſuit tabulas, ac baſes, & vectes, ſtatuit-
que columnas, 17 & expandit tectum ſuper tabernaculum, impoſito deſuper ope-
rimento, ſicut Dominus imperauerat. 18 Poſuit & teſtimonium in arca, ſubditis
infra vectibus, & oraculum deſuper. 19 Cumque intuliſſet arcam in tabernacu-
lum, appendit ante eam velum, vt expleret Domini iuſſionem. 20 Poſuit & men-
ſam in tabernaculo teſtimonij ad plagam Septentrionalem extra velum. 21 ordi-
natis coram propoſitionis panibus, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 22 Poſuit &
candelabrum in tabernaculo teſtimonij è regione menſæ in parte auſtrali, 23 lo-

catis

[illegible] per ordinem lucernis, iuxta præceptum Domini. 24 Posuit & altare aureum
sub tecto testimonij contra velum, 25 & adoleuit super eo incensum aromatum,
sicut iusserat Dominus Moysi. 26 Posuit & tentorium in introitu tabernaculi testi
monij. 27 & altare holocausti in vestibulo testimonij, offerens in eo holocaustum,
& sacrificia, vt Dominus imperauerat. 28 Labrum quoque statuit inter tabernacu-
lum testimonij, & altare, implens illud aqua. 29 Laueruntque Moyses, & Aa-
ron, ac filij eius manus suas, & pedes, 30 cum ingrederentur tectum fęderis, &
accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi. 31 Erexit & atrium per
gyrum tabernaculi, & altaris, ducto in introitu eius tentorio. Postquam omnia
perfecta sunt, 32 operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini imple- Num. 9. c. 15. 3. Reg. 8. b. 10.
uit illud. 33 Nec poterat Moyses ingredi tectum fęderis, nube operiente omnia,
& maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat. 34 Si quando nu-
bes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filij Israel per turmas suas: 35 si pen-
debat desuper, manebant in eodem loco. 36 Nubes quippe Domini incubabat per
diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas
mansiones suas.

VERSVS III. *Demittesque ante illam velum.*

1 De hoc velo, quod operiebat Sancta Sanctorum suprà dictum est. Vltrà hoc, solus summus sacerdos poterat ingredi, semel in anno, cum sanguine scilicet; nàm glossa relata [A] à D. Thoma sentit pluries potuisse sine sanguine: quocirca subdit; de hoc tamen non habetur, nisi tantùm quando mouenda sunt castra, quia tunc intrabant Aaron & filij eius, & inuoluebant, & dispensabant onera Leuitarum, sicut patet Numeri 4. Semel tamen in anno intrabat summus sacerdos solus cum sanguine, quando offerebat pro sua & populi ignorantia; idest pro peccatis nostris. De hoc habetur Leuitici 16. vbi traditur ritus iste. Interpositio tamen veli adhùc significat, quòd cœlestia erant eis velata; & quòd non intrabant, significat, quòd vetus testamentum, non est via intrandi cœlum ante aduentum Christi. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum* &c. videatur Apostolus.

A Hebr. 9. l. 2.

2 In seruo autem suo ac ministro, tria requirit Dominus; primum, vt sit ab omni sorde peccati mundatus: secundum, vt sit omnibus virtutibus ornatus: tertium, vt sit morum honestate decoratus. De primo; in ps. 100. *ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*; & 1. Timot. 4. *& sic ministrent nullum crimen habentes*: De secundo; 2. Corinth. 6. *in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*: De tertio; 1. Petri 2. *conuersationem vestram inter gentes habentes bonam*. De his tribus (subiungit [B] D. Thomas) Exodi 40. *applica Aaron, & filios eius, vt ministrent mihi, & lotos aqua, indues sacris vestibus, vt vnctio eorum proficiat*. In lotione puritas: in sacris vestibus, eorum virtutum varietas: in vnctione morum honestas; quia ex ea egreditur odor bonæ famæ: 2. Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus*.

B Serm. Dom. 3. Aduentus in Epist.

Quæ quidem altè corde fixa, retangit in alio sermone [C] dicens. Minister magni Regis debet esse formosus in specie, intelligens in discretione, fidelis in opere; formosus, per munditiæ puritatem, morum honestatem, vestium varietatem. Prouerb. 22. *qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem*; ps. 100. *ambulans* &c. & hæc, quoad cordis munditiam. Quoad morum honestatem 1. Petri 2. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam*. Quoad vestium idest virtutum speciositatem; Apoc. 3. *ambulabunt mecum in albis*. De his Exodi 40. *Applica Aaron, & filios eius* vt suprà. Non deest huic capiti allegoria ad Christum; nam

C Serm. 3. Thom. in Euig.

VERSVS XXIV. *Posuit & altare aureum sub tecto testimonij.*

Vel Altare (ait S. Doctor [D]) potest dici altitudo ipsius Diuinitatis; à qua exijsse dicitur Christus, manifestando se ipsum in sua humanitate, vt dictum est Exodi vltimo, *posuit altare aureum sub tecto testimonij*, idest Diuinitatem in humanitate, quæ optimè dedit testimonium Diuinitati.

D Apoc. 14. côm. 2. ad finem cap.

Reliquum est in hoc capite, vt expendamus tantisper versum 32. *Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud.* Quocirca considerandum, [E] quòd gloria Dei dupliciter dicitur, vno modo, quia Deus in se gloriosus est: alio modo dicitur gloria Dei, claritas eius ab ipso deriuata secundum illud Exodi vltimo: *gloria Domini impleuit illud*. De nube operiente tabernaculum, Numeri 9. fuse.

E 1 Cor. 11. l. 2.

Porrò non sine mysterio gloria hæc apparuit: nam Apostolus Romanorum 9. de Israelitis loquens ait, *quorum est adoptio filiorum, & gloria*. Vbi Diuus Thomas; [F] nos docet, adoptionem cadere suprà spirituales illius nationis viros: vnde & Exodi 4. dicitur *primogenitus meus Israel*; siquidem quantum ad carnales, suprà innuerat; quòd acceperunt Spiritum seruitutis in timore. Hoc autem adoptionis præsentis beneficium, futurum respicit, quod est gloria, scilicet filiorum Dei, eis repromissa. Fuerunt quippe eis multæ promissiones factæ de bonis terrenis, vt patet Leuitici 26. & Deuteronomij 28. per quæ temporalia bona, spiritualia significabantur. In huiusmodi autem repromissæ gloriæ signum, Exodi vltimo hoc legitur, *gloria Domini impleuit Tabernaculum*.

F Rom. 9. l. 1.

Huius tabernaculi tanquam figuræ, figura-

tum esse Beatam Virginem duobus in locis astruit Angelicus Doctor. [o] Quod quomodo fuerit gloria impletum, *postquam omnia perfecta sunt*, vtrobique declarat. Ipse hic etiam à relatu abstineo, quia *gloria Dei*, Prou. 25. *est celare verbum*: & *melior est obedientia quam victima*, 1. Reg. 15. Quoniam verò, ad gloriæ Dei mentionem peruenit Dei gratia huculque calamus, ipsi semper sit honor & gloria, & gratiarum actio.

o Ps. 45. & op. 60. c. 3.

FRA-

FRATRIS INNOCENTII PENCINI VENETI

Ordinis Prædicatorum, Diui Thomæ Aquinatis collectoris, ac interpretis, in Leuiticum

PROLOGVS.

VNde Leuitici nomen deducatur, facilè vnicuique perspectum est: nimirum ex tribu Leui, quam totam in cultus sui ministerium assumpsit Deus; hinc pluriec legitur in libro Numeri præcipuè capite 3. Leuitæ mei: vbi præcipitur etiam, numera primogenitos sexus masculini ab vno mense, & suprà, & habebis summam eorum, tollesque Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel, de quo & cap. 8. Ex die qua percussi omne primogenitum in terra AEgypti, sanctificaui eos mihi, & tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel; tradidique eosdem Aaron, & filijs eius de medio populi. Verùm etsi amplè nomen hoc sonet, haud crediderim promiscuè ex Leuitarum cateruainscribi librum: mos enim est trahi denominationem à nobiliori: inferius autem erat Leuitarum ministerium, & munera vulgaria erant eorumdem, vt patet Numeri 18. sic vt ad vasa Sanctuarij, & altare accedere, eis esset vetitum; vnde nec habebant specialem aliquam consecrationem, sed solùm offerebantur Domino à filijs Israel per manus Pontificic, qui orabat pro eis: applicabantur autem alijs cæremonijs abrasis pilis carnis, ablutique ad ministerium, per hoc quod intromittebantur in tabernaculum fœderis, vt habetur Numeri 8. & recolitur à D. Thoma p. 2. quæst. 102. 5. ad 9. vnde & ibidem appellantur ministri fratrum suorum. Igitur potius à Sacerdotali genere, item de tribu Leui, Leuiticus appellatur; saticque inde elucet dignitatic: ad quam honorabiliùc tuendam, institutum fuit, vt non sparsim ex quolibet genere ad Dei ministerium applicarentur, sed ex certa prosapia, secundùm successionem, vt ex hoc clariores, & nobiliores haberentur; quemadmodum & miraculo virgæ floridæ c. 17. Numeri comprobauit Deuc: vnde capite sequenti legimuc; dixitque Dominus ad Aaron, tù & filij tui, & domus Patris tui, tecum portabitis iniquitatem Sanctuarij; & tu & filij tui, simul sustinebitis peccata Sacerdotij vestri. Excipiebantur tamen, ne contemptus daretur occasio à, Sacerdotio, qui corporalec haberent defectus; vt patet Leuitici 21. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, si cęcus fuerit, vel claudus, &c. vt loco citato ad 10. exponit Angelicus. Dignitatis Sacerdotalis huius inuidus cum sectatoribus suis Core, ægrè ferens tanquam Leuitam, Aaronis eiusque filiorum se esse ministrum, affectato Sacerdotio proternè, miserè perijt, vt videre est Numeri 16. Nec deficit aliàc, quod scribitur, rixa & altercatio de Sacerdotio; quemadmodum, & de officio docendi, de quo Annius, & Philonis Breuiarium de Temporibuc. Nihilominus, si dignius à quo nomenclaturam acceperit exoptemus, non filiorum familiæ, sed summum Aaronic Sacerdotium in medium afferri necesse est; de cuius per Moysen consecratione cæteris solemniori, Exodi 29. & 9. Leuitici. Aaronis inquam, non Moysis: quamuis enim in Psalmo 98. dicatur, Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, non id alia ratione canitur, nisi quia sacra primitùs populo dedit, immediatè à Deo accepta; non autem officio offerendi oblationes; vt docet S. Thomac in 4. dist. 19. in textus expositione. Quod itidem de Samuele docet Hebræor. 7. lect. 3. vbi explicat glossam dicentem 1. Regum 2. translatum fuisse Sacerdotium ad Samuelem. Samuel enim non fuit Sacerdos, quamquam de tribu Leui quoad patrem, sed non de Aaron: sed aliquid Sacerdotale egit, quia & sacrificium obtulit, & Reges vnxit, scilicet Saul & Dauid. Itaque summus Sacerdos fuit Aaron, simplicec sacerdotec filij: de quibus Exodi 28. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs suis, vt Sacerdotio fungantur mihi. Animaduertit autem S. Doctor c. 18. in Ioannem Lect. 3. Quomodo secundùm legem summus Sacerdos per totam vitam officio fungebatur, cui post mortem filius succedebat: postmodum verò, inuidia, & ambitione Principum crescente, non solùm patri non succedebat filius, sed nec vltrà annum Pontificatus fungebatur officio: & boc ipsum pecunia procurabat, vt Iosephus dicit. Hinc legitur

cum

cum esset Pontifex anni illius. Quod prædixerat Matthæi 26. Ibi congregati sunt Principes Sacerdotum; quia propter eupiditatem Sacerdotium diuiserant, & à Romanis Sacerdotium emebant. Et infrà ibi cùm esset Caiphas Pontifex anni illius: ambitione crescente subiectaque Iudæa Romanis, Caiphas emerat Sacerdotium à Iudæis, emerat à Pilato. Inauditum scelus, emptio Sacerdotij, 2. Machab. c. 4. Quia ergo Leuitici obtinuit liber iste appellationem; præcipuique Leuitarum Sacerdotes sunt, summusque Aaron, de pluribus ad Sacerdotium spectantibus, & de sacrificijs præsertim traditur lex. Quamuis autem sacrifitia aliqua, & cæremoniæ fuerint ante legem, quod inducitur p. 2. q. 103. a. 1. eoquòd Cain Genes. 4. Obtulit de fructibus terræ munera Domino: Abel autem obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: Noè etiam obtulit holocausta Domino Genes. 8. & Abraham similiter Genesis 22. imò aliqua oblatio sacrificij non solùm fuerit, sed debuerit omninò esse, eoquòd, vt docet D.Th. 2. 2. q. 85. a. 1. pertinet ad ius naturale; nàm dictat naturalis ratio, secundùm naturalem inclinationem, vt ei quod est super hominem, homo subiectionem, & honorem exhibeat; & quidem sensibilibus signis, quia ex sensibilibus cognitionem accipit; sicut & serui Dominis suis in recognitionem dominij aliqua offerunt: vnde a. 4. decernit teneri omnes non solùm ad sacrificium mentis interiùs, sed pro suo statu ad aliqua exteriùs facienda in protestationem debitæ subiectionis, & honoris: qua, præ cæteris, de causa, scilicet conditione humanæ naturæ, cuius proprium est vt per corporalia, & sensibilia, in spiritualia, & intelligibilia deducatur, necessaria decernuntur 3. p. q. 61. a. 1. ad humanam salutem sacramenta. Nihilominus huiusmodi, oblationes, sacrificia, & holocausta offerebant, inquit citata p. 2. antiqui ante legem, non ex aliquo præscripto aut determinatione humana vel diuina, sed ex quadam deuotione propriæ voluntatis, secundùm quod eis videbatur conueniens, vt in rebus quas à Deo acceperant, quasque in reuerentiam diuinam offerrent, protestarentur se colere Deum, qui est omnium principium & finis, & sic Hebræorum 7. l. 1. hoc ipsum edisserens ait, cæremonialia veteris testamenti, sunt quædam determinationes præceptorum iuris naturalis, & præceptorum moralium, & ideò quantùm ad hoc, quod habebant de iure naturali, seruabantur ante legem, tantùm pro voto obseruantium, & sine aliquo præcepto. Quod enim aliquid offeratur Deo, in recognitionem creationis & dominij, hoc est naturale; sed quod offeratur vitulus, & hædus, hoc est cæremoniale. Vniuersaliter tamen qui non erant sub lege, aliqua huiusmodi faciebant in honorem diuinum secundùm condecentiam ad eos, inter quos habitabant 22. citata a. 4. Sed quia etiam ante legem fuerunt quidam viri præcipui prophetico spiritu pollentes, credendum est, quòd ex instinctu diuino, quasi quadam priuata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui & conueniens esset interiori cultui, & etiam congrueret ad significanda Christi mysteria, quæ figurabantur etiam per alia eorum gesta secundùm illud 1. ad Cor. 10. Omnia in figuram contingebant illis, ita p. 2. citata. Sic super illud Iob. 1. Cumque transissent in orbem dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculò offerebat holocausta per singulos; dicit Angelicus: potest intelligi dupliciter; vel quia salubribus monitis eos instrui faciebat; vel etiam, quia aliquem expiationis ritum habebant, quo huiusmodi delicta expiabantur; sicut & sacrificia etiam ante legem data fuerunt, & primitiæ, & decimarum oblatio. At Iob offerebat holocausta. Hactenùs dictis adstipulatur Dominus Ieremiæ 7. dicens, Quia non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra AEgypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum. Quod triplici in loco exponens S. Doctor sibi semper concors hæc ait, fuerunt sacrifitia illa accepta, (mitto aliam causam) vt eos per ipsa ab idololatria reuocaret; vndè in prima legis datione, nulla fit mentio de sacrificijs, sed tantùm postquam fecerunt vitulum: ita Hebræorum 10. l. 1. Ad cautelam fuerunt oblata Animalia, vt non offerrent ea idolis declinantes ad idololatriam, existentes in medio gentium, ad quam proni erant filij Israel in principio legis: sed in Exodo non fit mentio de sacrificijs, nisi postquam lapsus populus adorauit vitulum: ita Ps. 39. Præcepta de sacrificijs non fuerunt data populo Iudæorum nisi postquàm declinauit ad idololatriam adorando vitulum conflatilem, quasi huiusmodi sacrificia sint instituta, vt populus ad sacrificandum promptus, huiusmodi sacrificia magis Deo quàm idolis offerret: ita p 2. q. 102. 3. Vbi & ad 2. enucleat quare potius oues, hircos, & boues sacrificarent. Sic præfata q. 61. 3. partis a. 1. corporalia exercitia in Sacramentis collaudat, quia etiam per ipsa salubriter exercetur homo, euitatque superstitiosa exercitia, quæ consistunt in dæmonum cultu, ob quem finem in hoc passim Leuitico, in idololatriæ nefandos ritus, sacris cæremonijs pugnatur. Quemadmodùm autem ante legem sacrificia fuerunt, ita & Sacerdotium apud colentes Deum secundùm humanam determinationem, qui hanc dignitatem primogenitis attribuebant p. 2. q. 103. 1. ad 3. & 22. q. 100. a. 3. de quo in Genesi ad c. 25. dictum est. Sed cum fuerit, & Sacerdotium Leuiticum in lege, & Melchisedech ante legem, hoc præponit illi Apostolus Hebræorum. 7. licet vtrumque præfigurauerit Sacerdotium Christi; qui tamen dicitur Sacerdos, non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech Ps. 109. vt declaratur 3. p. q. 22. a. 6. quia licèt quantùm ad ipsam oblationem fuerit figuratum Sacerdotium Christi à Sacerdotio legali expressius, quàm à Sacerdotio Melchisedech, quatenus in hoc sanguis non effundebatur; tamen quantùm ad participationem huius sacrificij, (nempè Altaris) & eius effectum (in quo propriè attenditur excellentia Sacerdotij Christi ad Sacerdotium legale) expressiùs

figu-

figurabatur per ſacerdotium Melchiſedech, qui offerebat panem & vinum ſignificantia (vt Auguſtinus dicit) Eccleſiaſticam vnitatem, quam conſtituit participatio ſacrificij Chriſti: hæc ibi D. Thomas: quæ iterùm tangit infra q. 61. a. 3. ad 3. addens interiectum idcircò Sacramentum legale, ne propter continuitatem temporis, ſi permaneret eadem ſacramentorum ſpecies, videretur ſacramenti eiuſdem eſſe continuatio. Dùm autem Aaron mortuo ſucceſſit Eleazar, vt patet num. 20. & ſic ſucceſſiuè, ſignificabatur illud ſacerdotium fore corruptibile, quia incorruptibilia non multiplicantur in eadem ſpecie. Chriſtus autem ſempiternum habet Sacerdotium, eoquòd maneat in æternum. *Hebr. 7. l. 4. Ne autem ignoratio vocum pleniorem præpediat hìc ſpectantium notitiam, recolligendum vt ſuprà in Exodo ex 2. 2. q. 85. 3. 3. & Pſ. 39. ac etiam 3. p. q. 48. art. 3. quòd ſacrificium preſsè dicitur aliquid factum in honorem propriè Deo debitum, ad eum placandum: & inde eſt, quòd Auguſtinus dicit: Verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur, vt charitate inhæreamus Domino: relatum v. ad illum finem boni, quo veraciter boni eſſe poſſimus. Itaque ſacrificia propriè dicuntur, quando circà res Deo oblatas aliquid fit: ſicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur: quòd panis frangitur, & comeditur & benedicitur: & hoc ipſum nomen ſonat; nàm ſacrificium dicitur, ex hoc quòd homo facit aliquid ſacrum: oblatio directè dicitur cùm Deo aliquid offertur, etiam ſi nihil circà ipſum fiat; ſicut dicuntur offerri denarij, vel panes in altari, circà quos nihil fit: vnde omne ſacrificium eſt oblatio, ſed non conuertitur. Primitiæ autem oblationes ſunt, quia Deo offeruntur, vt legitur Deuteron. 16. Decimæ autem propriè loquendo non ſunt ſacrificia, neque oblationes, quia non immediatè Deo, ſed miniſtris diuini cultus exhibentur. Supereſt vt exponantur alia tria nomina. Quæ enim ſacrificantur dicuntur holocauſta, & victimæ & hoſtiæ: dicuntur autem victimæ ex primo capite ſuper Iſaiam; vel quia animal vinctum ad ſacerdotem ducebatur; vel quia pro victoria habita, vel habenda offerebatur. Dicebatur etiam animal Deo oblatum hoſtia (ita Rom. 12. l. 1.) vel quia pro victoria hoſtium offerebatur, ſeu pro ſecuritate ab hoſtibus: vel quia ad oſtium tabernaculi immolabatur: hinc ludit nominis æquiuoco S. Doctor ſupplici inuocatione.* O ſalutaris hoſtia, quæ Cœli pandis oſtium: bella premunt hoſtilia, da robur, fer auxilium. *Holocauſtum autem ex græco pluries exponitur ab* olon *quod eſt totum, &* cauſtum, *quod eſt incenſum: quia totum incendebatur. Et quoniam in ſacerdotibus cæteriſque quomodocumque miniſtrantibus, offerentibus, ac accedentibus, ſummam depoſcit Dominus animorum munditiem, ideìrcò in præſenti Leuitico aduerſus omnis generis immunditiam, & impuritatem leges inacceſſus traduntur: vt poſt agnitas corporis etiam contactu extero immunditias, diſcerent nedum legales, ſed Chriſti ſacerdotes futuri, qua mentis ſanctitate deberent diuino cultui miniſtrare. Caueamus ergo; quia Malachias propheticè querulus nobis inquit c. 2.* Receſſiſtis de via & ſcãdalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum: propter quod, & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, *&c. 1.* ad vos ò Sacerdotes qui deſpicitis nomen meum: & dixiſtis; in quo deſpeximus nomen tuum? offertis ſuper altare meum panem pollutum; *dicam cum Chryſoſtomo homilia de proditione Iudæ;* pura igitur ſit mens, pura & cogitatio, quia & ſacrificium purum eſt. *Caſuſque Nadab, & Abiu accedentium cum igne profano territet miniſtrantes impurè ſacro Altari.*

LIBER LEVITICVS HEBRAICE VAICRA.

CAPVT PRIMVM.

1 VOcauit autem Moysen, & locutus est ei Dominus de tabernaculo
Exod. 29. b. 10. testimonij, dicens: 2 Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Ho-
mo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est,
de bobus, & ouibus offerens victimas, 3 si holocaustum fuerit eius
oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium
tabernaculi testimonij, ad placandum sibi Dominum: 4 Ponet-
que manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit atque in expia-
tionem eius proficiens 5 immolabitque vitulum coram Domino,
& offerent filij Aaron sacerdotes sanguinem eius fundentes per altaris circuitum, quod est
ante ostium tabernaculi, 6 detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident, 7 & su-
bijcient in altari ignem, strue lignorum ante composita: 8 & membra quæ sunt cæsa. de-
super ordinantes: caput videlicet: & cuncta quæ adhærent iecori, 9 intestinis, & pedibus
lotis: aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum, & suauem odorem Domi-
no. 10 Quod si de pecoribus, oblatio est, de ouibus siue de capris holocaustum, mascu-
lum absque macula offeret: 11 immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilo-
nem, coram Domino: sanguinem vero illius fundent super altare filij Aaron per circuitum:
12 diuidentque membra, caput, & omnia, quæ adhærent iecori: & ponent super li-
gna, quibus subijciendus est ignis: 13 intestina vero, & pedes lauabunt aqua. Et
oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum, & odorem suauissimum Do-
mino. 14 Si autem de auibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut
pullis columbæ, 15 offeret eam sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac
rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris. 16 vesicu-
lam verò gutturis, & plumas proijciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in
quo cineres effundi solent, 17 confrigetque ascellas eius, & non secabit, neque ferro di-
uidet eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est, & oblatio
suauissimi odoris Domino.

IN hoc capite de sacrificijs, quæ quidem offerre munus est Leuitarum, incipit fieri sermo, modusque & ritus, in eisdem seruandus præscribitur. Necesse est autem recolere cum D. Thoma [A] ex Augustino, quòd omne sacrificium visibile, est inuisibilis sacrificij Sacramentum, idest sacrum signum. Inuisibile autem sacrificium est, quo homo Deo spiritum suum offert ps. 50 *sacrificium Deo spiritus contribulatus*; & ideo omne illud quod Deo exhibetur ad hoc quod spiritus hominis feratur in Deum, potest dici sacrificium.

A 3. p. 22. a.

1 De animalibus autem fieri sacrificia, (quòd sæpe dixi), vna potissima ratio fuit, vt Iudæorum populum [B] magis in dies ab idololatria reuocaret, dum quæ colebant animalia Ægyptij, ipsi immò offerendo iugularent: vnde in prima legis datione, nulla sit mentio de sacrificijs, sed tantum postquam fecerunt vitulum; ex quo Ierem. 7. *non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum.*

B p. 2. 102. 3. 2. & Hebræorum 10. l. 1.

Quamuis autem sint aliàs Deo, ante legem oblata eiusmodi sacrificia, dicendum est id factum speciali Dei iussu & inspiratione, ne cum aduenisset legalium tempus, crederentur absurda. Sic Vbi Genesis 38. dixit Iudas ad Onan filium suum, *ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo*, ait Angelicus; [C] ex hoc patet quædam cæremonialia fuisse per inspirationem diuinam à Patribus instituta & seruata. Sic priùs c. 9. *excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis*. Non obest ergo nouæ sacrificiorum eiusmodi institutioni quòd aliàs oblata sint, quemadmodum dictum est Abrahæ Genesis 15. *sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium; turturem quoque & columbam*. Voluit autem sic Dominus paulatim assuefieri credentium animos, ad tenendam vel implicitam fidem de morte Christi, cuius illa animalia [D] erant figura: & quorum occisio, occisionem [E] Christi significabat. Et quidem, vt dicit glossa, *Christus in vitulo offertur propter virtutem Crucis*. Apostolus, *Verbum Crucis pereuntibus stultitia est: ijs autem qui salui fiunt, idest nobis, virtus Dei est*; siue

C Genesi 38. & p. 1 103. a. 1.

D Heb 10. l. 1. E p. 2. 1. 3. 5.

pro-

propter fortitudinem, vt ait Hebræorum 9. l. 4. *in agno*, *propter innocentiam*; *in ariete*, *propter principatum*; *in hirco*, *propter similitudinem carnis* [P] *peccati*: atque in turtura, & columba, duarum naturarum coniunctio monstrabatur. Item ex lect. 2. Hebræorum 13. Vitulus & Hircus Christum figurabant; quia vitulus erat hostia sacerdotalis, & hircus immolabatur pro peccato: in quo figurabatur, quòd Christus debebat immolari pro peccato non suo sed populi.

Sed hic operæ pretium est referre alibi S. Doctorem diuiniùs hæc edisserentem. Sacrificia (inquit) legalia, [G] data sunt seruis ad tempus, tanquam signa rerum meliorum, & quasi paruulis tanquam caracteres librorum; in quorum proprietatibus & modulis offerendis, proficerent in disciplina veræ fidei, vt adepta vera scientia, deficerent elementa, & collata veritate cessarent vmbræ, ac signa; in quibus multa bona erant discenda, & præcipue fides Saluatoris, forma de moribus, spes de cœlestibus. Primum poterant scire de sacrificijs ouium, Isaiæ 53. *sicut ouis ad occisionem ducetur*; cùm ergò ouis offerebatur, poterant tria de vera fide discere, scilicet Saluatoris innocentiam, eiusdem mansuetudinem, & humani generis per mortem ipsius redemptionem.

Cop. 58. 61.

Secundum scite poterant in cornutis animalibus; Danielis 3. *In spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocaustis arietum & Taurorum*. Itaque cùm huiusmodi animalia in holocaustum, idest per ardorem ignis, in cinerem redigenda offerebantur, poterant de bonis moribus tria discere, scilicet, vt dæmonibus, & vitijs resisterent, Dei & proximi amore arderent; cordis, & corporis humilitatem in omnibus conseruarent. Subintelligendum relinquit in typum superbiæ accipi isthæc animalia. *Superbus* (inquit Leo in Sermone de passione) *taurorum pinguium tumor, & proterua vitulorum petulantia sæuiebat*: ipse Dæmon autem *est Rex super vniuersos filios superbiæ* Iob 41. Cornua etiam stant pro peccatis; *peccatorum confringam cornua* ps. 74. suntque hæc arma illa de quibus legimus, *descenderunt in infernum cum armis suis*. Ezech. 32. Dum ergò mactantur vel inuitos humiliati demonstrant.

Tertium nempe spem de cœlestibus discere poterant ex 4. capite adde & ex 16. de extra castra crematis, de quibus Apostolus Hebræorum 13. *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta, horum corpora cremantur extrà castra*: sanguis animalium significat animas iustorum: cum hæc fiebant, poterant tria discere de spe obtinendæ cœlestis gloriæ; quæ sunt pœnitentia viuentium, Saluatoris officium, bonorum suffragium: primum discimus in illo, quòd corpora *extrà castra* cremabantur; quia ibi corpora cremare, est fideles, extrà delicias, & voluptates sæculi pœnitentiam agere: secundum, in eo quòd sanguis inferebatur per Pontificem *in Sancta Sanctorum*; quia hoc est animas iustorum post hanc vitam beneficio Christi in cœlum assumi. Tertium in eo quòd sanguis per Pontificem in Sancta delatus valuit ad remissionem peccatorum hominum viuorum: quia hoc est animas bonorum iàm per Christum in cœlum subleuatas intercedere pro peccatis exulum adhuc in mundo relictorum.

Quoniam verò triplicis generis erat sacrificium, scilicet, [H] holocaustum: hostia pro peccato: & hostia pacifica, quæ offerebatur vel pro gratiarum actione, vel pro salute & prosperitate offerentium, ex debito beneficij vel accipiendi ex voto, vel accepti: pro comperto habeatur fuisse holocaustum [I] dignissimum & perfectissimum, vt pote quod totum in Dei honorem incendebatur, vnde & significabat, quòd spiritus debet Deo perfectè vniri, quod maximè erit in gloria; & statui perfectionis in impletione consiliorum maxime [L] congruit. Sicut, & hostia pacifica statui proficientium in impletione mandatorum, & hostia pro peccato statui pœnitentium.

H p. 2. 102. 3. ad 8 & 10. & ps. 39.

I loco cit. ad 9. & Hebr. 10. l. 1.

L p. 2. loco citato ad 8. & 3. p. 22. 2.

Igitur tùm ob sui perfectionem, tum quia offerebatur holocaustum ad reuerentiam Diuinæ Maiestatis; [M] & amorem bonitatis eius, hoc primo in capite de holocaustis agitur; & de bobus, de ouibus, de capris, de turtura & de columba, obseruantiæ & cæremoniæ traduntur: & in obsequium trahuntur fideles in Christum Dominum, qui per eadem figuratus nobis perfectionem gloriæ obtinuit & dedit, vbi Deo vnimur: fuitque non solum hostia pro peccato, & hostia pacifica, sed holocaustum [N] suauissimum Domino. Itaque textus est 3. *si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armento: Masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi* &c. Cæremonias & ritus sacrificiorum sapienter institutas fuisse & rationabiles habuisse causas colligit D. Th. quia oblata fuerunt in odorem suauissimum Domino: stat [O] autem auctoritas Sap. 7. *neminem diligit Deus nisi eum, qui cum sapientia inhabitat*. Malachiæ 1. *maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino*.

M loc. citatis.

N 3. p. cit. & op. 60. a 18. post medium.

O p. 2. 102. 3. sed cont.

Vult ergo Deus, vt vitulus offerendus sit immaculatus, quia animalia maculosa [P] solent haberi contemptui, etiam apud homines. Per vitulum significabatur Christus [Q] propter virtutem crucis. Quid mirum si prohibetur esse maculosum? maculæ & defectus corporales significant [R] diuersa vitia & peccata. De his maculis infra 22. De ipso autem, legitur *qui peccatum non fecit*. Sic vbi habetur Exodi 12. *erit agnus absque macula*, de Christi corpore intelligitur, quia fuit purissimum; D. Th. Hebræor. 10. l. 1. Et quia primum potissimumque Sacrificium in Cruce erat offerendum, meritò in animali, quod præsefert virtutem vtique Crucis, offertur. Pergit sacer textus denarrare cæremonias.

P loc. cit. ad 7.

Q p. 2. 102. 3. 2. & a. 5. ad 6.

R a. 5. ad 10.

VERSVS IV. *Ponetque manum super caput hostiæ & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens*.

Etsi directè holocaustum non offerretur pro peccato: nihilominus quis est qui non peccet? idcircò, vt ab occultis mundaretur offerens, & proficeret in sui expiatione: *qui iustus est iustificetur adhùc*; Apoc. 22. *ponebat manum super caput hostiæ*. Legimus infrà c. 16. simile quid, nam summus Sacerdos vtraque manu imposita super caput hirci, confitebatur omnes iniquitates filiorum Israel: quasi illas ei imponeret. Manus certè stat in scripturis pro operibus: & quia lex vetus cohibebat manum non animum, idcircò manu, quasi 3

ſigno iudicabantur opera per quæ deliquiſſet.

VERSVS V. *Immolabitque vitulum coram Domino, & efferent filij Aaron Sacerdotes ſanguinem eius.*

4 Quare occiderentur animalia in ſacrificium oblata, apetit S. Doctor [S] quia ſcilicet, veniunt in vſum hominis occiſa, ſecundùm quod à Deo dántur homini ad eſum; & ideò etiam igni cremabantur, quia per ignem decocta, fiunt apta humano vſui. Similiter etiam per occiſionem animalium ſignificatur deſtructio peccatorum, & quòd homines digni erant occiſione pro peccatis ſuis, ac ſi illa animalia loco eorum occiderentur, ad ſignificandam expiationem peccatorum. Verum quoniam in holocauſti oblatione, non omnino hæc habent locum, ſubiungendum eſt cum eodem, quòd per occiſionem huiuſmodi animalium ſignificabatur, etiam occiſio Chriſti: Vel (vt alibi,) [T] hoſtia quæ priùs viua erat occidebatur, vt immolaretur, ad oſtendendum, quòd adhùc mors regnabat in homine, regnante peccato; atque adeò non inutiliter, vt arguebatur in 4. diſt. 1. q. 1. a. 5. q. 2. in 2.

S p. 2. 102. 3. ad 5.

T Rom. 12. l. 1.

Effuſo ſanguine moriebatur victima. Specialis modus occidendi animalia [V] immolata determinabatur in lege, ad excludendum alios modos, quibus idololatræ animalia idolis immolabant: vel etiam vt Rabbi Moyſes dicit, *Lex elegit genus occiſionis, quo animalia minus affligebantur occiſa*; per quod etiam excludebatur & immiſericordia offerentium, & deterioratio animalium occiſorum. Propter hoc [X] prohibitum eſt eis comedere animalia ſuffocata, vel ſtrangulata, quia in tali morte animalia multùm affliguntur: & Dominus voluit eos à crudelitate prohibere etiam circa animalia bruta, vt per hoc magis recederent à crudelitate hominis, habentes exercitium pietatis, etiam circa beſtias. Effundebatur autem ſanguis, imò vt aduertit, loco in eodem, puluere operiebatur, tùm ad vitandam crudelitatem, tùm etiam ad vitandum idololatriæ ritum: quia eorum conſuetudo erat, vt circa ſanguinem congregatum adunarentur, ad comedendum in honorem idolorum, quibus reputabant ſanguinem acceptiſſimum eſſe.

V p. 2. 102. 3. 6.

X loc. cit. a 6. ad 1.

VERSVS VI. *Detractaque pelle artus in fruſta concident.*

Quæ hoc verſiculo, & infrà dicuntur, ſine dubio non vacant myſterio: neque enim ſolicitus Dominus de his præcipiendis ob ſolam corporis animantis ſectionem, vt perenni recolerentur memoria eiuſmodi ritus: neque prætereà conteſtaretur, adolenda hæc fore in ſuauem odorem Domino: quis enim ſi cortici ſtemus literæ, poterat tam ſuauis odor aduſtis ijs ex carnibus halare? Ceduntur artus & conciduntur: quis ignorat nos omnes vnum corpus eſſe cum Chriſto ?ita Apoſtolus pluries. Idem etiam Romanorum 12. *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem*, vbi D. Thomas, [A] vel per martyrium, vel per abſtinentiam, vel per quodcunque opus iuſtitiæ. Et poſſunt dici fideles concidi in fruſta, quia non omnes æque eadem patiuntur, ſed vnuſquiſque *tollit Crucem ſuam*.

A Rom. 12. l. 1.

Neque conciſio eiuſmodi eos quaſi membra diſiungit; nam immò charitate vniuntur. Quod quidem innui videtur in textu, cùm dicitur, *& membra quæ caſa ſunt deſuper ordinantes* (quod & Chaldæa legit) caput videlicet &c. *Ordinauit in me charitatem*: Cant. 2. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ* Coloſ. 1. *Et cuncta quæ adhærent iecori*. Mirum quòd iecur ſpeciatim exprimatur: ſed cum de holocauſtis ſit ſermo, quæ tota incenduntur, crediderim ego fortè iecur nominari, quoniam in hepate [B] eſt amoris ſedes: quod & apud dictionaria reperies tradi. Iecur eſt inquiunt ſedes concupiſcentiæ: quamuis enim & cor dicatur affici amore; attamen quia exardeſcit nimium, potiùs iraſcibilis locus eſt; vnde & ira *accenſio ſanguinis circa cor*, deſcribitur. Quòd ſi obiectes imò cor ipſum videri ſedem amoris: ex quo dicitur (miſſis profanis) *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; Reſpondeo pro corde accipi voluntatem: cum ſit hæc affectionum omnium origo, pariter atque cor eſt principium motuum: Vel ad ardoris exceſſum refertur, qui in veteris legis victimis per ſe non erat.

B Thren. 2.

VERSVS IX. *Inteſtinis & pedibus lotis aqua.*

Aiebat Apoſtolus 1. Corinth. 9. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Vt quid tam ſubtilis præcepti ratio etiam de inteſtinis & pedibus? Pedes paſſim in ſacris Scripturis ſtant pro affectibus: *Non mouetur* ait Gregorius, *Anima pedibus, ſed affectibus*, Quàm celeri, quamque ad longinqua, atque ad ardua motu! *Qui lotus eſt*, ait Chriſtus Dominus, *non indiget niſi vt pedes lauet*. Et Ieremias in Threnis, *Sordes eius in pedibus eius*. *Sordes*, ſcilicet peccatorum, [C] *in pedibus*, ſcilicet in affectibus, quaſi ad progrediẽdum in peccato: recole Prouerb. 6. *Pedes veloces ad currendum in malum*. Atqui nequeunt eſſe præpurgati affectus, ſi ſordeſcant cogitationes, ne igitur earundem turpium latente circumuolutione Deo litandum putemus, *inteſtinis*, inquit, vt omnis immunditia intelligatur, *lotis aqua*: latent quaſi in animi ventre cogitationes. Fuit hæc Iſychij expoſitio ſuper hunc locum.

C Thren. 1.

VERSVS XIV. *Si autem de auibus, holocauſti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ*, &c.

In turturibus meliores ſunt maiores, quàm pulli; in columbis autem è conuerſo: & ideò vt Rabbi Moyſes dicit, mandantur [D] offerri turtures, & pulli columbarum; quia omne, quod eſt optimum, Deo eſt attribuendum. 5

D p. 2. 102. 3. 4.

Per aues, turturem, & columbam, contemplatiuorum ad Patriam cum gemitu ſuſpirãtium, volatus & perfectio [E] notatur: ſpecialiter autem per turturem contemptus inferiorum, reddens hominem caſtum & ſolitarium; per columbam verò amoroſam, gregalem, & fœcundam, amor æternorum, in ſpiritualibus ſocialis & fœcundus. Prætereà; Turtur quia eſt auis loquax, prædicationem, & confeſſionem fidei ſignificat; quia verò eſt animal caſtũ, ſignificat caſtitatem; quia vero eſt animal ſolitarium ſignificat contemplationem, [F] columba autẽ eſt animal manſuetum & ſimplex, manſuetudinem, & ſimplicitatem ſignificans; Eſt etiam animal gregale: vnde ſignificat vitam

E Geneſis 15.

F 1. p. 37. 1. 4. d. Matth. 1. ad finem

ctiuam. Et ideò huiusmodi hostia figurabat perfectionem Christi, & membrorum eius. Vtrumque etiam animal propter consuetudinem gemendi, præsentes Sanctorum luctus designat: sed turtur quæ est solitaria, significat secretas orationum lachrymas: columba verò, quæ est gregalis, significat publicas orationes Ecclesiæ.

VERSVS XVII. *Confringetque ascellas eius, & non secabit, neque ferro diuidet eam.*

Ascella siue Axilla dicitur cauum brachiorum, & hic ala auium: hinc Septuaginta; *Confringet ab alis*: & Chaldæa, *confringat per alas suas*. Qui se offert Deo sic in holocaustum, desinat huc illuc euolare, cogitatu aut cupiditate. Dicitur de Christi oblatione, cùm imò Lucæ 2. obtulerunt iuxta legem, *par turturum aut duos pullos columbarum; tulerunt eum in Ierusalem*; Sed, *vt sisterent eum Domino*: *Quæcumque scripta sunt*, ait Apostolus, *ad nostram doctrinam scripta sunt*: plerique se se offerunt Domino in holocaustum, cum asceteria ingrediuntur, sed non sistunt. *Siste gradu teque aspectu ne subtrahe nostro*, aiebat Poeta. Siste, aio ego, viator; quia in solo Deo sistere tibi licet: hinc Augustinus; *Anima humana delectationis auida, ex quo ab vnitate recessit, cum rerum qualitate satiari non possit, rerum varietate satiari desiderat*; fertur ita [G] in opusculo. Sic firmat & Philosophus 9. Ethicorum 4. *contendit malorum anima: hoc quidem huc trahit; illud autem illuc*. Et denique Eccl. 1. *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu*.

G op. 41. l. 1. 10.

6 Non vacat mysterio quod adijcitur, *non secabit neque ferro diuidet*. De Abraam legitur Genesis 15. *aues autem non diuisit*: vbi D. Thomas, quæ aues non diuiduntur, [H] quia contemplatiui in quantùm talis, est vnum solùm quærere, vni soli vacare: de quo Christus Mariam Marthæ præfert dicens; *porrò vnum est necessarium*. De diuisione verò status actiuorum primæ Corinth. 7. *Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, & diuisus est*. Sic Psalmo 24. Dauid orabat: *Respice in me, & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego*: Duo requiruntur ad hoc [I] vt homo iuuetur à Deo; primò quòd totaliter cor suum tendat ad Deum, ps. *Vnam petij à Domino, hanc requiram*; & Lucæ 10. *porrò vnum est necessarium*: Secundò quòd sit contemptor rerum humanarum. Quæ tandem profundiùs explicat alibi [L] dicens: in præsenti vita est aliqua participatio Beatitudinis; & quàto operatio potest esse magis côtinua, & vna, tanto plus habet de ratione beatitudinis: & ideo in vita actiua, quæ circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis, quàm in contemplatiua, quæ versatur circa vnum, idest circa veritatis contemplationem, etsi aliquando homo actu non operetur, tamen quia in promptu habet eam, semper potest operari. Et quia etiam ipsam cessationem puta somni, vel occupationis alicuius naturalis, ad operationem prædictam ordinat, quasi videtur operatio continua esse. Quanta in vno verbulo latent!

H Genes. 15.

I psal. 24.

L p. 2. q. 1. 2. 3. ad 4.

Sed adhuc necesse est, quæ prius dicta sunt, in sacro textu expendi; nimirùm, *Vesiculam gutturis, & plumas proijciendas in loco in quo cineres effundi solent*. Holocaustum [M] facit de turture, qui dat se Deo, vt ei seruiat in claustro: De columba facit holocaustum, qui dat se Deo, vt ei seruiat in mundo: turtur enim amat solitudinem; columba gregatim volat. Vesicula gutturis, quæ est quasi horreum auium cupiditatem designat; plumæ verò leuitatem. In loco cinerum vesiculam proijcit, qui consideratione mortis suæ cupiditatem à se abijcit, non curans acquirere, quæ in breui perdat, & à quibus perdatur: Bernardus; *Vtinam congregata tantum perirent, & non congregator eorum*. Plumam in locum cinerum proijcit, qui consideratione mortis vanitatem huius mundi refugit, intelligens, fatuum esse, in via ad mortem gaudere: Augustinus; *nihil aliud est tempus præsentis vitæ quàm cursus ad mortem*. Thren. 3. *ponet in puluere os suum*: priùs dixerat; *sedebit solitarius & tacebit*. Verum proijcitur prope Altare ad Orientalem plagam: crediderim ego: quia prope Christum Dominum mortis cogitatio haud affligit; cùm in eo spes sit resurrectionis; ad Orientem plagam in regeneratione: vnde, *Oriens nomen eius*. Zach. 12. *qui ascendit imò super occasum*, Ps. 67. non iam moriturus destructo iure mortis, cui iterum, & iterum tenebamur; *Mors tua ero mors*, Osee 13.

M op 41. l. 3. c. 9.

C A P V T II.

1 ANima cum obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio, 2
fundetq; super eam oleũ, & ponet thus, 2 ac deferet ad filios Aaron sacerdotes:
quorum vnus tollet pugillum plenum similæ, & olei, ac totum thus, & ponet
memoriale super altare in odorem suauissimum Domino 3 quod autem reliquum fuerit de Eccl. 7. d.
sacrificio, erit Aaron & filiorum eius, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. 4 34.
Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano: de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita. 5 Si oblatio tua fuerit de sartagine,
similæ conspersæ oleo, & absque fermento, 6 diuides eam minutatim, & fundes super
eam oleum. 7 Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æquè simila oleo conspergetur:
8 quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis. 9 Qui cum obtulerit eam, tollet
memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suauitatis Domino, 10 quid-
quid autem reliquum est, erit Aaron, & filiorum eius, Sanctum sanctorum de oblationibus
Domini. 11 Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam
fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domino. 12 Primitias tantum eorum offeretis,
ac munera: super altare verò non imponentur in odorem suauitatis. 13 Quidquid obtule- Mar. 9. g
39.

ris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatio-
ne tua offeres sal. 14 Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de
spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias
tuas Domino, 15 fundens supra oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est, 16
de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris, partem farris fracti, & olei, ac totum
thus.

1 VERSVS I. *Simila erit eius oblatio.* Voluit lex in sacrificijs prouidere paupertati offerentium: vt qui non posset habere animal quadrupes, saltem offerret auem; quam qui habere non posset, saltem offerret panem: & si hunc neque, saltem offerret farinam, vel spicas. Causa vero figuralis est, quia panis significat Christum, qui est *panis viuus*, vt dicitur Io. 6. Qui quidem erat velut in spica, pro statu legis naturæ, in fide Patrum: erat autem sicut simila, in doctrina legis Prophetarum: erat sicut panis formatus, post humanitatem assumptam; coctus *igne*, idest formatus Spiritu-Sancto, in elibano vteri Virginalis: qui etiam fuit coctus *in Sartagine* per labores, quos in mundo sustinebat: in Cruce vero quasi *in craticula* adustus: sic elucidat D. Thomas [A] in prima secundæ quæ audis: pergitque vlterius ad 13. dicens, quod ea quæ in esum hominis veniunt de terræ nascentibus, vel sunt in cibum, & de eis offerebatur *Panis*: vel sunt in potum, & de his offerebatur *Vinum*: vel sunt in condimentum, & de his offerebatur *Oleum & Sal*: vel sunt in medicamentum, & de his offerebatur *thus*, quod est aromaticum, & consolidatiuum. Per *Panem* autem figuratur caro Christi: per *Vinum* autem sanguis eius, per quem redempti sumus: *Oleum* figurat gratiam Christi: *Sal* scientiam, *thus* Orationem. Item ad 14. Quod Mel non offerebatur in sacrificijs Dei; tum quia consueuerat offerri in sacrificijs idolorum; tùm etiam ad excludendam omnem carnalem dulcedinem, & voluptatem, ab ijs qui Deo sacrificare intendunt. *Fermentum* verò non offerebatur ad excludendam corruptionem: & fortè etiam in Sacrificijs idolorum solitum erat offerri. Sal autem offerebatur, quia impedit corruptionis putredinem; sacrificia autem Dei debent esse incorrupta: Et etiam quia in sale significatur discretio Sapientiæ, vel etiam mortificatio carnis. Thus autem offerebatur Deo, ad designandam Deuotionem mentis, quæ est necessaria offerentibus; & etiam ad figurandum odorem bonæ famæ: nám thus & pingue est, & odoriferum. Et quia Sacrificium Zelotypiæ non procedebat ex deuotione, sed magis ex suspicione; ideò in eo non offerebatur thus; vt dicitur Numeri 5. Hinc satis liquet, cur Deus thus totum voluerit sibi offerri; plenam enim non dimidiatam gratiorem habet deuotionem: non sic de alijs oblatis.

A p. 2. 102. f. 12.

2 Pro sartagine intelligitur Crux, quæ, vt ait glossa, super omnia fortis, [B] Carnem Christi, quę ante passionem non videbatur esui apta, inde aptam fecit: in quantum non nisi ad repræsentandam passionem Christi, erat Eucharistiæ Sacramentum instituendum. Amandat Dominus à sacrificijs huiusmodi omne fermentum quoniam (vt dictum est) [C] fermentum corrumpit farinæ massam cui inijcitur, vniuersamque mox conspersionem, suo sapore commaculat. Ibi D. Thomas refert ad corruptelam congregationis ex paucis etiam malis.

B 3. p. 81. f. 1. & in 4. d. 11. q. 1. a. 1. 2.

C Galat. 5. l. 2.

De Sale quæ tacta sunt, alibi vberiùs tractantur. [D] nam 1. ad Timoth. 5. pro Sale discretionem intelligit, hunc ferens textum. Quid sit autem discretio, innotescit ex alia Domini lege infrà c. 21. vbi inhibetur Aaron ne de semine eius accederet ad ministerium, si esset vel *paruo vel grandi, vel torto naso*: quod exponitur ne per [E] defectum discretionis, vel in plus vel in minus excedat; aut etiam aliqua praua exerceat: per nasum enim discretio designatur; quia est discretiuus odoris. Sic glossa ad illud Secundæ Petri [F] *in virtute autem scientiam*, inquit, *discretionis; quid cui, quando, vel quomodo*. Bernardus; *discretio non tàm est virtus, quam auriga virtutum; sine qua virtus vitium est*: Romanorum 12. *Rationabile obsequium vestrum*. Et fertur ibidem hæc Leuitici auctoritas; & Gregorij exemplum de fortitudine, quæ sine rationis moderamine præceps ruit: & idcirco Apostolus eo loci monet Timotheum, *noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*, scilicet ait D. Thomas quæ tibi ex abstinentia prouenerunt. Huc facit quod ait Hieronymus, contra indiscrete ieiunos; *nonne rationalis hominis dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vel vigilias præfert*, (quæ Deo offeruntur) *sensus integritati, vt propter psalmorum aut officiorum decantationem, amentiæ vel tristitiæ quis notam incurrat?* Hinc apud Cassianum tot dicuntur de discretionis virtute; cuius defectu miserè deceptus Monachus longum per deserta loca iter aggressus; indiscretè diuinæ fisus prouidentiæ, fame perijt, vt videre est collatione 2. Abbatis Moysi c. 6.

D 1. Tim. 5. l. 3. & Rom. 12. l. 1.

E p. 2. 102. f. 10.

F 2. Petri 1.

3 Verùm quemadmodum, vt ait Hieronymus, *de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi vel somni penuria, immoderate corpus affligit*: si enim (ait D. Thomas) [G] sit tanta abstinentia, quòd homo ab operibus vtilioribus impediatur, quamuis ad ea de necessitate non teneatur, indiscretum est ieiunium, etsi non sit illicitum: Ita ex altera parte contingit amitti virtutem ex nimia indulgentia: nimis siquidem nonnulli pauent de corporali sua valetudine remittenda. Valetudo corporis secundùm optimam dispositionem, efficit vt cato, in suo robore consistens, ægrè spiritui subdatur; ideoque quamuis necessarium ad huiusmodi valetudinem licitè accipi possit, laudabiliter quoque subtrahitur: nec talis subtractio multum mortem accelerat, cum corpus humanum inueniatur frequentiùs ex superfluitate, quàm ex defectu mortales ægritudines incurrere: vnde etiam Galenus dicit, quòd *summa medicina est abstinentia*. Modicis certè natura contenta est. Inueniuntur etiam ad sensum abstinentes vt frequenter diutiùs viuere; & ideò prædicta subtra-

G 4. 15. 3. a. 1. q. 2. ad 3.

ctio non poteſt dici mortis occaſio, cum ſe habeat ad vtrumque, ſcilicet ad prolongandum, & adbreuiandum vitam. Huc facit tamen quod ait
H op. 41. l. 1. c. 12. D. Bernardus relatus à D. Thoma [H] *ignoſce Domine, ignoſce; excuſamus, tergiuerſamur: vix eſt aliquis, qui in ijs quæ ad te ſunt experiri velit quid poſſit: & quod promptiſſime poteſt ſecundum carnem vel ſecundum ſæculum; ſiue timor impulit, ſiue cupiditas traxit*, & Sanctus Auguſtinus 8. Confeſſ. c. 11. *ibi tot pueri, & puellæ: ibi iuuentus multa, & omnis ætas; & graues viduæ & virgines. Anus irridebat me, irriſione exhortatoria, quaſi diceret: tu non poteris quod iſti, & iſtæ? an iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, & non in Domino Deo ſuo? quid in te ſtas, & non ſtas? proijce te in eum, noli metuere: non ſe ſubtrahet vt cadas: proijce te ſecurus, & excipiet te, & ſaluabit te.*

Hanc ſalis adhibitionem memorat Saluator Marci 9. *& omnis victima Sale ſalietur.* Quocircà
I Marci 9. in Catena. [I] Diui Thomæ, Beda; *In omnibus autem ſacrificijs Sal debet offerri; quia nullum eſt opus bonum, quod non Sal ſapientiæ ab omni corruptione vanæ laudis, cæteriſque prauis, ſiue ſuperfluis cogitationibus expurgat:* & Chyſoſtomus; *Vel hoc dicitur, quia omne munus victimæ noſtræ, quæ eſt ſecundum Orationem & proximi ſubuentionem, ſalitur igne diuino, de quo dicitur, ignem veni mittere in terram, de quo ſubditur bonum eſt Sal, ideſt ignis dilectionis.* Meritò autem Sal in typum diſcretionis aptatur: nam vario eduliorum ſapore, quæ comeduntur diſcernimus: & aliàs non adiecto Sale cibaria ſunt cuncta inſulſa & iniucunda.

Ad verſum 7. *Si autem de craticula* &c. allegorizat D. Thomas [L] pro Euchariſtiæ Sacramento. L op. 58. c. 21. in fine. Panis in craticula coctus & oblatus & aſperſus oleo, Chriſtus in Cruce pro nobis paſſus, & totus vnctus Spiritu-Sancto: huius Sacrificij memoriale eſt hoſtia, quæ offertur in memoriam paſſionis Dominicæ. Hæc debet ſuper altare adoleri ideſt accendi, quia in corde fideli, cum feruore deſiderij & deuotionis ſuſcipi. Hic odor ſuauitatis eſt Domino, ideſt tàm gratus Deo, vt ob eius gratiam remittat iram ſuam, & nos ſibi reconciliet, & ad æternam pacem perducat. Vbi autem verſu 8. legitur *tollet memoriale de Sacrificio*, ſignificatur in monimentum eius qui obtulerit, vt dicitur c. 5. v. 12.

C A P V T I I I.

1 QVòd ſi hoſtia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre, ma-
rem, ſiue fęminam, immaculata offeret coram Domino. 2 Ponetque manum
ſuper caput victimæ ſuæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonij
fundentque filij Aaron ſacerdotes ſanguinem per altaris circuitum. 3 Et
offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domino, adipem, qui operit Exod. 29. b. 19.
vitalia, & quidquid pinguedinis eſt intrinſecùs; 4 duos renes cum adipe, quo teguntur
ilia, & reticulum iecoris cum renunculis: 5 adolebuntque ea ſuper altare in holocauſtum,
lignis igne ſuppoſito: in oblationem ſuauiſſimi odoris Domino. 6 Si verò de ouibus fuerit
eius oblatio, & pacificorum hoſtia, ſiue maſculum obtulerit, ſiue fęminam, immaculata
erunt. 7 Si agnum obtulerit coram Domino, 8 ponet manum ſuam ſuper caput victimæ
ſuæ: quæ immolabitur in veſtibulo tabernaculi teſtimonij: fundentque filij Aaron ſangui-
nem eius per circuitum altaris. 9 Et offerent de pacificorum hoſtia ſacrificium Domino:
adipem, & caudam totam: 10 cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem, atque
vniuerſa vitalia & vtrumque renunculum cum adipe, qui eſt iuxta ilia, reticulumque iecoris
cum renunculis, 11 & adolebit ea ſacerdos ſuper altare in pabulum ignis, & oblationis
Domini, 12 Si capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino, 13 ponet manum
ſuam ſuper caput eius: immolabitque eam in introitu tabernaculi teſtimonij. Et fundent fi-
lij Aaron ſanguinem eius per altaris circuitum. 14 Tollentque ex ea in paſtum ignis domi-
nici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit vniuerſa vitalia: 15 duos renunculos cum
reticulo, quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & aruinam iecoris cum renunculis: 16 adolebitque
ea ſuper altarè ſacerdos in alimoniam ignis, & ſuauiſſimi odoris. Omnis adeps Domini
erit 17 iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis veſtris: nec ſanguinem nec
adipem omninò comedetis.

1 POſtquam in præcedentibus de holocauſtis dictum eſt, dictat Deus per Moyſen quæ circa pacificas hoſtias agenda ſint. Pacificas hoſtias offerri conſuetum erat pro gratiarum actione, vel pro ſalute, & proſperitate offerentium, ex debito beneficij vel
A p. 2. 102. 3. 8. B ibi ad 10. accipiendi vel [A] accepti, nàm Deo obligatur homo, & propter beneficia [B] iam ſuſcepta, & propter beneficia ſperata. Ex voto autem, non ſolum intelligendum venit, quaſi deſiderio alicuius obtinendi: ſed ſtricta obligatione promiſſi poſt gratiam obtentam: vnde infra c. 7. legimus cùm amplior de pacificis eſt inſtructio; *ſi voto vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam*: vbi ſeptuaginta: *& ſi votum fuerit, vel voluntarium Sacrificauerit*, en quomodo preſsè voti ratio ſignificatur, vt à ſpontaneis ſeiuncta omnino.

VERSVS I. *Quòd ſi hoſtia pacificorum fuerit eius oblatio & de bobus voluerit offerre, marem ſiue fœminam immaculata offeret coram Domino.*

Holocauſti oblatio quæ perfectionem quàm maximam præſeferebat, de maſculis erat dumtaxat, vt viſum eſt capite primo, nàm fœmina

est animal imperfectum. Quod si admittebatur oblatio turturum, aut columbarum, in holocaustum, [C p.2.cit. ad 9. & Esaię 1. loc. cit.] [c] id fiebat ad consulendum paupertati offerentium, quemadmodum & pro peccato: nàm cum aliquando oporteret litari Deo, & in holocausto, & pro peccato, ad parui pretij hostiam recurrebatur; eo vel maximè quòd aues huiusmodi propter altitudinẽ volatus congruũt perfectioni holocaustorum, & etiam hostijs pro peccato, quia habent gemitum pro cantu: At pacificæ hostiæ simpliciter arbitrariæ erant, gratisque offerebantur: de auibus eiusmodi non erat necesse, neque de masculis, nàm erat sacrificium minus dignum hostia pacifica, poteratque omitti. Hæc ex D. Thoma.

2 Quæres fortè cur holocaustum necesse esset aliquando offerri, & cur pacificæ aliæ appellarentur. Respondeo quia ad placandum Dominum [D Hebr. 10.l.2.] [D] erant holocausta; nemo autem ibit inficias, summopere vnicuique enitendum, vt Dominum, & sibi, & populo habeat placatum. Cedebat etiam specialiùs in honorem Dei: quis non aliquando id offerret? Deinde missis alijs pacificorum nomenclaturis, docemur [E 3.p.22.2.] [E] eas oblatas vt homo in statu gratiæ conseruaretur semper Deo inhærens: in quo eius pax, & salus consistit; & sic hostia pacifica erat pro offerentium salute.

VERSVS III. *Et offerent de hostia pacificorum oblationem Domino, adipem, qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis est intrinsecus.*

3 Adipem sibi incendi mandat: siuè offeratur de bobus, siue agnus, siue capra: & in calce capitis legitur, *omnis adeps Domini erit*. Imò infrà c. 7. *Loquere filijs Israel: adipem ouis, bouis, & capræ non comedetis: si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini comederit, peribit de populo suo*: ex quo arctant nonnulli præceptum solummodo ad adipem oblatorum Deo. Verùm videtur eis vetitus omnis adipis esus: siquidem ibidem interiectum est; *adipem cadaueris morticini, & eius animalis, quod à bestia captum est, habebitis in varios vsus*. D. Thomas prohibitionis eiusmodi [F p. 2. 102. 6. ad 1.] causam venatus [F] inquit; adipis etiam esus prohibitus est eis; tùm quia idololatræ comedebant illum in honorem Deorum suorum; tùm quia non generat bonum nutrimentum; tùm etiam quia cremabatur in honorem Dei. Hùc iuuat repetere ex eodem S. Doctore: [G loc. cit. a. 3. ad 8.] [G] Idololatræ enim comedebant adipes Deuteronomij 32. *De quorum victimis comedebant adipes*. Et præterea ad informationem humanæ vitæ, vnde prohibebatur etiam ad vitandam lasciuiam, & voluptatem peccati. Ezech. 34. *Quod crassum erat comedebatis*. Item ad reuerentiam diuinam: adeps quippe abundantiam nutrimenti demonstrat, & ideò vt ostenderetur, quòd à Deo nobis est omnis bonorum sufficientia, ad honorem Dei adurebatur adeps. Denique figurabatur pinguedo charitatis Christi, per quam se obtulit Deo pro nobis, de quibus Exodi 29. ad versum 22. vbi & de sanguine cur effunderetur, &c.

VERSVS IV. *Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis.*

Renes siue renunculos diminutiuè, etiam cum de agno, vel de capra fuerit hostia, præcipit sibi Deus adoleri. Meritò de renibus, iteratis vicibus, in sacrificijs etiam pro peccato, præcipitur, quia peccati fomes, ex quo facile cum Deo interturbatur animæ pax, eiusque salus deperditur, in eis est. Renes quippe lumbis adiacent, suntque vasa libidinosi humoris: & de Diabolo dicitur Iob 40. *Fortitudo eius in lumbis eius*: benè ait Gregorius, *Nec castitas magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquid sine castitate*. Atqui hac in re quod mireris est, semper ad renunculos mentionem iecoris addi, *& reticulum iecoris cum renunculis*: iecur, vt dixi antea, siue hepar, amoris, & concupiscentiæ est sedes: vtrumque cohiberi debere innuit Dominus, secùs haud placet oblatio.

VERSVS IX. *Adipem & caudam totam.*

4 Aliàs etiam de caudæ oblatione solicitus fuit Moyses dictante Spiritu scribere, vt patet suprà Exodi 29. & infrà aliquoties: certè si nec iota sacram paginam perperam occupat: multò minùs vacat mystico sensu caudæ oblatio. Secundum Gregorium in 1. Moralium, 40. significat operis consummationem: vnde offerre totam caudam, est perseuerare in bono opere: nonnulli pacificè immolare Domino nituntur, cum sancti propositi oblatione Deo se se offerunt; at non sacrificant caudam, hoc est ad postremum tempus non protrahunt: *Scias*, aiebat Bernardus, *Diabolum soli semper perseuerantiæ insidiari, quam solam nouit coronari*: & iterum, *quid prodest bene currere, & ante cursus metam deficere? sic currite vt comprehendatis. Sic stulti facti estis, vt cum spiritu caperitis, carne consummemini*. Gal. 3. vbi [H] D. Thomas Eccl. 27. [H Galat. 3.l.2.] *Homo sanctus permanet in sapientia sicut Sol, stultus vt Luna mutatur*: similes isti sunt ijs, qui incipiunt seruire Deo cum feruore spiritus, postmodùm deficiunt in carne, qui etiam assimilantur statuæ Nabuchdonosor, cuius caput aureum, & pedes lutei, Danielis 2. Adde Prouerb. 15. *Cor stultorum dissimile erit, stultus vt Luna mutatur*. Euacuanda est mutabilitas, qualis est in illis, qui die vna aggrediuntur [I] viam salutis; & die altera redeunt [I op. 41. l.5.c.48.] ad viam inferni. Et super illud: *Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam*, pauci inueniunt; pauciores, qui ambulant; paucissimi perseuerant in ea, & finem vitæ assequuntur [L]. [L Math. 7.]

Animaduerto autem id præcipi immolato agno & ariete: misso enim excellere eis in locis agnos quoad magnitudinem caudæ: non abs re fuerit, si dicatur supremum vitæ in innocentia, cuius figura est agnus, finiendum esse. Et præterea Deo non esse contemptui, si quis in vltima etiam ætate se illi dedat. Quia super illud; *Circa vndecimã vero exijt*, ait [M] D. Thomas: [M Matt. 20.] quibusdam non datur occasio reuertendi ad Deũ, vsque ad senium. Sanè veterem hominem Deus non despicit, qui mundum inueteratum inuenit.

Verùm alia fortasse latent: nàm cum Deo, vel gratias acturi, vel facturi satis appropinquamus, debemus etiam naturalia nostra, quæ cuncta à bonorum omnium largitore accepimus, illi offerre: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*, Rom. 6. Vbi in Apocalypsi legitur de

Dra-

Dracone. *& cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli*; cauda inquit D. Thomas, ideſt naturalium [N] excellentia, qua alios traxit, ſicut aliquid trahitur cauda. Igitur quæuis naturalis perfectio, ſi ad gratiæ conferatur dona, adeò imperfecta eſt, vt merito caudæ ſimilitudine adumbretur. Humilitatem etiam referre poteſt caudæ litatio, qua ſcilicet vt oblata Deo ſint accepta, vbi etiam eniteret innocentia, oportet accedere. Septuaginta, ne *ſanctum darent canibus*, in translatione, *caudam* transferre omiſerunt.

N Apoc. 12. comment. 2.

5 Supereſt recolere quod ait Apoſtolus Epheſiorum 5. vbi de Chriſto inquit, *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*: nàm loquitur more [O] veteris legis, in qua cum quis agebat gratias Deo, vel aliquid conſequi volebat, oportebat offerri hoſtiam pacificam, Leuitici 3. quæ quidem erat in oblationem ſuauiſſimi odoris Domino. Hoc autem factum eſt per Chriſtum, qui vt gloriam conſequeremur, tradidit ſemetipſum pro nobis in oblationem, per ea quæ in vita geſſit: Et ſubdit; ſed certè ille odor, non erat tunc Deo acceptus ſecundùm ſe, ſed ſecundùm ſuam ſignificationem, in quantùm ſignificabat oblationem odoriferam Corporis Chriſti filij Dei. Geneſis c. 27. *Ecce odor filij mei quaſi odor agri pleni*. Cant. 1. *Trahe me, poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Sic autem debemus nos ſacrificare Deo ſpiritualiter, Pſal. 50. *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus*.

O Eph. 5. 2.

C A P V T I V.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens. 2 Loquere filijs Iſrael: Anima, quæ
peccauerit per ignorantiam, & de vniuerſis mandatis Domini, quæ præcepit vt
non fierent, quippiam fecerit: 3 ſi ſacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit, delin-
quere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino: 4 & ad-
ducet illum ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino, ponetque manum ſuper caput
eius, & immolabit eum Domino. 5 Hauriet quoque de ſanguine vituli, inferens illum in
tabernaculum teſtimonij. 6 Cumque intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eo ſepties
coram Domino contra velum Sanctuarij: 7 ponetque de eodem ſanguine ſuper cornua
altaris thymiamatis gratiſſimi Domino, quod eſt in tabernaculo teſtimonij: omnem autem
reliquum ſanguinem fundet in baſim altaris holocauſti in introitu tabernaculi. 8 Et adipem
vituli auferet pro peccato, tam eum, qui vitalia operit, quàm omnia quæ intrinſecus ſunt:
9 duos renunculos, & reticulum quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renun-
culis, 10 ſicut auferetur de vitulo hoſtiæ pacificorum: & adolebit ea ſuper altare holocau-
ſti. 11 Pellem verò, & omnes carnes cum capite, & pedibus, & inteſtinis, & fimo, 12
& reliquo corpore efferet extra caſtra in locum mundum, vbi cineres effundi ſolent incen-
detque ea ſuper lignorum ſtruem, quæ in loco effuſorum cinerum cremabuntur. 13 Quòd
ſi omnis turba Iſrael ignorauerit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini
eſt, 14 & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret pro peccato ſuo vitulum, adducet-
que eum ad oſtium tabernaculi. 15 Et ponent ſeniores populi manus ſuper caput eius co-
ram Domino. Immolatoque vitulo in conſpectu Domini, 16 inferet ſacerdos, qui vn-
ctus eſt, de ſanguine eius in tabernaculum teſtimonij, 27 tincto digito aſpergens ſepties
contra velum, 18 ponetque de eodem ſanguine in cornibus altaris, quod eſt coram Do-
mino in tabernaculo teſtimonij: reliquum autem ſanguinem fundet iuxta baſim altaris ho-
locauſtorum, quod eſt in oſtio tabernaculi teſtimonij. 19 Omnemque eius adipem tollet,
& adolebit ſuper altare: 20 ſic faciens, & de hoc vitulo quomodo fecit, & prius: & ro-
gante pro eis ſacerdote, propitius erit eis Dominus 21 ipſum autem vitulum efferet extra
caſtra, atque comburet ſicut & priorem vitulum: quia eſt pro peccato multitudinis. 22 Si
peccauerit princeps, & fecerit vnum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohi-
betur: 23 & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret hoſtiam Domino, hircum de ca-
pris immaculatum. 24 Ponetque manum ſuam ſuper caput eius: cumque immolauerit eum
in loco, vbi ſolet mactari holocauſtum coram Domino, quia pro peccato eſt, 25 tinget
ſacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocauſti, & re-
liquum fundens ad baſim eius. 26 Adipem verò adolebit ſupra, ſicut in victimis pacifico-
rum fieri ſolet: rogabitque pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei. 27 Quod
ſi peccauerit anima per ignorantiam, de populo terræ, vt faciat quidquam de his, quæ Do-
mini lege prohibentur, atque delinquat, 28 & cognouerit peccatum ſuum, offeret capram
immaculatam. 29 Ponetque manum ſuper caput hoſtiæ quæ pro peccato eſt, & immola-
bit eam in loco holocauſti. 30 Tolletque ſacerdos de ſanguine in digito ſuo, & tangens
cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius. 31 Omnem autem adipem au-
ferens, ſicut auferri ſolet de victimis pacificorum, adolebit ſuper altare in odorem ſuauita-
tis Domino: rogabitque pro eo, & dimittetur ei. 32 Sin autem de pecoribus obtulerit vi-

ctimam pro peccato ouem, ſcilicet immaculatam, 33 ponet manum ſuper caput eius, &
immolabit eam in loco, vbi ſolent cædi holocauſtorum hoſtiæ. 34 Sumetque ſacerdos de
ſanguine eius digito ſuo, & tangens cornua altatis holocauſti, reliquum fundet ad baſim
eius. 35 Omnem quoque adipem auferens, ſicut auferri ſolet adeps arietis, qui immola-
tur pro pacificis: cremabit ſuper altare in incenſum Domini: rogabitque pro eo, & pro pec-
cato eius, & dimittetur ei.

VERSVS II. *Loquere filijs Iſrael, anima quæ peccauerit per ignorantiam* &c.

Statim ac auditur peccatum, victimæque oblario pro illo, enaſcirur intelligentis in animo difficultas, nùm ſacrificia huiuſmodi vim haberēt iuſtificandi: & ancipiti primo in limine quis hærebit iudicio, eoquòd Apoſtolus Hebræorum 9. ait, *& omnia penè in ſanguine ſecundùm legem mundātur*: cap. autem 10. *impoſſibile eſt ſanguine taurorum aut hircorum auferri peccata*: cui auctoritati adſtipulanrur Prophetæ, Ieremias cap. 11. *nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es*, quaſi dicat; non. & Micheas 6. *nunquid placari poteſt in millibus arietum, aut in millibus hircorum pinguium?*

1 Quocirca ne labamur errore, præſciamus neceſſe eſt, In veteri lege duplicem immunditiam fuiſſe obſeruatam; quatum altera erat ſpiritualis, culpæ ſcilicet; corporalis altera, puta lepræ, vel tactus morticini, fluxus ſanguinis in mulieribus, in viris ſeminis. Per peccata, puta idololatriam, homicidium, adulterium, Inceſtum, impediebantur à cultu ſpirituali diuino, qui conſiſtit in deuotione mentis ad Deum: per immunditias autem corporales impediebantur à cultu exteriori, qui conſiſtit in ſacrificijs, & oblationibus, & alijs huiuſmodi. Quando ergo ait Apoſtolus, *omnia penè in ſanguine ſecundùm legem mundari*, loquitur de emundatione ab ijs veluti irregularitatibus, ex ſordibus externis, contractis: in cuius ſignum ab eodem Apoſtolo ibidem cap. 9. dicuntur *iuſtitiæ carnis, vſque ad tempus correctionis impoſitæ*; quemadmodum & immunditia potiùs erat carnis quàm mentis: & hoc erat in figuram expiationis à peccatis, quæ fit per Chriſtum; nàm & per ipſas exteriores immunditias ſignificabantur diuerſa peccata, de quibus vberrimè D. Thomas [A] Vnde & gloſſa Hebræorum 9. *ſanguis hircorum & vitulorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat, ideſt à peccato mundat, ideſt à pœna legis: ad emundationem non animæ ſed carnis*. Et Paulus ad Galat. 2. *ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro*. Nunc *caro* pro hominibus carnalibus, & de mundo. Geneſis 6. *non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*, & Saluator Io. 15. *Si de mundo fuiſſetis*, &c.

A p. 2. 102. 5. ad 4. & Heb. 9. l. 2. & Hebr. 7. l. 1.

2 Iraque neque ceremoniæ neque ſacrificia veteris legis vim habebant auferendi peccata: cuius ratio eſt, quia expiatio à peccatis nunquam fieri potuit niſi per Chriſtum, vt dicitur Ioa. 1. *Ecce qui tollit peccata mundi*: vnde cum myſterium incarnationis, & paſſionis Chriſti, nondùm eſſet realiter peractum, veteris legis cæremoniæ non poterant in ſe continere realiter virtutem profluentem à Chriſto incarnato, & paſſo, ſicut continent Sacramenta nouæ legis, & ideò non poterant à peccato mundare: & hoc eſt quod ait Apoſtolus præfato Hebræorum 10. *impoſſibile eſt ſanguine taurorum aut hircorum auferri peccata*: nàm illud quod eſt pure corporale non mundat animam, quia non agit in animam, ſvt aſſumit D. Thomas Hebreorum 9. l. 2. Præcepta etiam illa cæremonialia etſi continerent iuſtitiam ſecundùm ſe in generali, prout ſcilicet exhibebantur in cultu Dei; in ſpeciali non continebant ſecundùm ſe iuſtitiam, niſi ex ſola determinatione legis diuinæ: & ideò de huiuſmodi præceptis dicitur quòd non iuſtificabant niſi ex deuotione, & obedientia facientium p. 2. 100. 12. Huius ſignum eſt ex modo loquendi in lege; dicitur enim paſſim, vt patet hic capit. 4. & 5. quòd in oblatione hoſtiarum pro peccato, *orabit pro eo Sacerdos & dimittetur ei*; quaſi peccatum dimittatur non vi ſacrificiorum, ſed ex fide & deuotione offerentium: & Apoſtolus fortiùs probat Hebræorum 10. *quia alioquin ceſſaſſent offerri*, vt ibi efficaciter expendit, & explanat D. Thomas.

Quomodo autem nihilominus tunc etiam contingeret etiam à peccatis mundari, docemur ex Sacris literis in quibus toties fit mentio de fide, vt patet ad Galatas 2. & 3. ſcientes quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidem Ieſu Chriſti; & ſic etiam ante legem; Hebræorum 11. *fide, plurimam hoſtiam Abel quàm Cain obtulit*; Iuſtificabantur ergo antiqui proteſtantes fidem Redemptoris in figuris ſacrificiorum, in quibus ipſum pro redemptione mundi credebant venturum: & ſic cæremoniarum obſeruatio, erat quædam proteſtatio fidei per quam coniungebantur Chriſto incarnato & paſſo. Talia habentur ex p. 2. q. 102. a. 5. ad 4. q. 103. 2. Iſaiæ 1. op. 58. c. 3. & Hebreorum 9. ac 10. propterea ait S. D. in op. præfato, indigni erant qui illa ſacrificia tantùm carnaliter attendebant: digni autem qui ea ſpiritualiter attendebant; & in eis, vel explicitè Chriſtum figuratum credebant; & ſecundùm intellectum ſpiritualem, vitam ſuam regebant. In agno ergo vel vitulo Chriſtus; in capra pœnitentia; in boue vita robuſta & actiua; in aue ſublimis & contemplatiua, & ſic de cæteris, ſignificabantur.

Hinc eſt quod benè ait gloſſa, relata 1. Iſaiæ *nunquàm ſacrificia eorum amauit*. Et ſanè Pſalmo 39. legitur *holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti*. Iſaiæ 1. *quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum: holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui, ne afferatis vltrà ſacrificium fruſtra*; quæ quidem intelliguntur ex parte rei oblatæ; non enim delectabatur (quod ait D. Thomas Hebræorum 10. l. 1.) in occiſione animalium, ſed in fide paſſionis eius; *omnia in figura contingebant illis* 1. Corinth. 10. Cuius repudiationis rationem quamuis ſuprà tetigerim, libet magis exponere, ex 4. ad Galatas vbi Apoſtolus vocat antiquæ legis ſacrificia, *egena & infirma elementa*: *infirma* quidem [B] quia non poterant à peccato mundare: ſed hæc infirmitas proueniebat ex eoquòd erant *egena*, ideſt non continebant in ſe gratiam. Quod itidem ſubtiliſſimè tangi

B p. 1 103. 2.

Apostolus Hebræorum citato 10. dicens; *quia hostias, & oblationes & holocaustomata & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi:* vbi Angelicus [c] maius est placere quàm velle; quia illa placent quæ in se habent aliquid vt ea velimus. Volumus autem aliquando aliqua non propter se, sed propter aliud; sicut secari vel vri amatur; vt declarat Isaiæ 1. non secundùm se, sed prout est ad finem sanitatis.

C Hebr. 10.l.1.

3 Nolebat tamen ea, & displicebant aliquando adhuc propter peccata offerentium Isaiæ 1. *manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*; sanguis pro peccato accipitur propter horroré, & immunditiam; & quia signum mortis. Et ideo, vt deuotè offerrentur, & acceptabiliter, orabat Sacerdos, vtque operarentur aliquam remissionem pœnæ quæ culpæ debita erat, vt colligitur alibi [D] ex D. Thoma. Erant tamen satisfactoria, præsupposita gratia ex fide mediatoris ei [E] collata, in quantùm onerosa erant. Igitur reuertendo ad versum primò exponendum; *Anima si peccauerit per ignorantiam*; quorundam scilicet [F] mandatorum Dei, *offerat* &c. Intelligitur autem *si peccauerit* ignorantia facti [G] non iuris: siquidem vt alibi pluries tradit, ignorantia iuris, non excusat à toto sed à tanto. Sed neque ignorantia facti pro qua offerendum erat, non autem per iudices procedendum, excusabat omninò à reatu, & hoc ob negligentiam, quæ intercessisse præsumebatur: nam quandoque quis non considerat quod considerare potest & debet, ex passione vel ex habitu (inertiæ scilicet) & tunc emicat ignorantia facti malæ electionis. Quo pacto etiam peccatur ignorantia iuris, cùm aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere: & secundùm hunc modum ignorantia vniuersalium iuris, quæ quis scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proueniens. De quo p. 2. [H] Quòd si euentus aliquis per se sequatur ex aliqua causa, præsumaturque præcogitatus, & culpabiliter permissus, non expiabatur huiusmodi peccatum per sacrificium aliquod, sed pari pœna sicuti Exodi 21. *de boue cornupeta*, qui si occidisset virum aut mulierem, lapidibus obruebatur; occiso præterea domino; vt fertur eadem prima secundæ [I] à D. Thoma.

D 1.p.79. 5.2.
E 4.1.1.5. 5.5.
F op. 58. 27.
G p. 2. 103.2.9.
H p. 2.6. 8.
I p.1. 20. 5.1.

VERSVS III. *Si Sacerdos qui vnctus est peccauerit, delinquere faciens populum* &c.

4 Offerendus erat vitulus: fortè quia in boue vita robusta & actiua, ad quam vocatur Sacerdos, significatur: in boue inquit op. 58. c. 3. vita robusta & actiua. Vel in memoriam reatus Aaron Sacerdotis, quoad vituli conflationem. Ad idololatriam extirpandam, plura quippe Deus præceperat, & ordinauerat. Sic aspersio sanguinis [L] pertinebat ad detestationem idololatriæ, in qua sanguis immolatitius, non effundebatur, sed congregabatur, & circa ipsum homines comedebant in honorem idolorum. Et quia vacca rufa Numeri 19. comburebatur extrà castra ad detestationem pariter idololatriæ, in signum quòd totaliter erat extirpanda, vnde cremabatur cum pelle, & carnibus, sanguine & fimo flammæ traditis, vt ibidem docet; hoc ipsum, & in præsentiarum dici potest; siquidem vbicumque sacrificium fiebat pro multitudine peccatorum, cremabatur extrà castra totum: & sic in hoc capite v. 13. pro turba sacrificatur.

L p. 2. 102.5.5.

5 Mirum est autem præcipi, vt intincto digito in sanguine aspergatur septies coram Domino contrà velum Sanctuarij; quia vt ait loco citato, Septenarius Numerus vniuersitatem significat, ac si pro multitudine populi offerretur: sed non sine causa id iussum esse crediderim, eo quòd lapso Sacerdote ruit populus. Osee illud testatur c. 5. *audite hoc sacerdotes, quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor. Thabor* interpretatur [M] *lumen veniens*, vbi Gregorius; *cum Pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est vt in præcipitium grex sequatur*; & alibi; *in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia gradus, peccator honoratur; ad plurium enim notitiam perueniunt peccata maiorum*. Prouerb. 25. *fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadens coram impio.* Innuit hæc omnia Sacer textus ijs verbis, *delinquere faciens populum*. Figuraliter autem diuinius idem D. Thomas 1. 2. 102. a. 5. ad 5. occasione vaccæ rufæ Numeri 19. Intingit Sacerdos digitum in Sanguine, quia per discretionem, quam digitus significat, mysterium passionis Christi est considerandum & imitandum; aspergitur autem contrà tabernaculum (per quod Synagoga designatur) vel ad condemnationem Iudæorum non credentium, vel ad purificationem credentium: & hoc septem vicibus, vel propter septem dona Spiritus Sancti, vel propter septem dies in quibus omne tempus intelligitur. Sunt autem omnia quæ ad Christi incarnationem pertinent, igne cremanda, idest spiritualiter intelligenda: nam per pellem, & carnem, exterior Christi operatio significatur: per sanguinem, subtilis & interna virtus exteriora facta verificans: per fimum, lassitudo, sitis, & omnia huiusmodi ad infirmitatem pertinentia.

M Apoc. 17. comment. 1.

VERSVS XIII. *Quod si omnis turba ignorauerit, & per imperitiam fecerit* &c,

VERSVS XV. *Et ponent seniores populi manus* &c.

Peccante omni turba, seniores accersiuntur ad offerendum; certè non alia de causa nisi quia scandalo præsumuntur fuisse populo: siquidem, *à boue maiori discit arare minor*. Sensim enim cum seniores delinquunt, ad quæque perpetranda mala, iuniori fit ausus: quem si volueris arguere ad maiorum exempla statim confugientem obaudies.

VERSVS XXII. *Si peccauerit Princeps, & fecerit vnum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur*.

6 Debebat Princeps offerre hircum de capris immaculatum. Ad primum lapsum monebatur offerre, ne ab vno traheretur in alia. Hircum offert, qui veluti Princeps est inter hædos: hædus autem aptatur in typum malorum: *hædos autem à sinistris*. Hædum offerimus [N] ait D. Thomas, cum lasciuiam superamus. Alibi; [O] est hædus animal ad coitum feruidum; & oui, quæ innocens est, quæ patiens, quæ obediens, quæ fructuosa, contrarias habet proprietates. Et in exposit. germana Cant. c. 1. Hædus est animal fœtidum; in quo notantur carnales motus. Hic Princeps fortasse iubetur hircum offerre, inobedientiæ præcipue titulo: quia ex hoc ipso quòd cæteris prælatus est, ad agenda quælibet effræni abuti solet licentia.

N p. 2. 102.3.2.
O Matth. 25.

VER-

VERSVS XXVII. *Quod si peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ &c. offeret capram immaculatam.*

Capra peccatoris figura est: vnde & in lege præcipitur, vt quicunque per ignorantiam peccauerit, & cognouerit reatum suum, offerat pro delicto suo capram in holocaustum; & ibi *capilli tui sicut grex caprarum* ait; Capilli ergo Ecclesiæ gregi caprarum comparantur, quia Sancti qui sunt membra Ecclesiæ, omnes reatus cogitationis suæ per dignam penitentiam, & per lachrymas compunctionis deflere satagunt. Cilicium fit de pilis caprarum, idcirco Matthæi 11. dicit Dominus [Q] *in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*: quæ etiam firmantur ex Genes. 15. vbi D. Th. per capram hirsutam, & horridam, amara & austera compunctio pœnitentium designatur. In supra dictis autem, excitamentum ad pœnitentiam erat locus cinerum, quasi ad mortis memoriam, vt etiam primo in capite dictum est.

Q Matth. 11.

VERSVS XXXII. *Si autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ouem scilicet immaculatam, &c.*

8 In oue relucet innocentia, mansuetudo, nilque in ea [R] fœdum turpe aut immundum. Contingit vt ex peccantibus, accedant aliqui quasi oues accepti, & emundati corde, ante oblationem; aliqui autem actuali pœnitentiæ inhiantes: neutros despicit Deus. Peccatoris alias consuliter commodo, vt alteram ex duabus offerat victimam.

R Cant. 6.

Effunditur sanguis victimarum omnium multis de causis, vt dixi Exodi 29. ad versum 22. præcipuè propter reuerētiam diuinam, quia sanguis est maximè necessarius [S] ad vitam, ratione cuius dicitur anima esse in sanguine; & ideò, vt ostenderetur, quod à Deo nobis est vita effundebatur.

S p. 2. 102. 4. 8.

Obseruandum est autem valde discrimen circa sanguinis positionem. In sacrificio pro sacerdote, & pro populo. In cornibus, aut super cornua altaris thymiamatis ponebatur: non sic in sequentibus pro Principe, & pro quouis de populo terræ immolatis: nàm in his tangebantur solùm cornua altaris Thymiamatis. Ratio potest esse in promptu; quia vt dixi Exodi 26. [T] sacerdotibus, (& sic senioribus) notæ erant rationes sacrificiorum, atque mysteria; non sic præsumendum erat innotescere Principi, aut cuiuis de populo: ideò horum expiatio sistebat in tabernaculi atrio. Faciliùs etiam deuotionis odorem populus, ac Sacerdos gratissimum Domino halare credendi erant: & sic non immeritò tanguntur sanguine cornua altaris incensi.

T p. 2. 102. 4. 4.

In his sacrificiis etiam aliud deprehendes discrimen hisce verbis à D. Thoma [V] enucleatum. Sacrificium pro peccato quod offerebatur Deo pro necessitate remissionis peccati, cōueniebat statui pœnitentium; quod diuidebatur in duas partes: nàm vna pars eius comburebatur, altera verò cedebat in vsum Sacerdotum; ad significandum, quòd expiatio peccatorum fit à Deo per ministerium Sacerdotum; nisi quādo offerebatur sacrificium pro peccato populi; vel specialiter pro peccato Sacerdotis; tunc enim totum comburebatur; non enim debebant in vsum Sacerdotum venire, quæ pro peccato eorū offerebātur; vt nihil peccati in eis remaneret: & quia hoc nō esset satisfactio pro peccato; si enim cederet in vsum eorum, pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur, ac si non offerretur. At dices: hæc benè dicuntur; atqui non videtur par ratio cum pro populo offertur; tunc enim pars debuisset Sacerdotibus dari: Respondeo ex S. Thoma l. c. & ps. 39. imò non; quia in omni populo, & ipsi Sacerdotes includebantur: vndè & pro se quoque offerebant: & hæc iterum erat ratio, cur in eiusmodi sacrificio, Altaris thymiamatis cornua sanguine linirentur. Hoc ipsum scripserat in Isaiam [X] dicens: Quædam Sacrificia cedebant partim in cultum Dei, partim in vsum ministri; sicut hostia pro peccato; nisi quando erat pro peccato Sacerdotis, vel multitudinis.

V p. 1. 102. 3. 8.

X Isaiæ 1.

Quoniam verò omnes hostiæ [A] veteris testamenti præfigurabant Christum; operæ pretium est recolere quod ait Glossa [B] *si omnis turba, &c. offerat vitulum*, idest Christum. Repetamus ergo; Christus in vitulo offertur propter virtutem [C] Crucis: in hirco propter similitudinem carnis peccati. Adde tù in capra quæ vilissimum est animal, propter humiliationem: *humiliauit semetipsum vsque ad mortem. Ego autem sum vermis, & non homo*: in oue propter innocentiam: 2. Regum 24. *isti qui oues sunt quid fecerunt?* Isaiæ 53. *sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus* &c.

A Hebr. 13. 12.
B op. 13. 5.
C p. 1. 102. 3. 4.

In Apocalypsi, Commentario 2. Postquam Altare thymiamatis astruxit esse Christum, [D] pergit S. Doctor: Huius Altaris cornua sunt Prædicatores Sancti per quos debet Christus eleuari, & extolli. Item quia debent esse pro Christo mori parati: & portare in memoria & effectu (supple, Christum Crucifixum,) & imitationis effectu effundere sanguinem: sicut in cornibus Altaris in lege sanguis ponebatur.

D Apoc. c. 9.

CAPVT V.

1 SI peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit, quòd aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam. 2 Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, siue quod occisum à bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile; & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit: 3 & si tetigerit quidquam de immunditia hominis iuxta omnem impuritatem, qua pollui solet, oblitaque cognouerit postea, subiacebit delicto. 4 Anima, quæ iurauerit, & protulerit labijs suis, vt vel male quid faceret, vel bene, & idipsum iuramento, & sermone firmauerit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, 5 agat pœnitentiam pro peccato, 6 & offerat de gre-

gregibus agnam siue capram, orabitque pro ea sacerdos, & pro peccato eius: 7 sin autem
non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, Infr. 12 d. 8.
vnum pro peccato, & alterum in holocaustum, 8 dabitque eos sacerdoti, qui primum of- Luc. 2. d
ferens pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas, ita vt collo hæreat, & non penitus 24.
abrumpatur. 9 Et asperget de sanguine eius parietem altaris, quidquid autem reliquum
fuerit, faciet distillare ad fundamentum eius, quia pro peccato est. 10 Alterum verò ado-
lebit in holocaustum, vt fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & di-
mittetur ei. 11 Quod si non quiuerit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos co-
lumbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam, non mittet in eam oleum,
nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est: 12 tradetque eam sacerdoti: qui ple-
num ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare in monumentum eius, qui obtulerit,
13 rogans pro illo, & expians, reliquam verò partem ipse habebit in munere. 14 Locu-
tusque est Dominus ad Moysen, dicens. 15 Anima si præuaricans ceremonias, per erro-
rem in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccauerit, offeret pro delicto suo arietem im-
maculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus Sanctuarij: 16 ipsum-
que quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui
rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei. 17 Anima si peccauerit per ignorantiam,
feceritque vnum ex his, quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquita-
tem suam, 18 offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram, æsti-
mationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei, 19 quia
per errorem deliquit in Dominum.

VERSVS I. *Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius est; nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam.*

In intellectu huius textus discrepantia nonnulla est inter expositores. Lyranus, Abulensis, Oleaster, Arias Montanus, & Sa apud Tirinum, sic interpretantur, *si audierit vocem iurantis*, *pro adiurantis*, scilicet iudicis. Itaque si quis flagitium aliquod patrauerit, & alius quispiam euocatus à iudice sub adiuratione in testem, vt id quod vel visu, vel aliter de flagitio cognouit testetur, si talis, seu metu seu amore eius, de cuius crimine inquiritur, siue alia ex causa testimonium ferre subterfugerit, non erit immunis à crimine. At hæc expositio non videtur quadrare textui: nàm audire *vocem iurantis*, *siue adiurantis* iudicis dicendus est homo qui *peccauerit*: isti autem retorquent ad testem. Et præterea etsi reus per iudicis adiurationem compelli queat ad veritatem dicendam, de quo 22. q. 90. a. 1. attamen iudex non consueuit adiurare testes; nàm adiurare non est ad iurandum inducere: cùm tamen testes non admittantur nisi *iurati*. Fortè autem præter alia, ducti sunt præfati Auctores in eam sententiam, quia Chaldæa interpretatio habet, *& audierit vocem adiurantis*: Sed ibi adiurare non debet in stricto adiurationis sensu accipi, sed prout sonat ad aliquem, suum referre iuramentum, vt in ciuili conuictu & priuato dissensu accidere solet. Adiurare non est aliquem ad iurandum inducere ex 22. 90. 1. vt dictum est.

Igitur germanior veriorque sensus est: *si peccauerit anima*: statimque exponitur quo genere peccati, nempe iurando vel adiurando, falsum scilicet, quod quis audierit, testisque pariter fuerit de visu aut alia certa notitia, nisi hic reuelauerit &c. Forte huic non adhæserunt expositioni; quia secundùm ipsam videretur iniuncta obligatio accusandi: quod vniuersaliter verum non est, vt patet 22. q. 68. a. 1. imò neque tenetur quis ferre testimonium, in ijs quæ pertinent ad alicuius condemnationem, nisi cum à Superiori compellitur secundùm ordinem iuris: id quod hic non apparet. 22. 70. a. 1. Sed licèt hæc verè dicantur, non sunt ad rem; nàm in primis apud Sanctum Doctorē [A] ex D. Augustino: Moyses non exprimit in hac auctoritate cui sit indicandum periurium alterius: & ideò intelligitur quòd debeat indicari talibus, qui magis possint prodesse quàm obesse periuro. Et ideò videtur seruandus ordo Euangelicus, si sit peccatum periurij occultum; & præcipuè quando non vergit in detrimentum alterius; quia in tali casu non haberet locum ordo Euangelicus. Videtur ergo ex D. Thoma ac D. Augustino præsumi alius periurus, quem debeat testis id noscens reuelare. Si autem qui primò peccasset, etiam ad adiurationem, crimen non esset fassus, non propterea diceretur periurus, sed potius mendax: periurij tamen reatum habuit, quia falsum, (vt ibi assumit D. Thomas) iurauit, cuius reatus, est etiam obnoxius testis seu conscius aliàs, qui periurum illum non detegit.

A 2. 2. q. 91 4. 1.

Dici potest deinde non esse absurdum, si ab eo ditum periurum teneretur qui testis esset, & conscius, reuelare: quia tunc temporis arctabantur iudicialia iustis de causis, sic Domino iubente: quæ noua in lege secundùm propriam formam non est necesse seruari: vt dixi ad Exodi c. 24. n. 8. ex D. Thoma.

VERSVS II. *Anima quæ tetigerit aliquid immundum*, &c.

En quomodo alterius ex causa labefactari posse animam, puta periurij peccato, corporali contagione declarat. S. Doctor hoc expresse habet; vniuersaliter per immunditiam [B] contactus rei immundæ, designatur immunditia consensus in peccatum alterius, secundum illud 2. Corinth. 6. *Exite de medio eorum; & separamini, & immundum ne tetigeritis*. Immunditia sic cadaueris cuiuscunque, significabat immunditiam peccati, quod est mors animæ. Reptilia etiam prohibentur tangere, eo quòd sit de immundis immundius: vnde infra c. 21. *Omne quod reptat super terram, abominabile erit*, nec assume-

B p. 2 102. 5. a 4.

tur

tur in cibum: de his pleniùs suo loco.

2 VERSVS III. *Et si tetigerit quidpiam de immunditia hominis*, &c. De hoc dicetur, capite 15.

VERSVS IV. *Anima quæ iurauerit, & protulerit labus suis*, &c.

In his præsumpto, ex obliuione, vel inaduertentia peccato, non propterea excusabatur omnino, sed ad expiationem, necessum erat offerre. Noster *obliuionem* incusat: Septuaginta legunt: *& latuit ipsum*: Chaldæa; *celatum fuerit, & occultatum*.

Itaque inaduertentia, inconsideratio, obliuio etiam coram Deo culpatur. Quamuis autem hoc in loco, non sit sermo de iuris ignorantia, quia præsupponitur scientia, vbi fit mentio de obliuione; dicit autem Sacer textus: *& oblita fuerit, oblitaque cognouerit; oblitaque postea intellexerit*: attamen ex notitia peccaminosæ ignorantiæ iuris, innotescit quomodo peccari contingat ignorantia facti, quæ obliuionem persæpe iuris etiam consequitur: puta innotescet an culpandus sit ille, qui præceptum ieiunium, vel vnius diei à carnibus abstinentiam, non seruauit.

Ignorantia iuris, eorum quæ quis scire tenetur, & potest, stabilitur semper culpabilis, puta si nesciat quis, seu potiùs, ignoret quæ sunt fidei; vniuersalia præcepta iuris, & quæ ad suũ statum, vel officium spectant: nam teneri non est dubium, quia sine illorum scientia, non potest debitos actus exercere: posse autem similiter certum est, quia communiter assequuntur homines notitias huiusmodi; nec potest dici ignorantia inuincibilis, quasi studio superari nõ possit. Quare radix cui non superetur, atque adeò culpabilitatis, alia non est præter negligentiam; (mitto directè volitam ignorantiam ad liberiùs peccandum) vndecunque nascatur, siue quia absterret labor, tenet otium, aut distrahit occupatio. Itaque in negligentiam refunditur finaliter culpa. Et hæc traduntur à D. Thoma q. 2. 76. 3. & 4. Pari omninò ratione, cum ex negligentia euadit quis obliuiosus, incõsideratus, & inaduertens, circa ea quæ deberet & posset perpendere, non vacat culpa: hinc idem sanctus Doctor citata p. 2. q. 76. a. 2. ad 2. omissio est peccatum in quantum est aliqualiter voluntaria, & hoc modo ipsa negligentia sciendi, vel etiam ipsa inconsideratio est peccatum; è contra verò q. 77. a. 7. ad 2. ignorantia particularis, quæ totaliter excusat, est ignorantia circumstantiæ, quam quidem quis scire non potest, debita diligentia adhibita.

Debet ergo, vt sit inculpatus quis apud Dominum, non negligere; quod est debitam diligentiam adhibere; Ecclesiastes capit. 7. *qui timet Deum nihil negligit*, & Prouerb. 14. *diligenter exerce agrum tuum*, &c. 28. *Qui autem inquirunt Dominum animaduertunt omnia*.

Quærit S. D. 2. 2. q. 54. a. 3. Vtrum negligentia possit esse peccatum mortale. Et supposita negligentiæ descriptione ex art. 1. vt sit defectus debitæ solicitudinis, ait illam prouenire ex quadam remissione voluntatis per quam contingit, quòd ratio non solicitatur, vt præcipiat, ea quæ debet, vel eo modo quo debet: & asseueranter docet esse negligentiam mortale peccatum, quando prætermittitur per negligentiam id quod est de necessitate salutis; siue sit actus, siue circumstantia: huc facit quod refert ex Prouerb. 19. *Qui negligit viam suam mortificabitur*. Quod prædocuerat generaliori quadam ratione quæstione 53. a. 4. de inconsideratione, dicens defectus recti iudicij ad vitium inconsiderationis pertinet, pront scilicet aliquis in rectè indicando deficit, ex hoc quòd contemnit, vel negligit attendere ea ex quibus rectum iudicium procedit. Ibique ad 3. ait, in agibilibus humanis plura esse attendenda ad rectè indicandum, quàm in speculatiuis, quia operationes sunt in singularibus.

Eiusmodi negligentiam, & inconsiderationem tangit hìc Moyses dicens *rea est, & deliquit*. Ne delinqueret Iob, aiebat: *verebar omnia opera mea*. Ad praxim autem hæc redigendo, non nego posse aliquando inculpabilem omninò obrepere obliuionem. Ad hoc autem profundè cognoscendum necesse est duo animaduerti: primò, num aliqua animi passio locum habuerit: neque enim si quid ex passione iræ tristitiæ ac huiusmodi omittatur aut committatur; (quod quomodo contingat traditur 1. 2. q. 77. a. 2. quodque plerumque accidit, quia passionem appetitus sensitiui, sequitur imaginationis apprehensio, & iudicium pariter æstimatiuæ, & sic iudicium rationis, & motus voluntatis, q. 76. a. 1.) effugitur reatus peccati. 1. 2. 77. a. 8. ratio enim deliberans potest occurrere, & excludere, vel saltem impedire passionem. Secundò attendi debet quomodo habitualiter se se habeat voluntas: nàm cùm negligentia vt dictũ est proueniat ex quadam remissione voluntatis; vbi voluntas simpliciter propendet ad accuratè perpendenda, & agenda quæ sunt de necessitate salutis; quasi in habitu dignoscitur esse expers negligentiæ: vnde si quid contingat omitti vel committi, erit inculpata lethaliter omissio aut commissio, quas nec habitus malus nec passio vlla causauerit. Et ita D. Th. in p. 2. q. 6. a. 8. dicitur ignorantia voluntaria cum aliquis actu non considerat, quod considerare potest & debet, quæ est ignorantia malæ electionis vel ex passione, vel ex habitu proueniens, .s. inertiæ.

Hanc negligentiam semper memorat D. Thomas cùm ignorantiam culpabilem facit: vnde q. 3. de malo. a. 8. inquit, cum quis emittit sagittam in aliquo loco, vbi homines solent transire, ad negligentiam sibi imputatur, si scire non studeat, an tunc aliquis transeat, & talis ignorantia per negligentiam contingens voluntaria iudicatur. Et hic erit defectus ex aliqua passione. Defectum autem in habitu inspicere possumus in sacro textu: *anima quæ iurauerit* &c. hinc monet Ecclesiasticus cap. 23. *iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa*. Et benè post periurium, de alio iuramento eos damnat Dominus.

Vnum superest hanc ad rem obseruare, nimirum pro iuris ignorantia: qui enim reatum huiusmodi contraxit quando fuit tempus acquirendi scientiam, quam tenebatur habere: si peccata confiteatur sua, transit ab eo reatus per pœnitentiam; & quamuis remaneat in ipso ignorantia, hoc est priuatio scientiæ; non ob id, adhuc est in peccato, quia non remanet negligen-

tia

tia secundùm quam ignorantia peccatum dicitur. Ita ex D. Thoma p. 2. q. 76. a. 2. ad 4. & 5. Cum autem moderni summarum moralium Auctores, vltra hoc quod est teneri & posse aliquid scire, requirunt ad vincibilem ignorantiam, præuiam aliquam cogitationem vel considerationem, vel dubium, vel suspicionem, vel scrupulum de malitia operis, eatenus verum dicunt, quatenus vel habitus malus vel passio non impediat huiusmodi cogitationem, si enim passio, vel habitus inertiæ sint in causa inconsiderationis, non est inuincibilis ignorantia, inconsideratio aut obliuio.

VERSVS IX. *Et absterget de sanguine eius parietem altaris.*

Semper, quo fiat expiatio, cruentatur altare: dixi pluries per altare Christum significari: impossibile est sine sanguine remitti peccata: Hebr. 9. effudit enim illum Dominus *in pretium simul & lauacrum*: D. Th. in sermone. *Angulare fundamentum lapis Christus est*, canit Ecclesia, *qui parietum compage in vtroque nectitur*.

VERSVS XI. *Quòd si non quiuerit manus eius &c. offeret pro peccato suo, similæ partem Ephi decimam &c.*

a Glossa hic, vt fertur à D. Thoma; *decimam partem Ephi*, idest Christi humanitatem. Ephi

C 1.d.6. 1.b. enim tres modios c capiens, significat Trinitatem. De simila dictum est suprà, ac de decimis.

VERSVS XV. *Anima si præuaricans cæremonias in his quæ Domino sunt sanctificata &c.*

Septuaginta legunt, *si latuerit eam oblivione & peccauerit inuitè de Sanctis Domini*. Non leue imponitur onus de arietis oblatione &c. cùm tamen leue videatur peccatum, quod omissionem quandam importat: atqui rem elucidat D. Tho-

D 2.1.79. 4.1. mas; D delictum (inquit) quandoque strictè accipitur, pro eoquòd omittitur aliquid, de ijs quæ pertinent ad Deum: sic in præsenti quandam habet grauitatem, ratione cuius maiori expiatione indiget.

VERSVS XVII. *Anima si peccauerit per ignorantiam &c.*

Circa hoc & simile quodcunque delictum, oportet animaduertere quod pluries tradit locis suprà citatis D. Thomas, sed clariùs in prima ad Timotheum ad illa verba; *quia ignorans feci*: aliud est, inquit, ignoranter agere, aliud per igno-

E 1. ad Timot. 1. 13. rantiam: E quia ignoranter facit aliquid, qui nescit quod facit; tamen si sciret etiam faceret illud; sicut credens se interficere feram, occidit inimicum suum, quem tamen occidisset etiam libentiùs si nouisset eum. Sed per ignorantiam facit, qui facit aliquid, quod non faceret, si nosset; sicut occidens Patrem, quem si sciret, non occideret eum; quem tamen occidit quia eum credit inimicum: primam ignorantiam voca concomitantem: secundam possumus dicere antecedentem: lege D. Thomam p. 2. F

F p.2.6.8.

Quoniam verò simile habetur monitum capite præcedenti, vbi legitur; *si peccauerit anima per ignorantiam de populo terræ*, & ibi iubetur offerri capram; hic autem arietem, mirabitur quis, tùm de varietate oblationis, tùm cur id repetatur in quinto capite de ignorantia, quod opportuniùs videbatur annectendum capite 4. Sed discrimen vtrobique est personæ; etenim in quarto capite plebeius aliquis introducitur peccare: hic autem, vt ex oblatione maiori, arietis nimirum, deprehenditur, præsumitur peccare diues aliquis, non ex plebe: Et fortè ideò hoc loco id traditur, quia paulo ante fuerat facta mentio de præuaricante cæremonias: soli autem diuites plerumque dignoscuntur delinquere in Dei cultu, in quo est plebs deuota: quare vt vel tacitè increpentur de irreuerentia, de confabulatione, de profanis in Dei Templo peractis, iuxta cæremoniarum defectus, diuitum nobiliumque præuaricatio ac ignorantia, genere eodem notatur.

VERSVS XVIII. *Iuxta mensuram æstimationemque peccati.*

Ex his verbis, auricularis confessionis solidum munimentum exstruitur, idque aduersùm Neotericos impios, qui ipsam tanquam constitutionem humanam, & non necessarium grauamen calumniantur. Mensura & æstimatio peccati, nequit nisi detegatur haberi. Non est vnius cuiusque hoc iudicium. 3

Igitur, non leue erit catholici dogmatis fundamentum si iuris esse & fuisse semper diuini nõ nullam peccati apertionem hic aperiemus. Sanè insonant atque concinunt veteris Testamenti oracula de confessione delicti; Prouerb. 28. *qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Ecclesiastici 17. *non demoreris in errore impiorum; ante mortem confitere: à mortuo quasi nihil, perit confessio: confiteberis viuens; viuus & sanus confiteberis*. Psalm. 31. *dixi, confitebor aduersùm me, iniustitiam meam Domino*.

Sed vix has protulimus authoritates, & rident hæretici; eoquòd, vt ipsis videtur, non cogant admitti alteri homini confessionem, benè verò Deo faciendam. Atqui non desunt expressiores auctoritates, quæ id in veteri lege quasi præparatoriè satis euincant. Numeri 5. sic legitur; *locutusque est Dominus ad Moysen dicens, loquere ad filios Israel: Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum* &c. Leuitici 26. *Et propter peccata patrum suorum, & sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas*. Ibidem cap. 16. *Et posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum*. Denique præsenti capite; *anima quæ iurauerit, & protulerit labijs suis* &c. *agat pœnitentiam pro peccato*. Vbi lītera Cyrilli, *& pronunciet peccatum*: Hebraica autem veritas; *& confitebitur peccatum quod peccauit*: quod itidem Chaldæa interpretatio similiter habet.

Propter eiusmodi authoritates D. Thomas in 4. G inquit: in lege Moysi oportebat aliquo signo exteriori peccatum protestari; sicut per oblationem hostiæ pro peccato, ex quo homini innotescere poterat eum peccasse: non autem oportebat, quòd speciale peccatum à se commissum manifestaret, aut peccati circunstantias, sicut in noua lege oportet. Quod iterum repetit infrà H dicens, in lege Moysi erat aliqua confessio, quia in generali profitebatur peccatum suum, oblationem in lege faciens pro peccato statutam, non autem in speciali, sicut est in noua lege.

G 4.17.q. 1.a.1.q.2. ad 1.

H dist.22 q.2.a.1. q.2. ad 1.

I 3.p.84 7.2. Et pariter tertia parte. [I] quantùm ad remedium doloris quærendum, habuit pœnitentia determinatiorem, vt aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur ad minùs in generali: vnde Dominus Leuitici 5. dicit, *Anima si peccauerit per ignorantiam, offeret arietem* &c. in hoc enim ipso quòd oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum Sacerdoti confitebatur; & secundùm hoc dicitur Prou. 28. *qui abscondit scelera sua* &c. Imò sub dubiertste tradit [L] Leuitici 16. colligatam fuisse super caput hirci emittendi in desertum schedulam aliquam, vbi essent scripta peccata. Et art. 3. ad 11. inquit cùm peccata aggrauentur ex statu peccantis, ideò alia hostia mandabatur offerri, pro peccato Sacerdotis, & Principis, vel alterius priuatæ personæ. Est autem attendendum vt Rabbi Moyses dicit, quòd quanto grauius erat peccatum, tantò vilior species animalis offerebatur pro eo; vnde capra, quæ est vilissimum animal, offerebatur pro idololatria, quod est grauissimum peccatorum.

L p. 2. 102.5.6.

Hinc confunditur Nouatorum error, vt scilicet sufficiat soli Deo reatum suum confiteri, vt impiè dixerunt Lutherus ac Erasmus. Quod si obijciant, in lege naturæ sufficisse interiorem cognitionem peccati apud Deum vt 4. cit dist. 17 docet D. Thomas. Respondeo hoc verum esse, si de necessitate loquamur; quia in lege vel tempore legis naturæ, sufficiebat vt quæ sunt de iure naturali seruarentur: Est autem de iure naturali, vt tradit 3. p. citata ad 1. quòd aliquis pœniteat de malis, quæ fecit, quantum ad hoc quòd doleat ea fecisse: sinebat autem Deus tùnc temporis, dictamine naturæ conformi ductari homines in Deum, nondum scriptæ legis lumine & adminiculo exhibito: attamen sicut haud licet inferre; in lege naturæ non erat promiscuè obligatio sacrificiorum, ergo nec exinceps: in lege naturæ ante Abraham remittebatur originale absque circuncisione, ergo & exinceps: ita nec à pari philosophari par est de confessionis necessitate, cuius specimen fuit in veteri lege. Notandum est autem valde quod ibidem ad 2. ait D. Thomas; nimirùm & quæ sunt iuris naturalis diuersimodè determinationem accepisse in veteri, & in noua lege, secundùm quòd congruit imperfectioni veteris, & perfectioni nouæ legis: *Nihil ad perfectum adduxit lex*. Hebr. 7. Dolebat Dominus Ieremiæ 28. *nullus est qui agat pœnitentiam pro peccato suo*. Ioelis 2. *scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*: cùm ergo tempus esset imperfecti doloris, quia non erat tempus gratiæ, quæ per Christum facta est; similiter authoritas clauium non esset, sed solùm Sacerdotis oratio: *orabit pro eo Sacerdos*; non mirum, si diminuta, nec integra delictorum esset confessio.

Nihilominus quoniam ad Sacerdotes necessum erat accedere, cum ad Sacerdotem pertineat vt *offerat dona & Sacrificia pro peccatis* Hebræorum 5. oportebat, vt grauitas culpæ aliquantò ipsi innotesceret, vt *iuxta mensuram æstimationemque delicti* Deo litaretur, non enim rationabile visum fuisset id remitti delinquentis imperiti ac rudis arbitrio: neque prudenti consilio orasset pro expiatione Sacerdos, nisi vel in genere peccantis prænouisset reatum. Sic Leuitici 13. præcipitur de leproso mundando, vt ad Sacerdotem adducatur, quo de lepra dijudicare possit & sententiam ferre: quocirca Hieronymus super illud Matthæi 16. *tibi dabo claues: quomodo Sacerdos Leuiticus non leprosum aut mundum facit, sed discernit: ita Episcopus vel Presbyter pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit quis ligandus sit, quiue soluendus*. Hoc eodem sed firmiori fundamento necessitas confessionis stabilitur: dixit enim Dominus Matthæi 16. ad Petrum *tibi dabo claues Regni Cælorum*. Clauis vna est scientiæ siue authoritatis discernendi idoneos à non idoneis vt recipiantur, qua quidem claue habet Sacerdos authoritatem exercendi actum scientiæ ad aperiendam seram peccati. Altera clauis, & ad quam præcedens ordinatur, est, qua dignos recipere potest, & indignos excludere; quod est huic aperire cœlum vel claudere: quod quidem fieri non potest nisi idoneitate eius, cui aperiendum est Cœlum, pensata, vt videre est apud D. Thomam in 4. [M] Non enim sine graui causa dixit Dominus Matthæi 16. pluraliter *tibi dabo claues*. M 4.d.1. 1.

Adeò validum est pondus rationis huius, vt dixerit & optimè D. Thomas, [N] nullus posset ligare vel soluere, nisi sciret, (pensent Confessarij suum onus), quia ligandum vel soluendum esset: vnde sicut nullus potest amouere necessitatem clauium, ita nullus potest amouere confessionem vocalem. Sicut à pari de iudice dici potest ex 4. citato: nàm etiam in actu iustitiæ per quem redditur alicui hoc quo dignus est, oportet esse iudicium, quo discernatur, an iste sit dignus. Hoc telo videns se irreparabiliter iugulari Lutherus, aufugere conatus est dicens, *Confessor non est iudex sed purus minister*. Sed Sancti Euangelij verba non id certè sonant, dum legimus, *quodcumque ligaueris super terram, &c. quodcunque solueris: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt*: Io. 20. quid quæso ad authoritatem plenissime impertiendam significantiùs dici posset? hinc ait Ambrosius, & citatur cap. Verbum; de Pœnit. d. 1. *Verbum Dei dimittit peccata; Sacerdos est iudex. Sacerdos quidem officium exhibet; & nullius potestatis iura exercet*: glossa Barth. idest, *nullo sua potestate*. Sic D. Th. op. 22. expendit ly *solueris*: non enim dicit, quæcumque petieris esse soluenda, erunt soluta. Et Apostolus 2. Cor. 2. *quod donaui, si quid donaui, in persona Christi*. Sane cùm sanaturus esset Paralyticum Matthæi 9. mussitantibus in corde scribis, quasi blasphemasset, eo quòd, vt fertur Lucæ 5. aiebant, *quis potest dimittere peccata nisi solus Deus*, cùm vidisset Iesus cogitationes eorum dixit: *vt autem sciatis quoniam filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: tolle lectum tuum & vade in domum tuam*: voluit sanitatis corporalis dono, salutem animæ re ipsa Paralytico concessam comprobare. Sed ipse contemplationem figo in verbis Domini; quia dùm illud enunciant scribæ: *quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?* se Deum simul Deique in se ostendens auctoritatem subijcit dicens, *quia filius hominis* habet potestatem in terra dimittendi peccata: se filium hominis nuncupat. Quocirca ait Augustinus l. 2. de consensu Euangelistarum c. 1. *Exordio suo Matthæus satis ostendit generationem Christi secundùm carnem, se suscepisse narrandam: secundum hanc enim Christus filius hominis est: quod*

N Math. 3. ibi confitentes peccata sua.

etiam se ipse sapissimè appellat, commendans nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis.

Igitur hæc promens Dominus satis indicat dissonum haud quaquam forè, si hominibus hæc potestas peccata dimittendi à Deo detur: quod & turbæ, Dei motione sine dubio, quia *Timuerunt & glorificauerunt Deum*, vel nesciæ probauerunt; dicentes, *qui dedit potestatem talem hominibus*: cùm si factum inspiciamus, non hominibus, sed homini vni videretur potestas data: quæ perperam, & dicta, & scripta esse haud credendum est. Præhabita autem admiratio fuit de potestate dimittendi peccata vt patet.

At conabitur fortè contumax hac via prostratus, aliud quærere effugium dicendo: nequaquam verosimile esse, vt voluerit Dominus eiusmodi committere officium discernendi peccata, consimilis naturæ hominibus; vt quid enim? Certè rei huius ignorantia lapsus hæreticorum
O Iacobi 5. in causa potuit esse. D. Thomas [O] breui de negocij huius summa definit; in veteri inquit testamento, quia Deus nondùm erat homo, Deo confiteri sufficiebat; in nouo vero Testamento, quia Deus est homo, oportet fieri confessionem Deo, & homini Dei Vicario. Quàm pulchra consideratio! nostra autem salus, & redemptio expleta est per Christum secundùm humanam natùram, in qua tanquam agnus innocens, qui idcircò tulit peccata mundi, occisus est: ergo meritò humanationis mysterium recoli voluit pro remissione peccati, vt quia ad ipsum accedere cum Maria pœnitente nobis non datur, ad pedes illius vicesgerentis procidamus.

Accedit, Christum Dominum futurum supremo die nostrum Iudicem in forma hominis; quia vt dicitur Danielis 7. *Ecce in nubibus Cœli quasi filius hominis veniebat*, & Ioannis 5. *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*,
P 4. 48. 1.1. de quo in 4. [P] sententiarum fusius. Imò & assessores ipsi in iudicio, homines illi erunt con-
Q 4. 47. 1.1. ad tertium. formes, vt ibidem [Q] traditur: igitur conuenientissime, & in præsenti, extremum illud iudicium præcedunt Iudices homines, Christusque in ipsis, ligat & soluit, iuxtà vniuscuiusque merita, vel demerita. Non est inconueniens, sic decernente Domino Matthæi 19. vt qui pro Christo reliquerunt omnia, *& secuti sunt eum*, futuri sint iudices, & erit absonum, vt videant discipuli Christi tanquam iudices in terris hominum crimina? absit. Cùm flectis sacerdoti: & fateris, Christum Dominum ea in forma serui intuere, nec dubites quin misereatur Dominus in conseruo, & per conseruum, serui sui.

Aliud accessorium caput laudabilis confessionis à Christo Domino institutæ est ad coercitionem in futurum peccati, ex reatus rubore: ex hoc enim tanquàm salutifero excitamento mouentur homines ad auersionem illius. Glossa super illud Iacobi 5. *confitemini alterutrum peccata vestra*, vt apud D. Thomam 3. cap. Matthæi citato, ait, *ideò inducta est confessio, vt homo habeat*
R Ps. 31. *erubescentiam*: alibi [R] propter verecundiam ampliùs ei gratia confertur, & multa bona consequitur: hinc Ecclesiastici 4. *est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam*. Sed vt ait D. Chrysostomus, *anima cum ignita fuerit igne Diuino, ad nihil eorum, quæ sunt in terra de cætero respicit; neque ad gloriam, neque ad verecundiam, sed ad illam solam, quæ detinet eam, flammam*. Et certè, & Dominus mortuus est turpissimo mortis genere, *confusione contempta*. Hinc D. Chrysostomus hom. 31. in Matth. *non est abs re grandem Euangelista Philosophiam admirari, qui anteactam vitam suam non celaunt, & nomen suum adscripsit; quod alij mutata appellatione occultauerunt*. Chrysostomus denique super Matthæum hom. 3. *confessio peccatorum*, inquit, *est testimonium conscientiæ timentis Deum; qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri. Qui autem erubescit, non timet; perfectus enim timor soluit omnem pudorem; illic enim turpitudo Confessionis aspicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid nescimus quia confessio peccatorum habet pudorem? Et quia hoc ipsum erubescere pœna est grauis? Sed ideò magis iubet Deus confiteri peccata nostra, vt verecundiam patiamur pro pœna: nàm & hoc ipsum pars est iudicij*. Si quis autem erubescentiam pauerer, audiat Augustinum cap. 4. secundi libri de visitatione infirmorum: *sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina; nolunt enim, aut erubescunt, siue dedignantur ostendere se sacerdotibus, quos tamen inter lepram, & lepram discernere per legislatorem constituit Dominus. Sed nolo vt ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabescens præ rubore vel ceruicosus præ indignatione. Nàm ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitùs participem. Non seducat te somniantium illa superstitio, quæ in visitando confirmat, quòd saluet ad Deum peccatorum confessio, sacerdote inconsulto. Nos autem non abnegamus, quin sit ad Deum frequenter referenda confessio peccatorum: beatus enim qui tenebit, & allidet paruulos vel maximos suos ad petram*. (Psalm. 136.) *Petra autem erat Christus*. (1. Cor. 10.) *Sed testamur, & testatur illud sana doctrina, ne tibi applaudentium faueas auribus, quoniam priùs eges sacerdote, qui mediator sit ad Deum tuum, salubri iudicio: alioquin & sub lege, & sub gratia, responsum diuinum, ite ostendite vos sacerdotibus, quomodo consummaretur? Confitemini alterutrum peccata vestra, quomodo compleretur?* Et capit. 6. *Non te pudeat coram vno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis, & cum multis facere. Et iterum: melius est coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum graui repulsa denotatum tabescere*.

Non deerunt fortasse nouatores pseudoeuangelistæ, qui hisce deuictis, ad Iacobitas recurrant, negentque de occultis fieri oportere confessionem. At hi gratis arctant, & immeritò, authoritatis diuinæ amplitudinem *quorum remiseritis peccata* &c. *quodcumque ligaueris super terram, & quodcumque solueris* &c. nulla interiecta distinctione occulti aut publici: secus medelam non reliquisset Dominus animabus, cùm imò occultiores morbi adimant vitam. Aiebat Augustinus sermone 30. ad fratres in eremo: *dicere solent homines, Deus cuncta nouit, cuncta videt, omnia ponderat, quare igitur vult vt confiteamur hominibus peccata nostra, quæ nequiter gessimus? Vult Deus quòd confiteamur, non quòd ignoret peccata nostra, sed vt Diabolus audiat, quoniam confitemur, &*

pœnitet nos peccasse: Nec soli Deo sufficit confiteri, sed alterutrum peccata nostra confiteri debemus; discute mentem tuam, prospice singula secreta cordis, considera antequàm ad confessionem accedas, quòd cor appetendo mala peccauit, oculus videndo vanitatem. D. Hieronymus super illud Ecclesiast. 10. *si mordeat serpens in silentio. Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio, peccati veneno eum infecerit: si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & Magistro voluerit confiteri; Magister & frater qui linguam habent ad curandum facilè, ei prodesse non poterunt; si enim erubescat ægrotus, vulnus medico confiteri; quod ignorat medicina non curat.* D. Cyprianus etiam serm. 5. de lapsis, *quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti; quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt; hoc ipsum apud Sacerdotes Dei, dolenter & simpliciter confitentur, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt* &c.

Et sanè id etiam satis innuit resuscitationis Lazari in tritum peccatoris typum communiter accepri miraculum, cui dixit Dominus Ioann. 11.
S Ioann. 11. *Lazare veni foras*: vbi Diuus ' Thomas; modus prodenndi est per confessionem. Quod & in aurea catena Sanctis Patribus acceptum refert; nàm Gregorius 22. moralium; *veni foras; vt ab excusatione & occultatione peccati, ad accusationem suam ore proprio exire prouocetur: vt qui intrà conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam, à semetipso foras exeat per confessionem.* Et Augustinus ibi; *quando contemnis, mortuus iaces; quando confiteris, procedis. Quid enim est procedere nisi ab occultis velut exeundo manifestari*: Sic cum confessionem describit ait; *confessio est per quam morbus latens spe veniæ aperitur.* Et hunc ipsum latentem morbum, Origenes etiam Psal. 37. homilia 2. non celari debere declarat dicens: *fortassis enim sunt hi qui habent intus escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho grauiter & molestè imminentia; si vomuerint releuantur: ita etiam hi qui peccauerunt, si quidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecùs vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati.*

Nisi & occultorum admittatur confessio; quando non iam infirmis elementis autiquæ legis, sed virtute Crucis animæ salus donatur, & non solum perquiritur; nil certè decentiùs aut conneniENriùs excogitari potest, ad leuandum absque iactura famæ iacentem animum, secreta hac peccatorum exomologesi: qua nimirum semotis arbitris, sacerdoti vice Dei fungenti, & vt ait Augustinus *mediatori*, peccatorum suorum, in latebris ipsis, faciem reuelat. Nàm vel omittenda de occultis cura, vel diffamatio spontè subeunda.

Tantus autem fuit pœnitentiæ feruor priscis illis christianæ fidei cultoribus, vt arcana pectoris, ad qnod nulla vi cogi poterant, spontè promerent. Sic fortè accidit Actorum 19. vbi cùm spiritus nequam insiluisset in duos ex filijs Sceuæ Iudæi Principis Sacerdotum, ijs grauiter læsis: cùm notum id factum fuisset toti Epheso, *multi credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus suos, multique curiosos libros coram omnibus combusserunt.* Sic in historia Tripartita l. 9. c. 35. refert Sozomenus, quòd cum Diaconus quidam flagitium in Ecclesia cùm egregia femina commisisset, & ista scelus publicè confiteretur, Nectarius Episcopus haud permisit, presbyterum diutiùs super pœnitentes esse, sed vnumquemque reliquit suæ conscientiæ: ob furorem nimirùm populi: ex quo aliqui falsò putarunt, confessionem, tanquam institutam humanitùs, fuisse apud Græcos per præfatum Nectarium abrogatam. Atqui missis alijs, quomodo licuisset Constantinopolitano Episcopo, dato etiam, esset solummodo statutum Ecclesiæ vniuersalis, eã abolere? modus ergò duntaxat pœnitentiæ immutatus, vel prætermissus est: Vnde & Hieronymus, & Ambrosius, & Augustinus Nectario posteriores cum tot alijs SS. Patribus in sacro dogmate fideliter perstiterunt. Quamquam facti huius denarratio secretam confessionem non tangat, vnde indultum aut inhibitum, credi oportet, fuisse, ne coram vltrà quis scelera sua proderet: quod quandoque ex vehementi pœnitudine, fortè fiebat.

Tertullianus de pœnitentia lib. 1. fuit adeò durus, & difficilis, vt summè propenderit in publicam reatuum confessionem, etsi in errore videatur fuisse de primæua soli Deo necessaria confessione: ait, quippe; *Confessio pars pœnitentiæ Exomologesis græco vocabulo dicitur, qua delictum nostrum confitemur Domino, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessionis disponitur.* Tamen posteà ad eius exomologesis perfectionem pertinere asserit, Presbyteris delictorum reuelare faciem, inquiens, *Presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari.*

Quod licet verum sit, *quando*, vt ait Augustinus l. de vera & falsa pœnitentia c. 11. *Quis multos offendit peccando.* nam placare multos oportet satisfaciendo, vt Ecclesia priùs offensa per culpam, in conuersione flectatur per misericordiam. Et secundùm Origenem psal. 57. citato: *Si intellexerit aut præuiderit talem esse languorem suum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari; ex quo fortassis, & cæteri adificari poterint, & tu ipse facilè sanari; multa, hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio, procurandum est.* Sic de publicè pœnitentibus loquitur Sozomenus, qui ad Episcopum accedebant; cuius sententia ieiunijs, & afflictionibus macerabant se, communionis tempus secundùm quod decerneret Episcopus, expectantes: vnde, & in posteriore Ecclesia, in publicis, & solemnibus pœnitentijs, quæ Quadragesimæ initio fiebant, nonnullius antiquitatis permansit ritus. Non propterea vniuersaliter de omni criminum perpetratione id agi oportet. Nam Leo Papa Episcopis per Campaniam Epist. 57. *Volumus inquit, in pœnitentia, ne de singulorum genere, libellis scripta professio, publicè recitetur*: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare; confessione secreta. *Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem, apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare: Remoueatur improbabilis consuetudo; ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt, inimicis suis facta reserare; pro quibus possunt per legum constitutiones percelli; sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium, precator accedit.* Sanè precatur Sacerdos, vel præuia abso-

lutio-

lutione, vel in ipsa etiam corde Deum exorat. Cæterum vt tradit Angelicus op. 22. c. 3. præmittitur oratio, vt impetretur confitenti idoneitas ad suscipiendum effectum sacramenti: at oratione non impetratur remissio peccatorum sed passione Christi.

Sic antiqua in lege, quia peccata quæ consistunt in interioribus actibus, sunt magis occulta, ideo pro eis certa sacrificia non iniungebantur: quia sacrificiorum oblatio, erat quædam publica protestatio peccati, quæ non est facienda de peccato occulto. De occultis ergo illud manifestè accipitur quod Sozomenus ibidem tangit, Ecclesiæ in morem fuisse dùm inquit, *ad hanc causam Presbyterorum bonæ conuersationis seruantem secretum, ac sapientem virum statuerunt: ad quem accedentes ij, qui delinquebant, delicta propria fatebantur: & ille secundum vniuscuiusque culpam, indicebat & mulctam*: quamquàm & hoc fieret veluti in Theatro, non in priuatis scilicet ædibus, sub testimonio Ecclesiastici populi. Quocirca Dionysius sanctus ad Demophilum Inquit. *Tu verò vt tuæ litteræ indicant, procidentem Sacerdoti impium* (vt ait) *atque peccatorem, nescio quo pacto contrà disciplinæ ordinem astans calce abiecisti, cum ille quidem, verecundè* (quod oportet) *fateretur, se ad peccatorum remedia quærenda venisse. Neque horruisti insuper, & sacerdotem optimum lacerare conuitijs, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset*. Nesciebat iste quod ait D. Ioannes 1. c. 1. *Fidelis est, & iustus*, (loquitur de Christo) *vt remittat nobis peccata nostra*: (vt præmisit) *Si confiteamur peccata nostra*.

Quæ quidem authoritas omnem hæreticæ prauitatis obstruit aditum: eoquòd per confessionem peccatorum nostrorum astruit emundari nos ab omni iniquitate: igitur siue occultum, siue aliud fuerit peccatum, emundamur: & hoc, stante fidelitate, & iustitia Iesu Christi, fidelitas autem est ex obseruatione promissi: ergò reuocat Apostolus in memoriam, quod dixit Dominus, *quorum remiseritis, remittentur eis; & quodcunque solueris super terram*: non enim alibi expressius pollicitus est Christus remissionem: nisi dicamus tùnc esse emundationem promissam, cùm dixit; in Cœna, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: nàm paulo ante dixerat Ioannes, & *sanguis Iesu Christi filij eius, emundat nos ab omni peccato*: quamquam, quia ibi non fit mentio de confessione, potius ad prædictas authoritates, de clauibus & de remissione, referendum videatur. Cæterùm de confessione *homini* facta, sine dubio intendit Apostolus, quia claudit; *si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum*; & suprà, *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*: absit autem, vt seductio in Deum cadere possit: ergo sicuti seductio ad homines, ita ad homines & confessio: iuxtà quòd planius Iacobus; *Confitemini alterutrum*: hoc est inter vos sit confessio, alterutra; quia non est qui non peccet; non enim intelligitur inepte, de confessione etiam laico facienda, quæ neque in antiqua lege, quæ fuit vmbra, habuit locum, sed ad Sacerdotes: nàm de Sacerdotibus prælocutus fuerat Iacobus vt ibi paret: nec opus fuisset præsbyteros vocari, si vnicuique sat esset remittere infirmo peccata.

Hæc ex parte delibauimus & excerpsimus, proprio etiam non otiati studio, ex confutatione Ioannis Roffensis Episcopi contrà Lutherum, articulo 8. ex Ioanne Bunderio à Gandauo Ordinis Prædicatorij in suo Compendio concertationis huius sæculi, Titulo 15. Ex Paulo Grysaldo, item ordinis Prædicatorum in suo opusculo; *Decisiones fidei*. Verbo *Confessio*. Ex tractatu Petri Lizetij *de Auriculari Confessione*, & ex alijs authoribus de controuersijs: potestque pro fidei firmitate consuli Tridentinum Sacrosanctum Concilium sessione 13. & 14.

Verùm cùm omnis peccatorum remissio meritis Christi fit, qui tanquam agnus innocens *tollit peccata mundi*, præmittitur in Sacro hoc Leuitici 5. *offeret arietem immaculatum*, qui vt ait glossa significat Christum: vt alibi retuli propterea quòd sit Dux gregis; quamquàm, quia *habitu* est *inuentus vt homo*, *cum hominibus conuersatus est*; ex Paulo & Baruch *de gregibus* dicatur. Denique ex Tirino iuuat ex scribere, quod ab Hebræis traditur circa antiquam illorum Confessionem: nempe sic in praxi iussam. *Tale peccatum sic vel sic feci: pudet me, & pœnitet; nunquàm ad rem istam reuertar*, & addit Philo lib. de victimis cur Sacerdotes reliquum victimæ pro peccato, soli comedere iussi sunt: ne scilicet innotescerent aut euulgarentur offerentium peccata, quæ Sacerdoti clam aperuerant. Ita ex pluribus Rabbinis Galatinus, & Thomas VValdensis, qui addit Hebræos, etiamdum huius confessionis morem retinere: & per illam adumbratam fuisse nouæ legis confessionem Sacramentalem. Videatur D. Thomas op. 22. pœnitentiæ Sacramentum prout illud exhibet Ecclesia fortissimè propugnantem. Et pro animarum solamine recolatur 3. p. q. 80. a. 4. ad 5. vbi docet, eum, qui per ignorantiam inculpatam non habet conscientiam mortalis, puta cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus, non peccare sumendo corpus Christi; quia homo per certitudinem scire non potest; Vtrum sit verè contritus; sufficit enim, si in se signa contritionis inueniat; puta si doleat de præteritis & proponat cauere de futuro. Quò facit etiam a. 3. q. 79. vbi ait; Potest hoc Sacramentum operari remissionem peccati, puta cùm quis primò forte non fuit sufficienter contritus, sed tamen conscientiam & affectum mortalis non habet: Is deuote & reuerenter accedens, consequetur gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccari. *Quam bonus Israel Deus, ijs qui recto sunt corde!*

Marginal notes: Tob. 14. 14. — V op. 5. c. 4. & c. 15.

CAPVT VI.

1 LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Anima quæ peccauerit, & contempto Domino, negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit: 3 siue rem perditam inuenerit, & inficians insuper peierauerit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, 4 conuicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra, 5 & quintam insuper partem domino cui damnum intulerat. 6 Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti, iuxta æstimationem, mensuramque delicti: 7 qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccauit. 8 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens. 9 Præcipe Aaron, & filijs eius: Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte vsque mane: ignis ex eodem altare erit. 10 vestietur tunica sacerdos, & feminalibus lineis: tolletque cineres, quos vorans ignis exussit, & ponens iuxta altare, 11 spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque alijs efferet eos extra castra, & in loco mundissimo vsque ad fauillam consumi faciet. 12 Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subijciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. 13 Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficit in altari. 14 Hæc est lex sacrificij, & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coram Domino, & coram altari. 15 Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super similam positum est: adolebitque illud in altari in monimentum odoris suauissimi Domino: 16 reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filijs suis, absque fermento: & comedet in loco Sancto Atrij tabernaculi. 17 Ideo autem non fermentabitur, quia pars eius in Domini offertur incensum, Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. 18 Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum, ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificijs Domini: omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur. 19 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 20 Hæc est oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die vnctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium eius mane, & medium eius vespere: 21 quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suauissimum Domino 22 sacerdos, qui iure patri successerit, & tota cremabitur in altari. 23 Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. 24 Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 25 Loquere Aaron, & filijs eius: Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est. 26 Sacerdos, qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. 27 Quicquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lauabitur in loco sancto. 28 Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur: quòd si vas æneum fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua. 29 Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius, quia Sanctum sanctorum est. 30 Hostia enim, quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

Hebr. 13. b. 11. Supr. 4. a. 5.

VERSVS II. *Anima quæ peccauerit, & contempto Domino, negauerit proximo suo depositum* &c.

Præcedenti in capite de perpetratis ignorantia quadam, lata est lex: in hoc de commissis, ex intentione, & attente: præsertim in proximum, quæ conuictum & societatem humanam iniquè lædunt. Eiusmodi peccata dicenda sunt ex certa electione, vel ex certa malitia, quæ vt obseruat Angelicus [A] non solùm expiabantur per sacrificia, vt quæ ex ignorantia: sed (quod exprimit litera nostra: *conuicta delicti.*) puniebantur per iudices secundùm quantitatem delicti.

A p. 2. 105. a. 9.

VERSVS IV. *Reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere integra, & quintam insuper partem Domino cui damnum intulerat.*

r

Non ea taxatur mulcta, quæ aperto in furto Exodi 22. sed mitior. Et quidem vltrà vsurpatæ rei redditum, adhuc partem quintam; eoquòd vt ibi retuli ex D. Thoma [B] licèt ex parte rei sat videatur integrum reddere, non sufficit ad satisfaciendum iniuriæ.

B 2. 2. 62. 3. & 4. d. 15. 2. a. 5. ad 2.

Verùm quia versu 3. dicitur; *siue rem perditam inuenerit, & inficians insuper peierauerit*, iuuat callere doctrinam, de ijs quæ inueniuntur. Igitur [C] circa res inuentas est distinguendum: quædam enim sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli, & gemmæ, quæ inueniuntur in littore maris; & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non extat aliquis possessor: nisi quòd secundùm leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem Domino agri, si in alieno agro inuenerit: propter quod in parabola Euangelica dicitur Mat-

C 2. 2. 66 5. 2.

thæi 13. de inuentore thesauri, absconditi in agro, *quòd emit agrum*, quasi vt haberet ius possidendi totum thesaurum. Quædam verò res inuentæ, fuerunt de propinquo, in alicuius bonis: & tùnc si quis eas accipiat, non animo retinendi, sed animo restituendi Domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et similiter si pro derelictis habeantur, & hoc credat inuentor; licet sibi eas retineat, non committit furtum. Aliàs autem committitur peccatum furti; vnde Augustinus dicit in quadam homilia, & habetur 14. q. 5. *si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti*.

VERSVS VII. *Et dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccauit.*

Multa quandoque in vno deprehenduntur peccata, ideò ait *pro singulis*. Qui inuenit, neque vult reddere quod est alterius, & insuper peierat, peccat ex animo non reddendi: peccat perseuerans in iniquitatis proposito, & peccat falsum iurando, in casu &c. peccat occasionem dans alteri vel blasphemiæ vel odij &c. munus est confessarij hæc perpendere.

VERSVS IX. *Hæc est lex holocausti* &c.

2 Postquam peccatorum aliquorum in Deum & in proximum, vniuersali quadam ratione, determinata sunt, sacrificia & oblationes, quibus indulgente Domino expiarentur; (grauioribus alijs, vel notioribus, per pœnas cohibitis, vt patet Exodi 21. & 22. Leuitici 20. Numeri 15. & Deuteronomij 25. prout refert D. Thomas [D].) firmat Moyses consummandarum omnium victimarum & oblationum legem, & tanquam à digniori incipit ab holocausto, & quidem de potissimo, quod præceperat fieri Exodi 29. de duobus agnis: vnus mane, scilicet sub ortum solis; alter, vespere, sub occasum immolabatur, & erat, eorum iuge sacrificium, tota die, & nocte, in quantum nocturnus agnus lento igne vrebatur, diurnus autem, etsi celeri ac feruenti igne absumeretur, id erat vt daretur locus & tempus multis alijs holocaustis præter adipes pacificorum, & pro peccato, in eodem altari cremandis. Quod mysterium latuerit in delatione exustorum cinerum facienda per Sacerdotem, satis colligi potest ex D. Thoma dicente, [E] extrà castra legalium, illorumque obseruantiam; nàm & corpus Christi igne crematum est in ara Crucis, extrà portas Hierusalē. Simul ac quippe ac mortuus est Iesus, mortua, etsi nondùm mortifera sunt legalia: idcirco quia *translato sacerdotio*, ait Paulus, *necesse est vt legis translatio fiat*. Ponit Sacerdos vestes, legis insignia, indutusque alijs effert cineres illos in loco mundissimo; quia quæ post Christi mortem relicta sunt de lege & legalibus, in Ecclesia purissima eius sponsa collocata sunt, puriorique intelligentia, vsque ad fauillam, (secreta omni elementorum veterum ac literæ mistione, seu potius consummata & consumpta impuritate carnali) redacta sunt. Quid purius fauilla quæ item scintilla? spectatur cùm è silice ferro excussa exilit. Nonnihil cæremoniarum veterum adhuc post mortem Christi, nondum amoris promulgata lege, obseruatum est; at paulo post legalia desierunt omninò, soluta in fauillam. Offerebantur autem cineres, quia non vltrà ad pedem (quod inquiunt) literæ standum erat. Sic Christus est *pax nostra qui fecit vtraque vnum*, vt ait Apostolus Ephesior. 2. non mirum si desuper adolebantur adipes pacificorum.

D p. 2. 103. 5. 10.
E Hebr. 13. 12.

Memoratus hic ignis perpetuus, qui nunquam deficeret in altari, est de quo infrà cap. 9. legitur *apparuitque gloria Domini omni multitudini, & ecce egressus ignis à Domino, deuorauit holocaustum, & adipes qui erant super altare*: de quo literaliter ibi. Quare ad tropologiam reuertendo, iàm aliàs dictum est significari per altare, Christum. [F] Quod expressius Hebræorum 13. *habemus altare* &c. istud altare est Crux Christi, in qua [G] Christus pro nobis immolatus est, vel ipse Christus in quo, & per quem preces nostras offerimus. Et sic alibi [H] aliud Templum est Ecclesia, & huius templi altare est Christus. Et hoc satis innuitur in sacro textu; *hæc est lex sacrificij & libamentorum quæ offerent filij Aaron, coram Domino, & coram Altari*.

F Matth. 21.
G Hebr. 13. 12.
H Ps. 25.

3 Cæterum diues plurimorum sensuum est sacra pagina. Stat etiam altare [I] pro corde nostro, in quo scilicet esse debet ignis deuotionis. In Psalmum [L] autem; Templum Dei est vir iustus; primæ Corinth. 6. *nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus-Sancti, qui in vobis est?* huius templi altare est cor: & fert hunc locum Leuitici, *ignis* scilicet charitatis *in altari*, idest in corde, *semper ardebit*. Per ignem satis notum est signari charitatem: hoc iteratò firmatur, [M] & ex hoc textu, & Lucæ 12. *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accēdatur?* cuius quidem symbolicas proprietates pulchrè percurrit D. Thomas in Isaiam; [N] charitas dicitur ignis, primò quia illuminat Ecclesiast. 2. *qui timetis Deum, diligite illum & illuminabuntur corda vestra*. Secundò, quia exæstuat. Cant. 2. *fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Tertiò, quia ad se omnia conuertit, Roman. 8. *scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Quartò, quia expeditum facit. Ioann. 14. *si quis diligit me, sermonem meum seruabit*. Quintò quia sursum trahit, Cant. 3. *in lectulo per noctem, quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni*. Et ecce hic etiam signari: nàm inquit, *efferet eos extrà castra*. Et de huiusmodi charitatis igne, subdit D. Thomas; *quem nutriet sacerdos subijciens ligna*, idest Sanctorum testimonia, scripturarum exempla, Dei beneficia.

I Matth 21.
L Ps. 25
M Apoc 3. comm. 1. ibi aurum ignitum.
N Isai. 30.

Hanc sacri ignis indeficientiam figurasse ait S. Thomas Eucharistici Sacramenti continuitatem. [O] Ignis iste nunquàm deficiet in altari, sed Iudæorum ignis ille cum altari defecit. Quid ergo? mentitus est Deus? absit; sed vmbra defecit in Synagoga; veritas manet nec deficit. Sacerdos enim noster semper Sacramentum altaris consecrando nutrit: & corpus Christi, quod in illo semper idem est, nunquam manducatione fidelium deficit.

O op. 58. 14.

VERSVS XIV. *Hæc est lex sacrificij, & libamentorum.*

4 Quinque genera libaminum fuere, similam, oleum, vinum, sal, thus; & hæc omnia in Dei honorem integra vel cremari vel libari etiam Iosepho teste l. 3. Antiquit. c. 10. debebant. Iuuat hic iteratò recolere ex D. Thoma [P] sufficientem libamentorum diuisionem; nàm ea quæ in vsum hominis veniunt de terræ nascentibus, vel sunt in cibum; & de eis offerebatur panis: vel

P p. 2. 102. 3. ad 11.

iunt

sunt in potum; & de his offerebatur vinum: vel sunt in condimentum; & de his offetebatut oleũ & sal: vel sunt in medicamentum; & de his offerebatur thus, quod est aromaticum, & consolidatiuum. Per panem significatur cato Christi: per vinum autem sanguis eius, per quem redempti sumus: oleum significat gratiam Christi: sal scientiam: thus orationem. Hinc est fortè cur in capite pręcedenti vers. 11. inhibetur, ne in oblatione pro peccato, cum fieret de simila, ponatur oleum: quia scilicet sacrificia illa aut sacramenta vim non habebant conferendi gratiam, quæ per Christum, qui dicitur ab vnctione facta est: quamuis cum pro peccato non esset oblatio, oleum tanquam signum gratiæ posset offerri. Similiter neque thus, quod, vt ibi ad 14. significat deuotionem mentis, quæ est necessaria offerentibus, & odorem bonæ famæ; nàm thus, & pingue est, & odoriferum: quæ duo vbi de peccato agitur, facile absunt. Expedit Tirinus hic c. 4. oleum & thus ad delicias & iucunditatem facere, quæ deprehendi haud debent in pœnitente.

VERSVS XV. *Tollet Sacerdos pugillum simila.*

5 Obseruandum est in his libamentis discrimen; quandoque enim, in holocaustis scilicet & victimis pacificis, erat quasi condimentum sacrificij, & conuiuij Dei, & tunc integrè cremabatur, vel libabatur: quandoque autem non erat accessorium quid, sed per modum principalis hostiæ; & sic in præsenti: vnde illius dumtaxat vna portio, pugillum scilicet similæ adolebatur: reliquo oblationis cedente in vsum: idcircò legitur; *hæc est lex sacrificij & libamentorum*: pro eodem nimitum vtrumque accipiendo, vt patet sequenti in capite 7. versu 29. *offerat simul Sacrificium idest libamenta eius*. Quamquam alibi videatur distingui à libamento sacrificium, vt Ioelis 1. *perijt sacrificium & libatio*. Vox autem ista etsi stet passim pro sacrificio: nàm libare sacrificare est aqud Dictionaria: attamen stat etiam pro leuiter degustare, & quasi primis labris
Q 1. ad Tim. 4. l. 2. attingere: vnde ait S. Doctor; [q] antiquitus in sacrificijs quæ ex humidis offerebantur, quædam fiebant prægustationes, & hæ vocabantur delibationes. Igitur, vel libamentum partem excellentiorem ac putiorem sonat, vel præsumit studiosam ad melius puriusque probandum degustationem: optima enim decet Deo offerri, vt patet de simila quæ veluti est flos farinæ: & quia
R p. 1. 101. 3. ad 2. docet D. Thomas, [R] quòd similagine figurabatur aspersio credentium per aquam baptismi: ideo hæc dici arbittot, quoniam fide præuia purificantur fidelium cotda, *fide purificans corda eorum* Act. 15. quibus, quemadmodum & præparatæ similagini, nil superest nisi baptismatis aqua ablui aut abstergi. *Libo* etiam ex Lexico idem valet, ac *stillo*, *fundo*, *rigo*: quod liquidis vt vino propriè quadrat: vnde Exodi 29. *& vinum ad libandum*, idest libatione seu effusione offerendum Deo.

VERSVS XVI. *Reliquam autem partem &c. comedet in loco Sancto in atrio.*

6 Sic v. 17. *in atrio*; Veluti occultè studio tegendi offetentium peccata, sigilli sacramentalis in typum; vt tetigi in calce cap. 5. non sic pacificæ hostiæ, vt infrà c. 7. n. 3.

VERSVS XVII. *Ideò autem non fermentabitur; quia pars eius in Domini offertur incensum.*

Fermentum non offerebatur [s] ad excludendam corruptionem: & fortè etiam in sacrificijs idolorum solitum erat offerri. Acescit quippe fermentum, ideoque corruptionem significat. S loc. ci ad 14.

VERSVS XX. *Hæc est oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die vnctionis suæ.*

Similæ offerendæ mensura pars erat decima 7
Ephi: quæ est idem ac Gomor, quem quotidie ex Manna colligebant Iudæi Exodi 16. vt videre est apud Tirinum Prolegom. de mensuris, & visum est Exodi 16. n. 6. Hic ego, quocunque literali misso sensu, mysterium agnosco Eucharistici Sacramenti; quod & Manna præfigurauit: in huius signum, mane offerebatur, & vespere instar iugis sacrificij de agno. Debuit offerre Sacerdos, qui iure Patri successerit: sic & nos iure Christi sacrificamus in Altari, similæ oblationem. Eiusmodi sacrificium certè non erat ad consulendum summi Sacerdotis paupertati: meritò in figura, recurrente *die vnctionis adolebatur*. D. Thomas: [T] panis significat Christum, qui est T p. 1. 102. a. 3. ad 12.
panis viuus, vt dicitur Ioannis 6. qui quidem erat velut in spica pro statu legis naturæ, in fide patrum: erat autem sicut simila in doctrina legis, prophetarum: erat autem sicut panis formatus post humanitatem assumptam, coctus igne idest formatus Spiritu-Sancto, in clibano vteri virginalis: qui etiam fuit coctus in sartagine per labores quos in mundo sustinebat: in cruce vero quasi in craticula adustus: hæc erant in odorem suauissimum Domino, non res in se ipsa:. Sed Dominus eiusmodi velaminibus multis de caussis operiebat arcana. Sequenti quippe capite legimus de clibano, de craticula, & de sartagine. & additur siue oleo conspersa siue arida fuerint, nimirum sacrificia similæ. Ariditatem experiuntur deuotionis, sacerdotum plerique: quia abest ab eìs oleum, gratiæ signum.

VERSVS XXVIII. *Vas autem fictile in quo cocta est confringetur &c.*

Quis scit, non òb id fregerit alabastrum 8
mulier, Marci 14. cum pretiosum *effudit* vnguentum *super caput eius*? Fractum alabastrum, carnale, ait Hieronymus, desiderium est. Nisi in signum doloris frangentis comminuentis contentis priùs saxeum cor.

Hæc lex frangendi vasis non datur nisi cùm pro peccato oblata est hostia, quis dubitet de latente mysterio? Vas, peccatoris esse in typũ, perspicuum facit Psalmus 2. *& tanquam Vas figuli confringes eos*: Apostolus 2. ad Timoth. 2. *in magna autem domo, non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia*: igitur frangi debet vas istud fictile, designans terrenum peccatorem, idque oblato sacrificio, fortè contusione ad petram, quæ Christus est, per contritionem. Ita apud Lauretum, in Sylua: & hoc nihil aliud est, quàm confricari, abstergi, & lauari, vt cùm vas fuerit æneum, præcipit Moyses. Ieremiæ 6. etiam pro peccatoribus stant æs, & ferrum; *æs*, inquit, *& ferrum, vniuersi corrupti sunt.* Ferrum ex D. Thoma [V] propter duritiam, æs V Ierem 6.
propter impatientiam, quia tremulum est. Vel

lex iſta fuit ad peccatores monendos de firmo non relabendi propoſito, poſtquam confringi, vel confricari vas pro materiæ conditione iubetur, quaſi non vltrà ex hoſtia pro peccato vſui futurum. Oſeæ 4. *peccata populi mei comedent.*

CAPVT VII.

1 HAec quoque lex hoſtiæ pro delicto, Sancta ſanctorum eſt: 2 idcirco vbi immo-
labitur holocauſtum, mactabitur & victima pro delicto: ſanguis eius per gy-
rum altaris fundetur. 3 Offerent ex ea caudam & adipem, qui operit vitalia.
4 Duos renunculos, & pinguedinem, quæ iuxta ilia eſt, reticulumque iecoris cum renun-
culis, 5 & adolebit ea ſacerdos, ſuper altare: incenſum eſt Domini pro delicto. 6 Om-
nis maſculus de ſacerdotali genere, in loco ſancto veſcetur his carnibus, quia Sanctum ſan-
ctorum eſt. 7 Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto: vtriuſque hoſtiæ lex
vna erit: ad ſacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit. 8 Sacerdos, qui offert holocauſti
victimam, habebit pellem eius. 9 Et omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in clibano,
& quidquid in craticula, vel in ſartagine præparatur, eius erit ſacerdotis à quo offertur: 10
ſiue oleo conſperſa, ſiue arida fuerint, cunctis filijs Aaron menſura æqua per ſingulos diui-
detur. 11 Hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum, quæ offertur Domino. 12 Si pro gratiarum
actione oblatio fuerit, offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, & lagana azyma
vncta oleo, coctamque ſimilam, & collyridas olei admiſtione conſperſas: 13 panes quo-
que fermentatos cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: 14 ex quibus vnus
pro primitijs offeretur Domino, & erit ſacerdotis, qui fundet hoſtiæ ſanguinem, 15 cuius
carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis, quidquam vſque mane. 16 Si vo-
to, vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam, eadem ſimiliter edetur die: ſed & ſi quid in cra-
ſtinum remanſerit, veſci licitum eſt: 17 quidquid autem tertius inuenerit dies, ignis abſu-
met: 18 ſi quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio,
nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali ſe edulio contaminauerit, præ-
uaricationis rea erit. 19 Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, ſed
comburetur igni: qui fuerit mundus, veſcetur ex ea. 20 Anima polluta quæ ederit de car-
nibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis. 21 Et quæ te-
tigerit immunditiam hominis, vel iumenti, ſiue omnis rei, quæ polluere poteſt, & come-
derit de huiuſcemodi carnibus, interibit de populis ſuis. 22 Locutuſque eſt Dominus ad
Moyſen, dicens: 23 Loquere filijs Iſrael: Adipem ouis, & bouis, & capræ non comede-
tis. 24 Adipem cadaueris morticini, & eius animalis, quod à beſtia captum eſt, habebi-
tis in varios vſus. 25 Si quis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini, comederit,
peribit de populo ſuo. 26 Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo, tam
de auibus, quàm de pecoribus. 27 Omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de po-
pulis ſuis. 28 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 29 Loquere filijs Iſrael, di-
cens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat ſimul & ſacrificium, id eſt, liba-
menta eius, 30 tenebit manibus adipem hoſtiæ, & pectuſculum: cumque ambo oblata
Domino conſecrauerit, tradet ſacerdoti, 31 qui adolebit adipem ſuper altare, pectuſcu-
lum autem erit Aaron, & filiorum eius, 32 armus quoque dexter de pacificorum hoſtijs
cedet in primitias ſacerdotis. 33 Qui obtulerit ſanguinem, & adipem filiorum Aaron,
ipſe habebit & armum dextrum in portione ſua. 34 Pectuſculum enim eleuationis, & ar-
mum ſeparationis tuli à filijs Iſrael de hoſtijs eorum pacificis, & dedi Aaron ſacerdoti, & fi-
lijs eius lege perpetua, ab omni populo Iſrael. 35 Hæc eſt vnctio Aaron, & filiorum eius
in ceremonijs Domini die qua obtulit eos Moyſes, vt ſacerdotio fungerentur, 36 & quæ
præcepit eis dari Dominus à filijs Iſrael religione perpetua in generationibus ſuis. 37 Iſta
eſt lex holocauſti, & ſacrificij pro peccato, atque delicto, & pro conſecratione, & pacifi-
corum victimis: 38 quam conſtituit Dominus Moyſi in monte Sinai, quando mandauit fi-
lijs Iſrael vt offerrent oblationes ſuas Domino in deſerto Sinai.

VERSVS I. *Hæc quoque lex hoſtiæ pro delicto,*

Delictum quandoque ſumitur pro omiſſione, quod quidem difficiliùs cognoſcitur: vnde ait pſalmus; *delicta quis intelligit:* [A] vbi D. Thomas; duplex eſt peccatum, A Pſ. 18. ſcilicet tranſgreſſionis, & hoc faciliùs cognoſcitur; quia homo ſcit ſe feciſſe actum prauum, Item omiſſionis, & hoc difficilè cognoſcitur, quia hæc non obligant ad ſemper, ſed pro loco & tempore. Item quando eſt locus & tempus eſt difficile affirmare, vt quando eſt danda eleemoſina, qualiter, & vbi. Quæ quidem peccata ſimpliciter & abſolute loquendo ſunt tranſgreſſionibus minus grauia; licèt aliqua omiſſio, poſſit eſſe grauior aliqua tranſgreſſione. [B] Quod B 2.2.79. 4.

qui-

quidem exponit ad primum, vt suprà dictum est: in quantùm omittitur aliquid de ijs quæ pertinent ad Deum; vel quando scienter, & quasi quodam contemptu derelinquit homo, id quod facere debet. Et sic habet quandam grauitatem, ratione cuius maiori expiatione indiget. Non fuerat pura omissio de quo dicebat Dauid; *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi*. Distinguitur igitur meritò hic versu 4. & infrà c. 14. versu 13. peccatum à delicto.

VERSVS VIII. *Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius.*

1 Nòn ad emolumentum aliquod spectasse Moysen credendum est; exiguum enim nimis, spernendum fuisset. Igitur ad mysterium referri oportet. Nonnulli velamen literæ, quod erat detrahendum, in pelle accipiunt: quæ quidem agnitio prope sacerdotes latior erat. Sed cum, vt dixi ad caput quartum, [C] per pellem victimæ exterior Christi actio significetur: quid mirum si ad sacerdotem pertineat, qui suprà populum, actionum Christi viuum debet se ostendere exemplum? *imitatores mei estote*, aiebat Apostolus, *sicut & ego Christi*. *Et, ego stigmata Domini in corpore meo porto*. Et alibi, *induimini Dominum Iesum Christum*. Huc facit quod ait etiam Durandus in Rationali diuinorum l. 3. c. 1. superpelliceum dicitur, eoquòd antiquitùs super tunicas pelliceas de pellibus mortuorum animalium factas, induebatur: quod adhuc in quibusdam Ecclesiis obseruatur; repræsentantes quòd Adam post peccatum talibus indutus est pelliceis. Ait Apostolus Heb. 7. *Lex constituit homines sacerdotes infirmitatem habentes*: qui scilicet pro suis delictis quotidie offerebant.

C p. 2. 102. 5. ad 5.

VERSVS XII. *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento.*

VERSVS XIII. *Panes quoque fermentatos.*

2 Eucharisticum Sacramentum significari per panem sæpe dixi. Vides hic autem quomodo & fermentatum & sine fermento sit Deo sacrificium acceptum. In vtroque meritò valide liciteque iuxtà diuersum Ecclesiæ morem, conficitur. Fermentum aliquando [D] interpretatur in malum, in quantum habet corruptionem; 1. Corinth. 5. *expurgate vetus fermentum*: Item, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ*: sed secundùm quod habet feruorem, & virtutem dilatandi, sic sonat in bonum. Sic ait Dominus; *simile est Regnum cælorum fermento; quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus*, idest vt docet Tirinus de mensuris, in tribus modijs Romanis. Sane vbi in nostra legimus Exodi 16. & alibi, *Gomor decima pars est Ephi*, Septuaginta habent, *Gomor decima trium mensurarum erat*, & Chaldæa, *Decima pars trium satorum*. Præterea fermentum tribuit [E] pani saporem; & secundùm hoc, per fermentum significatur Sapientia Dei, per quam omnia quæ sunt hominis sapida videntur: & sic Matthæi 13. *simile est Regnum* &c. Ecc. 6. *Sapientia doctrinæ secundum nomen eius*. Sapientia quasi sapida scientia. Vide 1. 1. q. 43. 5. 2. & 22. q. 45. 2. 2.

D Matth. 13.

E 1. Cor. 5. l. 4.

VERSVS XV. *Cuius carnes eadem comedentur die* &c.

3 Hic non apponitur clausula, quæ suprà pluries, vt scilicet fiat comestio in atrio, ne admissis quidem domesticis; ne forsan, vt dixi suprà in fine cap. 5. innotescerent, aut euulgarentur offerentium peccata, quæ Sacerdoti clam aperuerant: vel, vt propiores essent ad orandum vt colligitur c. 10. v. 17. Pacificæ autem hostiæ [F] comedebantur vbique in Ierusalem: Sic infrà c. 10. *edetis in loco mundissimo: in loco sancto: in sanctuario*. Sed discrimine quodam: pro gratiarum actione, ipso eodem die: ex voto, etiam in crastino. Philo libro 2. de victimis putauit non licuisse, in secundum diem prima; neque in tertium, secunda sacrificia seruari; quia iam non sunt offerentis, sed Dei, cui fiunt oblationes; qui cum sit beneficus ac munificus, non vult in penum retrudi. Sed conniuet vestigare author iste discrimen; cur pro gratiarum actione, nec secundus detur dies, qui conceditur ad comedendum de ijs, quæ voto vel sponte Deo offeruntur: & si vsque in secundum diem seruantur, cur non & in tertium & quartum? maximè dicente Paulo; *ter Dominum rogaui*, cum beneficium discessus stimuli carnis deposceret. Quantùm Dei lumine assequor, istorum sequens fuit causa. Cùm de gratiarum actione pro accepto beneficio aliquo sermo est; nil debet differri in crastinum, sed plenissimè quantociùs impleri. Ecclesiastes c. 5. *si quid vouisti Deo, ne moreris reddere*. Et prius Deuteronomij 23. *cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: etsi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*.

F p. 2. 102. 5. ad 10. & ad 2.

Quæ licèt intelligi possent, cùm obligatio est pro beneficio aliquo accipiendo, planiùs tamen sonant post acceptam gratiam, redditionem. Cùm autem pro accipiendo aliquo beneficio fuerit hostia pacifica, sinebat vtique Dominus, die quoque secunda instari supplici desiderij prece: verùm transacto nonnullo tempore, nolebat obstinato veluti animo, nisi nimia beneficij cupidine, anxiaremur: sed potiùs Dei sapientissimo placito committeremur, nihil de propria vtilitate soliciti: quod indicabat remanentis omnis reliquiæ per ignem absumptio: qua veluti contestaretur offerens, se nulli ad votum vtilitati inhiare, imò diuinæ prouidentiæ libenter subijci; exustis in signum propensioris animi, quæ superfuerant. Secùs tanquam insolens proprijque capitis in petendo deprehensus, quod acquisierat meriti, commutabat reatu. *Irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminauerit, præuaricationis rea erit*. Temporalia quærebant carnales Iudæi bona; terrenum ideirco eorum desiderium coercet. Non sic, si spiritualia quærantur: nos enim etiam importunos exaudit, gaudetque perseuerare in petitione, vt patet Lucæ 11. *si ille perseuerauerit pulsans*. Quamquam & temporalia peti possint perseueranter in ordine ad salutem 22. q. 83. 6.

VERSVS XIX. *Caro quæ aliquid tetigerit immundum* &c.

De immunditijs legalibus fusè in capitibus infrà. Nunc solummodo compendiosè tangitur vitanda immunditia ex parte rei oblatæ, si qua fuerit, per abstinentiam ab illa: & deinde quoad comedentes est.

VERSVS XX. *Qui fuerit mundus vescetur*

tur ex ea: & è conuerso anima polluta &c.

4 Ne igitur ausit impurus ex oblatis comedere, siue propria, siue aliena fuerit immunditiâ: ps. 18. *& ab alienis parce sermo tuo*. Id sonant sequentia, *& quæ tetigerit immunditiam hominis* &c. Sed glossa interlinearis G inquit; *anima polluta hypocrisi quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, idest corporis Christi, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis, idest eijcietur de saluandis ad damnationem æternæ mortis*.

G op. 58. 17.

VERSVS XXXI. *Pectusculum autem erit Aaron, & filiorum eius. Armus quoque dexter de pacificorum hostijs* &c.

5 Iam dixi supra ex sensu Sancti Doctoris, in tres portiones consueuisse, imò necesse fuisse, hostias pacificas H diuidi; vna pars incendebatur ad honorem Dei: alia pars cedebat in vsum sacerdotum: tertia verò pars in vsum offerentium. Vide ad Exodi c. 29. Vbi primo exprimitur de pectusculo, & armo dextero pro sacerdotibus. Sed quoniam ibi ob specialem Aaronis hostiam id præceptum est: nunc vniuersaliùs in hostijs pacificis mandatur. Et infrà capite 10. præfigitur quo loci sint comedenda, nimirum *in loco mundissimo*. Dicitur autem in hoc capite pectusculum eleuationis: ea de causa quia Exodi præfato 29. habetur, *sanctificabis illud eleuatum coram Domino*, & anteà, *sanctificabis eos eleuans coram Domino*: quod & repetitur hic c. 8. *eleuans coram Domino*. Scribunt eleuationem huiusmodi sic solitam fieri: Eleuabat Sacerdos onustas offerentis manus supponendo suas, dein reducebat: rursus ab oriente ad occidentem, & demum à meridie ad septemtrionem, trinam signando ijs motibus Crucem; vnde & ab Hebræis vocabatur, *sacrificium agitationis*. In vase vel acetabulo extabant eleuanda.

H p. 2. ies. 3. ad 8.

Mirum est autem cur armus dexter dicatur separationis: satis enim videbatur dixisse dexterum armum: Exodi 29. certè legitur, *& armum quem de ariete separasti*. Sed vt quid inde trahi denominationem, quæ solet à nobiliori desumi? 6
Respondeo ex Gregorio 2. Pasto. 3. designari, operationem sacerdotum non solùm debere esse vtilem, sed & singularem, nàm vt præfato Exodi 29. sumitur armus dexter, eoquòd sit aries consecrationis. Qui consecratur sacerdos, vt gradu ita operatione sit ab alijs per Sanctitatem seiunctus. Singularis sacerdotum conuersatio per quam distinguerentur ab ijs qui Deum non colebant, deprehendebatur ex D. Thoma 1. 2. 101. a. 4. in cibis & vestimentis & alijs huiusmodi. Et quoniam vt dixi Exodi 29. significatur fortitudo per armum dextrum: vt vnde est recolatur, nàm ait Propheta, *fortitudo mea Dominus*, separationis fit mentio.

CAPVT VIII.

1 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Tolle Aaron cum filijs suis, vestes
eorum, & vnctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum
azymis, 3 & congregabis omnem cætum ad ostium tabernaculi. 4 Fecit Moy-
ses vt Dominus imperauerat. Congregataque omni turba ante fores tabernaculi, 5 ait: Iste
est sermo, quem iussit Dominus fieri. 6 Statimque obtulit Aaron, & filios eius. Cumque
lauisset eos, 7 vestiuit Pontificem subuculâ lineâ, accingens eum baltheo, & induens eum
tunicâ hyacinthina, & desuper humerale imposuit, 8 quod astringens cingulo aptauit ra-
tionali, in quo erat Doctrina & Veritas. 9 Cidari quoque texit caput: & super eam, con-
tra frontem, posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei
Dominus. 10 Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili
sua. 11 Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud, & omnia vasa
eius, labrumque cum basi sua sanctificauit oleo. 12 Quod fundens super caput Aaron, Eccl. 45 c. 19.
vnxit eum, & consecrauit: 13 filios quoque eius oblatos vestiuit tunicis lineis, & cinxit
baltheis, imposuitque mitras, vt iusserat Dominus. 14 Obtulit & vitulum pro peccato,
cumque super caput eius posuisset Aaron, & filij eius manus suas, 15 immolauit eum:
hauriens sanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum, quo expiato & san-
ctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta eius. 16 Adipem verò qui erat super
vitalia, & reticulum iecoris, duosque renunculos, cum aruinulis suis, adoleuit super alta-
re: 17 vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo cremans extra castra, sicut præceperat Do-
minus. 18 Obtulit & arietem in holocaustum: super cuius caput cum imposuissent Aaron,
& filij eius manus suas, 19 immolauit eum, & fudit sanguinem eius per circuitum altaris.
20 Ipsumque arietem in frusta concidens, caput eius, & artus, & adipem adoleuit igni,
21 lotis prius intestinis, & pedibus, totumque simul arietem incendit super altare, eò quod
esset holocaustum suauissimi odoris Domino, sicut præceperat ei. 22 Obtulit & arietem
secundum in consecratione sacerdotum posueruntque super caput eius Aaron, & filij eius
manus suas, 23 quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine eius, tetigit extre-
mum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius dextræ, similiter & pedis. 24 Ob
tulit & filios Aaron, cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ
singulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per cir-
cuitum: 25 adipem verò, & caudam, omnemque pinguedinem, quæ operit intestina,

A 3 reti-

reticulumque iecoris, & duos renes cum adipibus suis, & armo dextro separauit. 26 Tol-
lens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, &
collyridam conspersam oleo, laganumque posuit super adipes, & armum dextrum, 27
tradens simul omnia Aaron, & filijs eius. Qui postquam leuauerunt ea coram Domino,
28 rursum suscepta de manibus eorum, adoleuit super altare holocausti, eò quod conse-
crationis esset oblatio, in odorem suauitatis, sacrificij Domino. 29 Tulitque pectusculum
eleuans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei
Dominus. 30 Assumensque vnguentum, & sanguinem, qui erat in altari, aspersit super
Aaron, & vestimenta eius, & super filios illius, ac vestes eorum. 31 Cumque sanctificas-
set eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi
comedite eas, panes quoq; consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mi-
Exod. 29. f. 32. hi Dominus, dicens: Aaron & filij eius comedent eos: 32 Quicquid autem reliquum fue-
Inf. 29. b. 9. rit de carne, & panibus, ignis absumet. 33 De ostio quoque tabernaculi non exibitis se-
ptem diebus, vsque ad diem, quo complebitur tempus consecrationis vestræ, septem
enim diebus finitur consecratio: 34 sicut & in præsentiarum factum est, vt ritus sacrificij
compleretur. 35 Die ac nocte manebitis in tabernaculo obseruantes custodias Domini,
ne moriamini: sic enim mihi præceptum est. 36 Feceruntque Aaron, & filij eius cuncta,
quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

1 IN hoc capite, de consecratione Aaron summi Sacerdotis, & filiorum eius etiam in Sacerdotes minores agitur; executionique mandatur, quod Exodi 29. futurum præscribitur: de quo satis ibi dictum cum fuerit, superest recolere hanc ablutionem fuisse manuum, & pedum, vt factum est etiam Exodi 40. & sanctificationem factam fuisse non solùm oleo cum liniuit Moyses Tabernaculum, sed & sanguine, quod ex proprietate aspersionis colligit D. Thomas, [A] dicitur quippe; *Cumque sanctificans aspersisset Altare, cùm omni supellectili sua*: oleum autem non est aspersiuum. Et fauet Paulus; *Etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerij sanguine aspersit*: subditque sanctus Doctor; ista duo sunt necessaria ad sanctificationem, virtus sanguinis Christi, & oleum misericordiæ: quibus sanctificatur tabernaculum, idest Ecclesia, & vasa, idest ministri: certè vasa sunt in ministerium, vnde bene stant pro ministris. Per vasa tabernaculi etiam intelligi possunt contemplatiui, qui tanquam Reges inter alios [B] innunguntur oleo spiritualis lætitiæ. Animaduerte contemplatiuos pollere superna mente; idcircò Regibus merito comparari; nàm qui pollent ingenio, natura dominos rectoresque aliorum, qui tanquam hebetes natura serui sunt, docuit Philosophus.

A Hebr 9.1.4.

B Math. 6.

2 De consecratione & sanctificatione Aaron & filiorum etiam iuuat recolere, quod traditur alibi: [C] nam apud antiquos sancta dicebantur quæ legibus erant munita, vt violari non deberent: vnde & dicitur aliquid esse sancitum, quia est lege firmatum. Potest etiam secundùm latinos, hoc nomen *Sanctus* ad munditiam pertinere, vt intelligatur *Sanctus*, quasi sanguine tinctus, vt Isidorus dicit in libro Etymologiarum, & vtraque significatio competit, vt sanctitas attribuatur ijs, quæ diuino cultui applicantur; ita quòd non solùm homines, sed & templa, & vasa, & alia huiusmodi sanctificari dicantur ex hoc quod cultui diuino applicantur. Munditia enim necessaria est, ad hoc quòd mens Deo applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc quòd inferioribus rebus coniungitur, sicut quælibet res ex immistione peioris sordescit, vt argentum (quod ait D. Thomas Romanorum 1. lect. 7.) ex immistione plumbi: oportet autem quòd mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc quòd supremæ rei possit coniungi, & ideo mens sine munditia Deo applicari non potest. Firmitas etiam exigitur, ad hoc quòd mens Deo applicetur; applicatur enim ei sicut vltimo fini, & primo principio: huiusmodi autem oportet maximè immobilia esse. Alibi autem nempe op. 7. §. 5. *Sanctum* idem est quod firmum, vnde omnes beati, qui in cœlo sunt, *sancti* dicuntur, quia sunt æterna felicitate firmati: in mundo non possunt esse sancti, quia sunt continuè mobiles. Augustinus. *Defluxi Domine à te, & errani nimis, deuius factus à stabilitate tua*. Secundò *sanctum* idem est, quod non terrenum, vnde sancti, qui in cœlo sunt, nullum habent affectum terrenum: Philipp. 3. *omnia arbitratus sum stercora*. Item tertiò dicitur *sanctum*, idest sanguine tinctum, iuxtà illud Apocalyps. 7. *Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni*. En quibus de causis verificatur quod ait hic Spiritus-Sanctus; cumque sanctificasset eos in vestitu suo. De sanctitate dictum est etiam ad finem capitis 22. in Exodo.

C 2.2.81. a.

Glossa ad versum 23. & 24. vbi de sanguine arietis, quo tactus est primò Aaron, deinde filij, ait: *primò Sacerdos, deinde filij intinguntur; quia Christus priùs in* [D] *cœna sanguinem suum accepit, deinde discipulis dedit*. De Leuitis quomodo consecrarentur Domino, Numeri 8.

D ad Hebr. 4. 11. 5.1.

CAPVT IX.

1 FActo autem octauo die, vocauit Moyses Aaron, & filios eius, ac maiores natu
Israel, dixitque ad Aaron: 2 Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem Exod. 29 21.
in holocaustum, vtrumque immaculatum, & offer illos coram Domino, 3 Et
ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum, atque agnum anniculos,
& sine macula in holocaustum, 4 bouem, & arietem pro pacificis: & immolate eos co-
ram Domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes, hodie enim
Dominus apparebit vobis. Tulerunt ergo cuncta, quæ iusserat Moyses ad ostium taberna-
culi: vbi cum omnis multitudo astaret, 6 ait Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Do-
minus: facite, & apparebit vobis gloria eius. 7 Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, &
immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & deprecare pro te, & pro populo, cumque
mactaueris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus. 8 Statimque Aaron ac-
cedens ad altare, immolauit vitulum pro peccato suo: 9 cuius sanguinem obtulerunt ei
filij sui: in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, & fudit residuum ad basim eius. 10
Adipemque & renunculos, ac reticulum iecoris, quæ sunt pro peccato, adoleuit super al-
tare, sicut præceperat Dominus Moysi: 11 carnes verò, & pellem eius extra castra com-
bussit igni. 12 Immolauit & holocausti victimam, obtuleruntque ei filij sui sanguinem
eius, quem fudit per altaris circuitum: 13 ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum
capite, & membris singulis obtulerunt, quæ omnia super altare cremauit igni, 14 lotis
aqua prius intestinis, & pedibus. 15 Et pro peccato populi offerens mactauit hircum: ex-
piatoque altari, 16 fecit holocaustum, 17 addens in sacrificio libamenta, quæ pariter
offeruntur, & adolens ea super altare, absque cæremonijs holocausti matutini. 18 Immo-
lauit & bouem atque arietem, hostias pacificas populi: obtuleruntque ei filij sui sangui-
nem, quem fudit super altare in circuitum. 19 Adipem autem bouis, & caudam arietis,
renunculosque cum adipibus suis, & reticulum iecoris 20 posuerunt super pectora, cum-
que cremati essent adipes super altare, 21 pectora eorum, & armos dextros separauit Aa-
ron, eleuans coram Domino, sicut præceperat Moyses. 22 Et extendens manus ad popu-
lum, benedixit ei. Sicque completis hostijs pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descen-
dit. 23 Ingressi autem Moyses, & Aaron in tabernaculum testimonij, & deinceps egressi
benedixerunt populo. 24 Apparuitque gloria Domini omni multitudini: & ecce egressus 2. Ma. 1 c. 12.
ignis à Domino, deuorauit holocaustum, & adipes, qui erant super altare. Quod cum vi-
dissent turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies suas.

IN hoc capite post collatum sacramentum ordinis, quod quidem inter cæremonias recenset D. Thomas, ᴬ complentur hostiarum sacrificia pro peccato, in holocausto cùm pacificis: ritusque in eisdem seruandus, & seruatus denuò singillatim describitur. Quod idcircò, crediderim toties factitatum, ne quasi per transennam putarentur de ijs præcepta tradita: Item vt quid mysterij sublateret, vel inuitus crederet, quisquis esset: & denique, vt tàm accuratæ relatu obseruationis, innotesceret, quàm prompto animo, veluti cæca obedientia Deo obsequerentur.

A. 3. 2. 102. 4.

De immissione sacri ignis, vel à Deo cœlitus, vel à columna nubis demissi, præcipuè in hoc capite dicendum est. Vers. 23. *Apparuitque gloria Domini omni multitudini, & ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum, & adipes, qui erant super altare.* Aliàs pluries visus est ignis diuinus in approbationem sacrificij, vt Genesis, c. 4. ad Abel; Iudicum 6. offerente Gedeone; & 3. Regum 18. super Eliæ Holocausto: & similiter 2. Paralipom, c. 7. *cùm complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, & deuorauit holocausta, & victimas.* Verùm inter omnes pretiosior habitus est ignis iste, de quo supra c. 6. dictum fuerat; *ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos.* De quo quidem sermo fit etiam 2. Machab. c. 1. dicendo, *Moyses orabat ad Dominum, & descendit ignis de cœlo, & consumpsit holocaustum.* Maxima ergo Sacerdotum cura fouebatur sacer hic ignis: & cum per desertum proficiscerentur, scribunt; in vase ad id deputato; quemadmodum aliàs in altari holocaustorum. Prævidens autem Ieremias excidium Templi, & Babylonis captiuitatem, *iussit eos ignem accipere qui transmigrabant* (Machab. 2. c. 2.), *vt significatum est*, (nimirum capite præcedenti vbi sequentia leguntur) *Nàm cùm in Persidē ducerentur Patres nostri; sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum. Cum autem præterijssent anni multi, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis, nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem; & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.* Ex huius aquæ perfusione mirificè ibi accensus est ignis, vt ibidem bis legitur. Verùm non ita perdurasse: Imò secundò flamma accensa ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est: sicque inter cætera quibus dolent se caruisse Iudæi in Templo Zorobabelico atque Herodiano, & ignem sacrum deplorant, vt apud Maluendam

l. 11. de Antichristo cap. 11. videre est. Hunc ignem, & pariter Eliæ 3. Regum memorat D. Thomas Genesis 4. Ignis iste allegoricè est Spiritus-Sancti gratia: quem per singulos dies nutrire in altari cordis humani debet sacerdos: quique nunquam deficiet in Ecclesia quæ Sancta creditur & decantatur in Symbolo. De hoc igne mysticè dictum est supra c. 6. n. 3.

CAPVT X.

Num. 3. a.4.16. g. 26. 1. Par. 24. a.2.

1 ARreptisque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incen-
sum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum
non erat. 2 Egressusque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram
Domino. 3 Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est, quod locutus est Dominus: Sanctifica-
bor in ijs, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod au-
diens tacuit Aaron. 4 Vocatis autem Moyses Misaele, & Elisaphan filijs Oziel, patrui
Aaron, ait ad eos: Ite & tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarij, & asportate extra
castra. 5 Confestimque pergentes, tulerunt eos sicut iacebant vestitos lineis tunicis, & eie-
cerunt foras, vt sibi fuerat imperatum. 6 Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar,
& Ithamar filios eius: Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne fortè
moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, & omnis domus
Israel plangant incendium, quod Dominus suscitauit: 7 vos autem non egredimini fo-
res tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe sanctæ vnctionis est super vos. Qui fe-
cerunt omnia iuxta præceptum Moysi. 8 Dixit quoque Dominus ad Aaron. 9 Vinum,
& omne quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum
testimonij, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. 10
Et vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mun-
dum: 11 doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos
per manum Moysi. 12 Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios
eius, qui erant residui: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & come-
dite illud absque fermento iuxta altare, quia Sanctum sanctorum est. 13 Comedetis au-
tem in loco sancto: quod datum est tibi, & filijs tuis de oblationibus Domini, sicut præce-
ptum est mihi. 14 Pectusculum quoque quod oblatum est, & armum qui separatus est, ede-
tis in loco mundissimo tu, & filij tui, & filiæ tuæ tecum: tibi enim, ac liberis tuis reposita
sunt de hostijs salutaribus filiorum Israel: 15 eo quod armum, & pectus, & adipes, qui cre-
mantur in altari, eleuauerunt coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos lege
1. Mac. 2. c. 11. perpetua, sicut præcepit Dominus. 16 Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro pecca-
to, cum quæreret Moyses, exustum reperit: iratusque contra Eleazar, & Ithamar filios Aa-
ron, qui remanserant, ait: 17 Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco Sancto, quæ
Sancta sanctorum est, & data vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea
in conspectu Domini, 18 præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, &
comedere debueritis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi? 19 Respondit Aaron:
Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino: mihi autem accidit
quod vides, quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in ceremonijs mente lu-
gubri? 20 Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.

VERSVS I. *Arreptisque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum.*

1 Horum mors pluries in Sacra pagina recolitur; forte ad incutiendum alijs, cum ad sacra accedunt ministeria, Dei timorem. Numeri præsertim 3. *mortui sunt Nadab & Abiu, cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai*. Qua in re haud valeo Radulpho & Abulensi assentiri, aientibus verosimile esse, illos nonnisi venialiter peccasse, vtpote partim lætitia, partim timore ignis cœlestis perturbatos: nec sat memores præcepti diuini: & facilè erat neomystas in primitijs errare. Diuinare est hoc absque fundamento, & laxa nimis sententia est; quam sola pœnæ inflictio falsitatis conuincit: cum maxime legamus Deuteronomij 25. *pro mensura peccati erit & plagarum modus*. Igitur pro certo crediderim peccasse illos multis de causis moraliter; meritamque ad aliorum exemplum subijsse pœnam: nam, imò in initio impletionis legum, mos est Dei, pariter proinde & hominum, seuerius ad supprimendum scandalum, peccata punire. Quod quidem notat maxime obseruatum fuisse in principio legislationis, A vt Exodi 32. propter peccatum vituli aurei; vbi multa millia hominum sunt perempta: & actorum 5. propter peccatum mendacij & furti, de Anania & saphira occisis. A 1. Cor. 11. L. 7.

Indicatur autem multipliciter ex sacro literæ huius contextu eorum culpa. *Dixitque Moyses ad Aaron: hoc est, quod locutus est Dominus: sanctificabor in ijs qui appropinquant mihi*. Ex quo colligitur quomodo Nadab, & Abiu appropinquantes ad Dominum, ipsum suo accessu Sanctum

non

non indicauerunt: quemadmodum si quis ad Regem operto capite, & irreuerenti sermone loqueretur; ex se, illius maiestatem læderet, nec tanquam Regem ostenderet aut tractaret. Et quid reliquum est, cum id accidit, nisi vt se Rex Regem, vlciscendi auctoritate, iustè demonstret?

Ita locum istum expendit D. Thomas. Qui
B op. 41. 1. 2. 5. Deum inquit [B] non ostendit Sanctum, ad ministerium eius in sanctitate appropinquando; ostendet eum sanctum, pro immunditia sua, pœnam à Deo recipiendo. Itaque quando Deus ab aliquibus non sanctificatur, sanctificat se Deus coram populo in illis. Et quoniam: ait Moyses *hoc est quòd locutus est Dominus; sanctificabor in ijs qui appropinquant mihi* &c. licet id alibi expressè non legatur, credendum est, tunc Aaroni & filijs fuisse oretenus pronunciatum, quando Exodi 28. dixit Dominus de Aaronis vestibus: *in quibus sanctificatus ministret mihi*. Quocircà D. Thomas loco citato; cum Dominus Sanctus sit, in sanctitate vult appropinquari ad eius ministerium, fertque locum Exodi. *Tacuit, hoc audiens Aaron*, nec in vocem lamentationis erupit, recolens, quòd sibi & filijs per Moysen circà sanctum ministerium fuerat inculcatum: quamuis sacer textus, quasi summariè re tacta, id solum eo loci recolligat; *in quibus sanctificatus ministret mihi*.

2 Igitur vltra inobedientiam, qua vsi sunt Nadab & Abiu igne alieno, neglecto sacro, peccasse deprehenduntur sanctitatis defectu, fortassè culparum labe fœdos dum ministrarent. Id enim satis indicat Dominus postmodum subdens; *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tù & filij tui, quando intrabitis tabernaculum testimonij, ne moriamini*; quasi diceret, hac radice mortuos fuisse Nadab, & Abiu, vino madentes; *vt vos*, quod illi amiserunt, *habeatis*, retineatis videlicet, *scientiam discernendi inter sanctum & profanum; inter pollutum & mundum*. Sic Danielis 1. *dedit Deus pueris Misach, & Azariæ, & Abdenago, scientiam, & disciplinam in omni libro & sapientia*: Danieli autem *intelligentiam omnium visionum, & somniorum*; quia [C] hoc legis præceptum de vini abstinentia seruauerunt, de quo redibit sermo Numeri 6.
C Daniel. 1.

VERSVS VI. *Locutus est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar & Ithamar filios eius. Capita vestra nolite nudare.*

3 Vetat Deus Patri & fratribus iustitiæ atque doloris indicia, qualia sunt detractio tiaræ, capillorum abrasio: more gentilium luctus testandi causa: quod non solùm sacerdotibus, sed & laicis promiscuè prohibitum erat in funere, vt habetur Deuteronomij 14. idque ne more Ethnicorum immoderatum animi affectum, hoc signo proderent: & additur, *& vestimenta nolite scindere*. Quod quidem impotentiam animi demonstrat: sicut ille impius *scidit* in passione Domini *vestimenta sua*. Præter superstitionis & intolerantiæ notam non fuisset id vetitum, vnde Sanctus Iob. c. 1. absque labe, scidit vestimenta sua, ostendens signum tristitiæ, & quantum ad ea quæ sunt extrà naturam corporis, & quantum ad ea quæ de natura corporis procedunt: Iob c. 1. l. 4. Non peccauit ipse etiam, quia erat gentilis: ita Ieremiæ 16. iuxtà antiquorum morem, qui nutrientes tempore lætitię barbam & comam, tempore tristitiæ deponebant: Isaiæ 15. Quamuis per tempora, consuetudo fuerit, vt viri tempore luctus comam nutriant, quasi hoc sit suæ conditioni conueniens: mulieres è contrario deponant 1. Cor. 11. l. 2. Sed hic est quod quæratur, cur scilicet, quod indulsit infrà c. 21. vt sacerdotes in morte fratrum lugerent, nunc negetur: eo vel maximè quod tristari de malis proximi haud illicitum est. Et potest adhuc difficultas exaggerari, ex D. Thomæ doctrina; siquidem in homine ponitur duplex voluntas [D] nimirum voluntas sensualitatis, quæ participatiuè volūtas dicitur: & volūtas rationalis, quę cōsiderari potest, & per modū naturæ, & per modū rationis: manifestum est autem quòd voluntas sensualitatis refugit naturaliter dolores sensibiles & corporis læsionem. Similiter voluntas vt natura repudiat ea quæ sunt naturæ contraria, & quæ sunt secundùm se mala, vt mortem, & alias huiusmodi: quamuis quandoque per modum rationis, possit voluntas & mortem eligere ex ordine ad finem: vnde voluntas quæ absolutè considerata refugit vstionem, hanc eligit propter finem sanitatis. Et ibi tradit de Christo Domino, quod secundum voluntatem sensualitatis, & secundùm voluntatem rationis, consideratæ secundum modum naturæ, quoad suos dolores passionē & mortem, ita poterat aliud velle; licèt secundum voluntatem, quæ est per modum rationis, semper idem volebat, quod Deus. Igitur quemadmodum in Christo, ex quadam dispensatione permissum est viribus animæ, agere & pati quæ illis erant propria, cur nunc Aaroni & filijs non permittitur quod est affectus humani in miserè extinctos? maximè quia [E] etiam in animo sapientis potest esse tristitia secundum appetitum sensitiuum, ob secundaria mala, quæ pertinent ad corpus, & ad res exteriores: quamuis huiusmodi tristitia haud debeat perturbare rationem, iuxta illud Prouerb. 12. *non contristabit iustum quicquid acciderit illi*.
D 3. p. q. 18. 5.
E 1. 2. 25. 6. 2.

Respondeo; etsi hæc sint vera; & idcircò permissa Aaroni & filijs pro aliorum nece, attamen noluisse Dominum, vt coram, quidpiam doloris populo ostenderent aut tristitiæ: quia quod in Christo oportuit ad firmandam fragilitatis nostræ assumptionem, in ipsis haud decuit habere locum exteriori manifestatione; quoniam Regis ministros inconueniens est, non omnino probare quod Regi, iusto præsertim iudicio, placitum fuit, *Lætabitur iustus cum viderit vindictam*. Idcirco ostendendæ constantiæ causam tangens, ait: *oleum quippe sanctæ vnctionis est super vos*: ac si diceret; ministri Dei estis: *minister*, vt ait Apostolus Rom. 13. *est vindex in iram ei qui malum agit*. Cum verò de culpa Deique iniuriis agitur, dignum profectò est exterius quoque promere doloris affectum: vnde Machabæorum 2. de Onia infracti animi viro, ad imminentem Templi expilationem legitur c. 3. *Iam verò qui videbant summi Sacerdotis vultum mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem: circumfusa enim erat mœstitia quædam viro & horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis efficiebatur*. Si autē ob iusti iudicij diuini indiciū sic Aarō & filij palàm doluissent: ansam arripuisset plebs rudis

fortè ad blasphemias quoque in Deum vomendas, & scandalo fuisset pusillis licitus dolor. Secretò tamen arcanæ indulsisse tristitiæ absque peccato crediderim; eoquòd in calce capitis respondisse dicitur Aaron Moysi; *quomodo potui comedere eam* (victimam pro peccato) *aut placere Domino mente lugubri?* Quod cum audisset Moyses *accepit satisfactionem*. Siue iuxtà Septuaginta, *placuit illi*.

At vides, inquit, *mente*, non corde, *lugubri*. Cor nimirum in sacris literis pro voluntate accipitur. Voluntas haud tristabatur Deo conformis: at mens reuoluebat casum; nec facilè consideratione alia poterat distrahi: *mihi*, ait, *accidit quod vides*: maiores ac si diceret amisi miserabiliter filios; paueo de animarum salute; crucior de Dei offensa; quomodo potui ea qua decet reuerentia intentaque deuotione, placere Domino in cæremonijs mente lugubri? Hanc tangit historiam mortis Nadab & Abiu D. Thomas [F] in 2. Machabæorum in hæc verba occasione varij textus: quia non fuit mundè oblatum incensum, (en de immunditia eorum) neque mundè consummatum, scilicet non igne diuino, sed alieno; ac si dicat, quia non mundè, & ritè obtulerunt, qui accepto igne alieno voluerunt offerre incensum in thuribulo. Fortè, putauerim ego, moniti fuerunt Nadab & Abiu, sed ipsi temerè ausi sunt contrà præceptum Domini: quod indicat Noster traducens; *arreptis thuribulis*: quasi de impedientium manibus violentia quadam, vel impetu quodam, & contemptu de loco acceptis.

F 2. Machab. 2.

VERSUS XVI. *Inter hæc hircum qui oblatus fuerat pro peccato, cùm quæreret Moyses, exustum reperit, iratusque contra Eleazar, & Ithamar.*

Irascitur contrà filios, parcens id in summum Sacerdotem referre: sed Aaron est qui respondet. Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. Moyses meritò increpat illos, (sic ait D. Thomas loco citato) nec sine causa irascitur, quia reuera facti species reprehensione digna erat; fuerat enim omissum, quod præceperat Dominus; præsertim quia comestionem victimæ comitabatur mysterium, iuxtà illud Oseæ 4. *comedent peccata populi*; & pariter omissa oratio ad Dominum: *data est*, inquit, *vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea, in conspectu Domini*. Ecclesia iudicat de exteriori; ita Moyses, nostram ad instructionem increpat illos.

Atqui non minus ad nostram certè doctrinam occurrit Aaron: *quomodo potui comedere eam aut placere Domino in cæremonijs, mente lugubri?* Verum dum ait Aaron *quomodo potui*, indicat quippe optasse cum filijs suis munia implere, atqui iacturæ illius causa, non potuisse. Duplici in loco lætitiam apprimè, cum Deo obsequimur, necessariam, astruit [G] Angelicus; & huius defectu excusasse Aaron se suosque filios; primo ad illud, *seruite Domino in timore, & exultate*, deinde ibi, *ad Deum qui lætificat iuuentutem meam*. Concordat que ps. 99. *seruite Domino in lætitia: introite in conspectu eius in exultatione*. Quocircà ait [H] D. Thomas; operari sine tristitia opus virtutis, cadit sub præcepto legis diuinæ, quia quicunque cum tristitia operatur, non volens operatur; & addit, cadere etiam sub præcepto operari delectabiliter sine cum lætitia & hilaritate, secundùm quòd hæc consequuntur ex dilectione Dei & proximi, cùm amor sit causa delectationis. Quod magis explicat [I] dicens; licet apud homines, qui non vident nisi *eam quæ parent*, sufficiat quòd homo operetur actum virtutis, secundùm ipsam speciem actus, puta actum iustitiæ: tamen apud Deum, qui intuetur cor, non sufficit quòd solùm operetur actum virtutis, secundùm speciem, nisi etiam secundùm debitum modum operetur, scilicet delectabiliter, & cum gaudio; & ideò non datorem tantùm, sed *bilarem datorem diligit Deus*, idest approbat & remunerat, & non tristem, & remurmurantem. In culpabilem eiusmodi tristitiam propendere cœpit ille adolescens Matthæi 19. qui cùm audisset verbum Domini, *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus*; *abijt tristis*. Non ita Aaron qui haud quaquam diuinum respuit de filiorum morte iudicium, sed abductus humano sensu, lugubrique inde mente, ratus est, se posse prudenti consilio, relinquere igni absumendam victimæ sui iuris portionem: nisi interior ea de causa distractio ad minus voluntariam distraxerit inaduertentiam. Disce quàm attentè, quàm purè ad Dei famulatum pro sacerdotis munere sit accedendum. Tropologicè ignis profanus est amor proprius, sacro & diuino contrarius. D. Thomas 1. Cor. 11. l. 7. colligit non esse audendum in Sacramento offerre alium panem quàm triticeum, vel alium liquorem, quàm vinum de vite; quemadmodum instituit Dominus, à pari: eoquòd Nadab, & Abiu offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, egressus ignis à Domino deuorauit.

G P. 2. ... 44.

H p. 2. 100. 9. 1.

I 2. Cor. 9. l. 1.

CAPVT XI.

Deut. 14. a.

1 Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 2 Dicite filijs Israel: Hæc sunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ: 3 Omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus, comedetis. 4 Quidquid autem ruminat quidem, & habet vngulam, sed non diuidit eam, sicut camelus, & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis. 5 Cherogryllus, qui ruminat, vngulamque non diuidit, immundus est. 6 Lepus quoque: nam & ipse ruminat, sed vngulam non diuidit. 7 Et sus: qui cum vngulam diuidat, non ruminat: 8 horum carnibus non vescemini, nec cadauera contingetis, quia immunda sunt vobis. 9 Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas, & squamas, tam in mari, quàm in fluminibus, & stagnis, comedetis. 10 Quidquid autem pinnulas, & squamas

2. Mac. 6. & d. 17.

non habet eorum, quæ in aquis mouentur, & viuunt, abominabile vobis, 11 execran-
dumque erit, carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis. 12 Cuncta quæ non
habent pinnulas, & squamas in aquis, polluta erunt. 13 Hæc sunt, quæ de auibus come-
dere non debetis, & vitanda sunt vobis: Aquilam, & gryphem, & haliæetum, 14 & mi-
luum, ac vulturem iuxta genus suum, 15 & omne coruini generis in similitudinem suam,
16 struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem iuxta genus suum, 17 bubonem, &
mergulum, & ibin, 18 & cygnum, & onocrotalum, & porphyrionem, 19 herodionem,
& charadrion iuxta genus suum, vpupam quoque, & vespertilionem. 20 Omne de volu-
cribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. 21 Quidquid autem
ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super
terram, 22 comedere debetis, vt est bruchus in genere suo, & attacus atque ophioma-
chus, ac locusta, singula iuxta genus suum. 23 Quidquid autem ex volucribus quatuor
tantum habet pedes, execrabile erit vobis: 24 & quicumque morticina eorum tetigerit,
polluetur, & erit immundus vsque ad vesperum: 25 & si necesse fuerit, vt portet quip-
piam horum mortuum, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad occasum solis.
26 Omne animal quòd habet quidem vngulam, sed non diuidit eam, nec ruminat, immun-
dum erit: & qui tetigerit illud, contaminabitur. 27 Quod ambulat super manus ex cun-
ctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eo-
rum, polluetur vsque ad vesperum. 28 Et qui portauerit huiuscemodi cadauera, lauabit
vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum: quia omnia hæc immunda sunt vo-
bis. 29 Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ mouentur in terra, mustela,
& mus, & crocodilus, singula iuxta genus suum, 30 mygale, & chamæleon, & stellio, &
lacerta, & talpa: 31 omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immun-
dus erit vsque ad vesperum: 32 & super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum,
polluetur tam vas ligneum, & vestimentum, quam pelles, & cilicia: & in quocumque fit
opus, tingentur aqua, & polluta erunt vsque ad vesperum, & sic postea mundabuntur. 33
Vas autem fictile, in quod horum quidquam introceciderit polluetur, & idcirco frangen-
dum est. 34 Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit:
& omne liquens quod bibitur de vniuerso vase, immundum erit. 35 Et quidquid de mor-
ticinis huiuscemodi ceciderit super illud, immundum erit, siue clibani, siue chytropodes,
destruentur, & immundi erunt. 36 Fontes verò, & cisternæ, & omnis aquarum congre-
gatio munda erit. Qui morticinam eorum tetigerit, polluetur. 37 Si ceciderit super se-
mentem non polluet eam. 38 Si autem quispiam aqua sementem perfuderit, & postea
morticinis tacta fuerit, illico polluetur. 39 Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis
comedere, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vsque ad vesperum: 40 & qui come-
derit ex eo quippiam, siue portauerit: lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad
vesperum. 41 Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum,
42 Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, siue per humum
trahitur, non comedetis, quia abominabile est. 43 Nolite contaminare animas vestras,
nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis. 44 Ego enim sum Dominus Deus vester:
sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod mo- 1.Pet.1.c 15.
uetur super terram. 45 Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Aegypti, vt essem
vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum. 46 Ista est lex animantium, ac volu-
crum, & omnis animæ viuentis, quæ mouetur in aqua, & reptat in terra, 47 vt differentias
noueritis mundi, & immundi, & sciatis quid comedere, & quid respuere debeatis.

VERSVS II. *Dicite filijs Israel. Hæc sunt animalia quæ comedere debetis, de cunctis animantibus terræ.*

Discretionem ciborum mundo-
1 rum, & immundorum, postquam immundè adoleuerunt incensum Nadab & Abiu, opportunè docet nos Deus. Admiranda est autem Moysi & Aaron in his tradendis sapientia: tot enim ignotorum promiscuè animalium naturas, plenè calluisse deprehenduntur, quandò singillatim, quæ licitè in vsum venirent, à quibusque esset abstinendum decernunt.

Præsumendum est autem, si secundùm naturam loquamur, nihil reuera esse immundum: Apostolus 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Et ad Titum c. 1. *Omnia* scilicet cibaria, ait D. Thomas, *munda mundis*. Et ad Romanos 14. *Nihil commune per ipsum*: Quod & Petro Actorum 10. in illa imaginaria visione, quando in vase linteo inspexit omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli, reuelatum est, dùm manducare nollet commune, & immundum. *Quæ Deus purificauit, commune ne dixeris*. Quid sonet ly *commune* aperit [A] Ange- A Roa 14.1.2.
licus; quia populus Iudæorum partem Dei se esse iactans, communes cibos vocat, quibus omnes vtuntur homines v. g. suillam carnem, lepores, & huiusmodi, & quia cæteræ gentes quæ talibus vtebantur cibis, non erant de parte Dei,

ideo talis cibus communis appellabatur. Tandem Christus Dominus rem istam absoluit dicens Matthæi 15. *Audite & intelligite, non quod intrat in os coinquinat hominem.* Probatur autem assumptum bifariam; primò ex dictis, *Quia omnis creatura Dei bona est*, scilicet [b] in sua natura, Genesis 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* A bono etiam Actore nihil est nisi bonum: Et occurrendo obiectioni, id magis probatur; quia si aliquorum ciborum malus astrui posset vsus, non esset, nisi in quantùm diabolus post peccatum hominis, accepisset potestatem super eos: quia ex quo homo peccauit, accepit in hominem potestatem, & in ea quæ sunt eius; sed per Christum est ablata hæc potestas: & hæc vocatur ab Apostolo sanctificatio. (*Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.*) Vnde omnia quæcumque benedicimus exorcizantur primò, & ibi est oratio expellens Diabolum. ergo, &c. *Omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum*; non igitur per se est quid immundum.

B 1. Tim. 4. l. 1.

Secundò probatur ex Matthæi cit. 15. *Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit & in secessum emittitur.* Nihil potest [c] immundare animam, quod non contingit; cibus autem non contingit animam, & hoc est signum, *quia in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* De omni quippe ingesto fit egestio. p. p. 119. 1. 1. Adde pro his etiam Isaac iussum, *eumque venatu aliquid apprehenderis*, Genesis 27. Non ergo est per se quid immundum.

C Matth. 15.

At dices cur ergo vetantur & non solùm? hic sed & Deuteronomij 14. Isaiæ etiam 65. ait Dominus se ad iracundiam prouocari, ab ijs, *qui comedunt carnem suillam, & ius profanum, in vasis eorum*, &c. 66. comminatur eos, qui comedebant, *carnem suillam, & abominationem, & mærorem*: addit D. Thomas *glirem*, contra legem. Multiplex assignatur causa prohibitionis, [D] quamuis omnia secundùm se munda sint; *Domini est enim terra, & plenitudo eius.* In onus populi; Item ad restringendum peccatum gulæ; Et propter significationem. Hoc significationis caput videtur esse præcipuum ideò sæpiùs inculcatur à D. Thoma ex Augustino citatis in locis, [E] & datur ex illo ter exemplum de hoc nomine, *stultus*, vel *fatuus*, nàm sicut in verbis, significat hoc nomen aliquod malum scilicet defectum sapientiæ: & tamen in quantùm est vox quædam composita ex literis, est bonum. Ita in rebus quoddam animal bonum est secundùm naturam, sed significatione est malum: sicut *porcus*, qui significat immunditiam: & ideo prohibitus est antiquis esus illarum carnium, vt significaretur in earum vitatione, vitatio immunditiæ: tota enim illius populi vita figuralis erat: quia in illo statu, non solùm per verba, sed etiam per acta præfiguratus est Christus; & ideò in cibis, in vestibus, & sacrificijs fuerunt figuræ futuri status. (Ex August. relato p. 2. q. 114. a. 10. illorum non tantùm lingua, sed etiam vita prophetica fuit.) Non ergò prohibentur secundùm se, sed quia immundorum figuræ sunt; sicut porcus est signum immundæ vitæ; & ideo prohibitio carnis eius est signum, quòd in lege Christi est prohibita omnis immunditia. Et præterea erat hæc discretio ciborum præcepta ad quandam præparationem, vt essent idonei ad cultum Dei, & sic ad cęremonialia spectabat, vt docet p. 2. q. 101. a. 1. 1.

D op. 41. l. 3. c. 5.

E Rom. 14. l. 1. 1. Tim. 4. l. 1. Tit. 1. l. 4.

Hæc recolligit S. Doctor etiam in 3. parte [F] firmans quod dicebam de verbis Christi Matthæi 15. vt scilicet voluerit ostendere, quòd homo non redditur immundus secundùm animam, ex vsu ciborum quorumcumque secundùm suam naturam, sed solum secundùm quandam significationem. Et sic subdit. Quòd autem in lege quidam cibi dicuntur immundi; hoc est per quandam significationem: vnde Augustinus dicit contra Faustum: *Si de porco, & agno requiratur, vtrumque natura mundus est; dicimus, quia omnis creatura Dei bona est; quadam verò significatione; agnus mundus, porcus immundus.*

F 3. p. 40. 4. 2.

Sed vt horum plenior habeatur cognitio, operæ pretium est, quæ [G] tradit alibi exscribere. Secundùm corporalem immunditiam, quæ est corruptionis cuiusdam, aliquæ animalium carnes immunditiam habent, vel quia ex rebus immundis nutriuntur, sicut porcus, aut immundè conuersantur, sicut quædam animalia, sub terra habitantia, vt talpæ & mures & alia huiusmodi: vnde etiam quendam fœtorem contrahunt. Vel quia eorum carnes propter superfluam humiditatem, vel siccitatem corruptos humores in corporibus humanis generant: & ideò prohibitæ sunt eis carnes animalium, habentium soleas, idest vngulam continuam, non fissam, propter eorum terrestreitatem. Et similiter sunt eis prohibitæ carnes animalium habētium multas fissuras in pedibus, quia sunt nimis cholerica, & adusta, sicut carnes Leonis, & huiusmodi. Similiter etiam quidam pisces non habentes pinnulas & squamas, vt anguillæ, & huiusmodi, propter excessum humiditatis. Sunt autem eis concessa ad vsum, animalia ruminantia, & findentia vnguem; quia habent humores benè digestos, & sunt mediæ complexionis, quia nec sunt nimis humida, quod significant vngulæ; neque sunt nimis terrestria, cùm non habeant vngulam continuam, sed fissam. In piscibus etiam concessi sunt eis pisces sicciores; quod significatur per hoc quòd habent squamas, & pinnulas; per hoc enim efficitur temperata, complexio humida piscis. In auibus etiam sunt eis concessæ magis temperatæ, sicut gallinæ, perdices, & aliæ huiusmodi.

G p. 2. 102. 6. 1.

Alia ratio fuit in detestationem idololatrię; nam gentiles, & præcipuè Ægyptij, inter quos erant huiusmodi animalia prohibita, idolis immolabant, vel eis ad maleficia vtebantur. Animalia verò quæ Iudæis sunt concessa ad esū, non comedebant, sed ea tanquam Deos colebant: vel propter aliam causam ab eis abstinebant, vt suprà dictum est.

Tertia ratiò est ad tollendam nimiam diligentiam circa cibaria, & ideò conceduntur illa animalia, quæ de facili, & in promptu haberi possunt.

Figuralis autem ratio horum est: quia per omnia huiusmodi animalia prohibita, designantur aliqua peccata in quorum figuram illa animalia prohibebantur. Et postquam retulit ex Sancto Augustino quæ suprà dixi: pergit mire dicendo: Animal quod ruminat & vngulam findit, mundum est significatione; quia fissio vn-

gulæ

gulæ significat distinctionem duorum testamentorum, vel Patris, & Filij; vel duarum naturarum in Christo; vel discretionem boni & mali.

2 Primò aspectu hæc gratis minusque congruè videntur dici à Sancto Doctore: verùm si totam tropologicè accipiamus literam, perspicuum fiet, quàm studiosè non temerè, hæc dicta sint. Comestio quippe allegoricè ad animæ nutritionem referenda est: at *iustus ex fide viuit*: dùm ergo vngulæ fissionem memorat Spiritus-Sanctus in comestione; (aliunde enim animalium discrimen innotescere potuisset) voluit, aliqua in arcana fissione ac distinctione figeretur oculus mentis; vt vnà *pane vitæ & intellectus* cibaretur, qui hæc obseruaret. Præcipua verò quæ ad fidem nutriendam conseruandamque faciunt, sunt vel duo testamenta, vel præfata mysteria, vel denique bona operatio; *fides* enim *fine operibus mortua est*. Iacobi 2.

3 Ruminatio autem (sequitur D. Thomas) significat meditationem scripturarum, & sanum intellectum earum: Similiter etiam in piscibus illi qui habent squamas & pinnulas, significatione mundi sunt, quia per pinnulas significatur vita sublimis, vel contemplatio: per squamas autem significatur aspera vita; quorum vtrumque necessarium est ad munditiam spiritualem. Nota tù pinnulas esse per quas pisces innatant. In auibus autem specialis quædam genera prohibentur. In Aquila enim quæ altè volat, prohibetur superbia. In gryphe, qui equis, & hominibus infestus est, crudelitas potentum prohibetur. In Haliæeto, qui pascitur minutis auibus, significantur ij qui sunt pauperibus molesti. In milno autem qui maximè insidijs vtitur, designantur fraudulenti. In vulture autem qui sequitur exercitum, expectans comedere cadauera mortuorum, significantur illi qui mortes & seditiones hominum affectant, vt inde lucrentur. Per animalia coruini generis, significantur illi qui sunt voluptatibus denigrati, vel qui sunt expertes bonæ affectionis, quia coruus semel emissus ab arca non est reuersus. Per struthionem, qui cùm sit auis volare non potest, sed semper est circa terram, significantur Deo militantes, & se negotijs sæcularibus implicantes. D. Gregorius tamen relatus 2.2. q. 75. a.2. inquit *per struthionem significatur simulator, qui iustum deridet*. Nycticorax quæ nocte acuti est visus, in die autem non videt, significat eos qui in temporalibus sunt astuti, in spiritualibus hebetes. Larus autem, qui & volat in aere, & natat in aqua, significat eos, qui & circumcisionem & baptismum venerantur. Hoc quod ait D. Thom. nonnulla eget illustratione; quamuis enim innatare in aquis benè ad baptismi similitudinem referatur: vnde & mergulus, eiusdem cum laro generis esse dicitur; attamen non ita videtur aptari posse circumcisioni volatus in aere. Nihilominus quoniam circumcisio cùm cæteris alijs legalibus ad literam permanere non debuit, sed instar meteoricarum impressionum, quæ diù in regione aeris non durant, erat transitura, meritò cùm maximè perpetuò in aere nullum degere possit animal, volatus in illo è regione ad aquæ immersionem, comparatur circumcisioni; cuius qui tenax adhuc est in noua lege, reijcitur: nam vt habetur ex Apostolo ad Galatas 5. & 6. Iudæi libenter crucem & baptismum recepissent si & circumcidi liceret, vt ibi [H] obseruat Angelicus. *Si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior?* H Gal. 5. l. 2. & 6. l. 1.

Porrò si hæc expositio haud arrideat de laro; subiecit Angelicus aliam, vt significet eos, qui per contemplationem volare volunt, & tamen viuunt in aquis voluptatum. Accipiter verò qui deseruit hominibus ad prædam, significat eos, qui ministrant potentibus ad deprædandum pauperes.

Per bubonem, qui in nocte victum quærit, de die autem latet, significantur luxuriosi, qui occultari quærunt nocturnis operibus, quæ agūt. Mergulus autem cuius natura est, vt sub vndis diutiùs immoretur, significat gulosos, qui in aquis deliciarum se immergunt. Ibis verò auis in Africa habens longum rostrum, quæ serpentibus pascitur, & fortè est idem quod ciconia, significat inuidos, qui de malis aliorum quasi de serpentibus reficiuntur. Cygnus autem est coloris candidi, & longum collum habet, qui ex profunditate aquæ vel terræ cibum trahit, & potest significare homines, qui per exteriorem iustitiæ candorem lucra terrena quærunt. Onocrotalus autem auis est in partibus orientis longo rostro, quæ in faucibus habet quosdam folliculos, in quibus primò cibum reponit, & post horam in ventrem mittit, & significat auaros qui immoderata solicitudine necessaria vitæ congregant.

Porphyrio autem præter modum aliarum auium, habet vnum pedem latum ad natandum, alium fissum ad ambulandum; quia & in aqua natat vt anates, & in terra ambulat, vt perdices, solo morsu bibit, omnem cibum aquâ tingens; & significat eos, qui nihil ad aliorum arbitrium facere volunt; sed solùm quod fuerit tinctum aquâ propriæ voluntatis (non ita, aio ego, fluit mare & refluit, quemadmodum fluctuat voluntas huc illuc rapta.) Per herodionem, qui vulgariter falco dicitur, significantur illi, quorum *pedes* sunt *veloces ad effundendum sanguinem*. Charadrion autem, quæ est auis garrula, significat loquaces. Vpupa autem, quæ nidificat in stercoribus, & fœtenti pascitur fimo, & gemitum in cantu simulat, significat tristitiam sæculi, quæ in hominibus immundis mortem operatur. Per vespertilionem autem, qui circa terram volitat, significantur illi, qui sæculari scientia præditi, sola terrena sapiunt. Circa volatilia autem & quadrupedia, illa sola conceduntur eis, quæ posteriora crura habēt lōgiora, vt salire possint; alia verò, quæ terræ magis adhærent, prohibentur; quia illi qui abutuntur doctrina quatuor euangelistarū (en quomodo exponit habentia quatuor pedes, nàm per ductum quatuor Euangelistarum incedit fidelis; sicut Ezechielis 1. dicitur, *& quatuor pennæ vni*) vt per eam in altum non subleuentur, immundi reputantur. An autem omnis legalis prohibitio huiusmodi obligaret ad mortale, dicetur c. 20. n. 6.

At dicet quispiam, cur D. Thomas ad vnum exponens moralia hæc significata, omisit noctuam? Occurret aliquis, satis fuisse proprietates declarasse nycticoracis, quem nonnulli cum noctua confundunt, vt videre est in Sylua Allego-

ria-

riarum Laureti: quemadmodum, & in Lexico Nycticoracem dicunt etiam bubonem, vt hic faciunt Septuaginta, vbi enim nos dicimus bubonem, ipsi Nycticoracem. Qui præterea, Nycticoracem transferunt, Deuteronomij 14. quamuis non sit eadem Hebræa vox nam hic est *Hachos* & Deuteronomij *Hassalach*. Non sic D. Hieronymus, qui in præsenti, & in Psalm. 101. *Checos* legit quasi bubo; licètnos ex Græco cantemus sicut Nycticorax, & Deuteronomij reddit Nycticoracem *Hassalach*. Sicut noster Leuitic. 11. transtulit *Ssalach* mergulum, cum Septuaginta, qui tamen Deuter. 14. mergulum deprehenderunt in alia hebræa voce. Sed hæc omnia respuuntur, quoad præsens attinet, auctoritate Sacræ Scripturæ quæ Deuteronomij 14. noctuam distinguit à Nycticorace: aliàs superuacanea foret Nycticoracis repetitio post noctuæ mentionem. Et certè in Hebræo textu non eædem vtrorumque extant voces. Quid igitur? dicendum est fugisse D. Thomam noctuæ vocabulum? Non: ita: sed prudenti consilio calamus stetit. Ratio inculpatæ cuius omissionis, ea potest esse, quam astruit aliàs Canus noster de locis libro 2. c. 14. circa medium: nàm interdùm, non idem proprietate vocabuli, animal, potest exprimi translatoris idiomate, cùm contingat deficere vni linguæ voces, ex æquo linguæ alteri responsiuas: quare ne omninò lateret animalis alicuius natura, simili alio apud nos illud significarunt. Itaque D. Thomas proprietatem Nycticoracis ad mores traxit, tamquàm sit idem cum noctua: quatenùs autem noctua vt diuersum quid accipitur, propter similitudinem ad animal diuersum in Hebræo, nobis (ob ignotum proprium nomen) non cognitum, tacuit D. Thomas, quia hebræam non professus est linguam, neque *Attachmam*, quod hic transfertur noctua, indiuiduas proprietates doctus fuerat. Et hic facit, quod animaduertit in prælusione idiotismorum Tirinus num. 15. Hebræos habere pauca nomina plantarum, arborum, gemmarum, animalium specifica, sed hæc vt plurimùm generica sunt, vel certè æquiuoca sunt; hinc factum, vt vnum idemque nomen hebraicum diuersimodè expositum sit. Mysticè autem alibi exponit D. Tho-
Cant. 7. mas ¹ quid sit in mundis animalibus diuidere vngulam, & ruminare, scilicet habere mali, & boni discretionem, & præcepta Dei sedula memoria meditari.

VERSVS XXIV. *Et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus vsque ad vesperum.*

Math. 5. Erat intentio legis ¹ quòd dùm cibus est in ore & indigestus, immundus esset; sed postquàm digestus, mundus; idcircò in lege consueuit immunditia protrahi, vt hic sæpe dicitur, vsque ad vesperum. Digestione quippe, natura opifice, sedula, separatur pretiosum à vili, purum à fæce, mundum ab immundo. Per tactum autem, tanquam per viuentium præcipuum sensum, crediderim omnis immunditiæ labem, quæ per sensus animam inficit, significari; mysticè autem vsque ad vesperum exponi potest, vsque ad finem præsentis vitæ: labes quippe animarum nos vsque ad extremum sequuntur, quia non est qui non peccet; ita trahi potest ex D. Thoma p. 2. 102. 5. 5.

Sed quoniam, ex huiusmodi tactu contrahebatur immunditia, sciendum est, non illam censeri animæ, sed in quantùm voluit Deus, hoc & alijs infrà modis labefactatos, à cultu exteriori impediri: literaliter, vt exinde ex raro accessu ad Sacra, ea magis venerarentur: cùm enim omnes immunditias rarò aliquis cauere posset, contingebat quòd raro poterant homines accedere ad attingendum ea, quæ pertinebant ad diuinum cultum: & sic quando accedebant, cum maiore reuerentia, & humilitate mentis accedebant. Huiusmodi autem corporales immunditiæ primò considerabantur in hominibus, etiam ex contactu rerum immundarum: & per immunditiam cadaueris cuiuscumque significabatur immunditia peccati, quod est mors animæ, & vniuersaliter per immunditiam contactus rei immundæ, designatur immunditia consensus in peccatum alterius, secundum illud 2. ad Corinth. 6. *Exite de medio eorum, & separamini, & immundum ne tetigeritis*, hæc ex D. Thoma ᴹ M p. 2. 102. 1. 4.

VERSVS XXXII. *Et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur tam vas ligneum*, &c.

Erat specialis immunditia vasorum, de qua etiam dicitur Numeri 19. *Vas quod non habet coperculum & ligaturam desuper, immundum erit.* Cuius immunditiæ causa est, quia in talia vasa, de facili poterat aliquid immundum cadere, vnde poterant immundari. Erat autem quoad præsens, id statutum ad declinandam idololatriam: credebant enim idololatræ, quod si mures, aut lacertæ, vel aliquid huiusmodi (de his sit hic sermo) quæ immolabant idolis, caderent in vasa, vel in aquas, quòd essent Dijs gratiosa. Hæc item ex D. Thoma l. c. Quid mirum si frangi vasa huiusmodi, ac destrui præcipiat, quorum contenta, siue liquens aliud, siue aqua fuisset, tanquam immunda immundabant; quia quicquid quomodocumque ad idololatriam pertinet, quasi immundum est abijciendum, vt alias ibi ad 5.

VERSVS XXXXIII. *Nolite contaminare animas vestras.*

VERSVS XXXXIV. *Ne polluatis animas vestras.*

Vtrobique sanctitas inculcatur, sanctitas, *quia ego*, inquit, *sanctus sum*. Quapropter primò de immunditia corporali videtur accipi, *ne immundi sitis*, ex quadam animæ quoque contaminatione, deindè ad figuratam transit, *ne polluatis animas vestras*; nimirum peccato. Hæ minores scilicet ex contactu immunditiæ, expiabantùr vt hic legitur per aquam, & accuratiùs aspersione, Numeri c. 19. vt docet loco citato ad 5. Omnibus autem huiusmodi purificationibus respondet in noua lege pœnitentia, vt hic ad 3. Sciendum est autem pro coronide ᴺ quod distinctio mundorum animalium, & immundorum non fuit ante legem, quantùm ad esum, quia dicitur Genes. 9. *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum*, sed solùm quantùm ad sacrificiorum oblationem, quia de quibusdam determinatis animalibus, sacrificia offerebant. Si tamen quantùm ad esum erat aliqua animalium discretio; hoc non erat, quia esus illorum reputaretur illicitus, cùm nulla lege esset prohibi- N p. 2. 103. 1. ad 4.

tus;

tus; sed propter abominationem, vel consuetudinem: sicut, & nunc videmus, quòd aliqua cibaria sunt in aliquibus terris abominabilia, quæ in alijs comeduntur.

CAPVT XII.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere filijs Israel, & dices ad Luc. 2. c
eos: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem die- 22. Ioan. 7. c
bus iuxta dies separationis menstruæ. 3 Et die octauo circumcidetur infantulus: 22. Luc. 2. c
4 ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum 21.
non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ: 5 Luc. 2. c 22.
Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus men-
strui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. 6 Cumque expleti
fuerint dies purificationis suæ, pro filio, siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocau-
stum, & pullum columbæ siue turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonij, &
tradet sacerdoti, 7 qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à
profluuio sanguinis sui: ista est lex parientis masculum, aut feminam. 8 Quòd si non inue-
nerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos co- Supr. 5. c 11.
lumbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea sacerdos, & Luc. 2. d
sic mundabitur. 24.

1 VERSVS II. *Mulier si suscepto semine pepererit.*

Superflua videtur locutio, quam fortè dicatur; Aquila si quatiendo alas feratur sursum: vel si homo oculis clausis dormierit. Satis enim superque scitur, nec sine alarum motu volare aquilam; nec nisi palpebris obductis sopiri hominem. Sic prorsus ad redundantiam adijcitur ly *si suscepto semine*, cum de conceptione tractatur, atque de partu; notum id enim vniuersaliter est, non secùs, ac niuem esse albam; vnde si quis dicat, nix alba, nisi emphasim inuoluat, vitiosus pleonasmus est. Igitur ne Spiritussancti calamo, impiè iuxtà, ac temerè derogemus, aliquid subiatere mysterij credendum est. Quemadmodum si pronunciemus quod suprà dictum est, de homine, de animali. Animal si oculis dormiat clausis, tacitè innuetur mirè aliquod reperiri, nempe Leonem, qui oculis dormit etiam apertis. Hoc
a 3.p.q. 7.4.ad 2. attigit arcanum Angelicus [a] dicens, signanter Moyses videtur fuisse locutus, ad excipiendam ab immunditia matrem Dei, quæ non peperit *suscepto semine*. Debuit autem concipi Christus Dominus, sine virili semine, vt ex hoc eluceret eximi ab omni labe peccati, neque etiam potuisse originale contrahere: ex quo ait Angelicus, de malo, q. 4. a. 8. ad 6. Dicendum quòd ex hoc quòd Christus fuit conceptus ex Virgine sine virili semine, habuit quòd non contraheret peccatum originale, & Rom. 5. Lect. 3. illa est caussa quare Christus peccatum originale non traxit, quia ex sola fœmina, sine virili semine carnem accepit, nec traxit, aio ego, nec potuit trahere.

2 Hæc ergo quæ suscepto semine peperisset immunda erat legaliter; quia in lege, vt obseruat exponitque S. Doctor, immundum reputa-
b 1. p. 2. 02. 5. ad batur [b] omne illud quod corruptionem aliquam iam habebat, vel erat corruptioni expositum: vnde cùm præsertim tempore partus, fiat euacuatio sanguinis aliarumue sordium, quæ immundam infectionem habent, voluit Dominus vt post partum femellæ, septem diebus; post masculi autem partum, duabus hebdomadibus haberetur puerpera tanquam immunda, iuxta ritum immunditiæ mulieris menstruæ, de qua infrà c. 15. Per immunditiam huiusmodi mulieris parientis, [c] designatur immunditia peccati originalis: sicut per immunditiam mulieris men- c loc. cit.
struatæ, designatur immunditia mentis per voluptates emollitæ. Et hæc, dixerim ego, est caussa, cur instar menstruatæ, parientem immundã protulerit, ad libidinosam commistionis respiciens delectationem.

Septem autem diebus immunda, iuxtà dies separationis menstruæ, masculum pariens habetur, quia vt ait Philo 1. Allegoriarum, *mulieribus menstruæ purgationes vsque in septimum diem protenduntur. Mortalia quippe omnia, quæ diuinius principium cœlitus sibi contrahunt, iuxtà septenarium mouentur salutariter*; quemadmodum mutationes Lunæ, per septimum quemque suæ figurationis diem, in aere mutationes operantur. Verùm adhuc nota, Vniuersum tempus per septenarium numerum significari; nam perfectus primus impar est ternarius: primus par quaternarius, ex quibus septenarius consurgit. Vniuersam ergo immunditiem, ne superbiamus cum illis, Oseæ 9. *Quorum omnis gloria à partu & ab vtero, & à conceptu*, nobis obijcit Deus. Aiebat D. Bernardus, *vide vnde venis, erubesce vbi es, & ingemisce quo vadis*.

Sed quoad septenarium dierum numerum, 3
iuuat scire ex Philosopho. 7. de Historia animalium c. 3. interdùm post viri accessum, accidere corruptionem quandam, quæ effluxio vocatur, cum scilicet labitur, & effluit semen receptum; quod si intrà septem dies intus permanserit, certum est iam conceptum esse. *Et in peccatis*, ergo dum ait Propheta, *concepit me mater mea*, ad hunc peccaminosæ prætiæ libidinis humanæ effectum allusisse, credere licet: qua de caussa, immunda dicitur mulier *suscepto semine* septem diebus. Et fieri de figurata immunditia originalis mentionem, ex eo quod statim subditur, satis habetur; *Et die octauo circumcidetur infantulus*; nàm, vt ait Sanctus Ambrosius;

Cir-

Circumcisio purgationem significat delictorum.

VERSVS IV. *Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ.*

4 Numerus præsens additus præcedenti septenatio, conficit quadragesimum, in quo dierum manebat mulier *in sanguine purificationis suæ*, hoc est, à quo alijsque à sordibus erat purganda: vnde paulo post, legunt Septuaginta, *in sanguine immundo eius*. Non est mirum, si colligantur per tot menses impuritates, quia sanguis menstruus, quem per singulos menses emittunt, est purgamentum quoddam, naturalem habens corruptionem, ideòque expellitur sicut cæteræ superfluitates, quibus [D] natura non indiget, purgamentum inquam illius puri sanguinis, qui digestione quadam est præparatus ad conceptũ: quare cessantibus menstruis aggerantur sordes, expurgandæ secundùm Philosophum vt plurimis accidit, per dies si sit masculus, quadraginta, fertúrque etiam Hippocrates libro de natura pueri.

D 1.p.31. a.3.

5 Alij putant quadraginta diebus immundam esse mulierem, quia tot diebus embrio vegetatur & transformatur, quousque in corpus organicum suis debitis, & harmonicis mensuris perducatur, vt dispositum fit ad suscipiendam animam masculeam, quæ est potissima hominis ratio. Ita apud Lauretum in appendice in syluam allegoriarum, de allegorijs numerorum. Hoc sanè non eo inficias, nam idem Philosophus relatus etiam à S. Doctore [E] ita sentit, vnde ait: *Mas qui quadragesimo die exierit missus in aquam frigidam cogitur consistitque veluti membranula, qua rupta fœtus ipse apparet magnitudine formicæ maiuscula, & membra iam inde discreta, tum cætera omnia, & genitalia constant, & oculi, quemadmodum in cæteris animalibus, prægrandes.* Quocircà sciendum, quòd in animalibus perfectis, quæ generantur ex coitu, [F] virtus actiua est in semine maris secundùm Philosophum; materia autem fœtus est illud, quod ministratur à fœmina; in qua quidem materia statim à principio est anima vegetabilis, non quidem secundùm actum secundum, sed secundùm actum primum, sicut anima sensitiua in dormientibus: cùm autem incipit attrahere alimentum, tunc iam actu operatur. Huiusmodi materia transmutatur à virtute, quæ est in semine maris, quousque perducatur in actum animæ sensitiuæ. Postquam autem per virtutem principij actiui quod erat in semine, producta est anima sensitiua in generato, quantùm ad aliquam partem principalem, tunc iam illa anima sensitiua prolis incipit operari ad complementum proprij corporis, per modum nutritionis, & augmenti: virtus autem actiua, quæ erat in semine, esse desinit dissoluto semine, & euanescente spiritu, qui ei inerat.

E 1.3.q. 3.2.

F p. p. 118 a 4.

Alibi, mirificè docet septem in genitura mutationes esse necessarias, quarum prima est seminis conuersio, & præcipue ad formam cordis. Secunda est materiæ distinctio, ad formam membrorum principalium, quæ & causatiuas habent virtutes; sicut hepar causat virtutes naturales, & vasa seminaria virtutes formatiuas conceptuum; & ideò in secunda mutatione seminis, adhærent puncto cordis tres vesiculæ, quas facit spiritus ad locum cerebri, hepatis, & vasorum seminalium. Tertia mutatio est distinctio materiæ, quando vesicula cerebri ascendit sursùm, & vesicula hepatis aliquantò ad dextrum, & ad vltimum descendit vesicula vasorum seminalium; & hunc ascensum, & descensum facit spiritus exufflatione, qui est in corde. Quarta mutatio est totius materiæ distinctio, vt distribuatur locis membrorum secundariorum, quæ causatrices virtutes non habent; & hanc distinctionem iterùm facit spiritus exufflatione cordis; quæ exufflatio perforat & distendit materiam, & perforando facit viam venarum pulsatilium, & quietarum, & neruorum: extendendo autem distribuit materiam vniuscuiusque membrorũ in locũ propriũ. Quinta mutatio est transmutatio materiæ in figurã mẽbrorũ, quã non reciperet nisi humidum esset in ea: & hanc mutationem facit, cùm vis formatiua cordis, in locum membrorum per spiritum exufflatur. Membra autem figurata non sunt apta recipere virtutem operatiuam & motiuam, nisi per confœderationem, & colligationem.

Sexta mutatio est quæ completur per calorem cordis, cum spiritu diffuso in membris, qui exsiccans superfluum humidum, consolidat vnà simul, & confortat iuncturas & connexiones. Septima mutatio est motus, scilicet per virtutes motiuas, quæ omnibus membris à corde influunt. Perfectio harum mutationum non completur nisi completo numero conuersionum secundum septem menses. Hæc ex D. Thoma [G] de fato. Sic l. 7. de animalibus cap. 3. præfato, ait Aristoteles; *mares fœtus magna ex parte circà quadragesimum diem mouentur*. Quàm pulchre, vt recolit in alio, [H] natura dicitur sagaciter operari, & opus eius, opus videtur esse cuiusdam sapientis!

G op. 18. c.4.

H op. 16.

Diuus Augustinus videtur superaddere aliquot dies, [I] vt conceptio & formatio humani corporis perficiatur, quadraginta quinque diebus: hoc modo. Semen primis sex diebus quasi lactis habet similitudinem; nouem diebus vertitur in sanguinem; duodecim inde diebus solidatur in carnem; decem & octo diebus formatur, vsque ad perfecta membrorum lineamenta, & hinc iam reliquo tempore vsque ad tempus partus, magnitudine augetur: vnde versus

I Ioan. 1. l.2.3. d.1. q.5.a.

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

Verùm non id est contrà Aristotelem, quia ipse dicit *magna ex parte*, & *circà quadragesimum*: quare non est mirum si aliquando saltem, accidat quod ait Augustinus; & id libenter amplectitur, eoquòd deseruiat interpretationi, qua id quod dixit Dominus, *soluite templum hoc* Ioannis 2. iudæis subiungentibus, *quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc*, aptat secundùm numerum formationi humani corporis, & Corporis Christi, quoad debitam quantitatem: addito ad 45. vno, propter mysterium vnitatis.

VERSVS V. *Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui.*

6 Seuerior lex est, quia duplicatur tempus in partu fœminæ. Puto hoc esse ad literam, quia cum tardior sit, vt mox dicam, fœminæ formatio, ad duplum tempus, fit, vt bis septem percurrant dies, in quibus esse potest effluxio & corruptio; & post quos, nisi fuerit, certum est esse

con-

conceptum. Nota autem, *iuxta ritum fluxus menstrui* talem fuisse separationem, vt menstruatæ recluderentur Domi, ne cum aliquo commercium haberent, de quo Iosephus l. 2. contra Apionem, & infrà c. 15. Transactis autem septenarijs istis, leuior erat arctatio; tenebantur enim solùm, vt hic dicitur, non tangere sanctum aliquod, nec ingredi in sanctuarium: quamuis esset diuturna pœna, de qua statim dicitur. *Sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.*

Ex his & duabus hebdomadibus emergit octogenarius, de quo quæstio suboritur, quare scilicet in tantum tempus perduraret impuritas hæc legalis? præcipuè quia non potest afferri quod & supra de masculi conceptu & partu: nam ait Aristoteles, accidere purgationes plurimis, post conceptum fœminæ, triginta dierum, & totidem à partu, quamquam non æquè ita diligenter eueniant. Quocircà, nescio quo pacto feratur apud Triuium Hippocratés, vt naturalis purgatio parientis fœminam duret vsque ad dies octoginta. Sed quicquid de hoc fuerit, siquidem ad nihil nos arctat sacræ scripturæ authoritas; cùm ex Augustinó habeamus quadragenarium numerum esse sacratum; tempus etiam sit pœnitentiæ ad reparandam animæ puritatem; non est mirum, si hunc geminet in partu fœminæ, quia huic (quod ait Lauretus loco citato) geminata est etiam pro peccato pœna. Adamo dictum fuit *maledicta terra* &c. mulieri autem: *in dolore paries*; & iterum *sub viri potestate eris*, & merito; nam eius peccatum [1] simpliciter grauius fuit, vt ibi dictum est.

L. 2. Antiq. 22. 2.

7 Verùm cùm nec syllaba vacet mysterio, quid prohibet accipere priorem numerum triginta trium dierum, ad indicium annorum Seruatoris, post quorum decursum, ab omni peccati labe, expiatum fuit genus humanum, cuius propagationis series per masculos est? Et cùm sexaginta sex recensentur id fieri vt innuatur post Christi Domini resurrectionem, fore vt & nos resurgamus in mensuram ætatis plenitudinis eius, & tunc quod est nùnc *in infirmitate, muliéris typo*, resurget vt ait Apostolus 1. Cor. 15. *in virtute*; patebitque aditus in Templum gloriæ. Nam cùm tripliciter dicatur Templum, scilicet vir iustus 1. Cor. 6. *nescitis quia membra vestra Templum sunt Spiritus-Sancti*; & Ecclesia: tertio loco [M], Ciuitatis Ierusalem cœlestis, *Templum Dominus Deus omnipotens est*, Apocalypsis 21, cuius altare est misericordia; de hoc non inconuenit intelligi hic Sanctuarium.

M Ps. 23

VERSVS VI. *Pullum columbæ siue turturem pro peccato.*

8 Huiusmodi aues figuræ congruunt; turtur enim quia est auis loquax, prædicationem & confessionem fidei significat: quia verò est animal castum, significat castitatem: quia verò est animal solitarium, significat contemplationem: columba verò est animal mansuetum & simplex, mansuetudinem & simplicitatem significans. Est etiam animal gregale; vnde significat vitam actiuam. Et ideò huiusmodi hostia significabat perfectionem Christi, & membrorum suorum, hæc D. Thomas. [N] En quomodo hærent ijs, quæ nuper dixi, nàm resurgemus *in virum perfectum, & cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*. Stabimus autem ad ostium; quia ingredi nihil aliud est quam videre. Sequitur Sanctus Doctor: vtrumque etiam animal propter consuetudinem gemendi, præsentes sanctorum luctus designat: Sed turtur, quæ est solitaria, significat secretas orationum lacrymas: columba verò, quæ est gregalis, significat publicas orationes Ecclesiæ. Vtrumque autem animal duplicatum offertur, vt sanctitas sit non solùm in anima, sed etiam in corpore. Et ad litteram sacrificium ad expiationem peccati in quo proles concepta erat & nata; holocaustum ad quandam consecrationem eiusdem, vt dictum est Exodi 13. n. 1. *Vnum* inquit *in holocaustum, & alterum pro peccato.*

N 3. p. 3. 3. 4.

CAPVT XIII.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 2 Homo, in cuius cute,
& carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est
plaga lepræ: adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum
eius. 3 Qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamque
speciem lepræ humiliorem cute, & carne reliqua, plaga lepræ est, & ad arbitrium eius separabitur.
4 Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili
coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus, 5 & considerabit die septimo; &
siquidem lepra vltra non creuerit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet
eum septem diebus alijs. 6 Et die septimo contemplabitur; si obscurior fuerit lepra, & non
creuerit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lauabitque homo vestimenta sua, & mundus erit.
7 Quòd si postquam à sacerdote visus est, & redditus munditiæ, iterum lepra
creuerit: adducetur ad eum, 8 & immunditiæ condemnabitur. 9 Plaga lepræ si fuerit in
homine, adducetur ad sacerdotem, 10 & videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit,
& capillorum mutauerit aspectum, ipsa quoque caro viua apparuerit, 11 lepra vetu- 1
stissima iudicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, & non recludet,
quia perspicuæ immunditiæ est. 12 Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, &
operuerit omnem cutem à capite vsque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit,
13 considerabit eum sacerdos, & teneri lepra mundissima iudicabit, eo quòd omnis in can-

dorem

dorem versa sit, & idcirco homo mundus erit. 14 Quando verò caro viuens in eo appa-
ruerit, 15 tunc sacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur: caro enim vi-
ua si lepra aspergitur, immunda est 16 Quod si rursum versa fuerit in alborem, & totum
hominem operuerit, 17 considerabit eum sacerdos, & mundum esse decernet. 18 Caro
autem, & cutis in qua vlcus natum est, & sanatum, 19 & in loco vlceris cicatrix alba ap-
paruerit, siue subrufa, adducetur homo ad sacerdotem: 20 qui cum viderit locum lepræ
humiliorem carne reliqua, & pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim
lepræ orta est in vlcere. 21 Quod si pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura, & vi-
cina carne non est humilior, recludet eum septem diebus, 22 & si quidem creuerit, adiu-
dicabit eum lepræ, 23 sin autem steterit in loco suo, vlceris est cicatrix, & homo mundus
erit. 24 Caro autem, & cutis, quam ignis exusserit, & sanata albam siue rufam habuerit
cicatricem, 25 considerabit eam sacerdos, & ecce versa est in alborem, & locus eius re-
liqua cute est humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est. 26 Quòd
si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipsa lepræ spe-
cies fuerit subobscura, recludet eum septem diebus, 27 & die septimo contemplabitur: si
creuerit in cute lepra, contaminabit eum: 28 sin autem in loco suo candor steterit non sa-
tis clarus, plaga combustionis est, & idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ. 29
Vir, siue mulier in cuius capite, vel barba germinauerit lepra, videbit eos sacerdos, 30 &
siquidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flauus, solitoque subtilior, conta-
minabit eos, quia lepra capitis, ac barbæ est. 31 Sin autem viderit locum maculæ æqua-
lem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eum septem diebus, 32 & die septimo in-
tuebitur. Si non creuerit macula, & capillus sui coloris est, & locus plagæ carni reliquæ
æqualis: 33 radetur homo absque loco maculæ, & includetur septem diebus alijs. 34 Si
die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit
eum, lotisque vestibus suis, mundus erit. 35 Sin autem post emundationem rursus creue-
rit macula in cute, 36 non quæret amplius vtrum capillus in flauum colorem sit immuta-
tus, quia apertè immundus est. 37 Porrò si steterit macula, & capilli nigri fuerint, noue-
rit hominem sanatum esse, & confidenter eum pronunciet mundum. 38 Vir, siue mulier,
in cuius cute candor apparuerit, 39 intuebitur eos sacerdos, si deprehenderit subobscu-
rum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, & homi-
nem mundum. 40 Vir, de cuius capite capilli fluunt, caluus, & mundus est: 41 & si à
fronte ceciderint pili, recaluaster, & mundus est. 42 Sin autem in caluitio, siue in recal-
uatione albus, vel rufus color fuerit exortus, 43 & hoc sacerdos viderit, condemnabit
eum haud dubiæ lepræ, quæ orta est in caluitio. 44 Quicumque ergo maculatus fuerit le-
pra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, 45 habebit vestimenta dissuta, caput nu-
dum, os veste contectum, contaminatum, ac sordidum se clamabit. 46 Omni tempore
quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra. 47 Vestis lanea siue linea,
quæ lepram habuerit 48 in stamine, atque subtegmine, aut certè pellis, vel quidquid ex
pelle confectum est, 49 si alba, vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, osten-
deturque sacerdoti, 50 qui consideratam recludet septem diebus: 51 & die septimo rur-
sus aspiciens si deprehenderit creuisse, lepra perseuerans est: pollutum iudicabit vestimen-
tum, & omne in quo fuerit inuenta: 52 & idcirco comburetur flammis. 53 Quod si eam
viderit non creuisse, 54 præcipiet, & lauabunt id, in quo lepra est, recludetque illud se-
ptem diebus alijs. 55 Et cum viderit faciem quidem pristinam non reuersam, nec tamen
creuisse lepram, immundum iudicabit, & igne comburet, eo quòd infusa sit in superficie
vestimenti, vel per totum, lepra. 56 Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam
vestis est lota, abrumpet eum, & à solido diuidet. 57 Quòd si vltra apparuerit in his lo-
cis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis, & vaga: debet igne comburi. 58 si cessa-
uerit, lauabit aqua ea, quæ pura sunt, secundò, & munda erunt. 59 Ista est lex lepræ ve-
stimenti lanei, & linei, staminis, atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceæ, quo-
modo mundari debeat, vel contaminari.

VERSVS II. *Homo in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam.*

Accuratissimè in hoc capite variæ lepræ conditiones & indicia denarrantur: & ad decem genera reducuntur; vnde & Lucæ 17. legimus occurrisse Domino leprosos numero decem. Contingit autem lepra in hominibus ex corruptione humorum, qui putrefaciunt carnem, atque corrumpunt, vt recolitur 1. 2.[A] Qui humores exterius erumpentes, alios etiam inficiunt: quare lepra dicitur[B] morbus contagiosus: idcirco in hoc capite separandi sunt sic affecti; estque illorum tactus prohibitus, ne incurratur irregularitatis immunditia, quamuis Dominus tetigerit Matthæi 8. leprosum, quem

A p. 1. 102. 5. 4.

B Matth. 10. ibi in firmos cu-rate.

C p. 1. 107. t. 3. Matth. 8. mundauit, ᶜ quia Ipse incurrere immunditiam nequibat. Putant autem communiter non fuisse Iudæos infectos lepra illa, quæ dicitur nobis *Elephantia*, siue Elephantiasis, quæ reddit cutem Elephantorum cuti similem, quæque vt inquiunt, depascitur carnem & ossa. Sed mitioris naturæ: vitium quidem cutis, sed scabiei simillima. Scabies autem, italicè *rogna*; describitur asperitas summæ cutis cum furfureis squamulis. Theodoretus omnem lepræ morbum, vult peculiari Dei prouidentia iudæis peccantibus immissum fuisse; maximè ijs, qui Sacerdotibus rebelles essent, vide Tirinum. Sic loquens primo loco citato D. Thomas de eiusmodi immunditijs ait, ex peccato illis contigisse: vnde offerebant pro illius expiatione Sacrificium.

Igitur ne spuriam cum propria confunderent, primò vtrũ id quod apparet in cute, non purè superficietenus sed & in carne, siue fuerit diuersus color, siue pustula, siue lucens quoddam obseruandum erat num esset depressior siue humilior ea pars, & adhuc an pili eadem in parte dealbati essent. Et si quidem ita deprehendebant, certò erat lepra. Duobus his absentibus signis, candor solus lucens in cute dubium reddebat morbum: at si creuisset terminis transactis prioribus, (quamquàm fuisset dimissus à sacerdote antea vt mundus), eo quòd obrepserat infectio immunditiæ condemnabatur, vt patet hic versu 8. & hoc est velut genus secundum. Terrium genus est lepræ sæuioris, sic vt præter præfata caro appareret viua; & ea laborans tanquam perspicuè immundus proinde facilè ab vnoquoque vitabilis, non recludebatur: iudicabatur enim lepra vetustissima, atque inolita cuti, vt patet vndecimo versu. Genus quartum est quando discurrens per totum lepra à capite vsque ad pedes nonnihil viuæ carnis inficit: cætera quæ suprà nõ habens. Quintum genus est post sanationem, cùm iterum albescit cicatrix, si enim prætacta habet indicia, vel serpit, est lepra. Sextum genus in vstulato, si enim sanata caro conditiones quæ supra habuerit, vt versa sit in alborem, & humilior carne reliqua, lepra est. Septimum cum fine his creuit. Octauum. Si vir aut mulier lepræ specimen habuerit in capite vel barba, ex specialibus indicijs flaui subtilioris que capilli deprehendetur. Nonum quando etiam fine his creuerit macula. Decimum quando in caluitio siue in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus. Hæc ipse collegi minusque propriè explicui: nám verborum delectus & proprietas in sacro elucet textu, quo sublarent arcana mysteria, quibus *qui quærit legem replebitur ab ea: qui autem insidiosè agit scandalizabitur*, vt testis est Ecclesiasticus c. 32. Vulgare est ex D. Augustino de decem leprosis, mysticè intelligi, qui *varias doctrinas profitentur errorũ*; & sic lepra est falsa doctrina: & trahit id manifestè, ex eorum voce, quia ipsum vocauerunt præceptorem: *Iesu præceptor miserere nostri*. Quoniam verò falsæ doctrinæ imbuitio, & dissemmatio potest duplici ex radice oriri; nempe ex allucinatione intellectus, & ex voluntatis prauitate, vtrumque mirificè tãgit per Moysi calamum, ad instructionem nostram Spiritus-sanctus. Cum error in mente est, voluntate non perfida, patitur qui in errore est ad sacerdotem adduci; & sic repetitur. *Adducetur ad Sacerdotem*. Quando verò morbus est à corde, abstinet Scriptura sacra à præfata iussione: *adducetur ad Sacerdotem*; quia renuit, qui ex malitia voluntatis, falsam astruit doctrinam, coram sacerdote apparere. Constat hoc à versu 24. & deinceps; dicitur enim; *considerabit eam Sacerdos: videbit eam Sacerdos: intuebitur eos Sacerdos*: atqui non ita reperies vt priùs dictum est; *adducetur*. Adstipulantur obseruationes aliæ huic discrimini: quas singillatim aperiam.

Igitur in primo leproso attenditur, *Lucens quippiam, albus color, lucens candor*; quia cùm ex parte intellectiua nascitur falsa doctrina, nonnihil ostendere videtur luminis: cæterùm lumen nõ est. Immutatio prætereà est coloris, vt indicetur esse quidē colorata, non vera doctrina; *Nulla est falsa doctrina* aiebat Augustinus, *quæ aliqua vera nõ admisceat*, & sic etiam *pili in album* declinare nituntur: at est albedo fuliginosa cogitatuum; nam talis est concreta illorum materia: est etiam *humilior siue profundior* iuxtà Chaldæam, lepra, reliqua carne, quia plerumque erroneè noua docens, non se prodit vt cæteri, *Omnis caro sanum*; Isaiæ 40. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*; Genes. 6. Sed studet latendo clam corruptionem moliri. Prouerb. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt*: quem locum exponit Angelicus ᴰ de doctrina hæreticorum, qui in occulto docent propter inhonestatem eorum, quæ docen- D. i p. 41. 1. tur: vnde dicit Augustinus super Ioannem, quòd *quod quædam sunt mala, quæ portare non potest quælibet cumque pudor humanus*.

VERSUS VII. *Quod si postquam à sacerdote visus est, & redditus munditiæ, iterum lepra creuerit, adducetur ad eum & immunditiæ condemnabitur*.

Contingit aliquando vt suspectus, post captum experimentum dimissus, erumpat in propositiones haud sanas, licèt non ex animo, aut latente malitia, sed quasi inconsideratè: ille, etsi præfata indicia non præseferat, tamen quia creuit, seu serpsit lepra falsæ doctrinæ, condemnandus est immunditiæ, eo quòd Ecclesia iudicat de exteriori. *Os stulti confusioni proximum est*. Prouerb. 10. & c. 14. *Imprudentia stultorum errans*.

VERSUS X. *Cumque color albus*, &c. *Ipsa quoque caro viua apparuerit, lepra vetustissima iudicabitur*.

Isti sunt perspicuæ immunditiæ, quorum error diù insedit menti obstinatoque animo: *non abscondunt*, ait Augustinus, *imperitiam suam; sed pro summa peritia, proferunt in lucem, & iactantia sermonis ostentant*. Non recluduntur, sed tanquam notoriè errantes, veluti incorrigibiles relinquuntur. Ieremiæ 30. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua: non est, qui iudicet iudicium tuum ad alligandum, curationum vtilitas non est tibi*: & Isaiæ 65. *Peccator centum annorum maledictus erit*. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*.

VERSUS XII. *Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute*.

Ly *Sin* hoc in loco non habet vim negationis; sed idem valet, ac si diceretur, *si verò*. Itaque; si effloruerit: satis constat quæ floret, non esse vetustam; nec malitiosam, & intensam, etsi leprosa doctrina: est quidem lepra, sed mundissima iudicatur: est etiam *à capite ad pedes*, quia malum in talibus, originem trahit, vt suprà di-

ctum est, ab intellectu, non à voluntate aut prauo affectu: quocircà è conuerso dicitur, *à planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas*, Isaiæ 1. & Ieremiæ 13. *Pollutæ sunt plantæ tuæ*. Verùm si in hac efflorescentia, *Caro viuens apparuerit*; hoc est, *innotuerit*; etsi recens intùs in anima plaga, inter immundos reputabitur, *caro enim* inquit, *viua si lepra aspergitur, immunda est*.

VERSVS XVIII. *Caro autem, & cutis in qua vlcus natum est, & sanatum. Et in loco vlceris cicatrix alba apparuerit siue subrufa*, &c.

Hic agitur de recidiuo, cuius interius, ex dictis rimari oportet, & quomodocumque crescat, lepra est.

VERSVS XXIV. *Caro autem, & cutis quam ignis exusserit, & sanata albam siue rufam habuerit cicatricem*.

Quandoque passionibus iræ, & amoris, amoris in se, iræ in alios subiectus, in falsam erumpit corde plusquam mente doctrinam. Hæc omnino malitiæ lepra est, si ex signis noscatur: albescat tenebricoso albore mentis, siue rubescat perfidiæ ardore cicatrix. Consideret eam Sacerdos, & contempletur. Potest huc afferri Apostolus 1. ad Timotheum 6. *radix*, inquit, *omnium malorum est cupiditas, quam quidam appe-*
E 1. Cor. 6.l.2. *tentes, errauerunt à fide*; vbi D. Thomas, [E] quia per sanam doctrinam fidei prohibentur multa illicita lucra, à quibus desistere nolunt, & inueniunt sibi aliam doctrinam, vbi eis sit spes salutis. Itaque inordinatio exardescentis in diuitias affectus, in falsam traxit doctrinam. Sed tamen aliquando intellectus quasi corruptus voluntati obsequitur prauæ: Quod, vt in quibus cauendum sit innotescat, sequitur

VERSVS XXIX. *Vir siue mulier in cuius capite, vel barba germinauerit lepra*.

Quæ germinant præextiterant: sic præexistens in corde voluntarius doctrinæ error, paulatim inficit mentem; & hoc est, quod dicitur, quia lepra capitis, ac barbæ est. Flauescit ab ignea voluntate capillus, fitque subtilior, quod argumento est, inludare qui istiusmodi est, ad subtiles excogitandas ardenterque ponendas apparentes rationes, quibus suum errorem tuetur. Poni autem videtur seiunctim *vir* siue *mulier*, quia vir sonat hominem non de vulgo, sed authoritatis, quæ & aliquando residet in muliere aliqua dominante, vt fuit impia illa Britanniæ Elizabetha. Isti potiùs quàm ex plebe, falsas ex mala voluntate, quæ tamen sibi sint vtiles, excogitant aliquando doctrinas. Quod vt agnoscitur, debet si fieri potest, pro communi remedio radi homo, vt hic dicitur, hoc est auctoritate spoliari, ne populi in perniciem falsa disseminet, sed solus maneat infectus, *radetur*, inquit, *homo absque loco maculæ*. Quod si steterit plaga in eodem loco mundus est, si creuerit, immundus.

VERSVS XXXX. *Vir de cuius capite capilli fluunt*, &c.

Quamuis cùm huiusmodi sanantur leprosi, præmissa etiam interdùm de rebus fidei abiuratione, credantur sani mente, nulla locum habente erroris probatione; vnde vel caluitium apparet omni abeunte mala cogitatione, vel saltem ob verecundiam, cuius sedes frons est accidit recaluatio, quod dicitur *à fronte decidere* pilos, ebullit tamen noxius in corde, hoc est in praua voluntate, humor, & *in caluitio, siue in recaluatione albus, vel rufus color exoritur*. Si id accidat; sunt hæc latentis adhuc contagionis indicia; ideoque cùm ad caput, idest ad mentem, quæ pura credebatur, ascendat infectio, haud dubiè condemnabitur lepræ, vt ait Sacer textus: vnde quæ suprà toties pro discernenda plaga adhibita est diligentia, iam nullum habet in casu locum; eo quòd si solummodò denuò fumescat, vbi fuit ignis, reddimur de inextinctione certiores, *à scintilla vna*. Ecc. 11. *augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis; attende tibi à pestifero, fabricat enim mala*. Licèt aliàs Ieremiæ 17. dicatur, *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud?*

Hæc figuralis lepræ acceptio firmatur etiam 2
à D. Thoma [F] dicente; immunditia lepræ signi- F p. 2. 102. 5. ad 4.
ficat immunditiam hereticæ doctrinæ: tùm quia hæretica doctrina contagiosa est; tùm quia nulla etiam falsa doctrina est, quæ vera falsis non admisceat, sicut etiam in superficie corporis leprosi apparet quædam distinctio quarundam macularum ab alia carne integra. Significantur autem etiam in varietate lepræ varia peccata, quorum exactissimum, vt hic patet, examen proteruiam retundit Lutheri, dicentis ad exaggerandum grauamen, esse nostram confessionem carnificinam: obmutescat impius audiens quàm accuratè pro discernenda lepra scripserit Moyses: intentio siquidem peccantis, eiusdem malitiæ qualitas, habitus, relapsus, voluntas, quã diligentissimè inquiritur, vt agnito morbo congruens medicina paretur: Et quidem non à Mũdi chirurgo, aut archiatro, sed à spiritali medico, à Sacerdote; *labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam* Malachiæ 2. *& legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*.

Quomodo autem per leprosum moraliter 3
intelligatur peccator, in sermone [G] propter qua- G Dominicæ secũdę post oct. Epiph.
tuor inquit quæ considerantur in lepra. Primò quia est corruptio. Secundò quia est consumptio. Tertiò quia infectio. Quartò quia separatio. Corruptio humorum; Consumptio membrorum; infectio aliorum; Separatio hominum. Est ergò primò peccatum corruptio naturalium: Secundò amissio gratuitorum: Tertiò infectio proximorum: Quartò separatio à gaudijs Sanctorum, & Angelorum. Ista quatuor dicuntur de leproso Leu. 13. *Quicumque maculatus fuerit lepra habebit vestimenta dissuta, & caput nudatum: os veste contectum, & habitabit extrà castra*. *Leprosus*, idest, peccator habet *vestimenta dissuta*: quia est in naturalibus dissolutus, & diffusus: *caput nudum*, idest, mentem à gratia: *os debet habere contectum*, quia inficit; leprosus enim maximè anhelitu inficit: *extra Castra* manere, quia separatur à castris Dei, idest habitatione Angelorum, & Sanctorum.

Præterea sermone alio declaratur in lepra 4
peccatorum multiplicitas: iuxtà decem viros leprosos Lucæ 17. [H] Primus leprosus est infide- H Dominicæ 14 post Pentecost.
lis, & hæreticus, qui à consortio fidelium separatur, & Sanctorum, Numeri 5. *præcipe filijs Israel vt eijciant de castris omnem leprosum*. Secundus est blasphemator, & detractor; Numeri 12. in *Maria* detrahente Moysi, *in qua apparuit can-*

dens

deus lepra quasi nix. Tertius, gulosus, qui aerem fœtidis eructationibus ex repletione nimia procedentibus, inficit. Leuitici 13. *Quicumque maculatus fuerit lepra, habebit os veste contectum, contaminatum, ac sordidum se clamabit*. Quartus est auarus; qui immoderato habendi desiderio semper flat: hæc est lepra Giezi 4. Regum 5. *Lepra Naaman adhærebit tibi*. Quintus est superbus, qui per tumorem mentis contrà Dominum & Christum se eleuat; & hæc est lepra Naaman Regis Syriæ. *Erat autem vir fortis, & diues, sed leprosus*. (loc. cit.) Sextus est ambitiosus, qui honores, & dignitates desiderat: hæc est lepra Ezechiæ, qui ambiuit honorem summi Sacerdotis 2. Paralip. 26. *Et statim orta est lepra in fronte eius*. Septimus est hypocrita, vel vanagloriosus, qui bona sua inaniter iactat; hic est leprosus Simonis Pharisæi, Matth. 26. Octauus leprosus est luxuriosus, qui fluxu immunditiæ suæ creaturas contaminat: Leuitici 22. *Homo de semine Aaron qui fuerit leprosus, vel patiens fluxum sanguinis non vescetur de ijs, quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur*. Nonus est homicida; hæc est lepra Ioab 2. Regum 3. *Non deficiet de domo Ioab leprosus*, &c. Decimus est obstinatus & desperatus, qui finaliter peccat. Leu. 13. Lepra perseuerantis est in eodem. *Cumque color albus fuerit in cute, & capillarum mutauerit aspectum; ipsa quoque caro viua apparuerit, lepra vetustissima iudicabitur*. Hieronymus. *Qui veniam de peccato desperat, plus se de desperatione, quàm de commisso scelere, obligat. Desperatio auget peccatum, & est maior omni peccato*. Et hic considerari potest, quod tradit Angelicus, Cant. 5. & aliàs capitibus præcedentibus, nedum intellectum dici caput prout in eo viget cognitio, & sensus, & cætera membra diriguntur in suas actiones per ipsum, cum dirigere sit rationis; sed & ipsam voluntatem capitis promereri nomen, quippe quæ in Regno animæ dominari videtur, cum exeant cæteræ potentiæ in actiones suas, secundùm eius imperium: ex quo non est inconueniens, vt per capillos radicatos in capite, designētur affectiones radicatæ in voluntate.

VERSVS XXXXVII. *Vestis lanea siue linea, quæ lepram habuerit*, &c.

5 Ip 1.102. 14 Erat immunditia quædam ipsarum rerum inanimatarum secundùm se, [1] nimirum immunditia lepræ in domo, & in vestimentis; sicut enim morbus lepræ accidit in hominibus ex humore corrupto, putrefaciente carnem, & corrumpente, ita etiam propter aliquam corruptionem, & excessum humiditatis, vel siccitatis, fit quandoque aliqua corrosio in lapidibus domus, vel etiam in vestimentis; & ideo hanc corruptionem vocabat lex lepram, ex qua domus, vel vestis immunda iudicaretur; tùm quia omnis corruptio ad immunditiam pertinebat, vt dictum est; tùm etiam quia circa huiusmodi corruptionem gentiles Deos penates colebant; & ideò lex præcepit huiusmodi domos, in quibus fuerit talis corruptio perseuerans, destrui, & vestes comburi, ad tollēdam idololatriæ occasionem. De lepra domus fit mentio sequenti in capite versu 34. Mirum autem esse non debet si omnem idololatratum obseruantiam studuit verus Deus eliminare, qualis erat hæc Deorum domesticorum; quoniam est idololatria peccatorum maximum. Sic passim in pluribus vetuit illorum ritus.

Per lepram domus significatur immunditia congregationis hæreticorum. Per lepram verò in veste linea significatur peruersitas morum ex amaritudine mentis. Per lepram verò vestis laneæ, significatur peruersitas adulatorum. Per lepram in stamine significantur vitia animæ; per lepram verò in subtegmine significantur peccata carnalia; sicut enim, stamen est in subtegmine, ita anima in corpore.

Quæ hic tradit Angelicus satis manifesta sunt, vno dempto, nimirum de linea veste; vt quid enim morum peruersitatem ex amaritudine mentis per illam astruit significari? Verùm profunda est S. Doctoris intelligentia; animaduertens enim lineam vestem ex ea constare materia, qua consuescunt fieri interulæ, imò accipi posse pro interula quæ est intima vestis, tali in figura originem latentem motum scrutatus est; idcircò mentem memorat, quia quæ occultantur mente, conduntur tanquam in secretiori animæ recessu. Quemadmodum verborum proprietate, aiebat ille. *Mens agitat molem*, & *manet alta mente repostum, iudicium Paridis, & spretæ iniuria formæ*. At cur addidit ex amaritudine mentis? Nota ex eodem, iracundorum per Philosophum etiam quosdam esse acutos, quosdam difficiles, quosdam amaros: amari autem sunt, qui habent iram permanentem propter permanentiam tristitiæ, quam inter viscera tenent clausam, non prorumpentes ad exteriora iracundiæ signa; Vnde Gregorius Nyssenus inter species irascibilitatis ponit *maniam*, quæ permanet, & in vetustatem deuenit, quod Philosophus tribuit amaris. Ita 2. 2. q. 158. a. 5. [L] L 2. 2. 158.5.

Etsi dicas restringi nimis D. Thomæ interpretationem; adde amaritudinem oriri ex acedia siue tristitia, esseque effectum rancoris, in eo, qui spiritualibus vacantes quadam indignatione persequitur, corporalibus, & illicitis oblætatus, sibi proinde de contrarijs amarus & grauis. Talis est peruersitas morum: de quo 2. 2. q. 35. 4. [M] M 2.2.35 4.

CAPVT XIV.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens. 2 Hic est ritus leprosi, quando mun-
dandus est: Adducetur ad sacerdotem: 3 qui egressus de castris, cum inuene- Matth. 8.
rit lepram esse mundatam, 4 præcipiet ei, qui purificatur, vt offerat duos passe- a 1.
res viuos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hysso- Marc. 1. d.40.
pum, 5 & vnum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes: 6 Luc. 5. a. 12.

alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo tinget in sanguine passeris im-
molati 7 quo asperget illum, qui mundandus est, septies, vt iure purgetur: & dimittet
passerem viuum, vt in agrum auolet. 8 Cumque lauerit homo vestimenta sua, radet om-
nes pilos corporis, & lauabitur aqua: purificatusque ingredietur castra, ita duntaxat, vt
maneat extra tabernaculum suum septem diebus, 9 & die septimo radet capillos capitis,
barbamque, & supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus, & corpore,
10 die octauo assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, &
tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium. 11
Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, & hæc omnia coram Domino in
ostio tabernaculi testimonij, 12 tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique sexta-
rium: & oblatis ante Dominum omnibus, 13 immolabit agnum, vbi solet immolari ho-
stia pro peccato, & holocaustum, idest, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro
delicto ad sacerdotem pertinet hostia: Sancta sanctorum est. 14 Assumensque sacerdos
de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ
eius, qui mundatur, & super pollices manus dextræ, & pedis, 15 & de olei sextario mit-
tet in manum suam sinistram, 16 tingetque digitum dextrum in eo, & asperget coram
Domino septies, 17 quod autem reliquum est olei in læua manu, fundet super extremum
auriculæ dextræ eius, qui mundatur, & super pollices manus, ac pedis dextri, & super san-
guinem, qui effusus est pro delicto, 18 & super caput eius: 19 Rogabitque pro eo co-
ram Domino, & faciet sacrificium pro peccato, tunc immolabit holocaustum, 20 & po-
net illud in altari cum libamentis suis, & homo ritè mundabitur. 21 Quòd si pauper est,
& non potest manus eius inuenire, quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblatio-
nem, vt roget pro eo sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium,
Supr. 5. b. 11. 12. d. 8. Luc. 2. d. 24. & olei sextarium, 22 duosque turtures siue duos pullos columbæ, quorum vnus sit pro
peccato, & alter in holocaustum: 23 offeretque ea die octauo purificationis suæ sacerdoti,
ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino, 24 qui suscipiens agnum pro delicto, &
sextarium olei, leuabit simul: 25 immolatoque agno, de sanguine eius ponet super extre-
mum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & super pollices manus eius ac pedis dextri: 26
olei verò partem mittet in manum suam sinistram, 27 in quo tingens digitum dextræ ma-
nus asperget septies coram Domino: 28 tangetque extremum dextræ auriculæ illius, qui
mundatur, & pollices manus ac pedis dextri in loco sanguinis, qui effusus est pro delicto:
29 reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, vt
placet pro eo Dominum: 30 & turturem, siue pullum columbæ offeret, 31 vnum pro
delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis. 32 Hoc est sacrificium leprosi, qui
habere non potest omnia in emundationem sui. 33 Locutusque est Dominus ad Moysen,
& Aaron, dicens: 34 Cum ingressi fueritis Terram Chanaan, quam ego dabo vobis in
possessionem, si fuerit plaga lepræ in ædibus, 35 ibit cuius est domus, nuncians sacerdoti,
& dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. 36 At ille pręcipiet, vt effe-
rant vniuersa de domo, priusquam ingrediatur eam, & videat vtrum leprosa sit, ne im-
munda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea vt consideret lepram domus:
37 & cum viderit in parietibus illius quasi valliculas pallore, siue rubore deformes, & hu-
miliores superficie reliqua, 38 egredietur ostium domus, & statim claudet illam septem
diebus. 39 Reuersusque die septimo, considerabit eam, si inuenerit creuisse lepram, 40
iubebit erui lapides, in quibus lepra est, & proijci eos extra ciuitatem in locum immundum:
41 domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi puluerem rasuræ extra
vrbem in locum immundum, 42 lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto
alio liniri domum, 43 Sin autem postquam eruti sunt lapides, & puluis erasus, & alia ter-
ra lita, 44 ingressus sacerdos viderit reuersam lepram, & parietes respersos maculis, lepra
est perseuerans, & immunda domus, 45 quam statim destruent, & lapides eius, ac ligna,
atque vniuersum puluerem proijcient extra oppidum in locum immundum. 46 Qui intra-
uerit domum quando clausa est, immundus erit vsque ad vesperum: 47 & qui dormierit in
ea, & comederit quippiam, lauabit vestimenta sua. 48 Quod si introiens sacerdos vide-
rit lepram non creuisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita sani-
tate: 49 & in purificationem eius sumet duos passeres, lignumque cedrinum, & vermicu-
lum, atque hyssopum, 50 & immolato vno passere in vase fictili super aquas viuas, 51
tollet lignum cedrinum, & hyssopum, & coccum, & passerem viuum, & tinget omnia in
sanguine passeris immolati, atque in aquis viuentibus, & asperget domum septies, 52 pu-
rificabitque eam tam in sanguine passeris, quam in aquis viuentibus, & in passere viuo, li-
gnoque cedrino, & hyssopo atque vermiculo. 53 Cumque dimiserit passerem auolare

in agrum liberè, orabit pro domo, & iure mundabitur. 54 Ista est lex omnis lepræ, & percussuræ, 55 lepræ vestium, & domorum, 56 cicatricis, & erumpentium papularum, lucentis maculæ, & in varias species, coloribus immutatis, 57 vt possit sciri, quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

1 AGitur in hoc capite de ritu emundationis leprosi. Quocirca Angelicus Doctor omnem præuenit nostrum laborem, mirificè cuncta explicando. (A p. 2. 102.5.7.) Inquit itaque: [A] quòd per ritum legis leprosus non emundabatur à macula lepræ, sed emundatus ostendebatur. Et hoc significatur cùm dicitur de sacerdote; *cum inuenerit lepram esse emundatam, præcipiet ei qui purificatur*: iam ergo lepra mundata erat, sed purificari dicebantur in quantùm iudicio sacerdotis restituebantur consortio hominum, & cultui diuino. Contingebat tamen quandoque, vt diuino miraculo per ritum legis, corporalis mundaretur lepra, quando sacerdos decipiebatur in iudicio. Huiusmodi autem purificatio leprosi dupliciter fiebat; nàm primò iudicabatur esse mundus: secundò autem restituebatur tanquam mundus consortio hominum, & cultui diuino, scilicet post septem diea. In prima autem purificatione offerebat pro se leprosus mundandus duos passeres viuos, & lignum cedrinum, & vermiculum, & hyssopum: hoc modo, vt filo coccineo ligaretur passer & hyssopus simul cum ligno cedrino, ita scilicet, quòd lignum cedrinum esset quasi manubrium aspersorij: hyssopus verò & passer erant id quòd de aspersorio tingebatur in sanguine alterius passeris immolati in aquis viuis. Hæc autem quatuor offerebar contra quatuor defectus lepræ: nàm contra putredinem offerebatur cedrus, quæ est arbor imputribilis: contrà fœtorem hyssopus, quæ est herba odorifera: contrà insensibilitatem passer viuus: contrà turpitudinem coloris vermiculus, qui habet viuum colorem: passer verò viuus, aduolare admittebatur in agro; quia leprosus restituebatur pristinæ libertati. In octauo verò die admittebatur ad cultum diuinum & restituebatur consortio hominum: Primò tamen rasis pilis totius corporis, & lotis vestimentis, eoquòd lepra pilos corrodit, & vestimenta coinquinat, & fœtida reddit. Et postmodum sacrificium offerebatur pro delicto eius; quia lepra plerumque inducitur pro peccato. De sanguine autem sacrificij tingebatur extremum auriculæ eius, qui erat mundandus; & pollices manus dextræ & pedis, quia in istis partibus primùm lepra dignoscitur, & sentitur. Adhibebantur etiam huic ritui tres liquores; scilicet sanguis contrà sanguinis corruptionem: oleum ad designandam sanationem morbi: aqua viua ad emundandam spurcitiam.

(B p. 2. 103.2.3.) Nonnulla hìc dicta repetit infrà, [B] ceremoniæ illæ quæ erant institutæ in emundatione leprosi non ordinabantur ad tollendam immunditiam infirmitatis lepræ: quod patet ex hoc quòd non adhibebantur huiusmodi cæremoniæ nisi iam emundato: vnde dicitur quod *sacerdos egressus de castris, cum inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur* &c. ex quo patet quòd sacerdos constituebatur iudex lepræ mundatæ non autem emundandæ. Adhibebantur autem huiusmodi cæremoniæ ad tollendam immunditiam irregularitatis. Dicunt tamen quòd quandoque si contingeret sacerdotem errare in iudicando, miraculosè leprosus mundabatur à Deo virtute diuina: non autem virtute sacrificiorum; sicut etiam miraculosè mulieris adulteræ computrescebat femur, bibitis aquis in quibus sacerdos maledicta congesserat, vt habetur Num. 5. Sic etiam Hebræor. 9. l. 3. aliquando virtute aspersionis (per aquam lustrationis Numeri 19.) mundabantur à lepra corporali.

Et si roges qua de causa passeres acciperentur? Ad literam esse potest, [C] quia huiusmodi aues habentur in copia in terra promissionis. In Hebræo vox est *tzipparim*, quæ potest significare aues; vnde septuaginta legunt; *duas auiculas*: & Genesis 7. vbi noster legit; *vniuersæ aues*, & Chaldæa pariter *omnis auis*; habetur Hebraicè *Chol tzippor*. Igitur aues fortè sumuntur, quia secretioribus gaudent locis: latino etymo, ab auijs aues dictæ. Quod leprosi priorem separationem potuit referre. Sed vt in litera introspiciatur spiritus, pergit D. Thomas in primo citato loco, his verbis. Per duos passeres significantur figuratiuè Diuinitas & humanitas Christi; quorum vnus scilicet humanitas immolatur in vase fictili super aquas viuentes, quia per passionem Christi aquæ baptismi consecrantur. Alius autem, scilicet impassibilis Diuinitas, viuus remanebat; quia Diuinitas mori non potest; vnde & euolabat, quia passione astringi non poterat. Hic autem passer viuus simul cum ligno cedrino, & cocco vermiculo & hyssopo, idest fide, spe, & charitate, mittitur in aquam ad aspergendum, quia in fide Dei, & hominis baptizamur. Lauat autem homo per aquam baptismi, & lachrymarum, vestimenta sua, idest opera; & omnes pilos, idest cogitationes. Tingitur autem extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, de sanguine & de oleo, vt eius auditum muniat contrà corrumpentia verba. Pollices autem manus dextræ & pedis tinguntur, vt sit eius actio sancta. Alia verò quę ad hanc purificationem pertinent, vel etiam aliarum immunditiarum, non habent aliquid speciale, præter alia sacrificia pro peccatis vel pro delictis. Hæc D. Thomas. 2 (C p. 1. 102.1.2.)

Rogabis iterum, qua de causa in his præsertim cæremonijs, humanitatis Diuinitatisque mysterium recolatur. Respondeo id sapientissimè fieri; quia qui primò tanquam præ cunctis leprosus infecit totum genus humanum, fuit primus parens originaria labe: ad hanc autem potissimum abstergendam *Verbum caro factum est*, vt traditur ab eodem Sancto Doctore [D] 3. p. Non est (D 3. p. q. 1.4.) enim omninò dispar exemplum, quod ad hæc nonnulli afferunt, ad explicandam originalis peccati traductionem, sicut leprosus generat leprosum, vt sæpe constat; de quo 1. 2. [E] Vlterius, (E p. 2. 81. 1.) si velimus fuisse eiusmodi auiculas in specie passeres, quare sic aues, & illæ seligerentur præsertim, scrutari non erit difficile, si moraliter leprosi morbum ab origine repensemus, Stat dixi pro falsa doctrina: & quis ignorat hæreticorum

errores plerumque aut ex inflatione superbiæ, aut ex sorditate carnis enatos esse? duo hæc satis in leproso deprehendes: cum pustulæ sint tubercula quædam, & fœditas constet: cùm igitur inanis gloriæ aucupationem suo volatu indicet auis; sitque passer præ cœteris salax, non est mirum si in emundando leproso falsitatis doctrinæ, passeris offerendi ritus fuerit, immunditiæ ac elationis notæ in signum.

Morale etiam potuit adumbrari, vt agnoscerent scilicet non temerè, sed peccatorum in pœnam suorum, immitti contagiosam, infestam lepram. Aiebat D. Augustinus primo de ciuitate Dei c. 8. relatus à Diuo Thoma; [F] *si omne peccatum nùnc manifestè Deus plecteret, nihil vltimo iudicio reseruari putaretur: rursus, si nullum peccatum nùnc puniret, nulla esse diuina prouidentia crederetur*. Porrò, si quos punit, addo ego, non est dubium, eos potiùs, qui alijs esse possunt ruinæ, quàm personalia delicta: vnde Matthæi 18. *si oculus tuus scandalizat te, erue eum*; quod in Christiana Republica passim cernitur, eradicatis qui communi bono per scandala noxij sunt. At vniuersam Dei prouidentiam nil æquè euincit ac minimorum etiam exacta cura: quid vilius passere? *nonne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt: multis passeribus meliores estis vos*: Matth. 10. prouidè igitur hæc accidunt: quarè vt hoc in leprosorũ insideret animis, passeres iussit offerri, pilosque radi, ne se morbo illo laborare absque prouidentiæ nutu opinarentur. Hinc ait D. Thomas; [G] consonat verbum istud verbo legis Leuit. 14. quòd cùm aliquis curabatur a lepra, offerebat duos passeres; & vnus immolabatur, alter verò cum ligno cedrino, & hyssopo intingebatur in sanguine occisi, & aspergebatur mundandus, & sic viuus dimittebatur: vult ergo memorare quod duo accipiuntur; & vnus non occiditur: & hoc non fit sine prouidentia Dei. Quàm bellè suprà posuit Angelicus euolantem passerem pro Diuinitate, quæ nos mundauit vnita humanitati per sanguinem! Hyssopus etiam in morbum lepræ esse potest, quia valet contra fœtorem & tumorem.

F 1. Cor. 11. l. 7.

G Matth. 10.

Sed quoniam suprà ex Diuo Thoma retuli theologicas in aspersorio ex dictis significari virtutes, fidem nimirum spem, & charitatem; iuuat hoc examinari. Fides primùm innuitur in hyssopo, scribunt siquidem vim habere huiusmodi herbam purgandi humores noxios insidẽtes pectori, aut hepati: fides autem ab erroribus mentem purgat. *Fide purificans corda eorum.* Actorum 15. Cedrus tanquam arbor cæteris altior stat congruè pro spe, qua ad Cœlum ferimur. Coccus qui & vermiculus, accenso suo colore pro charitate. Adnectebat autem coccus iste, hoc est filum coccineum, hyssopum manubrio cedrino. Charitas vinculum est: hoc ait Apostolus. Coloss. 3. *super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*: hinc D. Thomas, p. 2. 102. 5. ad 5. Cedrus significat altitudinem spei, hyssopus fidem, coccus charitatem, & Hebræorum 9. l. 4. hyssopus mundat pectus, per quod significatur fides; *fide purificans* Actor. 15.

Has easdem theologicas virtutes in completione ritè mundandi adinuenies. Precipitur præ alijs vt assumatur olei sextarium. Hoc est determinata quædam mensura: quod refert [H] D. Thomas ex glossa fidem significasse seu plenitudinem fidei; vbi si plus ponitur effunditur, si minus, deficit; *vnicuique* ait Apostolus *sicut diuisit mensuram fidei*. Oleum effusum, at tunc effundendum, est Iesus Christus, cuius fidem, vel implicitam haberent, necesse est. Spes in oblatione micabat; charitas in holocausto; omninò præmissa emundatione, & à delicto simul & à peccato. Verùm vt deinceps etiam in aduersitatibus proficere docerentur, pars olei in læuam manum mitti præcipitur; nam sinistra pro aduersis, sicut ad prospera significanda dextera, accipitur: à Christo autem patiente, patientiæ documenta fidelis habet: Ex quo; generoso, ac forti animo cuncta sustinens, & corpus & animam (id enim sonare videntur pollices inungendi cũ capite) subijcit malo pœnæ, repensans, vlteriùs cuius capitis ipse sit membrum. Hinc aiebat D. Augustinus relatus [I] in opusculo, *magna consolatio membris ex capite*; & D. Bernardus, *videntes angustias Domini nostri, leuius vestras portabitis*, & D. Gregorius item [L] in opusculo; *si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est adeo durum, quod non æquo animo toleretur*, quare & Apostolus Petrus primæ c. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*; quemadmodum Threnorum 3. dicitur, *dabo eis scutum cordis, laborem tuum*.

H ad Annib. 3. 25. 2. 3. l. 4.

I op. 41. 7. c. 1.

L op. 41. l. 5. c. 31.

C A P V T X V.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: 2 Loquimini filijs Israel,
& dicite eis: Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit. 3 Et tunc iudicabitur huic vitio subiacere, cum per singula momenta adhæserit carni eius, atque
concreuerit fędus humor. 4 Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, & vbi-
cumque sederit. 5 Si quis hominum tetigerit lectum eius, lauabit vestimenta sua: & ipse
lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. 6 Si sederit vbi ille sederat, & ipse lauabit
vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. 7 Qui tetigerit carnem
eius, lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. 8 Si
saliuam huiuscemodi homo iecerit super eum, qui mundus est, lauabit vestimenta sua: &
lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. 9 Sagma, super quo sederit, immundum
erit: 10 & quidquid sub eo fuerit, qui fluxum seminis patitur, pollutum erit vsque ad vesperum. Qui portauerit horum aliquid, lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immun-

dus erit vſque ad veſperum. 11 Omnis, quem tetigerit, qui talis eſt, non lotis ante mani-
bus, lauabit veſtimenta ſua: & lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum. 12 Vas fi-
ctile quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lauabitur aqua. 13 Si ſanatus fuerit
qui huiuſcemodi ſuſtinet paſſionem, numerabit ſeptem dies poſt emundationem ſui, & lo-
tis veſtibus, & toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus. 14 Die autem octauo ſu-
met duos turtures, autem duos pullos columbæ, & veniet in conſpectum Domini ad oſtium
tabernaculi teſtimonij, dabitque eos ſacerdoti, 15 qui faciet vnum pro peccato, & alterum
in holocauſtum: rogabitque pro eo coram Domino, vt emundetur à fluxu ſeminis ſui. 16
Vir de quo egreditur ſemen coitus, lauabit aqua omne corpus ſuum: & immundus erit vſ-
que ad veſperum. 17 Veſtem, & pellem, quam habuerit, lauabit aqua, & immunda erit
vſque ad veſperum. 18 Mulier, cum qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit vſque
ad veſperum. 19 Mulier, quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus
ſeparabitur. 20 Omnis qui tetigerit eam, immundus erit vſque ad veſperum: 21 & in
quo dormierit vel ſederit diebus ſeparationis ſuæ, polluetur. 22 Qui tetigerit lectum eius,
lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum. 23 Omne
vas, ſuper quo illa ſederit, quiſquis attigerit, lauabit veſtimenta ſua, & ipſe lotus aqua, pol
lutus erit vſque ad veſperum. 24 Si coierit cum ea vir tempore ſanguinis menſtrualis, im-
mundus erit ſeptem diebus: & omne ſtratum, in quo dormierit, polluetur. 25 Mulier, quæ
patitur multis diebus fluxum ſanguinis non in tempore menſtruali, vel quæ poſt menſtruum
ſanguinem fluere non ceſſat, quandiu ſubiacet huic paſſioni, immunda erit quaſi ſit in tem-
pore menſtruo: 26 omne ſtratum, in quo dormierit, & vas, in quo ſederit, pollutum erit:
27 quicumque tetigerit ea, lauabit veſtimenta ſua, & ipſe lotus aqua, immundus erit vſ
que ad veſperum. 28 Si ſteterit ſanguis, & fluere ceſſauerit, numerabit ſeptem dies puri-
ficationis ſuæ: 29 & die octauo offeret pro ſe ſacerdoti duos turtures, aut duos pullos co-
lumbarum ad oſtium tabernaculi teſtimonij: 30 qui vnum faciet pro peccato, & alterum
in holocauſtum, rogabitque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ eius. 31 Do-
cebitis ergo filios Iſrael, vt caueant immunditiam, & non moriantur in ſordibus ſuis, cum
polluerint tabernaculum meum, quod eſt inter eos. 32 Iſta eſt lex eius, qui patitur fluxum
ſeminis, & qui polluitur coitu, 33 & quæ menſtruis temporibus ſeparatur, vel quæ iugi fluit
ſanguine, & hominis, qui dormierit cum ea.

1 VT caueatur ab immunditia omni præſens eſt caput, in quo agitur de ſeminifluo, de concumbente, de menſtruata, & de hæmorrhoiſſa. Reputabantur immundæ mulieres patientes [A] ſanguinis fluxum, ſiue per infirmitatem menſtrui, ſiue etiam per naturam, vel temporibus menſtruis, vel etiam tempore conceptionis. Et eadem ratione viri reputabantur immundi fluxum ſeminis patientes, vel per infirmitatem, vel per pollutionem nocturnam, vel etiam per coitum; nã omnis humiditas prædictis modis ab homine egrediens, quandam immùndam infectionem habet, Inerat etiam hominibus immunditia quædam ex contactu quarumcumque rerum immundarum.

A p. al 10.5.4.

Colligit hæc D. Thomas vt arguat, horum quodcumque arcere nunc etiam de neceſſitate à communione. Maior eſt dignitas [B] huius Sacramenti, quàm Sacramentorum veteris legis, ſed ad illa non admittebatur mulier menſtruata, nec mulier puerpera; nec patiens fluxum ſanguinis, aut ſeminis ergo, &c. Et Reſpondet in veteri lege prohibitas fuiſſe huiuſmodi perſonas propter figuram, quæ ceſſauit veniente veritate.

B Amb. 4. d. 9. a. 46.

Circa quod iterum repetatur ex prima 2. nuper citata; Per immunditiam mulieris ſanguiſluæ deſignatur immunditia idololatriæ propter immolatitium cruorem. Per immunditiam verò viri ſeminiflui, deſignatur immunditia vanæ locutionis; eo quòd *ſemen eſt verbum Dei*. Per immunditiam verò coitus, & mulieris patientis, deſignatur immunditia peccati originalis. Per immunditiam verò mulieris menſtruatæ, deſignatur immundiria mentis per voluptates emollitæ. Vniuerſaliter autem per immunditiam contactus rei immundæ, deſignatur immunditiá conſenſus in peccatum alterius; ſecundùm illud 2. ad Cor. 6. *Exite de medio eorum, & ſeparamini, & immundum ne tetigeritis*. Hinc gloſſa ſuper hoc caput, [C] *Omne peccatum eſt immunditia animæ. Sed idololatria maximè*. Et denuo ad illa verba, *mulier quæ redeunte menſe; Sic oportet ab idololatria* [D] *abſtinere, vt nec idololatras, nec eorum diſcipulos contingamus, nec cum eis communionem habeamus*.

C 2.2. 94. 1.
D 2.2.10. 9.

Figuram eiuſmodi probat D. Gregorius ſcribens Auguſt. Anglorum Epiſcopo dicens; *in veteri teſtamento aliqui polluti* [E] *dicebantur figuraliter; quod populus nouæ legis, ſpiritualiter intelligit. Mulier, quæ patiebatur fluxum ſanguinis*. Matthæi 9. non acceſſit in domo, [F] ſed in via; quia immunda erat, & non habitabat cum hominibus: Hæc mulier ſtat pro Synagoga, & habet fluxum ſanguinis, ſcilicet errorem immolatitij ſanguinis; hæc D. Thomas; innuens obſtinatum Iudæorum ſenſum, in legalium ſacrificiorum manutentione. Et ſubdit, vel poteſt retorqueri ad peccata carnalia. Hæc certè immunditiam afferunt; propterea Apoſtolus Rom. 1. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam &c.* [G] quæ ad peccata carnalia pertinet ſecundùm illud Epheſior. 5. *omnis fornicator, aut im-*

E 1.p.80. 7.1.
F Matth. 9.
G Rom. 1.1.7.

mundus; quia scilicet homo per huiusmodi peccata maximè conuertitur & trahitur ad id quod est infrà ipsum: delectationes enim tactus, circa quas sunt gula & luxuria, sunt communes nobis & brutis, & ideo sunt magis exprobrabiles quasi magis brutales, vt dicit Philosophus 3. Ethicor. c. 10 vnumquodque autem dicitur esse impurum siue immundum, ex commistione vilioris; sicut argentum ex commistione plumbi. De quo infra c. 18.

Est autem valde obseruandum discrimen viri seminiflui, & mulieris hæmorrhoisse ex vna parte; & coeuntis viri & sanguifluæ mulieris ex altera: primi enim iubentur offerre sacrificia; secundi non ita: cuius ratio esse potest, quia passio illorum non sine culpa incontinentiæ vel ciborum vel veneris vix esse potest; istorum autem immunditia inculpabilis est: ideò offerunt illi pro peccato. Datur autem lex de offerendis vel turturibus vel duobus filijs columbarum: non de vitulis aut agnis; quia cum de huiusmodi passionibus, quæ carnis fragilitatem indicant agitur, ad puritatis castitatisque studia currendum est. Turtur (quod recolit D. Thomas) [H] animal castum est: scribunt quippe si accidat intercipi masculum aut feminam, aut alterum mori, pariter extinctum esse cum coniuge, in superstite altero, amorem vlterioris concubitus. Et præterea tam turtur quàm columba seruant coniunctionem vnius ad vnum, vt alibi fertur. [I] Præceptum autem mentionem quoque facit de columba, quo vbi de carnali mistione fiebat sermo, nobilior memoraretur fęcunditas. Per columbam sanè amorosam gregalem & fęcundam, æternorum amor in spiritualibus socialis & fęcundus significatur, ita in Genesin loco citato: & rursus altero in loco; [L] columba animal fęcundissimum est, idcircò ad significandam fęcunditatem gratiæ spiritualis in Ecclesia, in specie columbæ Spiritus-Sanctus apparuit: hinc est (inquit) quòd Leuitici 15. Dominus pullos columbarum offerri præcepit.

H Genes. 15. & 1. p. q. 17. 1. 4.

I 4. 11. 2. a. 1.

L Ioan. 1. l. 14.

C A P V T XVI.

upr. 10. 10. xod. 30. 10. Hebr. 9. 7. 1 LOcutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, quan-
do offerentes ignem alienum interfecti sunt: 2 & præcepit ei dicens: Loquere
ad Aaron fratrem tuum ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est in-
tra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo
super oraculum) 3 nisi hæc ante fecerit. Vitulum pro peccato offeret, & arietem in ho-
locaustum. 4 Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona
linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta: quibus cunctis, cum
lotus fuerit, inducetur. 5 Suscipietque ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos
pro peccato, & vnum arietem in holocaustum. 6 Cumque obtulerit vitulum, & orauerit
pro se, & pro domo sua, 7 duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi te-
stimonij: 8 mittensque super vtrumque sortem, vnam Domino, & alteram capro emissa-
rio: 9 cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: 10 cuius autem in caprum
emissarium, statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eo, & emittat eum
in solitudinem. 11 His ritè celebratis, offeret vitulum, & rogans pro se, & pro domo sua,
immolabit eum: 12 assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens
manu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in Sancta: 13 vt positis
super ignem aromatibus nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod est supra testimo-
nium, & non moriatur. 14 Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies
contra propitiatorium ad orientem. 15 Cumque mactauerit hircum pro peccato populi,
inferet sanguinem eius intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, vt aspergat è
regione oraculi, 16 & expiet Sanctuarium ab immunditijs filiorum Israel, & à præuarica-
tionibus eorum, cunctisque peccatis. Iuxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonij, quod
xr. 1. 2. 3. fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum. 17 Nullus hominum sit in taber-
naculo quando pontifex Sanctuarium ingreditur, vt roget pro se & pro domo sua, & pro
vniuerso cætu Israel donec egrediatur. 18 Cum autem exierit ad altare, quod coram Do-
mino est, oret pro se, & sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua eius per
gyrum 19 aspergensque digito septies, expiet, & sanctificet illud ab immunditijs filiorum
Israel. 20 Postquam emundauerit Sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat
hircum viuentem: 21 & posita vtraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniqui-
tates filiorum Israel, & vniuersa delicta, atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius,
emittet illum per hominem paratum, in desertum. 22 Cumque portauerit hircus omnes
iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto, 23 reuertetur Aaron
in tabernaculum testimonij, & depositis vestibus, quibus prius indutus erat cum intraret San-
ctuarium, relictisque ibi, 24 lauabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus
suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum, ac plebis, rogabit tam pro se
quàm pro populo, 25 & adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare. 26
Ille verò, qui dimiserit caprum emissarium, lauabit vestimenta sua & corpus aqua, & sic in-

gre-

gredietur in castra. 27 Vitulum autem, & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, &
quorum sanguis illatus est in Sanctuarium, vt expiatio compleretur, asportabunt foras ca- Hebr. 13.
stra, & comburent igni tam pelles quam carnes eorum ac fimum: 28 & quicumque com- b.11.
busserit ea, lauabit vestimenta sua, & carnem aqua, & sic ingredietur in castra. 29 Erit- Infr 23.c.
que vobis hoc legitimum sempiternum. Mense septimo, decima die mensis affligetis ani- 27.
mas vestras, nullumque opus facietis, siue indigena, siue aduena qui peregrinatur inter vos.
30 In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Do-
mino mundabimini, 31 sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras reli-
gione perpetua. 32 Expiabit autem sacerdos, qui vnctus fuerit, & cuius manus initiatæ
sunt vt sacerdotio fungatur pro patre suo: induetur que stola linea, & vestibus sanctis, 33
& expiabit Sanctuarium, & tabernaculum testimonij, atque altare, sacerdotes quoque &
vniuersum populum. 34 Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, vt oretis pro filijs
Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut præceperat Dominus
Moysi.

1. IN hoc capite agitur de festo expiationis. Quocirca sciendum triplicem præcipue memorari in lege emundationem. Prima fuit in publicatione seu ante publicationem legis Exodi 24. alia describitur Numeri 19. potissima autem, est de qua in præsenti. [A] Sacrificium expiationis pluries [B] dicitur solemnissimum: ante hoc festum, erat festum tubarum, quasi quædam initatio vt præpararent se ad sequens festum, quod celebrabatur decimo die, in memoriam [C] illius beneficij, quo Deus propitiatus est peccato populi de adoratione vituli ad preces Moysi.

A Hebr. 9.1.4. B p. 46. 10.ad 2.& 9.73.6. C p. 2. 102.4.10.

Audiamus Angelicum 9. ad Hebræos; [D] summus sacerdos in die expiationis, quæ fiebat decima die septimi mensis, scilicet septembris, (qui septimus est à Martio nostro qui apud Hebræos concurrit pro parte cum Aprili, in quo incipiunt anni; Exodi 12. *Mensis iste principium vobis mensium, primus erit in mensibus anni*: ipsi enim incipiunt mensem in lunatione, quæ semper incipit in Martio, nisi impediat embolismus) offerebat, pro se & tota domo sua vitulum. (Supple, vt ex sacro textu: *& arietem in holocaustum* obseruat autem S. Doctor Hebræor. 13. l. 2. quomodo quia erat oblatio sacerdotum pro sua ignorantia, non comedebantur carnes eorum, sed illorum corpora cremabantur extra castra.) & hircum pro peccato populi: & istis immolatis accipiebat de sanguine ipsorum; & implebat thuribulum prunis altaris holocaustorum, quod erat in atrio ante fores tabernaculi; & cum omnibus his intrabat in Sancta Sanctorum, & cùm sanguine expiabat tabernaculum, aspergendo sanguinem contrà velum, & post egrediebatur, & cum eodem sanguine liniebat cornua altaris thymiamatis: hoc autem faciebat semel in anno: glossa dicit, quòd pluries poterat sine sanguine, sed non cum sanguine nisi semel. De hoc tamen non habetur, nisi quando mouenda sunt castra, quia tunc intrabant Aaron & filij eius, & inuoluebant Arcam, & dispensabant onera Leuitarum, sicut patet Numeri 4. Semel tamen intrabat summus sacerdos solus cum sanguine, quando offerebat pro sua & populi ignorantia: idest pro peccatis nostris; Prouerb. 14. *errant qui operantur malum*, omnis enim malus ignorat vt habetur 3. Ethicorum. Licèt autem huiusmodi expiatio videbatur directè ordinari ad emundationem [E] à peccato, sicut e contrà lustratio Numeri 19. contrà irregularitatem legis: nihilominùs id non operabatur quasi in se virtutem haberet [F] iustificandi: cuius signum est ipsa sanctuarij expiatio, quod culpæ subiectum esse non poterat: attamen erat etiam pro immunditia corporali. Quare vt rem plenius edisserat, inquit Angelicus. Immunditia quæ ex corruptione proueniebat, [G] vel mentis vel corporis, expiabatur per sacrificia pro peccato. Offerebantur autem specialia sacrificia pro peccatis singulorum. Sed quia aliqui negligentes erant circà expiationem huiusmodi peccatorum & immunditiarum, vel etiam propter ignorantiam ab expiatione huiusmodi desistebant, institutum fuit vt semel in anno decima die septimi mensis, fieret sacrificium expiationis pro toto populo. Et quia sicut Apostolus dicit ad Heb. 7. *lex constituit homines sacerdotes infirmitatem habentes*, oportebat quòd Sacerdos priùs offerret pro se ipso vitulum pro peccato, in commemorationem peccati, quod Aaron fecerat in conflatione vituli aurei; & arietem in holocaustum: per quod significabatur, quòd sacerdotis prælatio, (quam aries designat, qui est dux gregis) erat ordinanda ad honorem Dei. Deinde autem offerebat pro populo duos hircos; quorum vnus immolabatur ad expiandum peccatum multitudinis; hircus enim animal fœtidum est; & de pilis eius fiunt vestimenta pungentia: vt per hoc significaretur fœtor, & immunditia aculei peccatorum. Huius autem hirci immolati sanguis inferebatur simul etiam cum sanguine vituli in Sancta Sanctorum; & aspergebatur ex eo totum sanctuarium: ad significandum quòd tabernaculum emundabatur ab immunditijs filiorum Israel. Corpus autem hirci & vituli quæ immolata sunt pro peccato, oportebat comburi, ad ostendendam consumptionem peccatorum: non autem in altari; quia ibi non comburebantur totaliter nisi holocausta: vnde mandatum erat vt comburerentur extra castra, in detestationem peccati: hoc enim fiebat, quandocunque immolabatur sacrificium pro aliquo graui peccato, vel pro multitudine peccatorum. Alter verò hircus emittebatur in desertum; non quidem vt offerretur Dæmonibus quos colebant gentiles in desertis (quia eis nihil licebat immolari) sed ad significandum effectus illius sacrificij immolati: & ideò sacerdos imponebat manum super caput eius, confitens peccata filiorum Israel; ac si ille hircus deportaret ea in desertum, vbi a bestijs comederetur, quasi portans pœnam pro peccatis populi. Dicebatur

D Hebr. 9.l.2. E Hebr. 9.l.3. F p. 2. 103.a.1. G p. 2. 102.5.6.

autem

autem portare peccata populi, vel quia in eius emissione significabatur remissio peccatorum populi; vel quia colligabatur super caput eius aliqua schedula, vbi erant scripta peccata.

Ratio autem figuralis horum erat; quia Christus significatur, & per vitulũ propter virtutem; & per arietem quia ipse est dux fidelium; & per hircum ptopter *similitudinem carnis peccati*; & ipse Christus est immolatus pro peccatis & Sacerdotum, & populi; quia per eius passionem, & maiores, & minores à peccato mundantur. *Sanguis* autem vituli, & hirci *infertur in sancta per Pontificem*; quia per sanguinem passionis Christi patet nobis introitus in Regnum cœlorum. Comburuntur autem eorum corpora extrà castra; quia *extrà portam Christus passus est*, vt Apostolus dicit ad Hebræos vltimo. Per hircum autem, qui emittebatur potest significari, vel ipsa Diuinitas Christi, quæ in solitudinem abijt, homine Christo patiente, nõ quidem locum mutans, sed virtutem cohibens. Vel significatur concupiscentia mala, quam debemus à nobis abijcere; virtuosos autem motus Domino immolare. De immunditia verò eorum, qui huiusmodi sacrificia comburebant, eadem ratio est, quæ in sacrificio vitulæ rufæ: nimirum in detestationem Idololatriæ & peccati.

M Heb.13 2. Hanc ipsam figuram enucleat ad Hebræos [M] dicens; per sanguinem illum significatur sanguis Christi, vt suprà dictum est 9. capite; vitulus enim & hircus Christum figurabant, quia vitulus erat hostia Sacerdotalis, & hircus immolabatur pro peccato non suo sed populi: vitulus ergo & hircus immolatus est Christus Sacerdos, se ipsum offerens pro peccatis nostris. Sanguis ergo Christi illatus est intra Sancta, & caro cremata est extrà castra. Vbi duplex est significatum; vnum, quòd Christus in ciuitate immolatus est linguis Iudæorum: vnde & Marcus dicit ipsum *hora tertia crucifixum*, licèt hora sexta fuerit in Cruce leuatus; aliud, quòd per virtutem passionis suæ, Christus intrà cœlestia sancta, nos introducit ad Patrem. Quòd autem corpora illorum cremabantur extrà castra, quãtùm ad caput nostrum significat quòd Christus passurus erat extrà portam: quantùm vero ad nos, qui sumus membra, significat, quòd pro illis, qui sunt extrà castra legalium, vel exteriorum sensuum immolatur Christus.

Repetit hoc ipsum alibi; [L] Christus non in Templo ant in ciuitate, sed extrà portam passus est propter tria. Primò, vt veritas responderet figuræ, (scilicet huic.) Secundò, vt per hoc daret nobis exemplum exeundi à mundana conuersatione. Tertiò vt Chrysostomus in sermo ne de passione dicit, *noluit Dominus pati sub tecto, nec in Templo Iudaico, ne putares pro illa tantùm plebe oblatum sacrificium salutare, vt scias sacrificium esse commune, quod totius terræ est oblatio.*

L 3. p. 46. a. 2. & Matt. 27. post me. dium.

Item Christus in sancta Sanctorum, idest in ipsum cęlum [L] intrauit, & viam parauit intrandi, per virtutem sanguinis sui, quem pro nobis in terra effudit: sic Pontifex legalis semel in anno cum sanguine vituli, & hirci intrabat in sancta Sanctorum, cùm tamen hircum & vitulum non immolaret in sanctis Sanctorum, sed extrà. Adhuc in Commentario primo Apocalypsis ad illa verba: *Agnum stantem*: stetit in Diuinitate, confractus in humanitate. Hoc significatur Leuitici 16. per duos hircos, quorum vnus immolabatur, alter portans peccata populi dimittebatur [M]. Vnde ad illa Petri in suâ prima, *qui peccata nostra, ipse pertulit*; ipse (inquit) & non alius, [N] sicut filij Israel imponebant capro emissario. Sacrificium prætered expiationis, quod erat solemnissimum, figurabat præcipuè Christum passum, quamuis per omnia sacrificia significaretur [O]. Et ideò in fine art. 4. p. 2. q. 102. per festum (inquit) expiationis significabatur emundatio à peccatis populi Christiani.

L 3. p. art. 5.

M Ap. 5.

N 1.Pet.2

O 1.2.q.73. 6.

Pontifex sacrificia hæc peracturus tunica linea vestiebatur; feminalibusque lineis verenda celabat; accingebatur zona linea; & cidarim lineam imponebat capiti imponebatur autem Põtifici. Cidaris, quæ erat signum dignitatis summi Sacerdotis [P] non idem cum mitra, quæ erat aliorum Sacerdotum, veluti quoddam Galerum, vt ait Hieronymus; alijs missis, quæ sibi propria, in expiatione summum Sacerdotem ornabant. Quod ideò inquiunt fiebat, quia tunc personam rei gerebat in actum pœnitentiæ, & humiliationis pro se, & domo sua oblaturus: igitur accedebat, dempta cidari, ac si fuisset vulgaris minor Sacerdos: & respondet sacro textui, *affligetis animas vestras*, in quo intelligit D. Thomas, [Q] fuisse præceptum ieiunium, quemadmodum tradunt etiam Iosephus, Hieronymus & Rabbini apud Tirinum; qui addunt, abstinendum eo die omnibus fuisse non solùm à cibo, & potu, sed & ab vxoribus à balneis, & vnguentis. In 4. Sentent. nuper allato habes per tunicam lineam, puritatem vitæ significari; per cingulum repressionem carnis, & feminalia in signum castitatis. Igitur mentis, & corporis puritas exigebatur, satis per lini candorem, eius denque laboriosam, atque pœnalem fabricam significata. Aliàs de sacris vestibus Exodi 28.

P 4. 24. 3.

Q Ser. 1 Dominicæ Quadragel.

CAPVT XVII.

1 ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere Aaron, & filijs eius, & cunctis filijs Israel, dicens ad eos: Iste est sermo, quem mandauit Dominus dicens:
3 Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bouem, aut ouem, siue capram in castris, vel extra castra, 4 & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui. 5 Ideo sacerdoti offerre debent filij Israel hostias suas, quas occident in agro, vt sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonij, & immolent eas hostias pacificas Domino. 6
Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonij, &

adolebit adipem in odorem suauitatis Domino: 7 & nequaquam vltra immolabunt hostias
suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimum sempiternum erit illis, & posteris
eorum. 8 Et ad ipsos dices: Homo de domo Israel, & de aduenis, qui peregrinantur
apud vos, qui obtulerit holocaustum siue victimam; 9 & ad ostium tabernaculi testimonij
non adduxerit eam, vt offeratur Domino, interibit de populo suo. 10 Homo quilibet de
domo Israel, & de aduenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirma-
bo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, 11 quia anima
carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus
vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. 12 Idcirco dixi filijs Israel: Omnis anima ex vo-
bis non comedet sanguinem, nec ex aduenis, qui peregrinantur apud vos. 13 Homo qui-
cumque de filijs Israel, & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, si venatione, atque au-
cupio ceperit feram, vel auem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius, & operiat
illum terra. 14 Anima enim omnis carnis in sanguine est: vnde dixi filijs Israel: Sangui-
nem vniuersæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: & quicumque co-
mederit illum, interibit. 15 Anima, quæ comederit morticinum, vel captum à bestia,
tam de indigenis quam de aduenis, lauabit vestimenta sua, & semetipsum aqua, & conta-
minatus erit vsque ad vesperum, & hoc ordine mundus fiet. 16 Quod si non lauerit vesti-
menta sua, & corpus, portabit iniquitatem suam.

VERSVS III. *Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bouem aut ouem siue capram in castris, vel extra castra &c.*

1 Postquam expiatus agnoscitur populus a peccatis, & reconciliatio recolitur in solenni expiationis die: de vituli idololatria; ne vsquam occasione aliqua in tantum prolaberentur crimen, tanquam bonus medicus præcauens in futurum; præseruatiua præscribit. Igitur arcto cauet præcepto, ne ausit quisquam per semetipsum hostiam mactare, tùm quia munus id est Sacerdotis; tùm quia id gentilium sapiebat morem: quippe qui hic & illic in montibus, in lucis, in cauernis sacrificabant; vnde Hieronymus in 7. Ieremiæ *hic gentilitatis error omnes Prouincias occupauit, vt ad capita fontium lucosque amœnissimos victimas immolarent*. Vt ergò longè a fidelibus esset omnis infidelium ritus, mandatum est. Sed quare sub reatu tali ac si sanguinem nempe humanum fudissent? Respondeo, quia hominis occisio idcircò peccatum est, quia præceptum Domini est; *non occides*: ergò si quis contra eiusdem Domini iussum occiderit animal, æquum inobedientiæ scelus committit.

VERSVS V. *Ideò sacerdoti offerre debent filij Israel hostias suas, quas occident in agro &c. ante ostium tabernaculi.*

2 Indicat quomodo fuerit illis in vsum in agro sacrificare: vnde Chaldæa legit, vt *afferant filij Israel sacrificia sua, quæ sacrificant super faciem agri*: & vocat *sua* idest illorum, quia extrà tabernaculum Deo non erant accepta, nec dicenda Dei. Iugulat hoc præceptum Iudæos euictos de misero statu; quia amisso tabernaculo, & destructo templo, nec sacrificium habent nec sacerdotem. Sic de sanguine fundendo & adipe adolendo, expressa denuò fit iussio, vt ab idololatriæ periculo plenè arceantur: de quibus supra. Et quod dictum est de sacrificio, subijcit etiam de holocausto, addens iteratò de victima, vel de sacrificio, vt legunt Septuaginta, quoniam ad aduenas etiam sermo dirigebatur. Recolendum est autem, [A] quomodo per occisionem animalium, significatur destructio peccatorum: & paulo post; [B] expiationem peccatorum fieri à Deo: sed per ministerium sacerdotum; idcirco voluit victimas offerendas ab his mactari.

A p. 2. [...]1.3.5. B ibi ad [...]

VERSVS X. *Homo quilibet &c. si comederit sanguinem.*

Aliàs cap. 7. libri huius v. 26. vetuerat Dominus, & etiam Genesis 9. sanguinis esum; 3
quapropter effundebatur ijs de causis, quas alibi adduxi, tetigique præcipue Exodi 29. ad v. 22. & hic c. 4. ad vers. 32. Adducit autem hic nouam causam, quia scilicet stat in signum animæ, & illius pro piaculo effunditur. Significabatur etiam, vt loco citato ad 5. homines pro peccatis suis dignos esse occisione: vtque etiam significaretur nobis à Deo esse vitam, effundebatur, vt ibi ad 8. ad finem. Quoniam verò adiecit; *anima carnis in sanguine est*; quasi obiter doctrinam recolo catholicæ fidei, [C] de brutorum secundùm animam mortalitate aduersum Platonem, qui & illorum putauit immortales: quasi dicat ex sanguinis permanentia esse illius dependet.

C 2. cont. Gent. cap. 82. & p. p. 75. 1.

VERSVS XIII. *Homo quicumque &c.*

VERSVS XIV. *Anima enim omnis carnis in sanguine est.*

Ne putarent sibi vetitum dumtaxat sangui- 4
nem immolandorum, in vniuersum ampliat inhibitionem, etsi venatione capta sit fera; aucupio auis; subditque vniuersali nota assertum, *anima omnis carnis in sanguine est*: quare ad animam quoque nostram, quæ etiam carnis est; nam *Verbum caro factum est*, videtur referri: ideoque, ne fortè æquè ac brutorum credatur mortalis, sapienti textus eget explicatione. Animaduerte igitur, nomen animæ dupliciter accipi; quandoque [D] pro substantia spirituali: Deuteronomij 4. *custodite solicitè animas vestras*, quandoque pro vita corporali, & sic in hoc loco; quia scilicet sanguis operatur ad vitam naturalem corporis: & sic iusti odio habent animam, quantum ad hoc, vt propter eam non peccent Ioan. 12. & sic tù recole quod ait Dominus c. 10. *bonus Pastor animam suam dat, pro ouibus suis*: quemadmodum, & è contra de anima dicitur in psalmo; *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*.

D Apoc. 12. 2. comment.

Sic etiam in opusculo [E] ait, ex hac authoritate; *anima omnis carnis in sanguine est*, idest, vita. Philosophus; corruptio & senectus, nonnisi paucitas sanguinis est, quo postquàm corpus

E op. 58. c. 30.

carue-

caruerit, corrumpitur: hinc multi moriuntur, propter vacuitatem sanguinis. Et pleniùs alibi, [F] quia cum viuere sit per calidum & humidum, quæ in animali per sanguinem conseruantur, anima quæ est actus corporis viuentis, dicitur esse propterea in sanguine: in quo designatur propria dispositio corporis, in quantum est materia perfecta per animam.

F de potentia 3. a. 9. ad 8.

Hæc autem ideò credenda sunt tradi ad vitandam crudelitatem; [G] vtque horrerent humani sanguinis effusionem, ceu quem etiam brutorum non comedere sed effusum operire sub terra tenebantur: (quod erat ad detestandum idololatriæ ritum qui sanguinem acceptrssimum dijs suis reputabant; & circa ipsum congregatum adunabantur, ad comedendum in illorum honorem): brutalis quippe rabies in sanguine [H] vorando apparere videtur: quare Ciro id exprobrans Regina Tomyris amputatum illius caput in vtrem humano sanguine repletum conijci iussit, illud crudelitatis texens Encomium *satia te sanguine, quem sitisti*: aut *sanguinem sitisti, sanguinem bibe*, vt apud Iustinum videre est [I] de quo & D. Thomas. [I] quia scilicet crudelitatem exercuerat & in Babylonia, & in Regno Lydiæ Reges & Principes impiè trucidans, in regnoque Massagetarum similiter.

G 1. 2. 102. 3. 5. & a. 6. 1.

H Genesis 9.

I Isaiæ 21. & op. 20. l. 3. c. 8.

I op. 58. c. 5.

Post hæc D. Thomas ad altius [I] fertur, mysterium astruens cùm celebrantur Missæ pro defunctis, id ex hoc habeti textu; *dedi vobis sanguinem, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit*; & ideò inquit caro & sanguis Christi rectè pro animabus defunctorum offeruntur, vt à pœna purgatorij, qua pro residuo pœnitentiæ ligati sunt, absoluantur. Quod ne perfunctoriè dictum credatur, illud repetit dicens Leuit: 17. *dedi vobis sanguinem* &c. In hoc figuratum est quod sacrificium carnis & sanguinis Christi valet animabus in pœna purgatorij: & paulo post; *dedi vobis sanguinem, vt super altare in eo expietis, pro animabus sanguinem*, idest sacrificium corporis & sanguinis Christi: *sanguinis* pro corpore simul & sanguine: pars pro toto; Et quia sanguis in altari non est sine corpore, nec corpus sine sanguine: *pro animabus*, scilicet, quæ sunt in purgatorio, ita opusc. [L] citato.

L op. 58. c. 25.

Quæ quidem primo intuitu minus quadrans literæ videbitur expositio: imò non benè affectis, extorta. Cùm tamen vel vna mutata vocula (quod in oraculis propheticis familiare est) fiat planissima. Et dicatur accipi præteritum pro futuri certissima infallibilitate; *ego dabo illum vobis vt super altare in eo expietis, pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit*.

5 Verùm ne gratis id nobis probari quis arbitretur, radicitùs est veritas detegenda. Triplici autem de causa videtur eius sanguinis interdictus; primò Genesis 9. in execrationem fratricidij patrati à Cain. Deinde in presenti Leuitico c. 3. & 7. dum Deus sanguinem sibi deposcit; ne comederent illum in quo vitæ specimen Deo referebatur acceptum. Tertiò denique in hoc capite, fortè etiam propter omnem superiùs tactam causam, sed præcipue ad idololatriæ ritus eliminandos de quibus Deuteronomij 32. [M] *& bibebant vinum libaminum*; quia bibebant de sanguine victimarum. Opportunè autem hoc denuò inculcatur post expiationis solemnitatem ne post peccati expiationem, rediren ad vomitum. Igitur quia idololatriæ scelus præsertim consistit in Dæmoniorum adoratione, quod affectant propter superbiam; *superbia eorum*, in Psalmo, [N] *qui te oderunt ascendit semper*: vnde & ait Augustinus 10. de Ciuitate Dei; *qui Diuinitatem sibi arrogant spiritus, non cuiuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur*; inhibens Dominus, ne immolarent hostias suas Dæmonibus, credendus est alterius futuri diuini sacrificij figuratiuè meminisse: vt de arcana significatione rogatus Moyses capacioribus reuelans altaris mysterium, in veri Dei ac seruatoris fide ac spe solidaret. Et si aueas orationis textum id magis deprehendes. Sanguinis prohibet esum varia, vt dixi, de causa, etiam ad crudelitatis vestigia obliteranda: & quid aliud potuit occultè subijcere, nisi summi sui amoris argumenta figurato sacrificio altaris? de quo dicitur *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Ac si moneret; ne sitis ritu aliquo sacrificiorum immites aut crudeles, quoniam amoris ea sunt in figuram, quando dilectionis meæ filius, cruentè priùs, incruentè deinde offeret sanguinem. Et sanè si cum quis cupit altari præstò esse, sanguinis non se immiscet causæ, ne, licèt sine culpa, fiat irregularis, ex defectu, quem inquiunt, lenitatis: ita propter sacrificij altaris figuram, expediens fuit eos à crudelitate amoueri, ne scilicet comederent sanguinem; quod non nugatoriè iterat dicens, *idcircò dixi filijs Israel; omnis anima ex vobis non comedet sanguinem*: quam causam non adducit infrà, cùm mox de profanè mactatis fert legem; vult enim fundi sanguinem, & non comedi, sed non inducit quam paulo ante rationem: nimirùm; *dedi illum vobis, vt expietis pro animabus vestris*. Et de animabus à corpore separatis, alicubi expiationem præstolantibus, loqui vel ex eo constat, quòd abstractè, etiam vi contextus, exprimat animas.

M Ps. 102. 3. 8.

N Apoc. 9. in fine comm. 2.

Ad prædictorum consensum claudit in opusculo: [O] sicut itaque in sanguine nostro vita est corporalis, sic in sanguine Christi conseruatio vitæ spiritualis: & perductio ad statum vitæ immortalis, Ioannis 6. *qui bibit meum sanguinem*. Apptopriatiuè enim [P] ad tuitionem animæ est sanguis Christi in altari, sicut & pro salute corporis est sub specie panis, vt ex Ambrosio habetur; nàm Leuitici 17. *anima carnis in sanguine est*. His adde ex hymno, *quibus sub bina specie, carnem dedit & sanguinem, vt duplicis substantiæ hominem, totum cibaret*.

O op. 58. c. 30.

P 3. p. 74. 1.

Consequenter ad hæc videtur esse, quod subditur, de non comedendo morticino aut capto à bestia. Morticinum enim est, quod sua sponte moritur absque sanguinis effusione. Quod autem captum est à bestia, bestiales refert feritatis motus; quos & Exodi 22. cohibere voluit dicens; *carnem quæ à bestijs fuerit prægustata non comedetis*: moraliter morticinum est vita in peccato, quoniam mors animæ peccatum est. Cùm agitur igitur, de animæ vita, opportunè è vestigio de tali morte fit sermo.

CAPVT XVIII.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen dicens. 2 Loquere filijs Israel, & dices ad
eos: Ego Dominus Deus vester: 3 iuxta consuetudinem Terræ Aegypti, in-
qua habitastis, non facietis: & iuxta morem Regionis Chanaan, ad quam ego in-
troducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. 4 Facietis iudicia
mea, & præcepta mea seruabitis, & ambulabitis in eis, ego Dominus Deus vester. 5 Cu- Rom. 10.
stodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Ego Dominus. 6 Om- a.5.
mnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius. Ego Do- Ezec. 20.
minus. 7 Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater b.11. Gal. 3. b.
tua est, non reuelabis turpitudinem eius. 8 Turpitudinem vxoris patris tui non discoope- 12.
ries: turpitudo enim patris tui est. 9 Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre,
quæ domi vel foris genita est, non reuelabis. 10 Turpitudinem filiæ filij tui vel neptis ex
filia non reuelabis: quia turpitudo tua est. 11 Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quam
peperit patri tuo, & est soror tua, non reuelabis. 12 Turpitudinem sororis patris tui, non
discooperies: quia caro est patris tui. 13 Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis,
eoquod caro sit matris tuæ. 14 Turpitudinem patrui tui non reuelabis, nec accedes ad
vxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur. 15 Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis,
quia vxor filij tui est, nec discooperies ignominiam eius. 16 Turpitudinem vxoris fratris
tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui est. 17 Turpitudinem vxoris tuæ, & filiæ eius
non reuelabis. Filiam filij eius, & filiam filiæ illius non sumes, vt reueles ignominiam eius,
quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est. 18 Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius
non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente. 19 Ad mulierem, quæ
patitur menstrua, non accedes, nec reuelabis fęditatem eius. 20 Cum vxore proximi tui
non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. 21 De semine tuo non dabis vt conse- Infr. 20.
cretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. 22 Cum masculo non a.2.
commiscearis coitu fęmineo, quia abominatio est. 23 Cum omni pecore non coibis, nec
maculaberis cum eo. Mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei: quia scelus est. Infr. 20.
24 Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego c 16.
eijciam ante conspectum vestrum, 25 & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visita-
bo, vt euomat habitatores suos. 26 Custodite legitima mea atque iudicia, & non faciatis
ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quàm colonus, qui peregrinantur apud
vos. 27 Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, &
polluerunt eam. 28 Cauete ergo, ne & vos similiter euomat, cum paria feceritis, sicut
euomuit gentem, quæ fuit ante vos. 29 Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus
his quippiam, peribit de medio populi sui. 30 Custodite mandata mea. Nolite facere,
quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus ve-
ster.

COrruptelas alienigenarum post idololatriam, vt horreant filij Israel, est præsens caput. Itaque est in primis.

VERSVS IV. *Facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis.*

Ly *præcepta* ^ ad moralia refertur, ly *iudicia* ad cæremonialia & iudicialia; nàm communicant cæremonialia iudicialibus, in quantùm concernunt quasdam determinationes vniuersalium præceptorum. Post exactam circa hæc obedientiam, idquè sub promissione euasionis pœnæ; circa carnalem commistionem honestatis, & puritatis leges promulgat.

VERSVS V. *Quæ faciens homo viuet in eis.*

Hanc authoritatem fert Apostolus duplici in loco, scilicet ad Romanos 10. *Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea*: & ad Galatas 3. *Sed qui fecerit ea, viuet in illis*. Quod & Ezech. 20. legitur; *iudicia mea proiecerunt, quæ faciens homo viuet in eis*. Etsi autem secundùm spiritualem sensum legis, qui pertinet ad fidem Christi, ex figura & protestatione accipi possit textus de vita æterna; tamen secundùm illos, qui carnaliter legem seruabant, ex cupiditate vel timore, (sicut aliàs in Exodo dixi) retorquetur ad finem temporalem, quem in hac legis confirmatione voluit Deus polliceri: nimirum *viuet* idest immunis erit à morte temporali, & conseruabitur in vita præsenti; quia scilicet hoc commoditatis consequebatur homo per legis obseruantiam, ne occideretur tanquam legis transgressor. Hebræorum enim 10. dicitur *irritam quis faciens legem Moysi, absque vlla miseratione moritur*. Sicut Leuitici 20. *Qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur*. Et potest etiam dici, quòd per legis obseruantiam homo ordinabatur in vita præsenti; promittebat enim lex temporalia bona, & quædam mandabat, quæ ad ordinationem carnalis vitæ pertinebant Hebræor. 4. *iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis*. Igitur intelligo ip-

ſe ex his, *viuet*, ideſt, ordinatè percurret ſuæ vitæ tempus. Hoc breuibus tradit Angelicus [B] dicens, homo faciens præcepta legis dicitur *viuere in eis*: quia non incurrebat pœnam mortis, quam lex tranſgreſſoribus infligebat, in quo ſenſu inducit hoc Apoſtolus ad Galat. 3. Ex hoc ego loco, [C] & ad Romanos, quæ ſuprà connexui.

B p. 2. 100. 12-2.

C Rom. 10. l. 1. & Gal. 3. l. 4.

Quoniam autem fit mentio de pœna mortis, illuſtrandus eſt locus iſte Angelico ex Doctore [D] dicente; circa quantitatem peccati quadruplex gradus eſt attendendus, etiam circa vnum, & idem factum: quorum primus eſt quãdo inuoluntarius peccatum committit; tunc enim ſi omninò eſt inuoluntarius, totaliter excuſatur à pœna; dicitur enim Deut. 22. *Quòd puella quæ opprimitur in agro, non eſt rea mortis, quia clamauit, & nullus affuit, qui liberaret eam.* Si verò aliquo modo fuerit voluntarius, ſed tamen ex infirmitate peccat, puta cùm quis peccat ex paſſione, minuitur peccatum: & pœna ſecundùm veritatem iudicij diminui debet: niſi fortè propter communem vtilitatem pęna aggrauetur ad abſtrahendum homines ab huiuſmodi peccatis. Secundus gradus eſt quando quis per ignorantiam peccauit, & tunc aliquo modo reus reputabatur, propter negligentiam addiſcendi, ſed tamen non puniebatur per Iudices, ſed expiabat peccatum ſuum per ſacrificia, Leuit. 4. *Anima quæ peccauerit per ignorantiam*, &c. ſed hoc intelligendum eſt de ignorantia facti, non autem de ignorantia præcepti diuini, quod omnes ſcire tenebantur. Tertius gradus eſt quando aliquis ex ſuperbia peccabat, ideſt ex certa malitia; & tunc puniebatur ſecundùm quantitatem delicti. Quartus autem gradus eſt quando peccabat per proteruiam & pertinaciam, & tunc quaſi rebellis, & deſtructor ordinationis legis, omninò occidendus erat. Hæc D. Thomas, vnde Num. 15. *Anima quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, quoniam aduerſus Dominum rebellis fuit peribit de populo ſuo; verbum enim Domini contempſit*, &c. Monet autem ſimpliciter Dominus pro legis obſeruatione incuſſo tacitè metu mortis; quia etſi delicta non mererentur supremãm illam pęnam, delinquens tamen niſi reſipiſcat feriò, de peccato in peccatum lapſus, ad extremam perfidiam paulatim pergit. De pęna mortis ob quæ peccata infrà c. 20.

D p. 2. 105. 2. 9.

VERSVS VI. *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius.*

Primum caput vitandæ per matrimonium ſecuturæ coniunctionis venereæ, eſt proximitas ſanguinis, quæ fert honorificentiam alteri naturaliter debitam, imò ſubiectionem; quæ locum non habent, vbi eſt coniunctio ſocialis connubij. Ita ex D. Thoma, [E] qui talem ſubiectionem agnoſcit in filijs reſpectu parentum; & huiuſmodi honorificentiam, & reuerentiam prætendit nõ ſolùm ad parentes, ſed ad conſanguineos, qui ex eiſdem parentibus de propinquo originem trahunt.

E 2. 2. 154. 9. An nib. 4. 40. a. 1. & 3. cont. Gẽt. c. 125.

Secundum caput inconuenientiæ coniugij in gradibus cõſãguinitatis eſt, ne aditus præbeatur concupiſcentiæ ob commoda, & occaſiones venereæ commiſtionis, qualia certè ſunt inter propinquos ob neceſſitatem cohabitandi, & commorandi: quæ ſi admittatur vrgente ſpe ipſa connubij, fiet vt animi emolleſcant nimis extentatione luxuriæ. [F]

F loc. c.

Tertium caput arcendi coniunctos, eſt ad multiplicationem amicitiæ in ſocietate humana tàm neceſſariæ: dùm enim homo vxorem extraneam accipit, iunguntur ſibi quadam ſpeciali amicitia omnes conſanguinei vxoris, ac ſi eſſent conſanguinei ſui: vnde Auguſtinus l. 15. de Ciuit. Dei c. 16. *Habita eſt ratio rectiſſima charitatis, vt homines quibus eſſet vtilis atque honeſta concordia, diuerſarum neceſſitudinis vinculis necterentur.*

Secundum hanc triplicem rationem videtur Moyſes in præſenti claſſem quoque trinam diſtinguere prohibitarum nuptiarum. Primò quidem agitur de patre, ac matre; de nouerca, ſeu etiam de ſecundaria Patris coniuge, ſi daretur; & de propinquis ſiuè immediatè ſiue mediatè à parentibus; Quæ diſcretio traditur quoad lineam rectam, vt patet, vſque ad neptes Patris. Et huc videtur ſacere caput honorificentiæ debitæ parentibus, quæ, vbi commiſtio accedat, peſſum it. Hinc S. Doctor [G] inquit, commiſtio autem carnalis ad parentes, derogat reuerentiæ quæ eis debetur: ſicut enim parentibus indidit natura ſolicitudinem filijs prouidendi, ita indidit filijs reuerentiam ad parentes: vnde etiam in quibuſdam animalibus, filius abhorret cognoſcere matrem carnaliter, quandiu manet apud ipſum cognitio matris, & reuerentia quædam ad ipſam, vt recitat Philoſophus in 9. de animalibus, de Camelo, & Equo. Et quia omnes honeſti mores animalium, &c. vt mox dicam.

G 4. d. 1. 3.

De hoc iterum tractans [H] ait: filij naturaliter honorem debent parentibus, vnde Philoſophus dicit in 9. de animalibus, quòd quidam equus quia deceptus fuit, vt mátri commiſceretur, ſe ipſum præcipitauit quaſi præ horrore, eoquòd etiam animalibus aliquibus ineſt naturalis reuerentia ad parentes. Præmittit autem, ſi loquamur de parentibus & filijs, quorum eſt per ſe, & immediata cognatio, commiſtionem eſſe ſecundùm ſe indecentem, & repugnare naturali rationi. Et ſanè non minuitur, imò potius augeri videmus reuerentiam neptis ad aui; quare in hac linea recta, ſunt qui velint probabiliter illicitum eſſe naturæ iure matrimonium, quamuis diſtantia eſſet veluti infinita ob ſubiectionem, tanquàm effectus ad cauſam & ſuum principium.

H 2. 2. 154. 9. 1.

Secundò tranſit Moyſes ad lineam tranſuerſam, in qua primum gradum obtinent ſorores & fratres. Et ſic prohibitus eſt in primis concubitus fratris cum ſorore verſu 11. Nepotis cum amita quæ eſt ſoror Patris, verſu 12. Nepotis cum matertera quæ eſt ſoror Matris verſu 13. Hùc facit & caput honorificentiæ debitæ ratione Patris ac Matris, eorundem ſororibus ſcilicet amitæ & materteræ; & ſimiliter ratione Patris & Matris, earundem filiabus, mihi ſororibus: nàm vt loco citato in 4. ait Angelicus [I] omnes honeſti animalium mores, in hominibus congregati ſunt, & perfectius reperiuntur quàm in alijs: & propter hoc homo naturaliter abhorret cognoſcere carnaliter non ſolùm Matrem, ſed etiam filiam, quod adhuc minùs contra naturam eſt. Et ſic etiam 2. 2. citata; aliæ perſonæ quæ

I 4. 1. 3.

non

non coniunguntur secundùm se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam. Verùm alterum etiam facit hùc caput, nempe concupiscentiæ repressio, quæ deperiret, si quælibet consanguinea posset in matrimonium duci; quia conuersatio sororum cum fratribus maguum præberet incentiuum, si liceret simpliciter concubitus: quemadmodum docuerat in 4. præallegato, vbi declarat, hoc fuisse vetitum connubium, nō tàm iure naturali, (quod pressiùs in linea rectâ de qua dictum est) quàm iure diuino: & ideò dicit Augustinus (2. 2. citata) *commistio sororum & fratrum quantò fuit antiquior, compellente necessitate, tantò postea facta est damnabilior Religione prohibente.*

Tertiò accedit Moyses ad gradum affinitatis: ibi versu 14. loquens de vxore patrui, *quæ tibi inquit affinitate coniungitur*. Et hùc facit tertium caput, ampliandi amicitiæ fœdus; quod est per accidens quasi intentum ex matrimonio: cui proinde inferretur præiudicium si sanguine coniunctæ ducerentur vxores: & de ijs sanciendo leges, quemadmodum hic Moyses, opportunè prouidit Ecclesia; quia vsus venereorum qui ordinatur ad bonum commune, subiacet legi.

VERSVS VII. *Turpitudinem Patris tui &c.*

In hoc speciali exordio, postquam præcedenti versu quasi in confuso accessum ad proximam sanguinis vetuerat Dominus, Patris & Matris turpitudines obijcit: vt ex hac prima masculina mentione daretur intelligi in sequentibus, cum prohibetur concubitus masculi ad fœminam, prohiberi etiam è contrà feminę ad masculum, puta non solum Aui ad neptem, sed etiam auiæ ad nepotem. Et sic quamuis hic exprimatur solùm soceri cum nuru; tamen maledicitur Deut. 27. *qui dormit cum socru sua*, gener, nimirum. Species etiam luxuriæ diuersificantur

L 2. 2. q. 154. I. magis ex parte feminę, quàm viri ex 22. L

Non est autem inutiliter facta expressio, quæ subiuncta est; nimirum; *mater tua est; non reuelabis turpitudinem eius*; tùm quia consuetum est in scripturis ingeminari aliqua ad rei magnitudinem indicandam: sicut expendit D. Thomas M super illud *Deus meus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* dicens ingeminat vt magnitudinem affectus humani designet: tùm vt radicem prohibitionis ostendat; non enim ob turpitudinem sui ipsius, sed præcipuè ob indecentiam, ex parte matris, horribile id est; tum denique vt repetita inculcatio animum fixiùs teneret in eiusmodi facinoris, ac dedecoris detestatione, de quo dixi Genes. c. 2. v. 24. quia ex 1. Corinth. 5. l. 1. naturali reuerentia filij ad parentes, secundùm omnem statum & legem Pater & Mater à matrimonio excluduntur; vt sic etiam possit intelligi; *relinquet Patrem & Matrem* s. in contractu matrimonij, *& adhærebit vxori suæ*.

M Matth. 27.

VERSVS VIII *Turpitudinem vxoris Patris tui non discooperies.*

Ne putaret quispiam ad solam quæ ipsum genuisset Matrem, pudoris seruandam esse custodiam, de ea quæ vxor dumtaxat esset Patris mei, non verò mihi Mater sed nouerca, decernit: facta quippe vxor Patris mei fit meo cum Patre vna caro, vt assumit idem S. Doctor 1. Cor. 5. l. 1. præfatis, transgressionem memorans Ruben obiectam illi Genesis 49. *ascendisti cubile Patris tui, & maculasti stratum eius*, cum Bala scilicet vxore seu concubina Patris sui, Genes. 35. propterea est & ab ipsa continendum iure naturæ: refunderetur enim dedecus in Patrem meum: *turpitudo* (inquit) *Patris tui est*, priuigni ergo cùm nouerca haud licet connubium.

VERSVS IX. *Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex Matre, quæ domi vel foris genita est.*

Statim quæstionem de sorore dirimit, Patri cui Mater mea nupsisset, priuigna, num possim ego illam ducere: & negat, & hæc est ex Patre, mihi soror, in quantum ille priùs viduatus factus est mihi Pater per commistionem cum Matre mea: Et idipsum negat, si accidat ex Matre, quam habentem filiam priuignam duxisset vxorem Pater meus. Et hoc sonat, ly *genita foris*: cui præmittitur *siue Domi*; quia à fortiori illicitus est concubitus cum sorore quæ domi, hoc est post vxoris traductionem in domum, genita sit, siue vterinus sim ego cum illâ siue consanguineus, aut agnatus ex Patre eodem solùm: nisi mauis dicere germanus ex Patre, aut patrius. Alij alias dederunt literæ huic interpretationes, vt *domi* dicatur ex legitimo, *foris* ex illegitimo concubitu: sed germanior est quam attuli, vt intuenti patet. Chaldæa negligit per quandam conniuentiam ly *domi, vel foris*; & textum totum, restringit ad vteriuam, seu patriam sororem, in hæc verba: *Turpitudinem sororis tuæ, filiæ Patris tui, aut filiæ matris tuæ, quæ genita est à patre tuo ex alia vxore; aut à Matre tua ex alio viro, non discooperies.*

VERSVS X. *Turpitudinem filij filiæ tuæ, vel neptis ex filia.*

Septuaginta, & Chaldæa legunt, *vel filiæ filiæ tuæ*: noster ad faciliorem intellectum posuit *neptis ex filia*: refunditur autem turpitudo potior in ipsum auum, qui aliàs honorificandus à neptibus, compar per commistionem euasisset.

VERSVS XI. *Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non reuelabis.*

Hæc non est soror ex patre, aut ex matre dumtaxat, vt versu 9. dicebatur, sed est soror simpliciter ex legitimo connubio, vnde ait, *filiæ vxoris Patris tui*: non adduntur illa verba; *quia turpitudo Patris tuæ est* aut *Matris*, eoquod vituperatio inde oborta, non stat in rectâ linea, sed in transuersa, quamuis seorsim ordinem ad parentes inuoluant.

VERSVS XII. *Turpitudinem sororis Patris tui &c.*

VERSVS XIII. *Turpitudinem sororis Matris tuæ &c.*

Dubitant hìc an etiam neptis cum auunculo & patruo illicitum sit connubium: nec desunt qui approbent, tum ex praxi aliquorum in sacra scriptura, quia Nachor duxit Melcham, Abram Sarai, Amram matrem Moysis, singuli neptem ex fratre: & vsque hodie vsitatum est apud Iudæos. Non videtur autem par inconuenientiæ ratio, quia auunculus aut patruus effecti coniuges, non cadunt propterea à præhabita superioritate, quia sub viri potestate est mulier, quæ cadit à sua naturæ dignitate, postquam nupsit nepoti.

VERS VS XIV. *Turpitudinem patrui tui*

non reuelabis; nec accedes ad vxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur.

Iam ad affines deuenit sermo: & primò quidem de illa affinitate quæ oriri potest, ex consanguineo paterno, qui maior est: deinde in sequenti versu, de reperta ex parte filij ad nurum. Inculcat autem bis, ne cohabitationis occasio pertrahat in transgressionem.

VERSVS XVI. *Turpitudinem vxoris fratris tui* &c.

Non est quod hic præcipitur, contrarium Deuteronomio c. 25. vbi habetur *præmortuo fratre, fratrem superstitem debuisse relictam ducere;* quia casus is erat, quando absque liberis mortuus fuisset: in hoc autem loco simpliciter id vetatur: vnde ait, *turpitudo fratris tui est*: nisi scilicet suscitatio seminis fraterni, hoc est prolis, id honestaret: hæc affinitas est ex linea transuersa.

VERSVS XVII. *Turpitudinem vxoris tuæ, & filiæ, non reuelabis.*

Postquam affinitatem ex Patre per patruum, item ex filio cum nuru; & ex fratre cum eius vxore tetigit Moyses, postremò ad affinitatem, quæ ex connubio adhuc resultat accedit. Legunt autem Septuaginta *turpitudinem vxoris & filiæ eius*: & Chaldæa, *turpitudinem mulieris & filiæ eius*: Sed sensus vbique idem est: quamuis enim turpitudo non sit in ordine ad propriam vxorem, tamen hoc ex capite, si ducatur filia, est filiæ turpitudo: & iterùm si præducatur filia, turpitudo est cum matre contrahere. Itaque ex alterutra in alteram transit turpitudo. Noster autem, vt ex matrimonio hanc surgere turpitudinem indicaret, non dixit *mulieris & filiæ*, *sed vxoris tuæ & filiæ*: quasi diceret: turpitudo est hinc, & hinc. Deinde subdit, *filiam filij eius, & filiam filiæ illius non sumes*: Quod quidem prohibetur ob eandem radicem, quia scilicet caro illius sunt: *Consanguineæ enim sunt*, ait Chaldæa, & Septuaginta; *consanguineæ tuæ sunt*. Sanè cum per connubium fiant *duo in carne vna*, emergit ex hoc, consanguinitas veluti, ad alterutrius coniugis consanguineos. *Et talis coitus incestus est*: Septuaginta: *impietas est*. Chaldæa; *Consilium peccatorum est*. Quæ quidem verè dicuntur: sed tamen proprie *incestus est*; potestque referri ad omnia superius prohibita; nàm incestus, vt tradi-
N 2. 2. 154. 1. tur 22. [N] consistit in abusu mulierum consanguinitate, vel affinitate iunctarum.

VERSVS XVIII. *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc illa viuente.*

a Septuaginta habent, *vxorem super sorore eius non accipias pellicem*, Vltrà turpitudinem, est etiam iniuria grauissima vxori: pellex quippe dicitur, quod est blandiendo decipio; quia blandiendo, virum ab vxore seducit. Et quia pellex non tàm viri quàm vxoris nuncupatur: idcircò noster transtulit optimè *in pellicatum illius scilicet vxoris*. Non arctatur autem pellicatus ad solam sororem: sed de hoc fit expressio tanquam de turpiori: vt ex adiecta causa scilicet *in pellicatum illius, siue vt sit ei in tribulationem* (quod ait Chaldæa) intelligatur nunquam licere viro adulterari: & idcirco inquit viuente illa: mortua enim vxore licebat sororem ducere, vt suprà, imò præceptum erat, si absque filijs.

Sed rogabis quæ causa fuerit vt sub hac *turpitudinis* voce prohiberentur illiciti isti concubitus? Respondeo, id sapientissimè factum esse, vt inde prohibitionis causa innotesceret, quæ imò est turpitudo concupiscentiæ.

Certè & Philosophus pronũciauit in Ethicorum 7. c. 6, turpius est esse incontinentem concupiscentiæ, quàm incontinentem iræ, cuius causas percenset [O] D. Thomas 2. 2. nàm ira, & O 2. 2. 156. 4.
audacia, vt alibi, [P] sunt passiones virilitatis ex- P 2. 2. 10. 1. 2.
tollentes animum hominis ad ardua: è contrà verò passiones cõcupiscibilis magis sunt exprobrabiles, quia magis brutales: [Q] ideòque ferens Angelicus illud Iob 24. *Oculus adulteri obseruat caliginem*, [R] inquit, tenebrosa loca quærunt Q Rom. 1. l. 7. R Ephes. 5. l. 4.
propter turpitudinem: quare Apostolus vocat ea *infructuosa opera tenebrarum*. Et propterea dicunt Magistri [S] aliquos esse dæmones, qui memores suæ antiquæ nobilitatis, non dignantur S op. 41. l. 5. c. 51.
de peccato luxuriæ tentare; & in signum huius, lucifer tentans Dominum in deserto, non tentauit eum de hoc peccato: Et sanè quomodo turpe non erit, si quod ait Augustinus [T] *Nihil sic deijcit animum ab arce virtutis suæ, sicut contactus* T 1. Cor. 7. l. 1.
ille corporum, sine quo vxor haberi non potest, & iterum [V] *si inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis, vbi est quotidiana pugna,* V 2. 2. 154. 3. l.
& rara victoria? Turpitudo autem sic ex luxuria nobilitatem hominis fœdans, amplius commaculat eos in quibus reuerentiæ, & honorificentiæ subest ratio: & mulierem afficit, de qua Prouerb. 30. dicitur, *talis est, & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit, non sum operata malum*. Verecundantur autem magis homines coram coniunctis 22. 145. 3. & maximè, quia vt D. Augustinus dicit, summè verecundantur homines de actibus venereis, in tantùm quòd etiam concubitus coniugalis, qui honestate nuptiarum decoratur, verecundia non careat, & hoc ideò, quia motus genitalium membrorum non subijcitur imperio rationis, sicut motus aliorum exteriorum membrorum 22. 151. 4. rectè igitur exprimitur toties verbum hoc, *turpitudo, quia verecundia est timor turpitudinis*. 22. 144. 2. Et adde ex D. Thoma in ps. 50. immunditiam nasci ex eo quòd nobile adiungatur vilioribus, vt aurum plumbo: turpitudinem, ex eo quòd homo inhæret terrenis, obscuraturque propterea lux rationis, fitque spiritualiter anima obscura & nigra. Per huiusmodi autem peccata maxime conuertitur homo, & trahitur ad id quod est infrà ipsum, Rom. 1. *in immunditiam*. Ibi D. Thom. l. 7. Sicut argentum ex commistione plumbi. Per vsum autem venereorum mens maximè carnalibus inhæret ex 3. cont. G. c. 136. vt dictum est Genes. 1. v. 28.

Nota etiam ex 22. q. 141. a. 2. ad 3. & q. 143. a. 4. Sanè in priori loco tradit, quomodo licet pulchritudo conueniat cuilibet virtuti, excellenter tamen attribuitur temperantiæ; quæ refrænat ab ijs, quæ infima sunt in homine, conueniuntque sibi secundùm naturam brutalem; & secundùm hoc turpitudinem tollit. Ex timore autem turpitudinis emicat verecundia, vt quæst. 144. a. 4. In secundo loco astruit peccatum intemperantiæ esse maximè exprobrabile; primò quia maximè repugnat excellentiæ hominis, cum sit circa delectationes communes nobis & brutis: secundò, quia maximè repugnat eius clari-

tati,

tati, vel pulchritudini, in quantum ſcilicet in delectationibus, circa quas eſt intemperantia, minus apparet de lumine rationis, ex qua eſt tota claritas, & pulchritudo virtutis; & ſic vitia carnalia ſunt maioris infamiæ, vt ibi ex Gregorio ad primum.

VERSVS XIX. *Ad mulierem quæ patitur menſtrua, non accedes, nec reuelabit fœditatem eius.*

3 Cum de menſtruata fugiendoque acceſſu ad illam dictum ſit vberrimè ſuprà c. 15. superuacaneum videretur omnino, iteratò id repetere; niſi reuelarent qua de cauſa & D. Auguſtinus, & Sanctus Thomas. Itaque prout habetur
X 4.12.1.22. in 4. [x] ait D. Antiſtes. *Cùm ſufficienter prohibuiſſet, hic etiam repetit, ne forte in ſuperioribus videretur figuratiuè accipiendum*. Verùm quæſtionem hanc dirimens ait Angelicus, quòd accedere ad menſtruatam, in lege prohibitum erat duplici ratione, tùm propter immunditiam (en quo tendit caput 15.) tùm propter nocumentum, quod in prole ex huiuſmodi commiſtione frequenter ſequebatur: (en rationem ob quam Moyſes in hoc capite, in quo de bono prolis, quia de honeſtate matrimonij, de menſtruata iterum præcipit.) Quocircà ſequitur Angelicus, quoad primum, præceptum erat cæremoniale; ſed quantùm ad ſecundum, erat morale; quia cum matrimonium ſit ad bonum prolis principaliter ordinatum, prohibitus eſt omnis matrimonij vſus, quo bonum prolis impeditur: & ideò hoc præceptum obligat etiam in noua lege propter ſecundam rationem, etſi non propter primam. Hieronymus Iſaiæ 64. *Omnes iuſtitiæ veſtræ quaſi pannus menſtruatæ*, ait, *tunc viri abſtinere debent à mulieribus, quoniam concipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leproſi*, vt quia Parentes non erubuerunt in conclaui commiſceri, eorum peccata pateant cunctis, & apertiùs redarguantur in paruulis. Et Auguſtinus ſer. 144. de Temp. *Si quis vxorem ſuam in profluuijs poſitam agnouerit, leproſi aut epileptici naſcuntur*. Sed de hoc infrà c. 20. ad v. 18.

VERSVS XXI. *De ſemine tuo non dabis, vt conſecretur Idolo Moloch.*

Mirabitur quiſquam, quomodo interſeratur de Idolo Moloch: ſed cùm poſt præfata, ſubiunxerit immediatè ante contra adulteria, *cum vxore proximi tui non coibis*, adiecit propterea *de ſemine tuo non dabis, vt conſecretur Idolo Moloch*; quoniam idololatria ſub adulterij nomine, atque fornicationis paſſim reprehenditur in ſacris ſcripturis; præcipuè Ezechielis 16. nam anima deſponſata in fide turpiſſimè recedit à ſponſo ſuo. Pſal. 72. *Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te*; quod quidem de fornicatione ſpirituali [A] quæ eſt in omni mortali peccato, exponitur: ſed fortiùs etiam intelligerem ego de Idololatriæ prolapſu; quod non abnuitur ibi à Sacro textu dum præmittitur, *neque pœnitentiam egerunt, vt non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea*: Moloch autem pro Saturno potius quàm pro alio falſo Numine accipiunt; cuius porrectis brachijs, ac vrentibus pueros offerebant: de quo Maluenda de Antichriſto l. 11. c. 8. Legimus autem Amos 5. *Numquid hoſtias, & ſacrificium: obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis domus Iſrael, & portaſtis tabernaculum Moloch Dei veſtri, & imaginem idolorum veſtrorum, ſydus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis*.

A Apoc. 9. comm. 2. in fine.

CAPVT XIX.

1 LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2 Loquere ad omnem cœtum filiorum
Iſrael, & dices ad eos: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, Dominus Deus ve- 1. Pet. 1. c.
ſter. 3 Vnuſquiſque patrem ſuum, & matrem ſuam timeat. Sabbata mea cu- 16.
ſtodite. Ego Dominus Deus veſter. 4 Nolite conuerti ad idola, nec deos conflatiles fa- Supr. 11. g. 44.
ciatis vobis. Ego Dominus Deus veſter. 5 Si immolaueritis hoſtiam pacificorum Domi-
mino, vt ſit placabilis, 6 eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero: quid-
quid autem reſiduum fuerit in diem tertium, igne comburetis. 7 Si quis poſt biduum come-
derit ex ea, profanus erit, & impietatis reus: 8 portabitque iniquitatem ſuam, quia ſan-
ctum Domini polluit, & peribit anima illa de populo ſuo. 9 Cum meſſueris ſegetes Inf. 23. d.
terræ tuæ, non tondebis vſque ad ſolum ſuperficiem terræ: nec remanentes ſpicas colliges. 22.
10 Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus, & pe- Exod. 20.
regrinis carpenda dimittes: ego Dominus Deus veſter. 11 Non facietis furtum. Non b. 7.
mentiemini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum. 12 Non periurabis in nomine Eccl. 10. a. 3.
meo, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus. 13 Non facies calumniam proximo tuo, Deut. 24. c. 14.
nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane. 14 Non Tob. 4. c.
maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum: ſed timebis Dominum Deum tuum, 15. Deut.
quia ego ſum Dominus. 15 Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis. Non 17. & 16.
conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuſtè iudica proximo tuo. d. 19.
16 Non eris criminator, nec ſuſurro in populo. Non ſtabis contra ſanguinem proximi 1. Ioan. 2. b. 11. & 3.
tui: ego Dominus. 17 Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne c. 15. Eccl. 19.
habeas ſuper illo peccatum. 18 Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium 11. Luc. 17. a.
tuorum. Diliges amicum tuum ſicut teipſum: ego Dominus. 19 Leges meas cuſtodite. Matth. 5.
Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non ſeres g. 44. 22 d. 40.
diuerſo ſemine. Veſte quæ ex duobus texta eſt, non indueris. 20 Homo ſi dormierit cum Rom. 13. c. 9.

muliere coitu feminis, quæ ſit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non redempta, nec li-
bertate donata: vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera, 21 pro deli-
cto autem ſuo offeret Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonij arietem: 22 orabitque
pro eo ſacerdos, & pro peccato eius coram Domino, & repropitiabitur ei, dimitteturque
peccatum. 23 Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auſe-
retis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. 24
Quarto autem anno omnis fructus eorum sãctificabitur laudabilis Domino. 25 Quinto au-
tem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus ve-
ſter. 26 Non comedetis cum ſanguine. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia.
27 Neque in rotundum attondebitis comam: nec radetis barbam. 28 Et ſuper mortuo
non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis, ego Do-
minus. 29 Ne proſtituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo. 30
Sabbata mea cuſtodite, & Sanctuarium meum metuite, ego Dominus. 31 Non declinetis
ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Ego Dominus Deus
veſter. 32 Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis: & time Dominum
Exod. 22 c.21. Deum tuum, ego ſum Dominus. 33 Si habitauerit aduena in terra veſtra, & moratus fue-
rit inter vos, non exprobretis ei: 34 ſed ſit inter vos quaſi indigena: & diligetis eum quaſi
voſmetipſos: fuiſtis enim, & vos aduenæ in Terra Aegypti, ego Dominus Deus veſter. 35
Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in menſura. 36 Statera
iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius, æquuſque ſextarius, ego Dominus Deus veſter,
qui eduxi vos de terra Aegypti. 37 Cuſtodite omnia præcepta mea, & vniuerſa iudicia,
& facite ea, ego Dominus.

VERSVS II. *Sancti eſtote quoniam ego Sanctus ſum.*

De puritate commonefacit poſt vetitas immunditias, & turpitudines carnis; nam ſanctitas eſt puritas Deo conſecrata vt alibi dixi. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cùm claritate!*

VERSVS III. *Vnuſquiſque Patrem ſuum, & matrem ſuam timeat. Sabbata mea cuſtodite: ego Dominus.*

Quia ſecundùm Philoſophum in 8. Ethicorum cap. 2. conſanguinitas fundatur in naturali communicatione ſecundùm actum generationis, & hæc communicatio triplex eſt, ſcilicet ſecũdùm habitudinem principij ad principiatum, principiati ad principium, & ſecundùm habitudinem eorum quæ ſunt ab vno principio ad in-
A 4. 40. 1.2. uicem: [A] (quod recolit D. Thomas:) primam vnde cęteræ oriuntur memorat Moyſes: & inquit *timeat vnuſquiſque Patrem ſuum, & matrem ſuam*, vbi certè de timore reuerentiali, qui concernit reuerentiam & honorificentiam, (de qua capite præcedenti) ſermo eſt; nàm de timore coacto ſeruili eſſe non poteſt, quo timetur pœna; ſiquidem ex 1. & 3. Politicorum, alius eſt principatus Domini ad ſeruum, & Patris ad filium, & 10. Ethicorum cap. vltimo, Principatus Paternus habet ſolùm admonendi poteſtatem, non autem habet vim coactiuam: ideo Deuteronomij 21. præcipitur, vt Pater ducat filium
B p. 2. 105. 4.4. & 5. *ad ſeniores ciuitatis* puniendum. Ita ex p. 2. [B] Malachiæ 1. legitur, *Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi timor meus? dicit Dominus exercituum*. Hinc ſubditur, *Sabbata mea cuſtodite*, ac ſi diceret; niſi à carnali animorum mollitie ad conſanguineas, abſtineatis, ſabbata cuſtodire nequitis; quoad ſabbatorum morale, vt mens vacet Deo, deprimitur ratio abſorpta à libidine: vnde extolli non poteſt, vt cuſtodiat ſabbata. Quod cùm verum ſit in omni carnali mixtione, accideret vehementius, vbi ad conſanguineas permitteretur acceſſus:
quæ altera eſt ratio ex 2. Politicorum [C] incon- C 2. 2. 154.9.
uenientiæ; quia cùm naturaliter homo conſanguineam diligat, ſi adderetur amor, qui eſt ex commiſtione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum. *Ego Dominus Deus veſter*, ac ſi diceret iterum, huiuſmodi concubitus inordinatio cuſtodiæ ſabbatorum derogans, in me quoque reſultat, qui ſabbata mandaui. Et ſum Dominus. *Dominus* vt ex D. Ambroſio dixi Geneſeos 3. *nomen eſt poteſtatis. Vis non timere poteſtatem? bonum fac.* Rom. 13. Timorem itaque pœnæ qui non eſt ad Patrem, ex Dominatu ſuo vult incutere, *ego Dominus Deus veſter.*

VERSVS IV. *Nolite conuerti ad Idola nec Deos conflatiles facietis vobis.*

Occaſiones concubituum huiuſmodi illicitorum, & Idololatriæ quæ fornicatio quædam à Deo vero eſt, adhuc amputare præcipuè intendit: quod in vtroque hemiſtichio inſinuatur, *nolite conuerti ad idola*; etenim auaritia *eſt*, Ephes. 5. *idolorum ſeruitus*: & *nec Deos conflatiles facietis*; non dicit *ſculptile*, quia ex metallis eſt quod conflatur: æs autem, argentum, & aurum adorat auarus: poſſet autem quoque auaritia, & non ſolum libidineus affectus rapere ad conſanguinearum connubia; & maximè Patre mortuo, nulloque exiſtente fratre, tranſeunte hæreditate Patris ad filiam vt patet Num. 27. ideò cohærent etiam ex hoc ſequentia dictis. Vt ergo liber ſit homo ab occaſione idololatriæ duplicis, hæc præcipuè traduntur.

VERSVS V. *Si immolaueritis hoſtiam pacificorum Domino vt ſit placabilis, eo die quo fuerit immolata comedetis &c.*

Suprà c. 7. verſu 16. prædictum fuerat, *ſi voto vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam, eadem ſimiliter edetur die, ſed & ſi quid in craſtinum remanſerit, veſci licitum eſt: quicquid autem tertius inuenerit dies ignis abſumet*, cur ergo repetitur? hac pu-

to

to ipse ratione. Ibi morale affectus obsequentis Deo præcipuè attenditur; vnde transgredienti dicitur; nihil profuturam oblationem si inobediat, quod satis eo loco perpendi. Hic ad literam memorari videtur, vt contrà auaritiam, quæ non contenta cogitare de crastino, pro futuro etiam tempore in penum anxiè recludit, fiat apparatus; quo monerentur, Diuinæ prouidentiæ potius committi, nec vltra mensuram de dapibus, aut opibus esse soliciti, aut auaritiæ studere.

VERSUS IX. *Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges.*

Hoc & sequenti versu de reliquijs segetis in agro, & de racemis in vinea post collectas vuas præceptum traditur, vt videlicèt dimittantur pauperibus, & peregrinis. Intendebat lex homines assuefacere vt facilè sibi inuicem bona sua
D p. 2. 105. a. 1. ad 1. communicarent; D sicut & Apostolus 1. ad Timoth. 4. diuitibus mandat facilè tribuere & communicare: non autem facile communicatiuus est, qui non sustinet, quòd proximus aliquod modicum de suo accipiat, absque magno sui detrimento. Et ideò lex ordinauit Deuteronomij 23. *Ingressus vineam proximi tui, comede vuas, quantum tibi placuerit.* Id potest à fortiori in præsentiarum dici in auarum cor.

VERSUS XI. *Non facietis furtum, non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum.*

Psalmo 70. vbi habemus, *quoniam non cognoui literaturam*, habet alia litera *negotiationem*; vbi Augustinus, *negotiator auidus acquirendi, pro damno blasphemat, pro pretijs rerum mentitur &*
E u. 77. peierat, ita passim. E Periurium peruersum falsumque est iuramentum, peccatumque F mortale: ex hoc etiam capite, quia contrariatur huic
F 1.2.98. 1a1. præcepto diuino.

VERSUS XIII. *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarij* &c.

Dolo & fraude, quæ pertinent ad astutiam, per iniustitiam, aliquis alicui calumniam ingerit, vel eius bona surripit: vnde quia solet fraus exerceri & dolus, in emptione & venditione, secundùm illud Eccl. 26. *non iustificabitur caupo à peccatis labiorum*, propter hoc specialiter præceptum prohibitiuum datur in lege de fraude, circa emptiones, & venditiones commissas. Sed tamen in prohibitione calumniæ potest intelligi esse prohibita omnis fraus, vel dolus, commissa in ijs, quæ ad iniustitiam pertinent. Ita ex
G 2.2.56. a. 22. G

H p. 2. 105. a. 6. Quoad mercenarios opponitur sic à D. Thoma: H sicut aliquis mercenarius locat operas suas, ita etiam aliqui locant domum, vel quæcumque alia huiusmodi: sed non est necessarium, vt statim pretium locatæ domus conductor exhibeat, ergo nimis durum fuit quod præcipitur Leu. 19. *non morabitur opus mercenarij tui* &c. Respondet autem, quòd mercenarij qui locant operas suas, pauperes sunt de laboribus suis victum quærentes quotidianum; & ideò lex prouidè ordinauit, vt statim eis merces solueretur; ne victus eis deficeret: Sed illi qui locant alias res, diuites esse consueuerunt, nec ita indigent locationis pretio ad suum victum quotidianum; & ideò non est eadem ratio in vtroque. Quæ solutio ex sacra trahitur scriptura: nam Deuteronomij 24. additur, *quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam; ne clamet contrà te ad Dominum.* Ex loci huius authoritate probatur esse statim, quod est I alienum, restituendum; quia in ipsa mora reddendi I 2.2. 61. 8. Rom. 13. l. 2.
peccatum committitur, dum homo iniustè detinet rem alienam. Sed heu vt dolet Ecclesiasticus 13. *pascua diuitum sunt pauperes!* quasi in vno illorum agello, quem singuli per suas operas exercent, depascuntur. Hinc Iac. 5. *Ecce merces operariorum vestrorum, quæ fraudata est à vobis, clamat:* cohæret Deuter. *ne clamet contrà te ad Dominum: fraudata est à vobis* L *non reddendo, sed diminuendo, vel differendo;* glossa; *Magna iniquitas,* L Iacobi 5.
non tantùm pauperibus nil dare, sed etiam mercenarios defraudare. Clamat; in quo magnitudo peccati notatur.

VERSUS XIV. *Non maledices surdo; nec coram cæco pones offendiculum.*

Quomodo repentè Moyses hæc ordinatè interserat, arcanum est: cùm tamen certissimum sit, quæ à Deo sunt ordinata esse: sed Dei clementia affulgente, innotescet quàm altè loqueretur Propheta, quanie sapientia: adsit Dominus, vt congruè loquar, & audiar. Scandalum omne intendit è medio tollere, vt patet ea in voce *offendiculum.* D. Thomas ex Sancto Hieronymo hæc habet. M *Scandalum notat offendiculum vel ruinam,* M Rom. 14. l. 2 & Matt. 15.
quam impactionem pedis possumus dicere: vnde scandalum est factum vel dictum minùs rectum, præbens alicui occasionem ruinæ; ad similitudinem lapidis, ad quem in via positum homo impingit & cadit. Psal. 139. *iuxtà iter scandalum posuerunt mihi.* Isaiæ 57. *auferte offendiculum de via populi mei,* & Apost. loco citato, *ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* Subiungit autem ordinatissimè de offendiculo seu scandalo, quia cùm paulò ante dixisset de nō differenda mercenarij mercede; monendum erat de periculo, vt inde pauper in aliquod impingeret peccatum, vel impatientiæ vel detractionis, vel blasphemiæ, vel huiusmodi.

Inducitur autem defectus duplex auditus & cæcitatis; tùm quia scandalum aliquando est dictum, aliquando est factum minùs rectum, qualis est positio offendiculi; tùm vt innuat arcanum sublatere sensum; nam secundùm interiorem actum animæ, idem est auditus, & visus, N N 2. Cor. 12. l. 2.
super illud Corinth. 2. *audiui arcana verba.* Cuius vlterius fundamentum est, quia quandoque scandalizantur aliqui ex ignorantia & ex infirmitate, vt traditur 22. O ignorantia autem ad cæcos at- O 1.2.43. 7. & 8.
tinet: infirmitas passionum ad surdos, qui remurmurantem synderesim, & rationem quæ deprecatur semper ad optima, non audiunt. Vt ergo caueatur non solùm à dato scandalo, in dilatione mercedis, sed & ab accepto, occasionando pusillis malum, subiecit Moyses *surdis non maledices* &c. Offendiculum tamen loco citato ad Romanos, minus est quàm scandalum; nam offendiculum potest esse quicquid retinet seu retardat motum procedentis; scandalum autem idest impactio, videtur esse, cùm aliquis disponitur ad casum. De scandalo hanc authoritatem, *coram cæco non pones offendiculum* expressè interpretatur Angelicus P primæ ad Corinthios: & consimilem Deuteronomij 27. *maledictus qui errare* P 1. Cor. 8. l. 2.

facit

Q loc. citato l. 1. & ad Galat. c. 5. l. 2. R Ps. 14. *facit cæcum in itinere* ad Galatas Q & loco nuper citato. Alibi sic Angelicus R *non maledices surdo* idest absenti: videturque Chaldæa probare: *non maledicas ei qui non audit*. Prohibet ergò nec cœcum, siue res suas ignorantem, fraudulenter expoliare: neue falsis prætextibus vsurpent absentium bona. Quod vt arguat, miserabile surdi & cœci obiectat exemplum. De maledictione sequenti c. 20.

VERSVS XV. *Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis. Non consideres personam pauperis.*

Quoniam plerumque in iudicio negligitur, nisi despiciatur causa pauperis, à quo nec muneris quid expectatur, nec vltionis ob iniustitiam quid pauetur, commonet iudices ne potentis blanditùt studio, cupientes cum pauperis damno, atque iustitiæ violenta extorsione, illi obsequi: *non honores* inquit *vultum potentis*, à quo possis fauores, patrocinium, aurum tibi polliceri iniusto ex iudicio. Dixit Apostolus Roman. 13. *cui honorem honorem*: quare dum hic ait Moyses, *non honores vultum potentis*, in quo scilicet potentiam intuearis, intelligendum est: ita D. Thomas; S quantùm ad hoc vt pro eo à iustitia non declines, quemadmodum, subditur: *iustè iudica proximo tuo*. Quàm bellè! non consideres personam pauperis, tanquam pauperis: neque alterius vultum tanquam potentis: sed vtrumque tanquam proximum tuum: vterque proximus æquè tibi: non poteris consideratione hac, ad alterum magis accedere, recedendo à iustitia, quæ sicut virtutes aliæ, in medio est.

S Rom. 14.

VERSVS XVI. *Non eris criminator nec susurro in populo.*

Criminator est qui publicè crimina alijs imponit, vel accusando, vel conuitiando. Susurro qui occultè, qui occulta mala dicit ad commouendos amicorum animos, & separandos. T

T 2. 2. 74. 1.

Nectuntur hæc antea dictis vt patet: transitque in consequentibus ad proximi dilectionem, quia *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet* Matthæi 22. propterea subdit; *non stabis contrà sanguinem proximi tui*. 70 legunt; *non conspirabis contrà crimen*. Contrà delictum zelo iustitiæ stare licet: igitur qui contra sanguinem stat, stat contrà innocentem, quem criminatur hostili rabie, ferarum instar, quæ sanguine gaudent. Additur autem quinto præcepto decalogi de prohibitione homicidij prohibitio odij, & cuiuslibet violationis, cum dicitur, *non stabis contrà sanguinem proximi* tui; & octauo eiusdem decalogi de prohibitione falsi testimonij prohibitio detractionis; *non eris criminator* &c. vt obseruat S. Doctor 1. 2. q. 100. a. 11.

VERSVS XVII. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

Inter ea quæ quis aliquando alteri debet, debito vno nunquàm potest absolui. Apostolus Rom. 13. *nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem diligatis; qui enim diligit proximum legem impleuit*. In dilectione autem proximi includitur dilectio Dei, sicut causa includitur in effectu. V Omnia quippe præcepta legis, præcipue X ordinata sunt ad proximum; & ad hunc finem, vt homines se inuicem diligant. Animaduertit autem Sanctus Doctor, A vniuersaliter à Deo data etiam fuisse præcepta negatiua, contra vitia

V Rom. 13. l. 2. X p. 2. 105. 2. 1. A 2. 1. 44. 1.

charitati opposita, inter quæ est hoc, *non oderis*, quamuis in affirmatiuis virtute contineantur præcepta negatiua, cum plus sit operari bonum, quàm vitare malum. Congruè autem præponuntur negatiua, quia præcepta negatiua sunt magis vniuersalia, & B quantùm ad tempora, & quantum ad personas: quantùm ad tempora quidem, quia præcepta negatiua obligant semper & ad semper. Quantum ad personas autem, quia nulli hominum est nocendum: non autem sufficientes sumus, vt vnus homo possit omnibus hominibus seruire. Et deinde quia magis manifestum est, quòd per dilectionem proximi impleantur præcepta negatiua, quàm affirmatiua: qui enim diligit aliquem, magis abstinet à nocumento illius, quàm ei beneficia impendat, à quo quandoque homo impeditur per impotentiam. Sequitur in litera; *sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum*. Septuaginta habent; *correptione corripies proximum tuum, & non accipies propter eum peccatum*. Chaldæa, *arguens argues proximum tuum*: potiùs ergo si causam dederit odij, dolendum erat eis exteriùs, & correptione aliqua exteriùs illi occurrendum: non autem odio animi marcescendum. Verùm dum hic dicitur, *non oderis fratrem tuum*: statimque suprà *proximus* memoratur, moxque *amicus*, non refert ait D. Thomas; C quia per omnia hæc eadem affinitas designatur, propter hoc enim ex charitate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi, & secundùm naturalem Dei imaginem, & secundùm capacitatem gloriæ. Sic ait etiam glossa, D *proximum, non tantum propinquitate sanguinis sed societate rationis*. Quamuis ly *proximum* referre possimus, cum dicit Dominus & Apostolus *diliges proximum tuum*, non solùm ad omnem hominem, sed etiam E ad Angelos, vt D. Augustinus probat in 1. de doctrina Christiana c. 30. nomine enim proximi intelligitur, quicumque facit alicui misericordiam, Lucæ 10. Sancti autem Angeli nobis misericordiam impendunt, & nos omnibus hominibus misericordiam debemus impendere.

B Roman. 13. l. 2.

C 2. 2. 44. 7.

D de virtutib. q. 2. 7. conc.

E Rom 13. l. 1.

VERSVS XVIII. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ.*

Videns Iudæos Moyses temerarios in iniurijs, & vindictis faciendis, cum non posset aliter eos retrahere, pœnam vindictæ voluit temperare, ne suprà modum illatas iniurias vindicarent, sed ad plura, pro pari parem redderent talionem: vnde Augustinus; *Lex modum vltionis constituit*. (Exodi 21. & Deut. 19.) Talionis ergo pęna iudici erat in præcepto; & hoc vt fieret zelo iustitiæ, ad malorum cohibitionem, & non ex vindicta: quoniam autem erat permissa iniuriato secundùm paritatem, putabant Iudæi, se posse quoque vlcisci, ideò inhibetur in præsenti. Hæc ex D. Thoma F in Matthæum ibi, *audistis quia dictum est*. Itaque velle vindictam dupliciter est, aut ex libidine vindictæ siue malitiæ, & hoc est illicitum. Eccl. 28. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet* G *vindictam, & peccata illius seruans seruabit*: aut ex zelo iustitiæ, & sic est licitum. Rom. 12. *mihi vindictam*. *Deus cum punit non delectatur de pęna inimici* glossa, *sed de iudicio*. Apocal. Comm. 2.

F Matth. 5.

G Apoc. 6.

Diliges amicum tuum.

Quamuis dicatur lex antiqua lex timoris;

sicut

ficut è contra noua lex, lex amoris, vt alibi vi-
H p. 2. 107.1.2. fum eft explicatque optimè D. Thomas; [H] ac
proinde cohibuiffe manum non animum, in
quantum timore pęnæ á peccato abftinebant:
tamen dedit eis & præcepta dilection is, etiam
in corde; vt hic patet. Data antem fuit lex fcri-
I de vir-tut.b.q.2.7.10. pta [I] in auxilium legis naturæ, quæ per pecca-
tum erat obtenebrata circa dilectionem Dei, &
proximi. Et tamen adhuc erant obtenebrati,
L 1.10.1.1.2.& de virtutib.q.2.1 ad 5. quia [L] ex quo præcipiebatur dilectio proximi,
concludebant quòd inimici effent odiendi: vndè
quod dicitur, *odio habebis inimicum tuum*, non
eft ex lege fumptum, quia nufquam hoc in lite-
ra inuenitur. Erat ergo dictum ex traditione
fcribarum, quibus vifum fuit hoc effe adden-
dum, quia Dominus præcepit filijs Ifrael perfe-
qui inimicos fuos (hoc habetur infrà capit. 26.
perfequimini inimicos veftros, & corruent coram vo-
M Matth. 5. *bis*; de quo fuo loco,) & in Matthæum: illud [M]
nunquàm inuenitur in lege, fed additum eft ex
parte Iudæorum; putabant enim hoc fortè ad-
dendum, ex multis quæ in lege dicta funt; nam
Deus præcepit vt delerent Amalecitas, & Exo-
di 23. dicitur, *inimicus ero inimicis tuis*. Stet
N Mach. 16.7. ergo quod & repetit alibi [N] præceptum de
dilectione inimicorum etiam eos obligaffe.

2 *Sicut te ipfum.* Quod non eft intelligendum,
quantùm ad hoc quòd aliquis proximum fibi æ-
O 22.44. 5. qualiter diligat, [O] fed fimiliter; primò quidem
ex parte finis, vt fcilicet aliquis diligat proxi-
mum propter Deum, ficut fe ipfum, propter
Deum debet diligere; vt fic fit dilectio proximi
fancta. Secundò, ex parte regulæ dilectionis,
vt fcilicet aliquis non condefcendat proximo in
aliquo malo, fed folùm in bonis, vt fic fit dile-
ctio proximi iufta. Tertio ex parte rationis di-
lectionis; vt fcilicet non diligat aliquis proxi-
mum, propter propriam vtilitatem, vel dele-
ctationem; nam cum quis diligit proximum,
propter propriam vtilitatem, vel delectationem,
non vere diligit proximum, fed fe ipfum. De-
bet ergo velle proximo bonum, ficut vult bo-
num fibi ipfi, vt dilectio fit vera. Hoc modo,
P Rom. 13.12. fubiungit D. Thomas, [P] non amamus res irra-
tionales, puta vinum, vel aquam, quia has di-
ligimus, vt eis vtamur. Et explicat magis hunc
fecundum dilectionis modum, vt aliquis necef-
fitati proximi fubueniat, ficut fibi; & repetit
quod nihil illicitum propter amorem proximi
committat; ficut nec propter fuum amorem.
Probat autem non æqualiter diligendum effe
proximum, quia id effet contra ordinem cha-i-
tatis, qua quilibet plùs tenetur fuam, quàm alio-
rum falutem curare. Denique ait Philofophus
9. Ethic. 8. *amicabilia, quæ funt ad alterum vene-*
runt ex amicabilibus, quæ funt ad fe ipfum: & ideò
explicuit Chriftus Matthæi 7. regulam dilectio-
nis proximi dicens, *Omnia quæcumque vultis, vt*
faciant vobis homines, & vos facite illis: quæ tamen
implicitè continetur in hoc quod dicitur; *diliges*
proximum tuum ficut te ipfum. prima 2. q. 99. 1. 3.
Q 2.2.77.42. Sed heu quandoque amor fui eft inordinatus [Q]
perducitque ad contemptum Dei! & heu iterum,
quia tanquam filij Adam trahimur, vt ille à mu-
liere in peccatum, amicabili quadam beneuo-
R 2.2.61.4. lentia, [R] qua plerumque fit, vt offendatur Deus,
ne homo ex amico fiat inimicus: Quod eum fa-
cere non debuiffe diuinæ fententiæ iuftus exitus

indicauit, vt Auguftinus dicit l. 11. fuper Gene-
fin ad literam. Tunc illud tu recole, cum eodem
fancto Antiftite, fi malè amaueris, tunc odifti;
fi bene oderis tunc amafti. *Qui amat animam fuam*
perdet eam.

VERSVS XIX. *Iumentum tuum non fa-*
cies coire cum alterius generis animantibus.

Contendit ablegari omnes Idololatrię occa- 3
fiones: & quafi fatis de proximo dixerit: de fe
Deus loquitur; *leges meas, cuftodite*. Quod expli-
cans D. Thomas ait; Circa commiftionem verò
[S] animalium diuerfæ fpeciei, ratio literalis po- S p. 2. 102.6.8.
teft effe triplex. Vna quidem ad deteftationem
idololatriæ Ægyptiorum, qui diuerfis commi-
ftionibus vtebantur in feruitium planetarum,
qui fecundùm diuerfas coniunctiones habent di
uerfos effectus, vt fuper diuerfas fpecies rerum.
Alia eft ratio, ad excludendum concubitus con-
trà naturam. Tertia ratio eft ad tollendam vni-
uerfaliter occafionem concupifcentiæ: animalia
enim diuerfarum fpecierum non commifcentur
de facili ad inuicem, nifi hoc per hominem pro
curetur; & in afpectu coitus animalium, excita-
tur homini concupifcentiæ motus: vnde & in
traditionibus Iudæorum præceptum inuenitur
(vt Rabbi Moyfes dicit) vt homines auertant
oculos ab animalibus coeuntibus. Figuralis au-
tem ratio erat, ne iumenta ideft populares ho
mines, faciamus coire, ideft coniunctionem ha-
bere, cum alterius generis animantibus, ideft
cum gentilibus, vel Iudæis.

Agrum tuum non feres diuerfo femine.

Etiam Deuteronomij 22. habetur, *non feres*
vineam tuam altero femine. Omnes huiufmodi
commiftiones in agricultura funt [T] prohibitæ T loc. cit. ad 9.
ad literam in deteftationem Idololatriæ; quia
Aegyptij in venerationem ftellarum, diuerfas
commiftiones faciebant in feminibus, & in ani-
malibus, & in veftibus, repræfentantes diuerfas
coniunctiones ftellarum. Vel omnes huiufmodi
commiftiones variæ prohibebantur ad deteftа-
tionem coitus contra naturam. Habent tamen
figuralem rationem; quia quod dicitur, *non feres*
vineam tuam altero femine, eft fpiritualiter intelli-
gendum, quòd in Ecclefia quæ eft fpiritualis vi-
nea, non eft feminanda aliena doctrina: Et fimi-
liter ager, ideft Ecclefia, non eft feminandus di-
uerfo femine, ideft catholica doctrina, & hæ-
retica.

Adftipulatur præfatæ interpretationi ne
contrà naturam &c. ly *altero femine*: nàm Iudas
in fua Canonica de indignis Pentapolis habita-
toribus inquit, *abeuntes poft carnem alteram*: vbi
D. Thomas, ideft fequentes concupifcentiam,
[V] in carnem mafculorum; quæ eft altera, & in- V Iudæ.
debita concubitui; caro enim viri cum carne mu-
lieris vna eft. Genefis 2. *erunt duo in carne vna*;
fed caro mafculi eft aliena, & diuerfa ab illo ope
re. Ex concurfu caufarum agentium & paffiua-
rum fit vnum per fe, (tù fic explica) ficut ma-
teriæ & formæ: agentia duo ad inuicem vnum
non conflant, omne agens enim agit in paffum.
Et idem de femine: pro vno exiftimandum quod
eft ex muliere & viro: pro altero, & incompati-
bili, mafculi & mafculi.

Vefte quæ ex duobus texta eft, non indueris.

Simile habetur, Deuteronomij 22. *Non in-*
dueris veftimento quod ex lana linoque contextum
eft.

X p. 2. 101.1.1. *est*. Quocirca S. Doctor [X] inquit, ad cultum Dei pertinent, non solùm sacrificia, & alia huiusmodi, quæ immediatè ad Deum ordinari videntur, sed etiam debita præparatio colentium Deum ad cultum ipsius: Sicut etiam in alijs: quæ sunt præparatoria ad finem, cadunt sub scientia, quæ est de fine. Sic sunt præcepta quæ dantur in lege de vestibus, & alijs huiusmodi; nàm pertinent ad quandam præparationem ipsorum ministrantium, vt sint idonei ad cultum Dei. Et iterum in sequentibus; [A] quoniam vt dicitur Eccl. 19. *Amictus corporis enunciat de homine*: & ideò voluit Dominus, vt populus eius distingueretur ab alijs populis, non solùm signo circumcisionis, quod erat in carne, sed etiam certa habitus distinctione: Et ideò prohibitum fuit eis ne induerentur vestimento *ex lana & lino*, contexto, primò quidem ad vitandum idololatriæ cultum; huiusmodi enim varijs vestibus, ex diuersis, contextis, Gentiles in cultu suorum Deorum vtebantur. Alia ratio est ad declinandam luxuriã; nàm per commistiones varias in vestimentis, (subaudi prohibitas) omnis inordinata commistio coitus excluditur; quamuis in sua natura nihil obstaret, ne conficeretur vestis *ex lana & lino*. p. 2. q. 102. 1. ad 1.

A p. 2. 102.6.6.

VERSVS XX. *Homo, si dormierit cùm muliere*, &c.

De venditis in ancillas Exodi 21. Si contingat cumhac lapsus carnis, etiamsi fuerit *nubilis*, quod, non ad ætatem, sed ad contractum referendum est: vnde septuaginta habent; *& ipsa fuerit serua seruata homini*: Chaldæa autem, *& ipsa est ancilla desponsata viro*: mitiùs erat cum ijs agendum. Quamuis enim, esset alteri promissa in vxorem: ex quo videbatur cum Domino adultero morte punienda, vt decernitur sequenti capite, versu 10. tamen subditur causa clementiæ, quia nimirùm *non fuit libera*. Erant ergo flagellandi ambo. In minoribus culpis recolit D. Thomas [B] inducit lex pœnam flagellationis, vel ignominiæ. Certè Deuteronomij 25. legitur; *Sin autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis: prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit, & plagarum modus*. Deuteronomij autem 22. *Qui desponsatam liberam violasset, lapidibus obruebatur*.

B p. 2. 105.2. 10.

Et si dicas quorsum hic de huiusmodi delicto? Respondeo; opportunè; nam per hoc satis innuitur congruitas expositionum præcedentium, quas attuli ex D. Thoma de peccatis carnalibus. Et prætereà, quia pro vitandis occasionibus peccatorum præsens est caput: voluit Moyses lapsum ex occasione, non tanti puniendum, in medium proferre. Occasiones ergò docemur omnes cauere, tùm nobis, tùm alijs, quales sunt in serendo, vt supra, agro, in vestimentis, & animalium coitu, Gentium in morem.

VERSVS XXIII. *Quando ingressi fueritis terram*.

4 Prænenit legiferis monitis, vt sensim insideat in animo eorum obseruantia, cùm tandem ingressi fuerint terram promissam. Quæ sequuntur sic illustrat Angelicus. [C] Gentiles fructus primitiuos, quos fortunatos æstimabant, dijs suis offerebant, vel etiam comburebant eos, ad quædam magica facienda; & ideò præceptũ est eis, vt fructus trium primorum annorum immundos reputarent. In tribus enim annis, ferè omnes arbores terræ illius, fructum producunt: quæ scilicet, vel seminando, vel inserendo, vel plantando coluntur. Raro autem contingit, quòd ossa fructuum arboris, vel semina latentia seminentur: hæc enim tardiùs facerent fructum: sed lex respexit ad id quod frequentiùs fit. Poma autem quarti anni tanquàm primitiæ mundorum fructuum Deo offerebantur. Quinto autem anno, & deinceps comedebantur. Figuralis autem ratio est; quia per hoc præfigurabatur, quòd post tres status legis, quorum vnus est ab Abraham vsque ad Dauid: secundus vsque ad transmigrationem Babylonis: tertius vsque ad Christum, erat Christus Deo offerendus, qui est fructus legis. Vel quia primordia nostrorum operum debent esse nobis suspecta propter imperfectionem.

C p. 2. 102.6. ad 4.

VERSVS XXVI. *Non comedetis cum sanguine*.

Vt dixi suprà, [D] Gentiles in ritu suorum sacrificiorum vtebantur quandoque humano sanguine. Erat etiam eorum consuetudo, [E] vt circa sanguinem congregatum adunarentur ad comedendum in honorem idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse. Chaldæa habet *non comedetis super sanguine*. Et 70. *non comedetis in montibus*, vt erat illorum mos.

D p. 2. 102.5.4.
E p. 2. 102.6.1.

Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.

Cùm aliquis conatur futura prænoscere, per motus vel voces auium, [F] seu quorumcumque animalium, vel membrorum saltus, hoc pertinet generaliter ad augurium, quod dicitur à garritu auium, sicut auspicium ab inspectione auiũ: quorum primum pertinet ad aures, secundum ad oculos; in auibus enim, huiusmodi præcipuè considerari solent: has autem species diuinationis illicitas esse omninò ostendit locis citatis S. Doctor: ne ergò inficiantur hisce superstitionibus admonet: de quo iterum Deuteronomij 18. Isaiæ 43. *annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos*, & Ecclesiast. 8. *multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio*.

F 2.2. 95. 3. & a. 6. & 7. & Daniel. 2.

VERSVS XXVII. *Neque in rotundum attondebitis comam* &c. *nec radebitis barbam*.

Præcipitur, vt non radant caput nec barbam; & versu sequenti, ne in carnibus [G] suis faciant incisuras, ad remonendum & hunc idololatriæ ritum; nam sacerdotes Gentilium radebant caput & barbam, (subdit Tirinus, idolis tonsos capillos consecrabant:) vnde dicitur Baruch 6. *Sacerdotes sedent habentes tunicas scissas, & capita & barbam rasam*. Sic in 4. sentent. comminatur Dominus Ieremiæ 49. *dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi comam*; qui hoc ad cultum dæmonum faciebant. Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis exortus videtur; sicut ad Ezechielem dicitur, *sume gladium acutum, & duc super caput tuum & barbam*. Cur hoc & in coronam, videatur apud Magistrum: de quo, & infrà cap. 21. 1. & Numeri 6. 2. Et etiam in cultu idolorum, *incidebant se cultris, & lanceolis*, vt dicitur 3. Regum 18. Vnde contraria, præcepta sunt Sacerdotibus veteris legis. Hanc 3. Regum authoritatem refert suprà, [H] *quòd incidebant se iuxtà ritum suum, cultris & lanceolis; donec perfunderentur sanguine*: propter quod Dominus mandauit Deu-

5
G p. 2. 102.6.11. 4. dist. 24. 3.2.1.
H p. 2. 102.5.1.

tero-

teronomij 14. *non vos incidetis* &c. Spiritualem horum rationem assignat loco priori; quia Sacerdotes non debent radere caput, ideſt deponere ſapientiam, neque deponere barbam, ideſt ſapientiæ perfectionem; neque etiam ſcindere veſtimenta aut incidere carnes; vt ſcilicet vitium ſchiſmatis non incurrant. Ad caput 3. Apocalypſis in 1. Comm. ad illa verba, *& veſtimentis* l Apoc. 3.
albis [l] *induaris*; pro ſimulatione veritati contraria, accipitur carnium inciſio, ſciſſioque veſtimentorum.

VERSVS XXIX. *Ne proſtituas filiam tuam*, &c.

6 Hoc interſerit potiſſimùm duplici de cauſa hic: non autem ſuprà in capite præcedenti, vbi fusè de illicito concubitu; primò, vt fornicationem quandam eſſe oſtendat declinare ad magos, & ariolos, quod mox prohibet: & patet ſequenti capite v. 6. *Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis* &c. Deinde, quoniam apud gentiles fornicatio ſimplex reputabatur non eſſe peccatum (quod & retuli Exodi 20. ad verſ. 14.) quemadmodum denuò refert S. D. ſuper illa verba; *omninò auditur inter vos fornicatio & talis fornicatio, qualis* [L] *nec inter gentes*: vnde Apoſtoli Act. 15. ad hunc errorem excludendum, gentilibus ad fidem conuerſis, impoſuerant, quod abſtinerent ſe *à fornicatione*: propterea ſubditur, *ne contaminetur terra, & impleatur piaculo*. Septuaginta legunt; *& non fornicabitur terra*: Chaldæa quoque, præmittens, *non profanabis filiam tuam, vt facias eam fornicari*: tantiſper enim laxatis concupiſcentiæ huiuſmodi habenis, impletur ſcelere terra. Et ideò, quoniam ex hiſce carnis voluptatibus, deijcitur ad ima ratio; nec mens, prout monent ſabbata, poteſt in Deum eleuari, adiecit, *ſabbata mea cuſtodite; & ſanctuarium meum metuite*. Huc autem facere videtur 1. Corint. 3. *neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis: ſi quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Violatur autem Templum Dei, etiam per falſam Doctrinam, vt ibi ait [M] D. Thomas. Et iterum c. 6. *Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat; an neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt*; de quo item [N] Sanctus Doctor.

L 1. Cor. 5.1.
M 1. Cor. 3.6.
N c. 6. l. 3.

VERSVS XXXI. *Non declinetis ad magos neque ab ariolis aliquid ſciſcitemini*.

Vltra literam: per ariolos ſignificantur Sacerdotes Simoniaci; per [O] magos autem deſignantur vani Philoſophi.

O Daniel. 2. ad item.

VERSVS XXXII. *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis*.

7 Chaldæa *coram eo qui doctus eſt in lege conſurge*. Meminerat de magis, ne ad illos declinaretur; ac ſi diceret; ij verè ſapientes non ſunt, imò polluunt veram omnem ſapientiam: non ergo eis exhibendus honor, ſed *capiti cano*. Canum certè caput fuit Danielis etiamſi iunior. Verùm quia vt dicitur Iob. 12. *in antiquis eſt ſapientia*, ſequitur; *& honora perſonam ſenis*. Quocirca S. Doctor, [P] ſenes ſunt honorandi propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus, licèt hoc ſignum quandoque deficiat: vnde vt dicitur Sapientiæ 5. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata*. Et tù adde, ex Numeri 11. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tù noſti quòd ſenes populi ſint, ac magiſtri* &c. additur autem præceptum hoc de honoratione ſenum, & vniuerſaliter omnia præcepta inducentia ad reuerentiam exhibendam maioribus, vel ad beneficia exhibenda vel æqualibus, vel minoribus, additur inquam quarto præcepto de honoratione parentum: p. 2. 100. a. 11.

P 2.2. 63. 3.
5

VERSVS XXXIII. *Si habitauerit aduena* &c.

Hoc iudiciale præceptum, ſuprà in Exodo traditum ſeruandum eſſe monet, etiam poſtquam ingreſſi fuerint terram; fundatque illud in naturæ præcepto; *diliges proximum tuum ſicut te ipſum: fuiſtis enim & vos aduenæ in terra Aegypti*.

VERSVS XXXV. *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio in regula, in pondere, in menſura. Statera iuſta* &c.

Septuaginta, vbi nos *regulam*, *ſtateram* habent. In mulieribus ergò non ſolùm; non ſolum in honore; ſed & in rebus ſuis, proximus præcipitur diligendus. S. Doct. in opuſculo [Q] aſtruit ad bonum regimen Regni, cuiuſcumque Dominij & Politiæ neceſſaria eſſe pondera, & menſuras. Hinc eſt inquit, quòd primus Dux Iſraelitici populi, videlicet Moyſes, vt deſcribit Iſidorus, tradendo leges diuinas, quæ primæ fuerunt, ſimul cum illis pondera & menſuras conſtituit, ſiue pro cibis & potibus, vt ephi & gomor, & modius & ſextarius: ſiue in terris, & pannis, quæ cubitales habent menſuras: ſiue in auro, & argento, & numiſmatibus: quæ ſunt ſtatera, & alia pondera. Vnde cum dictus Moyſes in Leuitico adhortaretur populum, ad iuſtitiam faciendam, ſtatim ſubiungit regulas naturalis iuſtitiæ, vt Origenes ibidem expoſuit; *non facietis iniquum aliquid in pondere* &c.

Q op. 20. l. 2. c. 14.

CAPVT XX.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens. 2 Hæc loqueris filijs Iſrael: Homo
de filijs Iſrael, & de aduenis, qui habitant in Iſrael, ſi quis dederit de ſemine ſuo Supr. 18.
idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum. 3 Et ego ponam c. 21.
faciem meam contra illum: ſuccidamque eum de medio populi ſui, eo quòd dederit de ſemine
ſuo Moloch, & contaminauerit Sanctuarium meum, ac polluerit nomen ſanctum
meum. 4 Quod ſi negligens populus terræ, & quaſi paruipendens imperium meum, dimiſerit
hominem qui dedit de ſemine ſuo Moloch, nèc voluerit eum occidere: 5 ponam faciem
meam ſuper hominem illum, & ſuper cognationem eius, ſuccidamque & ipſum, &
omnes, qui conſenſerunt ei, vt fornicaretur cum Moloch, de medio populi ſui. 6 Anima,

quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam
1.Petr. 1. c. 15. contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. 7 Sanctificamini, & estote sancti,
quia ego sum Dominus Deus vester. 8 Costodite præcepta mea, & facite ea: Ego Domi-
Exod. 21. c. 16. nus, qui sanctifico vos. 9 Qui maledixerir patri suo, aut matri, morte moriatur: patri,
matrique maledixit, sanguis eius sit super eum. 10 Si mæchatus quis fuerit cum vxore alte-
Matt. 15. a. 4. rius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriantur, & mechus, &
Marc. 7. b. 10. adultera. 11 Qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerir ignominiam patris sui, morte
Ioan. 8. a. 5. moriantur ambo: sanguis eorum sit super eos. 12 Si quis dormierit cum nuru sua, vterque
moriatur, quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos. 13 Qui dormierit cum ma-
Deut. 22. d. 22. sculo coitu femineo, vterque operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super
eos. 14 Qui supra vxorem filiam, duxerit matrem eius, scelus operatus est: viuus ardebit
cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. 15 Qui cum iumento, & pecore
Supr. 18 d. 23. coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. 16 Mulier, quæ succubuerit cuilibet iu-
mento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos. 17 Qui acceperit sororem
suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem eius, illaque conspexe-
rit fratris ignominiam: nefariam rem operati sunt: occidentur in conspectu populi sui, eo
quod turpitudinem suam mutuo reuelauerinr, & portabunt iniquitatem suam. 18 Qui co-
ierir cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipsaque aperuerit fon-
tem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. 19 Turpitudinem materteræ,
& amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudauir, portabunt
ambo iniquitatem suam. 20 Qui coierit cum vxore patrui, vel auunculi sui, & reuelauerit
ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum: absque liberis morientur.
21 Qui duxerir vxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui reuelauit:
absque liberis erunr. 22 Custodite leges meas, arque iudicia, & facite ea: ne & vos euo-
mat rerra, quam intraturi estis, & habitaturi. 23 Nolite ambulare in legitimis nationum,
quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas. 24
Vobis autem loquor: Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditarem, terram
fluentem lacte, & melle: ego Dominus Deus vester, quæ separaui vos à ceteris populis. 25
Separate ergo & vos iumentum mundum ab immundo, & auem mundam ab immunda:
ne polluatis animas vestras in pecore, & auibus, & cunctis quæ mouentur in terra, & quæ
1. Pet. 1. c. 15. vobis ostendi esse polluta. 26 Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & sepa-
Deut. 10. raui vos à cæteris populis, vt essetis mei. 27 Vir, siue mulier, in quibus pythonicus vel di-
1. Reg. 28 b. 7. uinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos, sanguis eorum sir super
illos.

IN hoc capite delictis præfigitur pœna: & quidem, nonnisi Deo ita sanciente: quod patet dùm nonnulla propheticum indicant spiritum, vt cum versu 20. & 21. prædicitur de quibusdam, *absque liberis morientur; & absque liberis erunt*. Sicuti & in cap. 5. Numeri, pollicetur Deus prolem mulieri impollutæ adulterio: *erit*, inquit, *innoxia & faciet liberos*. Potiùs autem de pœnis quàm de præmijs fit mentio; quia homines (imperfecti præsertim, dicito) magis [A] terrentur a pœna, quàm desiderent præmium, *oderunt peccare mali, formidine pœnæ. Oderunt peccare boni, virtutis amore*. Pœna autem mortis infligitur in lege veteri grauioribus criminibus; scilicet in iis [B] quæ contrà Deum patrantur; in homicidio, in furto hominum; in irreuerentia ad parentes, in adulterio, & in incestibus.

A Matth. 15. in principio.

B p. 2. 105. a. 10.

VERSVS IX. *Qui maledixerit Patri suo aut Matri &c.*

Maledictio est, per quam pronunciatur malum contrà aliquem vel imperando [C] vel optando. Velle autem; vel imperio mouere ad malum alterius, secundùm se repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius; & ita secundùm suum genus, est peccatum mortale: & tantò grauius, quantò personam cui maledicimus, magis amare, & reuereri tenemur: vnde Leuitici 20. *qui maledixerit Patri suo & Matri morte moriatur*. Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel propter paruitatem mali, quod quis, alteri maledicendo imprecatur; vel etiam propter affectum eius qui profert maledictionis verba, dùm ex leui motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua, talia verba profert: quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.

C 2. 2. 76. 3.

Memoratur hoc mandatum Matthæi 15. *nàm Deus dixit, honora Patrem, & Matrem: & qui maledixerit Patri vel Matri morte moriatur*. Et Prouerb. 2. *qui maledicit Patri suo, & Matri, extinguetur lucerna eius, in medijs tenebris*. Quare sicut in benedictione non solùm intelligitur, quod ore benedicas, sed etiam quòd benedictionem impendas, vt loco citato in Matthæum docet D. Thomas; sic, & de maledictione è contrà, non solùm maledicit quis verbis, sed & factis; parentibus necessaria non ministrando. Tantò est autem [D] grauius peccatum, quantò maiorem dilectionem eis debemus. Habes Ecclesiastici 3. formam quam debeas imitari; *qui timet Dominum honorat parentes; & quasi Dominis seruiet his, qui se genuerunt*. Et fortè solùm sub verbo maledictionis voluit Spiritus Sanctus absterrere filios à parentum iniuriosa inhonoratione: non autem dixit, qui percusserit, vel occiderit, quia

D 2. 2. 76. 6.

hæc

hæc tam enormia tam impia facinora sunt, vt ne quidem in mentem cadere deceat eorum perpetratio. Quemadmodum & Solon interrogatus cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem occidisset, Respondit se id neminem facturum putasse, quod fert Tullius Oratione pro Roscio Amer.

Hac etiam de causa fortassè, de nulla pœna fit mentio contrà commistionem parentum; quia de se cum sit summum nefas, tantum horrorem importat, vt non fuerit necesse pœnarum comminatione terrere. Quamuis dici possit, sub mortis pœna, quæ illis qui maledicunt Parentibus, infligenda est, & hoc scelus prohiberi. Quod si apud barbaras nationes aliquas, secus accidit, id est ex feruore & ardore concupiscentiæ, naturalem [E] rationem obfuscantis. E 4.40.1. 3.1. & ad Annib.

VERSUS X. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore.*

Capite decimo octauo, ordine alio proceditur propter rationem graduum vt dictum est; Nunc de mœcho & adultero in primis agitur, quoniam, vltrà carnis delictum, bonumque prolis, quod deberet, intendi neglectum, deformitas est iniustitiæ, dum acceditur ad alterius vxorem. Qui sic deliquisset lapidibus obruebatur; Quod colligitur à fortiori ex Deuteronomij 22. vbi præcipitur lapidari illum, qui promissam violasset; multò ergo magis, si esset iam vxor: vnde Ioannis 8. de illa dixerunt; *hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, Moyses autem mandauit nobis, huiusmodi lapidare.* Imò ex D. Thoma, [F] iudicio adulterarum lapidabatur secundùm legem, non solùm illa, quæ iam erat desponsata, sed etiam illa quæ in domo Patris custodiebatur vt virgo, quandoque nuptura: vnde dicitur Deuteronomij 22. *si non est in puella inuenta virginitas, lapidibus obruent eam, viri ciuitatis illius, & morietur; quia fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo Patris sui.*

F 3.p.29. 14.

VERSUS XI. *Qui dormierit cum nouerca sua.*

In eum qui sic transgreditur legem, additur in hoc & sequentibus; *sanguis eorum sit super eos*; sicut & suprà aduersùm eum qui Patri vel Matri maledixisset. Videtur autem imprecatio iustè prolata, ad certitudinem firmandam diuinæ vltionis, tanquam executionis decreto ineuitabilis: quod quidem innuitur in Chaldæa sub his verbis; *rei sunt mortis*: talis enim phrasis dicendi, videtur finalis, iudicij prolatio: ad quam certa sequitur pœnæ inflictio. Hinc dixerunt in sui damnationem Iudæi de Christo, *sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Tostatus exponit: *super eos sit*; idest puniantur illi, ne cæteri propter illos. Certè, quandoque communicamus aliorum peccatis. *Ab alienis parce seruo tuo.* In adulterio non ita legis: possunt enim hi, Deo indulgente aliquando euadere. Vnde Numeri 5. cùm compertum non esset crimen, fiebat Zelotypiæ sacrificium, ad explorandum: nec tamen rea moriebatur, sed femur computrescebat illius. Ecquis scit ad inuenndam futuram aliquando pœnæ indulgentiam, per mansuetudinem Saluatoris: quando deprehensam plenipotens absoluit dicens, *nec ego te condemnabo.* Linea in rectâ, scelera sunt execranda; quia nouerca est caro vna cum Patre; nurus cum filio; & pariter coitus cum masculo, naturæ infensus.

VERSUS XIV. *Qui suprà vxorem filiam, duxerit matrem eius.*

Grauissima mors ijs præfigitur, tanquam agentibus & consentientibus; non enim lapsus lubricæ est carnis, sed ingentis malitiæ scelus, bigamia inuerecunda; post filiam, siue vnà simul cum filia, ducere & Matrem: argumento est præextare in intellectu errorem, quo diuina lex contemnatur, propterea præcipit; *viuus ardebit cum eis*: & vt executioni omninò mandetur, subditur; *nec permanebit tantum nefas in medio vestri.*

VERSUS XV. *Qui cum iumento & pecore coierit.*

Quorsum hæc Interponantur rogabis, cum posteà de illicito ad mulieres accessu adhuc dicendum sit? 2

Respondeo: delicta superius recensita sunt adeò grauia, vt animalium commistio ea vituperet; siquidem, vt suprà dictum est, fidelitas, puritas, ac reuerentiæ ad parentes specimen, in turturibus, in equis & camelis deprehenditur. Vt ergo tacitè innuat studioseque capiatur, sapere illa contrà naturam, bestialitatis turpioris morem, statim de coitu cum iumento ac pecore, legem tradit: stolidior est enim iumento, qui in ea prolabitur. Mandantur autem occidi animalia bruta, [G] non propter aliquam ipsorum culpam, sed in pœnam dominorum, qui talia animalia non custodierant, ab huiusmodi peccatis. Vel occidebantur animalia in detestationem peccati; & ne ex illorum aspectu aliquis horror hominibus incuteretur. Et sic aliàs in creaturas irrationales propter detestationem peccati [H] exercetur vindicta; quemadmodum bruta animalia iussa sunt interfici pro peccato Amalecitarum 1. Regum c. 15.

G p. 2. 105.1.11.

H 2. 2. 108.4.3.

VERSUS XVIII. *Qui coierit cum muliere fluxu menstruo.*

Quomodo opportunè de hoc fiat sermo latebit, nisi quæ dixerit antea, perpendamus. Prohibuit sub pœna mortis accessum, ad aut ex patre, aut ex matre sororem: iam retuli suprà ex Philosopho 2. Politicorum, indecentem esse commistionem, [I] cum consanguinea, quia cùm naturaliter homo illam diligat, si adderetur carnalis amor, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum. Quod certè dixerim ego, eò magis exardescere & excandescere, cùm consanguinea par est ætate, & iuuentæ flore, qualis plerumque in fratre & sorore. Vt ergò hanc nimiam mollitiem animi, pro causa inhibitionis nosceremus, adiecit de accessu ad menstruatam, per cuius immunditiam [L] designatur vt dixi immunditia mentis per voluptatem emollitæ. Quàm mirè legislator diuinus leges subtexuit!

I 2.2.154 9.

L p. 2. 102.5.4.

Porrò quoad accessum ad menstruatam, lis est inter scriptores, num etiam in noua lege, sit sub morrali prohibitum: & si funditùs penetretur, implexa valde videbitur difficultas. In primis, durum nimis apparet, ob solam cum menstruata commistionem pœnam mortis & viro, & vxori decerni. Deinde, si occidi debent, quomodò suprà c. 15. *ait qui coierit tempore sanguinis menstrualis, per septiduum immundus dicitur*: post quos certè, immundus secundùm legem non viderat; quare ergò debebat interfici? Occur- 3

runt communiter, supra c. 15. fieri sermonem de coeunte cum menstruata per ignorantiam: & hic de accedente ad illam prudente ac sciente; & quia, inquit Tostatus, mulier vix potest ignorantiam prætendere, ideò de illius purificatione, post permissum viri accessum, nihil dicitur: vultque consequenter, mulierem, semper ręam mortis. Nisi cùm alijs, credatur quandoque mulier in ipso congressu inscia fœditatis, quam paulo post deprehendisset. Verùm si in vtrique respectiuè sit ignorantia, & præcipuè in viro, quomodo se immundum poterit reputare? fortè post congressum reuelabit sua menstrua mulier? non ita facilè credendum est: imò monet D. Thomas in 4. dist. 32. q. 1. a. 2. quęstiuncula 3. non esse tutum, indicare suam passionem, ne forte vir ex hoc ad mulierem abominationem concipiat: nisi de viri prudentia præsumatur. Igitur vix erit casus, vt vir sit per septem dies immundus, sed vel erit intactus ob omnimodam ignorantiam, vel erit reus mortis, quia sciens accessit. Mulier quoque semper erit rea mortis si admittat virum in menstruis, cùm tamen lex potiùs viros cohibuerit, vt patet etiam capite 18. Casus autem, vt statim post congressum primò fluat sanguis menstruus, rarus admodum esset; & aliàs, coitus præcedens immunditiam menstrui, iniuria, virum immundum redderet per septem dies. Addunt etiam immunditiam de qua c. 15. purificari post certum tempus &c. quia non fuerat peccatum ad forum contentiosum, deductum; hic autem quoniam de mortis pœna decernitur, supponi per iudicium publicè definiri.

Scotus, Syluester & alij, præceptum Dei in hoc capite venerantes, putarunt nunc etiam in noua lege, mortalem esse accessum ad menstruatam. Recentiores, culpam accuratè expendentes, conueniunt non esse mortale: durum quippe his videtur, mortalis damnare virum, qui suam cognoscit vxorem, etiam tempore menstrui: vnde recurrunt, vt iustam Dei pœnam antiqua in lege tueantur, ad veterum præceptorum plurium naturam, dicentes fuisse & hoc cæremoniale, proinde cessasse. Quomodo autem cæremoniam saperet non exponunt.

Ipse post diutinam meditationem, veritatem fortè assecutus, sic rem enucleo. Et quidem in primis certissimum esse debet, præceptum de abstinendo à menstruata, cæremoniale quoque fuisse; nàm si dumtaxat morale astruatur, intuitu nocumenti, quod in prole frequenter accidere poterat, nimirum vt vitiosis membris conciperetur, seuera nimiùm, & diuinæ repugnans clementiæ esset vltio, necis scilicet vtriusque coniugis, ob talem mistionem. Dixerat Dominus in Exodo, *oculum pro oculo, dentem pro dente*, & id aliquatenus ad duritiam cordis, quomodo nunc ob defectum præuisum in prole eiusdem rationis puta cœcitatis, morte damnaret? præterea etsi nascatur leprosus filius, non prohibetur hodie leprosa petere debitum, vt loco citato assumit D. Thomas quæstiuncula 2. Tandem non est certum, an per accessum sequatur proles: vnde igitur rationabilis erit tantus rigor? Cæremoniale itaque præceptum est, vt eadem distinctione & quæstione ait D. Thomas: quare summi momenti oportet credere subla-

tuisse figuram, ex quo transgressores voluit Dominus, sine vlla miseratione puniri.

Hanc vt declarem, præmitto ex eodem S. Doctore fluxum menstruorum esse posse naturalem, & innaturalem: per naturam est, vel temporibus menstruis, vel etiam tempore conceptionis: sanguis huiusmodi menstruus purgamentum quoddam est illius puri sanguinis, qui digestione quadam est præparatus ad conceptũ, quasi purior, & perfectior alio sanguine: menstruus autem corruptionem habet, illumque natura repudiat 3. p. q. 31. a. 5. ? per infirmitatem, est alio ex capite diutius fœdans [M]. Sic etiam distinguitur suprà c. 15. in Sacro textu. *Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis, non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat.* Quando ergò impræsentiarum sub mortis pęna prohibetur ad menstruam accessus, non fit inhibitio de menstrua primo modo, sed de secunda. Quod quidem ex ipsa elicitur litera. *Ipsaque aperuerit fontem*, hebraicè *mekòr*, quòd Maluenda transtulit *vena*. Vena autem aut fons, non propriè dicitur esse, vbi post septiduum, quemadmodum in consuetis menstruis, cessat fluxus: quare oportet literam de diuturniori, nisi de perpetuis intelligi menstruis: quo in casu nullum præsumpsit fieri accessum ad mulierem suprà 15. cap. quamquàm ibi præsumatur quandoque accessus ad consueto tempore menstruatam, non ita graui pęna puniendus.

M 4. 12. 1. 2. 2.

Subest autem magni momenti ratio, ob quã sic ad fœdam accedere mulierem, seueriùs vetitum est; nimirùm quam suprà attuli, de figurali huius significato. Per immunditiam mulieris [N] sanguifluę designatur immunditia idololatrię propter immolatitium cruorem: annuit S. Doctori, Isaias 30. *contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea, sicut immunditiam menstruatæ.* Huc facit quod aliàs tradit ad illa verba; *si Patrem familias Beelzebub vocauerunt*; [O] Sciendum quòd Ninus fuisse dicitur filius Bel, vnde imaginem Patris fecit honorari, & vocari Bel; deinde postmodum translatum est ad aliam linguam, & dictum est *Beelzebub*; *zebub* idest *muscæ*; sacrificabatur enim illi cum multo cruore, vbi congregabantur multæ muscæ. Quia ergò etiam (quod aliàs retuli) consuetudo idololatrarum erat, [P] vt circa sanguinem congregatum adunarentur ad comedendum, in honorem idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse, & præterea quandoque in suis ritibus vtebantur humano sanguine & semine, voluit Dominus intuitu cæremoniali potiori, vt sub mortis comminatione à sanguiflua se continerent: ex quo spurcissimæ idololatriæ execrandum scelus in memoria haberent. Morale autem etiam nonnihil, erat in causa præcepti, non quidem prolis nocumentum, eoquòd vt tradit S. Doctor loc. cit. 4. sententiarum sanguiflua concipere non potest: sed luxuriæ repressio; effrænis namque nimis, est illorum libido, qui tantam non horrentes fœditatem, non erubescũt coire: & ideò tanquam emissarij equi hinnientes in fœminas, & naturæ, ac legis contemptores, & idololatriam non exosi, de medio populi meritò erant tollendi.

N p. 1. 102. 5. 4.

O Matth. 10.

P p. 2. 102. 6. 1. & a. 5. 4. & a. 15.

Imò ad hoc vt morerentur, erat sufficiens 4

causa

causa contemptus; quo per proteruiam, & pertinaciam, quis legem transgrediebatur, tunc enim quasi rebellis & destructor ordinationis legis omnino occidendus erat. Q Et probatur de eo qui Num. 15. eo quòd collegerat ligna in Sabbato, lapidatus est. Et de filio proteruo, de quo dicitur Deuteronomij 21. ex persona parentum, *monita nostra audire contemnit*, &c.

Q p. 2. 105.a.9.

Post hæc, vt ad suprà excitatum dubium reuertar; num scilicet in noua lege sit ad naturaliter menstruatam sub mortali prohibitus accessus, negatiuè rescribo (scilicet non esse mortalem. Imò etiam, nec fuisse in veteri lege.

5 Pro quo studiosè valde obseruanda est discretio præceptorum moralium, R dictat enim ratio aliquid faciendum, vel tanquam necessarium, sine quo non potest esse ordo virtutis, & secundùm hoc, quædam moralium præcisè præcipiuntur, vel prohibentur in lege, sicut, *non occides, non furtum facies*; & hæc propriè dicuntur præcepta. Dictat etiam ratio aliquid esse faciendum, tanquam vtile ad hoc, quod ordo virtutis meliùs conseruetur: & sic quædam præcipiuntur, vel prohibentur, non quasi præcisè debita, sed propter melius; & ista possunt dici mandata, quia quandam inductionem habent & persuasionem, sicut illud Exodi 22. *Si pignus acceperis vestimentum à proximo tuo, ante solis occasum reddas ei*; & aliqua similia: vnde Hieronymus dicit, quòd *in præceptis est iustitia, in mandatis verò charitas*.

R p.2.99. 5.

Sic in sequentibus docet, quòd S lex diuina conuenienter proponit præcepta de actibus omnium virtutum; ita tamen, quòd quædam (sine quibus ordo virtutis, scilicet ordo rationis, obseruari non potest) cadunt sub obligatione præcepti; quædam verò quæ pertinent ad benè esse virtutis perfectæ, cadunt sub admonitione consilij.

S p. 2. 100.2.

Similiter de præceptis cæremonialibus, (quale certè erat, & hoc de non habendo carnali commercio cum menstruata, vt patet supra 15. capite, de ex illo oborta immunditia per septem dies) ait T infrà, sapientis legislatoris est, minores transgressiones permittere, (permittere inquir, seu tolerare, nó agere) vt maiores caueantur: ergo si de consilio nonnulla sunt; si ad melius esse virtutis; si illorum minores transgressiones dicuntur, non arctant sub mortali.

T p. 2. 101.3.

Id ipsum magis innotescit, si finis tot mandatorum Dei, in lege veteri consideretur: nam præ cæteris causis data est illi lex, quia decebat, vt ille populus ex quo Christus nasciturus erat, V quadam speciali sanctificatione polleret: & ideò legitur cap. præcedenti 19. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*: & rursus in hoc capite, *eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus*. Quæ quidem sanctitas inculcari potest, non solùm, quia intentio est diuinæ legis, vt constituat principaliter X amicitiam hominis ad Deum, quam impossibile est esse, nisi intercedat similitudo, & cum Deus sit Optimus, nisi homines efficiantur boni; nam omne animal diligit sibi simile: Sed etiam ob specialem sanctitatem populi, vt dixi. Qua etiam de causa tot tradidit cæremonialia præcepta, ad subiugandum mentes eorum Deo, A vt diuersimodè referentur in Deum, & magis assiduè. Ex his ad rem nostram dico

V p.2.98. 4. & 5.

X p.2.99. 2.

A p. 2. 101. 4. & 3.

illicitam illis fuisse cum menstruata mistionem, quia Dominus illorum sanctitatem auebat, & puritatem; nam sanctitas, (vt dixi B importat puritatem consecratam Deo. B Hebr. 7.1.4.

Comprobatur autem hoc ex phrasi sacræ paginæ dulciter commonentis, cum de cæremoniis agitur, vt patet Deuteronomij 4. v. 14. *mihique mandauit in illo tempore vt docerem vos cæremonias, & iudicia, quæ facere deberetis*: & in speciali de menstruata suprà c. 18. *Ad mulierem quæ patitur menstrua non accedes*; solam sæditatem memorans ad elongandum: quod cohæret immunditiæ, quam contracturum virum dixerat, c. 15. per septem dies.

Has si audissent D. Thomæ doctrinas in hoc textu non laborassent; quamquam nonnulli difficultatem conniuentes transierint, putantes indubitanter Iudæis fuisse sub mortali præceptum, & etiam in noua lege, vt retulimus. Quod quidem graue nimis rati alij apud Tostatum, putabant de accessu ad non suam fieri sermonem: Sed hoc est effugere. Stet ergò illicitum eis fuisse, ob cæremoniam immunditiæ, & & impuritatis, neque laudabilem ob prolis, etsi fortuitæ nocumentum, quod attinet ad mores: Et ex hoc capite non vacare culpa etiam in noua lege, vt ait S. D. in 4. licèt non mortali; eo quòd datur opera simpliciter rei licitæ; veniali tamen ob impotentem libidinis æstum, & non præcautum amanter, atque ex charitate damnum prolis. Huic tamen, vt ait D. Thomas, melius est esse quamuis leprosam, quam penitus C non esse. Et notato circumspectionem D. Thomæ, qui in altero scripto 4. Sententiarum nunquam mortalis damnat sie accedentem, etsi secundum argumentum in 3. quæstiuncula id assumpsisset, dicens. *Sed exigens debitum sciens a menstruata mortaliter peccat*: dat, non probat Angelicus. C ad Anib. 4. 3. 2. 2.

Quòd autem dixi de hoc, de alijs respectiuè tu die mandatis, puta de abstinentia à quibusdam immundis. Si enim grauis non subsit figuralis causa, puta conneotientiæ cum idololatris, aut protestationis fidei Christi venturi; absitque contemptus, aut scandalum; non est vnde dicatur antiqua prohibitio sub mortali; propterea Machab. 2. c. 6. Eleazarus summè scandalum præ oculis habuit dicens. *Non enim ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem decipiantur.* & capite 7. dicuntur septem fratres compulsi à Rege *edere contra fas, carnes porcinas*: non enim fas erat; verùm, neque erat sub mortali vetitum, nisi cum in detestationem atque contemptum legis faciendum esset, vt tunc acciderat. 6

Innuit denique Sacer textus in præsenti, cur hæc, & huiusmodi mandauerit, nempe munditiæ colendæ causa: *Separate ergo, & vos iumentum mundum ab immundo, & auem mundam ab immunda*. Quibus suberat mystica ratio elongandi se ab immunditia peccati; cui cùm quis perpetuò se immiscuisset typo sanguifluæ, non poterat non mori æterna morte; quam præsignabat de morte temporali, sententia; quæ pena, vt ait S. Doctor D non infertur nisi pro peccato mortali. D 2.2.13. 2.

Clauditur autem caput præsens fulminata

in pythonicos pęna mortis. Non est autem sententia hæc in arreptitios, in quibus nequam spiritus quandoque futura prænunciant; sed in eos, qui malis artibus, initis cum dæmone pactis futura diuinant: dicti secundum Isidorum Pythones à Pythone Apolline, qui dicebatur esse author diuinandi, & diuini nuncupati ex eodem Isidoro, quasi Deo pleni, diuinitate enim se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentiæ hominibus futura coniectant. Dicit aut Hieronymus in Michæam, quòd diuinatio semper in malam partem accipitur. Isaiæ 8. exploduntur: de quibus S. Doctor, & Isaiæ 3. Quod quot modis accidere possit nefandis, tradit vberiùs Sanctus Doctor in 2a. [E] His adnectitur statim sequens prohibitio proximi capitis: qua Sacerdotibus Idololatriæ superstitiosa cauentur de quibus mox. E 2.2.q.95. a.1.& 3.

CAPVT XXI.

1 DIxit quoque Dominus ad Moysen: Loquere ad sacerdotes filios Aaron, & di-
ces ad eos: Ne contaminetur sacerdos in mortibus ciuium suorum, 2 nisi
tantum in consanguineis, ac propinquis, idest, super patre, & matre, & filio,
Supr. 19. f.7. & filia, fratre quoque, 3 & sorore virgine, quæ non est nupta viro: 4 sed nec in princi-
Eze.44.f.20. pe populi sui contaminabitur. 5 Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis
Supr. 19. f.19. facient incisuras. 6 Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: incensum enim
Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt. 7 Scortum, & vile prostibulum
non ducent vxorem, nec eam, quæ repudiata est à marito: quia consecrati sunt Deo suo,
8 & panes propositionis offerunt, sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus, qui
sanctifico eos. 9 Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris
sui, flammis exuretur. 10 Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cu-
ius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitus-
que est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, 11 & ad
omnem mortuum non ingredietur omninò, super patre quoque suo, & matre non contami-
Ezec. 44. f.22. nabitur. 12 Nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum san-
ctæ vnctionis Dei sui super eum est, ego Dominus. 13 Virginem ducet vxorem: 14 Vi-
duam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de
populo suo: 15 ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus
qui sanctifico eum. 16 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens. 17 Loquere ad Aa-
ron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo,
18 nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, si paruo vel grandi, vel tor-
to naso, 19 si fracto pede, si manu, 20 si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo,
si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. 21 Omnis qui habuerit macu-
lam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo:
22 vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario, 23 ita dumtaxat, vt intra velum
non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet
Sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos. 24 Locutus est ergo Moyses ad Aa-
ron, & ad filios eius, & ad omnem Israel cuncta, quæ fuerant sibi imperata.

VERSVS I. *Ne contaminetur sacerdos in mortibus* &c.

Malefici & sacerdotes idolorum vtebantur in suis ritibus ossibus vel carnibus hominum mortuorum; & ideò ad extirpandum idololatriæ cultum præcepit Dominus, vt sacerdotes minores, qui per tempora certa, ministrabant in sanctuario, non inquinarentur in mortibus, nisi valde propinquorum, scilicet Patris & Matris, & huiusmodi coniunctarum personarum. Pontifex autem semper debebat esse paratus ad ministerium Sanctuarij; & ideò totaliter prohibitus ei erat accessus ad mortuos, quantumcumqne propinquos. Et spiritualis huius ratio erat, quia sacerdotes omnino debent esse immunes ab operibus mortuis, quæ
A p. 2. 102.6.11. sunt opera peccati. Ita D. Thomas. [A] cohæret dictis Apostoli ad Hebræos c. 9. *sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis:* & priùs c. 6. *fundamentum pænitentiæ ab operibus*
B Hebr. 6.l.1. *mortuis*; res enim [B] dicitur viua quando habet officium propriæ virtutis, à quo cùm deficit dicitur mortua: opera autem nostra sunt ordinata ad beatitudinem; & ideò quando non ducunt, nec ordinari possunt, dicuntur mortua; & hæc sunt opera facta in peccato mortali. In c. verò 9. *ab operibus mortuis*, [C] scilicet peccatis, quæ tollunt Deum ab anima, cuius vita est per vnionem charitatis. Et tù recole D. Isidorum l. 1. de summo bono; *Vita corporis anima, vita animæ Deus*. C Hebr. 9.l.1.

VERSVS V. *Non radent caput nec barbam* &c.

De his dixi supra c. 19. ad remouendum scilicet idololatriæ ritum; & innuitur hic textu sequenti, *sancti erunt Deo suo*, non simulata sanctitate appareant, sed *Deo suo sancti sint*, non coram hominibus, quos impiè fallant. *Et non polluent nomen eius*: polluit nomen Domini sui seruus iniquus; & sic Principis malus minister: puta notarius Papæ, cancellarius Regis, *Incensum enim & panes Dei sui offerunt*. In figuram hæc ex-

ponit

ponit D. Thomas in officio sacramenti Altaris. Panis etiam aliâs [D] significare dicitur carnem Christus: thus verò designat deuotionem mentis, quæ est necessaria offerentibus, & etiam odorem bonæ famæ: nàm thus & pingue est, & odoriferum. Sed ipse, quo omnis ad idololatriam occasio adimatur, opinor panis & thuris, fieri mentionem, vt soli Deo, qui corpus, & animam de nihilo creauit obsequantur.

[D p. 2. lect. 3. ad 13 & 14.]

VERSVS VII. *Scortum, & vile prostribulum, non ducent vxorem* &c.

a Præceptum est eis ne ducerent vxorem meretricem ac repudiatam, sed virginem; tùm propter reuerentiam Sacerdotum, quorum dignitas & honor quodammodo ex tali coniugio diminui [E] videretur; tùm etiam propter filios, quibus esset ad ignominiam turpitudo matris, quod maxime tunc erat vitandum, quando sacerdotij dignitas secundùm successionem generis conferebatur. Nam [F] non sparsim ex quolibet genere ad Dei ministerium applicabantur, sed ex certa prosapia, secundum generis successionem, vt ex hoc clariores, & nobiliores haberentur.

[E p. 2. lect. 6. 11.]

[F p. 2. lect. 5. 10.]

Quoniam vero, & hic recolitur de panibus propositionis; sciendum est sanctitatem & puritatem figuraliter præexigi in ijs, qui ad Sacramentum Eucharistiæ accedere intendunt. Suprà versu 6. agitur secundùm D. Thomam, [G] de continentia debita spiritualibus, continua & sempiterna: quare in sequenti de aliquanta etiam continentia coniugatorum, quam ibi recolit, erit intelligendum: 1. Regum 21. *si pueri mundi sunt, maximè à mulieribus, manducent*, scilicet panem sanctum. Respondit Dauid; *si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudiùs tertius*. Non ergo sufficere monemur colere verum Deum, nisi & pura mente colatur; nàm vt supra dixi; & hùc fert D. Thomas [H] *sanctitas importat puritatem consecratam Deo*.

[G op. 58. c. 16.]

[H Hebr. 3. l. 4.]

VERSVS IX. *Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro* &c.

Tanta exigitur puritas in sacerdote, vt vel ex vno hoc capite, quòd nomen illius in stupro filiæ suæ violetur, debeat illa diris flammis exuri. De violatore atque stupratore hæc non audio: accrescit ideò eius puellæ pœna, vt & Patris feriatur cor; fortè quia neglexit illius custodiam: de qua monet Ecclesiasticus c. 26. *filiæ tibi sunt, serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas*: collige hinc quantam debuit ingerere in sacerdotes de pudicitia solicitudinem tàm graue periculum. Hanc legem memorat D. Thomas in tertia parte, [I] astruens ideò etiam fuisse desponsatam Deiparam virginem, ne istam falso grauamine incurreret noxam.

[— ~ 9]

[I 3. p. 29. a. 4.]

VERSVS XIII. *Virginem ducet vxorem*.

Ceteris non præcipitur vt ducant virginem: satis erat non meretricem aut repudiatam. Figurabatur per summum sacerdotem Christus. Ait Apostolus 2. Cor. c. *despondi enim vos vni viro virginem castam, exhibere Christo*: *Agnum sponsum Virginum* canit Ecclesia. [L] Ita in Apocalypsi, ad illa verba *& in capite eius*. Et sic dum sequitur, *ne commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ*, significatur, vt ait D. Th. Hebr. 7. l. 4. quòd Christus non erat commiscendus cum coinquinatis, *segregatus à peccatoribus* ex Apostolo, Hebr. 7.

[L Apoc. 12. comment. 1.]

VERSVS XVII. *Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam*.

Maculam scilicet [M] peccati: & per *maculam*, dicit glossa, [N] omne vitium intelligitur. Quocirca vberius, idem Sanctus Doctor inquit, maculæ vel defectus corporales à quibus debebant sacerdotes esse immunes, significant diuersa vitia, & peccata, quibus debent carere. Prohibetur enim esse *cæcus*, idest ne sit ignorans. Ne sit *claudus*, idest instabilis, & ad diuersa inclinans. Ne sit *paruo, vel grandi vel torto naso*, idest ne per defectum discretionis vel in plus, vel in minus excedat; per nasum enim discretio designatur, quia est discretiuus odoris. Ne sit *fracto pede, vel manu*, idest ne amittat virtutem benè operandi, vel procedendi in virtutem. Repudiatur etiam, si habeat *gibbum* vel antè, vel retro; per quem significatur superfluus amor terrenorum. Si est *lippus*, idest per carnalem affectum, eius ingenium obscuratur, contingit enim lippitudo ex fluxu humoris. Repudiatur etiam si habeat *albuginem in oculo*, idest præsumptionem candoris iustitiæ in sua cogitatione. Repudiatur etiam si habeat *iugem scabiem*, idest petulantiam carnis. Et si habuerit impetiginem, quæ sine dolore corpus occupat, & membrorum decorem fœdat, per quam auaritia designatur. Et etiam si sit *herniosus*, vel ponderosus, qui scilicet gestat pondus turpitudinis in corde, licèt non exerceat in opere. Mysticè addo ego, huiusmodi maculosi, etsi offerant hostias & panes etiam Deo, non tamen *Deo suo*, quem tanquam suum vix norunt, minusque colunt. Vescuntur tamen *panibus qui offeruntur*, quia de oblatis eleemosinis, seu beneficijs, quæ haud dignè occupant, viuunt. Verùm *intrà velum* non ingrediuntur, quia illorum mens ad cœlestem patriam non inhiat; nec accedent *ad altare* gloriæ, vbi Sanctuarium Deitatis videant, quoniam nihil *coinquinatum intrat in eam* Apocalypsis 26. Imò *foris canes, & venefici, & impudici & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium*, vt dicitur ibidem in 22. De pluribus sacerdotum maculis vide S. Doctorem [O] in commentario secundo, ibi, *sine macula*.

[3 M op. 58 c. 18.]

[N 4. 24. 1 3. 1.]

[O Apoc c. 14.]

CAPVT XXII.

1 LOcutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere ad Aaron & ad filios
eius, vt caueant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, & non contaminent
nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt: ego Dominus. 3 Dic ad eos, &
ad posteros eorum: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata
sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino:

ego ſum Dominus. 4 Homo de ſemine Aaron, qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſe-
minis, non veſcetur de his quæ ſanctificata ſunt mihi donec ſanetur. Qui tetigerit immun-
dum ſuper mortuo, & ex quo egreditur ſemen quaſi coitus, 5 & qui tangit reptile, & quod-
libet immundum, cuius tactus eſt ſordidus, 6 immundus erit vſque ad veſperum, & non
veſcetur his, quæ ſanctificata ſunt: ſed cum lauerit carnem ſuam aqua, 7 & occubuerit Sol
Sap. 17. d. 15. tunc mundatus veſcetur de ſanctificatis, quia cibus illius eſt. 8 Morticinum, & captum à
Ezec. 44. g. 31. beſtia non comedent, nec polluentur in eis: ego ſum Dominus. 9 Cuſtodiant præcepta
Deut. 14. c. 21. mea, vt non ſubiaceant peccato, & moriantur in Sanctuario, cum polluerint illud: ego Do-
minus qui ſanctifico eos. 10 Omnis alienigena non comedet de ſanctificatis, inquilinus ſa-
cerdotis, & mercenarius non veſcentur ex eis. 11 Quem autem ſacerdos emerit, & qui
vernaculus domus eius fuerit, hi comedent ex eis. 12 Si filia ſacerdotis cuilibet ex populo
nupta fuerit: de his quæ ſanctificata ſunt, & de primitijs non veſcetur: 13 ſin autem vidua,
vel repudiata, & abſque liberis reuerſa fuerit ad domum patris ſui ſicut puella conſueue-
rat, aletur cibis patris ſui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet poteſtatem. 14
Qui comederit de ſanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo, quod co-
medit, & dabit ſacerdoti in Sanctuarium. 15 Nec contaminabunt ſanctificata filiorum
Iſrael, quæ offerunt Domino: 16 ne fortè ſuſtineant iniquitatem delicti ſui, cum ſanctifi-
cata comederint: ego Dominus qui ſanctifico eos. 17 Locutuſque eſt Dominus ad Moy-
ſen, dicens: 18 Loquere ad Aaron, & filios eius, & ad omnes filios Iſrael, diceſque ad
eos: Homo de domo Iſrael, & de aduenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem
ſuam, vel vota ſoluens, vel ſponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocauſtum Do-
mini, 19 Vt offeratur per vos, maſculus immaculatus erit ex bobus, & ouibus, & ex ca-
Deut. 15. d. 20. pris: 20 ſi maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile. 21 Homo qui obtu-
Eccl. 35. b. 8. lerit victimam pacificorum Domino, vel vota ſoluens, vel ſponte offerens, tam de bobus
quàm de ouibus, immaculatum offeret, vt acceptabile ſit: omnis macula non erit in eo. 22
Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem,
non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis ſuper altare Domini. 23 Bouem, & ouem,
aure, & cauda amputatis, voluntariè offerre potes, votum autem ex eis ſolui non poteſt.
24 Omne animal, quod vel contritis vel tuſis, vel ſectis, ablatiſque teſticulis eſt, non offe-
retis Domino, & in terra veſtra hoc omninò ne faciatis. 25 De manu alienigenæ non offe-
retis panes Deo veſtro, & quidquid aliud dare voluerit, quia corrupta & maculata ſunt om-
nia: non ſuſcipietis ea. 26 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 27 Bos, ouis,
& capra cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ: die autem octauo,
& deinceps offerri poterunt Domino. 28 Siue illa bos, ſiue ouis, non immolabuntur vna
die cum fœtibus ſuis. 29 Si immolaueritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino, vt poſſit
eſſe placabilis, 30 eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in mane alterius
diei: ego Dominus. 31 Cuſtodite mandata mea, & facite ea: ego Dominus. 32 Ne pol-
luatis nomen meum ſanctum, vt ſanctificer in medio filiorum Iſrael. Ego Dominus qui ſan-
ctifico vos, 33 & eduxi de Terra Aegypti, vt eſſem vobis in Deum; ego Dominus.

VERSVS II. *Loquere ad Aaron, & ad filios eius*, &c.

Minùs idoneos repulit capite præcedenti à miniſterio ſacerdotali, nihilominus veſci *panibus oblatis in Sanctuario* permiſit, quia aliqualem participationem, quãuis habeant eiuſmodi maculas, de fructu ſacrificiorum recipere poſſunt; neque tantæ turpitudinis ſunt ij defectus, vt omninò arcere debeant à diuinis. In hoc capite genus quoddam immũditiæ recolitur, ex quo piaculum fit, comedere de ſanctificatis; & quoniam vetatur eſus, figuratiuè innuitur, nullam ſpiritalem, locum habere, in eo nutritionem, qui ad altare impurus accedit: vel enim ieiunus abit à gratia, vel deuotione nulla reficitur. Ter autem repetit; *Ego Dominus*, vel vt timorem incutiat, vel vt ipſos eſſe miniſtros ad memoriam reuocet: non enim perperam exprimitur, quod obſeruat Angelicus [A] in opuſculo.

A op. 41. l. 2. c. 2.

VERSVS IV. *Homo de ſemine Aaron, qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſeminis*.

Per hunc leproſum intelligitur [B] luxurioſus, qui fluxu immunditiæ ſuæ creaturas contaminat. Certè ſi ſacerdos vacet luxurijs, alios prauis exemplis inficit, & contaminat; anſam enim ad libidines exaturandas arripit laicus, ſi clericus impudenter delinquit. Ita & alibi [C] *homo qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſeminis*, ideſt: peccans per incontinentiam carnis, non veſcetur de ijs quæ ſanctificata ſunt mihi, donec ſanetur, ſcilicet per pœnitentiam. Quod quidem inducit D. Thomas ad aſtruendam præparationem continentiæ, quam diù antequam accedamus ad Euchariſtiam, debemus ſeruare. Geminatur autem vox in hebræo textu vt dicatur *homo, homo*, & multitudinem ſiue vniuerſitarem ſignificat, ac ſi diceret *quilibet homo*: quemadmodum pſ. 86. *homo, & homo natus eſt in ea*, ideſt multi homines: de quo videri poteſt Tirinus in præludiali idiotiſmorum declaratione Numero 51. Nemo ergo ſic infectus veſcatur de ſanctificatis, &c. & ſic repetitur Hebræum *Iſe* verſu 18.

B Sermone Dominic. 4. ex Euang.

C op. 58. c. 16.

Ver-

Versu eodem. *Qui tetigerit immundum super mortuo.*

Dictum est de alios contaminante, nunc de contaminato ab alijs. Vniuersaliter (ait D. Thomas) [D] per immunditiam contactus rei immundæ, designatur immunditia consensus in peccatum alterius. Sed hic animaduerto de immunditia carnis sequi sermonem; nam dicitur *super mortuo*: Septuaginta; *qui tetigerit omnem immunditiam anima*. Chaldæa, *omne immundum anima*. Immundum animæ corpus est, tunc quammaximè immunditiam præferens, cum mortuum est. Idem est ergò, ac si diceret, qui carnali alterius peccato, mortifera commistione consenserit. (Mitto autem hic & infrà legales immunditiæ irregularitates.)

D p. 3. 102. a. 4.

VERSV eodem. *Et ex quo egreditur semen coitus.*

VERSVS V. *Et qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cuius tactus est sordidus.*

Apostolus 5. Ephesiorum monet. *fornicatio autem, aut omnis immunditia nec nominetur in vobis*, vbi D. Thomas [E] à dictis etiam animaduertit esse abstinendum, & sic addit, *aut stultiloquium*, quod ad inhonestatem, & blanda [F] verba potest referri. Sanè aiebat D. Laurentius Iustinianus. *Luxuria ignis est infernalis, cuius fauilla impudica verba*. Quod si in alijs cauendum est: certè magis in sacerdote, in cuius ore, vt fert [G] S. Doctor *Nugæ sacrilegium sunt, vel blasphemia*. Ad rem nostram, iam suprà retuli, per immunditiam viri seminiflui [H] designari immunditiam vanæ locutionis, eoquòd *semen est verbum Dei*; en quomodo consonat Sacer textus. *& ex quo egreditur semen quasi coitus*: quod metaphoricè accipiendum esse suadetur, quia si propriè accipiatur, satis innotuisset ex dictis paulo antè; *homo qui fuerit patiens fluxum seminis*. Igitur non coeunt, sed *quasi* coeunt; nam lubricus est ex verbis, & huiusmodi turpibus, ad coitum transitus, iuxtà quod Ecclesiastici 11. legitur, *à scintilla vna augetur ignis*.

E Ephes. 5. l. 2.
F 2. 2. 148. 6. & 154. 4. 1.
G 2. 2. 99. 3. B.
H p. 3. 102. a. 4.

2 Sequitur, vt de tactibus impudicis fiat sermo, vt per hos ad literam, nomine tactus sordidi prohibitos, præcedens de verbis inhonestis sensus capiatur. *Turpitudinis* collectitiuo, intelligit Apostolus [I] tactus, amplexus, & oscula libidinosa: in quibus est etiam sine dubio [L] peccatum mortale. Dicit D. Hieronymus in quadam Epistola, [M] *Quid tibi cum feminis, qui ad altare cum Deo fabularis? dic Sacerdos, dic clerice qualiter eisdem labijs filium Dei osculaeris quibus osculatus es labia meretricis? cum Iuda osculo filium hominis tradis.* Fortè autem de huius generis turpitudinibus speciatim fit mentio; quia peccatum fornicationis, [N] magis reddit hominem ineptum ad perceptionem Sacramenti altaris, in quantùm scilicet per hoc peccatum, spiritus maximè carni subijcitur; & ita impeditur feruor dilectionis, qui requiritur in hoc Sacramento.

I Ephes. 5. l. 2.
L 2. 2. 154. 4.
M 3. p. 80. 5. 2.
N 3. p. citata.

VERSVS VI. *Immundus erit vsque ad vesperum.*

Remanere peccati reliquias etiam remisso peccato docent cum suo Antesignano Theologi, [O] ex parte scilicet cōuersionis inordinatæ, quamquam auersionis nihil supersit. Quod quidem si in reliquis locum habere potest sceleribus, multò magis cùm fuit quis carnis irretitus illecebris: proptereà etiam si fuerit lotus aqua, nisi *occubuerit Sol*, idest nisi tempus decurrerit, haud debet vesci sanctificatis. Statuti sunt, ait Angelicus [P] ante Pascha quadraginta dies pœnitentiæ, vt his peractis in ieiunijs, & orationibus, & continentia, & bonis operibus, tunc possint communicare pœnitentes: & D. Augustinus, (ibi) *ab ipsa mente pœnitentis, talis sententia proferatur, vt se indignum iudicet participatione corporis, & sanguinis Domini, vt ad tempus per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cœlestis panis separetur; indignè enim accipit, si tunc accipit cum debet agere pœnitentiam; idest quando incipit: ergo se priùs iudicet, vt à se iudicatus, non iudicetur à Domino*. (1. Corinth. 11.) Breui hemistichio, hoc videtur innuisse Dominus, dicens, *cùm lauerit carnem suam aqua, & occubuerit Sol*.

O 4. 23. 1. 2. & 4. & 1. p. 86. 5.
P op. 58. c. 16.

At dices, cur nullum præceptum traditur de immunditia oculorum? dicitur enim Ecclesiastici 9. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt*: post Bersabee aspectum lapsus est Dauid 2. Regum 11. Iob 31. *pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem de Virgine*: quapropter quosdam arguens Petrus in prima cap. 2. aiebat, *oculos habentes plenos adulterijs*.

Respondeo aliàs tacta doctrina; quia lex voluit attenuare [Q] superstitionem gentilium, qui non solùm per contactum immundi dicebant immunditiam contrahi, sed etiam per collocutionem aut per aspectum, vt Rabbi Moyses dicit de muliere menstruata: (in l. Dux errantium.) Et nihilominus satis, oculorum lapsum in prima Matre poterant reminisci, quando *vidit lignum quòd esset pulchrum visu*, cui dici poterat illud Danielis 13. *species decepit te & concupiscentia subuertit cor tuum*.

Q p. 2. 102. 5. 4.

VERSVS VIII. *Morticinum, & captum à bestia non comedent* &c.

Simile quid habes Exodi 22. *carnem quæ à bestijs fuerit prægustata, non comedetis*. Itemque suprà c. 17. *anima quæ comederit morticinum vel captum à bestia* &c. Sed in primo loco sanctitatem morum, ne brutalem redoleant naturam, inobseruando quæ ibi præcipiuntur, deposcit. In secundo ferinam rabiem ab offerentium cordibus intendit auferre. Hìc generali quadam ratione, omnem immunditiam exterminat: quare tametsi aliàs animal fuisset mundum, solo relatu ad bestiam fiebat immundum.

VERSVS X. *Omnis alienigena non comedet de sanctificatis.*

Postquam de sacerdotibus quoad esum ipsis licitum decreuit, pergit ad laicos; & hoc & sequentibus textibus, arcet eos omnes, qui conuictum & societatem non habent ad sacerdotem: quare illud potest colligi dictum superius, salutem scilicet hominis [R] à Deo procedere, dirigentibus Dei ministris. Et tù dic participationem bonorum spiritualium eos ad omnes, & solos pertingere & pertinere, qui vnà simul degunt in charitate. Hùc facit quod ait D. Thomas; [S] *qui subduntur peccatis, non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter; nisi fortè imperfectè per fidem informem, quæ vnit Christo secundum quid, & non simpliciter; vt scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ, fides enim sine operibus mortua est*, vt dicitur Iacob. 2. *præcipiunt tamen tales à Christo quendam actum vitæ, qui est credere, sicut*

R 12. 102. 3. 8.
S 3. p. 8. 3. 2.

si mens-

si membrum mortificatum moueatur aliqualiter, ab homine. En quomodo adumbratur hæc doctrina in inquilino & mercenario. Inquilinus est qui eadem quidem in domo, seu eiusdem domus parte aliqua tanquam in conducto habitat, sed aliam familiam conflat: charitas non facit solùm habitare, sed *habitare vnanimes in domo*. Mercenarius qui ad tempus operas suas locat: nec ex amore seruiens filiorum more, Eccles. 3. *qui timet Dominum honorat parentes, & quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt*. *Non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarus tuis*. Membra, atida non hauriunt humorem, & arescentia vix patiuntur consensum, qui est sanctificatorum fruitio in charitate.

VERSVS XIV. *Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam addet quintam partem cum eo quod comedit*.

Moraliter nihil ei prodest, quia debet imo cum vsura reddere. Augustinus, tract. 26. in Ioannem; *ac proinde qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio, non manducat eius carnem nec bibit eius sanguinem; licèt carnaliter & visibiliter premat dentibus, sacramentum corporis, & sanguinis Christi; sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit. Omnis prauus*, aiebat Philosophus, *est ignorans*. Repeto cum eodem sancto; *qui vult viuere habet vbi viuat, habet vnde viuat; accedat credat, incorporetur vt viuificetur*. *Alienigena non comedet de sanctificatis*.

VERSVS XVIII. *Homo de domo Israel* &c.

3 Traditur generale præceptum de non offerendis maculosis, vt debitæ reuerentiæ honos, nedum ad oblata, sed & ad offerenda præscribatur. Dixi autem suprà, [Y] id meritò, quia animalia maculosa solent haberi contemptui, etiam apud homines, ideò prohibitum est ne Deo in sacrificium offerrentur: nunc addo ex 22. quòd oblatio animalis cœci vel claudi reddebatur illicita tripliciter. vno modo ratione eius ad quod offerebatur, vnde dicitur Malach. 1. *si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est?* Sacrificia autem oportebat esse immaculata. Secundo ex contemptu, vnde ibidem subditur: *vos polluistis nomen meum, in eo quod dicitis; mensa Domini contaminata est, & quod superponitur contemptibile est*. Tertio modo ex voto præcedenti, ex quo obligatur homo, vt integrum reddat quod vouit: vnde ibidem subditur. *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum & votum faciens immolat debile Domino*. Verùm pro intellectu sequentium, summoperè considerandum est, quæ dicuntur esse à Moyse quidem prolata; at non nisi dictamine Spiritus-Sancti; iteratò enim præmittitur, *locutus est Dominus ad Moysen*: quare in hac litera sensum aliquem sublatere arcanum, necesse est: quem vt Deo largiente assequamur, prælibandum est, per elementa sacrificiorum intendisse nos docere Spiritum Sãctum de sacrificijs animarum nostrarum; iuxtà illud Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Quæ quidem spirituales oblationes, quemadmodum ad tria genera reducebantur; nempe ad holocaustum, ad sacrificium pro peccato, & ad hostias pacificas; ità triplicem indicant hominum statum, nempe perfectionis in impletione consiliorum, & huius figura est holocaustum; pœnitentium, seu die tù incipientium, & huius signum, est sacrificium pro peccato; & proficientium in impletione mandatorum, pro quo stant hostiæ pacificæ. Hãc allegoriam habemus vt suprà dictum est, [V] in D. Thoma. Itaque si horum typum præsentiarum humili studio deprehenderimus, altam Sacræ Scripturæ sapientiam vel inuiti mirabimur.

[Y] p. 2. 101. 3. 7. 22. 26. 3. 3.

[V] p. 2. 101. 3. 8.

Compertum est autem in primis fieri verba de primo statu veluti perfectorum, nàm legimus, *quicquid obtulerit in holocaustum Domini*; quid mirùm si masculus exigitur immaculatus, & absque omni macula, vt fit acceptabilis Domino? perfectio status huiusmodi per hæc innotescit. Vel ergo, ex voto vel sponte se metipsum sic offerat, talis esse debet. Totum comburitur sacrificium, specialiter ad reuerentiam maiestatis diuinæ, & ad amorem bonitatis eius; vt sicut totum animal resolutum in vapore sursùm ascendebat; ita etiam significaretur totum hominem, & omnia quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subiecta, & ei esse offerenda. Non sine causa in Exordio habes, *homo de domo Israel*. Gratum est nomen *Israel*, quod Dominus Iacob imposuit, interpretarique solent *rectissimum, seu virum videntem Deum*, ex tribus hebraicè syllabis. Subdit autem, & de aduenis qui habitant inter vos; quia (quod tradit S. Doctor) [X] homines nullius gentis, exclusit lex à cultu Dei, & ab his quæ pertinent ad animæ salutem, dicitur enim Exodi 12. *si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur priùs omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque simul sicut indigena terræ*.

[X] p. 2. 105. 3. 1.

VERSVS XXI. *Homo qui obtulerit victimam pacificorum*.

En hic non requiritur vt masculus offeratur, quia non præsumitur iste perfectus, benè verò ad perfectionem proficiens: qui tamen vt acceptabilis sit, debet carere omni macula, siue vota soluat, seu sponte offerat: quod ego exponerem siue fuerit Religiosus siue laicus, siquidem tendentia ad perfectionem vtrisque congruit.

VERSVS XXII. *Si cæcum fuerit*.

Præcipua & frequentiora videntur tangi impedimenta profectus ad perfectionem. Et primò quidem *si cæcum fuerit*: quod bifariam intelligi potest. Si fuerit ignorans, non habens scientiam sanctorum: eoquòd nec sine diligenti studio, nec nisi spiritualis alicuius magistri sub cura, perfectioni quis potest vacare: *cæcum* quippe ait Gregorius, *est genus humanum, quod in parente primo à paradisi gaudijs expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur*: ergò illuminari ac instrui per prouectioris debet disciplinam, si quæ *arcta est viam* cupit inuenire. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt*, ait Dominus.

Deinde *Si cæcum* fit sacrificium non est acceptabile; quoniam cœcus is meritò dicitur, qui non intento, aut ignorato fine, hac illac oberrat; necesse est enim, vt qui proficere intendit, perfectionem quam quærit semper præ oculis habeat: cœcus est nauta, qui portum non recogitat quò appellat: *non officijs idest actibus, sed finibus, à vitijs discernuntur virtutes*, aiebat D. Au-

gusti-

gustinus l. 4. contrà Iulianum c. 3. relatus 2. 2. q. 151. a. 1. 3. Sequitur; *Si fractum*. Capite præcedenti legimus; *ne sit fracto pede, vel manu*, idest ne amittat virtutem benè operandi, vel procedendi in virtutem. Currat oportet *viam mandatorum*, qui nititur ad perfectionem; non ergò sit fractus. Lento nimis gradu pergere videbis nonnullos: *nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Tales ignauia quadam torpentes, & fracti dici possunt, & cęci.

Si cicatricem habens. Primum perfectionis studium in charitate fundatur, quæ cum exardescit in corde, læsionum quas pertulimus obliterat etiam vestigia. Cicatricem habet is qui, recordatur offensas; suprà c. 19. *Nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Scribit in marmore læsus*. Ex alijs translationibus *incisum* habemus. Quod Septuaginta exponunt *lingua scissum*. & apud Maluendam *labiis palpebris*, vel *superciliis*: quibus cunctis, acceptas iniurias loquimur, videmus, ægrè elato animo toleramus.

4 *Si papulas, aut scabiem, aut impetiginem*.

Septuaginta non legunt *papulas*, sed *pruritentia*. Papulis autem quemadmodum, & scabie, sicut dictum est, significari potest petulantia carnis. Qui ergo proficientium de numero inhiat esse, non his carnis passionibus turbari debet: continens quippe etsi resistat, vehementes tamē patitur passiones, sicut patet 7. Ethicorum; Temperatus autem in quo ipse appetitus sensitiuus est quasi à ratione edomitus, vix eas sentit; proptereà inquit D. Thomas [A] continens patitur concupiscentias, sed non deducitur; castus autem neque patitur neque deducitur: quia passiones in temperato non sunt vehementes 2. 2. 137. 1. 1. Sed neque decet huiusmodi perficientes extimulari auaritia, ideo si habeant impetiginem repudiantur: quæ duo vitia, tum Religiosos, tùm laicos ne perueniant, imò ne pergant, remorantur, ad perfectionem.

A p. 2. 70. 3.

VERSVS XXIII. *Bouem, & Ouem, aure, & cauda amputatis, voluntariè offerre potes*.

Origenes super illud Matthęi 19. *Si vis perfectus esse*, ille, inquit, *qui mutauit pro diuitijs paupertatem, vt fiat perfectus, non in ipso tempore, quo tradiderit bona sua pauperibus, fiet omninò perfectus, sed ex illa die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes*. Subditque D. Thom. & hoc modo [B] in Religione non omnes sunt perfecti, sed quidam incipientes, quidam proficientes. Igitur ad incipientes videtur sacer textus transire; quos non respuit diuina Maiestas, quamuis sint aliqualiter maculosi; nàm vt dicitur in prædicamentis ferturque à S. Doctore [C] *prauus ad meliores exercitationes deductus, ad modicum aliquid proficiet, vt melior sit*. Itaque aure amputata potest offerri. Etsi aliquis indisciplinatus extiterit, quoniam secundùm Philosophū, *auditus est sensus disciplinæ*, non propterea repelli debet aut contemni. Tùnc aperientur, ait Isaias cap. 35. *oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*. Cauda pro perseuerantia ponitur secundùm Gregorium 1. Moral. 40. Etsi ergo perseuerantiæ signa non ostendat quis; recipi tamen potest, quia interdum, qui credebatur ager sterilis, exercitatus dat fructum. Eiusmodi tamen hostiæ commendationem non obtinent acceptabilium. Etsi autem voluntariè possint offerri, non tamen sic vt ex eis votum soluatur, Religiosus iam voto obstrictus exeat incipientium catalogo.

B 2. 2. 186. 1. 3.

C 3. p. 86. 3. 1.

VERSVS XXIV. *Omne animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino*.

Postquam de sacrificijs est dictum, supererat de ipsis offerentibus legem tradere: nàm vt docet Angelicus, in sacrificijs magis [D] attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis: vnde & Dominus dicit Lucæ 21. de vidua, quæ obtulit duo æra, quòd *plus omnibus misit*; Patet autem de offerente sub metaphora fieri sermonem, quia statim, repudiantur nonnulli, nempè alienigenæ, neque enim Ethnici permittendi erant offerre. Itaque dissuadet ab oblatione, contriti, confracti, excisi, & auulsi: quæ cuncta, noster pariterque Chaldæa interpretatio, ne sensus proprius lateret, transtulerunt vt in litera dicitur. Masculum ergo feruorem expetit in offerente; nàm vt ait Malachias; *maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino*. Fracto animo quidam Deo offerunt oblationem; sicut ille Matthei 19. & Lucæ 18. qui audiens faciendum sacrificium de bonis suis in pauperes, *abijt tristis*. Quidam *tunsionibus & pressuris* tepescunt in Deum: nec se promptè victimas litant: quo facit illud Iob c. 4. *venit super te plaga, & defecisti: tetigit te & conturbatus es. Vbi est timor tuus, fortitudo tua? patientia tua* &c. Alij denique non vi aliqua deuotionis aut spiritus, quæ prorsùs amisere; sed vecordi quadam consuetudine Deo sacrificant: huiusmodi non sunt ei acceptabiles, qui strenuo mentis conatu, non frigida euirataque anima vult sibi offerri. *Qui quærit legem* ait Spiritus-Sanctus, *replebitur ab ea, & qui insidiosè agit scandalizabitur in ea*; siue *ab ea* vt legit Hieronymus Ecc. 32. non poterat feruor sacrificij spiritalis, cum in animalibus esset figurandus, aliter congruentiùs designari.

D 1. p. 79. 5.

VERSVS XXVII. *Bos, ouis, & capra cum genita fuerint* &c.

Quemadmodum propter teneritudinem infantis [E] ante octauum diem non fiebat circumcisio; ita, & in alijs animalibus supersedendum erat ab immolatione. Et prætereà [F] quia ante septimum diem, erant quasi abortiua, nondùm plenè consistentia propter teneritudinem; ideo, ne contemptibile esset illorum sacrificium, prohibebatur. Monemur tropologicè Deo, firmo proposito corda offerre. Quærit Angelicus, [G] num pueri sint recipiendi in Religione; (In hac quippe, fit sacrificium imò holocaustum spiritale animarum), & quamuis laudet ante annos pubertatis recipi in Religione vt nutriantur ibidem, vnde & communi consuetudine pueri applicantur illis officijs, vel artibus, in quibus sunt vitam acturi, Matthæi 19. *sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire*: non probat attamen ante debitum vsum rationis, voto, solemni præsertim astringi. Solidum ergo esse debet sacrificium nostrum, vt feruorem animi de quo præcedenti textu, matura mentis deliberatio comitetur & foueat. 5

E 3. p. 70. 3. 1.

F p. 2. 102. 3. 7. & a. 5. 1.

G 2. 2. 189. 5. & q. 88. 9.

VERSVS XXVIII. *Siue illa bos, siue ouis, non immolabuntur vna die cum fœtibus suis*.

Verba sunt Domini Matthæi 5. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*: in quo iracundia omnis & indignatio supprimenda non solùm; sed restinguenda præcipitur. Iudæi proni erant ad iram: vnde ne vxores interficerent, permissus est libellus repudij. Volens ergo Dominus per Moysen in figuris, eorum mentem ab odijs præpurgare (*circumcisio*, quæ fit die octauo *purgationem* etiam significat ex Ambrosio, *delictorum*) ad affectum misericordiæ eos inclinat; crudelitas enim videtur die vna, matrem cum fœtu immolare. Hoc à simili colligo, ex eo quòd Deuteronomij 22. legitur, *si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis, vel ouis incubantem, non tenebis eam cum filijs*: nàm hoc dicitur ad remouendos homines à crudelitate; quia proximum est, vt qui exercetur in affectu misericordiæ circà animalia, magis ex hoc disponatur ad affectum misericordiæ circà homines: qua de causa mandatur Exodi 23. *non coques hædum in lacte matris*, de quibus D. Thomas [a] pluribus locis.

[a] H p. 2. 102. 6. ad 4. & 8. & 3. cont. G. 112.

VERSVS XXIX. *Si immolaueris hostiam pro gratiarum actione, eodem die &c.*

Duæ possunt esse causæ cur Moyses repetat, quod supra cap. 7. dictum est: vna, quia paulò ante de expectando die octauo pro immolatione fœtus mandatur: ne ergo propterea negligerent esse diuino cultui soliciti; & præcipuè cum de gratiarum actione fit sermo, moras iteratò vetat, ac si diceret: cæremoniæ pro gratijs agendis, ne ingratitudinis nota inuramini, plenè & consummatè, non tarditate aliqua, eodem die perficiantur. Altera fortè ratio, quia cùm in omnibus sacrificijs figuraretur Christi Redemptoris oblatio, quò præcinebat illud, *non coques hædum in lacte matris*, voluit ingens & ineffabile humani generis beneficium vel in hoc notare, quòd ad citas gratiarum actiones extimulasset. *Si immolaueris* ergò pro gratiarum actione Domino, vt possit esse placabilis: in Christo autem dumtaxat potest Dominus placari, *quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris; & quia non est aliud sub Cælo nomen in quo oporteat nos saluos fieri; per quem habemus accessum per fidem*. 1. Ioann. 2. Act. 4. Roman. 5. Vnde & versu supremo huius capitis recolitur, in figuram certè, *eduxi de terra Aegypti; erepti enim sumus de durissimo Pharaonis imperio*. Et priùs de sanctificatione, *vt sanctificer in medio filiorum Israel: ego Dominus qui sanctifico vos*. Quoniam præmissæ oblationes in se sanctificandi vim non habebant, *impossibile enim erat*. Hebræorum 10. *Sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*. Et, *quia hostias & oblationes, & holocaustomata, & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur; tùnc dixi, ecce venio: vt faciam Deus voluntatem tuam; in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel: vna enim oblatione consummauit in æternùm sanctificatas*. Ad huiusmodi sanctificationem, præuiam monet custodiam mandatorum: *custodite* inquit *mandata mea, & facite ea, ego Dominus*: quæ quidem custodia in corde videtur esse; *in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*; & ideò ad nouam legem respicere videtur, quam loco citato recolit Apostolus, dicens, *dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas*; ad quarum obseruantiam amanter vnà ac tremendè inducit dicens, *ne polluatis nomen meum sanctum*; quod violat Christianus ille, qui solo nomine est talis: quemadmodum & dicebat Apostolus Rom. 2. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes. Si autem præuaricator legis es, circumcisio tua præputium facta est*. Rom. 2.

CAPVT XXIII.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere filijs Israel, & dices ad
eos: Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. 3 Sex diebus facietis opus:
dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus: omne opus non facie-
tis in eo: sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris. 4 Hæ sunt ergo feriæ Do-
mini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. 5 Mense primo, quartadecima die
mensis ad vesperum, Phase Domini est: 6 & quintadecima die mensis huius, sollemnitas
azymorum Domini est: Septem diebus azyma comedetis: 7 dies primus erit vobis cele-
berrimus, sanctusque: omne opus seruile non facietis in eo: 8 sed offeretis sacrificium in
igne Domino septem diebus: dies autem septimus erit celebrior, & sanctior: nullumque
seruile opus facietis in eo. 9 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 10 Loquere
filijs Israel, & dices ad eos; Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messue-
ritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem: 11 qui
eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis altero die Sabbati, & san-
ctificabit illum: 12 Atque in eodem die, quo manipulus consecratur cædetur agnus imma-
culatus anniculus in holocaustum Domini. 13 Et libamenta offerentur cum eo, duæ deci-
mæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suauissimum: liba quoque vi-
ni, quarta pars hin. 14 Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex segete, vsque
ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus,
cunctisque habitaculis vestris. 15 Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuli-
stis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, 16 vsque ad alteram diem ex-
pletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum

Exod. 12. a. 25. Num. 28. c. 16.

Deut. 16. b. 9.

Do-

Domino 17 ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis si-
milæ fermentatæ, qaos coquetis in primitias Domini. 18 Offeretisque cum panibus se-
ptem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes duos, & erunt
in holocaustum cum libamentis suis, in odorem suauissimum Domino. 19 Facietis, & hir-
cum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum. 20 Cumque eleuauerit
eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vsum eius. 21 Et voca-
bitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum: omne opus seruile non facietis in eo.
Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus vestris. 22 Post- Supr. 19 b.9.
quam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam vsque ad solum: nec re-
manentes spicas colligetis, sed pauperibus, & peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus
Deus vester. 23 Locutusq; est Dñs ad Moysen, dicens: 24 Loquere filijs Israel. Mense se- Num 29 a 7.
ptimo prima die mensis, erit vobis sabbatum, memoriale, clãgentibus tubis, & vocabitur san-
ctum: 25 omne opus seruile non facietis in eo, & offeretis holocaustũ Dño. 26 Locutusq; est
Dñs ad Moysen, dicẽs. 27 Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberri- Supr. 16 b.29.
mus, & vocabitur sanctus: affligetisq; animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Dño. 28 Num. 29 a.7.
Omne opus seruile non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis est, vt propi-
tietur vobis Dominus Deus vester. 29 Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac peri-
bit de populis suis: 30 & quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo. 31 Ni-
hil ergo operis facietis in eo: legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus,
& habitationibus vestris. 32 Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die
nono mensis. Ad vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. 33 Et locutus
est Dominus ad Moysen dicens: 34 Loquere filijs Israel: A quintodecimo die mensis hu-
ius septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. 35 Dies primus vocabi- Ioan.7. 17.
tur celeberrimus, atque sanctissimus: omne opus seruile non facietis in eo. 36 Et septem
diebus offeretis holocausta Domino, dies quoque octauus erit celeberrimus, atque sanctis-
simus, & offeretis holocaustum Domino; est enim cetus, atque collectæ: omne opus seruile
non facietis in eo. 37 Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas, atque sanctis-
simas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta, & libamenta iuxta ritum vniuſ-
cuiusque diei: 38 exceptis sabbatis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto,
vel, quæ sponte tribuetis Domino. 39 A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando
congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus, die
primo, & die octauo erit sabbatum, idest, requies. 40 Sumetisque vobis die primo fru-
ctus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & sa-
lices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro, 14 celebrabitisque solemni-
tatem eius septem diebus per annum, legitimum sempiternum erit in generationibus vestris.
Mense septimo festa celebrabitis, 42 & habitabitis in vmbraculis septem diebus, omnis,
qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis: 43 vt discant posteri vestri, quod in
tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti, ego Do-
minus Deus vester. 44 Locutusque est Moyses super solemnitatibus Domini ad filios
Israel.

In hoc capite sex potissimæ memorantur & præcipiuntur solemnitates; & congruè quidem post exactam in præcedenti sanctitatem, de diebus Deo sanctificatis fit sermo.

VERSVS II. *Sex diebus facietis opus, dies septimus vocabitur Sanctus; omne opus non facietis in eo.*

Duo sunt consideranda in obseruantia sabbati, quorum vnum est sicut finis, [A] & hoc est, vt homo vacet rebus diuinis, quod significatur in sanctificatione; illa enim dicuntur sanctificari in lege, quæ diuino cultui applicantur: aliud autem est cessatio operum. Et de quo opere intelligatur apparet ex Numero 7. vbi dicitur, *omne opus seruile non facietis in eo.* Est autem triplex seruitus &c. de quo fusè ad Exodi 20. caput.

A 2. 2. 122.4.1.

VERSVS XV. *Numerabitis &c. septem hebdomadas plenas.*

Percensentur in Danielem septem genera hebdomadarum, [B] aptanturque statui pœnitentiæ, prima horarum, secunda dierum, tertia septimanarum, quarta mensium, quinta annorum; sexta septimanarum annorum, septima septuagesimorum. Prima horarum est curationis, Ioannis 4. *reliquit eum febris hora septima:* (*hanc potest alludere dies sabbati, quia concernit sanctitatem*) secunda dierum, est requietionis; & innuitur quia sabbati requies est. Isaiæ 1. *quiescite agere peruersè.* Tertia scilicet septimanarum, est notitiæ discretionis & dilectionis, vnde post septem hebdomadas ab exitu ex Ægypto, data est lex Exodi 20. & post septem hebdomadas à resurrectione datus est Spiritus Sanctus, *huc facit præsens textus.* Quarta est mensium, afflictionis scilicet & humiliationis; *de qua versu 32.* cætera vide ibi.

1 B Daniel. 9.

Hæc solemnitas Pentecostes erat vna ex tribus solemnioribus, cum Phase & scenophegia; nam in his conuenire debebant in locum quem elegerat Dominus, vt patet Exodi 23. Ita pluries [C] D. Thomas commemorat. Et in illis

C 1a. 2 [illegible] 1.1.& 2a 2æ 40. [illegible] Thren. 1

tribus

tribus vicibus mandatum erat, vt omne masculi-
num generis iudæorum, in Templo præsentare-
P Ioan. 5. l. 1. tur; [P] & sic festum imminebat Pentecostes quan-
do ibi legimus, *ascendit Iesus Ierosolymam*. De
his omnibus & alijs in præsenti capite.

VERSVS XVII. *Ex omnibus habitaculis vestris panes* &c.

2 D. Thomas pulcherrimè redarguit eos, qui
arguerent ritum Ecclesiæ consecrandi in azimo,
E 3. p. 74. 4. ad 2. & 3. [E] quasi iudaizaret, quia, inquit, Ecclesia non in-
tendit cæremonias legis seruare, sed conformare
se institutioni Christi, alioquin & celebrantes in
pane fermentato iudaizarent, quia iudæi panes
primitiarum fermentatos offerebant. Fermen-
tum autem significat charitatem propter ali-
quem effectum, quia scilicet panem facit sapidio-
rem, & maiorem: sed corruptionem significat
ex ipsa ratione suæ speciei.

VERSVS XXXII. *Affligetis animas vestras: à vespera vsque ad vesperam.*

Status veteris testamenti comparatur no-
cti, status vero noui testamenti, diei; secundùm
illud ad Rom. 13. *nox præcessit, dies autem appro-
pinquauit*, ideò in veteri testamento, ieiunabant
F 2. 2. 147. 7. 2. vsque ad noctem: non sic in nouo testamento. [F]

VERSVS XXXVI. *Dies quoque octauus erit celeberrimus atque sanctissimus* &c.

3 Per septem dies [G] habitabant in taberna-
G Ioan. 7. l. 2. culis, in memoriam quòd quadraginta annis ha-
bitauerunt in tabernaculis in deserto. Sanctus
Paulus 1. Cor. 16. mandat de collectis, de qui-
bus & hic, dicens *ita & vos facite per vnam sab-
H 1. Cor. 16. l. 1. bati*. Per vnam sabbati vult D. Thomas, [H] in-
telligi posse primam diem post sabbatum, scilicet
Dominicam, quia iam inoleuerat consuetudo,
vt populus in dominicis diebus ad Ecclesiam
conueniret. Et ad hoc astruendum adducit tex-
tum capitis huius: *dies primus vocabitur, celeber-
rimus atque sanctissimus*. Erat autem iste primus
dies, mensis quintusdecimus.

4 Memorat hunc locum idem Sanctus Do-
I Ps. 6. ctor [I] in Psalmum 6. *qui inscribitur in finem in car-
minibus pro octaua*. Habetur, inquit, in historia
Leuitici 23. quòd in mense septimo iudæi facie-
bant festum tabernaculorum, septem diebus: &
octauus dies inter eos erat celeberrimus; erat
enim dies cœtus atque collectæ: quæ fiebat pro
necessatijs ad cultum diuinum & pauperibus: &
fortè Dauid fecit psalmum in ista solemnitate, &
dicebatur in octauo die. Pertinet autem festum
istud ad mysterium, quia per octo significatur
resurrectio, quando colligentur omnes à qua-
tuor ventis à summo terræ, vsque ad summum
cœli: Matthæi 24. Vel dicitur octaua, propter
quorundam falsam opinionem, qui dicebant
quòd post septem millia annorum futura esset
resurrectio. *Et paulo post*. Vel ideò per octauam
significatur resurrectio quia octaua ætate erit.
Nam prima ætas currit ab Adam vsque ad Noe:
secunda à Noe vsque ad Abraham: Tertia ab
Abraham vsque ad Dauid: quarta à Dauid vsque
ad transmigrationem Babylonis: Quinta à trans-
migratione vsque ad Christum; sexta à Christo
vsque ad finem mundi: curruntque simul sexta
& septima ætas, scilicet quiescentium & labo-
rantium, & post has erit octaua ætas resurgen-
tium.

5 Portò pro pleniori horum omnium festiui-
tatum intelligentia, necesse est exscribere, quæ
in prima 2. traduntur. [L] Sciendum itaque, quòd L p. 102. 4. 10.
in veteri lege, septem erant solemnitates tempo-
rales, & vna continua, vt potest colligi Numeri
28. & 29. Erat enim quasi continuum festum,
quia quotidie mane, & vespere immolabatur
agnus: & per illud continuum festum iugis sa-
crificij, repræsentabatur perpetuitas diuinæ bea-
titudinis. Festorum autem temporalium primum
erat, quod iterabatur qualibet septimana, &
hæc erat solemnitas sabbati, quod celebratur in
memoriam creationis rerum. Alia autem solem-
nitas iterabatur quolibet mense: scilicet festum
Neomeniæ, quod celebrabatur, ad commemo-
randum opus diuinæ gubernationis: nàm hæc
inferiora præcipuè variantur secundùm motum
lunæ: & ideò celebrabatur hoc festum in noui-
tate Lunæ: non autem in eius plenitudine, ad
euitandum idololatrarum cultum, qui in tali
tempore lunæ sacrificabant. Hæc duo beneficia
sunt communia toti humano generi; & ideò fre-
quentiùs iterabantur. Alia verò quinque festa
celebrabantur semel in anno, & recolebantur in
eis beneficia specialiter illi populo exhibita. Ce-
lebrabatur enim festum Phase primo mense, ad
commemorandum liberationis beneficium ex
Ægypto. Celebrabatur autem festum Penteco-
stes post quinquaginta dies, ad recolendum bene-
ficium legis datæ. Alia verò tria festa celebra-
bantur in mense septimo: qui quasi totus apud
eos erat solemnis, sicut septimus dies. In prima
enim die mensis septimi erat festum tubarum, in
memoriam liberationis Isaac, quando Abraham
inuenit arietem hærentem cornibus, quem re-
præsentabant per cornua, quibus buccinabant:
erat autem festum tubarum, quasi quædam inui-
tatio vt præpararent se ad sequens festum, quod
celebrabatur decimo die; & hoc erat festum ex-
piationis, in memoriam illius beneficij, quo
Deus propitiatus fuerat peccato populi de ado-
ratione vituli ad preces Moysi.

Post hoc autem celebrabatur festum Sceno-
phegiæ, idest, tabernaculorum septem diebus,
ad commemorandum beneficium diuinæ prote-
ctionis, & deductionis per desertum, vbi in ta-
bernaculis habitauerunt. Vnde in hoc festo de-
bebant habere fructum arboris pulcherrimæ, id-
est citrum: & lignum densarum frondium, idest
myrtum, quæ sunt odorifera: & spatulas palma-
rum, & salices de torrente, quæ diù retinent
suum virorem: & hæc inueniuntur in terra pro-
missionis; ad significandum, quòd per aridam
terram deserti, eos deduxerat Deus ad terram
deliciosam. Octauo autem die celebrabatur
aliud festum, scilicet cœtus atque collectæ; in
quo colligebantur à populo ea, quæ erant ne-
cessaria ad expensas cultus diuini; & significaba-
batur adunatio populi, & pax præstita in terra
promissionis.

Figuralis autem ratio horum festorum est; 6
quia per iuge sacrificium agni, figuratur perpe-
tuitas Christi, qui est agnus Dei, secundùm il-
lud Hebræorum vltimo; *Iesus Christus heri, &
hodie, ipse & in sæcula*. Per sabbatum autem desi-
gnatur spiritualis requies, nobis data per Chri-
stum, vt habetur ad Hebræos 4. Per neome-
niam autem, quæ est incensio nouæ lunæ, signifi-
catur illuminatio primitiuæ Ecclesiæ per Chri-

stum,

stum, eo prædicante, & miracula faciente. Per festum autem Pentecostes, significatur descensus Spiritus-sancti in Apostolos. Per festum autem expiationis significatur emundatio à peccatis, populi Christiani. Per festum autem tabernaculorum, peregrinatio eorum in hoc mundo, in quo ambulant in virtutibus proficiendo. Per festũ autẽ cœtus atq; collectæ significatur cógregatio fidelium in regno cęlorum: ideò istud festum dicebatur sanctissimum esse. Et hæc tria festa erant continua ad inuicem; quia oportet expiatos à vitijs, proficere in virtute; quousque perueniant ad Dei visionem, vt dicitur in psal. 82. *Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion.*

M Col. 2. 14. Memorat etiam alibi has solemnitates. [M] In veteri lege, inquit, erat solemnitas iugis, vt sacrificium vespertinum, vel matutinum: quædam autem, quæ certis temporibus fiebant: & harum quædam fiebant pluriès in anno; quædam semel tantùm sicut Pascha, Scenophegia, & Pentecoste. Sed Sabbatum & Neomenia pluries; quia illud qualibet hebdomada, illud semel in mense. Pertransit expressionem festi tubarum, expiationis, & collectæ. Gulielmus Durandus Rationalis l. 4. num, 13. collectæ festum ita vocari vult, quia in fructuum collectione fiebat: & figurabat futuram operum nostrorum collectionem. Ex quo collecta quoque dicitur Oratio, quæ super collectum in stationibus populum. Dicuntur etiam collectæ orationes in missa; quia Sacerdos, qui fungitur legatione ad Deum pro populo, in eis petitiones omnium in vnum colligit, & concludit, vt eas ad Dominum referat.

De collecta autem idem Sanctus Doctor [N] ibi, *& fecerunt dedicationem altaris diebus octo*, inquit, quòd erat contrà consuetudinem festiuitatum legalium, quæ tantum durabant septem diebus, sed hoc fuit in significationem gloriæ cęlestis, quam recipient martyres nouæ legis, per eos significari. Neque obstat de octaua die Scenophegiæ; quia ipsa propriè non erat de festiuitate, nisi tantùm pro collecta facienda. N 1. Machab. 4.

C A P V T X X I V.

1 ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Præcipe filijs Israel, vt afferant ti-
bi oleum de oliuis purissimum, ac lucidum ad concinnandas lucernas iugiter, 3
extra velum testimonij in tabernaculo fęderis. Ponetque ęas Aaron à vespere vs-
que ad mane coram Domino cultu, rituque perpetuo in generationibus vestris. 4 Super
candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini: 5 Accipias quoque
similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas: 6 quorum
senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues: 7 & pones super eos
thus lucidissimum, vt sit panis in monimentum oblationis Domini. 8 Per singula sabbata
mutabuntur coram Domino suscepti à filijs Israel fędere sempiterno: 9 eruntque Aaron,
& filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto: quia Sanctum sanctorum est de sacrificijs
Domini iure perpetuo. 10 Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat
de viro Aegyptio inter filios Israel, iurgatus est in castris cum viro Israelita. 11 Cumque
blasphemasset nomen, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen (Vocabatur autem mater
eius Salumith, filia Dabri de tribu Dan.) 12 Miseruntque eum in carcerem, donec nossent
quid iuberet Dominus. 13 Qui locutus est ad Moysen, dicens: 14 Educ blasphemum
extra castra & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum po-
pulus vniuersus. 15 Et ad filios Israel loqueris: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit
peccatum suum: 16 & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus op-
primet eum omnis multitudo, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Qui blasphemauerit no-
mẽ Domini, morte moriatur. 17 Qui percusserit, & occiderit hominẽ, morte moriatur. 18 Exod. 21 b. 12.
Qui percusserit animal, reddet vicarium, idest, animam pro anima. 19 Qui irrogauerit
maculam cuilibet ciuium suorum: sicut fecit, sic fiet ei: 20 fracturam pro fractura, oculum Matth. 5. f. 39.
pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. Exod. 21. c. 12.
21 Qui percusserit iumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur. 22 Ae-
quum iudicium sit inter vos: siue peregrinus, siue ciuis peccauerit: quia ego sum Dominus Deut. 19. d. 21.
Deus vester. 23 Locutusque est Moyses ad filios Israel, & eduxerunt eum, qui blasphema-
uerat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filij Israel sicut præceperat Do-
minus Moysi.

VERSVS II. *Præcipe filijs Israel vt afferant tibi oleum &c.*

Quamuis Dei cultus generali modo pertineret ad totum populum, speciali quadam ratione pertinebat ad sacerdotes & Leuitas, qui erant ministri cultus diuini; & ideo in sacramentis veteris legis, quædam pertinebant communiter ad totum populum; quædam autem specialiter ad ministros: & circa vtrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio in statu colendi Deum; & hæc quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per circumcisionem, sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium: quantùm verò ad sacerdotes, per sacerdotum consecrationem. Secundò requirebatur vsus eorum quæ

pertinenti ad diuinum cultum: & sic quantùm ad populum erat esus Paschalis conuiuij, ad quem nullus incircumcisus admittebatur, vt patet Exodi 12. & quantum ad sacerdotes oblatio victimarum, & esus panum propositionis, & aliorum quæ erant sacerdotum vsibus deputata. Tertio requirebatur remotio eorum, per quæ aliqui impediebautur à cultu diuino, scilicet immundiriarum: & sic quantùm ad populum erant instirutæ quædam purificationes, à quibusdam exterioribus immunditijs, & etiam expiationes à peccatis. Quantum verò ad sacerdotes & Leuitas erat instituta ablutio manuum &
A p. 2. 102. 5. pedum, & rasio pilorum. hæc D. Thomas.[A] De consecratione sacerdotum & de huiusmodi cæremonijs agitur Exodi 29. Leuitici 8. & Num. pariter 8. Vide autem quàm opportunè post memoratas in capire præcedenti pro Dei cultu solemnitates, transitur ad vsum ministerij, de quo paulò ante. Si vnquam autem lucere debet, alijsque exemplar esse summus sacerdos, certè in celebrioribus festis, *& super candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt*. Extrà velum testimonij, quia in Ecclesia militante, quæ per prius tabernaculum potest significari, vt dictum est, Exodi 26. debet sacerdos splendere. De Ioanne Baptista dicitur, *erat lucerna ardens & lucens* Ioan. 5. prius ardere, deinde lucere: quò facit illud D. Thomæ in Apocalypsi 2. de
B Apoc. 3. prædicatore, qui [B] habere debet claritatem in scientia, & ardorem in vita: claritatem in exemplo, & ardorem in anima. Quod etiam designatur hic, nàm oleum expetitur purissimum ac lucidum. Quod purissimum est, ardet facile, cum inter cetera purissimum sit elementum ignis: quidam apud Sanctum Brunonem Sermone 5. de confessoribus *lucernæ quidem sunt; at non ardentes; nisi enim ignis inferior extinguatur, superior lucere non potest; inferior ignis luxuria est, superior verò quis alius nisi gratia Spiritus Sancti?* O-
C p. 3. 102. 3. 13. leum iam ex D. Thoma,[C] significat gratiam Christi. Propterea mox adijcitur, *super candelabrum mundissimum*: Hoc autem nisi moraliter exponatur, iam præsumitur; quoniam Exodi 25. habemus, *facies & candelabrum ductile de auro mundissimo* & c. 37. *fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo*: Quamuis honorificentiæ gratia repeti per encomium possit.

VERSVS III. *Cultu rituque perpetuo.*

Sacerdotium Aaron in se perpetuum non erat; nam vt assumitur ab Apostolo, seu potius præsumitur Hebræor. 6. & 7. ex ps. 109. *quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundùm Aaron dici?* propter figuratum ergo sacerdotium Chri-
D Hebr. 7. l. 1. & 3. sti [D] perpetuitas hic, & Exodi 27. exprimitur, quia illud quod figurabatur per illud sacerdotium, perpetuum erat.

VERSVS V. *Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes.*

1 E Math. 12. Memorat locum istum [E] in Matthæum, dicens: de pura farinula fiebant duodecim panes, & isti ponebantur in mensa propositionis in sabbato, & in alio sabbato amouebantur, & ponebantur alij, & illi comedebantur à filijs Aaron. De hoc fuse Exodi 25. Hic panis alterius panis nimirum Eucharistici erat figura, qui non solùm à sacerdote, sed etiam ab alio populo percipitur, & ideo Dauid 1. Regum 21. recipiens ab Achimelech panes huiusmodi, figurat populum.

VERSVS VII. *Et pones super eos thus lucidissimum.*

Thus offerebatur Deo ad designandam deuotionem mentis, quæ est necessaria offerentibus; & etiam ad designandum odorem bonæ famæ: [F] nàm thus & pingue est & odoriferum. F p. 2. 102. 3. 14.
Mensa est purissima, thus lucidissimum!

Sed per mensam panum significatur [G] G l. c. a. 4-6.
etiam temporale nutrimentum vitæ: & ideò mensa ponitur ex parte Aquilonari, scilicet ad sinistram: quia Australis pars, est dextera pars mundi; ad significandum quomodo temporalia bona ad sinistram habenda sunt. Prouerb. 3. *in sinistra illius diuitiæ & gloria*. Nihilominus & pro tẽporalibus bonis, & specialius pro nutrimento vitę gratias agere perpetuas debemus Dño illiq; benedicere; quemadmodũ Religioso iusticuro sit quoties acceditur & receditur a mẽsa, iuxtà illud 1. Cor. 10. *siue ergò manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*.

Sed heu, inquit D. Thomas super conuiuia 2
filiorum Iob, in conuiuijs homines interdum non solùm impuritatem contrahunt,[H] per ine- H Iob 1.
ptam lætitiam, per inordinatam loquacitatem, & per immoderatum vsum cibi; sed etiam grauioribus peccatis immerguntur; aliquando vsque ad Dei contemptum; propter lasciuiam, ratione absorpta, & à reuerentia diuina, abstracta; sicut in Exodo dicitur; *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*; idest fornicari vel idolis immolare.

VERSVS X. *Ecce autem egressus filius mulieris* &c.

Fortè voluit Dominus, quis scit? hæc, post conuiuij significationem adijcci, vt quæ paulo ante dicta sunt in Iob, accidere aliquando comprobaretur. Sed quia vt dictum est, Altaris mensam, mensa illa præfigurabat, quid mirum si iurgia commemorantur, quando Ioannis 6. futurum erat, vt ad cœlestis panis mentionem, litigarent Iudæi ad inuicem dicentes, *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*. Iurgatus hic est etiam in castris filius Ægyptij cum viro Israelita.

VERSVS XI. *Cumque blasphemasset nomen, & maledixisset ei.*

Iob citato primo capite, legimus, consue- 3
uisse Patrem pro filijs offerre holocausta, *ne fortè benedixissent Deo in cordibus suis*. Sentit D. Thomas,[I] vt possit intelligi à contrario sensu, & sic I Iob 1
per hoc, quòd dicitur, *benedixerint*, intelligatur *maledixerint*; crimen enim blasphemiæ tam horribile est, vt scripturæ sanctæ ipsum nominare proprio nomine reformident; sed potiùs per contrarium significent. Sic in præsenti, alia via scelus ingens detegitur, dum cuius nomen blasphemauerit impius iste, subticetur; ait enim Moyses *nomen*; non addit, *Domini*: horribile est siquidem vel audire, hoc enunciari, de facto. Postea versu 16. exprimitur, non tanquam factum, sed sub comminatione: *Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur*. Quòd si Apocalypsis 16. legitur, *æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Domini habentis potestatem super has plagas*; non adeo est mirum, quia

de

L 2.2.13.4. de damnatis presumitur omne malum de quo D. Thomas [L] ex professo, in 2.2. Quam protulerit impius iste blasphemiam, non habemus ex Sacro textu: Verùm quia legimus non solū maledixisse, sed etiā blasphemasse; satis liquet non fuisse blasphemiam quandam ex ira, quæ interdum est idē cùm maledictione, vt patet Iob 1. & 22.q.76. a.4. 1. sed blasphemiam potissimam, quæ habet in se grauitatem infidelitatis, quæque aggrauatur ex superueniente detestatione voluntatis, & adhuc magis prorumpendo in verba, de qua 2.2. q. 13. a. 3. eo vel maximè quòd iste de viro non Israelita sed Ægyptio natus erat; quid mirum si iubente Domino necatus est? Deprehenditur etiam fuisse infidelem, quia iubetur lapidari extrà castra. Vacca rufa de qua Numeri 19. moriebatur extrà castra, in detestationem [M] idololatriæ. Et Numeri etiam 15. qui colligebat ligna in Sabbato, & occisus fuit tanquam [N] infidelis, extra castra lapidibus obrutus est. Et præterea paulo post habemus, *qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum*. Quòd videtur significare non facilè illi remitti, vt deducitur ex doctrina, quam tradit [O] D. Thomas de hirco misso in desertum supra c. 16. nec tamen dicitur iterarò *morte moriatur*, quemadmodum de blasphemo, qui non solùm dicat, sed etiam falsò sentiat de vero Deo. Quod ad mortem æternam, post lapidationem referri potest.

M p. 2. 102. 5. 1. & 6.
N p. 2. 105.2.9.
O p. 2. 102.5.6.

VERSVS XVII. *Qui percusserit, & occiderit hominem*, &c.

Non perperam hæc, & sequentia tenore vno attexuntur; quæ aliàs satis promulgata sunt Exodi 23. Priusquam enim de facto impius lapidibus opprimatur, immo inter pronunciandum sententiam de illius morte, dicuntur: certè non alia de causa, nisi quia intendit Dominus reuocata ad memoriam lege, occasiones amputare iurgiorum atque blasphemiæ. Pauli tempore, vt habetur Romanorum 2. nuper citato, blasphemabatur nomen Dei inter Gentes; quia scilicet Gentes; [P] videntes Iudæorum malam cōuersationem; reputabant hoc prouenire ex mala instructione legis à Deo traditæ: vnde Apostolus tangit Scripturæ antiquæ auctoritatem dicens, *sicut scriptum est*, scilicet Isaiæ 52. *Dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meum blasphematur*, & Ezechielis 36. secundùm aliam literam; vbi nostra sic habet: *Non propter vos faciam domus Israel, sed propter nomen Sanctum meum, quod polluistis in Gentibus*. Itaque quæ non exprimitur in textu, blasphemia indicatur contextibus; nàm peruertebatur iudicium ad extraneos præcipuè: vnde adiecit, *æquum iudicium sit inter vos, siue peregrinus, siue ciuis peccauerit*, de quo & Deuteronom. 1. v.16. *quod iustum est iudicate; siue ciuis sit ille siue peregrinus; nulla erit distantia personarum; ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam*.

P Rom. 2.24.

4 Quoniam verò in tribus tanquam principalibus bonis, potest proximo inferri iniuria; nimirum in persona, in rebus, & in honore: hæc tria tanguntur; *qui percusserit, & occiderit hominem*; ecce personam: *qui percusserit animal*; *ecce rem possessam*: *qui irrogauerit maculam*; ecce inhonorationē; puta per detractionem, aut conuitium, vel contumeliam. Ne in eiusmodi delictis, & offensis puniendis, iniustè iudicetur, talionis recolitur pena: *fracturam*, inquit, *pro fractura*; quod ad personæ læsionem attinet: (Ieremiæ 30. *insanabilis fractura tua*;) *oculum pro oculo*; quod ad bona temporalia refertur; nàm ad hæc est concupiscentia oculorum: *dentem pro dente*; qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur; quia Ecclesiastes 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit*, S. Doctor, in sermone post Pascha, ex Epistola [Q] tertia, inquit, est lingua serpentina & venenosa, quæ est in inuidis, & detractoribus, Ps. 139. *Acuerunt linguas suas, sicut serpentes*: Et Apostolus, ad Gal. 5. *Quòd si inuicem mordetis, & comeditis; videte ne ab inuicem consumamini*: *mordetis*, [R] idest in parte, famam proximi detrahendo, aufertis: qui enim mordet, non totum accipit, sed partem: *& comeditis*, idest totam famam aufertis, & totaliter detrahendo confunditis. Philipp. 3. *videte canes*. *Dentem ergò pro dente*.

Q Serm. Dominic. 4.
R Galat. 5.1.3.

VERSVS XIX. *Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium*.

Ex Philosopho in 3. Politicorum, dupliciter quis dicitur esse ciuis; [S] vno modo, *simpliciter*; & alio modo *secundùm quid*. Simpliciter quidem ciuis est, qui potest agere ea, quæ sunt ciuium; puta dare consilium, vel iudicium in populo. *Secundùm quid* autem ciuis dici potest, quicumque ciuitatem inhabitat; etiam viles personæ, & pueri, & senes, qui non sunt idonei, ad hoc quòd habeant potestatem, in ijs quæ pertinent ad commune. Cuicumque ergo ciui irrogata fuerit macula, vult Deus, & Dominus, æquam administrari iustitiam. Propterea fortè sequitur

S p. 2 105.3.2.

VERSVS XXI. *Qui percusserit iumentum, reddet aliud*.

Etsi paulò antè supra id prædictum omninò videatur, noster differenter transtulit: ibi *animal*; hic *iumentum*; quod vile animal sonat. Et repetitur: *qui percusserit hominem*; vt doceamur, non esse pro vilitate, aut paupertate læsi, à recto tramite deuiandum, sed expendendam esse æquam pusilli, & magni naturam: *pusillum, & magnum ipse fecit; & æqualiter est illi cura de omnibus*. Sap. 6. *Qui percusserit* deinde *hominem* consideretur læsus vt homo, non vt iumentum, non vt vilior, aut altero despicatior.

VERSVS XXIII. *Locutusque est Moyses ad filios Israel; & eduxerunt eum, qui blasphemauerat*, &c.

Mortem acerbiorem, & productiorem penam, quàm sit cita totius populi lapidatio, promeruerat impius. Peccata in proximum aliquando obseruat S. Doctor [T] grauius fuisse punita; vt schismatis, Numeri 26. puniti sunt plures inconsueta morte. Sed pena, quæ ipsi inflicta fuerit in altera vita, magis responderit grauitati culpæ. Rom. 2. *Iudicium Dei est secundùm veritatem*. Certè damnatus credēdus est blasphemus iste infidelis: quòd dicat Dominus, *qui non credit iam iudicatus est*. Io. 3. ideò nec illius scitur nomen, nec paterna scribitur origo: tanquàm meritò deletum sit illius nomen de libro Vitæ, qui nomen Dei blasphemauerat: *deleantur de libro viuentium, & cùm iustis non scribantur*. In quo talionis penæ apparet vestigium: vt qui nomen Dei blasphemauit, nomen ignominio-

T de malo q. 2. a 10.4.

fus, nusquam vocandus vltrà à Deo, perdat. Sic diuitis Lucæ 16. non exprimitur nomen, benè vero mendici.

6 Quoniã verò, aliud est esse [Y] peccãtẽ, & aliud Y Galat. 1.4.
esse peccatorẽ: nã primũ denominat actum: secũdũ verò promptitudinem, siue habitũ ad peccandum: iste, qui appellatur *blasphemus*; *educ blasphemum*, erat citra dubium talis, ex habitu, male de Deo vero sentiens; at occasione iurgij, blasphemiam coram audientibus protulit: in repentinis enim homo operatur [X] secundùm finem præconceptum, & secundùm habitum præcedentem, vt Philosophus dicit in 3. Ethicorũ. Verùm, etiamsi subito motu iræ, blasphemiam vomuerit, à peccato mortali non excusatur: eo quòd aduerterit significata verborum; sicut non excusatur, qui ex subito motu iræ, aliquem [A] iuxtà se sedentem occidit. Excusaretur autem si ex aliqua passione, subitò ex surreptione, proromperet quis in verba imaginata, illorum significationem non considerans. Caueat tamen vnusquisque, ne iracundis animis præbeat peccati occasionem: quia, sicut Augustinus dicit, *vitio contentionis, & inuidiæ*, (adde tù, *& iniustitia*) *perniciosa iurgia inter homines nutriuntur; quibus consumitur societas, & vita.* [B]

X p. 2. 09.8.

A 2.2.13. .1.

Priusquam autem lapidatus sit, posuerunt B Gal. 5. l.5.
omnes, qui audierant, *manus super caput eius* 7
quasi in attestationem veritatis, quam retulerant; quasique protestarentur, velle in caput suum retorqueri pœnam, si falsa dixissent. Sic Danielis 13. Susannæ capiti, senes illi manus imposuerunt. Vel erat publica imprecatio pœnæ; sicut Sacerdos supra c. 16. ponebat vtramque manum super caput hirci, quasi portaturi pœnam pro peccatis populi: quod ait D. Thom. [C] C p. 2. 102.1.6.

C A P V T X X V.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens; 2 Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis; sabbatizes sabbatum Domino. 3 Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis
vineam tuam, colligesque fructus eius. 4 septimo autem anno sabbatum erit terræ, requie-
tionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis. 5 Quæ sponte gignet humus,
non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam: annus enim requie-
tionis terræ est: 6 sed erunt vobis in cibum, tibi, & seruo tuo, ancillæ, & mercenario tuo,
& aduenæ qui peregrinantur apud te: 7 iumentis tuis, & pecoribus omnia quæ nascuntur,
præbebunt cibum. 8 Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, idest, septies
septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem, & clanges buccina mense septimo,
decima die mensis, propitiationis tempore in vniuersa terra vestra. 10 Sanctificabisque
annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est
enim iubilęus. Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque rediet ad familiam
pristinam: 11 quia iubilęus est, & quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis
sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis, 12 ob sanctificationem
iubilęi, sed statim oblata comedetis. 13 Anno iubilęi redient omnes ad possessiones suas,
14 quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed iux-
ta numerum annorum iubilęi emes ab eo, 15 & iuxta supputationem frugum vendet tibi.
16 Quanto plures anni remanserint post iubilęum, tanto crescet & pretium: & quanto mi-
nus temporis numeraueris, tanto minoris & emptio constabit, tempus enim frugum ven-
det tibi. 17 Nolite affligere contribules vestros, sed timeat vnusquisque Deum suum, quia
ego Dominus Deus vester. 18 Facite præcepta mea, & iudicia custodite, & implete ea,
vt habitare possitis in terra absque vllo pauore, 19 & gignat vobis humus fructus suos, qui-
bus vescamini vsque ad saturitatem, nullius impetum formidantes. 20 Quod si dixeritis:
Quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? 21
Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum: 22 sere-
tisque anno octauo, & comedetis veteres fruges vsque ad nonum annum: donec noua na-
scantur, edetis vetera. 23 Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos
aduenæ, & coloni mei estis, 24 vnde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis
conditione vendetur. 25 Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & vo-
luerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat: 26 sin autem non habuerit
proximum, & ipse pretium ad redimendum potuerit inuenire: 27 computabuntur fructus
ex eo tempore, quo vendidit: & quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessio-
nem suam, 28 quod si non inuenerit manus eius vt reddat pretium, habebit emptor quod
emerat vsque ad annum iubilęum. In ipso enim omnis venditio redibit ad dominum, & ad
possessorem pristinum. 29 Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam
redimendi, donec vnus impleatur annus, 30 si non redemerit, & anni circulus fuerit euo-
lutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in
iubilęo. 31 Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum iure vende-

tur, si ante redempta non fuerit, in iubileo reuertetur ad dominum. 32 Aedes Leuitarum,
quæ in vrbibus sunt, semper possunt redimi: 33 si redemptæ non fuerint, in iubileo reuer-
tentur ad dominos, quia domus vrbium Leuitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel.
34 Suburbana autem eorum non vęneant, quia possessio sempiterna est. 35 Si attenuatus
fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi aduenam, & peregrinum, &
vixerit tecum, 36 ne accipiat vsuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum,
vt viuere possit frater tuus apud te. 37 Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram, & frugum
superabundantiam non exiges. 38 Ego dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra
Aegypti, vt darem vobis Terram Chanaan, & essem vester Deus. 39 Si paupertate com-
pulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, 40 sed quasi
mercenarius & colonus erit: vsque ad annum iubileum operabitur apud te, 41 & postea
regredietur cum liberis suis, & reuertetur ad cognationem & ad possessionem patrum suo-
rum, 42 mei enim serui sunt, & ego eduxi eos de Terra Aegypti, non vęneant conditione
seruorum: 43 ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum. 44 Seruus & an-
cilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt. 45 Et de aduenis, qui peregrinan-
tur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos: 46 & hære-
ditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum, fratres autem vestros filios
Israel ne opprimatis per potentiam. 47 Si inualuerit apud vos manus aduenæ, atque pere-
grini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe eius: 48 post vendi-
tionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis redimet eum, 49 & patruus, & pa-
truelis, & consanguineus, & affinis. Sin autem, & ipse potuerit, redimet se, 50 supputa-
tis duntaxat annis à tempore venditionis suæ vsque ad annum iubileum: & pecunia, qua
venditus fuerat, iuxta annorum numerum, & rationem mercenarij supputata. 51 Si plu-
res fuerint anni, qui remanent vsque ad iubileum, secundùm hos reddet, & pretium: 52 si
pauci; ponet rationem cum eo iuxta annorum numerum, & reddet emptori quod reliquum
est annorum, 53 quibus ante seruiuit mercedibus imputatis: non affliget eum violenter in
conspectu tuo. 54 Quod si per hæc redimi non potuerit, anno iubileo egredietur cum li-
beris suis. 55 Mei enim sunt serui filij Israel, quos eduxi de Terra Aegypti.

QVoniam vt ait Apostolus 1. ad Timotheum 1. *finis præcepti charitas*, vult Dominus per Moysen, post hactenus mandata, ad charitatem mutuam populum promouere. *Qui diligit ait* idem Paulus Rom. 13. *proximum, legem impleuit*. Traduntur ergò in hoc capite leges quomodo ad inuicem se gerant in rebus, & in personis; & quidem de vniuersis, occasione priuilegiorum quorundam Leuitarum. Itaque est.

VERSVS III. *Sex annis seres agrum tuum &c.*

Primò consulitur vberius fraternæ communicationi in rebus; quod quidem quia cedit in vtile multitudinis, videtur præmitti: nàm vt ait Philosophus 1. Ethicor. c. 2. *bonum multitudinis diuinius est, quàm bonum vnius*: ex quo dicebat Apostolus 1. Corinth. 10. *non quærens quod mihi vtile sit, sed quod multis*. Sicuti autem supra c. 19. quoad pauperes, vult eis dimitti manipulos, quos fuissent obliti, fructusque & racemos remanentes; ita mandat ad communicationem amoris, magis fouendam, vt quæ septimo anno nascuntur, sint vniuscuiusque. Sic Exodi 23. memorato hoc anno sabbatico, adijcitur, *vt comedant pauperes populi tui, & quidquid reliquum fuerit edant bestiæ agri*. Hinc additur, *erunt vobis in cibum, tibi & seruo tuo, ancillæ & mercenario tuo*: vnde vltrà egestatem pauperum, qua certè Domini non premebantur, maximè quia sexto anno, trium annorum Deo largiente, colligebant fructus, vt patet v. 21, aliquid altius tropologiæ latebat, de quo dicam posteà. Interim stetur literæ, quam perpendit ^A D. Thomas (cum quo & infrà) dicens; circà res possessas optimum est,

A p. 2. 105.2. c. & ad 1.

sicut dicit Philosophus in 2. Politicor. c. 3. quòd possessiones sint distinctæ: & vsus sit partim communis, partim autem per voluntatem possessorum communicetur.

VERSVS X. *Sanctificabis annum quinquagesimum &c. reuertetur homo ad possessionem suam.*

Sicut dicit Philosophus in 2. Politicorum per possessionum irregularitatem plures ciuitates destruuntur: & è contrà regulatio possessionum, multum confert ad conseruationem ciuitatis vel gentis: vnde, sicut ipse dicit, apud quasdam gentilium ciuitates, statutum fuit, vt nullus possessionem vendere posset, nisi pro manifesto detrimento. Si enim passim possessiones vendantur, potest contingere, quòd omnes possessiones ad paucos deueniant; & ita necesse erit ciuitatem, vel regionem habitatoribus euacuari. Et ideò lex vetus ad huiusmodi periculum remouendum, sic ordinauit, quòd, & necessitatibus hominum subueniretur, concedens possessionum venditionem vsque ad certum tempus: & tamen periculum remouit, præcipiens, vt certo tempore possessio vendita ad vendentem rediret. Et hoc instituit, vt sortes non confunderentur, sed semper remaneret eadem distinctio determinata in tribubus. Quia verò domus vrbanæ non erant sorte distinctæ, ideo concessit, quòd in perpetuum vendi possent, sicut & mobilia bona; non enim erat statutus numerus domorum ciuitatis, sicut erat certa mensura possessionis, ad quam non addebatur. Domus verò quæ non erant in vrbe, sed in villa muros non habente, in perpetuum vendi non poterant; quia huiusmodi domus non construuntur, nisi ad cul-

tum, & ad custodiam possessionum; & ideò lex congrue statuit ius circa vtrumque. Hæc optimè B p. 2. 105. a. 6. & 3. [B] D. Thomas.

VERSVS XXXIX. *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater &c.*

Quoniam de hoc satis dictum est Exodi 21. solùm animaduerto discrimen seruitutis hebræi, respectu Domini pariter hebræi, indigenæ, & respectu alicuius peregrini aut aduenæ: quia quamuis in his, quæ attinent ad cultum Dei, & animæ salutem, parificarentur: vnde Exodi 12. dicitur; *si quis peregrinorum* (peregrinus est qui per terram alienam transitum facit) *in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur priùs omne masculinum eius: & tunc ritè celebrabit, eritque simul sicut indigena terræ.* Quare euadebat aduena, ceu qui in terram eorum aduenerat ad inhabitandum: attamen in temporalibus non statim æquabantur: vnde in sequentibus vult, vt si alicui illorum hebræus quis vendatur, & possit redimi, & studiosè à coniunctis redimatur. Videatur D. Thomas de C p. 2. 105.3. suprà dictis. [C]

Relicta autem literali intelligentia, cogimur vel inuiti mysticum aliquem credere subesse sensum. Neque enim ob solam communicationis causam, aut ob similes alias excogitatas, puta vt debitus honor & cultus sabbatismis exhiberetur; vel vt Deo fiderent, auaritiamque execrarentur, ad miracula raperetur Deus pollicendo in sexto anno triplam messem. Et prætereà de terræ venditione fortè non ageretur, quandò infrà dumtaxat Num. 34. de illius præscribitur diuisione: *ego dedi vobis terram in possessionem, quam forte diuidetis vobis.*

Igitur reuertendo ad primum, septimus annus est septima ætas quiescentium; est sabbatum terræ, quæ rectè pro anima ponitur; *anima mea sicut terra sine aqua tibi* ps. 142. *diligenter exerce agrum tuum* (Prouer. 24.) Vinea quoque est anima nostra; *quid est quod debui vltrà*, Isaiæ 5. *facere vineæ meæ? homo erat pater familias qui plantauit vineam* (Matthæi 21.) *expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas*: post mortem non esse tempus monemur serendi aut putationis: (Ecclesiastes 3. *tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est.*) *Agrum* inquit, *non feres & vineam non putabis. Tempus est requietionis: vt requiescant* (Apocal. 14.) *à laboribus suis; & requietionis Domini*; quia de ijs fit hoc loco sermo, qui decedentes in charitate, (quod annuit litera de fraterna dilectione astruens argumenta) requiescunt in Domino: illo autem anno siue tempore sabbatico, non est locus messi vel vindemiæ: *non metes, non colliges, quasi vindemiam*; quia non est status vltrà seminandi; seminamus enim solùm in vita præsenti. Galat. 6. *quæ enim seminauerit homo, hæc & metet*, & Corinth. 9. *qui parce seminat, parce metet.* In fine quidem vitæ metemus, *tempore*, inquit Apostolus, *suo, metemus: opera enim illorum sequuntur illos*, Apocalypsis 14. & Eccl. 11. *in fine hominis denudatio operum illius*, & Ps. *venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

1 Fuit error, imò hæresis Lutheri, animas in purgatorio existentes, non esse extrà statum merendi: easdem in purgatorio peccare sine intermissione, quamdiù quærunt requiem, & horrent pœnas, vt videre est apud Roffensem artic. 39. & apud Paulum Grysaldum de purgatorio num. 9. Sed in Sabbato non seritur ager: mereri & demereri pertinet, vt ait D. Thomas [D] ad statum viæ. Meritum enim habet rationem viæ ad finem: mortui autem non sunt viatores, vnde de eis hoc intelligitur, quod legitur, Iob 19. *semitam meam circumsepsit & transire non possum.* D. Hieronymus Eccles. 11. & in Epistola ad Galat. inquit, *cum ista vita transierit, orandi tempus auferetur.* S. Augustinus Serm. 44. ad fratres in Eremo; *tempus operandi iam profugit ab eis.* Denique authoritas est Scripturæ Ecclesiastes 9. *quodcumque facere potest manus tua instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Sed ad hæc videantur scholastici 1. 1. q. 62. a. 4. & p. 2. q. 114. de merito, nec non in 4. d. 21. q. 1. a. 3. & q. 7. de malo a. 11. In anno autem illo sabbatico, quæ sponte gignit humus, sunt omnibus in cibum vt patet ex sacro textu; quia bona Ecclesiæ ad quæ nulla satigatione insudant animæ separatæ, sunt ad illorum vtilitatem, in quantum ex charitate, quæ facit ea cõmunia, interiorẽ sentiũt consolatione de aliorũ suffragijs: vel in quantum, specialiùs ex inteutione suffragantis, sunt in satisfactionem, ad delendas promeritas pœnas de quo [E] item in quarto sententiarum. *Iumentis autem & pecoribus cedunt etiam in cibum* quia quæ passionibus rapti commisimus in vita, ibi dimittuntur.

D p. q. 62. a. 12. 13. 4. 2. & in 4. 45. 1. 1. a.

E 4. 45. q. 2. 4. & quodl. 2. a. 14.

At non sistitur in hoc anno requietionis 2 solemnior sanctiorque indicitur post septem hebdomadas annorum, idest post septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem. Per numerum septenarium commune est ex D. Gregorio ibi, *de qua septem dæmonia exierant*, vniuersitatem designari; vniuersum ergò tempus non est dubium hic quoque intelligi; post quod, locum habet quod dicitur Apocalypsis 19. *Tempus non erit ampliùs.* Post hanc ergo mundi durationem, annus quinquagesimus erit: *ipse est iubilæus: reuertetur homo ad possessionem. Et spiritus* Eccl. 12. *redeat ad Deum, qui dedit illum.* Ibi est nostra possessio. *Hic peregrinamur à Domino.* 2. Corinth. 5. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ioan. 14. Quod ne ad literam solùm intelligatur, iteratò dicitur; *Anno Iubilæi redient omnes ad possessiones suas: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Matthæi 25. Tunc plena tradetur possessio, cum & corpora finaliter glorificabuntur. Cùm de temporali possessione reipsa sermo est, *redibit* inquit v. 29. *venditio ad Dominum, & ad possessorem pristinum.* In resurrectione è contrà nos ibimus ad possessionem: atque vt subdit, *vnusquisque redies ad familiam pristinam.* Familia est Regnum celeste; in quo erimus, *& ciues Sanctorum, & domestici Dei.* Adstipulatur huic expositioni, quod sequitur, quia *Sexto anno trium annorum colligimus fructus.* Quæ enim fiunt in cursu vitæ bona opera, & in septimo quietis, & in octauo plenæ retributionis tempore conseruantur. Ipsum etiam iubilæi nomen id probat; nam vbi nos habemus [F] *Psallite et in vociferatione*, legit D. Hieronymus, *in iubilatione*, seu *iubilo*: est aut iubilus lætitia ineffabilis, quæ verbis exprimi non potest, sed voce datur intelligi gaudiorum latitudo immensa. F Ps. 32.

Et

Et tù adde quod canit Ecclesia, *omnis illa Deo sacra, & dilecta ciuitas, plena modulis in laude, & canoro iubilo*: hinc S. Doctor docet in hoc septi-
G Danielis 9. manarum septenario [G] debere nos ad promis-
sionis terram anhelare. Quid mirum, si ante terræ possessionem, de illa hic agitur: nàm gloriæ felicitas antequàm obtineatur nos allicit? Numerus autem congruenter durationem pęnalis æternitatis in inferno significat: eò quod simili quadam ratione interpretatur D. Thomas locum Danielis; *Et effundebatur flamma super for-*
H Danielis 3. *nacem cubitis quadragintanouem.* [H] dicens, flamma verò quæ vsque ad quadragintanouem cubitos geometricales ascendit, & malos consumit, pęnæ sunt infernales, quæ nunquàm ad numerum quinquaginta, qui est numerus remissionis ascendunt. *Sacro dierum numero*, canit item Ecclesia, *quo lege fit remissio.*

At vltra iubilęum gloriæ, tangitur & remissio gratiæ, per delictorum veniam, & indulgentiam. Qui itidem annus est quinquagesimus. Sic super Psalmum 50. hic psalmus inquit
I Ps. 50. [I] est quinquagesimus, & hic est numerus iubilęi, in quo fiebat remissio omnium debitorum: vnde congruit hic numerus huic psalmo, in quo agit de plena remissione peccatorum. Est autem Psalmus. *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

3 Igitur cùm versu 25. legitur. *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam; & voluerit propinquus*, &c. S. Doctor in diuinissimo opusculo de Sacramento scrutans qua ratione datum sit ingens pretiũ sanguinis Christi, astruit fuisse ob triplicem magni boni perditi recupera-
tionem: est autem [L] triplex bonum, scilicet li- L op. 58.
bertas à seruitute Diaboli; introitus cęlestis Re- c. 27.
gni; & hæreditas filiorum Dei: pro hoc postremo bono, inducit præsentem textum. De tertio, ait, Leuitici 25. *Si frater tuus vendiderit possessiunculam suam, si voluerit propinquus eius, potest redimere, quod ille vendiderat*; hoc fecit Christus, pretio sanguinis sui. Certè vendit sub seruitutis peccato vili pretio quis animam suam, bonaque spiritualia quæ possidet; *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Ioan. 8. idcirco statim de seruitute fit sermo; *Gratis venundati estis; & sine argento redimemini*; Isaiæ 52. Consentit & Glossa [M] in hoc loco; nàm cum versu 27. dica-
tur *computabuntur fructus ex eo tempore quo vendi-* M 4.15.2.
dit, inquit, *quod fructus bonæ conuersationis debet* 3.3.
computari ex eo tempore, quo peccauit. Quod exponens Angelicus tertiò docet intelligi, in quãtùm aliquis plura bona faciens, etiam in peccato, se magis disponit ad gratiam contritionis. Denique D. Hilarius in Catena Matthæi 10. ibi, *asse væneunt, mysticè*, inquit, *quod venditur, corpus atque anima est; & cui venditur peccatum est.* & D. Thomas, Rom. 7. ibi, *venundatus sub peccato*; quia peccator se ipsum vendit in seruum peccati, pretio propriæ voluntaris implendæ. Isaiæ 50. *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.*

CAPVT XXVI.

1 EGo Dominus Deus vester: Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos eri- Exod. 20.
getis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum, ego enim a.4.
sum Dominus Deus vester. 2 Custodite sabbata mea, & pauete ad Sanctuarium Deut. 5.a.8.
meum, ego Dominus. 3 Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieri- Psalm. 96.
tis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, 4 & terra gignet germen suum, & b.7. Deut. 28.
pomis arbores replebuntur. 5 Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia oc- a.1.
cupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabi-
tis in terra vestra. 6 Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat.
Auferam malas bestias: & gladius non transibit terminos vestros. 7 Persequemini inimicos
vestros, & corruent coram vobis, 8 persequentur quinque de vestris centum alienos, &
centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. 9 Respi-
ciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. 10
Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proijcietis. 11 Ponam
tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. 12 Ambulabo inter 1. Cor. 10.
vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus. 13 Ego Dominus Deus vester: qui d.16.
eduxi vos de terra Aegyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregit catenas ceruicum vestra-
rum, vt incederetis erecti. 14 Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata Deut. 28.
mea, 15 si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à b.15. Thren. 2.
me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum: 16 ego quoque hæc faciam c..7.
vobis. Visitabo vos velociter in egestatę, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & con- Matth. 2.
sumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. 17 Ponam a.12.
faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his, qui ode-
runt vos: fugietis, nemine persequente. 18 Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam
correptiones vestras septuplum propter peccata vestra. 19 & conteram superbiam duritiæ
vestræ. Daboque vobis cęlum desuper sicut ferrum, & terram æneam. 20 Consumetur
incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. 21 Si
ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum
propter peccata vestra: 22 immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, & pe-

cora

cora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ. 23 Quod si
nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi: 24 ego quoque
contra vos aduersus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra, 25 indu-
camque super vos gladium vltorem fœderis mei: Cumque confugeritis in vrbes, mittam
pestilentiam in medio vestri, & trademini in manibus hostium, 26 postquam confregero
baculum panis vestri: ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos
ad pondus: & comedetis, & non saturabimini. 27 Sin autem nec per hæc audieritis me,
sed ambulaueritis contra me: 28 & ego incedam aduersus vos in furore contrario, & cor-
ripiam vos septem plagis propter peccata vestra, 29 ita vt comedatis carnes filiorum ve-
strorum, & filiarum vestrarum. 30 destruam excelsa vestra, & simulachra confringam.
Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea, 31 in tantum
vt vrbes vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam Sanctuaria vestra, nec recipiam
vltra odorem suauissimum. 32 Disperdamque terram vestram, & stupebunt super ea ini-
mici vestri, cum habitatores illius fuerint. 33 vos autem dispergam in Gentes, & euagi-
nabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, & ciuitates vestræ dirutæ. 34 Tunc
placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ: 35 quando fueritis in terra ho-
stili sabbatizabit, & requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eo quod non requieuerit in sab-
batis vestris quando habitabatis in ea. 36 Et qui de vobis remanserint, dabo pauorem in
cordibus eorum in regionibus hostium: terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi
gladium: cadent, nullo persequente, 37 & corruent singuli super fratres suos quasi bella
fugientes, nemo vestrum inimicis audebit resistere, 38 peribitis inter Gentes, & hostilis
vos terra consumet. 39 Quod si & de ijs aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus
suis, in terra inimicorum suorum: & propter peccata patrum suorum, & sua affligentur: 40
donec confiteantur iniquitates suas, & maiorum suorum, quibus præuaricati sunt in me, &
ambulauerunt ex aduerso mihi. 41 Ambulabo igitur, & ego contra eos, & inducam illos
in terram hostilem, donec erubescat incircumcisa mens eorum: tunc orabunt pro impietati-
bus suis. 42 Et recordabor fœderis mei, quod pepigi cum Iacob, & Isaac, & Abraham.
Terræ quoque memor ero, 43 quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit sibi in sabbatis
suis, patiens solitudinem propter illos, ipsi verò rogabunt pro peccatis suis, eo quod abie-
cerint iudicia mea, & leges meas despexerint. 44 Et tamen etiam cum essent in terra ho-
stili, non penitus abieci eos, neque sic despexi vt consumerentur: & irritum facerem pactum
meum cum eis, ego enim sum Dominus Deus eorum, 45 & recordabor fœderis mei pristi-
ni, quando eduxi eos de Terra Aegypti in conspectu Gentium, vt essem Deus eorum, ego
Dominus. Hæc sunt iudicia, atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter se, & fi-
lios Israel in monte Sinai per manum Moysi.

MVlta promittuntur in hoc capite Iudæis si in præceptis Dei ambulauerint: quocircà ait & Apostolus Roman. 9. *Quorum sunt promissa*, & c. 15. *Ad confirmandas promissiones Patrum*. Sed
A Rom. 9.1.4. per promissiones huiusmodi [A] & bona temporalia, spiritualia præfigurabantur. Igitur cum sequitur.

VERSVS VII. *Persequimini inimicos vestros.*

1 Præceptum fuit [B] antiquis vt persequerentur hostes,
B 3.30.1.2.7. & cum eis fœdus non inirent, in quantùm per eorum amicitiam, in idololatriã pertrahebantur: & in quantùm erant executores diuinæ iustitiæ ex præcepto eius, qui auctoritatem habebat: non autem ita quòd ex vindicta facerent. Et Ecclesia hoc modo mouet bella aduersùs iniquos, vel vt iustitiam faciat; vel vt maius malum euitet; aut maius bonum inducat. Prætereà ad spiritualem trahendo finem; quidã
C Ps. 17. lit. 10. persequuntur alios amore, & zelo; [C] & hoc faciunt, vt ad bonum, siuè ad salutem perducant, vel malum impediant. Psal. 100. *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar*. Moraliter autem inimici nostri, sunt motus concupiscentiæ, qui in nobis sunt, & mouent continua bella Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: hos debemus persequi, comprehendere, &c. & adducto hoc textu; *corruent coram vobis*, subdit; hoc etiam debemus nos facere de malis motibus, & peccatis, vel etiam de Dæmonibus.

VERSVS X. *Comedetis vetustissima veterum*, &c.

Si literæ insistatur, ægrè explicationem, 2
atque intelligentiam congruam recipit præsens textus. Quod enim ait à Lapide, ex vbertate copiaque annonæ, veterem messem veluti abijciendam, non cohæret cum primo, vt comederent valde vetera. Apud Maluendam datur hic sensus, vt nouis superuenientibus, horrea veteribus veluti euacuentur, vt inibi noua condantur? Sed vix de hoc oportuisset præceptum tradere. Stet ergo, sensum recondi mysticum; quemadmodum & in præmissis cunctis promissionibus; qui vel ex hoc vno trahitur, quòd uoluit Dominus statim post mentionem factam paulò ante de messe, & vindemia adnectere quod dicitur, *comedetis vetustissima veterum*, sed interposuit alia, ne quis in cortice literæ persisteret. Imò in eo quod immediate antè dicit, *& firmabo pactum meum*, siue vt legunt 70. & Chaldæa

sta-

statuam pactum meum vobiscum. Futurum quippè indicat aliud pactum, & non dicit, *Quod pepigi cum patribus vestris*, neque pactum pristinum, vel prius, aut pacti priorum quos eduxi de terra Ægypti, vt habetur ad versum 45. quando de aliquali indulgentia, & venia fit sermo, nam intuitu fęderis facti cum Iacob, Isaac, & Abraham, *versu* 42. se, inquit, recordaturum; sed ait *statuam vobiscum*, subinnuendo pactum nouum de quo dicitur Ieremiæ 31. *Ecce dies veniens dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fędus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, &c. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Et quod hæc verè sint dicta quoad hunc textum, collige ex ijs quæ tum hic, tum apud Ieremiam subduntur. Hic habemus, *& ero Deus vester, vosque eritis mihi populus.* Ieremias statim ait, *& ego ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Quod euidenti argumento est, dum & hic fit præmissio de pacto, de illo fieri, de quo in contextu loquitur Ieremias, dicens, *feriam fœdus nouum.*

Et clara intelligentia sequentium; *Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proiicietis*; proijcienda enim erant tandem vetera legalia præcepta, & cæremoniæ, quemadmodùm pluries inducitur [D] à D. Thoma. Cur enim si corticem dumtaxat spectemus literæ in tres classes fit hæc partitio, *Nempe in vetustissima veterum, siue in antiqua antiquorum* iuxta 70. *aut vetera veterum* per Chaldæam; deinde *in vetera*, posteà *in noua*? cur etiam *vetustissima* erãt comedenda, *veteraque* proijcienda aut abijcienda? nimis de annonę cura fuisset solicitus Dominus, nisi de pane vitæ & intellectus, hæc voluisset intelligi. Sanctus Doctor [E] alibi ait, *comedetis vetustissima veterum*, idest pręcepta legis naturæ; & præceptis nouæ legis susceptis, *vetera proijcietis*, idest cæremonialia præcepta veteris legis. Et si roges, cur sub hac phrasi, & metaphora comestionis? faciet satis idem, [F] ferens enim illud Ezechielis 3. *comede volumen istud.* vel deuora inquit, idest cum affectu pertracta, masticando per inquisitionem, & sic transgluttiendo, vt nutriaris. Comestio autem significat masticationem difficilium in Scriptura. Dicit etiam Beatus Gregorius. *Scriptura cibus, & potus est*: in locis obscuris est cibus; quia mandendo, & ruminando sumitur, in locis autem apertis potus est.

D 1. Cor. 5. l. 2. 2. Cor. 5. l. 4. Proœmio Gal. Hebr. 8. l. 3.

E Ephes. 2. l. 5.

F Apoc. 10. ad fin. comm. 2.

VERSVS XI. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, &c.*

Hanc Leuitici authoritatem recolit Apostolus 2. Corinth. c. 6. dicens. Sicut dicit Deus, *quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos; & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Quorum expositio mystica cohærens hactenus dictis duplex tangitur à D. Thoma. [G] Possunt inquit ad præsentiam corporalem referri, *quoniam inhabitabo in illis* per carnis assumptionem. (*Verbum caro factum est & habitauit in nobis*) Et ambulabo inter illos, corporaliter cum eis conuersando: Baruch 3. *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* (Apoc 13. comm. 1. exponitur *ponam tabernaculum*, idest ardorem passionis: stat enim tabernaculum pro Christi corpore.) Deinde exponitur in quantùm sumus & nos templum Dei, & quatuor tanguntur. Primum pertinet ad gratiam operantem (textus habet *operationum*) quod est, Deum esse in aliquo per gratiam; *inhabitabo in eis* scilicet in Sanctis, per gratiam excolens eos. Licèt autem Deus in omnibus rebus dicatur esse, per *præsentiam, potentiam & essentiam*; non tamen dicitur in eis inhabitare, sed in solis sanctis per gratiam. Cuius ratio est, quia Deus est in omnibus rebus per suam actionem, in quantùm coniungit se eis, vt dans esse, & conseruans in esse: in sanctis autem est per ipsorum sanctorum operationem, qua attingunt ad Deum, & quodam modo comprehendunt ipsum; quæ est diligere & cognoscere; nàm diligens & cognoscens dicitur habere in se cognita & dilecta. Secundùm pertinet ad gratiam cooperantem, qua scilicet proficiunt auxilio Dei; & quantùm ad hoc dicit, *inambulabo in eis*, idest promouebo eos *de virtute in virtutem*; nàm hic profectus sine gratia Dei, esse non potest 1. Corint. 15. *gratia Dei sum id quod sum*: nàm sicut gratia operans facit nos esse aliquid in esse iustitiæ: ita & gratia cooperans facit nos in ipso esse proficere. (Et tù nota quomodo videtur Spiritus Sanctus hoc præcipuè intendere, nam suprà versu 3. dicitur primò, *si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea*; vbi Hugo noster animaduertit esse figuram hysteronproteron. Sic præmittit de explosione idolorum, post Christum secuta.) Tertium (pergit D. Thomas) pertinet ad Dei beneficium; & hoc vel protectionis per prouidentiam *ego ero illorum Deus*; idest prouidentia mea protegam eos. Psalm. 143. *beatus populus cuius Dominus Deus eius*: vel beneficium remunerationis, vt sic dicatur; *ero illorum Deus*, idest dabo eis meipsum in mercedem Genes. 15. *ego ero merces tua.* Quartum pertinet ad debitum cultum & seruitium Sanctorum: & quantùm ad hoc dicit; *& ipsi erunt mihi in populum*, idest me colent & mihi obedient, vt mei & non alterius. Psal. *nos autem populus eius.* In mentibus Sanctorum Deum inhabitare probat etiam [H] in Canticis ex hac auctoritate.

G 2. Cor. 6. l. 3.

H Cant. 2. fine.

3 Sed Hebræorum 8. vbi fert Apostolus præfatum Ieremiæ locum, habemus apud D. Thomam miras Doctrinas. [I] In quo enim adducit; *non secundùm pactum*, vetera proijcienda didicimus. Gal. 5. *state & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Matthæi 9. *neque mittunt vinum nouum in vtres veteres*, & Rom. 7. *seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.* Vetus testamentum traditum est seruis, quia quando exierunt de seruitute Ægypti. In sequenti autem lectione vberiùs exponit quæ dixerat 2. ad Corinth. suprà. Dicit [L] ergò *ero illis in Deum*: nomen Dei significat vniuersalem prouidentiam; (hoc ipsum tradiderat ex Damasceno p. p. q. 13. a. 8.) tunc ergo est nobis in Deum, quando habet curam de nobis, & corda nostra ad se trahit; & hoc est respectu iustorum specialiter. Ex hoc ergo, quòd *ero illis in Deum*, sequitur secundum; scilicet, quòd *ipsi erunt mihi in populum*, idest exhibebunt se mihi in populum: sicut enim dicit Augustinus 2. de ciuitate Dei c. 21. *populus est*

I Hebr. 8. l. 2.

L Heb 8. l. 3.

cœtus

cœtus multitudinis, iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus: Quando ergo consentiunt in ius diuinæ legis, vt sint ad inuicem vtiles, & tendant in Deum, tùnc sunt populus Dei, Apocalypsis 21. *ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*. De communicatione populi sic definiti, quoad naturam, agit in prima secundæ. [M]

M p. 2. 105.2.

Ex hoc autem loco Apocalypsis docemur, vlterius in hac Leuitici authoritate intelligi etiam inhabitationem Dei, cum gloria in patria. Sic quidem exponit illud *Ecce tabernaculum Dei* [N] *cum hominibus*, nectens textui præsenti, quia secundùm vtramque naturam, humanam significatam per tabernaculum, & diuinam, *erit eorum Deus*, per essentiam & apparentiam; & nunquam de cætero recedet ab eis, nec ipsi ab eo. Et in commentario 2. tangens difficultatem quomodo dicatur, *ipse Deus erit cum eis*, dum Matthæi vltimo præhaberi perhibetur, *ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus*: Respondet; licèt modò sit cum suis, nequaquam cum eis esse videtur; quia quamdiù in hac mortalitate viuunt, eum manifestè non conspiciunt: sed tùnc verè *cum eis* esse apparebit, quando se glorificatis illis *reuelata facie* manifestabit. Christus autem promisit se esse cum ipsis, omnibus diebus, eis auxilium, & protectionem assiduè impendendo; non autem se eis manifestando. [O] Textus autem Ieremiæ in sequentibus eo capite 31. satis indicat sensum hunc, quem attuli anagogicum.

N Apoc. 21. comment. 1.

O Apoc. 21. comment. 2.

VERSVS XIII. *Et qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti.*

Potest exponi mysticè [P] de aduentu Christi, quo sumus liberati, & erepti de seruitute Babylonis, & de *durissimo Pharaonis imperio*, vt canit Ecclesia. Sed adhùc etiam [Q] ipsa peccata nomine catenæ accipiuntur; & ad hunc sensum exponitur. Nihilominùs stat catena pro pœna temporali, & pro æterna; sicuti Ieremiæ 28. *Catenas ligneas contriuisti, & facies pro eis catenas ferreas*; idest pœnitentiam hìc facere noluisti, & incurres pœnas æternas. Verùm de catenis culparum intelligendo subditur congruè, *vt incederetis erecti*; est enim [R] curuitas culpæ Isaiæ 51. *incuruare vt transeamus*, & c. 59. *semita eorum incuruatæ sunt eis*. Vbi innuitur hominem incuruari [S] à rectitudine iustitiæ ad iniquitatem. Dicunt autem illud, *incuruare vt transeamus*, [T] maligni spiritus peccanti animæ sub specie Hierusalem. *Fecit Deus hominem rectum* Ecclesiastes 7. & Is. 26. inquit, *semita iusti recta est*. At Manasses aiebat 2. Paralip. c. 36. *incuruatus sum multo vinculo ferri*, id est peccati ex op. 58. c. 21. ps. 37. *& sicut onus graue grauatæ sunt super me*; & Hebr. 12. *deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum*. Vbi D. Thomas: peccatum dicitur pondus, quia animam deprimit ad infima, & inclinat ad aliud.

P Isa. 52.

Q Apoc. 20. comment. 2. in initio.

R Isaiæ 59.

S Rom. 11. l. 1. fine.

T Cant. 7.

VERSVS XIV. *Quòd si non audieritis me.*

Iam per comminationem vltionis, contemptores suæ legis intendit Deus terrere, & humiliare. Inquit D. Basilius Lucæ 13. *proprium est diuinæ propitiationis, non silenter pœnas infligere, sed præmittere minas*. Ezechielis 33. dulcissimè admonet; *loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terra, cùm induxero super eam gladium: & tulerit populus terræ virum vnum de nouissimis suis, & constituerit eum super se speculatorem: & ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo; audiens autem quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se obseruauerit, veneritque gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super caput eius erit. Sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit; sanguis eius in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam saluabit.*

VERSVS XVI. *Visitabo eos velociter.*

Mirabitur fortè quis, quòd velociter Deus puniendo visitare minetur, quasi non summam deceat clementiam: sed audiat Machabæorum 2. c. 6. certè cœlestem doctrinam; *etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium: non enim sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, vt cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet*. Aggerat autem, vt patet in litera, ad peccatorum excrescentiam, & cumulum, paulatim gradatimque pœnas, idque, quo fieri datur intelligi ad corripiendum, *addam*, inquit, *correptiones vestras septuplum propter peccata vestra.*

VERSVS XXIII. *Quòd si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi: ego quoque &c.*

Ergo ait D. Thomas, hoc memorato, [V] Tù contrà voluntatem Dei, & Deus contrà voluntatem tuam: tù vis habere beatitudinem, & Deus dabit miseriam. Iàm ad furorem se trahendum prænunciat, *fame, bello, peste*: iàm in idololatras se animaduersurum præuidens, contestatur eorum excidium ac dispersionem.

V Ps. 17. ibi. cum peruerso.

VERSVS XXXVI. *Et qui de vobis remanserint &c. terrebit eos sonitus folij volantis.*

Folium volans [X] dici potest & verbum. In quo quidem, nullam ad præliandum contra hostes idoneitatem ostendit; quoniam Deuteronomij 20. legimus; *qui est homo formidolosus & corde pauido? vadat, & reuertatur in domum suam; ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.*

4
X op. 41. l. 1. 12.

VERSVS XXXXI. *Donec erubescat incircumcisa mens eorum.*

Multiplex est circumcisio, & primo loco recensetur circumcisio [A] cordis, à prauis cogitationibus; & quidem ex hac Leuitici authoritate; cui adstipulatur Apostolus Rom. 2. *Circumcisio cordis in spiritu, non litera*: Anterius aliquod principium ipsa cogitatione inueniri ad nostram salutem [B] in nobis non potest: dicente Apostolo eodem 2. Cor. 3. *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*, nihilominus tù hìc illud recole Osee 13. *perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*. Et præterea solidam D. Thomæ [C] doctrinam, quæ talis est: Quod possumus cum auxilio diuino, non est nobis omninò impossibile; secundùm illud Philosophi in 3. Ethicor. *Quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus*: vnde Hieronymus confitetur, sic nostrum liberum esse arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio.

A Ierem. 4.

B p. p. 13. 5.

C p. 2. 109. 4.

Iuxtà capitis huius seriem eruditissimè pronunciat Angelicus, [D] sicut patet, historias veteris testamenti reuoluenti; communis status populi, semper sub lege in prosperitate fuit,

5
D p. 2. 99. 6. 3.

quam-

quamdiu legem obſeruabant; Et ſtatim declinantes à præceptis legis diuinæ in multas aduerſitates incidebant. Sed aliquæ perſonæ particulares etiam iuſtitiam legis obſeruantes, in aliquas aduerſitates incidebant; vel quia iàm erant ſpirituales effecti, vt per hoc magis ab affectu temporalium alienarentur, & eorum virtus probata redderetur; aut quia opera legis exteriùs implentes, cor totum habebant in temporalibus defixum, & à Deo elongatum, ſecundum quod dicitur Iſaiæ 29. *populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longe eſt à me.*

Quoniam verò vniuerſaliter comminatur Dominus vltionem, quomodo vnus quandoque dicatur puniri pro alterius peccato, operæpretium reminiſci eſt, ex ijs præcipue quæ attuli Exodi 20. quod videtur & hic tangi, dùm verſu 40. habetur, *donec confiteantur iniquitates ſuas & maiorum ſuorum*: & ante, *propter peccata patrum ſuorum & ſua affligentur*. Quare, cum reciprocatio ſit in demeritis, indicatur puniri *peccata patrum in filijs*, quia filij in peccatis parentum nutriti, proniores ſunt ad peccandum; tùm propter conſuetudinem, tùm etiam propter exemplum, patrum quaſi authoritatem ſequentes: maiori pœna eo digni, ſi pœnas patrum videntes correcti non ſunt; quia ſi eorum pœnis non ſunt deterriti, obſtinatiores videntur, vt ait Sanctus Doctor. [E] Punitur autem quandoque à Deo, propter peccatum quod commiſit, gens vel ciuitas; vt alij à ſimili peccato abſtineant: ſicut in temporalibus, quantùm ad ea quæ pertinebant ad communitatem populi, non admittebantur à Iudæis Ægyptij & Idumæi, niſi in tertia generatione. Moabitæ autem, Ammonitæ, & Amalecitæ, nunquam: de quo Deuteronomij 23. & D. Thomas in prima 2. [F] Quomodo autem temporalia bona cadant ſub merito; det illa aliquando Deus, aliquando neget, vide p. 2. q. 114. a. 10.

E p.2.8 8.

F p. 105.1.

C A P V T X X V I I.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 2 Loquere filijs Iſrael, & dices ad
eos: Homo qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatio-
ne dabit pretium. 3 Si fuerit maſculus à vigeſimo anno vſque ad ſexageſimum
annum, dabit quinquaginta ſiclos argenti ad menſuram Sanctuarij: 4 ſi mulier, triginta.
5 A quinto autem anno vſque ad vigeſimum, maſculus dabit viginti ſiclos fœmina decem.
6 Ab vno menſe vſque ad annum quintum, pro maſculo dabuntur quinque ſicli: pro fœmi-
na, tres. 7 Sexagenarius, & vltra maſculus dabit quindecim ſiclos: fœmina decem. 8 Si
pauper fuerit, & æſtimationem reddere non valebit, ſtabit coram ſacerdote: & quantum
ille æſtimauerit, & viderit eum poſſe reddere, tantum dabit. 9 Animal autem, quod im-
molari poteſt Domino, ſi quis vouerit, ſanctum erit, & mutari non poterit, id eſt, nec melius
malo, nec peius bono. quod ſi mutauerit: & ipſum, quod mutatum eſt, & illud, pro quo
mutatum eſt, conſecratum erit Domino. 11 Animal immundum, quod immolari Domi-
no non poteſt, ſi quis vouerit, adducetur ante ſacerdotem, 12 qui iudicans vtrum bonum
an malum ſit, ſtatuet pretium, 13 quod ſi dare voluerit is, qui offert, addet ſupra æſtima-
tionem quintam partem. 14 Homo ſi vouerit domum ſuam, & ſanctificauerit Domino,
conſiderabit eam ſacerdos vtrum bona an mala ſit, & iuxta pretium, quod ab eo fuerit con-
ſtitutum, venundabitur: 15 ſin autem ille, qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit
quintam partem æſtimationis ſupra, & habebit domum. 16 Quod ſi agrum poſſeſſionis ſuæ
vouerit, & conſecrauerit Domino: iuxta menſuram ſementis æſtimabitur pretium, ſi trigin-
ta modijs hordei ſeritur terra, quinquaginta ſiclis venundetur argenti. 17 Si ſtatim ab an-
no incipientis iubilæi vouerit agrum, quanto valere poteſt, tanto æſtimabitur. 18 Sin au-
tem poſt aliquantulum temporis: ſupputabit ſacerdos pecuniam iuxta annorum, qui reliqui
ſunt, numerum vſque ad iubilæum, & detrahetur ex pretio. 19 Quod ſi voluerit redime-
re agrum ille, qui vouerat, addet quintam partem æſtimatæ pecuniæ, & poſſidebit eum.
20 Sin autem noluerit redimere, ſed alteri cuilibet fuerit venundatus, vltra eum, qui voue-
rat, redimere non poterit: 21 quia cum iubilæi venerit dies, ſanctificatus erit Domino, &
poſſeſſio conſecrata ad ius pertinet ſacerdotum. 22 Si ager emptus eſt, & non de poſſeſ-
ſione maiorum, ſanctificatus fuerit Domino, 23 ſupputabit ſacerdos iuxta annorum nu-
merum vſque ad iubilæum, pretium: & dabit ille, qui vouerat eum Domino. 24 In iubi-
læo autem reuertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum, & habuerat in ſorte poſ-
ſeſſionis ſuæ. Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarij ponderabitur. Siclus viginti obolos habet.
26 Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo ſanctificare poterit, & vouere: ſiue Exod. 30 b.15.
bos, ſiue ouis fuerit, Domini ſunt. 27 Quod ſi immundum eſt animal, redimet qui obtulit, Nume. 3.
iuxta æſtimationem tuam, & addet quintam partem pretij: ſi redimere noluerit, vendetur g.47. Ezec. 45.
alteri, quantocumque à te fuerit æſtimatum. 28 Omne, quod Domino conſecratur, ſiue d.12.
homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid ſemel Ioſ. 6. c.
fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino. 29 Et omnis conſecratio, quæ offer- 17.d.25.
tur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur. 30 Omnes decimæ terræ, ſiue de fru-

gibus,

gibus, siue de pomis arborũ, Domini sunt, & illi sanctificantur. 31 Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. 32 Omnium decimarum bouis, & ouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. 33 Non eligetur, nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur: si quis mutauerit: & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. 34 Hæc sunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.

IN hoc capite de ijs traditur lex, quæ absque vlla præsumptione peccati, sed pro arbitratu Deo offerri, aut consecrari contingit. Ac denique etiam postremo loco de decimis, quæ in Sacerdotum sustentationem, Deoque in suis ministris sanctificare dicuntur.

VERSVS II. *Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam.*

Chaldæa sic habet: *Vir qui vouerit votum in æstimatione animarum coram Domino.* Septuaginta. *Homo qui vouerit votum in pretium animæ suæ Domino.* Quare deprehenditur, huiusmodi hic primò memoratum votum, non præsupponi factum simpliciter de persona, sed de pretio, quo posset quis, attenta præstandi seruitij mensura, æstimari: si enim semet ipsum, non sui pretium simpliciter quis vouisset, non apparet cur esset in pretium aliquod commutanda oblatio: imò intelligendus fuisset consecratus Domino: iuxtà quod dicitur versu 28. *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager non vendetur, nec redimi poterit.* Quocircà est

VERSVS IX. *Animal autem quod immolari potest Domino, si quis vouerit Sanctum erit.*

1 Sequitur etiam, vt neque mutari possit de peiori in bonum: qua de re, D. Thomas [A] Animal quod immolari poterat, ex hoc ipso quòd vouebatur, Sanctum reputabatur, quasi diuino cultui mancipatum: & hæc erat ratio, quare non poterat commutari, sicut nec modo posset aliquis rem, quam vouit, iam consecratam, puta calicem, vel domum, commutare in melius, vel in peius: animal autem quod non poterat sanctificari, quia non erat immolatitium, redimi poterat & debebat, sicut ibidem lex dicit. Et ita etiam nunc commutari possunt vota, si consecratio non interueniat.

A 2.2.88. 10.1. & 4. 98. 1. 4.3.

2 Innuit autem in præfatis D. Thomas, quod subditur versu 27. *Quod si immundum est animal, redimet qui obtulit:* à quo tamen excipitur Deuteronomij 23. canis, qui nec offerebatur, nec redimebatur, quamuis alids animalia immunda redimerentur, & eorum pretium posset offerri: quia idololatræ canibus vtebantur in sacrificijs idolorum: & quia significat canis rapacitatem, de qua non potest fieri oblatio: ita D. Thomas. [B] Prædicto etiam sanctificationis iure astruitur [C] non posse quempiam dispensari in voto solemni continentiæ, quia illud quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios vsus commutari. Non enim potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus, vt id quod est sanctificatum sanctificationem amittat: etiam in rebus inanimatis, puta quòd calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer: vnde multò minùs potest hoc facere aliquis Prælatus, vt homo Deo consecratus, quamdiu viuit consecratus esse desistat. Solemnitas autem voti consistit in quadam consecratione, seu benedictione vouentis.

B 2.2. 86. 3.2. C 2.2.88. 11.

VERSVS XXX. *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, &c.*

Trium generum decimas fuisse in lege veteri colligimus ex pluribus locis. Primæ decimæ erant soluendæ Leuitis de quibus dicitur Numeri 18. *Leuitæ decimarum oblatione contenti erunt, quas in vsus eorum, & necessaria separaui.* Aliæ decimæ erant de quibus legitur Deuteronomij 14. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Deus.* Erant quoque & aliæ decimæ de quibus ibidem subditur: *Anno tertio separabis aliam decimam, ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intrà ianuas tuas, venietque Leuita, qui aliam non habet partem, neque possessionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intrà portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur.* hæc ex D. Thoma [D] 3

D 2.2.87. 1.4. & p. 2.105.2.

Pro secundarum elucidatione, sciendum est, præmitti etiam de ipsis sermonem Deuteronomij 12. vbi dicitur, *in loco quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo, illuc omnia quæ præcipio, conferetis,* & versu 12. recensentur quemadmodum & 18. qui epulari ex his debeant; filij scilicet, & filiæ, famuli & famulæ Leuitæ. Igitur vbi fuerit tabernaculum, vel templum, comedetis in conspectu Dei: ibi agitabitis solemnes epulas vestras, & conuiuia, scilicet ter in anno, tribus primarijs festis, quibus eò vobis conueniendum: vt memorat Tirinus nouissimè, Leuitici 19. & Deuteronomij 12. Quamuis remotioribus liceret has primitias redigere in pretium, deinde pro futura emptione. Verùm animaduertit S. Doctor citato loco, has decimas solitas reseruari ad sacrificia offerẽda: Satisque colligitur ex Deut. 12. quæ quidem locum non habent in noua lege, cessantibus legalibus victimis. De tertijs decimis legatur sacer textus. In præsenti loco non exprimitur de quibus præcipuè præceptum sit: at confusa quadam ratione, de omnibus intelligi potest: omnes enim videntur suo modo consecrari Domino.

Ratio autem decimarum soluendarum Leuitis, aperitur, quoniam inditum natura est, vt eis, qui diuino cultui ministrant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministret: vnde & Apostolus hoc probat 1. ad Corinth. 9. per humanas consuetudines dicens, *quis militat suis stipendys vnquam? aut quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit?* ita habemus pluribus [E] locis, præter citatam. 22. 4

E Hebr. 7. 1. 1. & quodl. 2. a.8.

Et sic quantum ad hoc morale, præceptum de decimis datum est in Euangelio Matthæi 20. *Dignus est operarius mercede sua,* & ab Apostolo 1. ad Cor. 9. vt ibi ad 2. quare adhuc est obli-

gatio

gatio in noua lege, tanquam de iure naturali, atque diuino.

Porrò quantùm ad præscriptam quantitatem decimationis, morale præceptum non est, neque fuit. Facta est tamen ab Ecclesia consimilis determinatio, non ad ritum aliquem antiquę legis seruandum, sed pro quadam humanitate, ne minus populus nouæ legis, ministris noui testamenti exhiberet, quàm populus veteris legis ministris veteris testamenti exhibebat: cùm populus nouę legis ad maiora etiam teneatur, Matthæi 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cælorum*; & cùm ministri noui testamenti sint maioris dignitatis, quàm ministri veteris testamenti, vt probat Apostolus 2. ad Cor. 3. Posset tamen Ecclesia pensatis opportunitatibus temporum, & personarum, aliam partem determinare soluendam, puta, vt addit in quodlibeto, vt daretur 8. vel 12.

In veteri autem lege præceptum decimarũ, etsi in quodlibeto dicatur etiam fuisse cæremoniale: tamen in 22. non id firmatur; sed dicitur significasse ex consequenti aliquid futurum: in quo conueniebat cum cæremonialibus præceptis; quæ principaliter instituta erant ad significandum aliquid futurum. Fuit ergo, vt ibi tradit, iudiciale secundum conditionem illius populi, qui cùm in duodecim tribus esset diuisus; duodecima tribus, scilicet Leuitica, quæ tota erat ministerijs diuinis mancipata, possessiones non habebat, cuius ratio fuit ex 4. dist. 24. q. 3. art. 1. ad 3. quia Leuitę erant per omnes tribus dispergendi: quod fieri non potuisset si vnã determinatam partem terræ accepissent sicut aliæ tribus. Vnde conuenienter institutum est, vt reliquæ vndecim tribus, decimam partem suorum prouentuum Leuitis darent, vt honorabiliùs viuerent, vt exponitur Numer. 18. Et quia posset quis dicere nimiam illis portionem esse taxatam; addit D. Th. quia aliqui per negligentiam erant transgressores futuri: vnde recolligo voluisse potiùs vt superfluerent quàm deessent eis honorabiliter necessaria: Sic ergo, ait, quantùm ad determinationem decimæ partis, erat præceptum iudiciale: sicut & alia multa specialiter in illo populo instituta erant, ad æqualitatem inter homines ad inuicem conseruandam.

5
Quomodo autem nonnihil cæremonialis
F 2.2.87. haberet præceptum de decimis, declarat sic, [F] qui decimam dat quæ est perfectionis signum (eo quòd denarius est quodammodo numerus perfectus, quasi primus limes numerorum, vltrà quem numerum non procedunt, sed reiterantur ab vno) nouem sibi partibus reseruatis, protestatur quasi in quodam signo, ad se pertinere imperfectionem; perfectionem verò quæ erat futura per Christum, esse expectandam à Deo. Quod itidem docet de Iacob Genesis 28. dicente, *cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram*
Hebr. 7. *tibi*; vouit siquidem, hoc [G] specialiter, quia ad hoc Dei cultus propriè exhibetur, vt significetur, quòd homo quidquid habet, à Deo accepit, & totam perfectionem suam ab ipso expectat; numerus enim denarius est perfectus, quia consurgit ex partibus suis aliquotis, quia vnum, duo, tria, quatuor faciunt decem; vsque etiam ad ipsum ascendit numerus; & omnes alij non sunt nisi quædam repetitio, & additio suprà denarium: omnes ergo sunt imperfecti, vsque dum peruenitur ad ipsum: & similiter à Deo est omnis perfectio. Vt ergò significaret quòd à Deo est complementum omnis perfectionis, ideo dedit decimas. Sic cautè ibidem non dicit determinationem iuris naturalis, vt ministri seruientes Deo sustenteutur à populo, esse cæremonialem, sed inquit, per legem. Quamuis (addit 22. citata ad 3.) Iacob non videatur decimas vouisse, quasi aliquibus ministris exhibendas, sed in diuinum cultum, puta ad sacrificiorum consummationem: vnde signanter dicit, *offeram tibi*.

Quoniam verò præfato versu 30. & 32. arctantur decimæ ad fruges & poma arborum, atque ad animalia quæ transeunt sub virga pastoris; videtur insufficiens præceptum; quia præter dicta, sunt alia quædam minuta, quæ homini proueniunt, sicut herbæ, quæ nascuntur in horto, & alia huiusmodi. Prætereà, quia Pharisæi, vt habetur Matthæi 23. & Lucæ 11. decimabant *mentam, & rutam, & omne olus*, & vtrobique Dominus fertur dixisse, *hæc oportuit facere*.

Occurritur ex S. Doctore. [H] Decimarum 6
solutio est debita non propter se, sed propter H 2.2.87. 2.3.
ministros; quorum honestati non conuenit, vt etiam minima, exacta diligentia, requirant; hoc enim in vitium computatur, vt patet per Philosophum 4. Ethic. c. 2. Et ideò lex vetus non determinauit, vt de huiusmodi minutis rebus decimæ darentur, sed reliquit hoc arbitrio dare volentium, quia minima quasi nihil computantur. Vnde Pharisæi quasi perfectam legis iustitiam sibi ascribentes, etiam de his minutis decimas soluebant. Nec tamen de hoc reprehenduntur à Domino, sed solùm de hoc, quòd maiora, scilicet spiritualia præcepta, contemnebant. Magis autem de hoc eos secundùm se commendabiles esse ostendit, dicens: *hæc oportuit facere*, scilicet tempore legis vt Chrysostomus exponit, (in art. 1. argumento 2. referendum hoc etiam probat ex Hilario ad tempus præteritum legalis obseruantiæ) Quod etiam videtur magis in quandam decentiam sonare quàm in obligationem.

Quemadmodum autem Leuitis debebantur 7
decimæ, ita sacerdotibus primitiæ, vt patet Numeri 5. 15. & 18. Leuitæ autem qui erant sub sacerdotibus, loco primitiarum præcepit eodem c. 18. vt summo sacerdoti adhùc soluerent decimam decimæ. Quæ recolit omnia [I] D. Th. di- I 2. 2. 87.
cens, nunc etiam eadem ratione teneri clericos 4. 3. & He
summo Pontifici decimam dare, si exigeret: na- br. 7. l. 2.
turalis enim ratio dictat, vt ille, qui habet curam de communi multitudinis statu, prouideatur de bonis communibus, vnde possit exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem. Vide caput 18. Numeri in quo fusè.

Sed posteaquam de veteris legis decimis dictum est, de nouis quasi superfluis, fit hæc obiectio. Leuitis in veteri lege decimæ dabantur, quia non habebant aliquam partem in possessionibus populi, vt habetur Numeri 18. sed clerici in nouo testamento habent possessiones, & patrimoniales interdum, & Ecclesiasticas: recipiunt insuper primitias & oblationes pro viuis & mortuis; superfluum ergo est, quòd eis decimæ dentur.

8 Respondet D. Thomas [L] quòd in veteri lege, ficut dictum eft, fpeciales quædam decimæ deputabantur fubuentioni pauperum; fed in noua lege decimæ dantur clericis, non folùm propter fui fuftentationem, fed etiam vt ex eis fubueniant pauperibus; & ideo non fuperfluunt, fed adhoc neceffariæ funt & poffeffiones Ecclefiafticæ, & oblationes, & primitiæ fimul cum decimis. Videaut ergo laici, ne exempti à tertijs antiquæ legis decimis, iubentem Dominum fpernant Lucæ 11. *quod fupereft date eleemofinam.* Sed videant Ecclefiaftici magis, quam habeant erogandi obligationem. S. Hieronymus hæc apud D. Thomam [M] audacter protulit: *bona Ecclefiæ bona pauperum funt: quicquid præter victum vel neceffaria referuafti, facrilegium eft.* Alibi autem inquit [N] S. Doctor; peccat prodigus in alterum confumendo bona, ex quibus alijs deberet prouidere; & præcipuè hoc apparet in clericis, qui funt difpenfatores bonorum Ecclefiæ, quæ funt pauperum, quos defraudant prodigè expendendo. Et denique in Matthæum ad illa verba; *Qui autem petit à te, da ei.* [O] Quæritur, ait; an ad hoc teneantur omnes & femper? Refpondeo, ad fuperflua tenentur clerici; vnde Ambrofius; *non maioris eft criminis habenti tollere, quàm cum poffis, indigentibus denegare.* De neceffarijs autem vel fuperfluis tenetur, in cafu, quilibet, fcilicet pofito in extrema neceffitate; vnde Hieronymus fuper id Rom. 12. *Si efurierit inimicus tuus &c. quifquis in quacumque neceffitate morituro fuccurrere poterit, fi non fecerit, occidit.*

L 2.2. 87. 3. 1. & 4. ad 4.

M Serm. in feſto S. Laurētij.

N 2. 2. 119. 3.

O Matth. 5.

9 Timeant Ecclefiaftici Ieremiam dicentem c. 22. *Væ qui ædificat domum in iniuftitia, qui aperit fibi feneftras, & facit laquearia cedrina, pingitque finopide*, vbi gloffa, *rubro colore: vel* [P] *ornat fuperfluis, de fanguine Chrifti:* Apocalypfis 2. *noui opera tua &c. & minifterium*; in eleemofinarum largitione, & pauperum releuatione, quibus de fuis facultatibus libenter, & largiter erogabat: ergo Epifcoporum minifterium eft de fuis facultatibus pauperibus fubuenire: & quicquid ipfi fibi thefaurizant, vel parentibus non indigentibus tribuunt, vel in vfus fuperfluos expendunt, vel ioculationibus conferunt, hoc totum furantur, & fubtrahunt pauperibus: vnde Ifaiæ 3. *rapina pauperis in domo veftra*, inquit gloffa; *Principes quoque veftri, cùm pauperes peccantes publicè arguant & confundant, diuitibus peiora peccantibus nec nutum faciunt: in quorum domo rapina pauperum eft, dùm opes Ecclefiæ fibi referuant, & in delicijs abutuntur; & quæ dantur ad fuftentationem pauperum, fibi thefaurizant, vel fuis diftribuunt, & aliorum inopias, fuas, vel fuorum diuitias, faciunt.*

P op. 58. 12.

10 Quocirca iuuat recolere cùm D. Thoma opufc. 17. c. 15. quomodo prædijs, & poffeffionibus ditata fuerit Ecclefia: cuncta enim illi obuenerunt ex piorum oblationibus: quæ vt perfectioni infudarent vendentes, in pauperes erogabant: non ergò offerebantur, vt luxuriarentur Ecclefiaftici in fanguine Chrifti. Vnde vt habetur ab Vrbano Papa 12. q. 1. *Videntes fummi facerdotes, & alij, atque Leuitæ & reliqui fideles, plus vtilitatis poffe conferre, fi hæreditates, & agros quos vendebant, Ecclefijs quibus præfidebant Epifcopi, traderent; eoquòd ex fumptibus eorum, tàm præfentibus, quàm futuris temporibus, plura, & electiora poffent miniftrare fidelibus, communem vitam ducentibus, quàm ex pretio eorum, cœperunt prædia, & agros, quos vendere folebant, matricibus Ecclefijs tradere, & ex fumptibus eorum viuere.* Vide ergo tu quomodo primæua intentio & inftitutum fuit vt omnia diftribuerentur: quamuis vt ait D. Thomas, propter infirmiores, bona in Ecclefijs retenta fint: vnde difpenfatiuè funt in Ecclefia communes poffeffiones acceptæ vt fubdit c. 16. Ter dixit Dominus Ioannis 21. *pafce*, vt non folum verbo, & exemplo, fed & temporali [Q] fubfidio grex pafceretur. De quibus Ecclefiafticis bonis, fideli difpenfatione etiam pro Ecclefiarum fabricis, deftinandis, decernitur ex profeffo 22, q. 185. a. 7. Quod vt executioni mandetur, faxit Deus, benedictus in fæcula. Amen.

Q Io. 21.

FRATRIS INNOCENTII PENCINI VENETI

Ordinis Prædicatorum, Diui Thomæ Aquinatis collectoris, ac interpretis, in Librum Numeri

PROLOGVS.

Cantatissimum est illud Sapientiæ 11. capite; Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti. Cuius quidem expositionem nonnullam tradit Augustinus 4. super Genesin ad literam cap. 3. dicens, mensura omni rei modum præfigit; numerus omni rei speciem præbet; & pondus omnem rem ad quietem & stabilitatem trahit. Cui consonat Sanctus Thomas in 3. contra G. cap. 97. in hac verba, vt per mensuram, quantitatem siue modum, aut gradum perfectionis vniuscuiusque rei, intelligamus; per numerum verò diuersitatem, & pluralitatem specierum, consequentem ex diuersis perfectionis gradibus; per pondus verò, inclinationes diuersas ad proprios fines, & operationes, & ad propria agentia, & patientia, & accidentia, quæ sequuntur distinctionem specierum. Sic Isaiæ 40. facit, inquit, omnia in numero, quantùm ad multitudinem productorum; in mensura, quantùm ad determinationem sub proprio esse; in pondere, quantùm ad inclinationem in finem. Sic p. p. 45. a. 7. mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principijs; numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Quod & Dionysius c. 11. de diuinis nominibus docuisse videtur dicens: omnia diffinit, terminat & firmat. Quæ sanè quemadmodum in creaturis omnibus verificantur; ita specialiter in homine deprehenduntur: qui & naturæ gradum altiorem, & discrimen specificum nobilius, & finem consequenter potiorem, etiam intra naturæ limites, sortitus est; puta in consideratione scientiarum speculatiuarum, vel in cognitione substantiarum separatarum; in quo aliqualis imperfecta nostra beatitudo constituitur: sicut Philosophus in 10. Ethicorum c. 7. & 8. ponit vltimam felicitatem in cognitione maximorum intelligibilium. Sed cum ob animæ immortalitatem, singuli homines æquiparentur veluti speciebus alijs: ex quo colligit D. Thomas p. p. q. 113. a. 2. rationabile esse, vt diuersis hominibus diuersi Angeli ad custodiam deputentur; obtinent pariter singuli, vt dicantur facti singillatim à Deo, in mensura, numero, & pondere: proprijs ac veluti indiuiduis discreti passim inclinationibus; variæ siquidem rei sunt & studia, ad quæ pondere quodam discriminatim homines feruntur; quod attingens Poeta dixit:

> Millia quot capitum viuunt, totidem studiorum:
> Mille hominum species, & rerum discolor vsus;
> Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Non sic de brutis; æquè enim vulpes omnes subdolæ sunt, araneæ eodem pollent ingenio, grues circumspectæ, apes industriæ, formicæ prouidæ. Ex his specialior emicat circa homines Dei prouidentia, quæ est principaliter, vt docet idem Sanctus Doctor loco allato, circa illa, quæ perpetuò manent: circa verò ea, quæ transeunt, in quantùm ordinat ipsa ad res perpetuas. In tantùm autem excellentiori modo sub cura diuina homines ponuntur, vt horum comparatione dicat Apostolus 1. Corint. 9. nunquid de bobus cura est Deo? vt exponit opusculo Compendij Theologiæ parte 2. c. 4. Sicut autem prima ratio diuinæ Prouidentiæ est diuina Bonitas; ita prima ratio in creaturis est earum numerositas, ad cuius conseruationem & constitutionem, omnia alia ordinantur; vt docet in 3. cont. Gent. cap. eodem. En fortè cur ab enumeratione populi inscribitur liber iste; vt scilicet innotescat, quam curam, quam prouidentiam de hominibus dignatus est Deus habere: vnde Deuteronomij 8. ad id innuendum legitur; vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit. Et iterum cap. 29. non sunt attrita vestimenta vestra: iuxta quod & Matth. 6. dixit, & de vestimento quid soliciti estis? Sic Sapientiæ 14 Tua autem Pater prouidentia gubernat; & in præsenti cap. 11. Moyses ad Dominum; nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, aut genui eam? vt dicas mihi, porta eam in sinu tuo; sicut portare solet nutrix infantulum. Verùm de numero prouidentiam concernente dicetur in cap. 1. Satis sit, etiam apud profanos, amori esse & prædilectioni, significare ly esse in numero, sicut aiebat Var-

vo; se putant aliquo numero haberi à Domino; & Tullius, sine hac summus orator esse in numero nullo potest. Et iterum esse in honore & existimatione; dicente Cicerone eodem: quem locum apud Cæsarem obtinuisti, quo numero fuisti? vt in Calepini dictionario fas est videre. Vlteriùs quia causa belli, & ad militarem delectum enumerantur: vnde & Iosue 5. habemus. Populus qui egressus est de Aegypto generis masculini, vniuersi bellatores viri; inde nuncupari hoc nomine librum, verisimile est. Non ergo sumitur Numerus pro ignaua multitudine, de qua Poeta quoque aiebat; Nos numerus sumus, & segetes consumere nati: sed neque accipitur pro exacta potissimum supputatione; benè verò altiori mysterio. Hoc vt patefiat, prælibandum est, non esse vniuersè in morem Sacræ Scripturæ adamussim percensere hæc aut illa, sed consueuisse persæpè neglectu quodam, numeros rerum referre: esto exemplum. Exodi 32. cecideruntque in die illa, quasi triginta tria millia. Ioann. 6. discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia, & Act. 1. erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti. Act. 2. & appositæ sunt animæ in die illa, circiter tria millia. Et cap. 13. crediderunt quot erant præordinati in vitam æternam. Quæ certè non ideò incertè dicuntur, quòd esset nescientia in causa; sed quoniam nihil ad institutionem aut informationem faciebat fidelium, nosse ad vnum vsque, quot vel quot essent. Quare dum hoc in loco, tàm accurato traduntur numero filij Israel, sublateat aliquid mysterij necesse est: aliàs vt quid rogo? Præcipuè ferre libet in medium, quod habetur cap. 1. v. 46. sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta. Et iterum cap. 26. extinctis propter peccata, qui supra numerati fuerant, summa filiorum Israel de nouo numeratorum fertur v. 51. sexcenta millia, & mille, septingenti triginta. Sanè notatu dignum valde est, quod docet Angelicus, p. p. q. 23. a. 7. qualiter licèt sciat Deus numerum omnium indiuiduorum, quarumlibet vel minimarum specierum, puta culicum & huiusmodi: non tamen numerus aliquorum huiusmodi, est per se præordinatus à Deo; sed tot huiusmodi diuina prouidentia produxit, quot sufficiunt ad specierum conseruationem: non sic est de numero eorum, quæ per se requiruntur ad perfectionem alicuius. Fert similitudinem de ædificatore, qui excogitat quidem determinatam mensuram domus, & determinatum numerum mansionum &c. non autem eligit determinatum numerum lapidum, sed accipit tot quot sufficiunt. Sic præordinauit Deus quis numerus esset conueniens essentialibus partibus Vniuersi, quæ scilicet habent aliquo modo ordinem ad perpetuitatem, quot scilicet sphæræ, quot stellæ, quot elementa, quot species rerum: indiuidua verò corruptibilia non ita; ratione quæ suprà. Descendens autem ad numerum prædestinatorum, eos æquiparat rebus principaliter & per se intentis; & sic ait non solùm esse certum, per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis. Ex his, ad rem nostram, in præfiniendo tradendoque notitiæ nostræ exactum adeò numerum bellatorum, nihil aliud intendisse crediderim Dominum per Moysen, nisi vt hoc etiam ex capite, innotesceret scopus denarrationis libri huius; nimirum profectus prædestinatorum ad cælestem atque beatam illam terram promissionis; quod quidem ex totius libri textu intuenti patebit: ac si diceret breui, dum tàm exactus perhibetur numerus militum electorum, deprehendat pius lector, agi hìc de prædestinatis, qui exactè adeò à Deo sunt præordinati; quique sunt ceu strenui athletæ & bellatores egregij Ecclesiæ militantis. Sic dictum est supra ad illud Genesis 22. sicut stellas Cœli, & veluti arenam &c. per stellas bonos, per arenam malos significari: arenæ multitudo etsi cognita, non principaliter præfinita. Vnde & Deuter. 1. exaggeratur filiorum Israel multitudo in prædestinatorum sortem vt ex p. p. 23. 7. 1. & ad Annib. 1. 40. 1. a. 3. Et iam perhibitus eorundem numerus, satis id indicat. Millenarius vt perspectum est, pro vniuersali numero ponitur, quia perfectus est; & terminat numeros præcedentes, nec vltrà eum est alius numerus, nisi per reassumptionem, vt docet Angelicus Apocalypsis 20. ad illa verba. Et vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis; quod idem tradit 4. contr. Gent. c. 83. & in 4. sentent. d. 43. q. 1. a. 3. ad mentem Augustini; consonatque illud Psalm. 104. verbi; quod mandauit in mille generationes. Et in Canticis, mille clypei pendent ex ea. Senarius etiam numerus, dum ait sexcenta millia &c. eandem vniuersitatem posset referre, quia bis seni duodecim faciunt; & duodenario sæpe numero solet, ex sancto Beda, homil. in natali sancti Benedicti, in Scripturis vniuersitas designari. Sed quia, vt ait Angelicus Matth. 13. senarius numerus perfectus est, nihilque ei deest integritatis, consurgitque, vt alibi docet, & dicetur c. 7. ex omnibus suis aliquotis partibus, nàm duo tria, faciunt sex; tria duo, item; & sexies vnum sex reddunt; & similiter, tria duo & vnum (quod non contingit in alijs, puta in octonario, cuius partes aliquotæ, quatuor duo & vnum, septem faciunt; & in duodenario, cuius partes, sex, quatuor, tres, duo, vnum, redactæ in summa pariunt sexdecim,) accipi potest senarius pro perfectionis ac virtutis typo, quæ neque deficit, neque redundat; vt apud Lauretum in Prologo appendicis numerorum; & ita pro viam virtutis prementibus, sint sexcenta millia; ex quo in fide vel implicita Sanctæ Triadis, in ly sexcenta tria millia, comite diuina indulgentia, & remissione in ly quinquaginta, ad Patriam cælestem, peruenire filij Israel dicantur. At hìc ne sistat intelligentia; clarescat, magis ex numero, siue ex summa cap. 26. in quo enumerantur ij qui nati sunt in deserto, incircumcisi, iuxta quod legimus Iosue 5. Omnis populus qui egressus est de Aegypto generis masculini, vniuersi bellatores, mortui sunt &c. qui omnes circumcisi erant; populus autem qui natus est in deserto, incircumcisus fuit: & hæc est causa

secun-

ſecundæ circumciſionis. Fac tibi cultros lapideos. Conſtat autem ex 3. p. q. 70. a. 3. ad 2. per cultrum lapideum figuratam circumciſionem ſpiritualem fiendam per Chriſtum, de quo 1. Cor. 10. Petra autem erat Chriſtus: in quantùm per ipſum, peccatorum reatus, & concupiſcentiæ præſcinduntur; Coloſſ. 2. ſicuti quantùm ad corpus, quando ſcilicet in reſurrectione, ab electorum corporibus omnis paſſibilitas & mortalitas auferetur, vt Roman. 4. lect. 2. Quia ergo vocauit nos, non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus, vt dicitur Roman. 9. idcircò iterum ſexcenta millia computantur, vt compleatur numerus duodenarius tribuum ſignatarum: & quingenti idcircò in priori loco videntur poni, vt quædam veluti vniuerſitatis fidelium; Iudæorum & Gentium, quorum angularis lapis Chriſtus eſt, partitio intelligatur; non ad arithmeticam, ſed ad proportionis menſuram; vt ſic Chriſtus in medio eſſe toties dicatur, & ſit. Quingenti quippe, millenarij dimidium ſunt. Vbi autem Apoſtolus Hebr. 2. fert illud Pſ. 21. in medio Eccleſiæ laudabo te; ait D. Thomas; item in medio, quia non ad vnum populum tantùm. Sed quoniam Gentes Deum verum non cognouerunt, imò omnes Dij Gentium Dæmonia, vnum additur pro vnitate Dei vnius inferenda; ſexcenta millia, & mille; Act. 14. annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum; & quia peculiariter peccatis erant obnoxiæ Gentes, dicente Apoſtolo ad Gal. 2. Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores; non mirum ſi ſeptingenti ob numerum ſeptenarium, dimitte ſeptuagies ſepties, recenſeantur. Tantundem quippe valent ex Auguſt. lib. 3. de doct. Chriſt. ſeptem & ſeptingenti. Triginta denique edocti Trinitatis myſterium conuerſi ex Gentibus; baptizantes eos in nomine Patris, &c. docete omnes Gentes, iam non vltrà naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, quod dicitur Roman. 2. ſed altiori illuſtrati lumine Trinum & vnum Deum decalogi obſeruatione venerantur, & colunt: ex quo triginta quoque enumerati inueniuntur, præter ſeptingentos: quo non abſimili interpretatione exponitur Matth. 13. de fructu tricesimo, & palam ſanctus Doctor 3. p. 39. 3. ad idem; proprietas, inquit, numeri trigeſimi eſt, vt conſurgat ex ductu ternarij in denarium: per ternarium autem intelligitur fides Trinitatis, per denarium autem impletio mandatorum Dei, & in his duobus perfectio vitæ Chriſtianæ conſiſtit. Vterque ergo populus ſic in figura, futurus compos Regni cœleſtis in terra promiſſionis prædicitur; & quia Moyſes pro iis qui erant ſub lege legitimè ſtat, ipſe terram non ingreditur, ſed Ioſue Saluatoris in typum, qui ianuam cœli nobis aperuit vt docemur 3. p. 49. 5. quippe, qui vt dicitur Ioann. 11. moriturus erat pro Gente, & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Quare vidente eodem Ioanne turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ſtat hic numerus pro myſterio, non pro determinato electorum, ſoli Deo cognito.

LIBER NVMERI HEBRAICE VAIEDABBER.

CAPVT PRIMVM.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo
fęderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum
Exod. 10. b. 12. ex Aegypto, dicens: 2 Tollite summam vniuersæ congregatio-
nis filiorum Israel per cognationes, & domos suas, & nomina sin-
gulorum, quidquid sexus est masculini 3 à vigesimo anno, & su-
pra, omnium virorum fortium ex Israel, & numerabitis eos per tur-
mas suas, tu & Aaron. 4 Eruntque vobiscum principes tribuum,
ac domorum in cognationibus suis, 5 quorum ista sunt nomina:
De Ruben, Elisur filius Sedeur: 6 de Simeon, Salamiel, filius Surisaddai, 7 de Iuda, Na-
hasson filius Aminadab, 8 de Issachar, Nathanael filius Suar, 9 de Zabulon, Eliab filius
Helon. 10 Filiorum autem Ioseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud, de Manasse,
Gamaliel filius Phadassur. 11 De Beniamin, Abidan filius Gedeonis, 12 de Dan, Ahie-
zer filius Ammisaddai, 13 de Aser, Phegiel filius Ochran, 14 de Gad, Eliasaph filius
Duel, 15 de Nephthali, Ahira filius Enan. 16 Hi nobilissimi principes multitudinis per
tribus, & cognationes suas, & capita exercitus Israel: 17 quos tulerunt Moyses, & Aaron
cum omni vulgi multitudine, 18 & congregauerunt primo die mensis secundi, recensen-
tes eos per cognationes, & domos, ac familias, & capita, & nomina singulorum à vigesi-
mo anno, & supra, 19 sicut præceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto
Sinai. 20 De Ruben primogenito Israelis per generationes, & familias, ac domos suas, &
nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini à vigesimo anno, & supra,
procedentium ad bellum, 21 quadraginta sex millia quingenti. 22 De filijs Simeon per
generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina, & ca-
pita singulorum omne quod sexus est masculini à vigesimo anno, & supra, procedentium
ad bellum, 23 quinquaginta nouem millia trecenti. 24 De filijs Gad, per generationes,
& familias, ac domos cognationum suarum recensiti, sunt per nomina singulorum à viginti
annis, & supra omnes, qui ad bella procederent, 25 quadragintaquinque millia sexcenti
quinquaginta. 26 De filijs Iuda per generationes, & familias, ac domos cognationum sua-
rum, per nomina singulorum à vigesimo anno, & supra, omnes, qui poterant ad bella pro-
cedere, 27 recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti. 28 De filijs Issachar, per
generationes, & familias, ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum à vige-
simo anno, & supra, omnes qui ad bella procederent, 29 recensiti sunt quinquaginta qua-
tuor millia quadringenti. 30 De filijs Zabulon per generationes, & familias, ac domos co-
gnationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno, & supra, omnes
qui poterant ad bella procedere, 31 quinquaginta septem millia quadringenti. 32 De
filijs Ioseph, filiorum Ephraim per generationes, & familias, ac domos cognationum sua-
rum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno, & supra, omnes qui poterant ad
bella procedere, 33 quadraginta millia quingenti. 34 Porrò filiorum Manasse per gene-
rationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum
à viginti annis, & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 35 triginta duo millia
ducenti. 36 De filijs Beniamin per generationes, & familias, ac domos cognationum sua-
rum recensiti sunt nominibus singulorum, à vigesimo anno, & supra, omnes, qui poterant
ad bella procedere, 37 triginta quinque millia quadringenti. 38 De filijs Dan per gene-
rationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à
vigesimo anno, & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 39 sexaginta duo millia
septingenti. 40 De filijs Aser per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum
recensiti sunt per nomina singularum à vigesimo anno, & supra, omnes qui poterant ad bel-
la procedere, 41 quadraginta millia, & mille quingenti. 42 De filijs Nephthali per ge-

nerationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum
à vigesimo anno, & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, 43 quinquaginta tria
millia quadringenti. 44 Hi sunt, quos numerauerunt Moyses, & Aaron, & duodecim
principes Israel, singulos per domos cognationum suarum. 45 Fueruntque omnis nume-
rus filiorum Israel per domos, & familias suas à vigesimo anno, & supra, qui poterant ad
bella procedere, 46 sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta. 47 Leuitæ au-
tem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis. 48 Locutusque est Dominus ad
Moysen, dicens: 49 Tribum Leui noli numerare, neque pones summam eorum cum filijs
Israel: 50 sed constitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quid-
quid ad cæremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum, & omnia vtensilia eius: & erunt
in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. 51 Cum proficiscendum fuerit, de-
ponent Leuitæ tabernaculum: cum castrametandum, erigent: quisquis externorum acces-
serit, occidetur. 52 Metabuntur autem castra filij Israel vnusquisque per turmas, & cuneos
atque exercitum suum. 53 Porrò Leuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat in-
dignatio super multitudinem filiorum Israel, & excubabunt in custodijs tabernaculi testimo-
nij. 54 Fecerunt ergo filij Israel iuxta omnia, quæ præceperat Dominus Moysi.

1 VERSVS II. *Tollite summam per cognationes, & domos*, &c.

Præcipitur hic, & fit filiorum Israel ex singulis tribubus, idoneorum ad bellum enumeratio. D. Hilarius Matthæi 10. In Catena aurea, *In numerum aliquid colligi diligentiæ est*. Cyrillus Lucæ 12. ibidem; *Diligentiam curæ adhibitæ numeratio manifestat*. Chrysostomus loco priori, *Non quòd pilos Deus numeret (vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt,) sed vt diligentem cognitionem, & multam circa eos prouidentiam ostendat*. S. Doctor etiam [A] prouidentiam eo loci notat. Ne ergò in deserto constituti fiducia in Deum tepescant, crediderim iussisse eos dinumerari. At vlteriùs etiam consectariò dici potest, voluisse huiusmodi lustro, suos, amoris possessu, eos ostendere, sibique seruare: consuetum est enim, vt quæ nobis retinenda sunt numeremus, vt ibi ait D. Thomas: vnde video curam diuinam tacitè repromitti: vituperatur enim, ait Apostolus, *Qui non habet curam suorum maximè domesticorum*, 1. ad Tim. 5. Obseruat autem S. Doctor in capit. 1. Matthæi inter omnes tribus multiplicari tribum Iuda; quia ex ea erant Reges futuri, qui debebant pugnare. Inter omnes autem minùs multiplicatur tribus Leui, quia ordinata erat ad officium diuinũ & sacerdotiũ, ad quod pauciores sufficiebãt. Nũc, aiebat Caietanus, plures sũt Sacerdotes, quàm qui audiunt missam: addo ego, at nõ vera Dei vocatione. Prouideat ergo summus Pontifex, vt probentur spiritus, si ex Deo sint: nã negligũt id exequi Episcopi, & claustrales: & hęc est origo malorum omnium in claustro & clero.

A Matth. 10.

2 VERSVS III. *A vigesimo anno, & suprà omnium virorum fortium*.

Non est hæc simplex enumeratio, sed quidam delectus fortium, qui ad bella procederẽt: quare debiles & formidoli abijciuntur; quemadmodùm expresè legimus Deuteronomij 20. *Quis est homo formidolosus, & corde pauidus? vadat.* Qui quidem in summam redacti, fuerunt, quod dicitur versu 46. sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta. Plures in futurum pollicitus fuerat Dominus, cum dixit Abrahæ, *Numera stellas si potes, sic erit semen tuum*. Tribus Leui his non connumeratur, non quòd arcerentur, si necessitas postularet, vel spontè vellent; sed quòd cogi non possent: erant sanè diuino seruitio, ad quod vocati fuerant, occupandi.

3 Verùm haud credat fidelis in litera nihil latere mysterij: milites, qui antiquitùs adscribebantur ad militiam, solebant quibusdam caracteribus corporalibus insigniri, vt obseruat Angelicus. [B] Hoc in præsenti non legimus; sed mysticè, sine dubio intelligitur: Et in eo quòd dicuntur fortes, præluditur sacramenti Confirmationis caracteri. Per cõfirmationis quippe sacramẽtũ roboramur ad pugnã, scilicet spiritualẽ cõtra hostes fidei & hostes visibiles; publicè cõfitẽdo Christi nomen, quasi ex officio; etiam coram inimicis fidei. Primæ Ioan. *Scribo vobis iuuenes quoniam fortes estis* 3. p. q. 72. a. 1. & 5.

B 3.p.q.63. 1.

Tangit hoc D. Thomas [C] sic arguens, atque respondens. In veteri lege erat necessaria pugna spiritualis, sicut in noua, sed in lege veteri non erat aliquod Sacramentum caracterem imprimens, sicut suprà dictum est, ergo nec Confirmatio caracterem imprimit. Ad secundum, inquit, dicendum quòd in veteri lege, non erat tempus, *per stultitiam prædicationis*, propagandi cultum Dei, sed magis per generationem carnalem; & ideò tunc talis pugna de confessione fidei, non multum erat necessaria: nihilominus tamen erat distinctio huius caracteris figurata in veteri lege, sicut & aliorum. In distinctione enim filiorum Israel ab Ægyptijs, significabatur caracter baptismalis: In distinctione timidorum à fortibus in bello, caracter Confirmationis: In distinctione Leuitarum à fratribus suis, caracter Ordinis. En quomodo præit D. Thomas quasi lucerna: Postquam enim de filiorum Israel ab Ægyptijs exitu & separatione suprà denarratum est: instar fidelium figuratiuè roborantur ad bellum: & signanter ipsis non connumerantur, ad caracterem Ordinis distinctum significandum, Leuitæ. Fortes autem deliguntur; quia (quod traditur ibidem in corpore) etiam tempore persecutionis in Ecclesia eligebantur aliqui, qui deberent in loco persecutionis remanere ad publicè nomen Christi confitendum: alijs occultè credentibus; sicut patet in legenda sancti Sebastiani.

C 4.7.a.1. 1.2.

Porrò meritò percensentur solummodo viri, (quod obseruat S. Doctor Io. 6. l. 1. fecisse etiam Euangelistam legali consuetudine, vtpotè

capa-

capaces doctrinæ perfectè,) quoniam etsi noua Christi in lege mulieres quoque generosè pro fide mortem subierint (fortium prius rara erat inuentio: iuxta quod Salomon *mulierem*, ait, *fortem quis inueniet*? Prou. 3.) nàm apud Deum fœmineus etiam militat sexus: tamen viræ magis quàm fœminæ fuerunt. *Multæ namque fœminæ*: (loquitur Gregorius ita in hom. de militia spirituali) *animo virili spiritalem militiam gesserunt. Quædam enim interioris hominis virtute, viros æquauerunt in agonibus martyrum: quædam etiam fortiores viris extiterunt; nam quibusdam virorum ex ignauia muliebri degenerantibus, illæ sexum infirmum virili mente vicerunt, ac sic in testimonio virtutis victrices pœnarum vires labentibus constituerunt.* Sic vbi Iob 40. de Leuiathan dicitur; *numquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancellis tuis*? ait An-
D Io. 16. 1.8. gelicus, [D] *ad literam post passionem Christi iuuenculæ ancillæ Christi, & paruuli illudunt ei.* Inquit Beatus Petrus Damianus Sermone 2. in natali virginis. *Quanto fragilior sexus, quanto infirmius vasculum, quod reportat ex hoste triumphum, tanto maiori diabolus opprobrio confusionis induitur*, & paulo post, *ex vtroque sexu militiæ suæ cuneos instruit, aciesque componit Rex exercituum Christus, quia viros, ac fœminas ad procinctum beati certaminis indifferenter admittit: & quamquam mirabilis sit Deus in viris, mirabilius, & gloriosius triumphat in fœminis.* Quæ cuncta in deserto huius sæculi ad moralem contrà vitia pugnam, congruenter trahuntur. Et ideò ex glossa inter l. vt apud Lauretum, *sexcenta tria millia quingenti quinquaginta designant perfectos in opere, cum fide Trinitatis, & fortitudine. Militia est vita hominis super terram.* Iob 7.

4 Quoniam verò percensentur hic nomina vtique in libro militiæ exaranda, nam liber mi-
E p.p.q. 24.1.1. litiæ [E] potest dici in quo scribuntur electi ad militiam; non erit absonum hæc ad librum vitæ referre; ac etiam ad prædestinationem, quæ specialiter vitæ liber nuncupatur, quatenus de prædestinatis priuilegiatam aliquam notitiam Deus habet, scilicet approbationis; de quo [F] in di- F de veritate 7-8.
sputatis. Ducor in huiusmodi meditationem, tùm quia ad promissam terram hinc pergitur; tùm quia non filij Iacob, sed Israel vocantur delecti. Iacob autem nomen est veluti à natura Patriarchæ impositum; Israel autem ex gratia, Genesis 32. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*: & facit ad rem, dum subditur: *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis*: fortes viri hic deliguntur: fortibus autem aperitur Cœlum, in quod ablatis portis ingressus est Dominus, sed tanquã *Fortis & potens, potens in prælio*, & Isaiæ 63. *Gradiens in multitudine fortitudinis tuæ.* In huius etiam signum, recensens Dominus Principes tribuum, ac domorum, quamquàm naturæ ordine procedat ab initio, præmittens Ruben, Simeon, & Iudam, tamen non prosequitur iuxtà naturæ primatum; vt indicet ad gratiam prædestinationis nihil conferre: *maior seruiet minori*. Quod deinde permisto confusoque naturæ gradu, accidit in tribuum enumeratione; profectò ad idẽ significandum: ideoque post Ruben atque Simeon, ne crederetur naturalis generationis seriem attendi, transitur ad Gad: signanter facta in Ruben primogenituræ mentione, de *Ruben primogenito*, inquit, *Israelis*, vt illi tantum intelligeretur deberi primas, *qui prædestinatus est filius Dei in virtute*. Rom. 1. eo quòd alios præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; ibidem 8. Et quia suprà dictum est, caput hoc, ad literam prouidentiam prætexere, figuraliter ad prouidentiam supernaturalem, quæ idem est, ac prædestinatio, trahi potest: in fide quippè prouidentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via in beatitudinem, vt traditur sapienter 2. 2. [G] Sic Remigius in Ca- G 2.2.8. 17.
tena Matth. 10. *mysticè Apostoli capilli sunt, qui pulchrè numerari dicuntur, quia nomina sanctorum scripta sunt in cœlis.*

C A P V T I I.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron dicens: 2 Singuli per turmas, si-
gna, atque vexilla, & domos cognationum suarum castrametabuntur filij Israel,
per gyrum tabernaculi fœderis. 3 Ad Orientem Iudas figet tentoria per turmas
exercitus sui: eritque princeps filiorum eius, Nahasson filius Aminadab, 4 & omnis de stirpe
eius summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti. 5 Iuxta eum castrametati
sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar, 6 & omnis numerus
pugnatorum eius quinquaginta quatuor millia quadringenti. 7 In tribu Zabulon princeps
fuit Eliab filius Helon. 8 Omnis de stirpe eius exercitus pugnatorum, quinquaginta se-
ptem millia quadringenti. 9 Vniuersi, qui in castris Iudæ annumerati sunt, fuerunt centum
octoginta sex millia quadringenti: & per turmas suas primi egredientur. 10 In castris filio-
rum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur: & 11 cunctus exer-
citus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti. 12 Iuxta eum
castrametati sunt de tribu Simeon; quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai, 13 &
cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quinquaginta nouem millia trecen-
ti. 14 In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel, 15 & cunctus exercitus pugnato-
rum eius, qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. 16 Om-
nes qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia, & mille quadringenti
quinquaginta per turmas suas; in secundo loco proficiscentur. 17 Leuabitur autem taber-
naculum testimonij per officia Leuitarum, & turmas eorum, quomodo erigetur, ita & de-

pone-

ponetur. Singuli per loca, & ordines suos proficiscentur. 18 Ad Occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud: 19 cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti. 20 Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur, 21 cunctusque exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti. 22 In tribu filiorum Beniamin princeps fuit Abidam filius Gedeonis, 23 & cunctus exercitus pugnatorum eius, qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringenti. 24 Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas: tertij proficiscentur. 25 Ad Aquilonis partem castrametati sunt filij Dan: quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai, 26 cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti. 27 Iuxta eum fixere tentoria de tribu Aser: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran: 28 cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta millia & mille quingenti. 29 De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan: 30 cunctus exercitus pugnatorum eius, quinquaginta tria millia quadringenti. 31 Omnes, qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti: & nouissimi proficiscentur. 32 Hic numerus filiorum Israel, per domos cognationum suarum, & turmas diuisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. 33 Leuitæ autem non sunt numerati inter filios Israel: sic enim præceperat Dominus Moysi. 34 Feceruntque filij Israel iuxta omnia, quæ mandauerat Dominus: castrametati sunt per turmas suas, & profecti per familias, ac domos patrum suorum.

VERSVS II. *Singuli per turmas, signa atque vexilla.*

1 In hoc capite egressus ordo in tribubus, vt proficiscantur præscribitur. Et primas conceditur Iudæ, quamquam non fuerit primò sed quarto genitus; quemadmodum & Ioannes in Apocalypsi c. 7. ponit in primis, *ex tribu Iuda duodecim millia signati*, vt ibi [A] obseruat 2. comm. S. Doctor. Itaque statuitur Iudas, vt figat tentoria ad Orientem, hoc est in parte anteriori tabernaculi. Meridianam plagam obtinet Ruben. Occidentalem Ephraim. Ad Aquilonis plagam castrametati sunt filij Dan. Singuli autem horum quatuor Principum, hinc, & hinc, habuere duos alios cum tribubus suis; quorum nomina expendemus deinde. Perrecturi autem erant sub quatuor labaris seu vexillis; quæ distincta erant certis figuris, videlicet vexillum Iudæ signo leonis; Ruben hominis: Vexillum Ephraim signo bouis: Dan, Aquilæ. Ita apud Tirinum. De leone in vexillo Iudæ mentionem facit & Paulus Burgensis à Sancta Maria, in suo scrutinio: addens etiam in Sanctis Sanctorum eiusmodi notas fuisse. His autem insignijs perbellè Ezechieli præluditur, quatuor Euangelistas Ecclesiæ per illa significanti: quæ quidem tanquam tabernaculum ad omnes mundi plagas & deuehenda erat, & diffundenda. Huc facit quod ait S. Beda relatus in aurea D. Thomæ Catena loquens Marci 3. de Apostolis; *In hoc enim Sacramento, quondam filij Israel circa tabernaculum castrametabantur, vt ex omni parte per quadrum, trinæ tribus manerent. Ter autem quatuor duodecim faciunt; & ter quaterni ad prædicandum sunt missi Apostoli, vt per vniuersas quadrati Orbis plagas, baptizarent Gentes.* Et ibidem D. Hieronymus: *Trini & quaterni circa Tabernaculum Domini excubant, dum sancta Domini verba humeris operum portant.* D. Dionysius vltimo c. Eccles. Hierarchiæ diuinos nostros Duces vocat Apostolos, vt notat D. Thomas 3. Parte q. 67. a. 7.

A Apoc. 7.

2 Ternæ autem proficiscebantur tribus, quaque Orbis parte, non sine mysterio. Ioannes quippe Apocalypseos 21. concinit Moysi dicens; *ab oriente portæ tres; & ab aquilone portæ tres: & ab austro portæ tres; & ab occasu portæ tres.* In tanto scripturarum consensu, locus dubitandi non remanet, quin de itinere ad cœlum faciendo & hic fit sermo. In primo Apocalypsis commentario, ex [B] quatuor inquit partibus mundi, intratur in requiem Dei, per fidem Trinitatis, quam antiqui Patres tenuerunt, & prædicauerunt Apostoli: vnde ps. 106. *dicant nunc qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos; à solis ortu & occasu; ab aquilone & mari.* Secundum glossam, per orientem significantur iudæi, à quibus, *Sol iustitiæ ortus est* Malach. 4. vnde Ioannis 4. *salus ex iudæis est.* (& tu nota, quod ait Apostolus Hebr. 7. *manifestum est, quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster*: & quomodo ex hac dignitate Iudæ inter cæteros hic datur primatus; de quo & dictum fuerat Genes. 49. *Catulus leonis Iuda.*) Per aquilonem significantur gentiles frigidi per infidelitatem, qui post iudæos ad fidem intrauerunt, & per fidem in Ecclesiam. Per austrum significatur totum tempus ab ortu Christi, vsque ad aduentum Antichristi: in quo caluit fides, & incaluit charitas. Per occasum significatur tempus ab Antichristo vsque ad finem mundi. In secundo autem commentario latiùs percensens tempora, diuersimodè aliquantulum rem exponit. [C] Per orientem iusti qui fuerunt in principio mundi, intelliguntur. Per aquilonem designantur illi, qui ex gentilitate quondam à bono frigidi, ad calorem fidei sunt conuersi. Per austrum, iudæos iustos antiquos calentes in fide Saluatoris còuenienter intelligere possumus (tu his necte subintellectos & illos qui extra legalia, verum Deum mente & corde colebant) Per occasum illos qui in fine sæculi conuertentur: quicumque autem saluantur, per Sanctæ Trinitatis fidem, in quatuor mundi partibus iustificantur, aliunde vero nullus introitum habere potuit vel poterit, nisi videlicet per fidem Sanctæ Trinitatis, Hebræor. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* D. Gregorius, *vna fuit fides veterum, & nouorum Patrum, & omnipotentem Deum Trinitatem crediderunt.*

B Apoc. 21.

C Apoc. 21.

runt.

runt. Congerit autem S. Doctor in priori, alias expositiones pro quatuor vniuersi plagis: vt per orientem significetur prima ætas hominis; per Aquilonem frigida senectus; per austrum iuuentus feruente calore; Decrepita per occasum. Item oriens potest esse natiuitas; mors, occasus; inter hos terminos, prosperitas & tribulatio; hoc est, Auster & Aquilo adueniunt. Ternarius numerus virtutes etiam Theologicas, fidem spem, charitatem potest signare.

Sanè postquam fidei robur adumbrauit Moyses in primo capite; in militiæ progressu agnoscimus typum spei: de qua Apostolus sub anchoræ metaphora inquit Hebr. 6. *quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam* (& hic figunt tentoria) *& incedentem vsque ad interiora velaminis*. Charitatis & Symbolum hic non abest, dum sub vno vexillo, in quo & fidei vnitas clarescit, adunantur. Sic pergebat idem Apostolus dicens ad Philippenses 3. *sequor autem si quo modo comprehendam, ad destinatum persequor*, &c. In quibus non solum spes & charitas subinnuitur, sed & fides, cum subdit, *veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus; in vnitate veritatis fidei* vt ibi D. Thomas: nec deest bonæ rectitudo operationis, cum regula bonæ vitæ: quam tu dic & in præsenti subintelligi, In norma atque regula militari.

Sed mirabitur quispiam cur discrimen sit Ioannis & Moysi in dinumerandis vniuersi plagis. Aquilo enim hoc in capite quartò ponitur, non verò secundo, vt in Apocalypsi. Et præterea cum capite præcedenti, fit militiæ lustrum, incipitur à Ruben, hic autem ad proficiscendum Iudas cœteris præit: quare sicuti non variatur ordo accessoriarum tribuum, debuit Inter Ruben, & Iudam commutari?

3 Vt his fiat satis, nominum Patriarcharum duodecim significata expedi necesse est. Docuit S. Paulus nos etiam vti posse nominum interpretationibus, [D] quando & ipse *Rex salem*, inquit, *quod est Rex pacis*. Quod si alibi congruenter fit: non video quare accuratiùs & hic non sit faciendum, dum de prædestinatis, quorum certus est numerus, quorumque *nomina scripta sunt in cælis*, quique ad terram promissionis contendunt, intelligi hæc non solum possunt, sed debent.

D Hebr. 7.l.2.

Incipiendo igitur ab Iuda, *Iuda* interpretatur *confitens*: *Issachar*, *merces*: *Zabulon*, *habitaculum fortitudinis*: *Ruben* interpretatur, *videns filium*: *Simeon*, *exauditor tristitiæ*: *Gad* interpretatur, *tentatio*, siue *accinctus*. Ephraim, qui ponitur loco Ioseph, stat pro *augmento*; sic enim Ioseph interpretatur. *Manasse*, *obliuio*: *Beniamin*, *filius dextera*. *Dan* interpretatur *iudicans*, siue *iudicium*: *Asser*, interpretatur, *beatus*: *Nephthali latitudo*. Excepta interpretatione Dan, omnes feruntur a D. Thoma [E] in 2. commentario Apocalypsis. Nihilominus in primo, *Dan*, inquit, *iudicium* interpretatur: & *Ephraim* interpretatur *fructificans*. Easdem autem cæterorum nominum significationes percurrit ibidem. Tribum autem Ephraim poni pro Ioseph patre suo, præterquam innotescit ex versu 32. capitis præcedentis, asseritur ab eodem Sancto Doctore loco citato commentario 2. cum Magistro in historia Leuitici.

E Apoc. 7.

Ex his non fuerit difficile eorum profectionem capere, qui ad mysticam promissionis terram & pergunt, & perueniunt. Confessio primo in limine ponitur; quia quod ait Apostolus Roman. 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*. Huic autem confessioni, quam congruè merces æternæ gloriæ, animique fortitudo ad mortem vsque associentur, (*fortes in fide*, ait Petrus) non est qui non videat. *Ruben* memoratur exinde, *videns filium* idest opera bona, D. Iacobus *fides sine operibus mortua est*. Comes *Rubeni* est moerorem seu tristitiam videns, aut audiens: in quo dolor de peccatis, si quæ commissa sunt, signatur, & exinde tentatio. Aiebat Leo Sanctus Papa, & refertur op. 60. a. 11. *nemo de cordis sui puritate confidat, cùm ille peruigil hostis, acrioribus pulset insidijs, quos maximè viderit abstinere à peccatis*. Vnde & est secunda nominis *Gad* interpretatio, vt sonet *accinctum*: quam ex Sancto Patriarcha Iacob haustam Genesis 49. ibi exponit dicens [F] *armis & balteo militari*: vel *accinctus*, idest *expeditus*: vnde Numeri huius c. 32. dixerunt Ruben & Gad filij: *nos autem ipsi armati, & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel*. Tertio loco est *Ephraim*, quia fructificans eo magis fit anima ex ipsa pugna, & si stet pro *Ioseph* qui interpretatur *augmentum*, augescit virtute: *multum addit sibi lacessita virtus* aiebat Seneca; sed Paulo Dominus; *Virtus in infirmitate perficitur*. Vnitur autem *Ephraim*, *Manasse* idest *obliuio*; quia feruor spiritualis obliuisci facit cuncta temporalia: & sic *Beniamin* idest *filius dexteræ* non sinistræ, in qua benedictus fuit *Manasse* ab sene Iacob, quamquam ad dexteram eum locasset studiosè Ioseph, Genes. 48. Dixi autem alias spiritualia bona ex D. Thoma, [G] ad dexteram pertinere: temporalia verò ad signistram Prouerb. 3. *in sinistra illius diuitiæ & gloria*. Et ecce quomodo post hæc in viro iusto deprehensa ad *Dan* fit transitus; quia nihil ei superest, nisi futurum præstolari iudicium: in quo beatitudinis retributionem recipiat. *Asser* ei comes interpretatur, *Beatus*: vbi charitate exardescat: nam, si *Nephthali* interpretatur *latitudo*: & charitas dilatat cor iuxtà illud, *latum mandatum tuum nimis*, scilicet mandatum charitatis qua præcipit diligere amicos, & inimicos: hoc D. Thomas comm. 1. Apoc. cit. tu adde ex ipso alibi, *viam* (adhęc) *mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum*: non est vbi magis, quàm in cœlesti gloria id obtineatur. Et innuitur in sacro textu, nàm de his ait, *nouissimi proficiscentur*: satis enim fuerat notum, cum anterior tabernaculi pars esset ad orientem, nouissimè non incessurum Dan, sed Ephraim ad occidentem: vnde vt mysterium animaduertamus, nouissimum dicit Dan: iuxtà quod Paulus Inquit, *in nouissima tuba*; 1. Cor. 15. de iudicio proximo locutus.

F Genes. 49.

G p. 1. 102. a. 4. 6.

CAPVT III.

1 HAe ſunt generationes Aaron, & Moyſi in die qua locutus eſt Dominus ad Moy-
ſen in monte Sinai. 2 Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus eius Na- Exod. 6.
dab, deinde Abiu, & Eleazar, & Ithamar. 3 Hæc nomina filiorum Aaron d.23.
ſacerdotum, qui vncti ſunt, & quorum repletæ, & conſecratæ manus, vt ſacerdotio funge-
rentur. 4 Mortui ſunt enim Nadab, & Abiu, cum offerrent ignem alienum in conſpectu Leuit. 10.
Domini in deſerto. Sinai, abſque liberis: functique ſunt ſacerdotio Eleazar, & Ithamar a.2.
coram Aaron patre ſuo. 5 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 6 Applica tri- 1. Par. 24. a.2.
bum Leui, & fac ſtare in conſpectu Aaron ſacerdotis, vt miniſtrent ei, & excubent, 7 &
obſeruent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo teſtimonij, 8 &
cuſtodiant vaſa tabernaculi, ſeruientes in miniſterio eius. 9 Dabiſque dono Leuitas 10
Aaron, & filijs eius, quibus traditi ſunt à filijs Iſrael. Aaron autem, & filios eius conſtitues
ſuper cultum ſacerdotij. Externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur. 11 Locu-
tuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 12 Ego tuli Leuitas à filijs Iſrael pro omni pri-
mogenito, qui aperit vuluam in filijs Iſrael, eruntque Leuitæ mei. 13 Meum eſt enim Exod. 13.
omne primogenitum: ex quo percuſſi primogenitos in Terra Aegypti: ſanctificaui mihi a.2.
quidquid primum naſcitur in Iſrael ab homine vſque ad pecus, mei ſunt: ego Dominus. Infr. 8. c. 16.
14 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai dicens: 15 Numera filios Leui
per domos patrum ſuorum, & familias, omnem maſculum ab vno menſe, & ſupra. 16
Numerauit Moyſes, vt præceperat Dominus, 17 & inuenti ſunt filij Leui per nomina ſua, Exod. 6.
Gerſon, & Caath, & Merari. 18 Filij Gerſon: Lebni, & Semei. 19 Filij Caath: Amram, c.16.
& Ieſaar, Hebron, & Oziel. 20 Filij Merari: Moholi, & Muſi. 21 De Gerſon fuere
familiæ duæ, Lebnitica, & Semeitica: 22 quarum numeratus eſt populus ſexus maſculini
ab vno menſe, & ſupra ſeptem millia quingenti. 23 Hi poſt tabernaculum metabuntur ad
Occidentem 24 ſub principe Eliaſaph filio Lael. 25 Et habebunt excubias in tabernacu-
lo fęderis, 26 ipſum tabernaculum, & operimentum eius, tentorium quod trahitur ante
fores tecti fęderis, & cortinas atrij: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrij ta-
bernaculi, & quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi, & omnia vtenſilia eius.
27 Cognatio Caath habebit populos Amramitas, & Ieſaaritas, & Hebronitas, & Ozieli-
tas. Hæ ſunt familiæ Caathitarum recenſitæ per nomina ſua: 28 omnes generis maſculini
ab vno menſe, & ſupra, octo millia ſexcenti habebunt excubias Sanctuarij, 29 & caſtra-
metabuntur ad meridianam plagam: 30 Principeſque eorum erit Eliſaphan filius Oziel:
31 & cuſtodient arcam, menſamque, & candelabrum, altaria, & vaſa Sanctuarij, in
quibus miniſtratur, & velum, cunctamque huiuſcemodi ſupellectilem. 32 Princeps autem
principum Leuitarum Eleazar filius Aaron ſacerdotis, erit ſuper excubitores cuſtodiæ San-
ctuarij. 33 At verò de Merari erunt populi Moholitæ, & Muſitæ recenſiti per nomina ſua:
34 omnes generis maſculini ab vno menſe, & ſupra, ſex millia ducenti. 35 Princeps eo-
rum Suriel filius Abihaiel: in plaga ſeptemtrionali caſtrametabuntur. 36 Erunt ſub cuſto-
dia eorum tabulæ tabernaculi, & vectes, & columnæ, ac baſes earum, & omnia, quæ ad
cultum huiuſcemodi pertinent: 37 columnæque atrij per circuitum cum baſibus ſuis, &
paxilli cum funibus. 38 Caſtrametabuntur ante tabernaculum fęderis, ideſt, ad Orienta-
lem plagam, Moyſes, & Aaron cum filijs ſuis, habentes cuſtodiam Sanctuarij in medio fi-
liorum Iſrael, quiſquis alienus acceſſerit, morietur. 39 Omnes Leuitæ, quos numerauc-
runt Moyſes, & Aaron iuxta præceptum Domini per familias ſuas in genere maſculino à
menſe vno, & ſupra, fuerunt viginti duo millia. 40 Et ait Dominus ad Moyſen: Nume-
ra primogenitos ſexus maſculini de filijs Iſrael ab vno menſe, & ſupra, & habebis ſummam
eorum. 41 Tolleſque Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Iſrael, ego ſum Domi-
nus: & pecora eorum pro vniuerſis primogenitis pecorum filiorum Iſrael. 42 Recenſuit
Moyſes, ſicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Iſrael, 43 & fuerunt maſculi
per nomina ſua, à menſe vno, & ſupra, viginti duo millia ducenti ſeptuaginta tres. 44 Lo-
cutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 45 Tolle Leuitas pro primogenitis filiorum
Iſrael, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum, eruntque Leuitæ mei: ego ſum Dominus.
46 In pretio autem ducentorum ſeptuaginta trium, qui excedunt numerum Leuitarum de Exod. 30.
primogenitis filiorum Iſrael, 47 accipies quinque ſiclos per ſingula capita ad menſuram b.13.
Sanctuarij. Siclus habet viginti obolos. 48 Dabiſque pecuniam Aaron, & filijs eius, pre- Leuit. 27. c.25.
tium eorum, qui ſupra ſunt. 49 Tulit igitur Moyſes pecuniam eorum, qui fuerant amplius, Ezec. 45. d.12.

& quos

& quos redemerant à Leuitis 50 pro primogenitis filiorum Iſrael, mille trecentorum ſexagintaquinque ſiclorum iuxta pondus Sanctuarij, 51 & dedit eam Aaron, & filijs eius iuxta verbum, quod præceperat ſibi Dominus.

VERSVS I. *Hæ ſunt generationes Aaron & Moyſi.*

1 In hoc capite præcipitur inter cetera a Donuno, vt tribus Leui ſit in clericalem militiam (poſtquam de bellaroribus mundi in præcedentibus dictum eſt.) Animaduertit Angelicus Geneſis 38. uon ita ſolemniter commemorari tribum Leui, vt hic & Exodi 6. quia tunc nondum claruerat electio *Moyſi & Aaron*. Quo titulo autem illos aduocet, dignatur aperire cum ait; *ego tuli Leuitas à filijs Iſrael pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Iſrael*. Quare autem voluerit qui eſt immutabilis eiuſmodi commutationem, temerè niſi humiliùs indagabitur: ipſe enim plenariam ſui poteſtatem ac dominatum commemorat dicens, vtrobique verſu 13. & 45. *ego Dominus*. Iob. 9. *vel quis dicere poteſt, cur ita facis?* Indicat veruntamen, quod quemadmodum primogenitos ſibi aſciuerat Exodi 13. *ſanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Iſrael*, tùm in gratitudinis monimentum ob Ægyptiorum primogenitos cæſos; tùm in diuinæ dominationis teſtimonium: ſubdit ſiquidem; *mea ſunt omnia*: ita de primogenitis non eſſe ſolicitum, quando diuino cultui indignè inſeruiant; eoquòd memoratur *Nadab* primogenitus *Aaron* cum *Abiù* germano fratre periiſſe, propter oblatum ignem alienum in conſpectu Domini. Igitur primogenitos repudiat, ſi ſanctitate non polleant: ſolique Deo non ſint dicati, ſpeciali quodam ſeruitutis iure: quod ſonat repetitio illa; *eruntque Leuitæ mei*. Præterea vt ſacerdotium in lege naturæ, quo fungebantur primogeniti, antiquioreſque inter
A Hebr. 7.l.2. filios, vt ait S. Doctor, [A] diſtinctum à legali agnoſceretur, factamque de illo, in aliud tranſmutationem, negligit primogenitos pro Leuitis. Vlteriùs quandam videtur vel ab inuitis extorquere æſtimationem munus illud, ad quod non omnes promiſcuè admittuntur. Sic Sanctus
B p. 2. 102.ſ. 10. Doctor [B] inſtitutum inquit fuit, vt non ſparſim ex quolibet genere ad Dei miniſterium applicarentur, ſed ex certa proſapia ſecundum generis ſucceſſionem, vt ex hoc clariores & nobiliores haberentur. Denique ex quadam paritate, quia inquit Philoſophus 3. Politicor. c. 1. ferturque
C p. 2. 105.3. p. 2. [C] *Si ſtatim extranei aduenientes, reciperentur ad tractandum ea quæ ſunt populi, poſſent multa pericula contingere, dùm extranei non habentes adhuc amorem firmatum ad bonum publicum, aliqua contrà populum attentarent. Sic non neophytum* ait S. Paulus 1. ad Timot. 3. Epiſcopum eſſe debere.

2 Et hic valdè notandum imò expedire, vt de conſanguineis quandoque aſſumātur Prælati.
D 2.2.63. a.1. Audiamus Angelicum: [D] circà conſanguineos Prælati diſtinguendum eſt; quia, quandoque ſunt minus digni, & ſimpliciter, & per reſpectum ad bonum commune: & ſic ſi dignioribus præferantur, eſt peccatum perſonarum acceptionis in diſpenſatione ſpiritualium; quorum Prælatus Eccleſiaſticus non eſt dominus; vt poſſit ea dare pro libito, ſed diſpenſator ſecundum illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Quandoque verò conſanguinei Prælati Eccleſiaſtici, ſunt æquè digni vt alij; & ſic licitè poteſt abſque perſonarum acceptione, conſanguineos ſuos præferre: quia ſaltem in hoc præeminent, quòd de ipſis magis confidere poteſt, vt vnanimiter ſecum negocia Eccleſiæ tractent. Tu lege hoc in capite Doctrinæ huius praxim, verſu 32. *Princeps autem Principum Leuitarum, Eleazar filius Aaron Sacerdotis*, & Actorum 1. cum de Apoſtolatu ageretur, *oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati, in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis, vſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis; teſtem reſurrectionis nobiſcum fieri vnum ex iſtis*. Deſinant ergo aliquando, maleuoli, ac ignari latrare, aduersùs Pontificem ſummum Eccleſiæ Dei: ſi nepoti, pluſquàm alij extraneo regimen corregendum committit, cùm maximè prudentia, atque virtute nouit excultum: Sed caueant nihilominus & Prælati, quia propter ſcandalum, (adiecit ibi S. Thomas) aliquando eſt ſecùs faciendum, puta ſi ex hoc aliqui exemplum ſumerent, etiam præter dignitatem, bona Eccleſiæ conſanguineis dandi.

VERSVS XXIII. *Hi poſt tabernaculum metabuntur ad occidentem.*

De ijs quę Leuitis circà tabernaculum committuntur, ſequenti capite: nunc de perſonis nonnihil. Mirum eſt autem, quod de ijs, qui ad occidentem erant, loquatur primo: cum paulò ante, de plaga Orientis, deindeque de alijs factus ſit ſermo. Ignobilis certè eſt occidentis plaga, neque enim diuturnitatem habet luminis aut ſplendoris: Sed Dominus ad ſui miniſtros reſpicit, etſi longæua auorum nobilitate diuitijſque, & anro non fulgeant. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit*. Apoſtolus 1. ad Cor. 1. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus*. Vbi D. Th. [E] vt nullus pro E 1. Cor. 1.l.4.
quacumque carnis excellentia glorietur, per comparationem ad Dominum. *Erunt nouiſſimi primi*, & Iacob. 2. *Nonnè Deus elegit pauperes?*

VERSVS II. *Et caſtrametabuntur ad meridianam plagam.*

De familijs Caathitarum id dicitur, quibus quidem quæ maximè diuina erant & ſacroſancta committebantur: Arca, menſa, candelabrum, Altaria, vaſa ſanctuarij, velum, & huiuſmodi: magnus feruor ſpiritus ijs neceſſarius eſt: Eſaiæ 52. *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Eccleſiaſtici 43. *Sol in meridiano exurit terram*.

VERSVS XXXV. *In plaga ſeptemtrionali caſtrametabuntur*, &c.

Suſtiner Dominns aliquos etiam charitate frigidiores ad ſuum famulatum, quamquam *ignem* venerit *mittere in terram*, velitque, *vt ardeat*. Si qui ſint huiuſmodi, exteriùs potiùs miniſtrant circà tabulas, vectes, columnas, ac

bases occupati, quàm ad interiora perringant.
Ecc.43. *Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit cry-*
stallus ab aqua. Sed super illud ps. 147. *Mittit cry-*
stallum suam sicut buccellas, ait glossa apud D. Th.
F de veritate 14. 2. 11. contr. [F] *Chrystallum idest obstinatos, de quibus & alios*
pascit, idest tales facit, vt pascant alios verbo.

VERSVS XXXVIII. *Castrametabuntur*
ante tabernaculum fœderis, idest ad orientalem pla-
gam Moyses, & Aaron &c.

2 Quod subditur vno verbo magni est mo-
menti: *habentes*, inquit *custodiam Sanctuarij*: cæ-
teris ex Leui ministris, particularia sunt com-
missa in custodiam, Moysi, Aaron & filijs, omni-
um demandatur custodia, eoquòd, omnibus
debet qui præit, superintendere: sic Episcopus
idem est, ac superintendens. Expressè hoc mi-
niratur Deus infra c. 18. *Tu & filij tui; & domus*
Patris tui tecum (dixit ita Dominus ad Aaron)
portabitis iniquitatem sanctuarij. Imminet quippe
ijs cura communis: vnde & in ipsos culpa omnis
redundat, quia Sanctuario in genere præficiun-
tur. Coniungitur autem sacerdotalis familia
cum tribu Iudæ ad orientem; quia Christus Do
minus de quo Zacharias 6. *Ecce vir, Oriens no-*
men eius, secundùm carnem, vt asserit Augusti-
nus l.2. de consensu Euang. c. 1. *ex vtroque gene-*
re propagatus est, Regum scilicet & sacerdotum: vn-
de & Beata Virgo cognata perhibetur Elisa-
beth; quia enim inter stirpes, Sacerdotalis & Re-
gia erant præclariores, frequenter coniunctæ
G Hebr. 7.b3. fuerunt per matrimonium, vt obseruat Angeli-
cus [G] de Aaron Exodi 6. *Qui accepit vxorem fi-*
liam Aminadab sororem Nahason, qui fuit dux in
tribu Iuda, & 4. Regum 11. ac Paralip. 2. c. 22.
Ioiada sacerdos duxit in vxorem Iosabeth filiam Regis
Ioram.

3 Quod si quæratur cur potiùs voluit Domi-
nus sibi in ministerium assumere tribum Leui.
Respondeo cum Augustino super Ioann. tract.
26. *quare hunc trahat & illum non trahat, noli velle*
diiudicare, si non vis errare: qua responsione vti-
H p.3.98. 4. tur D. Th. vt occurrat quærentibus [H] quare
hunc populum elegit, vt ex eo Christus nascere-
tur; & non alium. Verùm ex congrua nominis
interpretatione innotescit, quis possit cultui, &
ministerio diuino mancipari. *Leui* inquit inter-
I Apoc.7. pretatur [I] *additus*: charitas autem opus operi,
& virtutem virtuti addit, donec perficiatur. In
L Apoc. 7. secundo autem commentario [L] *Leui* inquit in-
terpretatur *additus*, quia præceptis, vel sibi
iniunctis addnntur alia, sicut consilia, & alia
quæ sunt supererogationis. Videant Ecclesiasti-
ci, ad quæ præ alijs fidelibus, teneantur.

VERSVS XXXIX. *Omnes Leuitæ quos*
enumerauerunt Moyses & Aaron, &c. *à mense vno*
& suprà &c.

4 Suprà præceperat Dominus ita fieri; reno-
uantur iussa statim quoad primogenitos filiorum
Israel, vt ab vno mense scilicet, & suprà habea-
tur eorum summa. Mirum videbitur; quare non
à die octauo circumcisionis, sed ab vno mense
& suprà. Sed mensium meditatio non vacat my-
M p. 2. 102.4.10. sterio. Quocirca S. D. [M] de festo neomeniæ lo-
quens, quod fiebat quolibet mense: celebrabatur,
inquit, ad commemorandam opus diuinæ guber-
nationis, nam hæc inferiora præcipuè variantur
secūdum motum lunæ. Igitur, aio ego, cupit Do-
minus specialē modū diuinæ suæ gubernationis
erga suum populum contestari: In hoc autem
quatuor præ cæteris voluit nobis ipsisque trade-
re documenta: primò, vt discerent sic subdi gu-
bernationi diuinæ, vt non solum mouerentur à
Deo, in ipsis interius operante, sed etiam per
hoc quòd ab eo inducendi erant ad bonum, &
retrahendi à malo per præcepta & prohibitio-
nes; præmia & pœnas: quo modo non guber-
nantur a Deo creaturæ irrationales, quæ tantùm
aguntur & non agunt: & in hoc sensu dixit Apo-
stolus 1. Cor. 9. *Quòd Deo non est cura de bobus*.
Doctrina hæc est S.D. [N] Et ecce quomodo con- N p.p.q. 103.5.2.
cors est litera, dùm de pecoribus nulla mandatur
fieri summa. Alterum documentum est, vt ex
diuinæ gubernationis notitia, colligerent, quo-
modo eo in populo, alij per alios regi deberent:
nam iuxtà regulas Diui Dionysij de legibus
Hierarchiæ, [O] Deus per ministros intermedios O Genes. 18.
regit inferiora. Tertiò quoniam ex eo quòd
mundus gubernatur ab vno, de quo p. p. citata
a. 3. innotescit etiam mundum esse vnum, [P] vn- P p p.47. 3.
de ait Ioannes, *mundus per ipsum factus est*: huius-
modi autem vnitas arguitur propter ordinem,
quem non solùm ad Deum, sed ad inuicem res
omnes habent: igitur dum in gubernatione hoc
tangitur, mutua aliarum tribuum ad Leuiticam
significatur relatio, vt si ab hac spiritualia rece-
perint, reddant temporalia: quod ait Apostolus
1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, ma-*
gnum est, si nos carnalia vestra metamus? Et ad
Romanos 15. nam *Si spiritualium eorum participes*
facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare
illis. Etiam in litera, incipit satis impleri, re-
tracta namque pecunia pro redemptis ijs, qui
superfuerant primogenitis, ascendit ad summam
mille trecentorum sexaginta quinque Siclorum.

Quarto denique, quia id ad quod tendit 5
intentio multitudinem gubernantis, est, vt ait
Angelicus, [Q] vnitas siue pax: hanc tacitus insi- Q p. p. 1.3.3.
nuare videtur *Dominus*: tali se nomine sæpius
vocans; quia specialiter gubernationem indicat;
siquidem, vt ibidem docet, ad *Dominum* perti-
net gubernatio subditorum. Quamuis Leuitis,
qui carebant possessionibus, interdictum non
esset, quin de alijs operibus honestis lucraren-
tur, sicut & alij Iudæi: ministris tamen nouæ le-
gis arctiùs interdicitur, ne se ingerant negotijs
lucratiuis; secundùm illud 2. ad Timot. 2. *nemo*
militans Deo implicat se sæcularibus negotijs, vt ait
[R] S. Doctor. *Sæcularia autem negotia*, vt glossa R 2 2.87. 2.2.1. & q. 187. 2. 2.
ibidem dicit, apud eundem S. D. in opusculo 19.
c. 9. *sunt cum animus occupatur colligendæ vna pecu-*
niæ, sine labore corporis, vt faciunt negotiatores &
huiusmodi, & talibus negotijs Religiosi se impli-
care non debent, vt scilicet pro alijs negotientur,
vel aliqua huiusmodi exerceant. Videantur Au-
ctores morales qui vno ore clericos & religio-
sos negotiationi incumbentes damnant, ex dist.
88. vbi legitur, *Decreuit Sancta Synodus nullum*
deinceps clericum aut possessiones conducere, aut ne-
gotijs secularibus se immiscere. Ex præterea: *clericis*
ab indignis quæstibus abstinendum, & ab omni cuius-
libet negotiationis ingenio cessandum: & in quocun-
que gradu sint positi, mox à clericalibus officijs co-
gantur abstinere. Eadem autem ratio est ait D.
Thomas de Religiosis, & clericis: imò potior
adiecerim ego, quia Religiosi vltra statum,
paupertatem vouerunt.

CAPVT IV.

b Par. 35. 2. c 5.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens: 2 Tolle ſummam filio-
rum Caath de medio Leuitarum per domos & familias ſuas, 3 à trigeſimo anno,
& ſupra, vſque ad quinquageſimum annum, omnium qui ingrediuntur, vt ſtent,
& miniſtrent in tabernaculo fœderis. 4 Hic eſt cultus filiorum Caath: Tabernaculum fœ-
deris, & Sanctum ſanctorum, 5 ingredientur Aaron, & filij eius, quando mouenda ſunt
caſtra, & deponent velum, quod pendet ante fores, inuoluentque eo arcam teſtimonij, 6
& operient rurſum velamine ianthinarum pellium, extendentque deſuper pallium totum
hyacinthinum, & inducent vectes. 7 Menſam quoque propoſitionis inuoluent hyacinthi-
no pallio, & ponent cum ea thuribula, & mortariola, cyathos, & crateras ad liba funden-
da: panes ſemper in ea erunt: 8 extendentque deſuper pallium coccineum, quod rurſum
operient velamento ianthinarum pellium, & inducent vectes. 9 Sument & pallium hya-
cinthinum, quo operient candelabrum cum lucernis, & forcipibus ſuis, & emunctorijs, &
cunctis vaſis olei, quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt: 10 & ſuper omnia po-
nent operimentum ianthinarum pellium, & inducent vectes. 11 Necnon & altare au-
reum inuoluent hyacinthino veſtimento, & extendent deſuper operimentum ianthinarum
pellium, inducentque vectes. 12 Omnia vaſa, quibus miniſtratur in Sanctuario, inuo-
luent hyacinthino pallio, & extendent deſuper operimentum ianthinarum pellium, indu-
centque vectes. 13 Sed & altare mundabunt cinere, & inuoluent illud purpureo veſti-
mento, 14 ponentque cum eo omnia vaſa, quibus in miniſterio eius vtuntur, ideſt, ignium
receptacula, fuſcinulas, ac tridentes, vncinos, & batilla. Cuncta vaſa altaris operient ſi-
mul velamine ianthinarum pellium, & inducent vectes. 15 Cumque inuoluerint Aaron,
& filij eius Sanctuarium, & omnia vaſa eius in commotione caſtrorum, tunc intrabunt filij
Caath, vt portent inuoluta: & non tangent vaſa Sanctuarij, ne moriantur. Iſta ſunt onera
filiorum Caath in tabernaculo fœderis: 16 ſuper quos erit Eleazar filius Aaron ſacerdotis,
ad cuius curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compoſitionis incenſum, &
ſacrificium, quod ſemper offertur, & oleum vnctionis, & quidquid ad cultum tabernaculi
pertinet, omniumque vaſorum, quæ in Sanctuario ſunt. 17 Locutuſque eſt Dominus ad
Moyſen, & Aaron, dicens: 18 Nolite perdere populum Caath de medio Leuitarum: 19
ſed hoc facite eis, vt viuant, & non moriantur, ſi tetigerint Sancta ſanctorum. Aaron, &
filij eius intrabunt, ipſique diſponent opera ſingulorum, & diuident quid portare quis de-
beat. 20 Alij nulla curioſitate videant quæ ſunt in Sanctuario priuſquam inuoluantur,
alioquin morientur. 21 Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: 22 Tolle ſum-
mam etiam filiorum Gerſon per domos, ac familias, & cognationes ſuas, 23 à triginta
annis, & ſupra, vſque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur, & mini-
ſtrant in tabernaculo fœderis. 24 Hoc eſt officium familiæ Gerſonitarum, 25 vt portent
cortinas tabernaculi, & tectum fœderis operimentum aliud, & ſuper omnia, velamen ian-
thinum tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis, 26 cortinas atrij, &
velum in introitu, quod eſt ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos,
& vaſa miniſterij, 27 iubente Aaron, & filijs eius, portabunt filij Gerſon: & ſcient ſinguli,
cui debeant oneri mancipari. 28 Hic eſt cultus familiæ Gerſonitarum in tabernaculo fœ-
deris, eruntque ſub manu Ithamar filij Aaron ſacerdotis. 29 Filios quoque Merari per fa-
milias, & domos patrum ſuorum recenſebis 30 à triginta annis, & ſupra, vſque ad annos
quinquaginta, omnes, qui ingrediuntur ad officium miniſterij ſui, & cultum fœderis teſtimo-
nij. 31 Hæc ſunt onera eorum: Portabunt tabulas tabernaculi, & vectes eius, columnas,
ac baſes earum, 32 columnas quoque atrij per circuitum cum baſibus, & paxillis, & funi-
bus ſuis. Omnia vaſa, & ſupellectilem ad numerum accipient, ſicque portabunt. 33 Hoc
eſt officium familiæ Meraritarum, & miniſterium in tabernaculo fœderis: eruntque ſub ma-
nu Ithamar filij Aaron ſacerdotis. 34 Recenſuerunt igitur Moyſes, & Aaron & principes
ſynagogæ filios Caath per cognationes, & domos patrum ſuorum 35 à triginta annis & ſu-
pra, vſque ad annum quinquageſimum, omnes qui ingrediuntur ad miniſterium taberna-
culi fœderis: 36 & inuenti ſunt duo millia ſeptingenti quinquaginta. 37 Hic eſt numerus
populi Caath, qui intrant tabernaculum fœderis: hos numerauit Moyſes, & Aaron, iuxta
ſermonem Domini per manum Moyſi. 38 Numerati ſunt & filij Gerſon per cognationes,
& domos patrum ſuorum, 39 à triginta annis & ſupra, vſque ad quinquageſimum annum,
omnes qui ingrediuntur, vt miniſtrent in tabernaculo fœderis: 40 & inuenti ſunt duo mil-

lia

lia sexcenti triginta. 41 Hic est populus Gersonitarum, quos numerauerunt Moyses, & Aa-
ron iuxta verbum Domini: 42 Numerati sunt & filij Merari per cognationes, & domos
patrum suorum 43 à triginta annis, & supra vsque ad annum quinquagesimum, omnes qui
ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis: 44 & inuenti sunt tria millia ducenti.
45 Hic est numerus filiorum Merari quos recensuerunt Moyses, & Aaron iuxta imperium
Domini per manum Moysi. 46 Omnes qui recensiti sunt de Leuitis, & quos recenseri fecit
ad nomen Moyses, & Aaron, & principes Israel per cognationes, & domos patrum suo-
rum 47 à triginta annis, & supra, vsque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad mi-
nisterium tabernaculi, & onera portanda, 48 fuerunt simul octo millia quingenti octogin-
ta. 49 Iuxta verbum Domini recensuit eos Moyses, vnumquemque iuxta officium, & one-
ra sua, sicut præceperat ei Dominus.

VERSUS III. *A Trigesimo anno & supra vsque ad quinquagesimum.*

Triginta annorum ætas, ad incipiendum ministerium in tabernaculo fœderis haud requirebatur; siquidem sequenti c. 8. legimus; *hæc est lex Leuitarum, à vigintiquinque annis & supra, ingredientur, vt ministrent* &c. Igitur talis requiritur, quia sacrarum sarcinarum onera, ita vt firmiùs honorabiliùsque deferrentur, sic expetebāt. Quod apertè colligitur Paralip. 1. c. 23. vbi præmisso futurum non esse, vt vltrà portent tabernaculum, & omnia vasa eius: iam propè ædificando nimirum templo, subdit, *supputabitur numerus filiorum Leui à viginta annis & suprà*: quo exercerentur paulatim maioribus successuri. Porrò tropologicè perfecta significatur ætas, quæ requiritur ad docendum & prædicandum: perfecta autem est triginta annorum: vnde Genesis 41. *triginta annorum erat Ioseph, quando accepit regimen Aegypti.* Similiter etiam 2. Regum 5. legitur de Dauid, quod *triginta annorum erat, cum regnare cœpisset.* Ezechiel etiam in trigesimo anno cœpit prophetare. Hæc D. Thomas, [A] dum quærit an Christus conuenienti tempore fuerit baptizatus, nam Lucæ 3. *ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta.* Post quæ, ad numeri proprietatem diuertens, consurgit, ait, tricenarius numerus, ex ductu ternarij in denarium: per ternarium autem intelligitur fides Trinitatis: per denarium autem impletio mandatorum legis, & in his duobus perfectio vitæ Christianæ consistit. Non est mirum si 1. Paralip. postquam à triginta annis facta est supputatio, fit alia à viginti, quia templum à Salomone construendum significabat nouæ legis statum; sicut & per tabernaculum significabatur status veteris legis: [B] non erat ætas maior ministrorum requirenda, in figuram; sed attendenda solummodo idoneitas sufficiente in ætate: contingit enim in aliquibus gratiam superabundare, vt habeant simul cum ætate iuuenili, morum senectutem, [C] qui dispensatiuè promouentur etiam ad Episcopatum, sicut Ambrosius, diuina inspiratione; de quibus Sap. 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata.*

A 3.p.39. 1.

B p. 2. 101.4.2.

C 1.Tim. 3.Li.

VERSUS V. *Ingredientur Aaron & filij eius, quando mouenda sunt castra.*

Summus sacerdos solus intrabat in Sancta Sanctorum non sine sanguine, vt ait Apostolus in die expiationis; vt dictum est Leuitici 16. Glossa dicit, quòd pluriès poterat sine sanguine. De hoc tamen subdit S. D. [D] non habetur nisi tantùm quando mouenda erant castra, quia tunc intrabant Aaron & filij eius, & inuoluebant, & dispensabant onera Leuitarum Num. 4. igitur cum hic legis, *deponent velum*, tu intellige de velo interioris tabernaculi, vbi erat Arca.

D Hebr. 9.

VERSUS VI. *Et operient rursum velamine ianthinarum pellium.*

Accuratissimè inuoluuntur cuncta, & inuoluta dumtaxat à Leuitis portantur, vt patet versu 15. & versu 20. *alij nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam inuoluantur, alioquin morientur.* Mitto literalem rationem plurium operimentorum tabernaculi, quæ in communi erat, [E] ornatus, & protectio eiusdem; item vt in reuerentia haberetur: & ad mystica pergo. Tabernaculum præ alijs significationibus stat pro militanti Ecclesia: ita præter relata Exodi 26. in psalm. 18. [F] ad illa; *in sole posuit tabernaculum suum.* Tabernaculū suum, idest Ecclesiam: Apocalyp. 21. *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus.* Tabulæ ex quibus construebatur, sunt Christi fideles, ex quibus construitur Ecclesia: & sic de alijs: cuncta sunt in figuram, vt eo loci nonnihil dictum est. Iuuat autem illud Origenis repetere quod in calce cap. 26. Exodi relatum est; *cum legitur* inquit *tabernaculi constructio, qui credunt huiusmodi scripta, figuras esse occultarum quarundam rerum, singula ad Tabernaculum pertinentia quærunt accommodare: & quidem dum credunt alicuius rei figuram esse tabernaculum, non errant: sed dum aptant rationem eius, cuius typus tabernaculum, ad rem certam congruentem scriptura, aliquando aberrant.* Veruntamen ne in tenebris lateant omnia; quid hæc inuolucra sibi velint aperiendum est. Velum reperio hyacinthinum, pelles ianthinas, pallium coccineum, purpureum vestimentum, & velum quod pendet ante fores, de quo primo dicitur, *inuoluuntque in ea Arcam testimonij.* S. Doctor procemio in Threnos assumit illud Ezechielis 2. *Ecce manus missa est ad me, in qua erat liber inuolutus:* [G] tangitque quæ hic dicuntur, & reducit ad tria: ad velum scilicet ante fores; ad pelles, & pallium hyacinthini coloris; & ad pallium purpureum: per velum quod *diuersis coloribus & pulchra varietate erat distinctum*, vt dicitur Exodi 26. significatur diuersitas similitudinum: per pelles & pallium hyacinthini coloris, significantur cœlestia mysteria: per pallium purpureum significatur ornatus verborum. Neque gratis huiusmodi inuolutio sic accipitur, quoniam satis constat non describi hæc à Moyse, præcipuè, ad tabernaculi protectionem; nam nulla fit mentio de sagis cilicinis, numero vndecim; quæ certè ad literam, erant aduersum ventos & pluuias, vt obseruatur

E p. 2. 102.4.2.

F Ps. 18.

G Trenorum Procemio.

H p. 2. 102.4.8. prima 2. [H] & similiter non recoluntur pelles rubricatæ, quæ ab iniurijs temporum in itinere potuissent quoque protegere. Denique secreta inuolutio, studiosaque vestium inductio: toties siquidem iteratur; *inducent vectes*, de arcanis, ac absconditis agi ostendunt. Vnde quia Propitiatorium, quod erat veluti sedes Dei, pro Diuina stat maiestate, suapte natura præ cunctis inuisibili & incomprehensibili; nil de illo inuoluendo dicitur: verè enim, in se, vt ait Isaias 45. *est Deus absconditus*.

2 Sed iam opportunè de triplicis generis inuolucris dicendum est: quæ quidem, si locum habent vniuersè in sacris literis, atque factis; nam vt ait D. Augustinus facta etiam sacræ scripturæ verba appellari possunt, quia significant; multò magis in sanctiori Tabernaculi structura, cuius prototypum, & exemplar in Monte cœlitus Moysi monstratum est. Igitur, est inuolutum sæpius in sacris literis aliquid varietate similitudinum: sic Oseæ 12. *ego visionem multiplicaui, & in manu prophetarum assimilatus sum*: & congruit naturæ hominis, qui per sensibilia ad intelligibilia peruenit: vnde D. Dionysius relatus pluries
I p. p. q. 1.a.9. p. p. q. 51. 3.1. 3.p. q. 60. 5.1. [I] cap. 1. cœlestis Hierarchiæ: *impossibile* ait *est, nobis aliter illucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum*. Sicut autem ait S. Doctor in 2. loco, non est contrà veritatem, quòd in scriptura intelligibilia sub figuris sensibilibus describantur; quia hoc non dicitur ad astruendum, quòd intelligibilia sint sensibilia, sed quòd per figuras sensibilium, proprietates intelligibilium secundum similitudinem quandam dantur intelligi. Est autem iudicio Spiritus-Sancti, quibus similitudinibus, in certis scripturæ locis, res spirituales significentur: quod ait S. D. tertia parte. Quoad colorem hyacinthinum, qui cùm in pallio, tum in pellibus ianthinis pro eodem accipitur; (nam hyacinthinus color idem est qui violacens, vel cæruleus & cœlestis vt ait Tirinus Exodi 26.) is ponitur pro cœlestibus signandis mysterijs, sanè profundis. Hyacinthus ad illa verba Cant. 5. *manus eius tor-*
L Cantic. 5. *natiles aureæ, plenæ hyacinthis*, est [L] lapis aerei coloris, cœlestia designans. Tertium velamen coccineum atq; purpureum specialiter exornat, propterea in eo intelliguntur ornamenta diuinæ locutionis Prou. 15. *lingua sapientum ornat scientiam*. Sanctus Augustinus l. 3. Confess. c. 5. hæc habet: tunc *institui in sanctas scripturas animum intendere: & ecce video rem non compertam superbis, neque pueris nudatam: sed incessu humilem, successu excelsam, & mysterijs circumuelatam. Non sicut modo loquor, tunc sensi; quia mihi visa est indigna, quam Tullianæ dignitati compararem: tumor enim meus refugiebat modum eius, & irridebam sanctos seruos, & Prophetas tuos Deus, vt irriderer abs te.*
M quodl. 7.a.16. Gregorius etiam relatus à S. Doctore. [M] *Sacra Scriptura* inquit *omnes scientias, atque doctrinas, ipso etiam locutionis suæ more transcendit, quia vno eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium*. D. Hieronymus in Epistola ad Paulinum; *nolo vt offendaris in scripturis sanctis simplicitate, & quasi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de industria sic prolatæ sunt, vt rusticam concionem facilius instruerent, & in vna eademque sententia, aliter doctus, aliter sentiret indoctus*. At superest iteratò Augustin. qui 3. de Doctrina Christiana c. 29. *sciant* inquit *literati, modis omnibus locutionis, quos Grammatici græco nomine tropos vocant, Authores nostros vsos fuisse: & multiplicatiùs, atque copiosiùs, quàm possunt existimare, vel credere qui nesciunt eos, & in alijs ista non didicerunt. Quos tamen tropos, qui nouerunt, agnoscunt in literis sanctis, eorumque scientia ad eas intelligendas, aliquantum adiuuantur*. Imò inusitatas admonet c. 37. subesse mirè figuras: quemadmodum examinans verba illa Amos Prophetæ c. 6. *& nihil patiebantur super contritione Ioseph* lib. 4. c. 7. ait: *Iste certè tropus, vbi Ioseph quemcumque fratrem facit intelligi, nescio, vtrum illa, quam didicimus, & docuimus, arte tradatur: quàm sit tamen pulcher, & quomodo afficiat legentes atque intelligentes, non opus est cuiquam dici, si ipse non sentiat.*

Quare autem lateant sub velaminibus arcana, aperit, multiplici ex causa in 2. Commentario S. Doctor [N] conceptis verbis. Primò, pro- N Apoc. 7. ante medium.
pter peruersos, ne scilicet peruersis esset locus peruertendi verba si aperta essent, quia non sunt *margaritæ ante porcos* mittendæ. Secundò propter fastidiosos; si enim esset totum in aperto, vilesceret: nunc autem in ampliori reuerentia suscipitur, & pretiosius habetur, & sapidius cogitatur & diligitur. Tertio propter ingratos, ne quis sibi tribuat intelligentiam scripturarum, sed Deo, qui *claudit & aperit*. Quartò propter affectuosos, vt scilicet meritum eis accrescat, in humili, & pia inquisitione scripturæ: est enim in hoc meritum, cum ex affectu amoris, & deuotionis indagantur scripturæ.

Ad rem autem nostram habemus S. Docto- 3
rem dicentem; [O] est velamen ex parte rei visæ, O 2. Cor. 12.1.1.
quando scilicet res spiritualis proponitur alicui, sub figuris rerum sensibilium; & de hoc dicitur Numeri 4. quòd Sacerdotes tradebant Leuitis vasa sanctuarij velata; quia scilicet debiliores, non possunt spiritualia capere, secundùm quòd in se ipsis sunt: & ideo Dominus loquebatur eis, in parabolis. De quo rursus quærens, [P] P 3.p.42. 3.
Vtrùm Christus omnia publicè docere debuerit, ait: Tertio modo aliqua doctrina est in occulto, quantùm ad modum docendi; & sic Christus quandam turbis loquebatur in occulto, parabolis vtens ad annuncianda spiritualia mysteria, ad quæ capienda, non erant idonei, vel digni: & tamen meliùs erat eis, vel sic sub tegumento parabolarum, spiritualium doctrinam audire, quàm omnino ea priuari. Harum tamen parabolarum apertam, & nudam veritatem Dominus discipulis exponebat, per quos deueniret ad alios, qui essent idonei: secundùm illud 2. ad Timot. 2. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus, qui idonei erunt & alios docere*. Et hoc signatum est Numeri 4. vbi mandatur quòd filij Aaron inuoluerent vasa sanctuarij, quæ Leuitæ inuoluta portarent. D. Hieronymus in Epistola nuper allata: *Cur dicitur Paulus Apostolus vas electionis?* nempe quia Vas legis, & scripturarum erat Armarium. *Vas erat electionis, vt portet*, inquit, *nomen meum*; baiuli namque doctrinæ Christi idcircò dicuntur Apostoli. Ad velamenta huiusmodi spectat, quod
ait alibi, [Q] scilicet secreta fidei in veteri lege Q 2.2.16 1.
non fuisse populo exponenda: Et in p. 2. quod
diuina non sunt reuelanda hominibus [R] nisi se- R p. 2 101.2.1.

cun-

cundùm eorum capacitatem ; alioquin daretur in eis præcipitij materia , dùm contemnerent , quæ capere non possent : & ideò vtilius fuit , vt sub quodam figurarum velamine , diuina mysteria rudi populo traderentur, vt sic saltem ea implicitè cognoscerent , dùm illis figuris deseruirent ad honorem Dei . Hinc aiebat Apostolus Rom. 12. *Non plus sapere quàm oportet sapere , sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut diuisit mensuram fidei*;non enim ait S.Doctor [S] omnes eandem mensuram fidei sunt consecuti : vnde aliquid est vltrà mensuram vnius , quod non est vltrà mensuram alterius . Et in sequentibus [T] ait: quædam sunt quæ proposita manifestè,auditoribus nocent : quod quidem contingit dupliciter: vno modo si arcana fidei , infidelibus fidem abhorrentibus denudentur; eis enim venient in derisum , & propter hoc dicitur Matthæi 7. *Nolite Sanctum dare canibus* , & D. Dionys. 2. cap. Cœlestis Hierarchiæ : *Audi sanctè dicta , diuinus , diuinorum in doctrina factus ; & mentis occulto, sancta circum abscondens ab immunda multitudine, vt quàm vniformia custodi* . Secundo autem modo , si aliqua subtilia rudibus proponantur ; ex quibus perfectè non apprehensis , materiam sumunt errandi : Vnde Gregorius , *qui in sacro eloquio iam alta intelligit , sublimes sensus coram non capientibus per silentium tegat , ne per scandalum interius aut fidelem paruulum , aut infidelem , qui credere potuisset , interimat* . En tu, quomodo cohæreant hæc literæ vides ; siquidem versu 20. habetur ; *alij nulla curiositate videant , quæ sunt in Sanctuario , priusquam inuoluantur ; alioquin morientur* .

S op. 70. q. 2. Proœmij a. 1.

T loc. cit. a. 4. & p. p. 1. q. 2.

Hæc velamenta aptans Angelicus noster velato in Eucharistia corpori Christi ; si praui [V] inquit,nudum aspicerent , & à fidelibus manducari , ex ipso aspectu scandalizarentur , & tripliciter malè perirent : videlicet in corde per horrorem ; in ore per detractionem ; in anima per spiritualem mortem . Et hoc tertium elucidans subdit . De tertio Numeri 4. *Aaron & filii eius intrabunt, ipsique disponent opera ; alii nulla curiositate videant* , &c. & fert historiam 5. Regum 6. *Percussit autem de viris Bethsamitibus , eo quòd vidissent Arcam Domini ; & percussit de populo septuaginta viros , & quinquaginta millia plebis*; quia scilicet , ait D. Thomas , non licebat eis videre eam detectam . Arca significat Corpus Christi , quod malignis est velandum , ne spiritualiter moriantur , si videant ; quia causa suæ cœcitatis putarent esse phantasticum, Eccles. 3. *In pluribus operibus eius ne fueris curiosus ; non est enim tibi necessarium , ea quæ abscondita sunt , videre oculis tuis* . Igitur quoad huiusmodi velamenta, & inuolucra, illud glossæ citato art. 4. non excidat fidelium mente : *res absconsa auidiùs quæritur ; celata venerabiliùs conspicitur ; diù quæsita cariùs tenetur* .

V op. 58. c. 7.

CAPVT V.

1 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2 Præcipe filijs Israel , vt eijciant de
castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo : 3
tam masculum , quam fœminam eijcite de castris, ne contaminent ea cum habita-
uerim vobiscum . 4 Feceruntque ita filij Israel , & eiecerunt eos extra castra , sicut locutus
erat Dominus Moysi. 5 Locutusque est Dominus ad Moysen , dicens. 6 Loquere ad fi-
lios Israel. Vir , siue mulier , cum fecerint ex omnibus peccatis , quæ solent hominibus acci-
dere,& per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini , atque deliquerint, 7 con-
fitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput , quintamque partem desuper ei , in
quem peccauerint. 8 Sin autem non fuerit, qui recipiat , dabunt Domino , & erit sacerdo-
tis , excepto ariete , qui offertur pro expiatione , vt sit placabilis hostia : 9 Omnes quoque
primitiæ , quas offerunt filij Israel, ad sacerdotem pertinent : 10 & quidquid in Sanctua-
rium offertur à singulis , & traditur manibus sacerdotis , ipsius erit. 11 Locutusque est Do-
minus ad Moysen , dicens : 12 Loquere ad filios Israel, & dices ad eos : Vir , cuius vxor
errauerit , maritumque contemnens 13 dormierit cum altero viro , & hoc maritus depre-
hendere non quiuerit , sed latet adulterium , & testibus argui non potest, quia non est in-
uenta in stupro : 14 si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam , quæ vel
polluta est , vel falsa suspicione appetitur, 15 adducet eam ad sacerdotem , & offeret obla-
tionem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ : non fundet super eam oleum, nec
imponet thus : quia sacrificium zelotypiæ est , & oblatio inuestigans adulterium . 16 Offe-
ret igitur eam sacerdos , & statuet coram Domino , 17 assumetque aquam sanctam in vase
fictili , & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. 18 Cumque steterit
mulier in conspectu Domini , discooperiet caput eius , & ponet super manus illius sacrificium
recordationis , & oblationem zelotypiæ : ipse autem tenebit aquas amarissimas , in quibus
cum execratione maledicta congessit : 19 adiurabitque eam , & dicet : Si non dormiuit vir
alienus tecum , & si non polluta es deserto mariti thoro , non te nocebunt aquæ istæ ama-
rissimæ , in quas maledicta congessi. 20 Sin autem declinasti à viro tuo , atque polluta es,
& concubuisti cum altero viro , 21 his maledictionibus subiacebis : Det te Dominus in
maledictionem , exemplumque cunctorum in populo suo : putrescere faciat femur tuum , &
tumens vterus tuus disrumpatur , 22 ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum , &
vtero tumescente putrescat femur . Et respondebit mulier , Amen , amen . 23 Scribetque

ſacerdos in libello iſta maledicta, & delebit ea aquis amariſſimis, in quas maledicta congeſ-
ſit, 24 & dabit ei bibere. Quas cum exhauſerit, 25 tollet ſacerdos de manu eius ſacrifi-
cium zelotypiæ, & eleuabit illud coram Domino, imponetque illud ſuper altare: ita dum-
taxat, vt prius, 26 pugillum ſacrificij tollat de eo, quod offertur, & incendat ſuper alta-
re: & ſic potum det mulieri aquas amariſſimas. 27 Quas cum biberit, ſi polluta eſt, & con-
tempto viro adulterij rea, pertranſibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre compu-
treſcet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. 28 Quòd
ſi polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. 29 Iſta eſt lex zelotypiæ. Si declina-
uerit mulier à viro ſuo, & ſi polluta fuerit, 30 maritusque zelotypiæ ſpiritu concitatus ad-
duxerit eam in conſpectu Domini, & fecerit ei ſacerdos iuxta omnia, quæ ſcripta ſunt: 31
maritus abſque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem ſuam.

IN hoc capite perſonas, res, & honorem filiorum Iſrael, à morbis, ab vſurpationibus, ab adulterijs, prouida lege tutari dignatur Deus. Itaque quoniam contagioſus morbus eſt lepra, eijciendum leproſum omnem in primis è caſtris iubet. Vtque innoteſcat, ſtudio etiam munditiei hæc præcipi, aduerſùm immunditiam omnem, tàm propriam, quàm contractam ab alio, legem puriſſimam promulgat dicens; *& qui ſemine fluit, pollutusque eſt ſuper mortuo*. De huiuſmodi immunditijs dictum eſt ſuprà in Leuitico quidnam ſignificent. Verùm non abs re fuerit ex S. Doctore textum [A] præſentem: *Eiiciant de caſtris omnem leproſum*, exponere de infideli, & hæretico, qui à conſortio fidelium, & Sanctorum ſeparatur. Dixerat iam in prima 2. per immunditiam lepræ ſignificari immunditiam hæreticæ doctrinæ; tùm quia hæretica doctrina contagioſa eſt, ſicut & lepra; [B] tùm quia nulla etiam falſa doctrina eſt, quæ vera falſis non admiſceat: ſicut etiam in ſuperficie corporis leproſi, apparet quædam diſtinctio quarundam macularum ab alia carne integra.

A Serm. Dominic. 14. ex Euange.

B p. 2. 101. 5. 4.

VERSVS VI. *Vir ſiue mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere*, &c.

Quemadmodum dictum eſt Exodi 22. de reſtitutionis ingenti exceſſu pro furtis, ita hic, ſicuti etiam Leuitici 6. de quinta parte ſupra principale, vt legunt Septuaginta, ob iniuriam ſcilicet fraudis, aut vſurpationis, præcipitur, neque enim iuſtitiæ ſatis eſt par pari reddere. Vbi nos habemus *per negligentiam*, legunt Septuaginta, *& contemnens contempſerit*: neglectus quippè ad contemptum diſponit. Verùm, non ſit ſenſus, quaſi inſcienter læſum in rebus ſuis fuiſſe proximum: præſumitur enim, vt ego ſciens prudenſque damnificauerim: ſed negligentia refertur ad mandata Domini.

VERSVS VIII. *Si autem non fuerit, qui recipiat, dabunt Domino, excepto ariete*.

Hæc eadem lex Leuitici 6. præſcribitur, nunc opportunè iteratur, renocaturque in memoriam: & inſuper prouidetur quid de iniuſtè poſſeſſis agendum ſit: nimirum ſi nequeat reperiri Dominus, neque ſit hæres vt traditur 22. [C] cedat in ſubſidium Sacerdotis. Arietem excipit; quia is erat offerendus pro expiatione; eoquod non ſatis eſt homini, neceſſum eſt ſatis fieri, & reconciliari etiam Deo: nec patitur Dominus ſic proprijs à Sacerdote conſuli commodis, vt Eccleſiæ, Altaris, ac beneficij obrepat obliuio.

C 2. 2. 62. 5. 1.

VERSVS XIV. *Si ſpiritus zelotypiæ concitauerit virum* &c.

1

Vxores fidem frangunt matrimonij per adulterium; & de facili propter delectationem; & latenter; quia *oculus adulteri obſeruat caliginem*, vt dicitur Iob 24. hæc ait S. Doctor. [D] *Difficilis certè eſt via mulieris adulteræ*, Prouerb. 30. *Quæ comedit, & tergens os ſuum dicit, non ſum operata malum*. Ad inueſtigandum itaque adulteræ ſcelus, inſtitutum fuit ſacrificium Zelotypiæ; ſeu potiùs permiſſum eſt: vt loquitur D. Thomas [E] dicens, *Libellus repudij in lege permiſſus fuit, ad cohibendum vxoricidium, ad quod Iudæi proni erant, propter corruptionem iraſcibilis*: permiſſum eſt fœnerari extraneis, propter aliquam corruptionem in concupiſcibili, ne ſcilicet fratribus ſuis fœnerarentur: & propter corruptionem rationis, ſiue ſuſpicionis in rationali, permiſſum fuit ſacrificium Zelotypiæ, ne ſola ſuſpicio apud eos iudicium corrumperet.

D p. 1. q. 105. 4. 9.

E 4. 33. 2. 2. 2. & Anib. 2. 3. ad 1.

2

Non fuiſſe autem huiuſmodi ſacrificium, ſicut cætera acceptum, ex pluribus liquet. In primis offerebat vir ille decimam partem ſati farinę hordeaceæ. Ait autem aliàs Angelicus [F] panem hordeaceum ſignificare duritiem veteris legis, tum propter duritiem panis; tum quia vt Auguſtinus docet, hordei medulla tenaciſſima palea tegitur. Tu nocte illud Matthæi 19. *Moyſes ad duritiam cordis veſtri, permiſit vobis dimittere vxores veſtras; ab initio autem, non fuit ſic*. Deinde habemus in textu, *non fundet ſuper eam oleum*. Oleum offerebatur tanquam condimentum, ſignificabatque gratiam Chriſti; [G] his ergo carebat omnino illud ſacrificium. Denique Thus offerebatur Deo ad deſignandam deuotionem mentis, quæ eſt neceſſaria offerentibus; & etiam ad deſignandum odorem bonæ famæ: nàm thus & pingue eſt & odoriferum. Sacrificium Zelotypiæ non procedebat ex deuotione, ſed magis ex ſuſpicione; ideò in eo non offerebatur thus: hæc S. Doctor. [H] Tu adde, nec famæ bonæ odor exinde eſtlabat.

F 3. p. 74. 1. 1.

G p. 2. 102. 3. 13.

H loc. cit. ad 14.

Per hordeum etiam ſignificantur fideles imperfecti, quippe qui habent paleam tenacem, ideſt temporalium amorem. [I] Quali eſſet vir affectus amore, immoderato ex zelo, vel falſa ſuſpicione innoteſcit. Huiuſmodi etiam retuli Exodi 9. non reijcit tamen Dominus hoc ſacrificium, parcens effræni maritorum zelo, qui aliàs non rarò inſontibus etiam vxoribus eſſent necem illaturi: quo nihilominus proſpiciebatur, ne illæ matrimonij frangerent fidem.

I Apoc. 6. comm. 1.

VERSVS XVII. *Aſſumetque aquam ſanctam in vaſe fictili, & pauxillum terræ*.

In aqua ſatis intelligitur [L] voluptas. Ge-

L Pſ. 31.

nesis

nesis 49. de Ruben, qui ascenderat cubile Patris sui, dicitur, *effusus es sicut aqua*: vt ibi visum est. Conspurcatur autem aqua per terræ immistionem: vnde æquè impuritas, quæ timebatur, innuitur: in vase fictili: quod peccatorem significat, quemadmodum Leuitici 6. patuit.

VERSVS XVIII. *Cumque steterit mulier &c.*

3 Erat mulier discooperto capite, quasi spoliata insignibus pudoris ac pudicitiæ: & vt ait Theodoretus, ad designandum omnia nuda, & aperta esse in oculis Dei, cui sistebatur. Ita apud Tirinum: ponebaturque super manus illius sacrificium, dictum hic *recordationis*, nempe hoc sacrificium eò dirigebatur, vt Deus ostenderet se non obliuisci innocentiæ, quam semper tuetur, neque culparum quas pro iustitia punit. Has autem aquas quas exhaurire debebat suspecta mulier, compellat iure amarissimas, ob maledicta cum execratione congesta. Quo etiam signatur voluptates huiusmodi amaras esse: prout aiebat Augustinus, *respersisti delectationes meas amaritudinibus*.

VERSVS XXII. *Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tumescente putrescat femur.*

4 Legimus Iob 40. de Diabolo sub figura *Behemoth fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius*. Hoc refertur ad peccatum luxuriæ [M] secundum Gregorium: nam hac ex parte [N] Diabolus fortiter impugnat. Memorantur autem lumbi, vt hoc referatur ad viros: & Vmbilicus, vt referatur [O] ad mulieres. Sicut enim ait idem Gregorius, [P] viris in lumbis luxuria est; fœminis in vmbilico. Ad rem nostram, satis liquet, quare in pœnam vterus adulteræ tumesceret, & disrumperetur: & similiter putresceret femur. Per femur in scripturis propagatio carnis vel sobolis [Q] intelligitur. Vbi autem Genesis 32. habemus, *tetigit neruum femoris eius*: figurale est, inquit, [R] quia carnalis concupiscentia, quæ viget in femoris imo, ad tactum Dei marcescit. En quare Dei vltio in hasce mulieris partes. Quamuis autem videretur sufficere puniri in ventre, qui stat pro parte: dicitur etiam de femore, quia virorum peccata adulterij, in adulteras propter consensum, & fortiùs propter scandalum, redundant. Prou. 7. *præparata ad decipiendas animas* &c. Miraculosè ergò, vt recolit [S] D. Thomas, computrescebat femur bibitis aquis. Quamuis enim natura [T] possit quantum ad substantiam facti, huiusmodi corruptionem pati, tamen quoad modum est præter naturam, quia vniuersaliter hoc eueniebat, vt post potum aquarum, adulteræ venter putresceret. Si declinasset mulier à viro suo, *maritus*, inquit sacer textus, *absque culpa erit*; tacitus monens, quàm grauiter peccaret in calumnia innocentis. Videat anima, cui Oseæ 2. dicitur *desponsabo te mihi in fide*: & Ieremiæ 3. *tu autem fornicata es cum amatoribus multis*. Et priùs in Oseæ, *quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius: auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum*. Zelotypia & in Deo locum habet: hinc S. Doctor [V] ipse Deus frequenter vocat se Zelotem, Exodi 20. *fortis Zelotes*, & c. 34. *Dominus Zelotes, nomen eius*; quia crimen sponsæ non dimittit inultum. Et prius, [X] zelus autem est amor sponsi: sicut ergo sponsus non parcit sponsæ malæ, sic nec Deus animæ peccatrici. Prou. 6. *zelus & furor viri, non parcet in die vindictæ*.

M de malo 15.2.6.
N op.41. 1.5.27.
O Iob 40.
P 1. Petri 41.
Q Apoc. 19. ad finem comment. 2. cant. 3.
R Genes. 32.
S p. 2. 103.2.3.
T 2. 28. 1.3.
V Hebr. 12.l.4.
X Heb: 10.l.1.

CAPVT VI.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere ad filios Israel, & dices
ad eos: Vir, siue mulier, cum fecerit votum, vt sanctificentur, & se voluerint
Domino consecrare: 3 à vino, & omni, quod inebriare potest, abstinebunt.
Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de vua exprimitur, non bibent:
vuas recentes siccasque non comedent, 4 cunctis diebus quibus ex voto Domino conse-
crantur: quidquid ex vinea esse potest, ab vua passa vsque ad acinum non comedent: 5
Omni tempore separationis suæ nouacula non transibit per caput eius vsque ad completum Iud.13.a 5.
diem, quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis eius. 6 Omni tem-
pore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur, 7 nec super patris quidem, & ma-
tris, & fratris sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput eius.
8 Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino. 9 Sin autem mortuus fuerit su-
bitò quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis eius, quod radet illico in eadem die
purgationis suæ, & rursum septima: 10 in octaua autem die offeret duos turtures, vel duos
pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonij: 11 facietque sacerdos vnum pro
peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccauit super mortuo:
sanctificabitque caput eius in die illo: 12 & consecrabit Domino dies separationis illius,
offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen vt dies priores irriti fiant, quoniam pol-
luta est sanctificatio eius. 13 Ista est lex consecrationis. Cum dies, quos ex voto decreue-
rat, complebuntur: adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis, 14 & offeret oblationem
eius Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, & ouem anniculam imma-
culatam pro peccato, & arietem immaculatum, hostiam pacificam, 15 canistrum quoque
panum azymorum, qui conspersi sint oleo, & lagana absque fermento vncta oleo, ac liba-
mina singulorum; 16 quæ offeret sacerdos coram Domino, & faciet tàm pro peccato,
quàm in holocaustum. 17 Arietem verò immolabit hostiam pacificam Domino, offerens

simul

Act.21.d.24. simul canistrum azymorum, & libamenta quæ ex more debentur. 18 Tunc radetur naza-
ræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos eius, &
ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum. 19 Et armum coctum arietis,
tortamque absque fermento vnam de canistro, & laganum azymum vnum, & tradet in
manus nazaræi, postquam rasum fuerit caput eius: 20 Susceptaque rursum ab eo, eleuabit
in conspectu Domini: & sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari iussum est, & femur: post hæc potest bibere nazaræus vinum. 21 Ista est lex nazaræi, cum
vouerit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his, quæ inuenerit
Eccl. 16.c.19. manus eius, iuxta quod mente deuouerat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ.
22 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 23 Loquere Aaron, & filijs eius: Sic
benedicetis filijs Israel, & dicetis eis. 24 Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. 25
Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. 26 Conuertat Dominus vultum
suum ad te, & det tibi pacem. 27 Inuocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego
benedicam eis.

VERSUS II. *Vir siue mulier, cum fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare.*

De sanctificatis, de consecratis, de separatis viris, siue mulieribus Domino, agitur in hoc capite; siquidem Nazir per zain, qui hic dicitur Nazaræus, à radice *nazar* & sanctitatem, & consecrationem, & separationem importat: separabantur quippe aliqui, deuotionis affectu, & spiritus desiderio, vt legi perdiscendæ Deoque vacarent; prompti etiam à licitis, nedum à voluptatibus abstinere: quibus, ne incerto ritu, proprioque Marte absque mysterio eam vitam arriperent, institutum præscribitur, seu norma, ad quam perfectionis in stadio exerceantur. Per hos igitur quemadmodum dicit glossa Gregorij apud D. Thomam [A] *Significantur illi, qui ad perfectionis summam pertingunt*. Ostenditurque ibi hac ex radice requiri ad Religionis perfectioné, vt quis ad ea quę sunt perfectionis, voto obstringatur. Et ideò textus votum exprimit: & quamquam non exprimeret, satis haberetur, cùm de holocausto fiat repetita mentio: ait autem Gregorius ibidem, *Cum quis omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, Omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est*.

A 2. 2. 186. 6. còtrà.

Studio igitur perfectionis, quam aliqualiter profitebantur, Nazarȩi insudabant: cuius exercitatio erat castigatio corporis; temporalium cõtemptus; animi puritas; mentis denique in diuinis meditatio, quæ cuncta hic per Moysen commonentur. In primis autem est.

VERSUS III. *A vino, & omni quod inebriare potest*, &c.

Talis fuit Ioannes de quo Lucæ 2. prædictum fuerat; *Vinum, & siceram non bibet*, vnde in Samsonis commendationem, qui Iudicum 13. teste Angelo futurus erat *Nazaræus Dei ab infantia, & ex vtero matris suæ*; matri etiam pariture inhibetur, *Caue ergo ne bibas vinum, ac siceram*. Itaque *bibebat*, ait Augustinus contra Faustum relatus in Catena Matthæi, 21. *Ioannes aquam*. In quo indicat nobis Spiritus Sanctus, qualem temperantiam exigeret circa venerea, cibos & alia, in Nazaræis, dum à potu vini, (de quo aliàs dicitur; *Aequa vita hominis vinum in sobrietate: sanitas animæ, & corporis sobrius potus*. Eccl. 31.) erat eis abstinendum. Quadruplici autem personarum generi, necessariam vini sobrietatem probat Angelicus: iuuenibus [B] quidem, quia in ipsis viget concupiscentia delectabilis, propter feruorem ætatis: mulieribus, quia ipsis nõ est sufficiens robur mentis, ad hoc quòd concupiscentijs resistant; vnde secundùm Valerium Maximum, mulieres apud Romanos, antiquitùs non bibebant vinum. (Sic Tim. 1. c. 2. quia enim mulieribus ratio est debilis; sobrietas autem conseruat virtutem rationis, ideò in mulieribus maximè reprehenditur ebrietas: vnde antiquitus apud Romanos eis non dabatur vinum.) Senibus, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem: vinum enim immoderatè sumptum præcipuè impedit vsum rationis. Denique Episcopis, seu quibuslibet Ecclesiæ ministris, qui mente deuota debent spiritualibus officijs insistere. Sic Regibus, &c.

B 2. 2. 149. 4.

Ergo quomodo Leuitici 10. dixit Dominus ad Aaron; *vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intratis in Tabernaculum testimonij; ne moriamini*; ita in præsenti Nazaræis interdicitur; aduersum enim bibones declamat Isaias c. 28. *Verùm hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt: Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate*, &c. Fortè autem specialiter exprimitur vini abstinentia, quia vt ait S. Thomas, [C] modicus excessus in potu, plùs nocet quàm in alijs.

C 2. 2. 149. 1. 2.

VERSUS V. *Omni tempore separationis suæ, nouacula non transibit per caput eius.*

Paulò ante de viro, ac de muliere simul Nazaræatum professuris dictum est, quoad vineæ abrenunciationem: nunc & deinceps, singulariter de Nazaræo. Causam fuisse puto, quoniam secundùm exteriorem corticem literæ, quod adijcitur, de non tondendis, aut eradendis capillis, frustra in legem præscriberetur mulieribus: quibus imò, vt ait S. Doctor, [D] naturale est comam nutrire; habent enim ad hoc dispositionem naturalem; & vlteriùs inclinatio quædam inest mulieribus, ad comam nutriendam; in pluribus enim hoc accidit, quòd mulieres magis studeant ad nutriendam comam, quàm viri: hinc aiebat Apostolus; *Turpe est mulieri tonderi aut decaluari*. Igitur si non in superficie perperam mulieribus, quod viris, inhibetur: certè profundiùs, & ipsis intenditur, neglectus nempe comarum, sic vt nulli studeatur ornatui, sed tanquam vitis non putandæ palmites, capilli absque omni cultu excrescere permittantur. Et quoniam capillorum metaphora pro rebus superfluis cantatissima est D. Augu-

D 1. Cor. 11. l. 2.

stino

stino Tractatu 50. in Ioannem, dum inquit *Capillis terge, si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes tersisti: capilli enim superflua corporis videntur; habes quod agas de superfluis tuis*: non fuerit absonum id ita exponere, vt fiat sensus, in hac nouaculæ prohibitione, istiusmodi. Sinat Nazaræus vt fiat capilli promissi: erunt ad pedes Domini tergendos, aptiores: deinde ponendi super ignem, *tolletque capillos eius, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum*; quia ignita debet esse bonorum erogatio: secus vix prodest: iuxta quod Apostolus, 1. Cor. 13. *& si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Congruit autem huiusmodi expositio, quia ad perfectionem, Nazaræi erat tendere, prout dicetur: ad perfectionem autem pertinet, vt homo omnia bona sua, in opera pietatis expendat secundùm illud Matthæi 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, vt recolit ibi ᴱ S. Doctor: Nisi ergò neglexerit, spreuerit, & pro nihilo ceu pilum duxerit quis temporalia, non potest via perfectionis incedere: vnde ait Dominus, Lucæ. 14. *omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*.

E 1. Cor. 13. l. 1.

Memorat Nazaræorum ritum Magister in 4. dist. 24. vt primæ rine seruato; deinde ob vitæ continentiam, caput raderent, ibi D. Th. q. 3. a. 1. r. Profitebantur perfectionem quandam in depositione comæ, significantes temporaliũ contemptum: quamuis non in modum coronæ deponerent, sed omnino totum, quia nondum erat tempus regalis, & perfecti sacerdotij.

VERSUS VII. *Nec super Patris quidem & Matris, & Fratris sororisque funere contaminabitur; quia consecratio Dei eius super caput suum est*.

In hac legali à cadaueribus elongatione, æquiparatur Nazaræus summo Sacerdoti, cui nec licebat super Patre aut Matre mortuis contaminari, vt habetur Leuitici 21. Quare vtrobique desideratæ perfectionis culmen ostenditur: ex qua fit vt constanter omnem incurrere debeant aduersitatis aleam Deo cuncta regenti omnino conformes: dicentes, *Dominus dedit, Dominus abstulit*: ad quod promouemur ex illo Ecclesiastici 22. *modicum plora supra mortuum*, quoniam requieuit. Imò quia speciale poterat occurrere Nazaræo, vt quispiam coram, & subitò moreretur, decernitur eo casu pollui, fitque peccati, & delicti commemoratio; & per sacrificia mandatur expiatio. Quocirca multiplex difficultas oboritur. Primò, quia S. Doctor ᶠ docet quoad immunditiæ contractum, tactum, quidem immundi, tanquam impurum damnari meritò in lege; cæterum lege attenuatam iussè superstitionem gentilium, qui non solùm per contactum immundi, dicebant immunditiam contrahi, sed etiam per collocutionem, aut per aspectum, vt Rabbi Moyses dicit de muliere menstruata: in hoc loco autem non videtur potuisse Nazaræus pollui, nisi ex aspectu. Deinde mirum videtur quomodo polluatur caput consecrationis eius illicò radendum: cùm potiùs omnius dicendus esset pollutus. Tertiò admissâ etiam legali immunditia, ex repente secuta coram, co morte, non videtur inde Nazaræus peccasse, aut deliquisse; neque enim debuit aut potuit eam præuidere. Quare ergo peccasse præsumitur, dum offeret, inquit, *duos turtures, vel duos pullos columbæ, facietque sacerdos vnum pro peccato*: & statim; *offerens agnum anniculum pro peccato*?

F p. 2. 102. a. 4. [illegible]

Respondeo. Quantum attinet ad hoc vltimum laborare nonnullos interpretum scrutando quomodo peccate Nazaræus eo in casu dicatur: siquidem aiunt, peccasse, hoc est, existimasse ob sua peccata, mortis proximi accidisse casum: vel peccasse; quasi putarit peccasse: sed ipse opinor præsumi Nazaræum deliquisse, quoniam in repentina ea morte, faciliè inordinatus motus erumpit humanæ cuiusdam displicentiæ, qua ex vitium infirmitate turbetur aliquantulum ratio; quæ pleniùs debuerat esse Deo conformis: eo vel maximè quòd motus appetitus sensitiui, vt ait ᴳ D. Thomas, quandoque subito concitatur ad apprehensionem imaginationis vel sensus: & tunc ille motus est præter imperium rationis, quamuis potuisset impediri à ratione, si præuidisset. Vnde & D. Augustinus relatus ᴴ alibi *motus* inquit *fomitis, etiamsi rationem præueniat, est peccatum veniale, licèt leuissimum*: igitur, quia non fuerit cor Nazaræi concordans pleniùs cum Diuina voluntate, recolendo illud Amos 3. *si erit malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus*: nec instar beati Iob dixerit: *sicut Domino placuit ita factum est*, aliquod incurrit ille peccatum, manifestat Dominus: cum maximè, nondum essent edocti homines, illud Orationis Dominicæ: *fiat voluntas tua sicut in Cælo, & in terra*. Neque docuisset Christus; *non mea voluntas sed tua fiat*, Lucæ 22.

G p. 2. 17. 7.

H 3. p. 27. 4. 1.

Hinc ad secundam obiectionem fit facilè satis, quoniam immunditia in caput emergit, vbi cogitationes per capillos signantur. Et primæ pariter: quia non solo aspectu, sed per consecuta ad aspectum polluitur mens.

In his autem inuenies typum votorum trium, per quæ nouæ legis Religio omnis, ad perfectionis culmen contendit, siquidem in vini abstinentia in quo est luxuria, commendatur castitas: paupertas innotescit in incuria superfluitatum, neglecta coma: obedientiæ tandem elucet specimen, in animo, qui Dei beneplacito fit subiectus, quem non contristet quicquid acciderit illi. Post quæ, & per quæ, fit in dies ad perfectionem accessus. Ad quem subinnendum erat depositio comæ: quo symbolo ex D. Isidoro perfectionem deuotionis Domino consecrabant: (tu in eo mentem agnosce) & ex D. Thoma Nazaræi perfectionem quandam ᴵ profitebantur in depositione comæ significantes temporalium contemptum: quamuis non in modum coronæ deponerent, sed omninò totum, quia nondum erat tempus regalis, & perfecti Sacerdotij: (quod supra dictum est) significatur tamen diuina contemplari eos oportuisse. Consonant autem perfectioni huic, & ea remonstrat, nam præterquam ignis feruentem charitatem designat; traditio quæ fiebat in manus Nazaræi panum, & armi, id ostendit. Cum quid sit aliquem perfectionis peruenit gradum, superest ve debilioribus adsit: Armus, iam dictum est Exodi 29. ᴸ pro fortitudine ponitur ad sustentandum defectus. Laganum azimum, sinceritatem & puritatem atque incorruptionem; qua spiritua-

2

I 4. 24. 3. 1. 1.

L p. 2. 102. 4. 5.

ritualiter nutriri debet, apertè significat. Tortam etiam absque fermento manu praecipiebat, non sine mysterio. Septuaginta transtulere *panem*. Chaldaea *placentam azimam*: propriùs, noster vertere maluit *tortam*: licèt *Chalat* potius placentam sonet; quemadmodum *Chichar* tortam: fortè, quia dum expressiùs, rotunditas, & confectio in orbem panis illius importatur, ad perfectionem alluditur cantatissimam in circulari figura. *Chichar* apud Tirinum Ieremiae 37. est *rotundus & quasi in orbem contortus panis*. Quod & *placenta* iam obtinet.

3 Sed quoniam, vt est in confesso apud omnes, Nazaraeorum quidam consecrabantur ad certum tempus; quidam pereuni vitae suae cursu: quales fuerunt Samson, Iudicum 13. *erit Nazaraeus Dei ab infantia sua*. Samuel, de quo 1. Regum 1. *Nouacula non ascendet super caput eius*. Ioannes Baptista Lucae 1. *Vinum & siceram non bibet*: & Iacobus minor de quo legimus; *ab ineunte aetate vinum & siceram non bibit: & nunquam tonsus est*: dum hic praescribitur de temporaneis, tondendos esse &c. necesse est, perpetuorum spiritaliter signari tonsionem, qua mente nimirum liberiùs in coelum fixa, tonsis non solum aequarentur sed & praeirent; quamquam re ipsa nunquam tonderentur. Threnorum quippe 4. ait Ieremias, *Candidiores Nazaraei eius niue*; in hoc castitatis effigiatur candor: *nitidiores lacte*; in hoc paupertatis amor, ex quo tanquam lac, res suas omnes in pauperum sustentationem dulciter mulgent: *rubicundiores ebore antiquo*; per quod iugis & fortis obedientia signatur, apud à Lapide. Ignorat nemo, disciplinabilem prae cunctis esse elephantem, pro quo stet ebur: Sapphirus, vt dictum est Exodi 24. lapis est [M] Coeli sereni habens colorem. En quomodo id quod per rasam caesariem, per Sapphirum significatur, posset quis etiam per niuem, quae facili negotio molliter in figuram omnem aptatur, obedientiā intelligere; & tunc per ebur castitas indicaretur; nàm Elephas animal perhibetur castissimum, & naturae frigidissimae: vnde & à dracone, qui calidae naturae est, vehementer appetitur, vt loco citato traditur à D. Thoma.

M Cant. 5.

4 Verùm quoniam Religio, de cuius perfectione hic figurata hactenus actum est, status communiter dicitur poenitentiae: admirari iuuat, quomodo per obseruantias Nazaraeorum verior poenitentia adumbrata est. Poenitentia est *peccata commissa flere, & flenda non committere*. Moestitiam ex animi dolore praesefert ille, quem poenitet: *Vae nobis*, dolet Ieremias in oratione, *quia peccauimus: propterea moestum factum est in dolore cor nostrum, ideò contenebrati sunt oculi nostri*. Hunc animi affectum contendebat Nazaraeus Baptista in turbis excitare: quo spectat illud Lucae 7. *Lamentauimus & non plorastis: venit autem Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum* &c. Vt autem ait Augustinus in Catena aurea: *hac ad Ioannem pertinent*: cuius abstinentia à cibo & potu, luctum poenitentiae significabat. Meritò igitur cùm *vinum laetificet cor hominis: cum sit exultatio animae & cordis vinum moderatè potatum* Ecc. 31. ad hanc à corde poenitentium longè amandandam interdicitur vinum. Quod quidem post poenitentiae curricula, licitè bibitur: *post hac potest bibere Nazaraeus vinum*: iuxtà quod Prouerb. 31. dicitur; *date siceram moerentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant, & obliuiscantur egestatis suae, & doloris sui non recordentur ampliùs*. Hinc ait Chrysost. & fertur in Catena Lucae 7. *sicut autem vbi vehemens imber proruit, fit serenitas; sic lacrymis effusis, apparet tranquillitas*: & Caietanus, cùm secunda vice Magdalena morituro iam prope Domino, fracto alabastro effudit vnguentum, *non fleuit* inquit, *tunc, quia iam non peccatrix*. Et certè consentit morali huic expositioni textus, non enim prohibetur vinum, ad ebrietatem vitandam, vt Leuitici 10. *Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis*; sed nulla adiecta causa, vt sedulae contemplationi mysterij studiosè daretur opera, vetatur. Sic Ieremiae 35. Rechabitae abstinebant à vino: quod pro laetitia cohibenda, proque poenitentiae luctu accipi posse docemur Danielis 10. in fine.

Fletui culparum adnectitur, culpae futurae vitatio. Quia ergo stat vini potus pro culpis, iuxtà illud Prouerb. 23. *ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet*: quidquid quomodocumque à lethali vitae fuerit, prohibentur gustare: vt quàm longè à peccatorum symbolis semper sint. Huc facit, quod ait glossa ibi; *acetum ex vino* &c. *non bibent; acetum bibunt, qui post vitae sanctitatem, ad vetustatem praeteritorum vitiorum labuntur, & corruptione veteris nequitia delectantur*. 5

Sed non satis fuit Spiritui Sancto, semel edocuisse huiusmodi contritationem ad poenitentiam; iteratò per aliam obseruantiam intonsi videlicet capitis, illam insinuat: *Nouacula non transibit super caput eius* &c. Aliās alijs de causis, puta ad remouendum idololatriae ritum cautum est, ne attonderent comam; ne raderent caput, vel barbam; ne facerent caluitium super mortuo, de quo Leuitici 19. & 21. atque Deuteronomij 14. nàm vana superstitione gentiles, detonsos capillos idolis consecrabant, vt eruditè apud Tirinum Leuitici 19. ad quorum Ethnicorum morum extirpationem, iubet hic tandem cremari. Sed in praesenti ad contestandum Nazaraei moerorem specialiter videtur nouacula fuisse prohibita. Certè, ait D. Thomas: [N] Est autem cōsuetudo viris quod tempore luctus comam nutriant, quasi hoc sit suae conditioni conueniens. In quo & gentilium mos vnà simul respuitur, qui luctus testandi causā abradebant pilos, vt apud eundem Tirinum Leuitici 10.

N 1. Cor. 11. l. 2.

In eo quod sequitur, de fugienda contaminatione mortuorum: *super mortuum non ingredietur, nec super Patris quidem, & Matris*, &c. elongationem ab omni peccato significat: immunditia enim [O] cadaueris cuiuscumque significat immunditiam peccati, quod est mors animae. Consonat his, quae ait Dominus Lucae 14. *si quis venit ad me & non odit Patrem suum & Matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*. Et expressiùs Matthaei 8. vbi cum popofcisset discipulus; *permitte me primum ire & sepelire Patrem meum*, audiuit, *sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. De quo in Catena aurea Chrysostomus; *hoc autem docet non iubens contemnere amorem qui est ad parentes, sed monstrans quoniam nihil coelestibus negotijs nobis magis necessarium esse oportet*: & post pauca: *post sepultu-*

O p. 2. 102. 5. 4.

ram

ram enim, necesse iam erat, & testamenta scrutari, & hareditatis diuisionem, & alia huiusmodi: & ita fluctuationes ex fluctuationibus ei succedentes, longe eum à veritate abducere potuerunt. Huc potest referri ex D. Thoma tentationis exemplum, [P] de quodam scilicet monacho cui tandem suggessit diabolus, quod pater suus esset mortuus, & dimiserat sibi multas diuitias distribuendas inter pauperes; idcirco iret ad ciuitatem: ad quam cum ijsset, nunquam redijt ad cellam, & mortuus est in peccato. Quam melius fuisset illi, nescire Patrem, nec in illius funere contaminari!

P 1. Cor. 11. l. 4.

6 Ad idem facit cum quis subito moriebatur coram Nazaræo; pollutus siquidem perhibetur Sic Prou. 25. *fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadens coram impio*. Adde tu, & coram probo, nam ex Seneca, *hac est summa malorum, quod ad exemplum malorum viuitur*. Ad Genesis c. 19. noli respicere post tergum tuum, lego: quædam flagitia sic esse detestanda & fugienda [Q] vt nec ad primum conspectum visus vel memoriæ veniant. Hinc ad illa verba Iob. 31. *pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*, ait glossa; *visum sequitur cogitatio; cogitationē delectatio, delectationē consensus; consensum opus; opus consuetudo; consuetudinem necessitas; necessitatem desperatio; desperationē damnatio*. Igitur, si cōtigisset istiusmodi ex aspectu immunditia, radendus erat capite Nazaræus, quàm belle! capilli enim pro cogitationibus accipi solent. Sicut autem, ex D. Iacobo habemus; *quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Modicum fermentum totam farina cui mycitur massam corrumpit, vniuersamque mox conspersionem suo sapore commaculat*, ait Sanctus Beda lib. 4. in Lucam c. 52. *Et dies priores irriti* fiebant. Ex quibus ad rem nostram, duo colligit Hugo; primò pœnitentiam factam sine charitate irritam esse. Secundò, per peccatum sequens mortificari omnia opera præcedentia. Primum perdocuit Apostolus 1. Cor. 13. charitatem extollens. Secundum probat in tertia parte [R] illud Ezechielis inducens c. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitia eius, quas fecerat, non recordabuntur*. Quare autem offerret *duos turtures, aut pullos columbarum* meditare ex ijs quæ dicta sunt Leuitici 12. Neque enim hic paupertati offerentium prospicitur, sed mysterio.

Q Genesis 19.

R 3. p. q. 89. 4.

VERSVS XXIII. *Sic benedicetis filijs Israel &c.*

7 Videtur primo aspectu hoc esse extrà Chorum: vt quid enim hic de benedictionibus? Sanè copiosior largiorque benedictio, ex his quibus Moyses benedixit Deuteronómij 33. filijs Israel ante mortem, fuit illa Ioseph: & Genesis 49. habemus Iacob benedixisse singulis suis filijs, benedictionibus proprijs: nullis tamen præter Ioseph prounnciatur expressior: illi autem cumulatissimè cunctorum collectione bonorum amanter datur. At vtrobique Nazaræus compellatur, *in vertice Nazaræi inter fratres suos*; ita Genes. *Et super verticem Nazaræi inter fratres suos*; ita Deuteronomij. Fas igitur est suaderi, idcirco benedictiones in præsenti aggerari, vt Iosephus ceu primus Nazaræorum recolatur. Haud conabor ipsum ad literam talem ostendere, quamuis fuerit separatus à fratribus, intonsis capillis in carcere, & tandem regia coronatus potestate: (coronatum sonat etiam nazaræus) quod interpretes multi assumunt: sed ipsum Nazaræum in spiritu reuelabo; illius perfectionis studiosum, quæ instar religiosorum in Nazaræatu prælusit, in vororum prælibatione trium. Castimoniam Ioseph non desinunt Sancti Patres extollere: ex qua nedum accusauit fratres crimine pessimo, sed & insultantis mulieris delusit astus. Paupertatis amator quomodo fuerit, spreto fratrum odio innotescit: *Quid eum acerbius*, ait Cyrillus in Ioann. c. 15. *& plerumque damnabilius, quam odio haberi? suaue tamen id efficitur propter Deum: & quando gratia pietatis accidit, argumento est non inhiare rebus caducis, eum qui odio habetur; vt enim corporum, ita morum cognatio quadam est, longe sanguinis vincens cognationem*. Aiebat Poeta, *opto placere bonis, prauis odiosus haberi*. Rebus ergo caducis & temporalibus bonis, non inhiauit Ioseph: quod pauperis voluntariè talis, proprium est. Qualem autem obedientiæ iugum omni amissa libertate gaudens pertulerit, illius venditio commostrat. Et verè quemadmodum dictum est suprà, impleuit illud quod monet Dominus; *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem &c. fratres & sorores*. Nec passus est super mortuo contaminari. Ex quibus, diuinis dignatus est Deus illum, somniorum reuelationibus atque interpretationibus; quoniam postquam percursa est perfectionis via, abraditur, vt euolet liberius mens, Nazaræi caput: vnde ad coronam, vt illi accidit properatur; & consummatarum benedictionum percipitur fructus. Denique memoratur post Nazaræos benedictio; quia vt expendit Angelicus [S] propter aliquos iustos, parcit clementissimus Dominus, etiam impijs, vt patet Genesis 18. cum de subuertenda Sodoma ageretur. Sic filijs Israel è cœlis Nazaræorum meritis promittuntur, ac iterantur largæ benedictiones: quod in clausula capitis indicatur, cum dicitur, *inuocabuntque nomen meum super filios Israel; & ego benedicam eis*.

S Serm. de SS. Simone & Iuda.

VERSVS XXIV. *Benedicat tibi Dominus & custodiat te*.

Quærit Angelicus num [T] in significatione Sacramentorum requirantur verba, & inquit, etiam in veteri lege vtebantur aliquibus verbis, in his quæ ad cultum Dei pertinent, tam sacerdotes, qui erant sacramentorum illorum ministri (secundùm illud Numeri 6. *sic benedicetis filijs Israel* &c.) quàm etiam illi, qui illis sacramentis vtebantur. Forma ergo benedictionis præscribitur. Huiusmodi autem benedictio Ecc. 36. ad vnum videtur referri. *Secundum* (inquit) *benedictionem Aaron da populo tuo, & dirige nos in viam iustitia*: in qua quidem principaliter est Deus qui nos inducit: vt ex contextu relato, *inuocabuntque nomen meum*, animaduertit S. Thomas [V] dicens, benedictionis enim Deus est author, etsi homo sit minister.

T 3. p. 60. 6. 3.

V 2. 2. 88. 7. 1.

Quoniam verò egent diuina benedictione & iustus & impius; vtrosque complecti videtur inuocatio ista. Iustis quippe aptari potest, quod primo dicitur: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te*; Siquidem, vt legitur Ps. 144. *Custodit Dominus omnes diligentes se*. Quæ sequuntur conueniunt impijs: ab his enim propter peccata, ex quibus sunt in vera miseria; *miseros*, Prouerb. 8

14. *facit populos peccatum*. *Auertit*, vt dicitur psal. 12. *faciem suam, quamdiu ponant consilium in anima sua dolorem in corde suo per diem*; vt ergo illam ipsis ostendat Dominus misereaturque illorum, est benedictio: post quam vlteriùs exoratur Dominus vt se conuertat ad illos, per sanctificantis gratiæ, & charitatis diffusionem, ex quo sequitur gaudium & pax: iuxtà illud, *pax multa diligentibus legem tuam*.

Verùm quia tet ineffabile quadriliterum nomen exprimitur, non abs re Sanctissimæ Triadis mysterium agnoscunt nonnulli. Quorum menti benedictionum series adstipulatur. Non est qui ignoret Patri attribui prouidentiam, hominumque custodiam: vnde Sapientiæ 14. *Tu autem Pater gubernas omnia prouidentia*: Et Ecclesia in hymno; *Custodes hominum psallimus Angelos, naturæ fragili quos Pater addidit cælestis comites*: Patri ergo refertur *Lybenedicat tibi Dominus, & custodiat te*. Rursùs ad illa psalmi 5. *Signatum est super nos lumen vultus tui*; *vultus tui*; ait Angelicus; *idest filij*, [X] *qui est facies tua, qua manifestaris*; igitur dum legimus, *Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui*, de illo fit sermo, qui dixit, *Misereor super turbam*. Denique cùm sequitur, *Conuertat Dominus vultum suum ad se*, intelligitur Spiritus Sanctus, in donis ipsi appropriatis, cuiusmodi sunt teste [A] sancto Doctore *gratia*, & *pax*. In Matthæum, c. 10. memorato hoc textu pax Christo accepta refertur; quia in Christo Mundus est reconciliatus: Roman. 5. *Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius*: sicuti & Apostolus Ephesiorum præfato 1. omnes benedictiones in Christum refundit, *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo*. Sed hæc non prohibent, distingui etiam per appropriata, vt paulò ante innotuit, diuinas Personas. Benedictio autem Dei ex D. Gregorio [B] dicitur bonorum eius collatio, & eorundem multiplicatio. Sanè *ipse dixit, & facta sunt*; cum ergo benedicit nobis, fiunt nobis bona.

X Ioan. 1. b. 3.

A Ephes. 1. b. 2.

B 2. 18. 1. 2.

C A P V T VII.

1 FActum est autem in die, qua compleuit Moyses tabernaculum, & erexit illud: vn- Exod. 40. b. 16.
xitque, & sanctificauit cum omnibus vasis suis, altare similiter, & omnia vasa eius:
2 obtulerunt principes Israel, & capita familiarum, qui erant per singulas tribus,
præfectique eorum, qui numerati fuerant, 3 munera coram Domino sex plaustra tecta
cum duodecim bobus. Vnum plaustrum obtulere duo duces, & vnum bouem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi. 4 Ait autem Dominus ad Moysen. 5 Suscipe
ab eis vt seruiant in ministerio tabernaculi, & trades ea Leuitis iuxta ordinem ministerij sui.
6 Itaque cum suscepisset Moyses plaustra, & boues, tradidit eos Leuitis. 7 Duo plaustra,
& quatuor boues dedit filijs Gerson, iuxta id, quod habebant necessarium, 8 quatuor alia
plaustra, & octo boues dedit filijs Merari secundum officia, & cultum suum sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis: 9 filijs autem Caath non dedit plaustra, & boues, quia in San-
ctuario seruiunt, & onera proprijs portant humeris. 10 Igitur obtulerunt duces in dedica-
tionem altaris, die qua vnctum est, oblationem suam ante altare. 11 Dixitque Dominus
ad Moysen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. 12
Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Iuda: 13 fuerunt-
que in ea acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos iuxta pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sa-
crificium: 14 mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso: 15 bouem de armen-
to, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum, 16 hircumque pro peccato: 17 &
in sacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc est oblatio Nahasson filij Aminadab. 18 Secundo die obtulit Nathaneel filius
Suar, dux de tribu Issachar, 19 acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,
phialam argenteam habentem septuaginta siclos, iuxta pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 20 mortariolum aureum habens decem siclos
plenum incenso: 21 bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
22 hircumque pro peccato: 23 & in sacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque,
hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Nathanael filij Suar. 24 Ter-
tio die princeps filiorum Zabulon Eliab, filius Helon, 25 obtulit acetabulum argenteum
appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 26 mortariolum
aureum appendens decem siclos plenum incenso: 27 bouem de armento, & arietem, &
agnum anniculum in holocaustum: 28 hircumque pro peccato: 29 & in sacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc est oblatio: Eliab filij Helon. 30 Die quarto princeps filiorum Ruben, Elisur, filius Sedeur 31
obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in

sacri-

sacrificium: 32 mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: 33 bo-
uem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 34 hircumque pro
peccato: 35 & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos
anniculos quinque. hæc fuit oblatio Elisur filij Sedeur. 36 Die quinto princeps filiorum Si-
meon Salamiel filius Surisaddai 37 obtulit acetabulum argenteum appendens centum tri-
ginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrum-
que plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 38 mortariolum aureum appendens de-
cem siclos plenum incenso: 39 bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in
holocaustum: 40 hircumque pro peccato: 41 & in hostias pacificorum boues duos, arie-
tes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Salamiel filij Suri-
saddai. 42 Die sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel 43 obtulit acetabulum
argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta
siclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 44
mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: 45 bouem de armento,
& arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 46 hircumque pro peccato: 47 & in
hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque.
hæc fuit oblatio Eliasaph filij Duel. 48 Die septimo princeps filiorum Ephraim, Elisama
filius Ammiud, 49 obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phia-
lam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simi-
la conspersa oleo in sacrificium: 50 mortariolum aureum appendens decem siclos plenum
incenso: 51 bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 52
hircumque pro peccato: 53 & in hostias pacificorum, boues duos, arietes quinque, hir-
cos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Elisama filij Ammiud. 54 Die
octauo princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur, 55 obtulit acetabulum ar-
genteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta si-
clos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 56 mor-
tariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso: 57 bouem de armento, &
arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 58 hircumque pro peccato: 59 & in ho-
stias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque.
hæc fuit oblatio Gamaliel filij Phadassur. 60 Die nono princeps filiorum Beniamin, Abi-
dan filius Gedeonis, 61 obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,
phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum
simila conspersa oleo in sacrificium: 62 & mortariolum aureum appendens decem siclos
plenum incenso: 63 bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:
64 hircumque pro peccato: 65 & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque,
agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Abidan filij Gedeonis. 66 Die decimo prin-
ceps filiorum Dan, Ahiezer filius Ammisaddai, 67 obtulit acetabulum argenteum appen-
dens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus
Sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: 68 mortariolum au-
reum appendens decem siclos plenum incenso: 69 bouem de armento, & arietem, &
agnum anniculum in holocaustum: 70 hircumque pro peccato: 71 & in hostias pacifico-
rum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit obla-
tio Ahiezer filij Ammisaddai. 72 Die vndecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius O-
chran 73 obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argen-
team habentem septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrumque plenum simila consper-
sa oleo in sacrificium: 74 mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso:
75 bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum: 76 hircumque
pro peccato: 77 & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque,
agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Phegiel filij Ochran. 78 Die duodecimo prin-
ceps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan 79 obtulit acetabulum argenteum appendens
centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus Sanctua-
rij, vtrumq; plenum simila oleo conspersa in sacrificium: 80 mortariolum aureum appen-
dens decem siclos, plenum incenso: 81 bouem de armento, & arietem, & agnum anni-
culum in holocaustum: 82 hircumque pro peccato: 83 & in hostias pacificorum boues
duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Ahira
filij Enan. 84 Hæc in dedicatione altaris oblata sunt à principibus Israel, in die, qua con-
secratum est: acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea
duodecim: 85 ita vt centum triginta siclos argenti haberet vnum acetabulum, & septua-
ginta siclos haberet vna phiala, id est, in commune vasorum omnium ex argento sicli duo

millia quadringenti, pondere Sanctuarij: 86 mortariola aurea duodecim plena incenso, denos siclos appendentia pondere Sanctuarij: idest, simul auri sicli centum viginti: 87 boues de armento in holocaustum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato. 88 In hostias pacificorum, boues viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando vnctum est. 89 Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonij inter duos Cherubim, vnde & loquebatur ei.

VERSVS II. *Obtulerunt Principes Israel, & capita familiarum, &c.*

VERSVS III. *Munera eorum Domino sex plaustra tecta cum duodecim bobus.*

1 Cùm, quemadmodum putat Abulensis, referente & probante à Lapide, hic & Exodi 38. onera omnia non potuerint sex plaustris imponi: imò necessum fuerit plura adhuc ad subuehenda cætera, adesse: iuuat indubiè credere senarium numerum, ob latentes significationes, hic esse exactum. Igitur per currus sex istos, potuit annorum omnium temporumque curriculum, per sex mundi ætates duraturum significari. Et quoniam Tabernaculum, vt pluriès dictum est, stat pro Ecclesia, eiusdem, peregrinationis labor ab Abel iusto vsque ad finem mundi, rectè in sex vehiculis relucet. Senarius quippe numerus est primus perfectus, vt pluribus in locis traditur
A p.p.74. 1. Hebr. 4.l.1.de poten. q. 4. a. 29. Daniel. 3. à D. Thoma, [A] præsertim Hebræorum 4. vtpotè qni consurgit ex suis partibus aliquotis simul sumptis, quæ sunt vnum, duo, & tria; quia sexies vnum sunt sex: similiter, ter bis, & bis ter: & vnum duo tria, sunt sex: quia licèt ternatio conueniant aliqualiter ea quæ dicta sunt, quia ter vnum tria sunt: & vnum & duo, tria sunt: tamen bis vnum non faciunt tria: similiter semel duo, non faciunt tria, sed tantùm duo. Igitur non est mirum, si memoratus in scripturis mysteria portendat. Quæ numeri obseruatio fuit etiam Remigij, vt patet in Catena aurea D. Thomæ Matthæi 10. vbi in hæc verba refertur. *Duodenarius enim numerus perfectus est; nascitur enim à senario qui perfectionem habet; eoquòd ex suis partibus, quæ sunt vnum, duo, & tria, in se ipsum formatur; senarius autem numerus duplicatus duodenarium gignit.* Vbi & Rabanus eruditè valde inquit; *iste numerus per multas figuras in veteri testamento præsignatus est; per duodecim filios Iacob; per duodecim fontes viuentes in Elim; per duodecim lapides in Rationali Aaron; per duodecim panes propositionis; per duodecim exploratores à Moyse missos; per duodecim lapides, vnde factum est Altare; per duodecim lapides sublatos de Iordane; per duodecim boues, qui sustinebant mare æneum. In nouo etiam testamento, per duodecim stellas in corona sponsæ; per duodecim fundamenta Ierusalem, quæ vidit Ioannes; & per duodecim portas.* Priùs autem præmiserat, *duodenarius numerus, qui conficitur ex ternario & quaternario, designat eos* (Apostolos) *per quatuor mundi climata, fidem sanctæ Trinitatis prædicaturos.*

2 Certè & hi duodecim boues, vniuersitatem Prædicatorum significant: & signanter hoc numero arctantur: aliàs ditissimarum cæterarum oblationum opulentia, malè cohæreret cum munere adeo tenui, vt vnum plaustrum duo duces, & vnum bouem singuli offerrent. Boues sunt certè in typum Prædicatorum: sic D. Thomas [B] primæ Corinth. ad illa Apostoli verba, B 1. Cor. 9.l.1.
quæ ex Deuteronomij c. 25. accepta sunt; *non alligabis os boui trituranti*, inquit: hæc authoritas de bobus spiritualibus, idest, prædicatoribus intelligitur: & adnectit; triturare est separare granum a paleis, quod facit prædicator, abstrahendo animas à terrenis, discernendo virtutes à vitijs, separando vtilia à vanis, Ieremiæ 15. *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Vide ergo, quàm bene iungantur solummodo bini; quia videlicet, quod ait D. Gregorius, *duo sunt præcepta charitatis, Dei amor, & proximi: & minùs quàm inter duos charitas haberi non potest:* vnde & Dominus, *binos ad prædicandum mittit quatenus nobis id tacitus innuat; quia qui charitatem ergà alterum non habet, prædicationis officium nullatenus suscipere debet.* Ex quo iam decet ad senarium plaustrorum regredi. Ecclesia namque quaqueversus percurrit per sex plaustra: non secus atque ad id peragendum animalia in Apocalypsi habebant alas senas: quocirca S. Doctor, [C] in C Apoc. c.4.
2a. Comm. Prædicatores habent sex alas; scilicet legem naturalem, legem Moysi, doctrinam Prophetarum, Euangelium, documenta Apostolorum, eruditiones Doctorum, scilicet Augustini Gregorij &c. ex his enim debet sumi totius prædicationis fundamentum. Vbi & addit: Debet etiam quilibet fidelis habere sex alas, quibus volatur ad æterna (tu plaustris adapta) fidem scilicet & operationem, quantùm ad Deum: iniuriarum remissionem, & bonorum largitionem, quantùm ad proximum: abstinentiam & laborem quantùm ad se ipsum. Sic & Hugo inquit: *duodecim boues sunt omnes qui in obsequio Christi laborabant sub iugo Apostolicæ doctrinæ. Vel duodecim boues sunt vniuersi Doctores, qui in agro Dei fideliter laborant.*

VERSVS IX. *Filijs autem Caath non dedit plaustra & boues.*

Iu eiusmodi præstitis commodis, non in- 3
congruè illud præsignatur, quod ait Apostolus Roman. 15. *Si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis:* & 1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Vbi admirari nos oportet quomodo anxiè atque certatim singuli studuerunt esse beneficentiæ participes; nam vnum plaustrum obtulerunt duo Duces, & vnum bouem singuli. Caathitis autem non contigit hanc recipere opem. Cuius discriminis ratio, non solùm ea mihi videtur; quia scilicet, quæ hi laturi erant, essent tabernaculi intimiora & sanctiora, ad quæ proinde extraneum non deceret admitti ministerium: sed quoniam præludebatur duplici Christi Domini missioni. Matthæi siquidem 10. *nolite*, inquit, *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zo-*

nis

nis vestris, non peram in via: Quod intelligitur ex D. Thoma pluribus in locis præsertim [D] [D op.18. c.12.] in opusculo, quantùm ad primam missionem, quamittebantur Apostoli, ad prædicandum iudæis, apud quos consuetum erat, vt doctores viuerent de stipendijs eorum, quos docebant: Lucæ vero 22. *nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*. Quod intelligitur de secunda missione; [E] [E Quodl. 11. a. 20. 1.] bis enim eos misit, scilicet ante passionem iudæis: & post resurrectionem gentibus: apud gentiles autem non erat consuetudo, vt magistri eorum ab eis sustentarentur; quia apud eos non erant huiusmodi prædicatores, & ideò fuisset eis scandalum, & visum fuisset eis, quòd pro quæstu Apostoli prædicarent: ideò Dominus in secunda missione ait; *nunc qui habet sacculum*. Onera ergo, (quod dicitur hic; de Caathitis) in via proprijs portabant humeris.

VERSVS XI. *Dixitque Dominus ad Moysen &c.*

VERSVS XII. *Primo die obtulit oblationem suam Nahasson &c.*

4 Oblationes huiusmodi impensiùs meditari nos oportet: quia non sine mysterijs eædem omnino singulis inhibentur Ducibus; idque Domini iussu per Moysen, qui familiariter Deo colloquebatur, vt patet in fine capitis. Itaque cum ex Philosopho in primo politicorum referente S. Doctore [F] [F p. 2. 2. 1.] duplices sint diuitiæ, naturales scilicet, vt vehicula, cibus &c.: & artificiales; quæ ex auro & argento: nàm his conflantur nummi: animaduerto ex vtroque genere Deo offerri: argentum quidem, & aurum in acetabulo, phiala, & mortariolo: in varijs animalium generibus, in oleo, atque simila, naturales. Summa autem deuotione oportebat fieri oblationem: vnde mortariolum plenum erat incenso. Sic ait D. Thomas: [G] [G p. 2. 10. 3. 14.] thus offerebatur Deo ad designandam deuotionem mentis, quæ est necessaria offerentibus.

VERSVS XV. *Bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum.*

Non quemcunque bouem, sed de armento præcipit offerri. Vitulam de armento tollendam esse quoque legimus Deuteronomij 21. quando ignorabatur, homine occiso, cædis reus. S. Doctor agnoscit, in eiusmodi de armento, rationem boni vtilis dicens: [H] [H p. 2. 105. a. 2. ad 11.] quamuis esset vtilis, quicumque homicidium fecisset, occidendus erat. Ergo non abs re fuerit credere, voluisse sibi de armento bouē offerri à Nahasson, vt quicquid vtilitatis sibi ex munere prouenisset, in Dominum referretur. Et quoniam ex Philosopho 2. Ethicor. c.3. & D. Ambrosio lib. de Officijs c. 9. quemadmodum ex professo apud D. Thomam, [I] [I p.p. 5. 16.] triplex est bonum, vtile, honestum, & delectabile; vnà simul cum boue offerebatur aries, qui stat pro principatu, atque adeò boni honesti rationem habet; & agnus anniculus, qui in cibum iucundè sapit pro delectabili: vt sic sua cuncta bona offerrent Nahasson, & cæteri in holocaustum. Verùm vt placeret holocaustum Deo, erant hæc in fide mediatoris offerenda, qui vt vidimus in Leuitico [L] [L p. 2. 102. 3. 2.] offerebatur in vitulo propter virtutem Crucis; in agno propter innocentiam; in ariete propter principatum: cum sit dux gregis.

VERSVS XVI. *Hircumque pro peccato.*

Pro negligentia [M] [M loc. cit. ad 11] Principis, iam dictum est, offerebatur hircus. Desinunt esse oues subditi, si delinquat Princeps: vnde nec ipse vltrà est aries, qui est dux ouium: sed potius euadit hircus inter hædos. Et sanè dum pro peccato in singulari offertur, ad vnum præcipuè spectasse videtur, quod in regimine negligendo, quæ illius sunt committi solet.

VERSVS XVII. *Et in sacrificio pacificorum &c.*

Moralis sine dubio, eaque ratione muneris singulorum Principum subest huic literæ intelligentia, quando adamussim singuli eadem offerunt: vnde offertur aries & agnus, cùm tamen ex 3. Leuitici de ouibus sufficiat: & de fœminis. Sed hic masculina offeruntur, quia mascula virtus & robur ad graue Principum onus desiderantur. In boue ex D. Thoma item op. 58. c. 3. significabatur vita robusta & actiua. Principatus cum ad mulieres deuenerit, corruit, ait Philosophus. Sed non satis est manifestum, cur ad quinarium numerum, in arietibus, in hircis, atque in agnis perueniatur: & aliàs boues duo tantùm exhibeantur, neque de armento accipiendi, sed qualescumque: augeturque difficultas, ex multiplici, quæ ab huiusmodi oblatis, eorumque numero trahi potest, hic & illic allegoria. Igitur, ne vagè oberrari contingat, reuocetur ad memoriam necesse est, de pacificis hostijs. De quo quidem ait D. Thomas. [N] [N p. 2. 102. 3. 8.] Tertium sacrificium vocabatur hostia pacifica, quæ offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium, ex debito beneficij, vel accipiendi vel accepti. Et iterum: [O] [O loc. cit. ad 10.] Tertium gradum tenebant hostiæ pacificæ pro gratiarum actione. Quartum verò locum tenebant hostiæ pacificæ ex voto. De hostijs huiusmodi pacificis pro gratiarum actione fit sermo Leuitici 7. v. 12 & c. 22. v. 29. De pacificis pro beneficijs accipiendis, siue voto siuè spontè, agitur Leuit. 7. v. 16. c. 19. v. 5. & c. 22. versu 21. In præsenti sacrificium pacificorum videtur esse, non pro gratiarum actione; non enim hoc, vt alibi fit, legimus: & præterea non fit mentio de panibus, qui comitabantur hostiæ oblationem, vt patet Leuitici 7. sed pro beneficijs recipiendis. Satis quippe gratiarum actionem reddidisse arbitratus est Nahasson in triplici holocausto Maiestati diuinæ oblato. Beneficium ergò quod primò à diuina largitate deposcit, in bobus ijs duobus dignoscitur. Iugum quippe solet etiam accipi pro pari boum; ergò dum par boum offert, iugum commemorat: rogatque, vt sibi commissi milites, facilè sub obedientiæ iugo regantur. Pro subiectione id accipi constat ex 3. Regum 12. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis*: hic durum non intenditur iugum, sed suaue, dùm a Domino expostulatur, qui *disponit omnia suauiter*, Sap. 8. vnde nec illius fit expressio, sed tacita significatione alleuiatur. Iugum etiam apud S. Doctorem 2. Cor. 6. l. 3. est ipsa charitas quæ ligat homines ad seruiendum Deo. Nahasson interpretatur etiam *augurium*, vt per S. D. Matthæi 1. Augurat ergò, optat & precatur suæ turmæ charitatem, qua Deum in primis, deinde se se mutuò diligant, iuuent, & compatiantur. Hostia autem pacifica isthæc offerebatur, vt ibi S. Doctor, Deo pro salute, & prospe-

ritate offerentium: Quare oportet vt suæ præsidentiæ prosperum cursum exoptaret Nahasson: qui quidem faustus & felix attenta oblatorum proprietate præsagiebatur. Aries, vt non semel dictum est, pro principatu stat, eoquòd sit Dux gregis: ad continendas autem, & regendas militum turmas, ratio quæ principale est in homine, princeps est. Sapientis sanè est alios regere, ait & Philosophus: igitur non fuerit incongruum in arietum oblatione postulari à Deo sapientioris rationis lumen, regimini curis pleno pernecessarium.

Atqui parū est, lumē rationis, quæ arduo insudet operi, illustrari, nisi & virium sensitiuarum, cuiusmodi sunt concupiscibilis, & irascibilis ex peccato rebellium, impetus retardetur. Symbolum ad hæc obtinenda immolatur animal. Hœdus certè ex glossa [P] offertur cùm lasciuiam superamus: vnde & ait S. Doctor in Matthæum [Q] de hœdo, esse animal fetuens ad coitum. Salax igitur magis est hircus: Vnde cùm concupiscentia eiusmodi inter concupiscibilis passiones sit ardentior; animal ea laborans, meritò pro vi concupiscibili ponitur, immolaturque in sacrificium; vt quæ solet exardescendo regimen à rectitudine abducere, intrà rationis cancellos Domino largiente, cohibeatur.

P p. 2. 101. 1 2. Q Matth. 25.

At concupiscibilem coercere non satis est optimo duci, nisi & irascibili frænum injiciatur. Agnus suaptè natura, mansuetudinis est in typum. Ieremiæ 11. *& ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam:* quamquam indefinente irritatione, exacerbetur & agnus tandem in iram: quemadmodum Apocalypsis 6. *abscondite vos à facie sedentis, & ab ira agni,* & apud eundem Ieremiam c. 25. *quia facta est terra eorum in desolatione a facie iræ columbæ.* ergo pro voto continendæ irascibilis, ne, nisi quando & vbi oportet, ferueat, signanter etiam de agnis fit sacrificium. De rectoribus populorum in vniuersum accipi potest illud Prouerb. 20. *misericordia, & veritas custodiunt regem.* Concupiscentiæ autem amore linquitur iustitiæ veritas; & iracundiæ immoderatæ ardore, plùs quàm par sit, vindicatur.

Quini autem non sine mysterio offeruntur arietes, hirci & agni, quando de militia, & bellatoribus agitur; intendit quippe Nahasson sibi eo in genere spiritaliter consulere. Corpus, inquit Angelicus, [R] cum organis, anima cum potentijs quoddam castrum est. D. etiam Bernardus super illud *cùm fores essent clausæ, per fores, corporis sensus designantur;* & idem Sanctus Doctor, [S] mysticè per timorem Dei, fores sensuum clauduntur: Isaiæ 26. *claude ostia tua super te.* Quid ergo mirum si quinario numero immolatur hostia pacifica, quando pro pace, & prosperitate offertur, quando per sensus corporis animæque potentias, quærit hostis noster aditum ad interiora? diuinum in omnibus operibus implorat Nahasson auxilium, quo optato pacificatum hostiarum potiatur fine: pace videlicet & salute: nàm vt ad hæc ait D. Thomas, [T] hostia pacifica eò tendit, vt homo in statu gratiæ conseruetur semper Deo inhærens: in quo eius pax & salus consistit. Et iuxtà hoc afferri potest ex Isaia vbi suprà: *Domine dabis nobis pacem; omnia enim opera nostra operatus es nobis.*

R 1. Cor. 7. l. 7.

S op. 60. 21.

T 3. p. 22. 2.

Quoniam verò vt aliàs dictum est, in omnibus legis sacrificijs præfigurabatur Christus, qui vt ait Apostolus Hebræorum 9. *per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo;* ideò potest exponi offerri in bobus propter virtutem Crucis: & duobus; quia vt canit Ecclesia, *geminæ gigas est substantiæ;* in ariete propter principatum; in hirco propter similitudinem carnis peccati; & in agno propter innocentiam. Ipse autem, qui semetipsum obtulit, in Nahasson præsignatus est; quia vt animaduertit Angelicus in genealogia Saluatoris, *Aminadab autem genuit Nahasson;* interpretatur [V] *augurium*, vel *serpentinum;* Christus autem, non solùm præsentia, sed etiam præterita & futura cognouit Hebræor. 4. *omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Prudentia quoque ipsi attribuitur, iuxta quod Iob. 12. legimus, *ipse nouit decipientem, & eum qui decipitur.* Et opportunius hic præfiguratur cùm per Ecclesiam improperet; *quia deduxi te per desertum quadraginta annis.* Christus etiam Dominus [X] passus est secundùm omnem sensum corporeum: secundum tactum quidem, flagellatus, & clauis confixus; secundùm gustum, felle, & aceto potatus; secundùm olfactum, in loco fætido cadauerum, (qui dicitur Caluariæ) appensus patibulo; secundùm auditum, lacessitus vocibus blasphemantium, & irridentium; secundùm visum, videns Matrem & discipulum, quem diligebat, stantes. En quomodo elucet quinarij numeri causa. Offeruntur autem agni anniculi, & sic cætera videntur fuisse oblata in florida ætate, fortè ad innuendum, quomodo & Christus Dominus moriturus erat iuuenili in ætate, vt ex hoc, quemadmodum [A] meditatur D. Thomas, magis suam dilectionem commendaret, quòd vitam suam pro nobis dedit, quando erat in perfectissimo statu.

5

V Matth. 1.

X 3. p. 46. 5.

A 3. p. 46. 9 4.

VERSVS XVIII. *Secundo die obtulit Nathanael,* &c.

Quoniam singuli Principes eadem omninò obtulerunt, mirabitur quispiam, cur duodecies à Moyse fiat ipsissima repetitio. Nonnulli inquiunt, moris id esse Hebræi; & adhuc vigere apud orientales Moscouitas, & alias gentes: sed ipse hac responsione haud sum contentus. Et idcircò missis alijs, quæ possent excogitari, causis, ratus sum factum id esse ad insinuandum non semper esse coram Deo idem oblatum munus, quod hominibus idem est. *Dominus intuetur cor; homo videt ea quæ parent.* 1. Regum 16. *offerentes* ait Petrus in 1. cap. 2. *spiritales hostias;* etsi ergo æquum offerrent Principes, non æquo propterea deuotionis spiritu: cum accidat vt qui plus videtur offerre, offerat minus. Quod docuit Dominus Lucæ 21. vbi vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites: vidit autem & quandam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo: & dixit; *verè dico vobis quia vidua hæc pauper, plusquam omnes misit.* Vbi Chrysostomus, *non paucitatem oblati, sed copiam affectus intuitus est Deus;* & Beda, (vterque in Catena aurea) *Deus cor, & non substantiam pensat; nec perpendit, quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur.*

Præterea, discernit Moyses vnum ab alio; neque vult vno sermone omnium sacrificia complecti, quia vt ait Apostolus ad Galat. 6. *Vnusquis-*

B Galat. 6. 1. *quisque onus suum portabit*; idest [a] mensuratam gratiæ suæ offert Deo, in die iudicij, tanquam manipulos bonorum operum. Sic Apocalypsis 20. *Vidi in visione mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt*; idest *conscientiæ* [c] *singulorum*, ex glossa. C Apoc. 20. Quod & prædixerat Daniel c. 7. *iudicium sedit, & libri aperti sunt*. Non solùm ergo bona opera, & sacrificia non debent eadem significari periodo: sed neque eodem scribi libro: en cur Moyses alterius ab altera oblationem discernit, neque compendio vtitur, sed singillatim vicibus repetitis cuncta percenset. Reducuntur tamen in fine omnia in summam, ex quo illorum concors deuotio innotescat; quemadmodum & 1. Esdræ c. 2. *Omnis multitudo quasi vnus*.

VERSVS LXXXIX. *Cumque ingrederetur Moyses Tabernaculum fœderis, vt consuleret Oraculum, audiebat vocem*, &c.

D 2. 2. 174. 4. Quærit Angelicus 2. 2. [D] Vtrùm Moyses fuerit excellentior omnibus Prophetis? Respondetque simpliciter affirmatiuè, quia quantùm ad imaginariam visionem, (mitto rationes alias) eam quasi ad nutum habebat: non solùm audiens verba, sed etiam videns loquentem, etiam in specie Dei, non solùm in dormiendo, sed etiam in vigilando; vnde dicitur Exodi 33. *quòd loquebatur ei Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. Nescio stante hac solida doctrina, cur aliqui in præsentiarum hæreant de sensibili locutione Dei ad Moysen, quasi aliàs in Scripturis id non legeretur, vt Exodi 3. *ne appropies huc; solue calceamentum de pedibus tuis*, & 1. Regum 3. ad Samuelem, *Ecce ego facio verbum in Israel*, &c. Igitur absque omni dubitatione, tùm vt maiori haberetur in reuerentia Sanctum Sancti: & sic exinceps sacra omnia loca: tùm vt Moysis tanquàm Deo familiaris dictis audirent, sensibili voce dignatus est ipsum alloqui. Et sanè ad ostendendum probari sibi exteriori in tabernaculo, & suo tempore in templis, fidelium cultum, inibi externa collocutione adesse voluit. Quocirca disertè Chrysostomus apud Tirinum, Exodi 28. *Si quando cognoscendum erat aliquid; è propitiatorio, vox quædam, è medio Cherubim prodibat prædicens futura*. Sic *Principes, Prælati, Pastores, vt benè subditos regant, debent per Orationem, ad Deum recurrere sicut Moyses ad Oraculum*, ex Gregorio 2. parte Pastor. c. 5. quia certè sapientia est opus diuina, ijs qui alijs præsunt: vnde & de medio Cherubim vox prodibat: iuxtà quod promiserat Dominus Exodi 25. *inde præcipiam, & loquar ad te suprà propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonij, cuncta quæ mandabo per te filijs Israel*.

CAPVT VIII.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere Aaron, & dices ad eum:
Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igi-
tur præcipe vt lucernæ contra boream è regione respiciant ad mensam panum
propositionis, contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt. 3 Fe-
citque Aaron, & imposuit lucernas super candelabrum, vt præceperat Dominus Moysi. 4
Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili, tam medius stipes, quàm cuncta, quæ
ex vtroque calamorum latere nascebantur: iuxta exemplum, quod ostendit Dñs Moysi, ita
operatus est candelabrum. 5 Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens. 6 Tolle Leui-
tas de medio filiorum Israel, & purificabis eos 7 iuxta hunc ritum: Aspergantur aqua lu-
strationis, & radant omnes pilos carnis suæ. Cumque lauerint vestimenta sua, & mundati
fuerint, 8 tollent bouem de armentis: & libamentum eius similam oleo conspersam: bo-
uem autem alterum de armento tu accipies pro peccato: 9 & applicabis Leuitas coram
tabernaculo fęderis, conuocata omni multitudine filiorum Israel. 10 Cumque Leuitæ fue-
rint coram Domino, ponent filij Israel manus suas super eos, 11 & offeret Aaron Leuitas,
munus in conspectu Domini à filijs Israel, vt seruiant in ministerio eius. 12 Leuitæ quoque
ponent manus suas super capita boum, è quibus vnum facies pro peccato, & alterum in ho-
locaustum Domini, vt depreceris pro eis. 13 Statuesque Leuitas in conspectu Aaron, &
filiorum eius, & consecrabis oblatos Domino, 14 ac separabis de medio filiorum Israel, vt
sint mei, 15 & postea ingredientur tabernaculum fęderis, vt seruiant mihi. Sicque puri-
ficabis, & consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati sunt mihi à filijs
Israel. 16 Pro primogenitis, quæ aperiunt omnem vuluam in Israel, accepi eos. 17 Mea Supr. 3. b. 12.
sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus, quàm ex iumentis. Ex Exod. 13. a. 2.
die quo percussi omne primogenitum in Terra Aegypti, sanctificaui eos mihi: 18 & tuli Luc. 2. d. 23.
Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel: 19 tradidique eos dono Aaron, & filijs
eius de medio populi, vt seruiant mihi pro Israel in tabernaculo fęderis, & orent pro eis, ne
sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad Sanctuarium. 20 Feceruntque Moyses, &
Aaron, & omnis multitudo filiorum Israel super Leuitis, quæ præceperat Dominus Moysi:
21 purificatique sunt, & lauerunt vestimenta sua. Eleuauitque eos Aaron in conspectu
Domini, & orauit pro eis, 22 vt purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum
fęderis coram Aaron, & filijs eius. Sicut præceperat Dominus Moysi de Leuitis, ita factum
est. 23 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 24 Hæc est lex Leuitarum. A vi-

ginti quinque annis, & ſupra, ingredientur vt miniſtrent in tabernaculo fœderis. 25 Cumque quinquageſimum annum ætatis impleuerint, ſeruire ceſſabunt: 26 eruntque miniſtri fratrum ſuorum in tabernaculo fœderis, vt cuſtodiant quæ ſibi fuerint commendata, opera autem ipſa non faciant. Sic diſpones Leuitis in cuſtodijs ſuis.

VERSVS II. *Cum poſueris ſeptem lucernas &c.*

Simulac audiet iſta nouitius, mirabitur, quòd de candelabro ſpeciatim, & de lucernis agatur, cum ſatis Exodi 26. præſcriptus fuerit candelabri lucernarumque ſitus: nimirum contrà menſam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: menſa enim ſtabit in parte Aquilonari. Sed ſi diligenter inſpiciatur, candelabri quidem ſignatur plaga: atqui qua verſus lucere debeant ellychnijs ſuis lucernæ, hîc ſolùm decernitur: debent enim contra Boream è regione reſpicere, quam partem reſpicit & candelabrum. Mihi certè illud in figura arridet, quod ait Dominus: Matth. 5. *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Igitur priuſquam Leuitici generis ſibi addicantur: quales eſſe debeant commonefacit, dicens, *vt reſpiciant contrà Boream*: hoc enim eſt effundere lumen ad Aquilonem: per Aquilonem autem ſignificari, non eſt dubium, mundanos, qui ad temporalia procliues ſiniſtram incolunt. His lucere debent Leuitæ doctrina & exemplo, hinc Sanctus Leo Papa in Natali Sancti Laurentij, *à ſolis ortu* inquit *vſque ad occaſum Leuiticorum luminum coruſcat fulgor*. Vnde, vt indicet qua prærogatiua probitatis, & æſtimationis renidere eos oporteat, dono ſibi datos; deinde Aaron filijſque eius tradiros conteſtatur, vt patet verſu 15. & 19. *Dona autem iniquorum* (ſic neque iniqua dona) Eccleſiaſtici 34. *non probat Altiſſimus*. Superiùs capite 3. ſatis prædixerat ſe tuliſſe *Leuitas à filijs Iſrael pro omni primogenito*: veruntamen de donis nulla fit mentio, quemadmodum in præſenti, vbi de eiſdem ſibi conſecrandis inſtituit ritum.

VERSVS VII. *Iuxtà hunc ritum aſpergantur aqua luſtrationis.*

Contrà huiuſmodi cæremonias arguit S.
1 A p. 1. 102.5.8. Doctor. [a] Spiritualis immunditia non poteſt per corporalem aquam & pilorum raſuram emundari: irrationabile igitur videtur, quòd Leuitæ abſtergerentur aqua luſtrationis, & raderent omnes pilos carnis ſuæ. Occaſione horum tradit ibi, quòd ſicut populus inſtituebatur ad cultum Dei per circumciſionem, ita miniſter per aliquam ſpecialem purificationem, vel conſecrationem: vnde & ſeparari ab alijs præcipiuntur (ſic lego verſ. 14. *ac ſeparabis de medio filiorum Iſrael vt ſint mei*) quaſi ſpecialiter ad miniſterium cultus diuini præ alijs deputati. Et totum quod circà eos fiebat, in eorum conſecratione vel inſtitutione, ad hoc pertinebat, vt oſtenderetur, eos habere quandam prærogatiuam puritatis & veritatis; & dignitatis. Nota: quamuis legamus ly *veritatis*, arbitror irrepſiſſe ex errore, & legitimum textum habuiſſe *virtutis*. Deſcendit autem D. Thomas ad ſummum Sacerdotem, ad alios minores, & ad Leuitas. Ipſe, quoniam de alijs dictum eſt Exodi 28. & 29. ſolùm de Leuitis ſubijciam. Aſpergebantur ergò ſiue purificabantur & ipſi per ablutionem aquæ, quam ſacer textus dicit aquam luſtrationis, (de qua c. 19.) ſimiliter & per quædam ſacrificia: Deinde radebant omnes pilos carnis ſuæ. Non habebant aliam conſecrationem niſi quòd offerebantur Domino à filijs Iſrael per manus Pontificis, qui orabat pro eis. Et applicabantur ad miniſterium per hoc, quòd intromittebantur in tabernaculum fœderis, quaſi ad miniſtrandum circa vaſa Sanctuarij. Hæc ibi recolit S. Doctor: & in littera ſatis patent. Figuralem deinde adijcit rationem, quia illi qui ſunt conſecrandi ad ſpirituale miniſterium Chriſti, debent primò purificari per aquam baptiſmi, & lacrymarum in fide paſſionis Chriſti: quod eſt expiatiuum & purgatiuum ſacrificium: & debent radere omnes pilos carnis, ideſt omnes prauas cogitationes: debent etiam ornari virtutibus: & ſic debent eſſe intenti ad ſpiritualia miniſteria.

Subticet hic D. Thomas de lotione veſtimentorum: quoniam paulò ante, de leproſis loquens fuerat interpretatus, pro veſtimentis opera: nec perperam cùm tùm opera tùm veſtimenta ad extrà ſint. Vocabantur autem Leuitæ ad opera vt patet, ideòque poterant eſſe in ſignificationem actiuorum. Cui conſonant & ſacrificia pro ipſis offerenda de bobus: in quibus vt dixi ex D. Thoma in op. 58. c. 3. ſignificatur vita robuſta & actiua; vnde aſſumebantur boues de armento tanquam non fatigati aut laſſi, ſed robuſtiores. Id quod, tandem robur deſideratæ Leuitarum ætatis commoſtrat; ſiquidem à viginti quinque annis & ſuprà vſque ad quinquageſimum miniſtrabant in tabernaculo fœderis, vt in calce capitis legitur.

At quæres nùm ſpeciali aliquo vterentur & 2
Leuitæ veſtimento? Reſpondeo ex Sancto Hieronymo Epiſtola ad Fabiolam, de Veſtibus ſacerdotalibus, duplex fuiſſe Ephod. Alterum, quod erat proprium & peculiare indumentum ſummi Sacerdotis: Alterum verò commune alijs minoribus Sacerdotibus, Leuitis, Regibus, & vtcumque miniſtrantibus in ſacris, vel precantibus, aut quoquo modo, cultui diuino inſeruientibus. Hic communis non habuit pretioſam illam ac ſplendidam texturam ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & biſſo retorta: cuiuſmodi Summi ſacerdotis: ſed ſimplex & lineus erat, ad modum breuis cuiuſdam tunicæ lineæ, ſine alio quouis ornatu: & ſi coniecturis augurari datur, ſubdit Maluenda l. 11. de Antichriſto c. 13. exiſtimamus haud fuiſſe abſimilem lineo illi indumento, quo hodie Epiſcopi, & Cardinales vtuntur: quod hiſpanicè vocant *Roquete*, cum manicis; nàm illud apud nos in locũ illius veteris Ephod linei, ſucceſſiſſe probabile ducimus. Quocircà minimè aſſentimur aſſerenti (Caietano 1. Reg. 2.) Ephod lineum, nec brachia, nec latera geſtantis texiſſe.

Quæres iterùm, qua ratione pili carnis ſtent 3
pro cogitationibus: non enim dicitur radendos pilos capitis, congruè ſiquidem cogitationibus

capilli affines sunt; non pili carnis. Respondeo, ex paritate naturæ ad capillos, qui caput, in quo sensus vigent exornant, posse pilos quosque corporis cogitationes referre: verùm cogitationes præcisè non dixit significari, sed prauas; cùm enim non sint ad ornatum, non solùm sua subtilitate comparantur cogitationibus, sed prauis; quoniam fluunt ex recremento & humore fuliginoso; quæ praua sunt alimenti: fuliginosa autem materies obscuritatem concernens, iterùm latentibus eos æquiparat cogitationibus.

CAPVT IX.

1 LOcutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi
sunt de Terra Aegypti, mense primo, dicens: 2 Faciant filij Israel Phase in tem- Exod. 12. a. 2.
pore suo, 3 quartadecima die mensis huius ad vesperam, iuxta omnes cæremo-
nias, & iustificationes eius. Præcepitque Moyses filijs Israel vt facerent Phase. 5 Qui fe-
cerunt tempore suo: quartadecima die mensis ad vesperam in monte Sinai. Iuxta omnia,
quæ mandauerat Dominus Moysi, fecerunt filij Israel. 6 Ecce autem quidam immundi su-
per anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen, &
Aaron, 7 dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis: quare fraudamur, vt non
valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel? 8 Quibus respon-
dit Moyses. State vt consulam quid præcipiat Dominus de vobis. 9 Locutusque est Do-
minus ad Moysen, dicens: 10 Loquere filijs Israel: Homo qui fuerit immundus super ani-
ma, siue in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino, 11 in mense secundo, quar-
tadecima die mensis ad vesperam: cum azymis, & lactucis agrestibus comedent illud: 12
non relinquent ex eo quippiam vsque mane, & os eius non confringent, omnem ritum Exod. 12 g. 46.
Phase obseruabunt. 13 Si quis autem, & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non Ioann. 19
fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtu- f. 37.
lit tempore suo: peccatum suum ipse portabit: 14 Peregrinus quoque, & aduena si fuerint
apud vos, facient Phase Domino iuxta cæremonias, & iustificationes eius. Præceptum
idem erit apud vos tam aduenæ, quàm indigenæ. 15 Igitur die, qua erectum est taberna- Exod. 40
culum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsque b. 16.
mane. 16 sic fiebat iugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species
ignis. 17 Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficisce-
bantur filij Israel, & in loco vbi stetisset nubes, ibi castrametabantur. 18 Ad imperium
Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus, 1 Cor. 10. a. 1.
quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco: 19 & si euenisset vt
multo tempore maneret super illud, erant filij Israel in excubijs Domini, & non proficisce-
bantur 20 quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant
tentoria, & ad imperium illius deponebant. 21 Si fuisset nubes à vespere vsque mane, &
statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: & si post diem, & noctem reces-
sisset, dissipabant tentoria. 22 Si verò biduo, aut vno mense, vel longiori tempore fuis-
set super tabernaculum, manebant filij Israel in eodem loco, & non proficiscebantur: sta-
tim autem vt recessisset, mouebant castra. 23 Per verbum Domini figebant tentoria, &
per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubijs Domini iuxta imperium eius per
manum Moysi.

VERSVS II. *Faciant filij Israel Phase in tempore suo.*

1 A Serm. Resurrec. ex Epist.

Iuuat primo in limine adire atque audire Sanctum Doctorem. [a] Tria Paschata celebrauerunt filij Israel. Primum in exitu de Ægypto (supple, in Ramasse) Exodi 12. Secundum in deserto (supple, ad montem Sinai) Numeri 9. Tertium in terra promissionis (supple, trans Iordanem in Galgalis) Iosue 5. Et enucleat quare tria; quia scilicet Christus Dominus, qui vt ait Apostolus 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est*, tripliciter exhibuit se nobis in esum. Primò sacramentaliter Matthæi 26. *accipite, & manducate ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum*. Secundò spiritualiter: Augustinus: *vt quid paras dentem & ventrem? crede, & manducasti*. Tertiò æternaliter: August. *ibi de te me satiabis satietate mirifica*. & hæc sunt tria Paschata mystica supra recensita. Quàm appositè huiusmodi dicantur à Sancto Doctore, ex se liquet: nihilominus comprobatur, quoniam in exitu de tyrannide inferi Pharaonis, quod assecuti sumus per Christi mortem, institutum est Sacramentum. Deinde in vitæ huius itinere, eo spiritualiter pascimur, & nutrimur: quemadmodum & Elias *ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Horeb*. 3. Regum 19. *Horeb* iuxta D. Thomam opusc. 58. [b] interpretatur mēsa: mons ergo, ait, iste est mons mensæ Dei; & significat satietatem dulcedinis cœlestis gloriæ. His adde, memorari quidem in præsenti obseruantiam legalem omnem: cæterùm de ritibus tres dumtaxat exprimi, qui ad spiritalem attinent refectionem. Et primò quidem cum azymis,

B op. 58. c. 22.

mis, & lactucis agrestibus, erat & hic comeden-
C p. 2. 102.5.2. dus agnus: lactucæ agrestes addebantur [C] in signum pœnitentiæ: & op. 58. quod retuli Exo-
D op.58. c.16. di 12. vbi & Gregorius [D] *primum ferculum, scilicet, lactucæ agrestes, significant dolorem de peccatis*.

Hoc ipsum ex fermenti abiectione innotuit: & satis nos Apostolus monet, dicens 1. Cor. 5. *neque in fermento malitiæ & nequitiæ*. Adijcitur, *non relinquent ex eo quidpiam vsque mane*. Quod, vt dictum est Exodi 12. ad versum 4. inopiam pauperum spectabat; qui proinde admittendi erant ad mensam: in quo satisfactionis per opera pietatis colendæ à pœnitentibus elucet debitum: & respondet azymus panis, quem comedit qui recta opera misericordiæ sine peccati admistione facit, vt capite supra citato 12: Denique inquit, *os eius non confringent*. Quod ad mo-
E ps. 31. rale trahit D. Thomas, [E] & ad spiritualiter refectos facit, vt in eis non deficiant virtutes; non frangatur charitas per odium; non mansuetudo per iram; non patientia per iniustitiam. Hãc autem fortitudinem dat cibus iste diuinus, vt ex Elia accepimus, *qui ambulauit in fortitudine*, &c. Et sanè, nisi hoc sublateret de spirituali edulio mysterium, fortè non fuisset iterum Phase præceptum: quia fatis videbatur indictum Exodi 12. vbi dicitur: *Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno*. Et ecce quomodo hic agitur de immundis quibusdam: hi enim spiritualiter Phase celebrare sine reatu non possunt, vnde est

VERSVS VII. *Immundi sumus super anima hominis, quare* &c.

2 Repellebantur, & instabant: & ideò ad dubia tollenda consulit Moyses Dominum, quid præciperet: poterant enim credere immunditiam ipsam tolli per esum agni. At non opera-
F 3.p.79. 3. tur Eucharistiæ Sacramentum remissionem [F] peccati mortalis in eo qui ipsum tali conscientia percipit: quia non viuit spiritualiter, & nutrimentum non confertur mortuo. Igitur habemus, esse de iure diuino accedere absque mortali: imò etiam præmittendam esse confessionem, (quamquam Tridentinum sustinuerit se à definiendo sessione 13. c. 7.) siquidem noluit Dominus admittere immundos ad Phase, nisi post purificationem legalem per aquam lustrationis, de qua infra c. 19. Omnibus autem purificationibus veteris legis, respondet in noua lege sacramentum pœnitentiæ vt docemur 1. 2. q. 102. 5. ad 3. Hinc quodlib. 1. a. 11. obligat præceptum confessionis, si immineat necessitas accipiendi Eucharistiam, vel sacrum Ordinem; vel aliquid huiusmodi. Cuius videtur prodere causam ex fine 3. p. 80. 6. vt pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur, cui significat Eucharistiæ sumptio eos incorporari, vt ibi a. 4. & tanquam ministros eius consecrari, vt liquet in Ordinibus sacris. Et sic Leuitici etiam 21. dicitur, *non accedat ad altare qui maculam habet*: subdit autem ad hoc D. Thò-
G 1. Cor. 11.1.7. mas: [G] intelligitur aliquis maculam peccati habere, quandiu est in voluntate peccandi, quæ tamen tollitur per pœnitentiam. Igitur præscribit Dominus, vt eiusmodi Immundi *in mense secundo, quartadecima die mensis* &c. *comedant phase*. Recolo Exodi 12. fuisse præceptum, *vt agnus tolleretur decima die mensis*: igitur & isti immundi decima die tollebant: vnde mundi citrà dubium præsumuntur. Et quid est hoc? scio ex Genesis c. 7. secundo mense die decima ingredi iussos fuisse fideles arcam: *post septem dies* enim *pluam* dixit Dominus, *super terram; ruptique sunt fontes abyssi magnæ mense secundo, septimodecimo die mensis*. Qui manet in peccato, extra arcam est; nam vt inquit S. Doctor, [H] qui subduntur peccatis, H 3.p.8. 3.2.
non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter; nisi fortè impetfectè per fidem informem, quæ vnit Christo secundum quid, & non simpliciter; vt scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ: percipiunt camen tales à Christo quendam actum vitæ qui est credere: sicut si membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine.

VERSVS XIII. *Si quis autem, & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur* &c.

Distinguit D. Thomas in opusculo tres hominum turmas, diuersimodè se habentes ad 3
sacramentum. [I] Mitto infideles, & contempto- I op. 58. c.20.
res: de vtrisque ibi; & de negligentibus loquor: de quibus Matthæi 22. *misit Rex seruos suos vocare inuitatos ad nuptias dicens, ecce prandium meum* &c. *illi autem negligentes, abierunt alij in villam suam, alij in negociationem suam*: glossa, *in villam ire est, terreno labori immoderatè insistere: in negociationem verò, terrenis lucris nimis inhiare*. Tales qui prandium diuini Sacramenti negligunt, quamuis fidem & quædam opera charitatis habere videantur; tamen nisi pœniteant, peribunt, Ioan. 6. *nisi manducaueritis carnem filij hominis* &c. Et super illud Ephes. 3. *oro vt possitis comprehendere quæ sit sublimitas, & profundum*, dicit glossa: *profunda charitatis sunt Ecclesiastica sacramenta: quæ sunt profunda & inuestigabilia, & sunt fundamentum charitatis, sine quibus non valet charitas*: idest exteriora signa charitatis non valent ad salutem æternam sine sacramentis, ea negligentibus. Numeri 9. *si quis mundus est, & in itinere non fuit*; idest non habuerit impedimẽtũ iustæ necessitatis: *& non fecerit phase, exterminabitur anima illa de populis suis*. Hæc D. Thomas. Et quia homines nullius gentis exclusit lex à cultu Dei, & ab ijs, quæ perti-
nent ad salutem animæ, vt obseruat 1. 2. [L] ideò L p. 2. 105.3.1.
additur; *peregrinus quoque & aduena, si fuerint apud vos, facient Phase Domino* &c. de quo Exodi 12.

VERSVS XV. *Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes*.

Quoniam in sequentibus agitur de profectu 4
filiorum Israel ad terram promissionis, quæ fuit prototypum gloriæ, non est mirum si de Phase præmissum est. S. Doctor op. citato 58. c. 20. fecens de cursoribus qui 2. Paralipom. 30. *perrexerunt* &c. *in vniuerso Israel prædicantes, vt reuerterentur ad faciendum Phase*, inquit, idest ad suscipiendum corpus Domini. Alibi dicit: [M] hoc sa- M 1. p. 79.2.1.
cramentum non statim nos in gloriam introducit, sed dat nobis virtutem perueniendi ad gloriã, & ideò Viaticum dicitur; in cuius figurã legitur 3. Reg. 19. quòd Elias *comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb*: quod & dixerat 3. p. q. 73. a. 4. Viaticũ appellatur, quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi. Innotescit inde, quàm rectè post præmissa de Viatico,

noster

noster vsus est illatione, quasi consectarium sit iter ad gloriam. *Igitur die qua erectum est tabernaculum* &c. Simili meditatione obseruat D. Augustinns ly Ioannis 6. *litigabant ergò iudæi ad inuicem*; siue ex illo D. Thomas, [N] *quomodo Euangelista litigium inducit, per modum conclusionis; quia enim cibum concordiæ non sumpserant, ideò ad inuicem litigabant.*

N Ioan. 6l.7.

VERSVS XV. *A vespere*, &c.

Pergit Moyses describere velamen mirabile tabernaculi: alludit autem nubes ex D. Augustino, & alijs ad legales cæremonias, quibus velabatur Christus, & veritas euangelica. Ea inuoluente non proficiscebantur ad terram promissionis; quia ad cœlestem gloriam aditum fecit nobis Christus Micheæ 2. *ascendet pandens iter ante eos. Exinde*, ait S. Leo Papa serm. 2. de Epiphania, (post fidei primitias in Magis adoratoribus) *nobis Christum loquentia scripturarum arcana patuerunt: exinde, in æternam hæreditatem cœpimus introire: & veritas, quam Iudæorum obcæcatio non recipit, omnibus nationibus lumen suum inuexit.*

VERSVS XVII. *Cum ablata fuisset nubes quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filij Israel.*

Hæc & quæ sequuntur, iterata repetitione exarantur: at nè credat fidelis, id fieri sine mysterio, intendit Spiritus-sancti calamus referre quidem peculiarem diuinam populo illi assistentiam; sic vt non nisi diuino mouerentur imperio, sed vlteriùs æterno monumento tradere, quot, & quot dies consuesceret permanere vmbraculum tabernaculi: puta cùm legimus; *si verò biduo super tabernaculum fuisset*; argumento est, sic euenisse vt post biduum abscederet nubes: non verò post triduum, aut quatriduum. Quæ cuncta, quemadmodum & tota, litera scatent mysterijs, vt Domino largiente mox elucidabimus.

5 Itaque postquam de diuinissimæ Eucharistiæ Sacramento, quod est quodammodo aliorum omnium finis, ad quem ordinanrur, vt patet [O] in tertia parte, meritò primo in limine de Eucharistia dictum est; cum finis primus sit in intentione; & postea transit Moyses ad traditionem aliarum figurarum, ad terram promissionis conducentium. Et quoniam baptismus est de necessitate salutis, vt claret [P] apud eundem S. Doctorem, idcircò præit illius vmbra in nube. Sic ait Apostolus 1. Cor. 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt*, &c. *& omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* Vbi Angelicus [Q] baptizati sunt, idest signum baptismi receperũt: nam baptismus constat ex aqua, & spiritu: nubes autem symbolum erat spiritus, mare verò aquæ, vt dicit Damascenus. Sed hic licèt non fiat mentio de mari: tamen in calce capitis habemus acta fuisse cuncta per manum Moysi; quod nomen impositum illi fuit ab aqua, iuxtà quod legitur Exodi 2. *Vocauitque nomen eius Moyses: dicens; quia de aqua tuli eum.* Et quia dicebat Baptista Matthæi 3. *ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*: en quomodo respondet textus; nam *à vespere super tentorium erat quasi species ignis vsque mane*: quod iteratur, ne sola in litera stetur, dicendo; *sic fiebat iugiter, per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis.* De columna nubis [R] alibi docuit, per eam significari in baptismo Spiritum-sanctum. Huiusmodi siguo pergimus, nec aliter, ad terram promissionis.

O 1.p.65. 1.

P 1.p.65. 4.& 68.2.

Q 1.Cor. 10.l.1.

R 1.p.70. 1.2.

VERSVS XXI. *Si fuisset nubes à vespere vsque mane*, &c.

6 Iam proditur quem seruaret nubes tenorẽ, nec mystica dispensationis huius deest intelligẽtia. Manent quandoque fideles, quamquàm *præordinati sint in vitam æternam*; imò *sedent in tenebris, & vmbra mortis*. Sed Dominus adiuuat eos *mane diluculo*, quòd ait Psaltes, ps. 45. vbi S. D. [S] per *mane* intelligitur principium boni operis; & per hoc quod additur *diluculo*, designat quòd Ecclesia iuuatur per spiritualem illuminationem Spiritus-sancti. *Si fuisset nubes à vespere vsquè manè; & statim diluculò tabernaculum reliquisset, proficiscebantur*: iam incipiunt fideles arripere viam iustitiæ: sed non est securus & constans progressus, sic vt dissipent tentoria sæculi huius, nisi post diem, & noctem ablata sit nubes. *Quandoque semen decidit in petrosa, & arescit, quoniam non habuit humorem*, Marci 4. & Lucæ 8. *nam qui suprà petram; hi sunt qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, (ad matutinum lætitia) & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Vbi Apocalypsis 7. legitur, *& seruient ei die, ac nocte*, in secundo Commentario inquit, ad literam; quia die ac nocte [T] seruiendum est Deo, vel actu operis, vel laudis, vel orationis, vel meditationis, vel alio actu bono, in prosperis & aduersis. Prouerb. 4. habemus, *iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Hic dies perfectus insinuatur *post diem & noctẽ*: nam sic est viginti quatuor horarũ.

S Ps. 45.

T Apo 7.

VERSVS XXII. *Si vero biduo*, &c.

Hic idem per viam salutis incessus, diuina desuper recepta motione, post biduum incipit; nam sicut ait Apostolus Rom. 6. *quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*: nam vt prædixerat c. 4. *resurrexit propter iustificationem nostram.* Resurrexit Christus *tertia die*, tu necte præsenti literæ, qua post biduum proficiscuntur, qui prius fuissent mortui propter peccata: per quæ spiritualis vitæ intercipitur motus; vnde Apocalypsi. 3. *nomen habes, quòd viuas & mortuus es.* & Apostolus Hebræor. 6. *fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*: & iterum c. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.*

Sed hoc quod hactenùs dixi, est facere meritorium gradum ad Patriam cęlestem. Non omisit Dominus mysticis hisce oraculis transitum nobis reuocare ad memoriam, quo adiudicatur promeritis vita æterna. Mane & statim diluculò nubes abibat. *Nubes & caligo in circuitu eius: iustitia & iudicium correctio sedis eius*: ait Psal. 96. Mouetur nubes; quia Dominus in nubibus cęli venturus est Matth. 24. *statim; sicut fur in nocte ita veniet dies Domini.* 1. Thesal. 5. Tenuere multi in opusc. 60. Resurrectionem [V] quasi diluculo esse faciendam, Sole exilente in Oriente; Luna in Occidente. Neque abnuit dictis, quod subiectum est, *Si verò biduo fuisset super tabernaculum*: mos ergo erat, vt post biduum esset eundum. Igitur illud Exodi 19. aptè consonat; *sint parati in diem tertium.* Primus dies, inquit S. Doctor, [X] est dies nostræ natiuitatis: secundus, nostræ conuersationis; tertius, dies

V op. 60 25.

X op. 58 c.2.

mor-

mortis, vel aduentus districti iudicij.

VERSVS XXII. *Si verò biduo, aut vno mense, vel longiori, &c.*

Commonefacit Dominus nos, vt semper simus parati: & quidem fugacis vitæ nostræ recordatione, in arcto dierum duorum, ac mense. *Breues*, inquit Iob c. 14. *dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est*. & c. 7. *dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur*: & iterum c. 9. *dies mei velociores fuerunt cursore*. *Luna* etiam, quod ait Gregorius, hom. 2. in Euang. Lucæ 18. *in sacro eloquio pro defectu carnis ponitur; quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat*. Mensis cursus est Lunæ: vide igitur quid possit sacra pagina intendere; nisi scilicet breuitatem mortalis vitæ nostræ inculcare. Subdit autem *longiori tempore*: quod quidem cohæret parabolæ Matthæi 25. *moram autem faciente sponso*; ne dormiamus: *vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*, vnde & hic bis dicitur; *erant in excubijs Domini*. Præmonet autem pro venturo iudicio, vt ex contextu patet Matthæi 25. quod quidem & præsens locus spectat, vt mox fiet palam. *Per verbum* autem *Domini, figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebantur*, ipse est enim, vt dicitur Sapientiæ 16. *qui vitæ & mortis habet potestatem*. Tentorium idem cum tabernaculo, corpus significat: hinc S. Petrus in sua secunda c. 1. *Quamdiu sum in hoc tabernaculo: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei*. Vbi D. Thomas, *quādiu sum*: in hoc tantillo temporis, quo sum: *in hoc tabernaculo*, idest, in corpore meo, quo scilicet milito contra vitia; & glossa, ibi *in corpore, in quo iter huius vitæ agitur, & contrà aduersarios veritatis certamen agitur*. Et sic arbitror, & hoc bis repeti, vt vltra literam, spiritus innotescat, dum & eadem vox vsurpatur *depositionis*: nimirùm ad imperium illius *deponebant*. D. Hieronymus: *facilè contemnit omnia qui se cogitat semper moriturum*. *Proficiscere*, ait Ecclesia, *anima Christiana*.

CAPVT X.

1 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Fac tibi duas tubas argenteas du-
ctiles, quibus conuocare possis multitudinem quando mouenda sunt castra. 3
Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium taberna-
culi fœderis. 4 Si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israel.
5 Si autem prolixior, atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt
ad orientalem plagam. 6 In secundo autem sonitu, & pari vlulatu tubæ, leuabunt tentoria
qui habitant ad meridiem, & iuxta hunc modum reliqui facient, vlulantibus tubis in profe-
ctionem. 7 Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, &
non concisè vlulabunt. 8 Filij autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legiti-
mum sempiternum in generationibus vestris. 9 Si exieritis ad bellum de terra vestra con-
tra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri
coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. 10 Si quan-
do habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacifi-
cis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri: ego Dominus Deus vester. 11 An-
no secundo, mense secundo, vigesima die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fœderis:
12 profectique sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitu-
dine Pharan. 13 Moueruntque castra primi iuxta imperium Domini in manu Moysi 14
Supr. 1. a. 7. Filij Iuda per turmas suas: quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab. 15 In tribu fi-
liorum Issachar fuit princeps Nathanael filius Suar. 16 In tribu Zabulon erat princeps Eliab
filius Helon. 17 Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filij Gerson,
& Merari. 18 Profectique sunt & filij Ruben per turmas, & ordinem suum: quorum
princeps erat Helisur filius Sedeur. 19 In tribu autem filiorum Simeon princeps fuit Sala-
miel filius Surisaddai. 20 Porrò in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Duel. 21 Pro-
fectique sunt & Caathitæ portantes Sanctuarium. Tandiu tabernaculum portabatur, do-
nec venirent ad erectionis locum. 22 Mouerunt castra & filij Ephraim per turmas suas,
in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud. 23 In tribu autem filiorum Ma-
nasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur, 24 & in tribu Beniamin erat dux Abidam
filius Gedeonis. 25 Nouissimi castrorum omnium profecti sunt filij Dan per turmas suas,
in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai. 26 In tribu autem filiorum
Aser erat princeps Phegiel filius Ochran. 27 Et in tribu filiorum Nephthali princeps fuit
Ahira filius Enan. 28 Hæc sunt castra, & profectiones filiorum Israel per turmas suas quan-
do egrediebantur. 29 Dixitque Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ, cognato suo: Pro-
ficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: veni nobiscum, vt benefaciamus ti-
bi: quia Dominus bona promisit Israeli. 30 Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed
reuertar in terram meam, in qua natus sum. 31 Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu
enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster. 32
Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est

Dominus, dabimus tibi. 33 Profecti sunt ergo de Monte Domini viam trium dierum, ar-
caque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres prouidens castrorum locum. 34 Nu-
bes quoque Domini super eos erat per diem cum incederent. 35 Cumque eleuaretur ar-
ca, dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te,
à facie tua. 36 Cum autem deponeretur, aiebat: Reuertere Domine ad multitudinem
exercitus Israel.

VERSVS II. *Fac tibi duas tubas argenteas.*

1 Mira continet caput istud, quando de congregando ad iter faciendum populo, dignatur Dominus speciali allocutione ad Moysen esse solicitus: modum præterea præscribens clangendi tubis, modo simplici clangore, modò concisè vlulatu, modo cantu: *cantu* quippe *tubis* inquit versu 10. Hæc memorans D. Thomas [a] ad illa Apostoli verba 1. Cor. 14. *etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum*, adiecit: sumitur hæc similitudo ex lib. Num. 10. ibi enim legitur, quòd Dominus præcepit Moysi, vt faceret duas tubas argenteas, quæ essent ad conueniendum populum, ad mouendum castra, & ad pugnandum: & pro quolibet istorum habebant certum modum tubandi: quia aliter dabant vocem, quãdo debebant conuenire ad concilium; aliter, quando mouebant castra; & aliter, quando pugnabant.

a 1. Cor. 14. 1.

At absit, addo ego, vt in literæ cortice sistamus. Intendit Dominus consectariò ad ea, quæ diximus præcedenti capite, adumbrare vniuersalem resurrectionem, atque iudicium. Sanè c. 15. bis de tuba fit mentio: *in nouissima tuba: canet enim tuba*. Vbi idem Sanctus Doctor: [b] officium tubæ Numeri 10. erat ad quatuor, scilicet *ad vocandum concilium*; (in hoc loco habet litera D. Thomæ *consilium*, sed puto ex errore scriptorum: ad *concilium*, ait D. Augustinus in Catena Aurea, Matthæi 5. pertinere videtur sententiæ prolatio: quando inter se iudices conferunt, quo supplicio damnari oporteat.) & hoc erit in resurrectione, quia tunc conuocabit ad concilium, idest ad iudicium: Isaiæ 3. *Dominus ad iudicium veniet*, &c. *Ad solemnizandum festum: buccinate in neomenia tuba*, Ps. 80. sic & in resurrectione, Esaiæ 33. *respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ*. *Ad pugnam*, & hoc in resurrectione, Sapien. 5. *pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*; Esaiæ 30. *in tympanis, & citharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos*. *Ad mouendum castra*: sic & in resurrectione: quidam eundo ad Paradisum, quidam eundo ad infernum. Matthæi 25. *ibunt qui bona fecerunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum*: quæ cuncta iisdem ferè verbis prædixerat in Matthæum, c. 24. ibi, *mittet Angelos suos cum tuba*; mandauit, inquit, Dominus Numer. 10. Moysi duas tubas fieri, & clangebant tubis ad concilium, ad festa, ad pugnam & ad commotionem castrorum; & sic erit in iudicio: quia erit ibi *concilium*, idest adunatio omnium sanctorum, &c. Et op. 60. c. 25. tuba congregabantur, &c. resurgentes autem congregabuntur ad concilium iudicij: *ad prælium*, quo *orbis terrarum pugnabit contra insensatos*, & *ad festum* æternæ solemnitatis.

b Hæc de. 11. 1. 8.

Hæc reuerà ita adumbrari, satis ex contextibus deducere fas est: *congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi*; audi clariùs in Matthæo c. 25. *& congregabuntur ante eum omnes gentes*; Rom. 14. & Apostolus; *omnes stabimus ante tribunal Christi*. & Ioel. 3. *congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat*. In calce huius capitis; *Surge Domine & dissipentur inimici tui; & fugiant qui oderunt te à facie tua*: In quo quidem cum Psalmo 67. coinciditur: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius*, vbi per Sanctos Patres, de Christo resurgente à mortuis canit Propheta: vnde & subditur, *iter facite ei qui ascendit super Occasum*: de quo Gregorius homilia 17. in Euang. *Designauit Dominus & alios septuaginta duos; super occasum videlicet ascendit, quia mortem, quam pertulit, resurgendo calcauit*; huc autem facit quod ait Apostolus, allato c. Corinth. *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit*. & postea; *nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*. Sic quod adnectitur in fine præsentis capitis, extremum sonat iudicium; *reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel*: quod in idem redit cum Christi Domini verbo, Ioannis 14. *iterùm veniam, & accipiam vos ad me ipsum*, scilicet in fine Mundi vt ibi [c] S. Doctor, *& accipiam vos ad me ipsum glorificatos in anima, & corpore*. Matthæi etiam 25. *post multum verò temporis venit Dominus seruorum illorum*, & Lucæ 12. *quando reuertatur à nuptijs*.

c Io. 14. 1.

Accedit, iterum recenseri omnes, per electos Principes, tribus: quod non solùm fieri crediderim ad ostendendam inconfusam singularum profectionem; sed etiam ad significandum, quomodo singillatim iudicandæ sunt iuxta, illud Domini Matthæi 19. *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. Hinc eorundem duodecim Principum conuocationi specialis præscribitur clangor, versu 4. *Si semel* inquit *clangueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis Israel*. *Sciendum namque est*, ait S. Beda homiliæ in natali Sancti Benedicti, *omnes qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, iudices cum eo esse venturos, sicuti etiam omne mortalium genus esse iudicandum; quia enim duodenario sæpe numero solet in scripturis vniuersitas designari, per duodecim sedes Apostolorum, omnium numerositas iudicantium; & per duodecim tribus Israel, vniuersitas eorum, qui iudicandi sunt, ostenditur*. Quod pluries tradit S. Doctor præsertim etiam Apoc. 3. comment. 2. ex D. Gregorio August. & glossa.

VERSVS IV. *Si semel clangueris, venient ad te Principes*, &c.

Nihil prohibet per hos Principes, & per capita familiarum intelligi & Apostolos & sectatores Apostolorum, qui Principes dicuntur, *constitues eos Principes super omnem terram* ps. 44. ac *duces* appellantur à D. Dionysio de diuinis nominibus. His, qui præstolantur aduentum Christi, qui sunt alijs sanctiores, optatus & exoptatus

est iudicij dies: patet Apocalypsis 6. *vsquequo Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum?* & Ioannes c. 22. *amen, veni Domine Iesu*; & Paulus 2. Timot. 4. *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.*

Ad horum promptitudinem, præparationem, & desiderium (iuxtà quod etiam dicebat Apostolus, *cupio dissolui & esse cum Christo*) significanda, non prolixior tubæ sonus, sed vnicus breuisque taxatur clangor: in quo & innuitur tales esse Christo in sanctitate proximiores: vnde nec egent prolixa conuocatione.

VERSVS V. *Si autem prolixior atque concisus clangor.*

Ex hebraicarum vi vocum, quidam apud Maluendam trahunt *ouationem*, *iubilationem*, atque *triumphum*. Ex Philosopho Oriens atque Meridies vnde Auster, dextrum est Cœli: sicque Occidens & Aquilo sinistrum: *statuet oues à dextris, hædos autem à sinistris* Matthæi 25. quàm bene duas tubas præcepit! quid mirum si iubilus & ouatio atque triumphus insonuerint, quando ibunt *benedicti in vitam æternam: lætabitur* etiam *iustus cum viderit vindictam?* Ad illud Cantic. 1. *Vbi pascas vbi cubes in meridie*, in Comm. p. Apoc. aliquantùm post initium, inquit: in meridie, idest in cœlo, vbi est meridies, idest cognitio sine obscuritate. Nihilominùs, *congregabuntur omnes electi à quatuor ventis*, vt dicitur Matthæi 24. idest à quatuor climatibus mundi, scilicet Oriente, Occidente, Aquilone, Austro, vt dicit Remigius; præfato op. 60. 25.

VERSVS VI. *Et iuxta hunc modum reliqui facient.*

Supprimuntur nomina eorum, qui ad Aquilonem & Occidentem castrametabantur. Mirum certè; quoniam paulò post, in profectione recensentur; & quoniam suprà capite 7. eadem duodecies repetuntur. Quare oportet vt lateat arcanum: nimirum quod prætactum est; vt sint reproborum in typum, de quorum nomine dicitur Prouerb. 10. *nomen impiorum putrescet*: psalmo 9. *nomen eorum delesti in æternùm, & in sæculum sæculi*, & Ecc. 41. *nomen autem impiorum delebitur*. Et iterum ps. 69. *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Vlulantibus*, adiecit, *tubis in profectionem*. Quod & è conuerso pro flebili, & mœsto sono, pro incondito clamore accipi potest. Quò attinet illud Isaiæ 65. *ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabūt præ exultatione cordis: & vos præ cōtritione spiritus vlulabitis*: quatenùs, inquit Haymon, compleatur; *ibi erit fletus & stridor dentium*. Quod de damnatis etiam exponitur [D] à Diuo Thoma.

D 2.2.18. 3.

VERSVS VII. *Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concisè vlulabunt.*

Debuisset hoc antè præcipi, siquidem priùs congregandus erat populus, quàm profecturus: igitur credendum est postponi per figuram Hysteron Proteron: ex hoc enim apertius colligitur, quomodo non perperam concisus clangor præscribitur; quandò aliàs simplex sonus tubarum edendus erat, & non concisè vlularent. Prolixior tamen præsumitur & iste simplex clangor: id enim moris est cum dormientes omninò volumus excitare. Sic enim dormire dicuntur mortui resuscitandi, Danielis 12. *multi ex his qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt* &c. & Isaiæ 26. *Viuent mortui tui; interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere.*

VERSVS IX. *Si exieritis ad bellum* &c.

3 Quodnam sit hoc bellum, dictum est suprà: *armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Si exieritis*: videtur hoc referre illud, quod dicitur Esaiæ 66. *& egredientur & videbunt cadauera* &c. quocircà S. Doctor [E] *egredientur, non loco, sed intelligentia*, vt glossa dicit: per cadauera verò, vt Augustinus dicit, significatur euidens corporum pœna. Quoniam verò ibidem clauditur, *& erunt vsque ad satietatem visionis*; adnectitur ei, quod dicitur, Apocalyp. 19. in fine; *saturatæ sunt cordibus eorum*: vbi D. Thomas [F] in secundo Comm. idest delectati sunt, videndo pœnam eorum, considerando diuinam iustitiam: de quo alibi pluries præsertim in 4. distinct. 46. q. 1. a. 3. ad 4. & dist. 50. q. 2. a. 4. & sic cum dicitur *clangetis tubis, & erit recordatio vestri, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum*, videtur arcano sensu prædici, quod ait D. Gregorius relatus dist. 46. *ardebunt impij, vt iusti in eis percipiant supplicia, quæ euaserunt, quatenùs tanto magis in æternùm diuinæ gratiæ se debitores esse cognoscant, quantò in æternùm mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt.*

E 4. dist. 50. exposit. 1.

F Ap. 19.

4 Intelligitur autem vlulantibus tubis clangore conciso, siue interpolato; qui quidem clangor, quoniam clangere & Aquila dicitur, quisnam sit futurus, indicatur Apoc. 8. Vbi Ioannes. *Et vidi, & audiui vocem vnius Aquilæ volantis per medium cœli dicentis voce magna*, væ, væ, væ, &c. Vbi S. Doctor in 2. Comm. *Væ*, scilicet quantùm ad carentiam diuinæ visionis; *væ*, quantùm ad pœnam vermis rodentis, scilicet conscientiam; *væ*; quantùm ad supplicium ignis vorantis. Et subdit. [G] Propter hoc triplex, væ, dicitur Zachariæ 2. *O ò ò* fugite, de terra Babylonis; & Ioelis 1. *A à à*. Audis ergò vlulatus concisos.

G Ap. 8.

VERSVS X. *Si quando habebitis epulum, & dies festos & calendas, canetis tubis.*

Non dicit, clangetis, vel vlulabitis, sed canetis. S. Doctor ad illa verba Apocalypsis 8. *vt tuba canerent*, in 2. Comm. inquit: [H] etsi prædicatio quandoque terrere debeat, tamen etiam debet allicere ad amorem: quantùm ad incussionem timoris, prædicatio dicitur tuba; quantùm ad secundum, vocatur prædicatio cantus. Ioel. 2. *canite tuba in Sion.* Quàm bellè autem in hoc textu innuatur cœlestis Patriæ cantus, liquet ex præmissis de Epulo, & de diebus festis. Hinc ait Dominus, *vt edatis & bibatis super mensam meam* & Isaias c. 66. *& erit mensis ex mense; & sabbatum ex sabbato*: quo facit illud, *vt requiescant a laboribus suis.*

H Ap. 8.

VERSVS XI. *Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis eleuata est nubes* &c.

Certè cùm vnusquisque nostrum iter aliquod arrepturus est, diem statuit studiosè, qua ad illud se præparet: quare cùm profectum populi Israel per signum nubis, nunc velit Dominus; sine dubio, alto sapientiæ mysterio decretum est. Concurrunt ergo mirificè & annus, & mensis, & dies, ad ea firmanda quæ de iudicio futuro hactenùs diximus. Duos decantatos in sacris litteris reperimus annos. Isaiæ 61. *vt prædi-*

carem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: vbi Haymon, *annum*, idest, *omne tempus à natiuitate, vsque ad diem iudicij*. Idem etiam Isaias inquit, *annus retributionis meæ venit*: quod & prædixerat c. 34. *Dies vltionis Domini; annus retributionis iudicij Sion*: quodque idem Author ad generalem totius orbis consummationem refert. Ergo iam clarescit, quare *anno secundo*, post cursum scilicet huius sæculi, pergendum sit.

Mense, adiecit, *secundo*. Non est qui ignoret, menses, quos motus lunæ metiuntur, mutationes omnes concernere, vnde & hæc inferiora sublunaria dicuntur, ceu in quæ tanquam mutabilia, & fluxa, proximior cæteris agit crebrarum mutationum radix & index Planeta Luna. Prouerb. 15. *stultus vt luna mutatur*. Ecc. 27. *homo sanctus manet in sapientia sicut Sol; nàm stultus vt luna mutatur*: potissima autem mutationum omnium in rerum natura est generatio. *Generatio præterit, & generatio aduenit*, Ecclesiastæ 1. Prima generatio est qua nascimur in hunc mundum corruptioni obnoxij: *In regeneratione* autem, de qua Dominus Matthæi 19. *mortui*, vt ait D. Hieronymus, *resurgent incorrupti*: Vel vt Augustinus relatus in catena; *caro regenerabitur per incorruptionem*. Igitur *mense secundo*, idest, secunda humani generis mutatione, seu generatione.

Vigesima die mensis. Non legimus, manè statim diluculò id euenisse, ex quo proficiscerentur: quare profectio, veluti intimata die vigesima, credenda est fuisse die vigesima prima. Secundùm Origenem super Num. hom. 4. referente Laureto in appendice de numeris, vigesimus primus dies mensis finem vitæ designare potest, ideò vsque ad eam Exodi 12. vescuntur azymis, & est dies solemnis bonis. Adde ex D. Thoma Apocalyp. c. 8. Comm. 2. Tota vita hominum dierum septenario voluitur: ex quo ipse intueor vicissitudinum humanarum in tali die supremam, eoquod in illo, vltima fiat lunæ mutatio, quæ ab Astrologis phase dicitur, siue transitus; est autem humanum genus perenni in transitu, iuxtà quod dicitur Sap. 5. *Sic & nos nati, continuò desiuimus esse*. En quomodo apprimè dictis cuncta cohærent. Facit autem ad rem annorum varietas, quam Hugo noster adducit, vt hic annus intelligatur, non naturalis, vsualis aut legitimus, sed emergens à celebratione Phase in memoriam liberationis; ab exitu enim de Ægypto cœperunt Iudæi annos suos numerare; sicut Græci à prima Olimpiade, Romani ab Vrbe condita, Christiani ab Incarnatione. Stata ergo die, *eleuata est nubes*, quæ vt legitur Exodi 40. postquam mense primo anni secundi, prima die mensis collocatum est tabernaculum, *& postquàm omnia perfecta sunt, operuit tabernaculum testimonij* &c. En quomodo graphicè & supremum iudicium, & illi annexa, profundo stylo piguntur.

VERSVS XXIX. *Dixitque Moyses Hobab filio Raguel &c.*

Quis fuerit *Hobab* iste, digladiantur interpretes; qui prætereà ad graues reducuntur angustias, pressi difficultate, quæ enascitur ex rogatu siue suasu Moysi: hortatur enim Hobab hunc, vt veniat secum; & tamen ductu nullius videbatur egere, quando columnæ seu nubis indicio, planè iubente Domino nossent vbinam manendum sibi esset, & quando quòue eundum. Vide Exodi 18. Verùm non est cur vltrà adlaborent: facili namque via expediri possunt, si rerum seriem à serie narrationis discernant. Certè post relatas ductricis nubis stationes, imò post primum iter descriptum die quæ suprà, de Hobab interseritur: at non propterea, eodem ordine gesta sunt & narrata, quæ acciderunt; siquidem superiùs, hoc in eodem capite v. 12. habemus: *profectique sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan*: & post hæc sequitur; *dixitque Moyses &c. proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis; veni nobiscum*. Nunquid postquam peruenerant in Pharan, hæc dixit illi? absit. Sic ergo, nunquid postquam nouerant ductum nobis, Hobab quæsierunt Ductorem? nequaquam. Sed quæ Moyses prudenter anteà cogitauerat, nùnc opportuniùs recolit: vnde incertum reliquit, nùm ierit Hobab, vel non ierit cum ipso; quasi admonens nihil referre, scire id aut nescire, quando reluctante Hobab, desuper prouiderat Dominus per nubem: quamquàm Exodi 18. dederim simul ipse.

Itaque quæcumque prædicta sunt de nube, de profectione &c. per anticipationẽ dicta sunt, quemadmodum & ad mortem Christi, ly *multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: Christus enim est primitiæ dormientium*. Et fortè voluit Dominus prænarrari illa per Moysen, non solùm tanquam itineris compendio, sed in figuram eorum quæ dicta sunt: quæ vtpotè nobiliora oportuit præire: post quæ ne litera omnino fugiat studiosum lectorem, ad Hobab regreditur: nec inutiliter, quoniàm sic agnoscitur, quàm arduum esset iter, quàm dubia mansio, quàm inhospita solitudo: contrà quæ omnia præsentissimam præstò fuit opem ferre clementissimus Dominus. Proficiscuntur autem viam trium dierum: quod potest exponi vt c. præcedenti. Post hos sumus in termino.

Cœterùm præter eiusmodi anagogiam, allegoricus adest sensus: siquidem per tubam [I] potest intelligi prædicator, & inducit illud Isaiæ 58. *quasi tuba exalta vocem tuam*. Vbi inquit: prædicatio est tuba, & quia excitat ad vitæ statum; & quia hortatur ad bellum; & quia vocat ad Concilium; & quia inuitat ad festum. Sic per septem Angelos canentes tubis Apocalypsis 8. Secundo Commentario, significatur Vniuersitas prædicatorum: [L] subditurque; comparatur tubæ prædicatio propter sonum; quia publicè & apertè fieri debet. Esaiæ 58. *clama ne cesses quasi tuba* &c. Item propter vsum; vsus enim tubarum apud iudæos, erat in bellis, in festis, in conuiuijs: similiter prædicatio excitat ad bellum contrà vitia: Iosue 6. legimus, quòd *septem Sacerdotes, septem tubis clangebant ad bellandum contra Hiericho*, idest contrà vitia mundi, qui mutatur vt luna: *Hiericho enim interpretatur luna*. Item vocat ad vera solemnia, scilicet gratiæ & gloriæ, Isaiæ 30. *Canticum erit vobis, sicut vox sanctificatæ solemnitatis*. Item inuitat ad omnia conuiuia, quæ fiunt hic per gratiam, & in futuro per gloriam: infrà c. 19. *audiui quasi vocem tubæ magnæ; gaudeamus, & exultemus* &c. Addit S. Doctor: septem autem tubæ dicuntur propter vniuersitatem officij prædicationis, quod datur prædicatoribus, ad hoc idoneis, vt scilicet de Vniuersa

5 I 1. Cor. 14. I. 2. Isaiæ 58.

L Apoc. 8.

Scriptura prædicent. (Hic facit, aio ego, quod apud Hugonem, per duas tubas significari duo testamenta) Item vt prædicent vniuersis, diuitibus, & pauperibus; magnis, & paruis; bonis, & malis; fidelibus, & incredulis. En quomodo concinit textus capitis, *quibus conuocare possis multitudinem*.

Tubæ huiusmodi esse debent argenteæ. S. Doctor exponens illud Isaiæ 55. *quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum, non in saturitate*, ait: [M] argentum idest eloquentiam: alibi (nisi me fallit memoria) argentum, inquit, propter sonoreitatem.

M Ioan. 6. l. 2.

6 Confert hoc ad reprimendos impugnatores Religionum, qui præ cæteris in religiosis vituperabant ornatam, & compositam prædicationem. Quocirca S. Doctor in opusculo [N] à calumnijs eiusmodi eos validissime defendit, innixus authoritate & exemplo Sanctorum Patrum, item dirimens hisce verbis; Sciendum est igitur, quòd vti sapientia & eloquentia sæculari, in Sacra Scriptura, quodammodo commendatur; & quodammodo reprehenditur: reprehenditur quidem, quando aliquis ad iactantiam eis vtitur; & quando eloquentiæ & sapientiæ sæculari principaliter studet: tunc enim oportet, quòd illa vel taceat, vel neget, quæ sæcularis scientia non approbat, sicut articulos fidei, qui sunt suprà humanam rationem. Et similiter, qui eloquentiæ principaliter studet, homines non intendit inducere in admirationem eorum, quæ dicit, sed dicentis &c. Commendatur autem, quando ad se non ostentandum, sed ad vtilitatem audientium, qui sic quandoque faciliùs & efficaciùs instruuntur, vel conuincuntur aduersarij, vtitur aliquis sapientia, & eloquentia sæculari. Et iterùm quando aliquis non principaliter eis intendit, sed eis vtitur in obsequium Sacræ Scripturæ, cui principaliter inhæret; vt sic omnia alia in obsequium eius assumat, Sic D. Augustinus in 4. libro de doctrina Christiana. *Porrò, qui non solùm sapienter, veriùm etiam qui eloquenter vult dicere, quoniam profectò plùs proderit, si vtrumque potuerit; ad legendos, vel audiendos, vel exercitatione imitandos eloquentes eum mitto*. Item in eodem libro: *oportet eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid, quod agendum est, non solùm docere vt instruat, & delectare vt teneat: sed etiam flectere vt vincat*. Et hæc tria quomodo à Sacris Doctoribus fieri habeant, per ornatissimas Sanctorum Patrum locutiones ostendit. Ex quibus omnibus concludit S. Doctor: patet eos qui prædicando vel legendo Sacram Scripturam docent, eloquentia vti debere, & sapientia sæculari. Hoc etiam patet per Gregorium & Ambrosium, & alios qui ornatissime sunt locuti.

N op. 19. c. 12.

Huic de prædicatoribus expositioni, fauet quod dicitur in textu: *filij autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris*. Officium quippe sacerdotum est, quamuis primò Pastorum; nam Petro ait Dominus; *pasce agnos, & oues meas* Ioannis 21. Pastores autem gregem Domini pascere possunt, non solùm per se sed per alios, quibus ipsi committunt, quia ille intelligitur aliquid facere, cuius authoritate fit. Vnde cùm 16. q. 1. c. Adijcimus, dicitur; *statuimus vt præter Domini Sacerdotes, nulli liceat prædicare*, intelligitur quasi propria authoritate, scilicet ordinaria, vt vberrime & fortiter tradit S. Doctor in eodem opusculo c. 4. tutatus ab ijs dem impugnatoribus Religiosos & monachos prædicatores. Vbi, & recolens illud Sapientiæ 6. *multitudo sapientum, sanitas est orbis terrarum*, adducit interlinearem dicentem, *cœtus prædicatorum sanitas est orbis terrarum*.

Quod si Matthæi 24. dicitur, *& mittet Angelos suos cum tuba*, non est mirum; quia & Apocalypsis 8. vidit Ioannes septem Angelos, *quibus datæ sunt septem tubæ*. Designantur autem, vt ibi [O] D. Thomas, prædicatores per Angelos; quia debent habere sublimem vitam, vt ædificent exemplo; & cœlestem scientiam, vt erudiant verbo: vita enim sancta & diuinorum scientia, sunt in Angelis. Psalm. 49. *peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tù verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum*. Malach. 2. *labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est*. Quomodò autem *legitimum sempiternum* hoc officium prædicationis sit, tù disce ibi. Vnde etiam in consummatione mundi aderunt veritatis prædicatores, sicut de Elia, & Henoch dicitur c. 11. *dabo duobus testibus meis*, (glossa, *Eliæ & Henoch*) *& prophetabunt* &c. *amicti saccis*, glossa, *prædicantes pænitentiam, & exemplo ostendentes*, vt refert S. Doctor etiam [P] in opusculo vbi ait, prophetabunt idest prædicabunt. Erit ego prædicatio per ministros cuiuscumque status; naturæ scilicet legis, & gratiæ, Henoch, Eliæ & Apostolicorum virorum.

O Apoc. 8. comm. 1.

P op. 19. 25.

Superest recolere quomodo mysticè in primo Apocalypsis Commentario [Q] assumptioni Beatæ Virginis hæc aptentur. *Eleuata est nubes*: idest Virgo Maria, *& profecti sunt filij Israel per turmas suas*, eam comitando turma Angelorum vna: turma Patriarcharum, alia: turma Prophetarum, tertia: turma Apostolorum, quarta: turma Martyrum, quinta: turma Confessorum, sexta: turma Virginum, septima. Et omnes ij qui cùm ea fuerunt semper. Sic; *amicta sole*, idest circumdata Sanctorum congregatione, qui in Assumptione cùm Christo venerunt ei obuiam; & cum magno gaudio, deduxerunt in cœlum. Nubem quippe palam est pro Virgine accipi; iuxta illud, *ascendet Dominus super nubem leuem* Isaiæ 19.

Q Apoc. c. 12. post principiū

CAPVT XI.

Psalm. 77. c. 19. Psalm. 77. c. 21.

1 INterea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem. 2 Cumque clamasset populus ad Moysen, orauit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis. 3 Vocauitque nomen loci illius, Incensio;

eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini. 4 Vulgus quippe promiscuũ, quod asćẽ-
derat cum eis, flagrauit desiderio, sedens, & flens, iunctis sibi pariter filijs Israel, & ait:
Quis dabit nobis ad vescendum carnes? 5 Recordamur piscium, quos comedebamus in 1.Cor.10.
Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepe, & allia. a.8.
6 Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. 7 Erat autem Man Exod.16.
quasi semen coriandri, coloris bdellij. 8 Circuibatque populus, & colligens illud, frange- c.14. Sap.16.c.
bat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi 20.
panis oleati. 9 Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Man. Psalm 77. c.24.
10 Audiuit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorij sui. Ira- Ioan.6.d.
tusque est furor Domini valde: sed & Moysi intoleranda res visa est. 11 & ait ad Domi- 32.
num: Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti
pondus vniuersi populi huius super me? 12 Numquid ego concepi omnem hanc multitu-
dinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infan-
tulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum? 13 Vnde mihi carnes vt dem
tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes vt comedamus. 14 Non pos-
sum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. 15 Sin aliter tibi videtur
obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. 16 Et
dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu no-
sti quòd senes populi sint ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque
ibi stare tecum, 17 vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque
eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. 18 Populo quoque dices:
Sanctificamini: cras comedetis carnes, ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis escas
carniũ? bene nobis erat in Aegypto. Vt det vobis Dominus carnes, & comedatis: 19 non
vno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, 20 sed vsque ad men-
sem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Do-
minum, qui in medio vestri est, & fleueritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex
Aegypto? 21 Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis: Da- Ioan. 6.
bo eis esum carnium mense integro? 22 Numquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt b.10.
possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient?
23 Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini inualida est? Iam nunc videbis v- Isaiæ 59.
trum meus sermo opere compleatur. 24 Venit igitur Moyses, & narrauit populo verba a.1.
Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernacu-
lum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui
erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque requieuisset in eis Spiritus: prophetaue-
runt, nec vltra cessauerunt. 26 Remanserant autem in castris duo viri, quorum vnus vo-
cabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit Spiritus, nam & ipsi descripti fuerant,
& non exierant ad tabernaculum. 27 Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, &
nunciauit Moysi, dicens: Eldad, & Medad prophetant in castris. 28 Statim Iosue filius
Nun, minister Moysi, & electus è pluribus, ait: Domine mi Moyses prohibe eos. 29 At
ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis
Dominus Spiritum suum? 30 Reuersusque est Moyses, & maiores natu Israel in castra.
31 Ventus autem egrediens à Domino arreptans trans mare coturnices detulit, & dimisit in Psalm.77.
castra itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, vo- c.26.
labantque in aere duobus cubitis altitudine super terram. 32 Surgens ergo populus toto
die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum, qui parum, decem coros: & sic-
cauerunt eas per gyrum castrorũ. 33 Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defece- Psalm.77.
rat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga d.30.
magna nimis. 34 Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelie-
runt populum, qui desiderauerat. Egressi autem de Sepulchris concupiscentiæ, venerunt
in Haseroth, & manserunt ibi.

VERSVS XIV. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum: quia grauis est mihi.*

Quoniam, vt ait D. Augustinus in Enchiridio c. 11. pluries commemoratus à D. Thoma, *Deus est adeò omnipotens & bonus, vt bene faciat etiam de malo*: occasione murmuris effrænisque concupiscentiæ ægrè docibilis populi, aperit quàm graue sit onus, viribusque impar humanis, nisi res perfunctoriè agatur, aliorum regimini præfici: ita vt præeligat Moyses mori potiùs; *obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis*, inquit, *afficiar malis*: in quo vltra intolerabiles animi perturbationes, innuit quale immineat periculum amittendæ diuinæ gratiæ, æternæque proinde saluris. Lege S. Doctorem in opusculo [A] quomodo potestas terrena potiùs sit timẽda, quàm appetenda. Vbi recolit Saluatoris exemplum, qui Ioannis 6. *cùm vidisset, quòd venturi essent, vt.*

A op. 41. l.1.c.1.

raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem iterum ipse solus: & tamen quærentibus se ad mortem, vltrò obtulit. Io. 18. volens ostendere, (inquit, tacitus Moysi consilium probans) quòd aliquibus magis expediret esse mortuos, quam terrenam potestatem habere. *Quæcumque scripta sunt*, Roman. 15. *ad nostram doct inam scripta sunt*. Exaudit itaque Dominus, ne quis exinde præsumat sibi sufficere, votum Moysi, dicens

VERSV XVI. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd senes populi sint ac magistri.*

Elegerat Iethronis consilio Moyses Exodi 18. *de viris strenuis Principes populi, Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos*; qui iudicabant *populum omni tempore*; quicquid autem maius erat, referebant ad eum. Sed illi ad politiæ solicitudines; isti ad continendum sub morum ac religionis disciplina populum sociasciscuntur: illi quippe strenui desiderantur *potentes ac Deum timentes*; isti *seniores & magistri, præfecti*, vt ait Chaldæa, *& Scribæ*, quemadmodum legunt Septuaginta, congregantur. Huic facit illud Sapientiæ 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis; & ætas senectutis vita immaculata*. Senes illi Danielis, qui in Susannæ exarserunt amorem, senes, prout hic vult Dominus, non erant. Senes illi appellari poterant pueri, iuxta quod Isaiæ 65. dicitur, *puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit*. Igitur intelligitur textus de illis senioribus, qui non solùm ætate, vel authoritate, sed etiam honestate sunt senes, vt explicat S. Doctor. [B] Vnde

B 1. p. 41. a. 1.

& super illud Titi c. 1. *constituas per ciuitates Presbiteros*, hunc afferens locum ait, seniores [C] non solùm ætate, sed & moribus.

C Titi 1. l. 2.

VERSVS XVII. *Et auferam de spiritu tuo tradamque eis.*

2 Sana eget intelligentia textus iste. Pro quo iuuat recolere quæ tradit S. Doctor contra Gentes; ibi enim colligens rationes, [D] ex quibus aliqui Spiritum Sanctum æstimauerunt esse creaturam, sic arguit: omne quod potest augeri, vel diuidi, mutabile est, & creatum; hoc autem Spiritui-Sancto in Scripturis sacris attribui videtur, dicit enim Dominus Numeri 11. ad Moysen, *auferam de spiritu tuo tradamque eis*, &c. ergo, &c.

D 4. cont. Gent. c. 16.

Respondet infra: [E] Quod dicitur, *auferam de spiritu tuo tradamque eis*, non ad ipsam essentiam, seu personam referendum est, cùm indiuisibilis sit, sed ad ipsius effectus, secundùm quos in nobis habitat, qui in homine possunt augeri, & minui: non tamen ita, quòd id quod subtrahitur vni, idem numero alij conferatur; sicut in rebus corporalibus accidit; sed quia aliquid simile potest accrescere vni, in quo alij decrescit. Nec tamen requiritur quòd ad hoc vt accrescat vni, alteri subtrahatur; quia res spirituales potest simul absque detrimento à pluribus possideri. Vnde, nec intelligendum est quòd de donis spiritualibus oportuit aliquid subtrahi Moysi ad hoc quòd alijs conferretur; sed ad actum siue ad officium referendum est; quia quod Spiritus Sanctus, prius per solum Moysen effecerat, postea per plures impleuit. Hæc D. Thomas. Et

E loc cit. cap. 13.

sanè litera id firmat; nam sequitur; *vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris*. Sic & in 1. Sentent. d. 18. in expositione textus, hoc non dicitur, quia Moysi gratia minorata esset, quantum ad statum habitus, sed quantum ad vsum solicitudinis; alijs in sui auxilium substitutis. Sed dices; vt quid verborum eiusmodi tenor, de auferendo Moysi spiritu? ex his fortè Chaldæa maluit legere, *augebo de spiritu, qui est super te*.

Respondeo perquàm studiosè fieri: quoniam hoc pacto specialiter duo signantur. Primum est conformitas gratiæ, quæ debebat conferri istis, ad gratiam Moysi. Secundum est partialitas doni, quod perinde intelligebatur plenius esse in Moyse. Ita S. Doctor in Apocalypsin [F] ad illa verba, *& accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne Altaris*. Præpositio *de*, inquit, partialitatem notat, respectu gratiæ collatæ siue donorum: partialitatem autem dico, non quia gratia data Apostolis in die Pentecostes sit pars gratiæ quæ est in Christo secundum veritatem, sed pars dicitur secundùm quendam modum loquendi; quia gratia Spiritus-Sancti longè copiosior fuit in Christo, quàm in Apostolis; ità vt ipsi quasi partem gratiæ habere viderentur, Christus verò totam. Similiter notatur conformitas; quia gratia illa tam in Christo, quàm in Apostolis, fuit ad illustrandum, & ad accendendum proprium subiectum, & etiam ad redundandum in alijs per effectum. Post hæc D. Thomas fert præsentem locum dicens; Simili modo Numeri 11. *auferam de Spiritu tuo*. Quod tradit etiam in primo loco cit. dicens, non quia persona Spiritus-Sancti diuisibilis sit; vel quòd habitus gratiæ de subiecto in subiectum transferri possit, & diuidi; sed quia acceperunt minorem gratiam quàm Moyses habuerat; & ad similes actus: & quasi ex gratia Moysi propagatam, in quantùm eis gratiam talem orando impetrauit. Et elariùs Cant. 4. ad illa verba, *emissiones tuæ*: deriuantur, inquit, dona gratiarum diuinarum à perfectioribus ad imperfectos: non quòd perfecti ipsam gratiam causent, cum à solo Deo ipsa gratia causetur, sed quia per prædicationes, bona opera & exempla, perfecti ducunt imperfectos ad gratiam suscipiendam; & vlterius aliquando per suas orationes gratiam impetrant; & ministrando sacramenta aliquid efficiunt in illa. En quid potest dici in præsenti, vt sit in encomium excellentiæ Spiritus Moysi. Ipse tamen adhuc animaduerto, hæc dictitasse Spiritum Sanctum, quia cum Moyses de se, suisque donis loqueretur, voluit, vt phrasi quæ sonaret in se ipso imminutionem, rem exprimeret, vt quasi de ablato spiritu, scriba esset humilis.

F Apo 8. com 1.

Hanc Moysi humilitatem vnà cum sancto zelo prodit eiusdem responsio, quam dedit Iosue minùs erudito. Cum enim, duo Eldad, & Medad prophetarent in castris, &c. statim Iosue Filius Nun minister Moysi, & electus è pluribus ait; *Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille, quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum!* Quocirca S. Doctor: [G] quanto Doctores magis multiplicantur, tanto vtilitas communis, quæ ex doctrina prouenit, magis crescit; quia 3

G op. 19. c. 1.

vni

vni manifestatur quod alteri nondum notum est: propter quod dicitur Sapientiæ 6. *multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum*. Quo zelo Moyses ductus dixit Num: 11. *quis tribuat vt omnis populus prophetet!* glossa: *fidelis prædicator optat, si fieri valeat, vt veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent*. Et infrà. *Prophetare omnes voluit, qui bonum quod habuit, non inuidit*. Quod quidem alibi refert [H] dicens ibi, *quid æmularis pro me*: glossa Gregorij; *Pia mens Pastoris, quia non propriam gloriam, sed Authoris quærit, ab omnibus vult iuuari in eo quod facit: fidelis enim prædicator optat* &c. Quod denique interempta sententia repetit in Ioannem, quando baptizante Domino, ad commouendum Baptistam dixere; *ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*. [I] Nàm quærentes propriam gloriam, & intendentes lucrum proprium in suo officio, dolent si alius officium illud assumat: communiter videmus, homines eiusdem artis, insidiosè & inuidè se habere ad inuicem: figulus figulo inuidet, non autem fabro. Sic etiam Doctores propriũ honorẽ quærentes, dolent si alius veritatem docet: contra quos dicit Gregorius; *mens pij Pastoris optat, vt veritatem quam solus docere non sufficit, alij doceant*: Sic & Moyses Num. 11. *quis det, vt omnis populus prophetet!*

(H loc. cit. cap. 4. ad finem.)
(I Ioan. 1. 14.)

VERSVS XXVII. *Cumque prophetarent in castris*.

4 Nonnulli Rabbini tradunt apud Tirinum prophetasse de Moysis morte, & Iosue in Principatum successione: At gratis. Veriùs prophetasse dicuntur, eo sensu quo Apostolus, *si autem omnes prophetent: &; itaque fratres æmulamini prophetare, & loqui linguis, nolite prohibere*. Et anteà: *potestis enim omnes per singulos prophetare*; vbi D. Thomas: [L] Vsus prophetiæ secundùm quod hic videtur accipere Apostolus, est proponere verbum exhortationis ad plebem, exponendo Scripturam Sacram. Simile quid ergo agebant Eldad, & Medad in castris. Et quia docere publicè, vt ait lectione sequenti, dicit Prælationem, & Præsidentiam, fortè indoluit Iosue Moysi. Verùm illustratione maiori donatus Moyses, libenter, prophetarent, siuit, nàm vt dicitur Prouerb. 29. *cum prophetia defecerit, dissipabitur populus*.

(L 1. Cor. 14. 16.)

VERSVS XXVI. *Remanserant autem in castris duo viri* &c.

5 Rogabis, de duobus his viris, an ita fuerint de numero septuaginta, vt ipsis remanentibus in castris, congregati solùm fuerint ad tabernaculum sexaginta & octo? Respondeo sic videri quibusdam, seu potiùs, vniuersaliter ab interpretibus id supponi: sed ipse animaduertens quod dicitur in sacro textu, ante memoratos hos duos, nimirum; *septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum*: & statim; *prophetauerunt, nec vnquàm cessauerunt*: arbitror fuisse quidem Eldad & Medad cum alijs descriptos, ad septuagenarium numerum: sed cùm remansissent in castris, eorum loco, qua scit Deus de causa, absentium, alios duos subrogasse. Si enim, aliàs sine ijs duobus in castris completus non fuisset numerus à Deo iussus, cur Iosue conquestus esset, quòd prophetarent? vnde Moyses, de ipsis, quasi vltrà septuaginta, loquens ait, *quis tribuat, vt omnis populus prophetet!* Ducor autem hanc in opinionem, quoniam S. Doctor, duobus in locis, non dicit septuaginta, sed septuaginta duos datos in adiutorium Moysi. [M] Nec possum facilè adduci, vt credam ex subreptione errasse D. Thomam, aut scriptorum ignauia irrepsisse. Licèt ergò septuaginta ex indulto Domini Moysi astiterint, qui & memorantur Exodi 24. vnde & Sanedrim Iudæorum exordium sumpsit: attamen largior Dominus & vltrà promissa effusior, alijs largitur spiritum, qui *vbi vult spirat*. Et fortè id factum est, ne Moysi, ad cuius preces, vt vidimus, requieuit in septuaginta illis spiritus, ascriberetur gratia: nàm *lex per Moysen data est, gratia & veritas per Christum facta est* Io. 1. & præterea potuit esse in signum, quatenùs gratiæ dona non intrà tabernaculi veteris legis angustias, sed vbique in castris Christianæ militiæ erant effundenda. Ad hunc numerum Lucæ 10. *misit discipulos binos ante faciem suam*: quid mirum si bini in castris prophetent? & præterea septuaginta duæ linguæ in diuisione Geneseos 10. communiter enumerantur: quare ad hanc totius orbis vniuersam salutaris gratiæ participationem, duo præter septuaginta quiuerunt prophetare; quia vt ait Gregorius, *duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor & proximi: & minùs quàm inter duos charitas haberi non potest*. Hic numerus septuaginta duo Vniuersitatem designat, vt dictũ est Genesis præfato c. 10.

(M Gene 10. op. 1. c. 4. in medio)

Quærit autem Angelicus; Vtrum debeant distingui plures Ordines: [N] & præ cæteris affert rationem ad affirmandum; nimirum vt subueniatur humanæ infirmitati, quia per vnum non poterant omnia, quæ ad diuina mysteria pertinebant, expleri sine magno grauamine, & idcò distinguũtur Ordines diuersi, ad diuersa officia. Et hoc, inquit, patet per hoc, quòd Dominus Numeri 11. *dedit Moysi septuaginta senes populi in adiutorium*. Sic opusculo 19. Sacerdotes dantur Episcopis, vt coadiutores, quia soli onus ferre non possunt, sicut septuaginta duo senes [O] dati sunt in adiutorium Moysi. Vnde Episcopus in ordinatione sacerdotum, hoc exemplo, & quibusdam alijs præmissis subiungit: *quantò fragiliores sumus, tantò magis his auxilijs indigemus*.

(N 4. 24. 1. 1.)
(O op. 19 c. 4.)

Aperit autem in 4. prællegato [P] mysterium aliud argumenti occasione dicens: distinctio Ordinum non est totius integralis in partes, neque totius Vniuersalis, sed totius potestatiui: cuius hæc est natura, quòd totum secundùm completam rationem est in vno: in alijs autem est aliqua participatio ipsius; & ita est hic: tota enim plenitudo huius sacramenti est in vno Ordine, scilicet Sacerdotio; sed in alijs, est quædam participatio Ordinis. Et hoc significatum est in hoc quòd Dominus dixit Num. 11. Moysi; *auferam de spiritu tuo, & tradam eis vt sustentent onus populi*. Et ideò omnes Ordines sunt vnum sacramentum. 6

(P loc. cit ad 2.)

VERSVS I. *Intereà ortum est murmur populi* &c.

VERSVS IV. *Vulgus quippe promiscuum quod ascenderat cùm eis, flagrauit desiderio* &c. *iunctis sibi pariter filijs Israel*.

Necto hæc duo; quoniam vnum est crimen pro quo puniuntur; exegeticè enim enarrat nobis Scriptura, qua de causa fatigati peccauerint contra Dominum: 1. Regum 2. *Si peccauerit vir*

in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Quale fuerit ipsorum murmur, habemus in ps. 77. *tentauerunt Deum in cordibus suis*, diffidentes de potentia: *& malè locuti sunt de Deo: dixerunt; nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* quasi dicerent; *non*; ecce blasphemia, & diffidentia: hæc expendit Turrecremata noster in sua mira expositione in psalteriũ. Sic psal. 105. *& concupierunt concupiscentiam in deserto*; non solùm cibum vt panem & aquam, sed *concupiscentiam*, idest delicatos cibos &c. & ps. antecedenti 104. *petierunt & venit coturnix*. Verùm radicem quare concupiscerent carnes, & alia quibus satiati fuerant in Ægypto, prodit

7 Textus 8. *Circuibat populus, & colligens illud (Man) frangebat* &c. faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. D. Thomas in opusculo. [Q] Manna habuit similitudinem saporis frumenti, mellis, & olei. De duobus primis, Exodi 16. *gustusque eius quasi similæ cum melle*. De tertio Num. 11. *quasi panis oleati*. De tribus simul Ezechielis 16. *similam & mel, & oleum comedisti*. Et secundùm hæc tria, habet corpus Domini triplicem effectum; operatur enim morum honestatem, cordis suauitatem, proximi pietatem. Percurrit hæc omnia ibi S. Doctor eruditissimè. Ex quo ipse colligo, subticuisse Moysen in describendo hìc manna mellis saporem, vt proximam detegeret causam, propter quam non eis vltrà sapiebat, atquè adeò flagrabant vilium etiam ciborum desiderio. Quòd si velimus vlteriùs perquirere, vnde mellis suauissimi atque dulcissimi gustum amiserint: iuuat *acrementum*, siue *omphacium*, quod est vuæ acerbæ succus, fuisse in causa, suaderi: dulcedini quippe mellis nil magis repugnat. Audi Ieremiam c. 31. apud D. Thomam, [R] *omnis qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius*. Gregorius, *quid est vua acerba nisi peccatum? Vua quippe acerba est fructus ante tempus; quisquis enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Sed qui vuam acerbam comedit, dentes eius obstupescunt; quia qui præsentis vitæ & mundi delectationibus pascitur, interni sensus eius ligantur, vt iam spiritualia sapere nequeant*. Hoc figuratum est, inquit, Numeri 11. in populo Israel, qui in Ægypto carnibus, cum allio, & cepis satiatus fuerat, & post in deserto talia concupiscens, panem cœlestem, scilicet manna dulcissimum cum nausea respuebat 1. Cor. 2. *animalis homo non percipit quæ Dei sunt*. Augustinus; *animalis dicitur carnalis homo, qui fertur dissoluta lasciuia animæ suæ*. Sic monens, quæ sint, ex quibus disponitur quoad victum, ad visionem beatam, ait [S] inter alia abstinendum esse ab ijs quæ sunt lasciuiæ, sicut carnes, ne flagremus desiderio carnium, sicut populus Israel Num. 11.

8 Sub hoc morali concupiscentiæ sensu ait in primo Commentario. [T] Alij exeunt de mundo, sed non totaliter; quia licèt corde & corpore, priùs exierint de mundo quoad diuitias; tamen cor eorum occupatur delicijs mundi; & sæpè cogitant de diuitijs, quas habebant in mundo, & pœnitent exiuisse de mundo: & tales significantur per Iudæos, qui in deserto suspirabant ad ollas carnium Ægypti. Vnde Numeri 11. *quis dabit nobis*, &c. *recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis, idest sine labore*. Sub eodem sensu, quemadmodum exponit Apostolus, 1. Cor. 10. *vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt*; quàm appositè, sequitur in textu, *vsque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum*! Sic quippe permittente Domino carnalibus peccatorum voluptatibus expleti, fastidiunt eas: hinc Sapientiæ 5. *ambulauimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis*. & Ieremiæ 2. *vide, quàm malum est, & amarum, te reliquisse Dominum*. Hinc etiam D. Augustinus 1. Conf. 12. *iussisti Domine, & sic est, vt pœna sibi sit inordinatus animus*; & alibi, *respersisti delectationes meas amaritudinibus*. Quod quidem aceidit potissimè duplici ex causa. Primò quia fallaces sunt & fugaces, iuxtà quod Sapientiæ pariter 5. *quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquàm nuncius præcurrens, & tanquàm nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus; aut auis quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius; sed tantum sonitus alarum verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aerem: commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius. Aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum: diuisus aer continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius*. In eiusmodi diuinis similitudinibus clarescit non solùm celerrimus terrenorum transitus, sub vmbræ & nuncij metaphora, sed & concupiscentia carnis in aquis lasciuiæ, Genesis 49 *effusus es sicut aqua, quia ascendisti cubile Patris tui, & maculasti stratum eius*: concupiscentia oculorum, hoc est auaritia per sagittæ directionem ad scopum. Sic semitæ omnis auari Prou. 1. *Prohibe pedem tuum à semitis eorum*; & superbia vitæ, qua ad altiora per vim *commotis alis* inhiamus. Hanc rapidissimi transitus animaduersionem monere videtur Dominus, cum dierum velocitatem inculcat dicens, *vsque ad mensem dierum*: mensem quippe, Planetarum omnium citissimè metitur Luna: dies autem raptu pertranseunt, quo nil velocius. Transitum etiam aquarum, quia trans mare deferuntur, coturnices indicant: eædem, concupiscentiæ carnalis sunt in typum; auarèque & auidè à populo congregantur: quare quæ tria mundi oblectamenta vituperat Ioannes in prima, 2. capite, reperimus in præsenti, tanquam paritura tandem nauseam, sat adumbrari.

At *fastidij* iuxta Chaldæam, *& cholera*, vt Septuaginta legunt, secundò est causa, animi ipsius inquietudo; est enim *cor impij* Esaiæ 57. *quasi mare feruens*. Et propterea ait D. Thomas, [V] peccatores sibi ipsis non concordant, propter conscientiam remordentem secundùm illud, ps. 40. *arguam te, & statuam contrà faciem tuam*; Et ecce textus, *& vertatur in nauseam, eo quòd repuleritis Dominum*, & Septuaginta; *eo quòd inobedientes fuistis Domino*. Ex quibus aiebat Gregorius, *corporales deliciæ cum habentur protinus in fastidium per satietatem vertunt*.

Renertendo autem ad literam, furore Domini concitato in populum, percutiuntur plaga magna nimis, quoniam criminis non pœnituit illos. *Audiuit Dominus*, vt ait psalmus 77. *& distulit*; 9

Q op. 58. 56.

R op. 58. c. 22.

S Danielis 10. in fine.

T Apocalypsis 6. post principium.

V 2. 2. q. 15. 7.

ftulit; pœnam inferre eis, ex Turrecremata; vt prius ostenderet suam potentiam: sed illi monita contemnentes Domini, ipsum concitauerunt. Dixerat Dominus: *sanctificamini*. Sanctificatio ex
X Serm. in vigilia Natiuitatis. D. Thoma ˣ hunc locum afferente, tria inportat; sanctus enim dicitur mundus, sine terra, & firmus. Sanctificamur ergo ab omni nos peccati sorde abluendo; omnem amorem terrenum excludendo; & in amore ipsius firmiter persistendo. Si sic se sanctificassent, seu potiùs sanctificari voluissent, quis ambigit? effugissent profectò plagam: Sed liquet ex textu diffisos etiam de diuina prouidentia fuisse; nam *qui parum, congregauit coturnicum decem coros, & siccauerunt eas per gyrum castrorum*, in quo quidem hærere saltèm debuissent, & consulere Moysen; siquidem Exodi 16. audierant, *colligat populus quæ sufficiunt per singulos dies*: eo vel maximè quòd dixerat Moyses; *repulistis Dominum, qui in medio vestri est*: medium autem ex D. Thoma in Apocalypsis com-
A Apoc. 8. mentario 2. ibi *per medium cæli*, ᴬ est nota communitatis: Quare, aio ego, Dominum sibi omnibus prouisum, abiecta sollicitudine, credere poterant, & debebant: meritò ergo concitatur Dominus ad eos puniendos, *qui tarditatem, supplicij grauitate compensat*. Quod ait Valerius.

10 Ex his morale multiplex, quoad Eucharistiam attinet, trahit D. Thomas; Et quidem
B Op. 58. c.25. in primis astruens debitam tanto Sacramento ᴮ præparationem, id recolit, *sanctificamini; cras comedetis carnes*. Deinde, inquit, tertium præparatiuum est orationis deuotio: psalmo 104. *petierunt, & venit coturnix*. Et contrà indignè
C opusc. c.18. sumentes ferens Apostolum ᶜ primæ Cor. 11. *qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat*, &c. idest ad iudicium mortis se obligat: & multi alij propter scelus vnius sæpe feriuntur: vnde sequitur; *ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, scilicet somno mortis, vel Dei verbere, vel præliorum aduersitate, Numeri 11. *adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini*, &c.

Et si roges, quomodò opportunè hęc dicantur? Respondeo, satis superque: siquidem cùm pisces & alia concupiscerent, de carne solùm voluit miraculosè ipsis prouidere: & quemadmodù dicturi erant Iudæi, *quomodo potest hic nobis*, Io. 6. *dare carnem suam ad manducandum?* ita curiosè, etsi non infideliter ait Moyses; *sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis, dabo eis esum carnium mense integro?* Præterea quæ nausia hic prædicitur, infrà in mannæ figura agnoscitur, cùm dixerunt, c. 21. *anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo*: ex quo Chrysostomus hom. 60. ad populum Antiochenum; *accedat nemo cum nausea, nemo resolutus*. Denique dùm, cùm adhuc carnes erant in dentibus eorum, plectuntur eos repræsentant, *qui non manent in Christo, & in quibus non manet Christus, qui proculdubio non manducant eius carnem*, &c. *licet carnaliter premant dentibus sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi*; vt ait Augustinus Tractatu 26. in Ioannem. No-
D 1. Cor. 10.1.2. tandum est autem, inquit ᴰ S. Doctor, quòd sicut in bonis longè melius est quod figuratur, quàm ipsa figura; vt Regnum cœlorum, quàm terra promissionis: ita in malis longè peius est figuratum, quàm figura significans. Secundùm Augustinum autem illa supplicia quæ sustinuerunt, figura gehennæ fuerunt, quæ omni pœna maior est. Et quid mirum ergò, addo ego, si per ignem deuorati sunt? quod omnes legunt versu 1. Ignis inferni est huiusmodi: vnde Isaiæ 33. habemus, *quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cùm ardoribus sempiternis?* Et ideò quoniam etiam ad preces Moysi *absorptus est ignis*, vt exponunt, *sub terras*, dicendus fuit ignis inferni. Incensio etiam appellatus est locus ille: quo nomine ceu abstracto, nihil acerbius, nil sæuius. Sed qui locus sortitur hoc primò nomen: appellatur tandem in calce capitis, *sepulchra concupiscentiæ*. Tale autem dici potest verè Infernus, in quo erunt iuxtà Isaiam c. 66. *cadauera virorum, qui præuaricati fuerint in Dominum*. Et quoniam dicitur *furor Domini concitatus*, indicat & hoc infernales figurari pœnas: iuxtà quod D. Thomas, exponens illud ps. 37. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*; inquit: furor Dei ardet in Inferno; ira in Purgatorio; sagitta, siue correptio amoris, in hoc mundo. Opusculo 58. c. 25. Benè autem extremam castrorum partem deuorat ignis, quia Lucæ 9. *nemo mittens manum suam in aratrum, & aspiciens retrò, aptus est Regno Dei*: quocirca Beda in Catena: *si quis ad ea quæ reliquerat respicere delectatur, futuri iam regni munere priuatur*. Quadrat in præsenti hæc expositio, quoniam & isti relicta in Ægypto concupiere. Sic Chrysostomus, Ioan. 6. ibi: ex hoc; *multi discipulorum eius abierunt retrò*; abeat, inquit, *quæ secundum virtutem est, auditione, & quam habebant olim fidem perdiderunt*. Idem Ioannes refert ex Domino; *Non sicut manducauerunt Patres vestri manna, & mortui sunt*: Vbi Aug. qui suprà, *quare mãducauerũt, & mortui sunt? quia quod videbant credebant, quod non videbãt non intelligebant: Moyses autem Aaron Phinees, & alij multi, visibilẽ cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierũt, spiritaliter gustauerũt, vt spiritaliter satiarentur*. Illos ergo meritò deuorauit ignis, nõ istos. Sed inter figuram, & figuratum discrimen est. Ignis inferni inextinguibilis perhibetur Matthæi 3. Ignis autẽ, qui figura, ne deuoraret in gyrũ extinctus fuit. Hoc illis præstitum beneficium recolit Dauid in psalmo, *vox Domini intercidentis flammam ignis* ᴱ nàm commemorat quando liberati sunt à malo inflicto diuinitùs, Numeri 11. E ps. 28.
ad leuationem manus Moysi extincto igne. Et Apostolus Hebræor. 11. *extinxerunt impetum ignis*; cùm ad preces Moysi ᶠ & Aaron extinctus est ignis, qui missus à Domino deuorabat populum murmurantem, sicut patet Numeri 11. & 16. Ignis iste est interior motus concupiscentiæ, vel iræ: qui ergo refrænat illum motum, extinguit impetum ignis: ps. 57. *supercecidit ignis, & non viderunt Solem*: hæc D. Thomas. F Hebr. 11.1.7.

Et si curiosiùs inquirat quis, cur potiùs per coturnices & hic & Exodi 16. quàm per aliorum animalium escam eorum desiderijs indulserit. Respondeo, voluisse fortè Dominum, vt vel ex eiusmodi volatilium agminibus, discerent ducatum Moysi & Aaron non detrectare, quando animaliuscula, quæ libero volatu expatiari possunt, maioris auis sequuntur ductum. Scribit quippe Philosophus 8. de Historia Animalium, 12. capite, quæ mox audis. Coturnices cũ abeunt, ducibus lingulata Oto, & matrice proficiscuntur, 11

atque etiam Cynchramo, à quo itidem reuocantur noctu: cuius vocem cum senserint aucupes, intelligunt parari discessum. *Matrix*, siue *ortygometra*, quæ sonat matricem coturnicum, memoratur quoad præsens attinet, Sapientiæ 19. *in allocutione enim desiderij ascendit illis de mari Ortygometra*. Et priùs capit. 16. *Quibus dedisti concupiscentiam delectamenti tui nouum saporem; escam parans eis ortygometram; vt illi quidem concupiscentes escam, propter ea, quæ illis ostensa, & missa sunt, etiam à necessaria concupiscentia auerterentur*. Et ecce quomodo instar Ortygometræ allocutus fuerat Dominus Moysen: ait enim: *nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam; vt dicas mihi: porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti Patribus eorum?* Moyses ergo vices matricis obibat.

VERSVS XXXIII. *Adhuc carnes*, &c.

In primo Commentario [a] habemus reprehendi, qui nimis pretiosa & delicata concupiscunt: & quomodo, ex gulæ peccato infirmitas & mors acceleret: Eccl. 37. *propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est adijciet vitam*. Aduerte tamen ex D. Thoma in vtroque scripto 4. Sentent. d. 45. q. 2. a. 1. in ipso mortis articulo pœnitentiæ fuisse locum, iuxtà illud ps. 77. *cum occideret eos, quærebant eum*. & Iob. 15. *etiam si occiderit me, in ipso sperabo*.

[a] Apoc. 16. post medium.

C A P V T XII.

He. 11. 8. 2. Exod. 13. c. 11. 1 LOcutaque est Maria, & Aaron contra Moysen propter vxorem eius Aethiopis-
sam, 2 & dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne &
nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus, 3 (Erat enim Moyses
vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra) 4 statim locutus est ad eum,
& ad Aaron, & Mariam: Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis. Cumque
fuissent egressi, 5 descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vo-
cans Aaron, & Mariam. Qui cum issent, 6 dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis
fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.
7 At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: 8 ore enim
ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt. Quare ergo
non timuistis detrahere seruo meo Moysi? 9 Iratusque contra eos, abijt: 10 nubes quo-
que recessit, quæ erat super tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix.
Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra: 11 ait ad Moysen: Obsecro
domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus, 12 ne fiat hæc quasi
mortua, & vt abortiuum, quod proijcitur de vulua matris suæ, ecce iam medium carnis
eius deuoratum est à lepra. 13 Clamauitque Moyses ad Dominum, dicens: Deus, obse-
cro, sana eam. 14 Cui respondit Dominus: Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne
debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, &
postea reuocabitur. 15 Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: & populus
non est motus de loco illo, donec reuocata est Maria.

VERSVS III. *Erat enim Moyses vir mitissimus*.

VERSVS VII. *At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est*.

VERSVS VIII. *Palam* &c. *Deum videt*.

Si bene attendimus, ait S. Doctor, [A] hìc magis commendatur Moyses quàm in aliquo alio loco Bibliæ. Huiusmodi autem commendatio, in tribus suprà positis præcipuè consistit. Et quidem de ingenti clementia: In hoc [B] enim conueniunt fideles, & infideles, quòd clementia necessaria sit Principi: & propterea Dominus primum Principem populi sui Moysen constituit, qui erat *mitissimus* super omnes homines &c. & 3. Regum 20. legitur, *audiuimus quòd Reges domus Israel clementes sint*. Totum caput illud est de clementia. Deinde commendatur de fidelitate. Apostolus citato loco ad Hebræos hanc commendationem Moysi appropriat Christo secundùm humanitatem: siquidem non attribuit sibi quod habebat, sed Patri, Ioannis 5. *Doctrina mea non est mea*. Secundò, quia gloriam eius quærebat, non suam Io. 8. *ego gloriam meam non quæro*. Tertiò, quia perfectè obediuit Patri, Philip. 2. *factus obediens*, &c. Moyses tamen & ipse fidelis fuit, quatenùs intentio eius in omnibus ordinabatur in Deum, & ad bonum commune. S. Doctor notat [C] seruum infidelem eum, qui non habet intentionem ad bonum commune. Et in Matthæum, [D] illi, qui in recto fine intentionem constituunt, non intendunt quod sibi vtile sit, sed quod multis, vt salui fiant: Et hoc totum propter gloriam Dei rectè operantur. Et sequitur: Notate quòd nominat seruum; quia omnis actio serui retorquetur in Dominum: sic omnis actio Prælati referri debet in Deum. Sed quare dicit, *quis putas*? quia pauci sunt fideles; Philip. 2. *omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi*. Prouerb. 20. *virum autem fidelem quis inueniet*? En, aio ego, fidelissimus Moyses. Ex his, non potuit Aaron non suffundi rubore, cogitans, & recogitans, quàm infidelis fuerat Domino, vitulum conflans populo Idololatræ.

Sed parua laus est hæc Moysi. Emicat eius ad alios comparatio, qui per somnium, & vi-

sio-

[A] Heb. 3. l. 1.
[B] Op. 41. l. 1. c. 14.
[C] Cp. 1. 37. 4.
[D] Matt. 4.

E 1. p. 7. 8. 1. F 2. 2. 174. 4. & de verit. 12. a. 14.

sionem perceperunt diuina, quando ipse palàm, & non [E] per ænigmata Deum vidit. Docemur quippe [F] Moysen fuisse excellentissimum Prophetarum. Deuteronom. vltimo; *non surrexit Propheta vltra in Israel, sicut Moyses*. Et quidem non solum quantum ad imaginariam visionem, quam quasi ad nutum habebat, non tantùm audiens verba, sed & videns loquentem, etiam in specie Dei; non solùm in dormiendo, sed etiã in vigilando: vnde dicitur Exodi 33. quod *loquebatur ei Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*: Sed etiam quantùm ad visionem intellectualem, eo quòd vidit ipsam Dei essentiam sicut Paulus in raptu, vt Augustinus dicit 12. super Genesin ad literam, capit. 3.

G Ps. 50.

Alibi hæc eadem tradit. [G] Moysi facta est reuelatio, supernaturalis, & intelligibilis veritatis, absque nebula imaginationis phantasticæ. Et iterùm; aliquando aliquis reuelationem diuinam frequentem, & diuturnam habet, sicut dicitur de Moyse Exodi 33. [H] Rursusque ad Corinth. De Moyse autem quòd viderit Deum per essentiam, patet; nàm ipse à Domino [I] petiuit Exodi 33. *ostende mihi faciem tuam*: & licèt tùnc negatum fuerit sibi, non tamen dicitur quòd Dominus finaliter negauerit ei: vnde dicit Augustinus, quòd concessum fuit Ei, per hoc quòd dicitur Numeri 12. *At verò, non talis seruus meus Moyses: palam enim, & non per ænigmata videt Deum*.

H Iob. 4. 13.

I 2. Cor. 12. l. 1. & 3. p. 12. 11. 2. & de verit. 10. a. 11. ad 1.

Et si dicas, non videri hìc fieri sermonem de visione per essentiam, siquidem dicitur, *ore ad os loquor ei*. Respondetur cum eodem [L] S. Doctore, secundùm interiorem actum animæ, idem esse auditum, & visum. Dicitur autem visio in quantùm Deus videtur; & locutio, in quantùm homo instruitur de diuinis. Quæ ibi raptui Apostoli item quadrant, *audiuit* enim *arcana verba*, pro *vidit*. Sed tamen cum dicitur loqui *ore ad os*, non os corporis, sed os mentis intelligendum est, vt ait August. nàm aliàs visio contemplationis viæ fit mediante illuminatione Angelorum; vt patet per Dionys. 4. cap, cœlestis Hierarchiæ: & ideò non potest dici secundùm illam *loqui ore ad os*, sed quasi per internuncium, quare signanter hìc exprimitur. Huiusmodi autem visio, non semper, sed ad tempus fuit in Moyse; quamuis illud tempus in Scriptura non determinetur; quæ traduntur in 4. 49. 2. 7. 4.

L loc. cit. 12.

3 Omnia ergo, quæ prophetæ acceperunt, non acceperunt [M] nisi in similitudinibus somni vel visionis. In quibus tamen reuelabatur etiam supernaturalis [N] & intelligibilis veritas; sicut Isaiæ 6. *vidi Dominum sedentem*: quæ quidem fuit altissimo in gradu, videndo in specie Dei, vt habes [O] in 22. Dicit autem textus; *in visione apparebo ei, vel per somnium*: & ly *in visione* sonat [P] in vigilando: quæ quidem prophetia visionis perfectior est somnio, vt quæst. 174. citata patet, quia maior vis prophetici luminis esse videtur, quæ aliquem occupatum circa sensibilia in vigilando, abstrahit ad supernaturalia, quàm illa, quæ animam hominis abstractam à sensibilibus inuenit in dormiendo. Radicem autem horum attigit S. Doctor, [Q] quia cum corpus humanum ratione suæ corruptibilitatis impediat animam, & retardet, vt neq; continuæ contemplationi insistere valeat, neque ad summum contemplationis peruenire: homines per abstractionem à sensibus corporis, aptiores redduntur ad diuina quædam capienda: nàm propheticæ reuelationes dormientibus, vel in aliquo excessu mentis existentibus manifestantur, secundùm illud Numeri 12. *si quis fuerit* &c. Quod alibi pertractatur, præcipuè de veritate q. 13. a. 9. & q. 8. a. 13. ad 3. Communiùs ergò videtur fieri reuelatio per somnium, ministerio scilicet Angelorum, iuxta illud Iob. 33. *Per somnium visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lecto suo, tùnc aperit aures virorum* &c. vt admoneantur in somnis, de ijs quæ pertinent ad eorum salutem, vt tangit S. D. [R] alibi; tempus enim nocturnum propter quietem, [S] magis est congruum reuelationibus percipiendis; in die enim tumultus, & occupatio sensuum sunt impedimento.

M de veritate 12. a. 9. ad 2. N Ps. 50. O 2. 2. 174. 1. P 2. 2. 173. 3. 3. & de veritate 12. a. 13. Q op. 2. c. 167.

R 2. 2. 95. 6. & op. 25. c. 4. S Iob. 4. 13.

4 In huiusmodi tamen somno, quoniam non naturalis est, sed propheticus, viget vsus liberi arbitrij: vnde & mens prophetæ illustratur de ijs quæ in visione imaginaria videntur, cognoscendo eas non esse res, sed aliqualiter rerum similitudines, de quibus certum iudicium hab[et] per lumen mentis. De quibus D. Thomas, [T] citatis è regione locis. Ex his alibi, nimirum contra Gentes, [V] colligit Spiritum-Sanctum verum esse Deum; nàm constat Deum esse locutum per prophetas: sed qui locutus est, est Spiritus Sanctus, Actorum 1. *oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus-Sanctus per os David*: & sic pluries: ergo.

T de veritate 12. 9. & 28. 6. & p. 113. 3. 2. V 4. cont. G. c. 17.

5 Post hæc operæ pretium est, occasionem scrutari ex qua sibi complacuit Dominus, ita Moysen super alios commendatum extollere; & certè id fuisse credendum est, ad reparandam eiusdem honorificentiam, cui detraxerant soror & frater: quemadmodum & in psalmo 108. dicitur; *Deus laudem meam ne tacueris; quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est*. In quodam Sermone [X] S. Doctor recensens plures moraliter species lepræ, inquit: secundus leprosus est blasphemator & detractor; *locuta est Maria & Aaron contra Moysen*, Numeri 12. Blasphemia enim non solùm est in Deum, sed & in Sanctos vt patet 22. [A] & talis fuit illorum detractio in sanctum Moysen, in eo etiam in quo sanctitas eius elucebat, nimirùm prophetiæ dono: *per quæ peccat quis*, habemus Sapientiæ 11. *per hæc & torquetur*. Pestilens est qui detrahit, quia inficit alios; sicut aiebat Bernardus l. 2. de consideratione ad Eugenium circa finem: *detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit non facilè dixerim*. Fœdat etiam detractor alterius famam: vnde Maria, quæ auctrix colligitur fuisse oblocutionis, meritò lepra, quæ infectiua lues est, punienda fuit. *Locuta est*, inquit, *Maria, & Aaron contrà Moysen*. Fuit autem *lepra candens*, vt vel inde disceret, quomodo iniuria Moysen denigrauerat: & instar niuis fuit candor: ex quo possit per disciplinam moneri, potiùs (quod & nix facit) operienda esse proximi nostri mala, per honestam excusationem, piamque interpretationem, quoniam Prouerb. 10. *vniuersa delicta operit charitas*: quæ vt ait Apostolus 1. Cor. 13. *non cogitat malum*. Et quia aiebat idem ad Galat. c. 5. *quòd si inuicem mordetis & comeditis, videte ne*

X Serm. Dom. 14. ex Euangel.

A 2. 2. 13. 1. 2.

ab

ab inuicem consumamini : quod ad famæ detractionem attinet. [B Galat. 5.l.3.] [B] ideò in pœnæ promeritum: *ecce iàm medium carnis eius, deuoratum erat*. Videntur autem serpsisse detractionis voces in populum; vnde & coram populo innotuit condigna vltio: iuxtà illud, *publicè peccantes publicè argue*; ex quo populus ipse poterat erudiri, altè sentiendo de Moyse, cuius encomia in aure duorum, in quibus staret verbum, veritas ipsa texuerat. *Audite sermones meos*: &c. Quare autem non fuerit punitus & Aaron, nisi fortè occultè, crediderim ad vitandum scandalum, sicuti Exodi 32. dictum est. Res est abstrusior, quænam indiuidua extiterit causa iurgiorum, quæ deinde in detractionem deflexerunt. Varia variè diuinant interpretes; cùm ex litera solùm id clareat, vt acciderit propter vxorem Moysi Æthiopissam. Ipse ne pedarius rei huiùs sim iudex, ratus sum, perturbationis occasionem fuisse, eoquòd Maria ægrè ferret vxorem Moysi, tanquam extraneam, in familia Dominam esse, atque ceu talem, in morem illius Saræ Tobiæ 10. quæ inter cœtera monita, audiuit sibi iniunctum esse, *regere familiam & gubernare domum*; compellari, & agnosci. Et quoniam Moyses matrimonij iura tutatus id intendebat, potuit soror exinde contrà eum loqui: *locutaque est Maria & Aaron contrà Moysen, propter vxorem eius* &c. S. Doctor [C Hebr. 3.l.1.] Hebræorum 3. inquit, [C] iurgati sunt contrà Moysen Aaron & Maria. Hinc opportunè perhibetur Moyses mitissimus, dùm nec iurgijs prouocatur ad iram, sed Domino relinquit causam suam.

Et sanè non possum adduci, (quod quidam dixere) vt putem instaret Maria, dimitti à Moyse vxorem tanquam alienigenam; neque enim verosimile est, vt in ijs quæ ad Religionem pertinent, præsumeret muliercula Moysi esse grauis: præcipuè, quoniam vt dictum est Exodi 2. creditur ad fidem conuersa: potiùs igitur fuit illi Æthiops exosa, eoquod tanquam prior domi haberetur: non secus ac simili ex causa consueuit inter socrum & nurum esse æmulatio, vnde refertur Hieronymus op. 41. l. 5. c. 60. *omnes socrus vno animo oderunt nurus*. Duo autem sunt in contextu, quæ meditationi huic adstipulantur: & quidem ex verbis Domini; primò enim commendatur Moyses pro summa fidelitate in omni domo; quatenùs noluerat fraudare coniugem suam de societate in dispensatione familiæ. Deinde dicitur obsecranti pro sorore Moysi, *si Pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi?* quorsum rogo, hæc ait Dominus? Deuteronomij 25. si aliquis nolebat accipere vxorē fratris sui, conspuebatur in [D Matth. 26.] faciem illius: sed hoc memorato, S. Doctor [D] ibi, *tùnc expuerunt in faciem eius*: adiecit; item spuebatur propter contemptum mandati paterni. Quare colligo, hoc in genere peccasse Mariam, contemnendo mandata Moysi: qui licèt eius esset frater; attamen Patris munia obibat in [E Ephes. 2.l.6.] Domo siue in familia: nàm vt tradit [a] alibi, qui sunt in collegio domus, reguntur ab vno qui vocatur Pater-familias: & qui sunt in collegio ciuitatis, reguntur à Rege. Non videtur autem Maria fuisse alterius mandati contemptrix, dum propter vxorem Æthiopissam obloquitur, nisi de primatu domestico, quem adiudicatum vxori, ne contenderet soror volens aut æquiparari aut præcedere, authoritatis imperio tuebatur Moyses.

Verùm haùd crediderim ego, hæc nobis 6
enarrari dumtaxat ad literæ historiam: siquidem potuissent adnecti 2. Exodi capiti, vbi quomodo acceperit Moyses vxorem, atque ex illa procreauerit filios. Igitur dùm hic interferuntur, quando proficiscuntur ad terram promissionis, argumento est, ad anagogen cuncta esse referenda. Christus quippe per suam passionem [F] aperuit nobis ianuam Regni cęlestis [F 3.p.4.5.]: sicuti Hebræor. 10. *habemus fiduciam*, ait Paulus, *in introitu Sanctorum*, *scilicet* Cœlestium, *in sanguine Christi*: & Micheæ 2. *ascendit pandens iter ante eos*. Iàm autem suprà Exodi præfato 2. capite Moysen vidimus fuisse in typum Christi: quare non erit absonum, hanc illius vxorem stare pro Ecclesia gentium, quam sibi desponsauit in fide. Lucæ 11. ad illa verba, *Regina Austri*, habemus in aurea catena Gregorium Nissenum dicentem; *sicut autem illa Regina erat Æthiopum, & longè distans; sic in principio nigra erat Ecclesia Gentium, & multùm distabat à veri Dei notitia*. Vt autem inquit Cyrillus in eadem catena Lucæ 13. ibi, *cùm videritis Abraham Isaac & Iacob; Iudæis, qui primum locum tenebant, prælatæ sunt Gentes*; iuxta quod Actor. 13. *constanter Paulus & Barnabas dixerunt*, (Iudæis) *vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis, conuertimur ad Gentes.* Igitur cū & soror Moysi & Aaron congruè pro Iudæorum populo sumi possint, nàm Christus ex Iudæis *est secundùm carnem* Roman. 9. benè inducitur locutam fuisse *Mariam & Aaron* contrà Moysen propter vxorem eius Æthiopissam; quando Actorum 11. *disceptabant aduersùs Petrum qui erant ex circumcisione dicentes, quare introisti ad viros præputium habentes?* & c. 13. *Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant ijs quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.* Sic Beatus Theodoretus in Exodum quærens, *quam obrem vxorem alienigenam* Moyses duxit? Respondet; *typus erat Christi Domini; qui cum ex Iudæis secundùm carnem natus esset, Ecclesiam Gentium appellauit sponsam suam*. Ita Ex. 2. Sic Cantic. 1. D. Thomas illa verba, *nigra sum, sicut tabernacula Cedar*, adaptat Ecclesiæ primitiuæ perturbatæ & despectæ à gentilibus: immò & à Iudæis; *filij matris meæ pugnauerunt contra me*.

Roboratur quod dictum est, quia Apostolus [a] teste S. D. [G Heb 1.l.1.] valde diligenter notat verba illa scripta de Moyse: in quibus duo dicuntur de ipso: vocatur enim *seruus*, vocatur etiam *fidelis*, non in domo propria, sed *in domo Dei nostri*. Dicit autem fuisse fidelem Moysen tanquam seruum, idest sicut fidelem dispensatorem Matth. 25. *Euge serue bone & fidelis*; & fuit famulus Dei, in verbis Dei proponendis filijs Israel: ex quo patet, quòd quia erat fidelis famulus, illa quæ dicebat, ordinabantur ad alium, scilicet ad Christum, Ioannis 5. *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit*. Et ad Christum respicit etiam quod *de Domo* dicitur; siquidem ait idem Apostolus; *amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quantò ampliorem honorem habet Domus, qui fabricauit illam*. Sap. 9. *Sapientia ædificauit sibi Domum*, idest, *Ecclesiam*:

ipse

ipse enim Christus, per quem *gratia & veritas facta est*, tanquam legislator ædificauit Ecclesiam: & sic adiecit Paulus, *quæ Domus sumus nos*; nàm ista Domus sunt fideles, & sunt Domus Christi qui credunt in Christum 1. Tim. 3. *in Domo Dei quæ est Ecclesia*: & etiam, quia Christus habitat in ipsis, Philipp. 3. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Plura autem sunt in Domo, quæ non sunt in tabernaculo. Hæc ex D. Thoma: vnde signanter in figuram videtur fieri mentio *de Domo: in omni domo mea fidelissimus est*. Quemadmodum autem aiebant Maria & Aaron de Moyse, sic homines de Christo Matthæi 16. alij *vnum*, absque vlla præcellentia, *ex prophetis*, ipsum esse dixerunt. Sed ipse Dominus iratus contra eos, *abijt*, postquam in nube carnis locutus est ad eos. Lucæ 19. *abijt in regionem longinquam*: tuncque *nubes recessit, quæ erat super tabernaculum* vt hìc legitur, quia legalium vmbrarum obseruatio non vltrà tenuit: falsorum lepra dogmatum, iusto Dei permissu, Iudææ sobole infecta: donec clamante mystico Moyse, sanetur post septiduum, & reuocetur Iudæa, cùm *reliquiæ saluæ fient*. Quæ cuncta suggerere videtur Spiritus-Sanctus Deuterouomij 24. vbi legitur, *mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ, in via cum egrederemini de Ægypto*.

CAPVT XIII.

1 PRofectusque est populus de Haseroth fixis tentorijs in deserto Pharan, 2 ibique
locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 3 Mitte viros, qui considerent Terram
Chanaan, quam daturus sum filijs Israel, singulos de singulis tribubus, ex princi-
pibus. 4 Fecit Moyses quod Dominus imperauerat, de deserto Pharan mittens principes
viros, quorum ista sunt nomina. 5 De tribu Ruben, Sammua filium Zechur. 6 De tribu
Simeon, Saphat filium Huri. 7 De tribu Iuda, Caleb filium Iephone. 8 De tribu Issachar,
Igal filium Ioseph. 9 De tribu Ephraim, Osee filium Nun. 10 De tribu Beniamin, Phalti
filium Raphu. 11 De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi. 12 De tribu Ioseph, sceptri
Manasse, Gaddi filium Susi. 13 De tribu Dan, Amiel filium Gemalli. 14 De tribu Aser,
Sthur filium Michael. 15 De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapsi. 16 De tribu Gad,
Guel filium Machi: 17 hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam
Terram: vocauitque Osee filium Nun, Iosue: 18 misit ergo eos Moyses ad considerandam
Terram Chanaan, & dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneri-
tis ad Montes, 19 considerate Terram, qualis sit: & populum qui habitator est eius, vtrum
fortis sit an infirmus: si pauci numero an plures: 20 ipsa terra, bona an mala: vrbes quales,
muratæ an absque muris: 21 humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus.
Confortamini, & afferte nobis de fructibus Terræ. Erat autem tempus quando iam præ-
coquæ vuæ vesci possunt. 22 Cumque ascendissent, explorauerunt Terram à deserto Sin,
vsque Rohob, intrantibus Emath. 23 Ascenderuntque ad meridiem, & venerunt in He-
bron, vbi erant Achiman, & Sisai, & Tholmai filij Enac, nam Hebron septem annis ante
Tanim vrbem Aegypti condita est. 24 Pergentesque vsque ad Torrentem botri, absci- Deut. 1 d.24.
derunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri. De malis quoque gra-
natis, & de ficis loci illius tulerunt: 25 qui appellatus est Nehelescol, id est, Torrens bo-
tri, eo quòd botrum portassent inde filij Israel. 26 Reuersique exploratores Terræ post
quadraginta dies, omni regione circuita, 27 venerunt ad Moysen, & Aaron, & ad om-
nem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis, & omni
multitudini ostenderunt fructus Terræ: 28 & narrauerunt, dicentes: Venimus in terram,
ad quam misisti nos, quæ re vera fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus cognosci potest:
29 sed cultores fortissimos habet, & vrbes grandes, atque muratas. Stirpem Enac vidi-
mus ibi. 30 Amalec habitat in meridie. Hethæus, & Iebusæus, & Amorrhæus in mon-
tanis: Chananæus verò moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis. 31 Inter hæc Caleb
compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, & possidea-
mus Terram, quoniam poterimus obtinere eam. 32 Alij verò, qui fuerant cum eo, dice-
bant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. 33 De-
traxeruntque Terræ, quam inspexerant apud filios Israel, dicentes: Terra, quam lustra-
uimus, deuorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. 34 Ibi
vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi lo-
custæ videbamur.

VERSVS III. *Mitte viros qui considerent terram Chanaam &c.*

Intentio, & contentio Moysi ex S. Doctore [A] fuit, vt statim exeuntes de Ægypto, venirent in Cades atque intrarent terram promissionis. Sanè moram in deserto ad quadraginta annos, illis fuisse in pœnam sceleris, constat ex capire sequenti, dicente Domino: *iuxtà numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram*,

1 A Ps. 28.

annus

annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates vestras: vnde Deuteron. 8. *adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, vtrùm custodires mandata illius, an non*. Quamuis autem calleret Moyses, vel desuper accepta à Deo cognitione, regionem illam: vnde illius describuntur quatuor termini infrà c. 34. & hic docet eos per quam plagam ascendere debeant, nempe per meridianam: attamen, quoniam plùs irritant animos quæ sunt oculis subiecta fidelibus, seliguntur, vt suauiter disponantur ad illam acquirendam, qui possint visa referre, duodecim viri; iuxtà quod poposcerant Iudæi, de quibus Deuteronomij 1. ait Moyses, *accessistis ad me omnes, atque dixistis: mittamus viros, qui considerent terram* &c.

VERSVS XXI. *Erat autem tempus, quando iam præcoqua vua* &c.

2 Quoniam Zachariæ 8. inter cætera Iudæorum ieiunia, memoratur ieiunium quinti mensis, [B] obseruat fuisse ieiunium mensis Augusti, qui apud ipsos est quintus mensis, cùm Aprilem pro primo habeant. Seruabant autem in eo ieiunium, eoquòd cùm propter exploratores seditio esset orta in populo, iussi sunt in montem non ascendere. Patet hoc, capite sequenti. Addit in hoc mense à Nabuchdonosor, & posteà à Tito templum Hierosolymis fuisse incensum. Cohæret id textui, siquidem tùnc *præcoquis vuis poterant vesci*. Quod quidem ipse accipio, cum propè esset exploratorum regressus: si enim primò euntibus præcoquæ fuissent vuæ, peragrando quadraginta dies, non vltra inuenissent botros, facta vindemia. Et iam S. Doctor Augustum fuisse perhibet, cùm iussi sunt non ascendere montem: certè post exploratorum relata.

B 2. 2. 147. 5. ad 2.

VERSVS XXV. *Qui appellatus est Nebelescol, idest Torrens botri, eoquod botrum portassent inde filij Israel.*

Botrus dicitur illud, quod est in acino. Botrio autem botrionis, dicitur illud quod exit à sarmento turgente. Largè autem dicitur illud turgidum, quod exit de palmite: quod posteà floret. Canticor. 2. *Botrus Cypri*. Largissimè autem accipitur pro vua, vt Numeri 13. hæc. [C] D.Th. in secundo Commētario, ibi: *Et vindemia*.

C Apoc. 14.

VERSVS XXIX. *Stirpem Enac vidimus ibi.*

Gigantes multò plures [D] fuerunt ante diluuium quàm post. Et sanè ex textu superiori tres dumtaxat recensentur, nimirùm *Achiman*, & *Sisai*, & *Tholmai*, filij Enac, qui tandem 1. Iudicum nominatim referuntur percussi. Non eo inficias, alios fuisse præter istos, de stirpe Enacim, quos interfectos à Iosue legimus Iosue 11. sed fortè non adeò robustos & proceros: vel certè hos tres dumtaxat viderant exploratores: ex quo vili ignauoque animo perterriti, ac de diuina ope diffisi, *detraxerunt*, vt hic dicitur, *terræ, quam inspexerant*; atque, vt ait Caleb Iosue 14. *dissoluerunt cor populi*. Non sic ipse qui compescere studuit murmur; neque Iosue, qui vt mox audiemus, capite sequenti populum sedare atque animare satagit, vnde Ecclesiastici 46. in eorum commendationem dicitur; *& in diebus Moysi misericordiam fecit, ipse* (Iosue) *& Caleb filius Iephone, stare contrà hostem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ*, & infrà c. 32. *subuerterunt cor filiorum Israel, vt non intrarent fines, quos eis Dominus dedit*. Ex *malitia* verbo & *subuersionis*, innotescit, magis ex prauitate animi, quàm ex metu cordis, incommoda regionis exaggerasse, & plura atque maiora commentos esse: quare in proximo capite, sibi detractum esse dolet dicens; *nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam*: Et neque Iosue, neque Caleb leguntur ad illos reuocandos verbum promptisse; eoquòd ex malitia peccantes vix corripiuntur. Insudarunt quidem pro populo, sed toties Deo rebelles fermè eos lapidibus opprimit. Quàm inexpiabile detrahentium piaculum, tantam & auertisse à Deo, & concitasse multitudinem! Quod tamen imperscrutabili diuini iudicij arcano permissum est: quamquam documenta salutis, ex eiusmodi rerum serie nobis abundè, Domino sic disponente, proueniant; vt iàm iàm patebit.

D p.p. 51. 3.6.

Perpendit autem S. Doctor, exploratores [E] istos figuram fuisse acediosorum; qui gloriam strenuitatis amittunt. Contrà hos videtur dixisse Dominus: *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* Matth. 11. eoquod vt in Apocalypsin ait, [F] quantumcumque quis sit prædestinatus, oportet quòd per industriam liberi arbitrij se disponat ad coronam, alioquin non est prædestinatus, nec saluabitur; Deus enim prædestinans exigit conatum liberi arbitrij. 3

E 1. Cor. 9. l. 1.

F Apoc. 1. comm. 2.

CAPVT XIV.

1 IGitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa, 2 & murmurati sunt contra Moysen
& Aaron cuncti filij Israel, dicentes: 3 Vtinam mortui essemus in Aegypto, & in
hac vasta solitudine vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in Terram
istam, ne cadamus gladio, & vxores, ac liberi nostri ducantur captiui. Nonne melius est
reuerti in Aegyptum? 4 Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, &
reuertamur in Aegyptum. 5 Quo audito Moyses, & Aaron ceciderunt proni in terram
coram omni multitudine filiorum Israel. 6 At verò Iosue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipsi lustrauerant terram, sciderunt vestimenta sua, 7 & ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt: Terra, quam circuiuimus, valdè bona est. 8 Si propitius
fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte, & melle manantem. 9 Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem
ita eos possumus deuorare: recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite

Eccl. 46. b.9. 1. Mac. 2. f.55.56.

me-

metuere. 10 Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, ap-
paruit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filijs Israel. 11 Et dixit Dominus ad
Moysen: Vsquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus
signis, quæ feci coram eis? 12 Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem
faciam principem super gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc est. 13 Et ait Moyses
ad Dominum: Vt audiant Aegyptij, de quorum medio eduxisti populum istum, 14 &
habitatores Terræ huius, qui audierunt, quòd tu Domine in populo isto sis, & facie videa-
ris ad faciem, & nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in Exod. 13. d.21.
columna ignis per noctem: 15 quòd occideris tantam multitudinem quasi vnum homi-
nem, & dicant: 16 Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat: id- Exod. 32. f.28.
circo occidit eos in solitudine. 17 Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut iurasti, di- Psal. 102. b.8.
cens: 18 Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera, nul- Exod. 34. a.6.
lumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam, & quartam
generationem. 19 Dimitte, obsecro, peccatum populi huius secundum magnitudinem
misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Aegypto vsque ad locum istum.
20 Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbum tuum: 21 Viuo ego, & implebitur gloria
Domini vniuersa terra. 22 Attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, &
signa, quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec
obedierunt voci meæ, 23 non videbunt Terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quis- Deut. 1. f.35.
quam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. 24 Seruum meum Caleb, qui plenus alio 101.14. b.
spiritu secutus est me, inducam in Terram hanc, quam circuiuit: & semen eius possidebit 6.
eam. 25 Quoniam Amalecites, & Chananæus habitant in vallibus: cras mouete castra,
& reuertimini in solitudinem per viam Maris rubri. 26 Locutusque est Dominus ad Moy-
sen, & Aaron, dicens: 27 Vsquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? que-
relas filiorum Israel audiui. 28 Dic ergo eis: Viuo ego, ait Dominus: sicut locuti estis
audiente me, sic faciam vobis. 29 In solitudine hac iacebunt cadauera vestra: Omnes, Psal. 10. b.26.
qui numerati estis à viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, 30 non intrabitis Deut. 15.
Terram, super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium f.41.
Iephone, & Iosue filium Nun. 31 Paruulos autem vestros, de quibus dixistis, quod præ-
dæ hostibus forent, introducam, vt videant Terram, quæ vobis displicuit. 32 Vestra ca-
dauera iacebunt in solitudine. 33 Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, &
portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in deserto, 34
iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis Terram: annus pro die imputa-
bitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionem meam: 35 Ezech. 4. b.8
quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit ad- Psal. 94. b.10.
uersùm me: in solitudine hac deficiet, & morietur. 36 Igitur omnes viri, quos miserat Iudith. 8.
Moyses ad contemplandam Terram, & qui reuersi murmurare fecerant contra eum om- c.24.
nem multitudinem, detrahentes Terræ, quòd esset mala, 37 mortui sunt, atque percussi 1.Cor.10. b.10.
in conspectu Domini. 38 Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone, vixerunt ex om- Heb. 3. d.17.
nibus, qui perrexerant ad considerandam Terram. 39 Locutusque est Moyses vniuersa Iudæ 1. b.
verba hæc ad omnes filios Israel, & luxit populus nimis. 40 Et ecce mane primo surgentes 5.
ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo
Dominus locutus est: quia peccauimus: 41 Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini
verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? 42 Nolite ascendere: Non enim Deut. 1.
est Dominus vobiscum: ne corruatis coram inimicis vestris. 43 Amalecites, & Chana- g.42.
næus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eoquòd nolueritis acquiescere Domino, nec
erit Dominus vobiscum. 44 At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca
autem testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris. 45 Descenditque Ama-
lecites, & Chananæus, qui habitabat in monte: & percutiens eos, atque concidens, perse-
cutus est eos vsque Horma.

VERSVS IV, *Dixeruntque alter ad alterum: constituamus nobis Ducem, & reuertamur in Aegyptum.*

Apostolus Hebræorum 3. *sicut* inquit *in exacerbatione, secundum diem tentationis in deserto*. Sciendum est, quòd tentare est experimentum sumere de re, quam quis ignorat; vnde quòd quis tentet Deum, procedit ex infidelitate. Sic isti tentauerunt Dominum, quandoque pro aqua, quandoque pro carnibus, quandoque pro pane, dubitantes de potestate Dei, ac si Deus non posset eis dare cibum; cùm potentiam suam in maioribus experti fuissent, & ideò erat peccatum infidelitatis, quod est maximum: & in eis adhuc grauius; quanto enim aliquis maiora beneficia Dei recipit; & maiorem certitudinem diuinæ potestatis habet, & postmodùm dubitat; tanto grauius peccat: isti

verò viderunt signa, & prodigia in terra Ægypti, apertionem maris, & alia miracula, & tamen non crediderunt. Vnde Numeri 14. *Homines qui viderunt Maiestatem meam, & signa, quæ feci in Aegypto, & in solitudine; & tentauerunt me iam decem vices.* Ita [A] ex D. Thoma, qui præmittit præsentem quoque culpam inobedientiæ, quam habuerunt in facto exploratorum: pro quo facto indignatus Dominus voluit totum populum delere: vnde iurauit, quòd nullus intraret terram promissionis, exceptis duobus, scilicet Caleb, & Iosue: Istud autem vocat specialiter exacerbationem; quia licèt per alia peccata offendissent Deum, tamen per hoc exacerbauerunt ipsum: quia sicut fructus acerbus qui opponitur maturo, non est aptus ad cibum: sic tunc ira Dei fuit inflexibilis. psal. 77. *Exacerbauerunt eum in deserto*; & Baruch 4. *exacerbastis eum, qui fecit vos.*

A Hebr. 3. l. 2. & 22. 97. 1.

VERSVS XXXV. *Quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, &c. in solitudine hac deficiet, & morietur.*

1 Commemoratur hæc iusta Dei vltio ab Iuda in Canonica; tametsi de alijs etiam vindictis possit intelligi: *Quoniam*, inquit, *Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit*: morte communi, ait ibi [B] S. Doctor, scilicet omnes à viginti annis, & supra, exceptis Iosue & Caleb. (de quo & tu recole Iosue 5. *omnis populus, qui egressus est de Aegypto generis masculini, vniuersi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus.*)

B Iudæ Epist.

Quæres Primò, num alij præter recensitos bellatores mortui sint in deserto? Respondeo ex Scriptura non haberi mortuum quemquam alium fuisse; quare sicut de se ait Caleb Iosue 14. *Concessit Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, vsque in præsentem diem: Quadraginta & quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum*: ita de alijs credendum est.

Quæres secundò, num sic in pœnam morientes perierint æterna morte? Respondeo flexibilitatem humani arbitrij suadere quosdam resipuisse, ac in deserto (per quod iuxta D. Thomam [C] significatur pœnitentia) pœnitentiam egisse. Quos traxerit Dominus, & quos non traxerit, noli velle iudicare, si non vis errare. Certum tamen est, ex 5. Iuda Canonica relata, *secundò eos, qui non crediderunt, perdidisse.* Quod D. Thomas etiam exponit, vt primò pœna temporali, secundò æterna. Et hoc fortiùs de illis, qui vt hic dicitur, reuersi, murmurare fecerunt omnem multitudinem, detrahentes terræ, quòd esset mala, mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini. Nihilominus omnis illa multitudo in pœnam mortua est in deserto; idcircò infrà c. 26. legitur; *postquàm noxiorum sanguis effusus est.*

C 1. Petri c. 3.

Verum si hi conciderunt: illud Iob. 34. verè accidit, *conteret multos innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*: siquidem, innumeram eorum sobolem, in deserta illa solitudine natam fouit, aluit atque perduxit in terram promissionis; de quorum lustro, citato 26. Quod beneficium commemorans Dauid in ps. 28. *Vox Domini concutientis desertum*, idest commouentis ad generationem per desertum Cades: siue vt habet litera Hieronymi; *vox Domini parturientis desertum*, idest parturire facientis, specialiter desertum Cades, vt ibi videre est, [D] apud D. Thomam.

D Ps. 28

2 Sed iam opportunum, vt dimisso cortice literæ, spiritus degustetur medulla. Anagogicè quippe veniunt hæc exponenda, prout etiam 3. Exodi dictum est. Perhibetur itaque terra promissionis, & capite præcedenti & in hoc etiam, lacte & melle manare, totiesque id in Sacra Scriptura habetur, vt cogamur fateri altam subesse intelligentiam, quam vt scrutemur humiliter, iteratur Enconium; vnde & Ecclesiasticus c. 46. *in terram*, inquit, *quæ manat lac & mel.* Exposui ex D. Thoma relato c. 3. in Exodum, vt Regnum Dei per terram promissionis significatum melle & lacte fluere dicatur, ob gaudium humanitatis atque Diuinitatis. Sed vt vbertatis nonnihil feram, addo [E] per lac significari æternam gloriam; & hoc propter illius facilem absorptionem. Mel autem Diuinitatem portendit [F]; quoniam de rore cœli colligitur; siue vt ait alibi, [G] de rore cœli confici creditur: quod repetens in quodam Sermone, [H] adducit Scripturæ Sacræ authoritatem, Prouerbiorum scilicet 25. *sicut qui multum mel comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*; quia vt ait opusculo 70. super Boetium de Trinitate, [I] perscrutari, est quasi ad finem scrutari; hoc autem illicitum & præsumptuosum est, vt aliquis sic diuina scrutetur, quasi ad finem comprehensionis venturus. Sic etiam in opusculo [L] tractans illud Cantic. 5. *comedi fauum cum melle meo*, inquit, idest, dulcedinem carnis Christi cum dulcedine Diuinitatis. Vnde psalmo 30. *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* quod exponens ad Corinthios [M] subdit; ista dulcedo est gaudium de diuina fruitione. Ecclesiastici 11. *breuis in volatilibus est apis; & initium dulcoris habet fructus illius.* Mel, inter omnia dulcia, dulcissimum. Denique Iob 20. *non videat riuulos lactis*; idest dulcedinem vitæ æternæ, vt exponit S. Doct. lo. 3. l. 6. in fine.

E Isaiæ 28.
F Isaiæ 7.
G Cant. 4.
H Serm. de S. Ambrosio.
I op. 70. q. 2. 1. ad 2.
L op. 58. 24.
M 2. Cor. 12. l. 2.

Quæ hactenus dicta sunt de cœlesti gloria, ex fructibus asportatis noscuntur: *absciderunt palmitem cum vua sua; de malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt.* Per vuam, intelligitur lætitia diuinæ visionis; per ficum, dulcedo dilectionis; per malogranatum, securitas habitationis, quia sub cortice quasi in securitate, sunt concorditer grana ordinata, sicut Sancti in cœlo: vnde Isaiæ 32. *sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Hæc D. Thomas [N] in primo Apocalyps. Commentario. Ad plenam quippe lætitiam, seu gaudium sequitur pax. *Charitas, gaudium, pax*, Galat. 5. *Tabernacula fiduciæ* iam referunt mala granata, & dulcedinem quies opulenta, quoniam dulciter quiescit qui diligit, in eo quo fruitur, si inuenit affluentiam omnis boni. Prouerb. 1. *abundantia perfruetur, terrore malorum sublato.*

N Apoc. c. 11. post initium.

3 Non desunt autem in textu capitum horum duorum, argumenta, quamuis abstrusa cœlestis glo-

gloriæ, ibidem vel a contrarijs adumbratæ. Certè nec syllaba vacat mysterio. Non poterit quisquis fuerit non mirari, vnde Moyses exploratorum iter commemorans, adijcere voluerit tempus, quo Hebron condita fuerit dicens c. 13. v. 23. *nam Hebron septem annis, ante Tanim Vrbem Ægypti condita est*. Mitto, id fortè factum, vt innotesceret, quoniam si exploratores ibant; non ad Moysis notitiam, ipse enim apprime nouerat omnia; sed ad populi eruditionem, fuerant missi. Et rem diu meditatus, video typum cœlestis Regni *Hebron* extare, quemadmodum & inferni Vrbem eam *Tanim*. Est *Tanis*, ex Haymone Isaiæ 19. & 30. Ciuitas metropolis Ægypti, & Regia Pharaonis: bene ergo stat pro infernali habitatione. Ægyptus quippe cuius erat metropolis [o] hebraicè dicitur *Mizraim*, quod interpretatur tribulatio, vel angustia. *Hebron* autem ciuitas ad Austrum Hierusalem, viginti duobus milliaribus ab ea distans, quæ priùs vocabatur *Cariath Arbe*, vt patet Genesis 35. & Iosue 14. Videtur hoc accepisse nouum nomen ab Abraham, Genesis 23. qui sic eam appellauit, vt versùs dicunt, ab amica societate, quam cum Ephrone & alijs viris principibus, occasione agri quem emit pro sepelienda Sara vxore sua, inierat: *Cheber* quippe hebræis societatem significat: & hinc etymum deriuant. Quare ergo hic & non ibi, de condita hac vrbe interserit Moyses? tùnc opportuniùs fuisset. Fateor: sed si ad figurata spectemus; non ita. Et quænam est illa societas, quam Hebron præsignat? Hanc societatem tangit Apostolus Hebræor. 11. dicens de sanctis, vt *non sine nobis consummarentur*, vbi S. Doctor addit [p] ex psalmo, *ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*; magis enim gaudet homo cum pluribus gaudentibus. Quam societatem commendat adeò Ioannes in prima c. 1. *Vt & vos societatem habeatis nobiscum; & societas nostra sit cum Patre & cum filio eius Iesu Christo*: vbi pariter Sanctus Doctor: [q] societatem, inquam, in præsenti, in communione Ecclesiæ, quoad fidem & bona opera, ps. 118. *particeps ego sum omnium timentium te, & societas nostra sit*, in futuro. Hæc verò societas erit gloriæ, vt secundùm glossam simus *hæredes Dei, cohæredes autem Domini nostri Iesu Christi* Roman. 6. glossa; *sic ergo per nostram societatem transibisis ad societatem Dei. Prima est gratia in præsenti; secunda gloria in futuro*. Ad societatem ciuium supernorum perducat nos Rex Angelorum; vnde & Augustinus Tract. 26. in Ioann. *iste cibus & potus eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit: idest societas ipsa sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena atque perfecta*. Septem autem annis ante Tanim Vrbem Ægypti, condita est Hebron; quoniam Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum* &c. *nec inferorum Regnum in terra; iustitia enim perpetua est, & immortalis*. Matthæi 25. *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum ab origine mundi*: En quo collimat ly *septem annis ante*: *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*: non dicit, *paratus ab origine mundi*. Dic clariùs ex D. Th. Rom. 9. l. 2. præscientiam peccatorum esse rationem reprobationis ex parte pœnæ. Licèt enim nihil temporale sit in voluntate diuina; quod ibi docet: nostro veluti modo intelligendi posterior est reprobatio punitiua, præeunte culpa: quod quia non ita fas est dici de prædestinatione, hæc anterior perhibetur sub typo Hebron septem annis: quo numero tempus omne, vt notum est, comprehenditur.

o Isaiæ 19.

p Hebr. 11. lect. 8.

q 1. Ioa. 1.

4 In horum omnium confirmationem, habemus Iosue 14. *benedixitque ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem* &c. *vsque in præsentem diem*. Hoc verbum etiam *possessionis* vsurpatur in præsentiarum; *ascendamus*, inquit, *& possideamus terram*: at ascenditur, vt exploratoribus dixit Moyses, per meridianam plagam, & ad Austrum. Australis pars est dextrum cœli: *statues oues quidem à dextris suis*: oportet autem, vt incalescat charitate qui eò tendit, Ecclesiastici 43. *Sol in meridiano, exurit terram*. Et quoniam æterna illius felicitatis possessio, in beata consistit visione, iuxtà quod Augustinus in lib. de vera Religione ait, *videndo veritatem beati erimus*, & ipse Dominus Exodi 33. *ego ostendam tibi*, ait, *omne bonum* Sap. 10. *ostendit illi Regnum Dei*. Matth. 18. *semper vident faciem Patris mei*; ideò de illis quos ab illius visione repellit, legimus, *non videbunt terram, pro qua iuraui Patribus eorum; nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam*: adeptio siquidem æterni illius regni in visione consistit quando *videbimus eum, facie ad faciem sicuti est*. S. Thomas [r] ad Canonicas: videre Regnum Dei, est habere illud; Sapientiæ 10. *iustum deduxit Dominus per vias rectas; & ostendit illi Regnum Dei*. Hinc lege infrà c. 27. *dixit quoque Dominus ad Moysen, ascende in montem istum Abarim & contemplare inde terram, quam daturus sum filijs Israel*: quamquam enim secundùm historiam, ad illam non peruenerit; attamen secundùm figuram, significabatur eam allecturus. Matthæi 5. *beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*: quod de beatitudine accipit D. Thomas ps. 40. Moyses *mitissimus fuit*.

r in Prologo Canonica 1.

5 Quemadmodum autem per terram promissionis Regnū, ita per desertum, carcerem Mundi huius oportet intelligi. [s] *Ignis* ait Ioel c. 1. *comedit speciosa deserti*: desertum vocat mundum propter spiritualium bonorum defectum. Et in sermone; [t] moraliter per desertum mundus iste intelligitur, in quo est *serpens flatu adurens, scorpio & dipsas*: vt dicitur Deuteronomij 8. idest superbia, luxuria, & auaritia. Contumax populus in desperationem actus, Ægyptum potiùs quam terram promissam repetere volebat animo, *dum dixerunt alter ad alterum* versu 4. *constituamus nobis Ducem, & reuertamur in Aegyptum*: Ex quo voluit Dominus, eos ferire pestilentia, atque consumere: quæ pœna fuisset condigna infectiuæ culpæ, ex qua alterum alter traxerat ad seditionem.

s Prologo op. 41

t Serm. Dominica 4 Aduentus ex Euang.

Sed hìc illorum excusationem præseferre videtur litera; siquidem demptis Caleb, ac Iosue, cæteri, decem numero, exploratores detraxerunt inspectæ terræ: quare prudenti crederentur consilio, decem potiùs acquieuisse quàm duobus. Atqui non ita est. Habemus Exodi 23. *non sequaris turbam ad faciendum malum; nec in iudicio, plurimorum acquiescas sententiæ, vt denies à vero*. Et in Codice lib. 1. Tit. 20. *ff. de veteri iure enucleando*, l. 1. §. 6. *Sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius, & æquius est iudicato; cùm possit vnius forsan, & deterioris sententia*,

& multos & maiores, aliqua in parte superare. Sanè si diligenter perpendissent quæ corruptores illi protulerant, nec terror fuisset incussus, nec murmur obortum. Non tanti robur corporis, quanti animi fortitudo, in bello faciendum est; neque ars militiæ, nisi quam mens agitat, stratagemate, at licito dolo, innititur moli. *Vrbes* retulerant *grandes*: igitur quas difficiliùs tuerentur. *Deuorat*, adiecerant, *terra habitatores suos*: & quonam fidei argumento, *si fluit*, ex ore ipsorum; *lacte & melle*; si terrigenas procreat, siue gigantes. Quod caput est, haud debuerant de possessu hæsitare, quoniam insederat olim animis, teste tot prodigiorum viro, nimirum Moyse, firma pollicitatione Deum esse obstrictum. At rebellis populus, nec fide, nec spe, nec subinde charitate munitus, quando lapidibus voluit opprimere Iosue, & Caleb, trepidauit, vbi non erat timor; timore, iniuria incredulus, postquam tot viderat signa.

In aureo opusculo, quod est Theologiæ cōpendium, secunda Parte, cap. 10. assumit Angelicus [Y] Quòd Regnum obtineri est possibile. Oportet inquit vlteriùs ostendere quòd homo ad illud Regnum peruenire possit, alioquin frustra speraretur. Primò autem apparet hoc esse possibile, promissione diuina; dicit enim Dominus Lucæ 12. *nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum*. Est autem diuinum beneplacitum efficax ad implendum omne quod disponit; secundùm illud Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Voluntati enim eius quis resistit?* Roman: 9. Secundò ostenditur hoc esse possibile ex euidenti exemplo. Hactenus S. Doctor, qui posuit calamum aptaturus alas ad gloriam, sibi obtinendam de facto quam astruebat possibilem, & ipse fuit in exemplum. proh dolor! expictum saltem fuisset hoc caput. Et quis potest nouus Daniel Angelicam Sancti Doctoris assequi mentem, & diuinare, quæ hac de re, si superuixisset, fuerat dicturus? qualc est hoc exemplum euidens, vnde probari posset Regnum possibile? fortè meditabatur illud Lucæ 19. *homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere sibi Regnum & reuerti*: de quo Eusebius in Catena, *per hoc quòd profectus est ad regionem longinquam, ascensum proprium à terra in cælos designat*. Et bene dicitur, *obtinere sibi Regnum*; nam dante sibi Patre, illud obtinuit, secundùm illud Danielis, *ecce filius hominis veniebat in nubibus, & datum est ei Regnum*. Sed quoniam semper fuit Christus Dominus Rex: *vbi est qui natus est Rex*, Matthæi 2. & fuit vnà viator & comprehensor; quamuis illius exemplo nobis possibile ostendatur Regnū, quoniam, vt ait Augustinus, Serm. 174. de tēpore, *propter vnitatem, quæ caput nostrum est, & nos corpus eius, cum ascendit in cælum, nos ab illo non separamur*, vnde idem S. Doctor Hebr. 9.L.5. corpus debet sequi caput suum, Matthæi 24. *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ*: nihilominus, dum exemplum proferre intendebat Angelicus, non ineptè putauerim, futurum fuisse, quod scriberet de terræ promissionis possessu, quem tandem obtinuere Iosue Duce.

6 Iuuat autem hic admirari grandem Moysis illustrationē, qui præsentia tangens, futura prospiciens, etsi credatur Osee nomen mutasse in Iosue, aliquot mensibus ante, puta cum Exodi 17. debellare cœpit Amalecitas, ex tunc enim semper deinceps vocatur Iosue: attamen, nunc solùm capite 13. id recenset dicens, *vocauitque Osee filium Nun, Iosue*; vt innotesceret in quo potissimùm præluderet figurato figura; scilicet in perducendo populum ad terram promissam. Ecclesiastici 46. *Fortis in bello Iesus Naue successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei*. Sanctus Apostolus Iudas hæc explanans ait: *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit*. Vbi S. Doctor [X] alijs inquit, conuenit hoc nomen nuncupatiuè, sed ei solùm substantialiter: Matthæi 1. *vocabis nomen eius Iesum*. Saluauit ergo populum suum, primò per misericordiam, sed puniuit malos per iustitiam. Septuaginta pro *Iosue*, vbique vertunt *Iesum*. Obseruant autem Osee significare Saluatorem: quare Moyses addens literulam *Iod*, quæ est prima ineffabilis Dei Tetragrammati, stare voluit pro toto nomine, quemadmodum C. pro Caio: P. pro Publio; vt significaretur illum esse Saluatorem Domini, vel Dominum Saluatorem, qui hoc gauderet nomine: nec sine illo, posse obtineri terram, non enim quod ait Apostolus Roman. 9. *est volentis, aut currentis, sed Dei miserentis*. Hoc est quod dicebant Iosue, & Caleb hic versu 8. *Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam: Dominus nobiscum est; nolite metuere*. Immò qui præsumpserunt ascendere cum Dominus non esset cum illis, vt patet in fine capitis, percussi sunt. Et quoniam cæteri defecerunt in fide, quam in Deum debuerant habere, in figuram reproborum reiecti sunt. Ex quo idem Sanctus Doctor [A] colligit paucitatem saluandorum, quoniam de tot bellatoribus duo solùm ad terram promissionis peruenerunt, Iosue scilicet filius Nun, & Caleb filius Iephone.

Mirum est autem quomodo ad illam desiderandam & assequendam voluit Dominus populum excitare & animare. Monuit quippe si locus congruere debet locato, quales oporteret eos esse, vt eò peruenirent; sanctos nimirum ex loci sanctitate, vbi quæ sibi annunciabantur, audirent. *In deserto* (cap. præcedenti v. 27.) *Pharan, quod est in Cades, locuti eis* &c. *ostenderunt fructus terræ & narrauerunt* &c. *Cades*, [B] Sanctum legis, interpretatur. *Fac me*, aiebat Augustinus, *gustare per amorem, quod gusto per cognitionem; sentire per affectum, quod sentio per intellectum*, lib. de contrit. cordis. O si quos fructus agnoscebant, sanctè viuendo, sapidè prægustassent! *Aquila* Iob. 39. *inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt*. Porrò potissimus fructus, quem nos, si omiserunt illi, assiduè contemplari debemus, botrus est ille mirificus, quem portauerunt in vecte duo viri. *Botrus Cypri*, inquit sponsa, Canticor. 1. *dilectus meus mihi*. Vbi de Christo procul dubio sermo est. Quocirca in opusculo: [C] Duo sumo in botro, vuam, scilicet corpus Domini, & ex vua sugo dulcem sanguinem in potum. Atqui botrus iste abscissus est in torrente, qui exinde signanter dictus est, *torrens botri*. Mirè Isaias c. 53. *quia abscissus est de terra viuentium*. Et ecce Ioannis 18. *egressus est Iesus*

[Y] opusc. 3.
[X] Iudæ Epist.
[A] 1. Petri c. 3.
[B] Ps. 18.
[C] op. 58. c. 19.

trans

trans torrentem: Inde abscissus, visus est *in vecte*. Vectis huiusmodi ex Sanctis Patribus, in Allegoriarum Sylua Laureti, Crucem Christi apertè expressit. Apud quem etiam duo viri isti portantes botrum in *vecte* designant duos latrones cum Christo crucifixos: populum iudaicum præcedentem, & vertentem dorsa Christo; gentilemque sequentem, versa facie ad Christum: & duo testamenta in quibus continetur Christus.

Quinam fuerint duo isti viri, Scriptura non loquitur: ceterùm satis potest colligi fuisse, & Caleb, & Iosue, tanquam diuinis mysterijs obsequentiores. Quemadmodum autem Iosue typum gerit Christi, ita Caleb Baptistæ subire potest personam: nàm *Cabeb* dicitur quasi *Cor*: ex abundantia autem cordis os loquitur, & sic Ioannes in deserto Iudææ, qui *fuit vox clamantis*, de terra prædicauit figurata; *appropinquauit* dicens *Regnum cælorum*. Ipse igitur in figura credendus est præcessisse in ferendo botro: Iosue autem subsecutus; *qui post me*, inquit, Matthæi 3. *venturus est*. Post cuius prædicationem habemus Matthæi 4. cœpisse Christum, *exinde cœpit Iesus prædicare & dicere: pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum*; & ideò etiam hic cap. 14. qui in 13. non exprimitur, Iosue filius Nun, præmittitur, qui hortetur populum, vt terræ speret acquisitionem: & bene auditur; *Dominus nobiscum est*, si Iosue est; quasi *Emanuel*, quod Matthæi 1. interpretatur *nobiscum Deus*, siue, *Dominus in nobis* iuxta Septuaginta; nam *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Quid mirum si lapidibus omnis multitudo vellet eos opprimere: quando Ioannis 8. *tulerunt Iudæi lapides vt iacerent in Iesum*?

7 At Iosue atque Caleb oratio, quam ad sedandum populum texuere, ingentem parit admirationem. Optimè quidem hortantur eos, ne metuant, quoniam Dominus áderat: ex quo subinde ab hostibus omne præsidium recesserat: nàm & Dauid sic lætus canit, *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* &c. *vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini*: atqui cur eiusmodi præeligunt similitudinem; *quia sicut panem eos possumus deuorare*: nescij Septuaginta & Chaldæa, ne forte imperitis legentibus esset scandalo, omiserunt proprietatem translationis: vndè inquiunt illi: *quia cibus vobis est*: & Chaldæa, *quia in manu vestra traditi sunt*. Fateor ad literam, victoriæ facilitatem signari, & posse hyperbolicè accipi, vt sicut panem, sic frangerent ac tererent hostes. Sed multitudo reluctans vix erat excessus eiusmodi capax: aliàs non deerant Iosue, grauiora exempla: quemadmodum in psalmo 82. *sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes: ita persequeris illos* &c. Dauid aliter ad Philisthæum loquitur 1. Regum 17. *dabo cadauera castrorum Philisthijm hodie volatilibus cæli*.

Abscondita profecto non possumus in lucem, nisi expendendo quidnam per Hethæos, Iebusæos, Amorrhæos & Chananæos, sit intelligendum. Sanè per hasce gentes, commune est Sanctis Patribus, significari malos, & peccatores; qui, si non aliter, filijs Israel sunt impedimento, ne Regnum cœlorum obtineant, quatenùs (quod ait Augustinus,) *omnes mali persequuntur bonos, non ferro aut lapidibus, sed vita & moribus*. Apostolus ad Galat. 4. recolens filium ancillæ Agar ludentem, ait: *sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita & nùnc*. Vbi D. Thomas; [D] nùnc etiam carnales persequuntur in Ecclesia spirituales viros. Subditque: duplex est persecutio: vna bona, qua aliquis persequitur alium, vt reducat eum ad bonum; & hanc viri iusti faciunt malis, & spirituales carnalibus: vel vt eos corrigant si conuerti volunt; vel, si obstinati sunt in malo, destruant, ne gregem Domini inficiant. Quæ cum ita sint, aptior non poterat excogitari similitudo, quàm si instar panis, eos deuorandos esse, iuxta pollicerentur & commonerent. Panis charitatis est symbolum, tùm quia esurienti frangitur Isaiæ 58. *frange esurienti panem tuum*. 1. Cor. 10. Apostolus, *vnus panis & vnum corpus multi sumus*. Augustinus ibi [E] ex D. Thoma *vnus panis, & vnum corpus Ecclesia Christi dicitur, pro eo quòd sicut vnus panis ex multis granis, & vnum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia Christi ex multis fidelibus, charitate copulatis connectitur*. Sic D. Fulgentius Serm. de Sancto Stephano; *necessarium tamen nobis est fratres agnoscere, quibus armis præcinctus sæuitiam iudæorum potuit superare: charitatem pro armis habebat & per eam vbique vincebat*.

D Galat. 4. l. 9. h

E 1. Cor. 10. l. 4.

Hùc facit mirificè quod idem suadet Apostolus Rom. 12. *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum*: & mox; *noli vinci à malo, sed vince in bono malum*. Naturale est [F] enim homini, vt velit aduersarium vincere, & non vinci ab eo. Illud autem ab aliquo vincitur, quod ad illud trahitur sicut aqua vincitur ab igne quando trahitur ad calorem ignis. Si ergo bonus aliquis homo propter malum, quod sibi ab aliquo infertur, trahatur ad hoc, quod ei male faciat, bonus à malo vincitur. Si autem è contrario, propter beneficium, quod bonus persecutori exhibet, eum ad suum amorem trahat, bonus malum vincit. Sic Petro actor. 10. accidit mentis excessus, in illa animalium visione, dictumque est ei, tùnc esurienti, *occide & manduca*. Quocirca Canticorum 4. D. Thomas, ibi, *dentes tui*. *Dens Ecclesiæ præcipuus est Petrus, cui dictum fuit* [G] *in visione, surge, occide, manduca*: ac si diceret: *hos quos ad fidem conuertis, occide ab eo quod sunt, vt desinant esse peccatores; & manduca, hoc est, transfer in corpus Ecclesiæ* Simili ergo hìc metaphora dicitur, *sicut panem* &c. Vides qua auiditate qui esurit panem arripit, frangit, ac deuorat: atqui non ex odio panis, quem imò amantissimè ostiatim quærit, sed conterit ea amoris lege, vt in se metipsum transmutet, & in corporis vnitatem conuertat. Adducit D. Thomas l. c. ad Romanos Ieremiam dicentem, *ipsi conuertentur ad te, & tu non conuerteris ad eos* c. 15.

F Rom. 12. l. 3. in fine.

G Cant 4.

Quemadmodum autem, eiusmodi panis similitudo in bonum accipitur, sic quod proximo capite legitur, *deuorat terra habitatores suos*; in laudem, quam nescientes vel inuiti proferrent, exponi potest. Literaliter Hugo interpretatur hoc pacto; *adeò bona est, vt nemo ab ea discessum intentet: proinde moriuntur in ea*: & quoad hoc, commendari etiam ab ijs, qui aliàs detraxerant. Nec abnuit Deuteronomij primum caput. Verùm misso, ex more Sacræ paginæ deuoratio-

nem in bonum esse, vnde Leuitici 9. & 2. Paralip. 7. *ignis de cœlo deuorauit holocausta*, reor anagogicè eorum ab ore, non secùs atque Caiphas prophetauit, *expedit vt vnus moriatur pro populo*, prædici, *terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos*. Gloria quippe dicitur habitatio: *habitationem nostram* 2. Cor. 5. *quæ de cœlo est superindui cupientes*; quia in ipsa [H] Sancti habitant sicut in suo consolatorio: ex quo ostenditur quòd est aliquid continens, & excedens, quia inhabitatur. In illa autem Beata promissionis mansione (ps. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*: *credo videre bona Domini in terra viuentium* ps. 26.) *terra deuorat habitatores suos*; quoniam Isaiæ 31. *ignis Domini est in Sion, & caminus eius in Ierusalem*, idest [I] charitas est in Ecclesia militante, sed cum augmento in pace cœlestis Patriæ. Ita memorato Isaia, inquit, [L] ibi ineffabilis amor & charitas; *dicit Dominus, cuius ignis in Sion* &c. Quidni ergo deuoret absorbeatque habitatores suos? Ignis voracissimus dicitur ab Herodoto.

H 2. Cor. 5. l. 1.

I 1. Cor. 13. l. 1.

L Serm. Dom. 4. Quadr. ex Euang.

8 Quæ maximo sunt impedimento fidelibus ne illuc perueniant, sed in pugna perdantur, Chananæus & Amalecites sunt: hinc in litera monentur à Domino, vt moueant castra, & reuertantur; *quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus*. Sed mirum: in calce capitis legimus: *descenditque Amalecites & Chananæus, qui habitabant in monte, & percutiens eos atque concidens* &c. Quomodo paulò ante in valle, nunc in monte? & quare tam exacta narratio? vbicumque ergo essent, siue in monte siue in vallibus, æquum erat periculum: vt quid meminisse vallium? Valles abundantiam ferunt, iuxta illud ps. 64. *valles abundabunt frumento*: mons verò surgit in altum, Per montem superbia; Hieremiæ 51. *Ecce ego ad te mons pestifer*: per abundantiam frumenti, luxuria. Oseæ 4. *Comedent, & non saturabuntur; fornicati sunt & non cessauerunt*; & Lucæ 17. *Edebant & bibebant: vxores ducebant*, &c. de vtroque Ezechielis 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia*. Voluptuosi quippe, diuitiarum superbia, plerique euadunt. Sapientiæ 5. *Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* de hoc tacto Deut. 1. *tumentes superbia ascendistis in montem*. Quoniam verò Amalec (ex sylua aliàs relati Hieronymi Laureti) potissimum accipitur pro spiritu fornicationis; & Chanaan soboles fuit procacis illius Cham, qui sancti Patris Noe non operuit verenda Genesis 9. ex quo fortè libidinoso seni obiecit Daniel c. 13. *Semen Chanaan, & non Iuda, concupiscentia subuertit cor tuum*: dum prohibet Dominus cum Amalecite & Chananæo congredi (qui habitant & in monte, & in vallibus) pientissimè commonefacit, quomodo eiusmodi proximum nobis hostem, carnem nimirum vincamus, scilicet fuga. 1. Corinth. 6. *Fugite fornicationem*: vbi glossa quam fert S. Doctor: [M] *cum alijs vitijs potest expectari conflictus, sed hanc fugite, ne approximet, quia non aliter hoc malum potest vinci*. Et ipsemet eo loci: [N] cætera vitia vincuntur resistendo, quia quantò magis homo particularia considerat, & tractat, tantò minus in eis inuenit, vnde delectetur, sed magis anxietur; sed vitium fornicationis non vincitur resistendo, quia quantò magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur: sed vincitur fugiendo, idest, totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones. Et alibi: [O] impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo, quando scilicet cogitatio auget incentiuum. Tu recole Lot Genesis 19. eductum è Sodomis ne periret, qui ex Beda Lucæ 17. in Catena D. Thomæ aurea interpretatur *declinans*: cui proinde fugienti dixerunt Angeli, *noli respicere post tergum*: & castissimum Ioseph, qui Genes. 39. *relicto pallio fugit, & egressus est foras*.

M op. 18. c. 9.

N 1. Cor. 6. l. 3.

O 2. 2. q. 35. a. 4.

Declinandi sunt igitur Amalecites & Chananæus, qui habitant in vallibus, & in monte; quoniam ex parte corporis, & ex parte animæ, quæ altiorem tenet locum, oritur libido. Hæc duo capita tangit præcipuè S. Doctor in opusc. quod supra. Matthæi 17. *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est; nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam*, in ignem [P] cupiditatis, & in aquam luxuriæ. Et quia dixit ibi Dominus, *hoc genus Dæmoniorum non eijcitur nisi in ieiunio & oratione*; ait S. Doctor: [Q] oportet ergò vt debilitet carnem, & confortet spiritum. Quod quidem habemus etiam ex D. Hieronymo; *ieiunio sanantur pestes corporis; oratione, pestes mentis*. 1. Cor. 9. *castigo corpus meum*, &c. & Ecclesiastæ 12. *frequens meditatio, carnis afflictio est*. Et certè si, vt ait Augustinus, continua est pugna, & rara victoria; & fuga consulenda est, & Deus exorandus: Sapientiæ 8. *Sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*. Quamuis enim ceteræ quoque virtutes à Deo sint, ab earum vitijs oppositis elongari quis potest horrore obiecti, puta ab homicidio, à furto. Incontinentiæ obiectum allicit; trahit, irretit: nisi de sursum à terrenis illecebris lux abducat. Et ecce quoniam dixerat istis, versu 42. *nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum ne corruatis; at illi contenebrati ascenderunt*, & percussi sunt. Quàm benè, *contenebrati*, dum de hoc peccato hic fiat sermo! ferens S. Doctor illud Matthæi 12. *tunc oblatus est ei homo dæmonium habens, cæcus & mutus*; hæc est carnalis, inquit, concupiscentia, quæ excæcat oculos mentis. Augustinus; *ascendebant nebulæ*, (seu potius *nubeculæ*, vt in sermone Quinquagesimæ ex Euangelio) *de limosa concupiscentia carnis, & obnubilabant, & offuscabant cor meum, vt non discerneretur serenitas dilectionis, à caligine libidinis*. Sermone 2. Dominicæ, qui supra.

P Serm. Dom. 1. Quadr. ex Euang.

Q Matt. 17.

Nec extra chorum sunt hæc, quæ hactenus dixi, quando de terra promissionis agitur, ad quam peruenitur. Audiamus Apostolum; *volo autem omnes vos homines esse sicut me ipsum*: [R] vt scilicet contineant, sicut ego contineo, & similiter dicit Actor. 26. *Opto apud Deum omnes, qui audiunt, fieri tales, qualis ego sum*. Sed contra hoc, videtur esse, quia si omnes homines continerent, sicut Apostolus continebat, cessasset generatio, & sic non fuisset impletus numerus electorum, quod est contra dispositionem diuinam. Dicunt quidam, quòd Apostolo reuelatum erat; quòd si omnes homines saluarentur in continentia viuentes, sicut ipse viuebat, sufficiebat ad implendum numerum electorum. Sed hoc nulla authoritate fulcitur. Et ideo potest dici quòd Apostolus volebat omnes homines esse continentes, quia scilicet vo-

R 1. Cor. 7. l. 1.

lebat hoc de singulis, non tamen volebat quòd omnes simul continerent. Vel potest dici, & melius, quòd volebat omnes homines esse continentes voluntate antecedente; sicut ipse dixit, 1. Timot. 2. quòd *Deus vult omnes homines saluos fieri*. Hæc ibi. Posteaque [5] adiecit: si omnes continerent, citiùs impleretur numerus electorum. Vide ergò quàm opportunè, cùm de obtinendo Regno Cœlorum in figura loquitur Moyses, adnectat de fuga ab Amalecite & Chananæo. In epilogo cuncta lege Deuteronomij primo.

5 loc. cit. l. 6. in fine.

C A P V T   X V.

1 LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere ad filios Israel, & dices ad
eos. Cum ingressi fueritis Terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis, 3
& feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam, vota soluentes,
vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suauitatis Do-
mino, de bobus siue de ouibus: 4 offeret quicumque immolauerit victimam, sacrificium
similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem
hin: 5 & vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ dabit in holocaustum, siue in victi-
mam. Per agnos singulos, 6 & arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ
conspersa sit oleo tertiæ partis hin: 7 & vinum ad libamentum tertiæ partis eiusdem men-
suræ offeret in odorem suauitatis Domino. 8 Quando verò de bobus feceris holocaustum,
aut hostiam, vt impleas votum, vel pacificas victimas, 9 dabis per singulos boues similæ
tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin: 10 & vinum ad liba
fundenda eiusdem mensuræ in oblationem suauissimi odoris Domino. 11 Sic facies per sin-
gulos boues, & arietes, & agnos, & hædos. 12 Tam indigenæ quàm peregrini 13 eo-
dem ritu offerent sacrificia. 14 Vnum præceptum erit atque iudicium tam vobis, quàm
aduenis terræ. 15 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: 16 Loquere filijs Israel, &
dices ad eos: 17 Cum veneritis in terram, quam dabo vobis, 18 & comederitis de pa-
nibus regionis illius, separabitis primitias Domino 20 de cibis vestris. Sicut de areis primi-
tias separatis, 21 ita & de pulmentis dabitis primitiua Domino. 22 Quod si per ignoran-
tiam prætericritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen; 23 & manda-
uit per eum ad vos, à die qua cœpit iubere, & vltra, 24 oblitaque fuerit facere multitudo:
offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suauissimum Domino, & sacrificium
eius ac liba, vt cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato: 25 & rogabit sacerdos pro
omni multitudine filiorum Israel: & dimittetur eis, quoniam non sponte peccauerunt, ni-
hilominus offerentes incensum Domino pro se, & pro peccato, atque errore suo: 26 & di-
mittetur vniuersæ plebi filiorum Israel, & aduenis, qui peregrinantur inter eos: quoniam
culpa est omnis populi per ignorantiam. 27 Quòd si anima vna nesciens peccauerit, offe-
ret capram anniculam pro peccato suo: 28 & deprecabitur pro ea sacerdos, quòd inscia
peccauerit coram Domino: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi. 29 Tam indigenis
quàm aduenis vna lex erit omnium, qui peccauerint ignorantes. 30 Anima verò, quæ per
superbiam aliquid commiserit, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, (quoniam aduersùs Domi-
num rebellis fuit) peribit de populo suo: 31 verbum enim Domini contempsit, & præce-
ptum illius fecit irritum: idcircò delebitur, & portabit iniquitatem suam. 32 Factum est
autem, cum essent filij Israel in solitudine: & inuenissent hominem colligentem ligna in die
Sabbati: 33 obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & vniuersæ multitudini. 34 Qui recluse-
runt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. 35 Dixitque Dominus ad
Moysen: Morte moriatur homo iste: obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. 36
Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus est sicut præceperat Domi-
nus. 37 Dixit quoque Dominus ad Moysen: 38 Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vt
faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas: 39 quas Deut. 22
cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, b 12.
& oculos per res varias fornicantes: 40 sed magis memores præceptorum Domini faciant Mat. 23
ea, sintque sancti Deo suo. 41 Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegy- a. 5.
pti, vt essem Deus vester.

VERSVS II. *Cum ingressi fueritis terram habitationis vestræ*, &c.

a VERSVS III. *Et feceritis oblationem Domino*, &c.

Quoniam hic exprimitur *terra habitationis*; quod versus 18. subiicuit, iuuat credere, ea quæ subsequuntur, capienda esse anagogicè: ex quo eandem vsurpat phrasin Apostolus, 2. Cor. 5. *nam in hoc ingemiscimus habitationem nostram quæ de cælo est*. Et quidem suffragatur Cyrillus l. 16. de adorat. in spirit. & verit. apud à Lapide, qui hæc habet ad rem textuum sequentium. *Vinum*

lætitiam, oleum hilaritatem designat, quæ in futura gloria inæqualiter admetietur sanctis pro diuersa mensura bonorum operum Deo oblatorum. Verùm cum sciamus respexisse Dominū prius ad Abel, deinde ad munera eius, mallem oblationes, quæ mox discernuntur, ad nos ipsos referre, qui in templo gloriæ (ex collecta) merebimur Deo largiente, præsentari. Ibi quidam in holocaustum, quidam in victimas offeruntur; & in solemnitatibus, Isaiæ 33. *respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ*: etenim vt ait S. Doctor [A] celebrant qui sunt in illa ciuitate continuum festum, qui nihil aliud faciunt, nisi quiescere, videre, amare, laudare, cantare, quæ conueniunt festo. Et benè hic nulla fit mentio de peccatis, pro quibus consueuerunt hostiæ offerri, eo quòd Sapientiæ 7. *nihil inquinatum in eam incurrit*, & Isaiæ 35. *via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus.* Sanctitatem exposcit solemnitas diesque festus; quia *benedixit Deus diei septimo*, Genes. 2. *& sanctificauit illum*, quia in ipso *cessauerat ab omni opere. Vt requiescant ab operibus suis*, necte ex Apocalypseos 14.

A Serm. Domini-ca 19. ex Euang.

VERSVS IV. *Offeret quicumque immolauerit victimam sacrificium similæ, decimam partem Ephi.*

2 De bobus, & de ouibus meminit, singillatimque descendit ad agnos, ad arietes, ad boues; quasi postea, vt appendix, ad hœdos. Offeruntur illic minores, significati per agnos: maiores, per arietes. Sacerdotes per vitulos. De hœdis non tam ad amussim lex traditur; quoniam etsi in litera de ipsis etiam à minoribus fieret oblatio, tamen quia sunt reproborum in typum, non debuit speciatim præscribi libamen aliquod, in quo cœlestis mensæ condimentum, & gloriæ consummatio declaratur. Aiebat D. Augustinus se inter minores recensens, de Verbis Domini Serm. 21. considerans, quod ait Apostolus 1. Cor. 9. *ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar:* [B] *suo timore nos terruit Apostolus, quid enim faciet agnus vbi Aries timet, & tremit?* Scimus vitulum Sacerdotalem præsertim esse hostiam, vnde & Euangelistam refert Lucam, qui vt obseruat Remigius in Prooemio D. Hieronymi, in Catena aurea, *circa templum & sacerdotium versatus est.* Per singulos boues & arietes & agnos, &c. offeruntur libamenta. Apostolus ad Galat. 6. *vnusquisque onus suum portabit*, [C] idest mensuram gratiæ suæ offeret Deo in die iudicii, tanquam manipulos bonorum operum, Ps. 125. *venientes autem venient cum exultatione*, &c. Et vide tu quomodo toties in præsenti inculcatur de mensura. Et prius 1. Cor. 3. *vnusquisque propriam mercedem accipiet:* [D] propria merces erit singulorum, quia vnus alio clarius videbit, & plenius fruetur secundum determinatam sibi mensuram.

B 1. Cor. 9.l.5.

C Galat. 6.l.1.

D 1 Cor. 3.l.2.

Qui tanquam agnus symbolum innocentiæ, obtutui diuino in beata illa promissionis terra offertur, decimam similæ afferat. In denario numero decalogi obseruantia exigitur: & eo magis quoniam est similæ decima, quæ quidem pro puriori panis accipitur, de quo Dominus Matthæi 4. allegoriam docet, *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Scriptum est Deuteronomii 8. Sic in fine capitis mouet recordationem mandatorum. Hæc simila conspergitur oleo. Per oleum certè significatur gratia Spiritus-sancti, qua & sanamur à vulnere peccati. Lucæ 10. *infundens oleum, & vinum.* Quam habeat homo indigentiam gratiæ ad implenda legis præcepta, & in statu naturæ integræ, & in statu naturæ corruptæ, vide D. Thomam. [E] Datur autem quarta pars *Hin*, quia Ioan. 1. *de plenitudine Christi omnes accepimus.* Ps. 127. *Sicut vnguentum in capite quod descendit*, &c. Hebræorum 1. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.* Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* [F] hoc oleum, inquit D. Thomas, effusum est, quando hæc gratia, quam Christus singulariter habuit, data est omnibus electis.

E p. 2 109.4.

F Cant 1.

VERSVS V. *Et vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ.*

Audiamus S. Doctorem in Isaiam. [G] Est vinea cælestis Patriæ 3. Regum 21. *Vinea erat Naboth Iezraelitæ.* Et huius vineæ est vinum, primo diuinæ fruitionis, Cant. 5. *comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Secundò, interioris repletionis. Esther 1. *Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur.* Tertiò, Sanctorum congratulationis, Cant. vltimo, *dabo tibi poculum ex vino condito.* Et alibi. [H] Est conuiuium solemne cælestis curiæ, in quo proponitur vinum ad ebrietatem. Canticorum 5. *comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.* in psalm. *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* S. Thomas [I] dicitur ebrietas, quia omnem mensuram rationis, & desiderii excedit. Isaiæ 64. *oculus non vidit*, &c. Rectè autem dicitur, *eiusdem mensuræ*, quia vt commune est Theologis, & habetur à D. Thoma, [L] charitati respondet merces essentialis, præmii scilicet fruitionis, & visionis diuinæ. Ioannis 14. *qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Nam ideò in bona Theologia homo est acceptus ad tantam gloriam, quoniam habet tantam gratiam, cùm per gratiam fiat hæres gloriæ. Ex quo in prima parte [M] plus participabit, inquit, de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: vndè qui plus habebit de charitate perfectiùs Deum videbit & Beatior erit. Videatur ad p. 2. q. 114. a. 5.

G Isai. 5

H Isai. 25.

I Prolog. 1.

L 1. Cor. 3.l.2.

M p.p.12 6.

VERSVS VI. *Erit sacrificium similæ duarum decimarum &c.*

Aries oblatus, qui vt dictum est sæpe, Ducem seu Principem repræsentat, non offertur in altari cælestis gloriæ, nisi duplicem secum ferat similæ decimam. Non satis est, vt is personaliter impleat iustè viuendo mandata; quoniam siue Rector fuerit populi, siue Paterfamilias, siue Ecclesiasticus Prælatus, aliorum cura illi incumbit, quibus respectiuè peccantibus, peccat; idcircò vltra suam decimam similæ, alteram necesse est offerat, qua proximus per eum spiritualiter verbo Dei vixerit: quo facit illud Lucæ 12. *vt det illis in tempore tritici mensuram.* Et quia vt dicitur Ecclesiastici 17. *mandauit illis vnicuique de proximo suo*; vno verbo; ille intelligitur hic arietem offerre adduplicata similæ decima, qui proximo spiritualis salutis bona, iuxta illud Apocalypsis 22. *qui audit, dicat veni*, procurauit. Hanc timens non adferre similæ decimam orabat psaltes; *& ab alienis parce seruo tuo.*

Qui

Qui eiuſmodi fuerit, conſperſionem maiorem habuerit olei, nimirum tertiæ partis Hin. Maior ſanè charitas præſumitur in eo, qui alios trahit ad legis obſeruantiam: vnde ait Apoſtolus, Roman. 15. *quoniam & ipſi pleni eſtis delectione, repleti omni ſcientia, vt poſſitis alterutrum monere.*

VERSVS VII. *Et vinum ad libamentum tertiæ partis hin, eiuſdem menſuræ offeres* &c.

Non eſt dubium ad meriti augmentum augeri menſuram præmij: quo pacto Apoſtolus ex ſua prædicatione, qua velut puriſſima ſimila verbi Dei, Philippenſes aluerat, aureolam opperiebatur, *itaque* c. 1. *fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea,* vnde vt aſſumit Angelicus,[N] bona quæ faciunt auditores, redundat ad meritum Prædicatoris. Vnde & Paſtoribus Petrus, in 1. c. 4. *forma facti gregis ex animo: cùm apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.* Cyrillus in catena aurea Lucæ 12. *fidelis ſeruus & prudens obtinebit maiora, qui diſtribuit prudenter cibaria, hoc eſt, ſpirituales eſcas.* & Beda, *quanta enim inter bonos auditores, & bonos Doctores, eſt meritorum diſtantia, tanta eſt etiam præmiorum.*

VERSVS IX. *Dabis per ſingulos boues, ſimilæ tres decimas.*

Peccare poteſt ſacerdos ſpeciatim ratione miniſterij contra Deum: & ideo ipſe per vitulum ſignificatus gratum Deo in cœleſti Patria ſacrificium nequit offerre, quamquàm nec in ſe, nec in proximum deliquerit, niſi tertiam quoque decimam ſimilæ ſecum vehat. Lex, quæ ſpecialiter quoad miniſtros cultus diuini attinet, à Deo tradita eſt, pro exactiori puritate, ſanctitate, & diligentia, indicat quomodo præ cæteris viuere debeant ex verbis quæ procedunt ab ore Dei. Ipſis (ſi ruminare eſt meditatio ſcripturarum, vt dictú eſt Leuitici 11.) ſtrictiori quadam obligatione iniunctum eſt, cibari *pane vitæ & intellectus.* Malachiæ 2. *labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Dolet Dominus ibidem c. 1. dicens; *filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum ſuum. Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Ad vos ò Sacerdotes qui deſpicitis nomen meum: & dixiſtis; in quo deſpeximus nomen tuum? offertis ſuper altare meum panem pollutum: & dicitis, in quo polluimus te? in eo quòd dicitis menſa Domini deſpecta eſt.* Hinc infrà c. 18. *Dixit Dominus ad Aaron. Tu & filij tui, & domus Patris tui portabitis iniquitatem Sanctuarij; & tu & filij tui ſimul ſuſtinebitis peccata ſacerdotij veſtri.* Itaque qui in tam ſancto miniſterio ſuas implet partes, tergemina apparebit cum ſimilæ Decima, quam offerat Deo. *Tua ſunt omnia,* (1. Paralip. 29.) *& quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

VERSVS IX. *Similæ conſperſæ oleo, quod habeat medium menſuræ Hin.*

Quid mirum, ſi olei excreſcat portio, ſi ſacerdos iuſſu Dei vnctus eſt? Leuitici 5. *ſi ſacerdos qui vnctus eſt, peccauerit* &c.

VERSVS X. *Et vinum ad liba fundenda eiuſdem menſuræ.*

Hac de cauſa in collecta commemoratur ſacerdotij dignitas. *Deus qui inter apoſtolicos Sacerdotes, famulum tuum ſacerdotali feciſti dignitate vigere, præſta quæſumus, vt eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio.*

Vlteriùs autem in terra promiſſionis beata, offertur Chriſtus Dominus per Agnum, Arietem &c. quatenus aſſumptam humanitatem, & myſteria in ea celebrata conſpectui paterno repræſentat; quo ſenſu exponit S. Doctor illud Apo-
ſtoli [O] *qui etiam interpellat pro nobis:* adnectens, O Rom 8.l.7.
quod dicit Hebræor. 9. *introiuit in ipſum cœlum, vt apparent nùnc vultui Dei pro nobis.* Et quoniam corpus Eccleſiæ myſticum, quod per Euchariſtiæ ſacramentum ſignificatur, petit per ſacerdotem transferri in Eccleſiam triumphantem: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui, in ſublime altare tuum,* (de
quo D. Thomas in tertia parte) [P] ideò dùm de P 3.p.83 4.9.
ſimila, oleo & vino fit Sacrificium, Sacrificio altaris videtur præludi iuxta illud pſ. 4. *à fructu frumenti, vini, & olei ſui,* eò vel maximè quòd conſummatur effectus diuiniſſimi Sacramenti in gloria, ſecundum quod ait Dominus Ioannis 6. *niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis,* vel re vel
voto, [Q] ſecundùm Eccleſiæ inſtituta; nam per- Q Io. 6 17.& 3.p 79.3.
cipitur etiam ex voto, cùm quis primo iuſtificatur. *Et qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternã.* Vnde & in poſt Cõmunione, *fac nos quæſumus Domine, Diuinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleri, quam pretioſi corporis & ſanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.* Igitur in terra promiſſionis erant conſummatiuè Altaris libamenta, ſimila vinum oleum.

VERSVS XI. *Sic facies.*

Hunc verſum Noſter tantiſper expeditiùs 3
transfert. Et in ſequentibus compendio veluti vſus alia prætermittit. Abſit attamen, vt Spiritus-Sancti calamus credatur redundans: ſiquidem cum de terra promiſſionis, & literaliter, & anagogicè fiat ſermo, vt ſomniculoſos ad myſteria animaduertenda excitaret diuinus textus, bis fermè eadem indixit; quoniam vtrobique erant eadem complenda: quamquam in cœlis hœdus non offeratur qui offerri poterat in terra promiſſionis: qua certè de cauſa, poſtquam verſu 12. habemus, per ſingulos boues arietes & agnos quis ritus ſeruandus; replicatur apud 70. *ex ouibus, aut ex capris,* & in Chaldæa, *in agnis aut in capris:* & hoc ad connexionem hœdorum: quos immediatè adiecit Noſter dicens, *per ſingulos boues, & arietes, & agnos, & hædos.* Illic etiam vna lex erit tàm indigenæ quàm aduenæ ſeu peregrini, quia vt dicitur Ephes. 2. *iam non eſtis hoſpites, & aduenæ: ſed eſtis ciues Sanctorum.* S.
Doctor in ſermone, [R] Angelos inquit eſſe ciues R Serm Dominicæ 19. e Euang.
cœleſtis Hieruſalem: at Dominus Matthæi 22. *in reſurrectione neque nubent, neque nubentur: ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cœlis.* Ex quo autem ſuppreſſit Noſter nonnihil literæ, enucat quomodo *vmbram habens lex futurorum bonorum* Hebræor. 10. euacuatur. Opportunè Noſter tranſactas has, hoc in loco, vmbras pertranſit, quando expreſſiùs de figurata terra promiſſionis, in qua *erit dies vna, quæ nota eſt Domino* Zach. 14. nobis qui ſumus *filij lucis,* textus transferebatur.

VERSVS XXII. *Quòd ſi per ignorantiam præterieritis* &c.

Laborant interpretes in diſquirenda cauſa, 4
quare hìc iterùm de ignorantia populi tradatur

ſacri-

ſacrificij lex, cùm ſatis prouiſum videatur Leuitici c. 4. & preterea, cur non idem præcipiatur offerri; ibi ſiquidem vitulus pro huiuſmodi populi ignorantia immolatur, hic vitulus in holocauſtum, hircuſque pro peccato. Denique niſi difficultates conniuere velimus, qua de cauſa de ſacerdotis ignorantia, aut de peccato Principis non ſit ſermo, quemadmodum ibidem c. 4?

Animaduerto pro ſolutione dupliciter peccare poſſe populum per ignorantiam, perſonaliter vnumquemque primò; ſecundò relatiuè ob inſtructionis defectum. Et ſic ſacerdos ignoranter poteſt aliquid committere, aut omittere ratione perſonæ, & aliquid ratione muneris quod habet in populum: Hoc ipſum & Princeps. De primi generis perſonali ignorantia loquitur, me iudice, Leuitici caput; de ſecundi generis præſens locus. Eſt autem ignorantiarum harum diſcrimen, vt prior ſit abſoluta & ad ſe; poſterior ſit relatiua, & ad alios. Noluit præſumere ſacer textus, (& hoc eſt ſpecies quædam admonitionis) vt poſt tot quadraginta annorum curricula, poſt tot documenta, ac vexationes, (*vexationes*, Sapientiæ 69. *peccatoribus ſuperne- ne- unt*, & Iſaiæ 28. *tantummodo ſolu vexatio intellectum dabit auditui*) ignoranter ſe haberent ad Deum, & ad diuina præcepta. Si qua labora ſſet populus ignorantia, certè relatiuè futura erat, ex aliqua ſacerdotum aut Principum negligentia; ideoque tanquàm & ipſi in partem & conſenſum comprehenduntur communi oblatione & vituli & hirci. Neglectus ergo Principis, & Sacerdotis, vnà cum populi ignorantia expiandus erat; vnde nihil talium victimarum ſeponebatur pro ſacerdote, quoniam id non fiebat quando inter eos, pro quibus offerebatur, & ipſi Sacerdotes includebantur; vt dictum eſt Leuitici 4. ex [S] D. Thoma. Hinc in calce capitis huius, ne per obliuionem aliquid negligatur, mandatur de fimbrijs in angulis palliorum, &c. En quare iteratò tradatur lex pro ignorantijs. Quare non eadem ſit oblatio: quare ſeiunctim de Principe & Sacerdote, ſermo non fiat. Quod profectò ſi pænitiùs introſpiciatur, litera ſatis indicat. Niſi vno verbo, dicamus cap. 4. Leuitici tradi legem de ſacrificijs *pro ignorantia facti*, vt ibi dictum eſt ex S. Doctore in prima ſecundæ; [T] hic verò *de ignorantia iuris*, vt exprimere videtur textus, & contextus de fimbrijs inſuendis oſtendit; *quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini*. Nefas eſt autem vt Sacerdos, vel Princeps ignorantia iuris delinquat: non ſic populus, qui promiſcuè tot rudes colligit.

S p. 2. 102. 3. 8. & pl. 19.

T p. 2. 109. 1. 9.

VERSVS XXVII. *Quòd ſi anima vna neſciens peccauerit.*

Quamquam de ſingulari vnius peccato dictum pariter fuerit Leuitici 4. & 5. denuò agitur ſub eodem iuris & facti diſcrimine; neque dicitur vt offeratur aliquando aries, vt præfato c. 5. quod arguit digniorem perſonam, ſed capra vile animal, ex quo etiam nobilis, animi ſui vilitatem atque ignauiam deprehendat, dum non facti inconſideratione, ſed iuris ignorantia quaſi plebeius deliquit. Ponitur etiam ſeu potius commemoratur de ignorantia ad antitheſin mox dicendorum, de anima, quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit: is enim tanquam rebellis, & contemptor occidendus erat; vt hic decernitur, & recolit Angelicus citata p. 2.

VERSVS XXXV. *Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra.*

Opponit D. Thomas [V] ibidem tangens hoc factum, quaſi peccatum non multùm graue, graui nimis pœna puniatur: at reſpondet ſic: *ille qui colligebat ligna in ſabbato*, lapidatus fuit, tanquam legis violator, quæ ſabbatum obſeruare præcipiebat, in commemorationem ſidei nouitatis mundi, ſicut ſuprà dictum eſt: vnde occiſus fuit tanquam infidelis.

V p. 2. 105. a. 2. ad 9.

VERSVS XXXVIII. *Vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas.*

S. Doctor quærens Vtrum fuerit aliqua rationabilis cauſa obſeruãtiarum cæremonialium, ſic arguit: [X] memoria mandatorum Dei non pertinet ad corpus, ſed ad cor; inconuenienter igitur præcipitur Deuteronomij 6. vt ligarent præcepta Dei quaſi ſignum in manu ſua, & quòd ſcriberentur in limine oſtiorum; & quòd per angulos palliorum facerent fimbrias, in quibus ponerent vittas hyacinthinas in memoriam mandatorum Dei, vt habetur Numeri 15.

X p. 2. 102. 6. 7.

Ad ſeptimum, inquit, dicendum, quòd ſicut Hieronymus dicit ſuper Matthæum; *Dominus iuſſit, vt in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad populum Iſrael dignoſcendum ab alijs populis; vnde per hoc ſe eſſe Iudæos profitebantur; & ideò per aſpectum huius ſigni inducebantur in memoriam ſuæ legis*. Quod autem dicitur, *ligabis ea in manu tua, & erunt ſemper ante oculos tuos*; Phariſæi malè interpretabantur ſcribentes in membranis decalogum Moyſi, & ligabant in fronte quaſi coronam, vt ante oculos moueretur: cum tamen intentio Domini mandantis fuerit, vt ſignarentur in manu, ideſt in operatione, & eſſent ante oculos, ideſt in meditatione. In hyacinthinis autem vittis, quę pallijs inſerebantur, ſignificatur cęleſtis intentio, quæ omnibus operibus noſtris debet adiũgi. Poteſt etiã dici, quòd quia populus iſte carnalis erat, & duræ ceruicis, oportuit etiam per huiuſmodi ſenſibilia, eos ad legis obſeruantiam excitari.

Sic alibi, [A] Præcepit Dominus, vt facerẽt fimbrias; quia voluit, vt diſcerneretur populus Iudaicus ab alijs populis; & iſti vt magis oſtenderent ſe Religioſos, magnificabant fimbrias, & alligabant ſpinas, vt viderentur ſe pungere, vt recordarentur ſe eſſe Iudæos. Hinc ſecundum [B] ſtatutum Concilij generalis, Iudæi vtriuſque ſexus in omni Chriſtianorum Prouincia, & in omni tempore aliquo habitu ab alijs populis debent diſtingui. Hoc eis etiam in lege eorum mandatur, vt ſcilicet faciant fimbrias per angulos palliorum, per quos ab alijs diſcernantur. Sic D. Thomas ad Duciſſam Brabantiæ quærentis ſi bonum eſſet, vt per Prouinciam ſuam Iudæi ſignum diſtinctiuum à Chriſtianis deportare cogantur. De hoc etiam in Matthæum; Præcipiebatur in lege, quòd in quatuor angulis veſtis portarent fimbrias; [C] & ibi habebant tympana ad memoriam mandatorum Dei, & vt ſic ab alijs dignoſcerentur. Et hanc veſtem Chriſtus habebat.

A Matth. 23.

B opuſc. 21.

C Matth. 9.

CAPVT XVI.

1 ECce autem Core filius Isaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan atque Abiron filij Eliab,
Hon quoque filius Pheleth de filijs Ruben, 2 surrexerunt contra Moysen, alijque
filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore con-
cilij per nomina vocabantur. 3 Cumque stetissent aduersùm Moysen, & Aaron, dixerunt: Eccl. 45. c.22.
Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur eleuami- Iudæ 1. c.
ni super populum Domini? 4 Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem: 5 lo- 11.
cutusque ad Core, & ad omnem multitudinem. Mane, inquit, notum faciet Dominus, qui 1.Cor.10.
ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi, & quos elegerit, appropinquabunt ei. 6 Hoc b.10.
igitur facite: Tollat vnusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum, 7 &
hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino, & quemcumque elegerit, ipse
erit sanctus: multum erigimini filij Leui. 8 Dixitque rursum ad Core: Audite filij Leui.
9 Num parum vobis est quòd separauit vos Deus Israel ab omni populo, & iunxit sibi, vt
seruiretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei? 10
idcirco ad se fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Leui, vt vobis etiam sacerdo-
tium vendicetis, 11 & omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron, vt
murmuretis contra eum? 12 Misit ergo Moyses vt vocaret Dathan, & Abiron filios Eliab.
13 Qui responderunt: Non venimus. 13 Numquid parum est tibi quòd eduxisti nos de
terra, quæ lacte, & melle manabat, vt occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?
14 Reuera induxisti nos in terram, quæ fluit riuis lactis, & mellis, & dedisti nobis posses-
siones agrorum, & vinearum, an & oculos nostros vis eruere? non venimus. 15 Iratusque
Moyses valde, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum; tu scis quòd ne asellum qui-
dem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. 16 Dixitque ad Core:
16 Tu, & omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, & Aaron die crastino se-
paratim. 17 Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Do-
mino ducenta quinquaginta thuribula. Aaron quoque teneat thuribulum suum. 18 Quod
cum fecissent, stantibus Moyse & Aaron, & 19 coaceruassent aduersùm eos omnem mul-
titudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. 20 Locutusque Domi-
nus ad Moysen, & Aaron, ait: 21 Separamini de medio congregationis huius. vt eos re-
pente disperdam. 22 Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus
spirituum vniuersæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet? 23 Et ait
Dominus ad Moysen: 24 Præcipe vniuerso populo vt separetur à tabernaculis Core, &
Dathan, & Abiron. 25 Surrexitque Moyses, & abijt ad Dathan, & Abiron: & sequenti-
bus eum senioribus Israel, 26 dixit ad turbam: Recedite à tabernaculis hominum impio-
rum: & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. 27 Cum-
que recessissent à tentorijs eorum per circuitum, Dathan, & Abiron egressi stabant in introi-
tu papilionum suorum cum vxoribus, & liberis, omnique frequentia. 28 Et ait Moyses:
in hoc scietis, quòd Dominus miserit me vt facerem vniuersa quæ cernitis, & non ex pro-
prio ea corde protulerim. 29 Si consueta hominum morte interierint, & visitauerit eos
plaga, qua & cęteri visitari solent, non misit me Dominus: 30 sin autem nouam rem fece-
rit Dominus, vt aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, de-
scenderintque viuentes in infernum, scietis quòd blasphemauerint Dominum. 31 Con- Psal. 105. b.17.18.
festim igitur vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum: 32 & aperiens os suum, Deut. 11.
deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum: 33 descenderuntque a.6.
viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. 34 At verò omnis Is-
rael, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne fortè, & nos terra
deglutiat. 35 Sed & ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui
offerebant incensum. 36 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 37 Præcipe
Eleazaro filio Aaron sacerdoti vt tollat thuribula quæ iacent in incendio, & ignem huc il-
lucque dispergat: quoniam sanctificata sunt 38 in mortibus peccatorum: producatque
ea in laminas, & affigat altari, eo quòd oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata
sint, vt cernant ea pro signo, & monimento filij Israel. 39 Tulit ergo Eleazar sacerdos
thuribula ænea, in quibus obtulerant hi, quos incendium deuorauit, & produxit ea in lami-
nas, affigens altari: 40 vt haberent postea filij Israel, quibus commonerentur, ne quis ac-
cedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne
patiatur sicut passus est Core, & omnis congregatio eius, loquente Domino ad Moysen.

41 Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Iſrael ſequenti die contra Moyſen & Aa-
ron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini. 42 Cumque oriretur ſeditio, & tumultus
increſceret, 43 Moyſes, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, poſtquam
ingreſſi ſunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini. 44 Dixitque Dominus ad Moy-
ſen: 45 Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque iacerent
in terra, 46 dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte
incenſum deſuper, pergens citò ad populum vt roges pro eis: iam enim egreſſa eſt ira à Do-
Supr. 18. d. 21. mino, & plaga deſæuit. 47 Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudi-
nem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama: 48 & ſtans inter mortuos ac vi-
uentes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit. 49 Fuerunt autem qui percuſſi ſunt,
quatuordecim millia hominum, & ſeptingenti, abſque his qui perierant in ſeditione Co-
re. 50 Reuerſuſque eſt Aaron ad Moyſen ad oſtium tabernaculi fœderis, poſt quam quieuit
interitus.

1 VERSVS I. *Ecce autem Core &c.*

In hoc capite denarratur ſeditio oborta contra Moyſen & Aaron, proritantibus præcipuè Core Dathan Abiron atque Hon. Vt aduertit autem S. Doctor, Dathan & Abiron fecerunt [A] ſchiſma contra Moyſen pro principatu populi, & tùnc Core inſurrexit contra Aaron pro principatu ſacerdotij. Patet ex litera qualiter ſint rebelles iſti oblocuti: & populum quidem commouerant ferme totum, cum *coaceruaſſent*, vt dicitur verſu 19. *aduerſùm eos omnem multitudinem*: vnde & Dominus comminatus eſt, vt deleret eos omnes; niſi proni Moyſes, & Aaron exoraſſent Dominum. Habetur etiam ex verſu 28. quam inſerrent calumniã Moyſi, dũ inquit, *in hoc ſcietis quòd Dominus miſerit me, vt facerem vniuerſa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim*. Ex Epiſtola Sancti Iudæ [B] vbi hæreticis prænunciat meritum *væ*, inquit, in *contradictione Core perierunt*, tangens motiuum ſuperbiæ: nàm & hæretici ex gloſſa appetitu indebiti primatus, ab vnitate Eccleſiæ ſe diuidunt; ſic illi ex S. Doctore, ambitione honoris. Eccleſiaſtici 45. *Tacti commemorantur Dathan & Abiron inuidia: & congregatio Core iracundia*. Ex Thragge apud Ioannem Stobeum Ser. 1. Contentio bonorum ſeu ambitio, oritur ex vi iraſcibili, quæ etiam cum in exceſſu fuerit, gignit feritatem. Hinc illos increpauit Moyſes dicens, *multùm erigimini filij Leui*.

A Pſ. 40.

B Epiſtola Iudæ.

VERSVS V. *Manè notum faciet Dominus &c.*

Sic Moyſes ad Core, & ad omnem multitudinem. Comminatur ergò ſatis, ſumma in Deum fiducia, qua debuiſſent terreri, Domini vltionem proximam: nam mane, exponitur pro [C] citò: & quoniam adiecit, *& quos elegerit appropinquabunt ei*; notatur ibidem iudicij diuini ſubtilitas, pſ. 46. *elegit nobis*, ideſt in nobis, *hæreditatem ſuam*. Conuocat etiam Dathan & Abiron, fortè vt commoneſaciat: at illi proteruè, ac irriſoriè renuerunt venire. *Non venimus*. Poſtquàm hæc excitamenta non profuerunt, populi, indulgente Domino, ſaluti conſulitur.

C In præfat. Machab.

2 VERSVS XXVI. *Dixitque ad turbam: recedite à tabernaculis hominum impiorum &c.*

De hoc in Hieremia. [D] Fugienda eſt ſocietas malorum, quia inficiunt verbis 1. Cor. 15. *corrumpunt bonos mores colloquia mala*. Trahunt exemplis, pſ. *cum peruerſo peruerteris*. Officiunt quantùm ad famam, Eccleſiaſtici 13. *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*. Inuoluunt quantùm ad pœnam, Num. 16. *recedite &c. ne inuoluamini in peccatis eorum*. Quoniam verò referente S. Doctore, [E] fuere Donatiſtæ dicentes, debere nos corporaliter deſerere malam ſocietatem, quod hìc dicitur, & ſimiliter Iſaiæ 52. *recedite recedite, exite inde*, cum Apoſtolo 2. Cor. 6. *exite de medio eorum & ſeparamini*, grano ſalis eſt intelligendum: ſcilicet de ſeparatione ſpirituali, non ſequendo vitam eorum: *ſeparamini*, ideſt longe ab eorum conſenſu ſitis. Matthæi 10. *veni enim ſeparare &c.* Et paulo antè: *exite*; vt exeamus ab eis relinquendo peccata. Hanc ipſam ſpiritualem ſeparationem monet in primo Apocalypſis Commentario, ad illa verba: *exite de illa populus meus, ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis*: [F] vbi præter præſentem locum fert illud Ieremiæ 51. *egredimini de medio eius, populus meus: vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini*. Et ſic priùs [G] ibi, *omnis inſula fugit*: fugit, inquit, de Babylone, ideſt de malorum ſocietate, ne cum eis inuolueretur in culpa & pœna, Iſaiæ 52. *recedite recedite &c.* Quocircà rem pleniùs definiens, [H] definit quòd conuiuere peccatoribus, infirmis quidem eſt vitandum, propter periculum, quod eis imminet, ne ab eis ſubuertantur: Perfectis autem de quorum corruptione non timetur, laudabile eſt, quòd cum peccatoribus conuerſentur, vt eos conuertant; ſic enim Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat, vt dicitur Matthæi 9. Conuictus tamen peccatorum quantùm ad conſortium peccati vitandus eſt omnibus. Et ſic dicitur 2. ad Cor. 6. *exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis*, ſcilicet ſecundùm peccati conſenſum. Contra Donatiſtas D. Auguſtinus Tomo 2. Epiſt. 48. 50. & 166.

D Ierem. 2.

E 2. Cor. 6. 1. 3.

F Apoc 18.

G Apoc 16.

H 2. 2. 25. 6. 5.

Nihilominùs præter hactenùs dicta, aliud docemur per hanc ſeparationis iniunctionem, ſcilicet quomodo ſint puniendi ſchiſmatici, nempe excommunicatione. In duobus quippe peccat ſchiſmaticus: in vno, quia ſeparat ſe à communione membrorum Eccleſiæ; & quantùm ad hoc, conueniens pœna ſchiſmaticorum eſt, vt excommunicentur. In alio verò, quia ſubdi recuſant capiti Eccleſiæ: & ideò quia coerceri nolunt per ſpiritualem poteſtatem Eccleſiæ, iuſtum eſt, vt poteſtate temporali coerceantur. Vt probet hoc S. Doctor, inducit locum iſtum Numeri, *recedite à tabernaculis hominum impiorum*, qui ſcilicet ſchiſma fecerunt. [I] Ex quo colligo, fuiſſe

I 2. 2. 39. 4.

quan-

quandam speciem excommunicationis; quam contemnentes, alio potestatis brachio repressi sunt, quia vt dicitur Sap. 11. *per quæ peccat quis, per ea debet puniri.*

VERSVS XXXI. *Confestim igitur vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum.*

3 Grauis valde pœna & Dathan & Abiron, dùm hiatu terræ viui absorpti fuerunt, & igne Core cum suis interfectus est. Hanc tanquam insolitam admiratus Angelicus, quærit [L] cur (quod ait Hieronymus) peccatum schismatis magis punitum sit, quàm aliquod aliud peccatum: id ipsum tractat argumentum & in 22. [M] Et in priori quidem loco, ad quartum ait; quòd quamuis schisma fuerit grauius punitum, quantùm ad nouitatem pœnæ; quod expediebat, vt Prælati Ecclesiæ non contemnerentur: tamen infidelitas est magis punita, quantùm ad multitudinem punitorum, vt patet in Exodo, c. 32. In secundo loco, occurrens paritati de populo, non adeò acriter punito ob infidelitatem siue idololatriam; Respondet dicendum, quod populo illi manifestum erat iam, per legem susceptam, quòd erat vnus Deus; & quòd non erant alij Dij colendi: & hoc erat apud eos per multiplicia signa confirmatum; & ideò non oportebat quòd peccantes contrà hanc fidem per idololatriam punirentur inusitata aliqua pœna, sed solùm communi. Sed non erat sic notum apud eos, quòd Moyses deberet esse semper eorum Princeps: & ideò rebellantes eius Principatui, oportebat miraculosa, & inconsueta pœna puniri. Vel potest dici quòd peccatum schismatis, quandoque grauiùs est punitum in populo illo, qui erat ad seditiones & schismata promptus: dicitur enim Esdræ 1. c. 4. *ciuitas illa à diebus antiquis aduersùm Reges rebellat, & seditiones & prælia concitantur in ea*: pœna autem maior quandoque infligitur pro peccato magis consueto: nàm pœnæ sunt medicinæ quædam ad arcendum homines à peccato: vnde vbi est maior pronitas ad peccandum, debet seuerior pœna adhiberi.

[L 4.13.2. 2.4.] [M 2.2.19. 2.1.]

4 Alibi profundam tradit doctrinam: Pœnæ quæ inferuntur [N] à Deo in futura vita, respondent grauitati culpæ; vnde Apostolus ad Romanos 2. dicit, *quòd iudicium Dei est secundùm veritatem in eos, qui talia agunt*: sed pœnæ quæ in præsenti vita infliguntur, siue à Deo siue ab homine, non semper respondent grauitati culpæ: interdùm enim minor culpa grauiori pœna punitur temporaliter, propter maius periculum euitandum; pœnæ enim præsentis vitæ quasi medicinæ adhibentur. Peccatum autem schismatis perniciosissimum est in rebus humanis, quia dissoluit totum regimen humanæ societatis. Adde tu ex Apostolo: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt;* [O] contra potestatis ordinem agendo. Quod quidem potest intelligi vno modo de damnatione æterna, quam merentur, qui potestatibus subijci nolunt, in eo quod debent. In cuius exemplum Dathan, & Abiron, qui Moysi & Aaron restiterunt, sunt à terra absorpti: Alio modo potest intelligi de damnatione pœnæ, quæ per ipsos Principes infertur, Prouerb. 20. *sicut rugitus Leonis, ita & terror Regis: qui prouocant eum, peccant in animam suam.*

[N de malo 2.a.10. ad 4.] [O Rom. 13.l.1.]

VERSVS XXXI. *Deuorauitque illos cum tabernaculis suis.*

Quoniam vt paulò ante legitur, Dathan & Abiron stabant in introitu papilionum suorum, cum vxoribus & liberis, elicitur fuisse sine dubio omnes absorptos. Quærit S. Doctor de hac re, quomodo paruuli Sodomitarum licèt haberent ignorantiam inuincibilem, cum parentibus perierint Genes. 19. & paruuli etiam alij pro peccato Dathan & Abiron pariter cùm eis absorpti sint; & Respondet: [P] quòd paruuli diuino iudicio, simul puniuntur temporaliter cùm parentibus; tùm quia sunt res parentum, & in eis etiam parentes puniuntur: tùm etiam quia hoc in eorum bonum cedit, ne si reseruarentur, essent imitatores paternæ malitiæ, & sic grauiores pœnas mererentur. Dat ergo S. Doctor fuisse aliquos paruulos, quamquam ex sacro textu expressè non habeatur: quos quidem si contigit etiam innoxios mori, dùm sub oculis parentum factum est, non est dubium, cessisse repentinum etiam pignorum casum, in duram pœnam. Aliàs vt subdit, postquàm adoleuissent, vel memores, vel relatu, vltionem parentum sæuam expendentes non rectè; quis scit? fuissent denuò in Moysen, proinde atque in Dominum insurrecturi, ex quo exitio sæuiori perderentur. 5

[P 2. 2. 108.4.3.]

De filijs Core non ita; siquidem quod fertur cap. 26. *Et aperiens os suum deuorauit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros; & factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij illius non perirent.* S. Doctor in psalmum: [Q] Core crematus est, non tamen omnes de familia sua, in hoc consenserunt; & ideò isti remanserunt. At si non consenserunt eorum aliqui in culpam, quid mirum si euaserint pœnam? Cur ergò legimus, *factum est grande miraculum?* sustine vsque dùm ad caput 26. perueniamus. 6

[Q Psalm. 40.]

VERSVS XXXXI. *Murmurauit autem omnis multitudo sequenti die.*

Quàm duræ ceruicis populus! Pridie terrore correptus qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens, *ne fortè & nos terra deglutiat*: nunc iterum in seditionem pronus tumultuatur. Nota autem ex S. Doctore, [R] locum memorari in Genesi, *ad aream Arad, quæ sita est trans Iordanem*: vbi secundùm aliquos populus contrà Dominum murmurans igne consumptus est; & secundùm Hieronymum, est trans Iordanem, in Orientali parte, à Iordane ad duo milliaria. Et quoniam tunc prætergressi sunt locum, in quo debebat Iacob sepeliri, ibique celebrauerunt exequias planctu magno, atque vehementi, adiecit D. Thomas: quare autem hoc fecerint, non patet ratio literalis ex textu. Et fortè fuit hoc propter aliqua prælia, vel pericula, quæ in recta via timebant, & ideò fortè illuc declinauerunt ad horam. Quacumque autem ex causa hoc fuerit, hic à Moyse non refertur, tùm vt ostendat planctum istum ibi tunc factum, fuisse præsagium mali, quod postea contigit ibi; tùm etiam propter alia mysteria. Aliqualiter tamen verum est quod dictum est à populo Moysi & Aaron: *Vos interfecistis populum*: per ipsos enim innotuit populi mors, promerita magis, vt notat Roman. 7. l. 2. Apostolus de hoc in prima ad Corinthios: *Neque*

[R Genes. 50.]

murmurauerititis, *ficut quidam eorum murmurauerunt*,
S 1. Cor. 10.l.2. *& perierunt ab exterminatore*; [S] ab Angelo
fcilicet, qui extrà terminos terræ eos percuffit.
Baruch 3. *exterminati funt*, *& ad inferos defcenderunt*. An fuerit Angelus bonus;vel malus,minifter cædis huius; vide Exodi 12. verfu 29.

VERSVS XXXXVI. *Dixit Dominus ad Aaron: tolle thuribulum*, &c. *pergens citò ad populum*, *vt ores pro eis*.

Non folùm preces fudit Aaron,fed & Moyfes; fic enim Hebræorum 11.de vtrôque dicitur;
T Hebr. 11.l.7. *extinxerunt impetum ignis*: vbi Angelicus, [T] ad
preces Moyfi & Aaron extinctus eft ignis, qui miffus à Domino deuorabat populum murmurantem, ficut patet Numeri 11. & 16. Quoniam autem, vt loquitur Apoftolus primæ Corinthiorum 10. allato, hæc *omnia in figura contingebant illis*,bene fubdit ad Hebræos S. Doctor:ignis ifte eft interior motus concupifcentiæ, vel iræ; qui ergo refrænat iftum motum, extinguit impetum ignis. Ex quo, per me, datur intelligi, potuiffe & Moyfen & Aaron à confpiratoribus fuperftitibus auertere plagam, quoniam in populum quamuis acerrimum hoftem,fauciati non erant vulnere iracundiæ, ac odij: vnde credendus eft mitis Aaron, quemadmodum mitiffimus Moyfes.

7 Rogabis, cur Moyfes Aaron mittit ad populum vt oret, thuribulumque deferat præcipit haufto igne, &c. Refpondeo feditionem potiùs fuiffe aduerfùs primatum Aaron, videntur enim murmuraffe de excidio Core: vnde & pari pœna ignis, confumpti funt. Idcircò, vt facerdotij dignitatem exinceps venerarentur, oraturus ipfe pergit offerendo thimiama. Vt ergo cum facrificium offerebatur pro peccato, cedebat pars vna ad vfum facerdotum, ad infinuandum peccatorum expiationem fieri per minifterium
eorum, vt in Leuitico [V] dictum eft: ita in præ- V p. 2. 102. 1.8.
fenti, quo arctiùs id populorum cordibus fit infixum, non nifi Aaron orante ceffat plaga. *Hæc* adijciebat D. Paulus loc. cit. *fcripta funt ad correptionem noftram*: fed heù extrà difciplinam fumus! Murmuratio, detractio, pafquilli, iam Orbem exurdant. Sanctus Auguftinus prophetico veluti fpiritu in Epiftola ad plebem Hypponenfem fic deplorabar. *Ad quid aliud fedent ifti*, *& quid aliud tractant*, *nifi vt cum Epifcopus*,*vel clericus*, *vel fanctimonialis ceciderit*, *omnes tales effe*
credant? Et iterùm, vt fertur 22. [X] *cum de ali*- X 2.2. 83. 7.
quibus qui fanctum nomen profitentur, *aliquid criminis*, *vel falfi fonuerit*, *vel veri patuerit*, *inftant*, *fatagunt*, *ambiunt*, *vt de omnibus hoc credatur*. Hinc
S. Doctor in opufculo: [A] de viris fpiritualibus, A op. 29 c. 20.
mala fi quæ funt vera extendunt, dubia afferunt, falfa confinguut, bona peruertunt. S. Paulus, Act. 23. *nefciebam fratres*, *quia Pontifex eft*. Quocirca D. Cyprianus, Epift. 65. *Quamuis Domino iam crucifixo facrilegi*, *& impij*, *& cruenti illi effe cœpiffent*, *nec iam quicquam de facerdotali honore*, *& auctoritate retinerent*; *tamen ipfum inane nomen*, *& vmbram quandam facerdotis cogitans Paulus*, nefciebam, *inquit*, &c.

CAPVT XVII.

1 ET locutus eft Dominus ad Moyfen, dicens: 2 Loquere ad filios Ifrael, & accipe
ab eis virgas fingulas per cognationes fuas, à cunctis principibus tribuum, virgas
duodecim, & vniufcuiufque nomen fuperfcribes virgæ fuæ: 3 nomen autem
Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas feorfum familias continebit: 4 ponefque
eas in tabernaculo fœderis coram teftimonio, vbi loquar ad te. 5 Quem ex his elegero, ger-
minabit virga eius: & cohibebo à me querimonias filiorum Ifrael, quibus contra vos mur-
murant. 6 Locutufque eft Moyfes ad filios Ifrael: & dederunt ei omnes principes virgas
per fingulas tribus: fueruntque virgæ duodecim abfque virga Aaron. 7 Quas cum pofuif-
fet Moyfes coram Domino in tabernaculo teftimonij: 8 fequenti die regreffus inuenit ger-
minaffe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs di-
latatis, in amygdalas deformati funt. 9 Protulit ergo Moyfes omnes virgas de confpectu
Domini ad cunctos filios Ifrael: videruntque, & receperunt finguli virgas fuas. 10 Dixit-
Hebr. 9. a 4. que Dominus ad Moyfen: Refer virgam Aaron in tabernaculum teftimonij, vt feruetur
ibi in fignum rebellium filiorum Ifrael, & quiefcant querelæ eorum à me, ne moriantur.
11 Fecitque Moyfes ficut præceperat Dominus. 12 Dixerunt autem filij Ifrael ad Moy-
fen: Ecce confumpti fumus, omnes perijmus. 13 quicumque accedit ad tabernaculum
Domini, moritur. num vfque ad internecionem cuncti delendi fumus?

VERSVS II. *Accipe ab eis virgas fingulas*.

1 Vt pleniùs murmur effrænis illius populi compefceretur, Dominus, qui mortem non vult peccatorum, dignatur miraculo facerdotium Aaron probare: ne quifquam auderet ipfum impetere, vtque fcirent, quam viderant illatam pœnam, ex grauitate culpæ grauem fuiffe: quoniam, vt docet in
A p. 2. 73. 9. prima fecundæ, [A] confideratur grauitas in
peccato fecundùm conditionem perfonæ in quâ peccatur. Et primò quidem ex parte Dei, cui tantò magis aliquis homo coniungitur, quantò eft virtuofior, & Deo facratior; & ideò iniuria tali perfonæ illata magis redundat in Deum, fecundùm illud Zachariæ 2. *qui vos tetigerit*, *tangit pupillam oculi mei*. Cæterùm complacuit fibi Dominus hac via facerdotium Aaron confirmare ad noftram doctrinam. Docemur in primis quod ait Apoftolus Hebræor. 5. *ne quifquam fumat fibi honorem*, *fed qui vocatur à Deo tanquam*
Aaron. Hoc [B] non habet difciplina Dei, vt B Hebr. 5.l.1.

quis-

quiſquam ſibi ſumat honorem fauore, pecunia, potentia. Tales ergo debent aſſumi, qui non ſe ingerunt: vndè antiquitùs ſigno viſibili oſtendebantur, ſicut patet de Beato Nicolao, & multis alijs. Hoc eſt contrà naturam, quòd aliquid perducat ſe ad ſtatum altiorem ſua natura, ſicut aer non facit ſe ipſum ignem, ſed fit à ſuperiori. Vbi ſanctus Epiſcopus Haymon; *confundit autem ac percutit beatus Apoſtolus ſacerdotes cupidos honoris, & ſacerdotij auidos; qui ſpontè immittunt ſe, & ingerunt ad miniſterium ſacerdotale, non vocatione Dei, vel voluntate; ſed potius interuentu munerum; quia non pro ſalute populi, ſed pro ambitione ſaculi hoc agunt.* Eccleſiaſtici 7. *noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris. Porrò ergo*, ait Magiſter Soto lib. 10. de inſtitia & iure q. 2. a. 1. *depudendum eſt, quòd tam licenter tamque perfricata fronte, Præfecturæ petantur, procurentur & ambiantur.* S. Gregorius in Regiſtro; *recuſantibus dignitates Eccleſiaſticæ ſunt conferendæ, petentibus autem ſunt deneganda.* Et ſanctus Ioannes Chryſoſtomus hom. 35. in Matthæum; *primatus fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe odit.*

Docemur deinde, ſpeciali quadam ratione velle Deum concurrere ad ſacerdotij, & Prælaturæ collationem, quando præcipit virgas poni in tabernaculo fœderis, coram teſtimonio.

C Quodl. 11. a. 36.

S. Doctor in Quodlibeto [C] hanc ad rem, negat recurri poſſe ad ſortes, quia fieret iniuria Spiritui-Sancto, qui creditur firmiter eſſe in Eccleſia, vel in Collegio. Quamuis ergò Deus operetur per cauſas ſecundas, vt ipſis cauſandi dignitatem impertiat, indignum valde eſt, vt qui electurus eſt, Dei oblitus, carnem dumtaxat reſpiciat, & ſanguinem, acceptorque ſit perſonarum: quando Actor. 10. monet Petrus; *in veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus*: cum Samuel 1. Reg. 16. renunciaturus Regem Iſrael, abiecto Saule, audiuit à Domino, *ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius*; ſemelque & iterum adiecit; *nec hunc elegit Dominus*; & tertiò; *non elegit Dominus ex iſtis.* De Dauid autem, qui erat *paruulus, & paſcebat oues*, dixit Dominus: *ſurge, & vnge eum; ipſe eſt enim*: auertat, vt eligamus aliquando eos, quos non elegit Dominus.

Docemur tertiò, qualiter oporteat non extemplò aut ex tempore in votum prælectionis erumpere: cùm enim ſint *mortalium cogitationes timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ* Sapientiæ 9. ſtultum eſt impræmeditatò quidquam, ſi maximè grauius ſit, agere. Pleraque primo obtutui videntur pulchra, quæ cominùs introſpecta deformia noſcuntur. Sic & probitatis ſpeciem nonnulla præſeferunt, nec tamen propterea vt oſtentant, bona ſunt. Et ad rem noſtram, non ſufficit integritas viri, exigitur vt ſit bonus ciuis: hoc animaduertit Philoſophus 3. Politicorum, & 5. Ethicorum c. 3. vbi diſtinguit inter virum bonum, & bonum ciuem. Fortè hac de cauſa voluit Dominus, qui poterat vix conſcriptis in vnaquaque virga nominibus, electam ſubito reddere germinantem, decurreret temporis mora: ſequenti quippe die, regreſſus eſt Moyſes, & inuenit germinaſſe virgam Aaron; ne ſcilicet præcipiti excurſu ſuffragia præficiendis daremus: non ictu oculi, vbi floreſcat arbor cernitur onuſta fructu. Philoſophus 6. Ethicor. c. 9. *oportet velociter operari conſiliata: at conſiliari tardè.* Nox opportunè ſuis ſilentijs adſtipulatur conſilio. Nocte germinauit hæc virga.

Sed audio ſcrutari quempiam, cur hoc virgæ oſtento, eiuſdemque flore, fronde ac fructu voluerit Dominus, in ſacerdotio alijs Aaron præferre? Reſpondeo, perſpectum ex ſacris literis eſſe, virgam eos qui præſunt decere pſ. 2. *reges eos in virga ferrea*; & ſic Leuitici 27. *quæ ſub paſtoris virga tranſeunt*: proinde ponitur pro vi coercitiua ac punitiua, quæ ijs qui regunt alios, ineſſe debet. 1. Corinth. 4. *in virga veniam ad vos, vel in charitate*; ad correctionem nimirum: nam Prouerb. 13. *qui parcit virgæ, odit filium*; diciturque *virga diſciplinæ* Prouerb. 22. *fugabit ſtultitiam*, vt ibi [D] Sanctus Doctor. Diſciplina autem ad rem ex eodem [E] dicitur, quæ ad alicuius correctionem adhibetur; ſiue verba ſint, ſiue verbera. Alibi autem, [F] Diſciplina dicitur à diſcendo; pueri verò, qui addiſcunt, flagellis erudiuntur; & ideo diſciplina aliquando ſumitur pro ſcientia, vt in principio primi poſteriorum: *omnis doctrina, & omnis diſciplina*, &c. quæ græcè dicitur *Epiſteme.* Aliquando autem ſumitur pro correctione, & græcè dicitur *Padia*: ſed in latino non habent nomina ita diſtincta. Hæc D. Thomas. Recole in pſ. 22. *virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Vbi ait. [G] Hoc poteſt dupliciter exponi, vno modo vt per virgam intelligamus directionem viæ, pſ. 44. *virga directionis, virga regni tui*: per baculum intelligamus ſuſtentaculum, Tobiæ 5. *baculum ſenectutis noſtræ.* Alio modo, vt exponatur hoc pertinere ad correctionem, & ad ſeueriorem diſciplinam: illa per virgam, hæc per baculum. 3

D 1. Cor. 4. l. 3.
E op. 41. l. 5. c. 14.
F Hebr. 12. l. 2.
G Pſalm. 22.

Per baculum, quo vtuntur Epiſcopi, [H] ſignificatur cura paſtoralis, qua debent colligere vagos, quod ſignat curuitas in capite baculi; ſuſtentare infirmos, quod ſignificat ipſe ſtipes baculi; ſed & pungere lentos, quod ſignificat ſtimulus in pede baculi: vnde verſus; *collige, ſuſtenta, ſtimula vaga, morbida, lenta.* Vbi addit: Romanus Pontifex non vtitur baculo, quia Petrus miſit ipſum, ad ſuſcitandum quendam diſcipulum ſuum, qui poſteà factus eſt Epiſcopus Treuerenſis: & ideò in Diœceſi Treuerenſi Papa baculum portat, & non in alijs. Vel etiam in ſignum, quòd non habet coarctatam poteſtatem; quod curuatio baculi ſignificat. Sic alibi: [I] per virgam Aaron repræſentabatur poteſtas regiminis. (Et paulo poſt) Sacerdotalis dignitas in Arca ſignificabatur per virgam; quia ſacerdos regit populum per poteſtatem diuinam, quam virga ſignificat; & fructum ſui regiminis, ſcilicet ſanctitatem populi, Deo offert. Virga [L] diſciplinæ non eſt virga conterens, ſed virga fructum ſalubrem ferens: ſicut virga Aaron, virga eſt directionis, filios Dei dirigens in via regni cœleſtis. In primo Comm. Apoc. ad illa verba, *& reget eas in virga ferrea*, [M] Aaron triplici indicio vocatus fuit, ſcilicet virgæ floritione, fronditione, & fructificatione. Virga eſt adoleſcentia: qui ergo in adoleſcentia ſua floruit per bonam opinionem, fronduit per honeſtam conuerſationem, fructificauit per bonam operationem, poteſt poſteà eligi ad Prælationem: aliter, non. 4

H 4. 24. 3. 3.
I p. 2. 102. 4. 6.
L op. 41. l. 5. c. 33.
M Apoc. 2.

Fuit autem eiuſmodi Virga potiſſimè Beatæ 5

N op. 60. c. 1. Virginis figura: hine D. Bernardus. [N] *Quod Moysi monstratum est in rubo & igne; Aaron in virga & flore; Gedeon in vellere & rore; hoc apertè vidit Salomon in forti muliere, & pretio eius; apertiùs præcinuit Ieremias de fœmina & viro; apertissimè Isaias in Virgine & Deo.* Sic Diuus Thomas pluribus in locis subscribit; & quidem in Apocalypsi præ- O Ap. 5. in princ. fata: [O] Conceptio, inquit, & natiuitas Saluatoris, figuratæ fuerunt in virga Aaron, quæ vna nocte floruit, frondui & fructum fecit. In Isa- P Isaiæ 11. iam [P] quoque, ibi, *egredietur virga*, Virga, inquit, cui nullus frutex adhæsit; fertque ex Numeri 24. *orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel*: quam inter cætera encomia, ex hoc loco, virgam fructificantem compellat. Et in Ser- Q Serm. de Annũciatione. mone [Q] astruit esse Deiparam virgam gloriosam, quia floruit sine humore, fronduit sine corruptione, parturiuit sine læsione: & addit; de his tribus Numeri 17. Vides ergo quomodo virginitas matris Dei in miraculosa virgæ huius germinatione clarescit: vnde & canit Ecclesia, *germinauit radix Iesse*; succisa siquidem virga, naturæ vi sterilescit; & concinit hoc visioni illi, Danielis 2. cùm de monte *abscissus est lapis sine manibus*; atque alteri Isaiæ tropo, c. 53. *ascendet sicut radix de terra sitienti*. Meritò de illa Bernardus, *longè ante cœlitus repromissa; mysticis præfigurata miraculis; oraculis prænuntiata propheticis*. Hinc Augustinus relatus op. 60. c. 1. *Dicat mihi Iudæus incredulus, quemadmodum virga arida floruit, & fronduit, & nuces protulit: & ego dicam illi, quemadmodum Virgo concepit, & peperit.* Tu nota lector transferri ab aliis *nuces*; nux autem est genus respectu amygdali.

6 Mirè autem videtur Spiritus-Sanctus donasse nobis in litera interpretationis huius figuralis indicia, dùm inquit: *sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo* Leui sic & Beata Virgo, *inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*: vt quid enim, nisi lateret mysterium, *ly in Domo Leui?* satis erat referri germinasse virgam Aaron, quem satis superque constabat esse de domo Leui: sed Beatæ Virginis stipes; *de stirpe Dauid*, floruit in domo Leui, quoniam quod ait Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 1. *cum euidenter dicat Apostolus Paulus, ex semine Dauid secundùm carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe Dauid, consanguinitatem duxisse; dubitare vtique non debemus: cuius fœminæ, quoniam nec sacerdotale genus tacetur, insinuante Luca, quòd cognata eius esset Elisabeth, quam dicit de filiabus Aaron, firmissimè tenendum est, carnem Christi, ex vtroque genere propagatam, & Regum scilicet & sacerdotum.* Hac de causa crediderim ego germinasse dici in domo Leui; de quo fusiùs Genesis 49. v. 10.

Et fortè idcircò fuit amygdalina virga, quia concepit Dei filium mense Martij, quo vix alia floret arbor præter amygdalum. Quamquam, quia floret vere, quo incipit adolescere annus, floridam Prælati adolescentiam, de qua dictum est, congruè designet. Virtutum ornamenta folia commonstrant. Quamuis autem, nunc virga in plures erumpat flores, cùm aliàs flos vnus a Virgine genitus sit; *ego flos campi* Cant. 2. *& flos de radice eius ascendet*; non propterea credenda est extorta expositio; quoniam, vt ait Chrysostomus in homilia Matthæi 20. ibi, & *murmurabant aduersus Patrem familias*; refertur que in Catena; non oportet ea quæ in parabolis sunt, secundùm totum quod dicitur, inuestigare, sed intentionem propter quam composita sunt, intelligere, & nihil vltra scrutari. Nisi vltrà primogenitum Christum Dominum, alios quasi in adoptionem habere dicatur Mater Virgo; iuxta quod, habemus ex Domino Ioannis 19. *mulier, ecce filius tuus*. Et Cãt. 7. *Venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Hinc D. Thomas in 1. Comm. Apocalypsis c. 6. Mirum est, inquit: Virgo vnum solùm granum tritici habuit in ventre, & tamen dicit, *sicut aceruus*; sed hoc est, quia ex illo grano infinita grana oriuntur, & in illo erant omnia per virtutem; Io: 12. *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*.

Quemadmodum autem prout accepimus stat virga hæc pro Virgine, ita quia Sacerdotij insigne fuit, figurat Christum, qui est sacerdos in æternum, in quod scilicet sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech, erupit sacerdotium Aaron: hinc S. Doctor [R] perpendens relationem tabernaculi ad Christum, qui figurabatur, ait: erat autem in Arca virga, idest potestas sacerdotalis: quia ipse est factus *sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech*. R p. 2. 10. a 6.

CAPVT XVIII.

1 Dixitque Dominus ad Aaron: Tu & filij tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatẽ Sanctuarij: & tu, & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri: 2 sed & fratres tuos de tribu Leui, & sceptrum patris tui sume tecum, præstoque sint, & ministrent tibi: tu autem, & filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij. 3 Excubabuntque Leuitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat, vt ad vasa Sanctuarij, & ad altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul: 4 sint autem tecum, & excubent in custodijs tabernaculi, & in omnibus cæremonijs eius. Alienigena non miscebitur vobis. 5 Excubate in custodia Sanctuarij, & in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israel. 6 Ego dedi vobis fratres vestros Leuitas de medio filiorum Israel, & tradidi donum Domino, vt seruiant in ministerijs tabernaculi eius. 7 Tu autem & filij tui custodite sacerdotium vestrum: & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur: si quis externus accesserit, occidetur. 8 Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam

primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur à filijs Israel, tradidi tibi, & filijs tuis pro
officio sacerdotali legitima sempiterna. 9 Hæc ergo accipies de his quæ sanctificantur &
oblata sunt Domino. Omnis oblatio, & sacrificium, & quidquid pro peccato, atque deli-
cto redditur mihi, & cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum. 10 In San
ctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi. 11 Primitias
autem, quas vouerint, & obtulerint filij Israel, tibi dedi & filijs tuis, ac filiabus tuis iure
perpetuo: qui mundus est in domo tua, vescetur eis. Omnem medullam olei, & vini, ac
frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi. 13 Vniuersa frugum initia,
quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vsus tuos: qui mundus est in domo
tua, vescetur eis. 14 Omne quod ex voto reddiderint filij Israel, tuum erit. 15 Quidquid
primum erumpit è vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, siue ex hominibus, siue de
pecoribus fuerit, tui iuris erit: ita dumtaxat, vt pro hominis primogenito pretium accipias,
& omne animal quod immundum est, redimi facias, 16 cuius redemptio erit post vnum
mensem siclis argenti quinque, pondere Sanctuarij. Siclus viginti obolos habet. 17 Pri-
mogenitum autem bouis, & ouis, & capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domi- Supr.3.g.
no: sanguinem tantùm eorum fundes super altare, & adipes adolebis in suauissimum odo- 48. Exod.30.
rem Domino. 18 Carnes verò in vsum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & b.11. Leuit.27.
armus dexter, tua erunt. 19 Omnes primitias Sanctuarij, quas offerunt filij Israel Domino, c.25. Ezech.41
tibi dedi, & filijs, ac filiabus tuis iure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram Domi- d.12.
no, tibi ac filijs tuis. 20 Dixitque Dominus ad Aaron: in terra eorum nihil possidebitis,
nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israel. 21 Fi-
lijs autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mi-
hi in tabernaculo fœderis: 22 vt non accedant vltra filij Israel ad tabernaculum, nec com-
mittant peccatum mortiferum, 23 solis filijs Leui mihi in tabernaculo seruientibus, & por-
tantibus peccata populi. legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud
possidebunt, 24 decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum, & necessaria separa- Deut.18. a.1.
ui. 25 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 26 Præcipe Leuitis, atque denun-
cia: Cum acceperitis à filijs Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domi
no, id est, decimam partem decimæ, 27 vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum,
tam de areis, quàm de torcularibus: 28 & vniuersis, quorum accipitis primitias, offerte
Domino, & date Aaron sacerdoti. 29 Omnia, quæ offeretis ex decimis, & in donaria
Domini separabitis, optima & electa erunt. 30 Dicesque ad eos: Si præclara, & meliora
quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area, & torculari dederitis primi-
tias: 31 & comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quàm familiæ vestræ: quia
pretium est pro ministerio, quo seruitis in tabernaculo testimonij. 32 Et non peccabitis
super hoc, egregia vobis & pinguia reseruantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel, &
moriamini.

IN hoc capite, misso quod tangitur de decimis, de quibus satis Genesis 14. & Leuitici vltimo dictum est, de primitiarum oblatione, quas Sacerdotibus addicit Dominus, sermo nonnullus est: vnde

VERSVS VIII. *Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum tuarum.*

Quocirca sciendum est, duplici ex causa oblatas fuisse primitias in veteri lege. Vna quidem communis, quæ proinde & apud nos viget, in recognitionem scilicet diuini beneficij, quasi aliquis profiteretur, se à Deo fructus terræ percipere, & ideò se teneri ad aliquid de huiusmodi Deo exhibendum: secundùm illud 1. Paralipomenon vltimo, *quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Et quia Deo debemus exhibere id quod præcipuum est, ideò primitias, quasi præcipuum aliquid de fructibus terræ, præceptum fuit Deo offerre; Deuteron. 26. *offero tibi primitias frugum terræ, quas Dominus dedit mihi*. Altera causa erat specialis propter speciale beneficium terræ promissionis, fructuumque illius, Iudæis collatum. Et sic eodem Deuteron. 26. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, accedesque ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum terram, pro qua iurauit patribus nostris vt daret eam nobis*. Cessauit autem hæc ratio, sicut ad præsentiam veritatis significatæ, cessauerunt cæremonialia omnia, quæ propriè erant in signum futuri. Quia verò Sacerdos constituitur pro populo in ijs quæ sunt ad Deum, ideò primitiæ oblatæ à populo, in vsum Sacerdotum cedebant, vnde dicitur Numeri 18. *Locutusque est Dominus ad Aaron*, &c. Pertinet autem ad ius naturale, vt homo ex rebus sibi datis à Deo aliquid exhibeat ad eius honorem, tanquam signũ præteriti beneficij; ex quo secundùm dictamen rationis debitum recognitionis causatur: sed quòd talibus personis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri lege iure diuino determinatum; in noua autem lege definitur per determinationem Ecclesiæ, ex qua homines obligantur vt primitias soluant secundùm consuetudinem patriæ, & indigentiam ministrorum. Hæc excerpsi ex D. Thoma.[a] Sed dices; Ibi ad tertium habet. Ra- a 2.2.86. 4.

tionabiliter tamen primitiarum quantitas non fuit determinata in lege; quia sicut dictum est, primitiæ dantur per modum oblationis, de cuius ratione est, quòd sit uoluntaria; quomodo ergò paulo antè in corpore vt relatum est, dixit: hoc quidem fuit in veteri lege iure diuino determinatum? Respondeo, non dicere in corpore, esse determinatam de iure diuino quantitatem primitiarum; sic enim manifestè sibi contradiceret; sed quòd, aliquid exhibere ad Dei honorem talibus personis, aut de primis terræ fructibus, aut *in tali quantitate*, arbitratia, determinatum fuit in lege veteri iure diuino. Et ita reuera est; nam fuit determinata pars in decimis. Itaque cum inquit de primis terræ fructibus, aut in tali quantitate, *ly quantitate tali*, non cadit super terræ fructibus primis, sed determinat generaliùs exhibita Deo. Ibidem tamen ad 3. fert D. Hieronymum in hæc verba; ex maiorum traditione introductum est, quòd qui plurimùm, quadragesimã partem dabant Sacerdotibus loco primitiarum: qui minimùm, sexagesimam: vnde addit ipse, videtur quòd inter hos terminos, sint primitiæ offerendæ secundùm consuetudinem Patriæ.

VERSVS XII. *Omnem medullam olei & vini ac frumenti*, &c.

2 Hæc inter primitias primitùs recensentur. Quoniam autem habemus ex Ps. 4. *à fructu frumenti, vini, & olei sui*: quod apprimè de diuinissimo Eucharistiæ Sacramento exponitur, meritò & hæc inde trahitur intelligentia. Hinc sanctus Doctor [B] in sermone astruens munditiæ necessitatem, cum qua debemus in comestione agni Eucharistici celebrare pascha, præsentem inducit contextum; *qui mundus est in domo tua vescetur eis*. Quod vt & litera & spiritu capiatur, bis non sine mysterio repetitur. Hinc D. Chrysostomus Serm. de Ascensione Domini: *Christus ascendens in cælum, nostræ naturæ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus est Pater, quod & tanta Dignitas offerebat, & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur*. Hæc ille. Debuerant Adam & Heua se se mundi in primordio tanquam naturæ primitias Deo offerre, sed Diabolo per peccatum originis, & se ipsos, & nascituros homines obstrinxerunt. Aiebant, meditatione Augustini Serm. de Passione, impiæ ac tartareæ legiones viso Christo ad Inferos; *Mundus ille, qui nobis subditus fuit, semperque nostris vsibus, mortis tributa persoluit, nunquam talem mortuum misit, nunquam talia inferis munera destinauit*. Vsque in illam horam, primitijs fraudabatur Deus humanis. Ipse primus naturam, quæ corrupta erat, recuperauit: ipse non vltrà moriturus resurrexit à mortuis, 1. Corinth. 15. *primitiæ dormientium*; semetipsum obtulit Deo Patri, qui & *viuificabit mortalia corpora nostra*: has primitias offerimus in altari quotidie; appellarique possunt, vt hic versu 19. *primitiæ Sanctuarij, quas offerunt filij Israel Domino, iure perpetuo*. Vnde

B Serm. in festo Resur. ex Epist.

VERSV eodem XIX. *Pactum salis est sempiternum coram Domino tibi, ac filijs tuis*.

3 Mirum certè est, cur Dominus adiecerit ly *salis*: cùm aliàs pactum sempiternum pluries expresserit sine addito illo, vt patet non semel Geneseos 17. Exponunt, *pacto salis*, idest firmo, inuiolabili ac perenni; eò quod sit sal symbolum incorruptionis, ac proinde perpetuitatis. At absit, vt intrà literã arctetur intelligẽtia: quamuis enim id verũ sit, vnde 2. Leuitici, *nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo*; attamen ipse libentiùs hoc ad mores trahendo, dixerim pactum salis, spiritalibus sacri Altaris primitijs adnecti, quoniam, qui ijs vesci debent, oportet putredine peccatorum intactos esse. Quòd si exactam munditiem ante accessum, velimus satis, ex antea dictis haberi, *qui mundus est vescetur eis*, potest quod de sale adiectum est, accipi de in futurum præseruatione. D. Chrysostomus hom. 15. in Matthæum, ibi, *vos estis sal terræ*, hanc salis proprietatem edisserit. *Quid igitur? ipsine putrefacta medicati sunt? nequaquam: neque enim fieri potest, vt ea quæ iam corrupta sunt, salis perfricatione reparentur. Non ergo hoc fecerunt: sed antè renouata, sibique tradita, atque ab illa iam putredine liberata, aspergebant sale, & in ea nouitate conseruabant, quam à Domino susceperant: liberare quippe à putredine peccatorum, Christi virtutis est; vt autem ad illa iterùm non reuertantur, Apostolorum curæ est ac laboris*. Nihilominùs Sacramentum, vt tradit S. Doctor, dupliciter [C] operari potest remissionem peccati: vno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primò iustificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet: fortè enim primò non fuit sufficienter contritus: sed deuotè & reuerenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati. Et adhùc propriùs salis naturam eminentiùs refert, quatenùs [D] per hoc Sacramentum præseruatur homo à peccatis futuris. Ioan. 6. *hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur*: Quod quidem, vt ibi, *in sed contra*, manifestum est non intelligi de morte corporali; ergò intelligitur quòd hoc Sacramentum præseruet à morte spirituali, quæ est per peccatum. Quibus accedit quod ait Augustinus Tract. 26. in Ioannem sub fin. *Cum cibo & potu id appetant homines, vt neque esuriant, neque sitiant: hoc veraciter non præstat nisi iste cibus, & potus, qui eos à quibus sumitur immortales, & incorruptibiles facit: idest societas ipsa Sanctorũ; vbi pax erit, & vnitas plena, atq; perfecta*.

C 3. p. 79. 3.

D loco cit. a. 6.

Apparet autem tali præludio sacram mensam signari, quoniam profana ea mensa etiam apud Ethnicos, teste Arnobio, apud Tirinum Leuitici 2. censebatur quæ salinum non haberet. 4
Consonat etiam ly *pactum salis*, consecrationis Calicis verbis: *hic est enim calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti*: nam ly *æterni*, ex traditione Domini habetur, vt inquit S. Doctor [E] tertia parte; quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit, secundùm illud, 1. Cor. 11. *ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. De quo alibi [G] loquens, nimirum in 2. Comm. Apocalyps. ibi, *habentem Euangelium æternum*, inquit: sicut in forma Calicis dicitur, *noui & æterni testamenti*, idest quo confirmatur noua & æterna promissio, secundùm Innocentium Tertium: idest promissio de æternis. Meritò autem creduntur arcana hæc præsignari, quando paulò antè de Sacerdotio mirificè tactum est: neque debuit sacra pagina, de sola corporis alimonia accura

E 3. p. 78. 3. 9.

G Apoc. 14.

tiùs

riùs agere, cùm ſine ſpirituali refectione, inedia langueſcens tabefiat anima. Et hac fortè de cauſa adeò inculcatur & Aaron & miniſtris, vt omni amandato deſidiæ torpore, vigili cuſtodia, miniſterio, muneriqueſuo præſto ſint.

Tria ſunt autem adhùc potiſſimè hoc in capite commemorata, & præcepta; vt ſcilicet per Aaron dumtaxat, & filios eius Sacerdotes, adminiſtrentur ea quæ ſunt intrà velum, quod erat interdictum Leuitis, vt patet verſu 3. & 7. Deinde conceſſis ſacerdotio plurimis, ex omni ſacrificio, oblatione & primitijs, à verſu 8. vſque ad 19. ſubditur verſu 20. *in terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.* De quo infra c. 35. Deuter. 17. & Ioſue 21. Denique decimas receptarum decimarum iubentur Leuitæ dare Aaron Sacerdoti, & quidem, vt ſint donaria eiuſmodi optima & ſelecta, egregia & pinguia, vt videre eſt à verſu 25. vſque in finem. Ipſe in his animaduerto triplex veluti Sacerdotium, legale ſcilicet; Chriſti; & beatificum. Legale in primis preſſiùs exprimitur, cùm de velo, intra quod non liceret promiſcuè ingredi, agitur. Sanè velum, quod ſolùm ad mortem Saluatoris ſciſſum eſt, legis veteris ſtatum, atque adeo illius Sacerdotium apprimè innoluit. Dum autem ſpecimen paupertatis, quæ in oblationibus dumtaxat ſpem poneret, ac proinde in Deo, in textu occurrit: *in terra eorum nihil poſſidebitis*; & rurſum: *nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vſus eorum & neceſſaria ſeparaui*: ecquid aliud niſi Euangelica aporia prætenditur 2. Corinth. 4. *aporiamur ſed non deſtituimur*, iuxtà illud Lucæ 22. *quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: nihil.* Primitiarum mentio, earundem addictio Aaron & filijs, figuratum tanquam dignius, potius quam Leuiticum Sacerdotium, palàm inſinuat. Quæ verò decimatio præſcribitur Leuitis de cunctis decimis facienda, dandaque Aaron Sacerdoti, non ne imperfectionem Leuitici, & incompletionem euangelici etiam miniſterij apertè demonſtrat? Hebræor. 7. *nihil ad perfectum adduxit lex*: & 1. Cor. 10. *cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Ibi *optima, electa & pinguia* ſunt: Iſaiæ 26. *& faciet Dominus exercituum, omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ: pinguiũ medullatorũ, vindemiæ defecatæ.* Ipſe tanquàm Summus Sacerdos (*date Aaron ſacerdoti*, expendo ly *Sacerdoti*) dixit poſt cœnam: *non bibam de genimine vitis vſque in diem illum cum illud bibam nouum in regno Dei.* Marci 14. Vbi Theophilatus in Catena D. Thomæ. *Vitis eſt ipſe Dominus; genimen vitis myſteria, & intellectus occultus, quem ipſe generat, qui docet hominem ſcientiam. In regno autem Dei*, ideſt *in futuro ſæculo, bibet cum ſuis diſcipulis myſteria, & ſapientiam; noua quædam nos docens, & reuelans, quæ nunc occultat.* Hic legimus; *reputabitur vobis, quaſi de area & torculari dederitis primitias: ſi præclara, & meliora quæque obtuleritis ex decimis.* Itaque ad vitem literaliter non arctatur intelligentia: proinde & quoad Sacerdotium altiori via fas eſt philoſophari.

Ad hæc ſanctus Doctor [H] in Geneſin. Nota (inquit) quòd ſicut Chriſti Sacerdotium triplicem habet actum, ſcilicet, redemptionis, iuſtificationis, & glorificationis; ſic in triplici termino temporum erat magnificandum. In primo enim Chriſtus veniens in carne mortali, de Romano Imperio triumphauit, & oſtenſus eſt legalis Sacerdotij finis; Apoſtolis ſe ipſi ſubdentibus tanquam Pontifici ſummo. In ſecundo veniens in ſpiritu, deſtruet ſuperbiam Antichriſti, & ſuæ euangelicæ paupertatis Sacerdotium, in ſe ipſo & in Apoſtolis primò exemplatum, exaltabit ſuper Sacerdotium, temporali, & carnali fulcimento, quaſi legalibus cæremonijs circumcinctum: ita quòd ipſe Chriſtus vt Pontifex, altiſſimæ paupertatis oſtendetur eſſe decorator; non autem Sacerdotij temporalis. In tertio veniet beatificus, vt omnes electos offerat in gloria Dei Patris, de omnibus hoſtibus triumphando, æternaliter monſtrando, quòd Sacerdotium beatificum decimat & perficit omne Sacerdotium huius vitæ. Hæc D. Thomas.

H Geneſ. 14.

C A P V T XIX.

1 LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens: 2 Iſta eſt religio victimæ,
quam conſtituit Dominus. Præcipe filijs Iſrael, vt adducant ad te vaccam rufam
ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portauerit iugum: 3 tradetiſque
eam Eleazaro ſacerdoti: qui eductam extra caſtra, immolabit in conſpectu omnium, 4 & Hebr. 13 b. 11.
tingens digitum in ſanguine eius aſperget contra fores tabernaculi ſeptem vicibus, 5 com-
buretque eam cunctis videntibus, tam pelle, & carnibus eius, quàm ſanguine, & fimo flam-
mæ traditis. 6 Lignum quoque cedrinum, & hyſſopum, coccumque bis tinctum ſacerdos
mittet in flammam, quæ vaccam vorat. 7 Et tunc demum, lotis veſtibus, & corpore ſuo,
ingredietur in caſtra, commaculatuſque erit vſque ad veſperum. 8 Sed & ille, qui com-
buſſerit eam, lauabit veſtimenta ſua, & corpus, & immundus erit vſque ad veſperum. 9
Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo, vt
ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis: quia pro peccato vac-
ca combuſta eſt. 10 Cumque lauerit, qui vaccæ portauerat cineres, veſtimenta ſua, im-
mundus erit vſque ad veſperum. Habebunt hoc filij Iſrael & aduenæ, qui habitant inter
eos, ſanctum iure perpetuo. 11 Qui tetigerit cadauer hominis & propter hoc ſeptem die-
bus fuerit immundus: 12 aſpergetur ex hac aqua die tertio & ſeptimo, & ſic mundabi-
tur. Si die tertio aſperſus non fuerit, ſeptimo non poterit emundari. 13 Omnis qui teti-

gerit humanæ animæ morticinum, & aſperſus hac commiſtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Iſrael: quia aqua expiationis non eſt aſperſus, immundus
erit, & manebit ſpurcitia eius ſuper eum. 14 Iſta eſt lex hominis, qui moritur in tabernaculo: Omnes, qui ingrediuntur tentorium illius, & vniuerſa vaſa, quæ ibi ſunt, polluta
erunt ſeptem diebus. 15 Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit. 16 Si quis in agro tetigerit cadauer occiſi hominis, aut per ſe mortui, ſiue
os illius, vel ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus. 17 Tollentque de cineribus combuſtionis atque peccati, & mittent aquas viuas ſuper eos in vas. 18 In quibus cum homo
mundus tinxerit hyſſopum, aſperget ex eo omne tentorium, & cunctam ſupellectilem, & homines huiuſcemodi contagione pollutos: 19 atque hoc modo mundus luſtrabit immundum tertio & ſeptimo die, expiatuſque die ſeptimo, lauabit & ſe, & veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperum. 20 Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima
illius de medio Eccleſiæ: quia Sanctuarium Domini polluit, & non eſt aqua luſtrationis aſperſus. 21 erit hoc præceptum legitimum ſempiternum. Ipſe quoque, qui aſpergit aquas, lauabit veſtimenta ſua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit vſque ad veſperum. 22 Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit vſque ad veſperum.

1 A p. 2. 102. 5. ad 4. & 5. DVplex, vt aliàs dictū eſt, conſiderabatur in lege immunditia; [A] vna quidem per aliquam corruptionem mentis vel corporis, nam per peccata homines pollui dicebantur, & omnis corruptio procedit ex peccato, & peccatum ſignificat: huiuſmodi erat immunditia maior, & expiabatur per ſacrificia pro peccato: ex quo tales infirmitates, puta lepræ aut fluxus, contingebant. Alia erat immunditia ex ſolo contactu rei immundæ; & hæc minor erat, expiabaturque per ſolam aſperſionem aquæ, de qua in hoc capite. Ita ex S. Doctore colligo. Quod iteratò breuiùs tradit ad Hebræos [B] dicens: erat autem duplex mundatio, vna à corporali macula, ſicut lepra; alia à ſpirituali, ſcilicet peccato. Ad mundationem à macula peccati, neceſſaria erat ſanguinis effuſio per ſacrificium: mundatio vero prima, fiebat cùm ſanguine animalis immolati, vel aqua expiationis, quæ erat confecta cum ſanguine vitulæ rufæ. Macula corporalis poterat pertinere ad res inanimatas, ſicut patet de lepra domorum.

B Hebr. 9. 14. & Ioan. 5. l. 1.

2 In præſenti ſine dubio ſermo fit de expianda macula corporali, ex contactu rei immundæ, vt intuenti patet: vnde & de immunditia vaſorum agitur, ad quæ immunditia ex peccato pertinere nequit. Quocirca ne miremur, aperit S. D. legitimam cauſam huiuſmodi immunditiæ. [C] Verſus eſt 15. *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit*; quia in talia vaſa poterat aliquid immundum cadere, vnde poterant immundari. In proximo, alia reddetur ratio immunditiæ huius. Hæc & talis generis immunditia per aſperſionem luſtralis aquæ iuxtà ritum legis tollebatur. Eſt autem valde animaduertendum, vltrà aſperſionem ſuper immundum, quæ fiebat die tertio & ſeptimo, vt habetur manifeſtè ex textu, & recolit S. Doctor ex Apoſtolo dicente; *aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus, aqua munda*: [D] aliam fuiſſe in morem ablutionem, per aliam aquam, qua [E] lauabatur corpus immundi, & veſtimenta. Etſi autem huiuſmodi aquæ luſtralis aſperſio, immunditiam dumtaxat corporalem auferret, ex contactu contractam; vel aliquando etiam mundaret à lepra corporali, vt dicit Auguſtinus relatus 9. ad Hebræos præallegato; attamen, erat figuratiua emundationis ſpiritualis, vt mox dicam. In primis, quia omnibus [F] purificationibus veteris legis, reſpondet in noua lege Sacramentum pœnitentiæ. Deinde illa aqua præfigurabat [G] baptiſmum; *Erit*, Zachariæ 13. *fons patens Domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ*. Ezechiel. 3. *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Ex quo etiam ſignificabat aqua ila Spiritum-Sanctum, in cuius ſignum ſuper Chriſtum baptizatum, *deſcendit Spiritus-Sanctus corporali ſpecie*; & dicitur aqua, quia mundat: ita ad Hebræos loco proximè citato. Alibi etiam ex loco hoc [H] Spiritus-Sanctus dicitur aqua purgans ab immunditia diabolicæ ſuggeſtionis. Et tu adde illud, *fons viuus, ignis, charitas*; in hymno: nàm & hæ erant Dei iuſſu aquæ viuæ, puta fontanæ. Et in Sequentia, *laua quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum*.

C p. 2. 102. 5. 4.

D Hebr. 9. l. 1.

E Hebr. 10. l. 2.

F p. 2. 105. 5. 3.

G Hebr. 10. l. 2. & pl. 50. & 1. Corint. 10. l. 2.

H Apoc. 12. comment. 2. in principio

Hanc ſpiritualem emundationem cupiebat Dauid dicens: *aſperges me hyſſopo, & mundabor*. Vbi D. Thomas alludit [I] ritui veteris teſtamenti, Numeri 19. vbi tertio die aſpergebatur immundus aqua luſtrationis, & die ſeptimo lauabatur aqua, & veſtimenta eius lauabantur: Aqua luſtrationis fiebat de hyſſopo. Verùm quoniam fiebat etiam de concremato ligno cedrino, & cocco bis tincto, aperit quare Propheta hyſſopum memoret: Hyſſopus, inquit, eſt herba quæ terræ inhæret, & curat inflationem, vt in gloſſa dicitur; & conuenit fidei, quæ humilitatem habet; quia per fidem ſubijcitur intellectus Deo. Item radicata eſt in petra, ideſt Chriſto: item depellit ſpiritus humani eleuationem, quæ eſt in illis, qui non obediunt fidei Chriſti. Ad Hebræos autem dicente Apoſtolo, *cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo*, [L] ait: Hyſſopus mundat pectus; per quod ſignificatur fides; Act. 15. *fide purificans corda eorum*; & per lanam coccineam rubei coloris, ſignificatur charitas.

I Pſal. 50.

L Hebr. 9. l. 4.

Ibidem tamen hyſſopum & lanam coccineam accipit D. Thomas tanquam aſperſorium. 4
Subdit autem loco citato, pſalmo ſcilicet 50. poſt fidem neceſſarius eſt baptiſmus, & per illam aſperſionem fuiſſe ſignificatam aſperſionem ſanguinis Chriſti, 1. Petri 1. *in aſperſionem ſanguinis*

Iesu Christi: sicut, inquit, per vitulam rufam significabatur Christus. Vnde ad Hebræos remuberiùs tractans hæc habet: Per aspersionem [M] aquæ vitulæ rufæ, significabatur passio Christi, quia die tertia, scilicet in fide Trinitatis, in baptismo mundamur à peccatis: & sic die tertio aspergebatur mundandus. Fiebat prætereà ablutio die septima, quia in baptismo non operatur tantùm virtus passionis, sed etiam infunduntur in ipso dona Spiritus-Sancti: vnde in septima die, idest, in plenitudine donorum Spiritus-Sancti, totus homo abluitur, intùs & extrà, ab omni peccato, tàm actuali quàm originali: quod est quasi corporale, quia anima ipsum contrahit per vnionem ad carnem fœdam. En quomodo S. Doctor enucleat quare figuratiuè abluantur vltra corpus, vestimenta. Sic in primo Comm. Apocalypsis, Mors Abel, inquit, immolatio vitulæ & agni præfigurauit passionem. [N]

M Hebr. 10.1.2.

N Apoc. 5.in principio.

Sed vbi absolutissimè & literam & figuram explanat, est in prima 2. [O] Mandatur (hæc ipsius sunt verba) quòd accipiant vaccam rufam in memoriam peccati, quod commiserant, in adoratione vituli. Et dicitur vacca, magis quàm vitulus; quia sic Dominus Synagogam vocare consueuit, secundùm illud Oseæ 5. *sicut vacca lasciuiens, declinauit Israel*. Et hoc fortè ideò quia vaccas in morem Ægypti coluerunt Oseæ 10. *vaccas Beth-auen coluerunt*. Et in detestationem peccati idololatriæ, immolabatur extra castra. Et vbicumque sacrificium fiebat pro expiatione multitudinis peccatorum, cremabatur extra castra totum. Et vt significaretur per hoc sacrificium emundari populus ab vniuersitate peccatorum; intingebat sacerdos digitum in sanguine eius, & aspergebat contrà fores sanctuarij septem vicibus; quia septenarius numerus vniuersitatem significat. Et ipsa etiam aspersio sanguinis pertinebat ad detestationem idololatriæ, in qua sanguis immolatitius non effundebatur, sed congregabatur, & circà ipsum homines comedebant in honorem idolorum. Comburebatur autem in igne: vel quia Deus Moysi in igne apparuit; & in igne data est lex; vel quia per hoc significabatur quòd idololatria totaliter erat extirpanda, & omne quod ad idololatriam pertinebat; sicut vacca cremabatur cum pelle & carnibus, sanguine, & fimo flammæ traditis. Adiungebatur etiam in combustione, lignum cedrinum, hyssopus, coccusque bis tinctus, ad significandum quòd sicut ligna cedrina non de facili putrescunt, & coccus bis tinctus non amittit colorem, & hyssopus retinet etiam odorem, postquam fuerit desiccatus: ita etiam hoc sacrificium erat in conseruationem ipsius populi, & honestatis & deuotionis ipsius: vnde dicitur de cineribus vaccæ, *vt sint multitudini filiorum Israel in custodiam*. Vel secundùm Iosephum, quatuor elementa significata sunt. Igni enim apponebatur cedrus, significans terram propter sui terrestreitatem: hyssopus significans aërem, propter odorem: coccus significans aquam, eadem ratione, qua etiam purpura, propter tincturas quæ ex aquis sumuntur: vt per hoc exprimeretur quòd illud sacrificium offerebatur Creatori quatuor elementorum. Et quia huiusmodi sacrificium offerebatur pro peccato idololatriæ; in eius detestationem, & comburens, & cineres colligens, & ille qui aspergit aquas, in quibus cinis ponebatur, immundi reputabantur; vt per hoc ostenderetur, quòd quicquid quocumque modo ad idololatriam pertinet, quasi immundum est abijciendum. Ab hac autem immunditia purificabantur per solam vestium eorum ablutionem; nec indigebant aqua aspergi propter huiusmodi immunditiam; quia sic esset processus in infinitum: ille enim qui aspergebat aquam, immundus fiebat: & si sic ipse se ipsum aspergeret, immundus remaneret; si autem alius eum aspergeret, immundus esset: & similiter ille qui illum aspergeret, & sic in infinitum.

O p. 2. 102.5.5.

Hactenus Sanctus Doctor; cuius expositioni suffragatur immunditia vasis finè operculo, de qua ibi ad 4. tradit fuisse ad idololatriam pariter declinandam; credebant enim idololatræ, quòd si mures aut lacertæ, vel aliquid huiusmodi quæ immolabant idolis, caderent in vasa, vel in aquas, essent dijs gratiosa. Adhùc etiam aliquæ mulierculæ vasa dimittunt discooperta in obsequium nocturnorum numinum, quæ Ianas vocant. Per vas tamen, quod non habet operculum nec ligaturam, significatur homo qui non habet aliquod velamen taciturnitatis, & qui non constringitur aliqua censura disciplinæ.

Præterea in 4. Sententiarum [P] venatus pœnam aliquam quæ esset inflicta Aaron ob consensum de vitulo, Exodi 32. inquit: pœna Aaron dicitur fuisse in ipso & filijs eius, quòd in sacrificio vitulæ rufæ immundi efficiebantur, vt habetur Numeri 19. Sed hic oritur difficultas, quia non Aaron sed Eleazar immolat vaccam rufam: vnde D. Augustinus apud Hugonem nostrum, arbitratur significatum fuisse ad futuros sacerdotes; non ad præsentem Aaron attinere in figurato victimam illam. Respondeo ex versu 6. vbi habemus, *lignum quoque cedrinum & hyssopum cocc nque bis tinctum Sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat*, satis indicari, non esse Eleazarum qui suprà, semper proprio nomine appellatum; proinde dum sic absolutè Sacerdos dicitur, interpretari iuuat pro summo Sacerdote, scilicet Aaron, vt expressè ait Hugo, qui lotis vestibus, & corpore ingressurus erat in castra. Neque enim Eleazar, cui tradita erat vacca, cuncta per se ipsum operabatur in sacrificio illo; nam liquet ex versu octauo alium sacerdotem operam suam côbustioni adhibuisse. Igitur immundus fiebat & ipse Aaron, quamuis hæc immunditia, minor esset, vtpote quæ alia lotione, sine aquæ lustratoriæ aspersione, purgabatur, vt dictum est. Sic habebat sacerdotium illius temporis, vnde humiliaretur, peccata sua recolendo, & contrahendo irregularitatem ex immunditia.

P 4. 46. 2. 2. ad 1.

Verùm quoniam arguit S. Doctor in prima 2. citata, non cohærere huius ritus cæremonias; cùm Eccl. 34. habeamus, *ab immundo quid mundabitur?* ex quo non videtur per huiusmodi cinerem potuisse mundari immundos, vel certè non debuisse fieri immundum qui eos collegerat: postquam aperuit causam contractæ immunditiæ, eo quòd oleret, quamuis in detestationem, idololatriam: reuelat, vnde esset nihilominus, vt mundarentur, nimirum ex figurato.

Itaque pergens ait: [Q] Figuralis autem ratio huius sacrificij est, quia per vaccam rufam 6

signi-

significatur Christus secundùm infirmitatem assumptam, quam fœmininus sexus designat: sanguinem autem passionis eius designat vaccæ color. Erat autem vacca rufa, ætatis integræ, quia omnis operatio Christi est perfecta: in qua nulla erat macula, nec portauit iugum peccati. Pręcipitur autem adduci ad Moysen, quia imputabant ei transgressionem Mosaicæ legis in violatione Sabbati. Præcipitur verò tradi Eleazaro sacerdoti, quia Christus occidendus, in manus sacerdotum traditus est. Immolatur extrà castra, quia extra portam Christus passus est. Intingit autem sacerdos digitum in sanguine eius; quia per discretionem, quam digitus significat, mysterium passionis Christi est considerandum, & imitandum. Aspergitur antem contrà tabernaculum (per quod Synagoga designatur) vel ad condemnationem Iudæorum non credētium; vel ad purificationem credentium. Et hoc septem vicibus, vel propter septem dona Spiritus-sancti; vel propter septem dies, in quibus omne tempus intelligitur. Sunt autem omnia, quæ ad Christi incarnationem pertinent, igne cremanda, idest, spiritualiter intelligenda: nam per pellem, & carnem exterior Christi operatio significatur; per sanguinem, subtilis, & interna virtus, exteriora facta verificans; per fimum, lassitudo sitis, & omnia huiusmodi ad infirmitatem pertinentia. Adduntur autem tria; scilicet cedrus, qui significat altitudinem spei, vel contemplationis; hyssopus, quod significat humilitatem, vel fidem; coccusque bis tinctus, quod significat geminam charitatem: per hæc enim debemus Christo passo adhærere. Iste autem cinis combustionis, colligitur à vito mundo, quia reliquiæ passionis peruenerunt ad gentiles, qui non fuerunt culpabiles in Christi morte. Apponebantur autem cineres in aqua ad expiandū: quia ex passione Christi baptismus sortitur virtutem emundandi peccata. Sacerdos qui immolabat, & comburebat vaccam, & qui colligebat cineres, immundus erat; & etiam qui aspergebat aquam; vel quia Iudæi sunt facti immundi ex occisione Christi, per quem nostra peccata expiantur; & hoc vsque ad vesperum, idest vsque ad finem mundi, quando reliquiæ Israel conuertentur: vel quia illi, qui tractant sancta, intendentes ad emundationem aliorum, ipsi etiam aliquas immunditias contrahunt, (vt Gregorius dicit in Pastorali) & hoc vsque ad vesperum, idest vsque ad finem præsentis vitæ. Hæc D. Thomas, quibus diuiniùs nihil potest dici. Per vaccam etiam iugum ferentem, in Genesin, vbi inquit Deus; *sume mihi vaccam triemem*, [q] significatur obedientia legis, & fortitudo. Quæ tu bene agnosces in Christo, qui *legem non venit soluere sed adimplere*: & dicitur *Dominus fortis, & potens*. Sanè Dominus [r] multo tempore legem seruauit, quasi constitutus sub lege; & ideò non ita citò baptizatus est, quia futurum erat, vt post baptismum Christi lex cessare inciperet. Et pro pleniori confirmatione dictorum, nota ex radice Hebræa *Adam: rubuit, rutilauit, rubicundus fuit*, manare vt Adam, idem sit quòd homo; deriuare rufum; & in fœminino vaccam rufam. Christus autem 1. Cor. 15. dicitur, *nouissimus Adam*. Vide quàm profundè stat in Christi figuram vacca hæc rufa.

Q Genesis 15.

R 3.P.B.3.

C A P V T X X.

1 VEneruntque filij Israel, & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo, &
mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, & sepulta in eodem loco.
2 Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt aduersùm Moysen, & Aa-
ron: 3 & versi in seditionem, dixerunt: Vtinam perijssemus inter fratres nostros coram
Exod. 17. a.3. Domino. 4 Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, vt & nos, & nostra iumenta
moriamur? 5 Quare nos fecistis ascendere de Aegypto, & adduxistis in locum istum pes-
simum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper &
aquam non habet ad bibendum? 6 Ingressusque Moyses, & Aaron, dimissa multitudine,
tabernaculum fęderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum, atque
dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem
aquæ viuæ, vt satiari, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. 7
Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 8 Tolle virgam, & congrega populum, tu
& Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque edu-
Exod. 17. b.5.6. xeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & iumenta eius. 9 Tulit igitur Moyses vir-
Supr. 11. a.4. gam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, 10 congregata multitudine
Psal. 77. b. 31. ante petram, dixitque eis: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam
1. Cor. 10. a.4. poterimus elicere? 11 Cumque eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem,
Deut. 1. f. 37. egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta. 12 Dixitque Dominus
ad Moysen & Aaron. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non
introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. 13 Hæc est aqua contradictionis, vbi
iurgati sunt filij Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis. 14 Misit interea nuncios
Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent. Hæc mandat frater tuus Israel: Nosti
omnem laborem, qui apprehendit nos, 15 quomodo descenderint patres nostri in Aegy-
ptum, & habitauerimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Aegyptij, & patres nostros:
16 & quomodo clamauerimus ad Dominum: & exaudierit nos, miseritque angelum, qui

edu-

eduxerit nos de Aegypto. Ecce in vrbe Cades quæ est in extremis finibus tuis, 17 positi,
obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vi-
neas: non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec
ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. 18 Cui respondit Edom; Non
transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. 19 Dixeruntque filij Israel: Per tritam
gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est:
nulla erit in pretio difficultas, tantùm velociter transeamus. 20 At ille respondit: Non
transibis. Statimque egressus est obuius, cum infinita multitudine, & manu forti, 21 nec
voluit acquiescere deprecanti, vt concederet transitum per fines suos: quam ob rem diuer-
tit ab eo Israel. 22 Cumque castra mouissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est
in finibus terræ Edom: 23 vbi locutus est Dominus ad Moysen: 24 Pergat, inquit, Aaron
ad populos suos: non enim intrabit terram, quam dedi filijs Israel, eò quod incredulus fue-
rit ori meo, ad Aquas contradictionis. 25 Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces
eos in montem Hor. 26 Cumque nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium Infr. 33. c. 38.
eius: Aaron colligetur, & morietur ibi. 27 Fecit Moyses, vt præceperat Dominus: & Deut. 32. g. 50.
ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. 28 Cumque Aaron spoliasset ve-
stibus suis, induit eis Eleazarum filium eius. 29 Illo mortuo in montis supercilio, descen-
dit cum Eleazaro. 30 Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo
triginta diebus per cunctas familias suas.

VERSVS VIII. *Tolle virgam, & congrega populum &c.*

1 Non est eadem, sed diuersa populi murmuratio illhæc ab ea, quæ Exodi 17. fertur; quod patet ex pluribus, præsertim ex loco; illic enim in Raphidim castrametati erant; hic sunt in Cades: vnde hoc est aliud ab illo prodigium aquarum eductionis: ibi percussit petram cum staret Dominus in Horeb siue Sinai monte: in præsenti, alium percussit Moyses bis silicem. Tunc vocauit Moyses nomen loci illius, *tentatio*, quia tantauerunt Dominum dicentes, *est ne Dominus in nobis an non?* Nunc appellatur aqua contradictionis. Geneseos 14. legimus de Regibus illis; *veneruntque ad fontem Misphat: ipsa est Cades*. Vbi D. Thomas [a] Hic fons *Misphat*, idest iudicij, quia Deus ibi populum Israel iudicauit; sicut habetur Numerorum 20. & est iste fons in petra seu rupe, quam bis percussit Moyses. Sapientiæ 11. habemus; *data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro*. Indicat autem S. Doctor, [b] ex pluribus petræ foraminibus aquas scaturijsse. Videntur autem copiosiores fluxisse hic, quàm Exodi 17. ibi enim sitiuit populus præ aquæ penuria, aitque Dominus; *exibit ex ea aqua, vt bibat populus*: & quamquam dixissent, *cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos & liberos nostros, ac iumenta siti?* fortè exaggerarunt ex murmure, neque adhùc iumentis deerat potus impurior: hìc habemus, *bibet omnis multitudo, & iumenta eius*: & postea, *egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta*. Habet opusculo eodem c. 32. sicut Patres boni de foraminibus petræ aquam biberunt, & in illa sanguinem passionis Christi crediderunt figuratum, & per fidem spiritualiter gustauerunt; ita boni Christiani de vulnerum Christi pia meditatione, sanguinem eius solent bibere.

A Genes. 14.

B op. 18. c. 31.

VERSVS X. *Audite rebelles, & increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere?*

2 Moysen & Aaron incredulitate aliqua peccasse circa aquarum eductionem de petra, certo certius est; eoquòd hic versu 12. habetur, *quia non credidistis mihi*: & vers. 24. de Aaron, *eoquòd fuerit incredulus ori meo*. Peccatum hoc alibi memoratur, vt infrà c. 27. v. 14. Deut. 1. v. 27. c. 3. v. 26. c. 4. versu 21. & c. 32. v. 51. & alibi: & quamuis verosimilius sit non nisi venialiter deliquisse, vt disertè D. Augustinus, qui potest videri q. 19. in Num. & lib. 16. contra Faustum c. 16. quod cum ipso Doctores plerique affirmant: nihilominus voluit Dominus in pœnam; (mittamus alias non sine mysterio causas) vt morerentur ante ingressum terræ promissæ, vt hic fert sententiam Deus. Cur autem hac in re hæsitauerint, non omninò constat; præsertim quia iam aliàs experti fuerant promissis stetisse Deum, etiam in aquæ largitione, vt Exodi 17. Conscij proinde de diuina potentia, nullatenus debuissent fluctuare: & quidem satis proditur, & fidem & fiduciam habuisse in Domino, quando rogasse perhibentur in hæc verba: *aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati, cesset murmuratio eorum*: immò cum improperauerint multitudini diffidentiam, dicendo, *Audite rebelles & increduli; num de petra hac, vobis aquam poterimus eijcere?* (quod putauerim dici per chleuasmum, proximam ironiæ figuram) ad eos confundendos, edito mox aquarum miraculo: tùnc certè fideles ipsos fuisse credendum est.

Cum igitur dicatur, percussisse Moysen virga bis silicem; consentaneum valdè est hisce factis, vt in prima percussione, nihil egerit: ex quo insurgente & contradicente multitudine, intentato miraculo, perturbati hæserint aliquantulùm de euentu, non quidem de Dei potentia diffisi, neque de infallibilitate diuinæ absolutæ promissionis, dum fuisset huiusmodi; sed voluntate ambigentes, nùm vellet Deus prouidere clementer sitienti populo: quare crediderim, & ipsos passos internam contradictionem: nùm sermo Domini, concerneret voluntatem Theologis *consequentem*, de dandis aquis: an potius eas fuisset pollicitus voluntate, vt inquiunt scholæ, *antecedenti*: vnde non tàm a fide, quàm à fiducia præhabita defecerunt. Doctor Sanctus: Multùm displicet incredulitas Dei in Principe, qui locum eius tenet. De hac punitus est Moyse,

C op. 41. l. 1. c. 2. & Aaron. [c] In psalmo 105. legimus: *& irritauerunt eum ad aquas contradictionis; & vexatus est Moyses propter eos: quia exacerbauerunt Spiritum eius.* & hic c. 27. *quia offendistis me* (ait Dominus) *in contradictione multitudinis.* Et quoniam in psalmo allegato sequitur, *& distinxit in labijs suis:* quamuis ibi apud Maluendam nostrum, ad ambiguitatem aliquatenus pronunciatam referatur, vnde populo innotuerit scandalosa ipsius diffidentia: ipse in re sic obscura, opinor, legente D. Hieronymo, *& præcepit labijs suis:* distinxisse Moysen labijs suis locutionem congruentem ad petram; puta imperando, vt percussa, qua fungebatur authoritati pareret, daretque aquas. Sic Aaron promebat, vel per Moysen, vel cum illo orationem eandem: *loquimini*, præceperat Dominus, *ad petram.* Certum est autem ad primum illius ictum, non manasse aquam: siquidem non percussisset secundò: & ecce vnde potuit hæsitare Moyses: cui proinde ac Petro, dicere licuit, *cum cœpisset mergi: modicæ fidei quare dubitasti?* Matthæi 14. Viguerat in Petro & fides & fiducia, cum dixit, *iube me venire ad te super aquas:* super quas & ambulabat; sed languescere cœpit, *cum cœpisset mergi:* Ita de Moyse dicendum. Vnde quemadmodum Petro fluctuanti extendit manum; patitet, & Moysen confortasse credendus est: vt excussa formidine, confidenter secunda vice percuteret loqueretur que ad petram: *egressæque sunt aquæ largissimæ.* Vnde quia dixit eis Dominus, *non credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filijs Israel*, verosimile est fuisse post inanem percussionem primam, qua voluit experimentum de illorum fide manifeste suspensos, num iteratò pulsarent. Et sic Sanctificationi Domini non institerunt: propter quod ait Dominus; *non credidistis mihi, vt sanctificaretis me.* Beda S. relatus in Lucæ 1. Catenæ aureæ, ad ly *potens est & sanctum nomen eius*, ratione singularis potentiæ agnoscit Deum Sanctum, dicens: *singularis potentia culmine transcendit omnem creaturam, & ab vniuersis quæ fecit, lege segregatur:* quod græca locutione meliùs intelligitur; in quo ipsum verbum, quod dicit *agion*, quasi extra terram esse significat. Igitur, vt subdit, sanctificatus est Dominus in eis, siue coram filijs Israel vt suprà; quoniam ostensioni diuinæ potentiæ potiùs posuerunt obicem Moyses & Aaron, dùm post planam promissionem hæsitauerunt. Eiusmodi est mea meditatio.

Quare autem lapsum Moysis & Aaron permiserit Dominus, ipse scit: timeant Prælati; paueant prouectiores: *qui stat, videat ne cadat.* Voluit, me iudice, Dominus superbiæ in illo populo incentiuum extinguere: nimis enim gloriosi essent, si inculpatos omninò Duces suos prædicassent: valde propensi erant inanem in gloriam. Matthæi 3. & *ne velitis dicere intrà vos* (ait eis Baptista) *Patrem habemus Abraham:* vbi Chrysostomus; *parentum gloriam excludit.* Hinc Oseæ 9. legitur: *gloria eorum à partu, ab vtero, & à conceptu.*

4 Neque perperam hæc inuexerim, quoniam hac ratione intendit Deus elidere ipsorum tumorem, ne aliunde quàm à Domino salutem suam agnoscerent. Permisit igitur, vt Moyses & Aaron caderent, ne populus contrà Dominum, Pelagiana tabe inficeretur. Hinc Esaiæ 43. postquam præmisit; *ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Saluator:* postquàm deinde adiecit: *ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me: narra*, inquit, *si quid habes, vt iustificeris.* Et sequitur: *Pater tuus, primus peccauit; & interpretes tui præuaricati sunt in me:* Vbi per interpretes intelliguntur Moyses & Aaron, vt etiam tradit D. Thomas, [D] *ad aquas contradictionis:* Et, D Isaiæ 43.
contaminaui Principes Sanctos, idest contaminari permisi. En ergo quale humiliationis bonum, & qualem gratiæ commendationem suæ, traxerit Dominus ex Moysi & Aaron lapsu.

5. Sanctus Episcopus Gabalorum Seuerianus, in Crucem Oratione quarta, præsentia tractans scribit. *Percussit Moyses Petram semel, atque iterum: cur autem semel atque iterum? si Dei virtuti paret, quid est opus secunda percussione? sin percutit sine virtute Dei, nec secunda, nec decima, nec centesima percussio, rei sterili fœcundam afferre naturam queat. Si igitur planè est opus Dei, nec Crucis mysterium continet, satis est vnicus ictus, satis est nutus, satis est verbum. Verùm vt Crucis imaginem designet, id agit. Percussit*, inquit, *& semel, & bis: non eodem modo, sed ita, vt Crucis formam describeret, vt natura etiam inanimis Crucis notam veneraretur.*

Nec temerè credatur hoc dici: nam ex Augustino bis relato [E] Virga hæc, quemadmodum alia lignea symbola multa, crucem præfigurarunt; *lignea*, inquit, *virga de spiritali petra, salutaris vnda profertur.* Quid ergo mirum si ad Crucis expressionem clariorem, percutiendo bis, illam designauerit? *Petra*, inquit Apostolus 1. Cor. 10. *erat Christus.* Vbi glossa, apud D. Thomam Lectione 4. (quod debuerat reponi in Lectione 1.) [F] *non petra dabat aquas, sed Christus;* idest sicut exponit, dabat originaliter, non effectiuè. Quare, & ex hac causa, effigiem debuit Moyses Crucis delineare; non enim lanceatus dicitur aut flagellatus, sed quasi ad encomium, crucifixus. *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum*, Marci 16. Qua de re agens ait [G]: cætera non repræsentant imaginem Christi, sicut Crux, quæ dicitur signum filij hominis, quod apparebit in cœlo, vt habetur Matthæi 24. ideoque mulieribus dixit Angelus: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum:* non dicit lanceatum, sed *crucifixum.* Et inde est, quòd Crucem Christi veneramur in quacumque materia, non autem imaginem clauorum, vel quorumcumque huiusmodi. Benè alibi: [H] sicut ex foraminibus petræ aquam Iudæi, sic fideles ex vulneribus Christi hauriunt spiritualiter eius sanguinem. Legisse me memini in D. Thoma, ideo plerumque exhiberi à fidelibus Christo Domino cultum tanquam crucifixo, quia tali spectaculo summam passus est ignominiam & confusionem. *Confusione contempta*, ait Apostolus, *sustinuit Crucem.* Quamuis dici possit etiam, quia in Cruce, redemptionis *consummatum est* opus.

E 1. p. 46. a. 4. & op. 60. 18.

F 1. Cor. 10. l. 1.

G 3 p. q. 46. a. 4.

H op. 58. c. 31.

Et ecce quàm signanter perhibita in oratione hic versu 6. inquit Moyses; *aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ.* Quæ quidem precum forma etsi non extet in Hebræo textu, aut lectionibus alijs, nihilominus in vulgata legitur: & quoniam bis allegatur à Diuo Thoma, difficilè assentior Cornelio à Lapide, vt fortè paraphrasticè sit sacro textui inserta: potiùs excidisse credide-

diderim, aut in margine, ex traditione, ab Esdra conscriptā, ex quo nil ei deperit authoritatis, si Noster, inter textum inuexit. Sanè nimis cohærenter attexitur: *Clamauerunt ad Dominum, atque dixerunt, Domine Deus audi clamorem*, &c. quamuis cæteri legant; *clamauerunt ad Dominum*, statimque, *& apparuit gloria Domini super eos*.

6 Rectè autem perpensa, Christum Dominum, eiusque mysterium deprecatio hæc recondit. Non enim petunt vt de thesauris suis educat Deus fontem aquæ viuæ: quemadmodum in psalmo, *qui producit ventos de thesauris suis*: sed postulant, vt *aperiat thesaurum suum*. Commendat Mariam Deiparam S. Doctor in quodā Sermone [I] post multa, dicens; portauit pretium redemptionis: & statim, ad roborandum quod dixerat, adiecit capitis huius textum: *Domine aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati, cesset murmuratio eorum*. D. Bernardus relatus in opusculo: [L] *O sanguinem Christi summè reuerendum, in altari poculum, in Cruce pretium!* Fert eandem authoritatem ad illa verba, [M] *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*; quia non oportet sapientiam quærere, nisi in Christo, & trahere videtur ad hunc sensum, vt aliqualem notitiam de Deo velando etiam in carne, eis obtineret; nam, vt ait, quamuis in Verbo Dei sint omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, attamen sunt absconditi nobis, qui non habemus limpidos oculos, sed lippos. Cum ergò ita coecutiret populus, verosimile est rogasse Moysen & Aaron, vt Deum tandem viso miraculo agnoscerent & prouidum, & cùm omnipotentia clementem. Cæterùm occultiora tangendo deposcunt fontem aquæ viuæ; quia [N] sicut petra Christi corpus significat, ita aquæ illæ sanguinem illius, qui verus, & viuus est potus aquæ; quoniam aquæ effectus operatur in anima, vt dictum est in Exodi c. 17. Opportunè autem ad finem peregrinationis mundi huius, talia emergunt, quia futura erant in vltima ætate, & nos sumus *in quos fines sæculorum deuenerunt*. Idcirco non contigerunt ita in prima aquarum scaturigine, citato in Exodo: tunc enim currebat tertius mensis anni primi: nùnc anni quadragesimi mensis secundus, vt apud Tirinum in Chronico 19. capitulo.

I Serm. de Beata Virgine post Dominic. 4. Quadragesimæ.
L op. 58. c. 30.
M Colos. 2. 1. 2.
N op. 58. c. 30.

7 Virga huiusmodi thaumaturga, vt ex Sermone alio habemus, [O] significauit Beatam Virginem. Astruit ibi esse virgam speciosam atque gratiosam, idque propter multas vtilitates; quæ sunt sex: Prima, quia mare nobis diuisit, idest mundum, vt transeamus. Exodi 14. *tu leua virgam*. Secunda, quia de petra, quæ est Christus, nobis produxit aquam gratiæ, vt bibamus. Numeri 20. *tolle virgam, & loquere ad petram*, &c. Animaduerte ly *loquimini ad petram*: non enim ad rupis petram oportuisset accedere loquendo; nisi in saxo inanimo figura latuisset illius, qui viuit in æternum, quique de saxeo sepulchro, resurrecturus vitam repararet.

O Serm. in Annūciatione. et Epist.

Morale etiam docet nos hæc virga: dicente in opusculo; virga disciplinæ, sicut virga Moysi, [P] de petra aquam producit: habentes enim corda lapidea, infirmitate, vel aliter à Deo percutiuntur, vt in lachrymas resoluantur.

P op. 41. l. 5. 38.

Reuertendo autē ad anagogiam, arridet vers. 17.

VERSVS XVII. *Gradiemur via publica, nec ad dexteram, neque ad sinistram declinantes*.

Traditur quippe spontanea hac legislatoris exhibitione præceptum, quo rectè incedamus atque pergamus ad terram promissionis. 8
Hoc memorans, in primo Commentario Apocalypsis, [Q] dexteram vocat prosperitatis, & sinistram aduersitatis, vt inter vtramque vir sanctus procedat: sicut dicitur Num. 20. *via publica gradiemur*. Sed quoniam in Isaiæ c. 30. simile legimus: *hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram*: iuuat adire eundem ad Hebræos, [R] ibi, *vt non claudicans quis erret*; & priùs, *gressus rectos facite pedibus vestris*: Triplex est obliquitas, scilicet in affectu, in operatione, & in intellectu. Istas tres monet Apostolus declinare. Ex affectione autē obliqua, sequitur obliquitas in intellectu, & deprauatio in affectu. Et ideò quantùm ad primum, quod est aliorum radix, dicit, *facite gressus rectos pedibus vestris*; idest rectas affectiones: sicut enim pedes portant corpus, ita mentem portant affectiones. Recti ergò pedes sunt affectiones rectæ. Quantùm ad secundum, dicit, *vt ne claudicans quis*, quantùm ad actionem exteriorem: sicut enim tibia dicitur clauda, quando non sequitur regulam potentiæ gressiuæ; ita operatio claudicat, quando siue ad dexteram, idest in prosperis, siue ad sinistram, idest in aduersis, non sequitur regulam legis diuinæ, Isaiæ 30. *Hæc est via*, &c. Vel claudicat, qui cæremonialia obseruat cum Euangelio. Quantùm ad obliquitatem intellectus dicit; *erret*: malam enim operationem sequitur error intellectus, Prou. 14. *errant omnes qui operantur malum*. Sap. 2. *hoc cogitauerunt, & errauerunt; excæcauit enim eos malitia eorum*. Sic in p. p. q. 63. a. 1. ad 4. Contingit peccatum ex hoc quòd aliquod malum eligitur, sicut homo peccat eligendo adulterium, quod secundùm se est malum: & tale peccatum semper procedit ex aliqua ignorantia, vel errore; alioquin id quod est malum, non eligeretur vt bonum. Errat quidem adulter in particulari eligens hanc delectationem inordinati actus quasi aliquod bonum ad nunc agendum; propter inclinationem passionis, aut habitus: etiamsi in vniuersali non erret; sed veram de hoc sententiam teneat.

Q Apoc. 7. non multum à fine.
R Heb. 12. l. 3.

VERSV autem XIX. *Dixerunt filij Israel; per tritam gradiemur viam*.

E contra Ieremiæ 18. *Vt ambularent per eas in itinere non trito*. Vtrumque complexus locum ait, [S] non trito à Sanctis Patribus. Sapientiæ 5. *ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus*. In capite sequenti versu 22. *via regia gradiemur*. Quoniam autē dixi de imminenti fine sæculi, siue de vltima ætate intelligi posse: en transit ad aliam vitam Aaron; non enim coram Deo id casus fuit. Et quia Aaron mortuo successit Eleazar, & sic successiuè, [T] significabatur illud Sacerdotium fore corruptibile; quia incorruptibilia non multiplicantur in eadem specie. *Christus autem, sempiternum habet sacerdotium; eo quòd maneat in æternum*.

S Ierem. 18.
T Hebr. 7. 4.

C A P V T XXI.

1 QVod cum audiſſet Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, veniſſe
ſcilicet Iſrael per exploratorum viam, pugnauit contra illum, & victor exiſtens,
duxit ex eo prædam. 2 At Iſrael voto ſe Domino obligans ait: Si tradideris
populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius. 3 Exaudiuitque Dominns
preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit ſubuerſis vrbibus
eius: & vocauit nomen loci illius Horma, id eſt, anathema. 4 Profecti ſunt autem & de
Supr. 16. monte Hor, per viam, quæ ducit ad mare rubrum, vt circumirent terram Edom. Et tæ-
1. 5. dere cœpit populum itineris, ac laboris: 5 locutuſque contra Deum, & Moyſen, ait: Cur
2. Corint. eduxiſti nos de Aegypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima
Ieb. 9. Iud. 8. c. 21. noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. 6 Quamobrem miſit Dominus in populum
ignitos ſerpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, 7 venerunt ad Moyſen, at-
que dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora vt tollat à nobis
ſerpentes. 8 Orauitque Moyſes pro populo, 8 & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſer-
Io. 3. b. pentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. 9 Fecit ergo
14. Moyſes SERPENTEM AENEVM, & poſuit eum pro ſigno: quem cum percuſſi
aſpicerent, ſanabantur. 10 Profectique filij Iſrael caſtrametati ſunt in Oboth. 11 Vnde
egreſſi fixere tentoria in Ieabarim, in ſolitudine, quæ reſpicit Moab contra orientalem pla-
gam. 12 Et inde mouentes, venerunt ad Torrentem Zared. 13 Quem relinquentes ca-
ſtrametati ſunt contra Arnon, quæ eſt in deſerto, & prominet in finibus Amorrhæi, ſiquidem
Iud. 11. c. Arnon terminus eſt Moab, diuidens Moabitas, & Amorrhæos: 14 Vnde dicitur in libro
18. bellorum Domini: Sicut fecit in Mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon. 15 Scopuli
torrentium inclinati ſunt, vt requieſcerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.
16 Ex eo loco apparuit puteus, ſuper quo locutus eſt Dominus ad Moyſen: Congrega
populum, & dabo ei aquam. 17 Tunc cecinit Iſrael carmen iſtud: Aſcendat puteus. Con-
cinebant: 18 Puteus, quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in da-
tore legis, & in baculis ſuis. De ſolitudine Matthana. 19 De Matthana in Nahaliel: de
Nahaliel, in Bamoth. 20 De Bamoth, vallis eſt in regione Moab, in vertice Phaſga, quod
Deut. 2. c. 26. reſpicit contra deſertum. 21 Miſit autem Iſrael nuncios ad Sehon Regem Amorrhæorum,
Iud. 11. d. 20. dicens: 22 Obſecro vt tranſire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros, &
vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec tranſeamus terminos
tuos. 23 Qui concedere noluit, vt tranſiret Iſrael per fines ſuos: quin potiùs exercitu con-
Amos 2. c. 9. gregato, egreſſus eſt obuiam in deſertum, & venit in Iaſa, pugnauitque contra eum. 24
Pſal. 134. c. 10. A quo percuſſus eſt in ore gladij, & poſſeſſa eſt terra eius ab Arnon vſque Ieboc, & filios
Ammon: quia forti præſidio tenebantur termini Ammonitarum. 25 Tulit ergo Iſrael om-
nes ciuitates, eius & habitauit in vrbibus Amorrhæi, in Heſebon ſcilicet, & viculis eius. 26
Vrbs Heſebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnauit contra regem Moab: & tulit om-
nem terram, quæ ditionis illius fuerat, vſque Arnon. 27 Idcirco dicitur in Prouerbio: Ve-
nite in Heſebon; ædificetur, & conſtruatur ciuitas Sehon. 28 Ignis egreſſus eſt de Heſe-
bon, flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelſorum
Iud. 11. c. 13. Arnon. 29 Væ tibi Moab, periſti popule Chamos. Dedit filios eius in fugam, & filias in
3. Reg. 11 b. 7. captiuitatem Regi Amorrhæorum Sehon. 30 Iugum ipſorum diſperijt ab Heſebon vſque
Dibon: laſſi peruenerunt in Nophe, & vſque Medaba: 31 Habitabit itaque Iſrael in Ter-
ra Ammorrhæi. 32 Miſitque Moyſes, qui explorarent Iazer: cuius ceperunt viculos, &
Deut. 3. a. poſſederunt habitatores. 33 Verteruntque ſe, & aſcenderunt per viam Baſan, & occurrit
1. 29 b. 7. eis Og rex Baſan cum omni populo ſuo, pugnaturus in Edrai. 34 Dixitque Dominus ad
Moyſen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum ac terram
eius, facieſque illi ſicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Heſebon. 35 Percuſ-
ſerunt igitur & hunc cum filijs ſuis, vniuerſumque populum eius vſque ad internecionem, &
poſſederunt terram illius.

IN hoc capite poſtremæ tanguntur populi manſiones: ſicut in campeſtribus Moab; initio ſequentis recolitur manſio vltima, ſcilicet quadrageſima ſecunda, de quibus infra c. 33. Curſim autem quod potiſſimum denarratur, multiplex eſt prælium cum hoſtibus; vbi & victus, & victor euadit Iſrael. Interſeritur que prodigioſa ſerpentis ænei virtus, cuius aſpectu oblocutores ſanantur. Ad literam, 1 quandoque victi fuere ſicuti hic, primò à Chananæis ob demerita: quod quidem obſeruat Angelicus [A] dicens; pugnabant aliàs pro ſuo-

A In Præfat. Machab.

rum

rum demeritorum punitione, sicut quando contra Gabaonitas, vt Iudicum 20. Similiter quoad serpentem attinet, Deuteronomij 8. legimus; *In solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens; & scorpio, ac dipsas.* Quare non solum morsibus populum interficiebant serpentes, vt Chaldæa & Septuaginta, sed & afflatu lethali, adspirato veneno. Vnde creditur fuisse serpentes illos, basiliscos seu regulos, quos inquiunt solo sibilo visuque enecare. *Saraph* quidem hebraicè ignitum, & vrentem sonat: ex quo Seraphim Angelorum altior chorus. Sic in remedium ait ad Moysen Dominus, *fac serpentem, Saraph* scilicet; & Chaldæa *serpentem ignitum. Fecit ergo Moyses serpentem æneum.* De his Sapientiæ 16. *filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes.* Et paulò ante; *etenim cum illis superuenit sæua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur.* Verosimile est ergo, diuersarum specierum fuisse, in blasphemum illum vulgus immissos serpentes, qui ab æstu inducto vel ignei dicerentur; quemadmodum & fanatiuus serpens, ignicolor videbatur. Sed quoniam Sapientiæ præfato capite subditur: *qui enim conuersus est, non per hoc quod videbat, sanabatur; sed per te omnium Saluatorem*: manifestum fit, in figuram omnia hæc contigisse: idcirco & in textu dicitur; *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, prout iusserat Dominus.* Et sanè, si series pensetur literæ, in qua primò cum Chananæo Rege initur bellum, relata in calce capitis cum alijs pugna, in qua semper triumphat Israel, quod ante non accidit; si murmuris interiectio ob mannæ nauseam, mirabilisque perpendatur salutis modus; non erit qui inficias, magna sublatere mysteria, vnde referentur fidei documenta: quæ vt singillatim humili scrutemur obsequio, sit

VERSVS I. *Quod cùm audisset Chananæus Rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnauit contrà illum, & victor existens, duxit ex eo prædam.*

a Chananæi ex Origene, vt apud Lauretum in Sylua, aptè significant Dæmones, quoniam caput *Rex est super vniuersos filios superbiæ*; Iob 41. Hic habitabat ad meridiem; quia non ad Aquilonem, prout affectarat Isaiæ 14. *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*, ps. 90. *ab incursu, & dæmonio meridiano.* Ierusalem quippe erat ad

B Isaiæ 14. Aquilonarem partem montis, vt tangit [B] S. Doctor. Vulgatum est autem in Sacra pagina de cœlesti Ierusalem; quare indè meritò eiectus congruè habitabat aduersam meridiei plagam. Cùm ergò audisset creatum hominem, ad beatam promissionis terram transmeaturum, commotus (sic interpretatur *Chananæus*) inuidia, aggressus est illum, & victor existens, heu quantam! totius humanæ sobolis ex eo duxit prædam. D. Thomas in Cant. c. 4. *ibi, surge Aquilo, veni Auster*; omnia genera intelligit rerum contrariorum, & omnia, quæ possunt inclinare ad malum; quia quicumque malè agit, vel hoc facit ex timore infrigidante, vel ex amore malè inflammante. Chanaam fuit maledictus Genesis 9. vnde benè stat pro serpente, qui itidem maledictus fuerat c. 3. *super omnia animantia, & bestias terræ. Israel* interpretatur *rectus*, vt dictum est Genesis 32. Ecclesiastæ autem 7. habemus; *solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum.* Verùm quamquam fuerit victus, excussit Dei ope iugum, quoniam, *Sapientia*, vt dicitur c. 10. *hominem, qui primò formatus est à Deo, eduxit à delicto suo; & dedit illi virtutem continendi omnia.* Quod trahi quoque spiritali intelligentia videtur ex textu, cùm subditur: *at Israel voto se Domino obligans* &c. *exauditque Dominus preces Israel* &c.

VERSV IV. *Et tædere cœpit populum itineris ac laboris.*

Dulcis futura erat nobis omnibus ad cœlum via, nisi aspera & salebrosa ex peccato euasisset. Tædere idcircò cœpit populum, qui nasciturus erat, itineris ac laboris, de quo dixerat Dominus; *in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ*: & rursùm; *in sudore vultus tui vesceris pane.*

VERSV V. *Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iàm nauseat super cibo isto leuissimo.*

Popularis animæ turba affectuum atque passionum, ex viribus sensibilibus concupiscibili, & irascibili oborta, effræni licentia, carnalibus nimis inhærens, fastidit suauissimum manna spiritale. Ad hoc ait D. Thomas, [C] quòd bona spiritualia non sapiant nobis quasi bona, vel non videantur nobis quasi magna bona, præcipuè perducimur per hoc, quod affectus noster est infectus amore delectationum corporalium. En quomodo arridet litera; *deest panis, non sunt aquæ*: hunc panem reor esse, de quo Ezechielis 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius.* Et quas concupiscit aquas, ex illis esse, de quibus Ieremiæ 2. *foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*: & paulò ante; *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Animalis homo* 1. Cor. 2. ait Apostolus, *non percipit quæ Dei sunt.* Sed non fuerit mirum, si nausea laborant, qui tædio affecti, acedia torpebant, quæ vt ibidem S. Doctor, deieciua quandòque spiritus adeò est, vt in desperationem perducat.

3

C 2. 2. q. 4.

VERSVS VI. *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes.*

4

Non abs re Dominus, qui culpæ suam reddit pœnam, per serpentinum virus animaduertit in populum: quo indicaretur, quasi infecti essent peccato. Etsi enim peccatum omne importet venenum: vnde legitur Eccl. 21. *quasi à facie colubri, fuge peccata*; specialiùs tamē communis originalis macula venenum sapit; quæ serpsit ab Adam, inualuitque in omnes: infecit quippè naturam totam, & ignorantia, malitia, infirmitate atque concupiscentia (quæ sunt rationis, voluntatis, irascibilis, & concupiscibilis decantata Sancti Bedæ [D] vulnera) sauciauit eam.

D p. 2. d 3.

Indè in actualia prolapsus est homo peccata, æterna morte damnandus. Igitur vt morbo tàm lethali occurreret Dominus, significantem propalauit figuram, extollendo serpentem, quem cum percussi aspicerent, sanabantur. Quàuis autem ad omne delendum peccatum exaltatus sit æneus serpens, principaliùs tamen id factum est, contra originale: [E] quod callidus serpens diabolica suggestione molitus fuerat. Sic quoque *qui in ligno vincebat, in ligno victus* est.

E 3. p. q. 4.

VERSVS VII. *Ora, vt tollat à nobis serpentes.*

Sic in plurali & Chaldæa. Verùm Hebraico in textu singulariter serpentem, vt & Septuaginta: sed singulare ponitur pro plurali, quod notat pluries fieri, Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, ferens illud Poetæ, *vterumque armato milite complent.* Quamuis hoc multis militibus fecerint.

VERSVS VIII. *Fac serpentem æneum, & pones eum pro signo.*

5 *Etenim* (Sapientiæ 16.) *neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo* (*logos* græcè: quo nomine exprimit Ecclesia secundam Sanctissimæ Triadis personam) *qui sanat omnia.* Exploratissimum est autem, per huiusmodi æneum serpentem, fuisse Christum Dominum figuratum; quemadmodum ipse exposuit Ioannis 3. *sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat; sed habeat vitam æternam.* Et respondet hic [F] fructus fructui figuralis serpentis; quicumque enim respiciebat serpentem æneum, liberabatur à veneno, & præseruabatur vitæ. Ille autem respicit filium hominis exaltatum, qui credit Christo Crucifixo; & sic liberatur à veneno, & à peccato; Ioannis 11. *qui credit in me, non morietur in æternum*: & præseruatur ad vitam æternam; ibidem capit. 20. *hæc scripta sunt vt credatis; & vt credentes, vitam habeatis* &c. Hæc D. Thomas: qui paulò ante præmiserat, venenum esse peccatum; quia *cum consummatum fuerit, generat mortem*; Iacobi 1. Et adijcit, quare in typum fuerit Christi, serpens ille: nimirum, *misit Deus* Roman. 8. *filium suum in similitudinem carnis peccati*; sed sicut serpens æneus non habuit venenum, ita nec Christus peccatum. Et alibi; [G] *peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus* (1. Petri 2.) *in ore eius*; sicut serpens æneus figuram quidem serpentis habuit, sed malitia veneni caruit. Idipsum, ad illa verba Apostoli [H] Hebræor. 12. *aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum*, tradit: & præfato Ioannis cap. 3. contra morsum, inquit; ignitarum concupiscentiarum.

F Ioa. 3. l.2.

G Cant. 5.

H Hebr. 12.l.2.

Quare autem ex ære fuerit serpens, & quid æris referat Christus, aperitur satis apud Lauretum in Sylua, ex Sanctis Patribus; scilicet, ad significandam vocis claritatem, quia eius doctrina, & in Iudæos & in Gentes resonauit. 1. Cor. 13. *factus sum, velut æs sonans.* Æs etiam sonorum, fuit Christi ipsius prædicatio. Et præterea durabilitati Sacrosanctæ humanitatis, in qua iam non moritur, attestatur. Et vlterius perpetuam ostendit memoriam passionis Christi: ex quo, quæ diu durant, ænea compellare solemus. Iob 37. *solidissimi quasi ære fusi* (Cœli) Adde tu. Cùm lapis sit Christus; & ignitus, ob nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; nàm, *maiorem hac dilectionem, nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis* Io. 15. non est mirum, si æri comparatur, dum *lapis*, (quod ait, cap. 28. Iob) *solutus calore in æs vertitur*: indeque superheroica eius emicat fortitudo; *qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*, Hebr. 12. qua Isaiæ 53. *cum iniquis, & sceleratis reputatus est*; & quasi serpens inter noxios serpētes. *In similitudinem carnis peccati*, Rom. 8.

Quoniam verò ait Dominus, *pones eum pro signo*; posset inferre quispiam, sapere Sacramenti naturam. Atqui satisfacit Angelicus dicens: [I] quamuis serpens æneus esset signum rei sacræ sanctificantis, (scilicet Crucis Christi) non tamen in quantùm sanctificans est actu; quia non ad hoc adhibebatur, vt aliquis sanctificationis effectus perciperetur; sed solùm effectus exterioris curationis. Et similis est ratio de imagine Crucis, quæ ponitur tantùm ad repræsentandū. Quo sensu interpretari oportet eundem sanctum Doctorem in opusculo, [L] vbi ait: Alia signa non continent quod significant, vt sacramenta legalia; sicut serpens æneus erectus in eremo significabat quidem Saluatorem, sed non continebat eum. Non enim intendit recensere inter sacramenta serpentem, sed afferre in exemplum signi non continentis: altero mox adiecto exemplo; sicut circulus suspensus ante domum significat vinum; quod tamen non est contentum. Sic etiam loco citato Ioannis 3. astruit fuisse in figuram Dominicæ passionis.

I 4. d. 1. 1.1.

L op. 58. c.5.

Opportunè autem in hac rerum serie, mannæ cœlestis contingit commemoratio, quando, vt visum est, tangitur primi hominis peccatum, vt post cibum mortis, ad cuius esum corruerat genus humanum, præsentiret inuidus hostis præparari, ad lapsi erectionem, edulium vitæ. Fastidit autem carnalis pretiosum cōuiuium; quod non credit, & despicit infidelis: vterque serpentis morsu perit, cùm ait: *anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo; vacuo*; legunt Septuaginta: pereunt inquam ex serpente, quoniam carnalis ventre repit super terram; & incredulus superbè, *non acquiescit sermonibus Dei*, 1. Tim. 6. Sic serpens suasit ad hortum, ne mulier crederet Deo. Ioannis 6. *litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Quod quidem vt respondeat figuræ præsenti, inducit D. Thomas dicens in Augustissimi Sacramenti officio: *locutus est populus* [M] *contra Dominum*, &c. Atqui remedium venenatis morsibus exhibet memorato mortis excessu; *fac serpentem æneum*; quoniam cum recolitur memoria passionis eius, ad quod præcipuè institutum est Sacramentum Altaris; cùm mens exinde ad aram Crucis ascendit, desinit incredulitate obstupescere, *si perennis illa victima* (quod ait Chrysostomus homilia de proditione Iudæ) *sit semper præsens in gratia*. Sic etiam erectis in altum luminibus animus ad cœlestia extollitur, & serpentis deiecti ad ima terrigenos exuit mores, spiritalia degustans. Neque extortè hæc & similia de salutis nostræ mysterijs exponuntur, quoniam concinunt quæ sequuntur apprimè, de fidei Christi victoria, qui Apocalyps. 6. *exiuit vincens vt vinceret*. Vnde & specialiùs pressiùsque de huiusmodi agitur infra c. 23. versu 24. *Ecce populus vt Leæna consurget, & quasi Leo erigetur*, &c. & cap. 24. *Orietur stella ex Iacob.*

M opusc. 57.

VERSVS XVI. *Ex eo loco apparuit puteus*, &c.

Puteus iste secundùm Origenem profundā 6
Sapientiam mysteriorum Dei significat; *Quem foderunt Principes*, nimirùm Sancti Apostoli, de quibus legimus, *constitues eos Principes super omnem terram*: quos itidem D. Dionysius nostros

appel-

appellat Duces, cap. 7. Ecclef. Hierarchiæ. Et quidem, *in Datore legis*; videlicet Domino operante, *& fermonem confirmante fequentibus fignis*, Marci 16. *atque in baculis fuis*: Per baculum enim N 4. 24. 11. fignatur [N] cura paftoralis, qua debet colligere vagos, & fuftentare infirmos. Adftipulatur huic interpretationi littera, cùm dicitur; *fuper quo locutus eft Dominus ad Moyfen, congrega populum, & dabo ei aquam*, & quod legimus, Ifaiæ 41. *aperiam in fupremis collibus flumina, & in medio camporum fontes*: myfticè [O] de doctrina O Ifaie 30. Chrifti. Nihilominus, poffet pro puteo accipi Chriftus Dominus; eo quòd ipfe eft, qui aquam attulit redemptionis, *in regenerationis lauacrum*: quique dixit mulieri Ioan. 4. *omnis qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non fitiet in æternum. Ipfum foderunt Principes*, quia Lucæ 24. *eum tradiderunt fummi Sacerdotes, & Principes*; dicente etiam Petro; *Scio quòd per ignorantiam* Actor. 3. *feciftis, ficut & principes veftri; fi enim cognouiffent*, 1. Cor. 2. *nunquàm Dominum gloriæ crucifixiffent. In datore legis*, quia ipfum Moyfis legem foluentem reputauerunt. Ioann. 9. *Non eft hic homo à Deo, qui fabbatum non cuftodit. Et in baculis fuis*, quia erat *hora* ipforum, *& poteftas tenebrarum*, Lucæ 22. Huic falutis puteo accinebat fidelis Ifrael, & concinebant deinde conuerfi ad fidem, impletis defiderijs plaufu ac lætitia; vt legitur in textu.

VERSVS XXI. *Mifit autem Ifrael nuncios ad Sehon Regem Amorrhæorum*.

7 Tranfitum ad promiffam hæreditatem pluries intentat Ifrael; nam capite præcedenti obfecrat Edom, nec exauditur. Imò mittit etiam ad Regem Moab, vt legitur, quamuis non hic, Iudicum 11. qui & ipfe tranfitum præbere contempfit. Vbi denique repetitur quod nuper ex litera hac retuli, miffos nuncios ad Sehon Regem Amorrhæorum. Quam pacis ftudiofus erat Ifrael! nec tamen regnantes impij dignabantur acquiefcere. Quare ad arma meritò iure venitur; percuffoque Sehon, vfque ad Iazer, etiam Og Rex Bafan, vfque ad internecionem percutitur. Fufiùs denarratur Victoria de vtroque hoc Rege Amorrhæo, Deuteronomij 3. quemadmodum Iofue 12. percenfentur non folùm hæc patrata fub Moyfe, & fed Duce Iofue victi Reges vnus & triginta. Moab proximo capite 22. maledicus in Ifrael confunditur. Ammon intactus, Deo iubente Deuteronomij 2. relinquitur, nifi cùm infurgit audaciùs in Ifrael; tunc enim per Iephte reprimitur, vt patet Iudicum 11. *humiliati funt filij Ammon à filys Ifrael*. Nunquid tanta bellorum congeries, myfterijs P p. 1. 104. a. 2. vacare credenda eft? abfit. Tradit Angelicus [P] quomodo bella, & gefta Hebræorum myfticè exponuntur, non autem bella vel gefta Affyriorum vel Romanorum; quamuis longè clariora fecundùm homines fuerint. Hinc non fine caufa, quamquàm exciderit, recolitur verfu 14. *liber bellorum Domini*. Affumpta enim funt in Sacram hiftoriam, quæ ita Dei fapientia difponente euenerunt, vt fierent in documentum fidei, & normam falutis. Confentaneè igitur ad figuratum terræ promiffionis intellectum, de quo fuprà dictum eft; & ad cætera promiffa temporalia, [Q] quæ tefte eodem S. Doctore fpiri-Q Hebr. 4. 1. tualiter intelligenda funt; & ad aditum ad eandem terram; & propter ipfum Ifrael tantum pugna interpretanda eft, fic vt Victoriæ Author dicatur Deus. Huc facit, quod iteratò appetitur & intenditur.

VERSVS XXII. *Viâ regia gradiemur, donec tranfeamus terminos tuos*.

In præcedenti capite via publica fe perre- 8 cturos exhibent atque trita; nunc via Regia. Quocircà D. Thomas: [R] Viæ, communes funt R op. 20. l. 2. c. 12. omnibus, quodam iure naturæ, & legibus gentium: propter quod prohibentur à nemine occupari: nec vlla præfcriptione, aut quocunque temporis curfu, ius de illis poteft alicui acquiri; vnde in lib. Num; *via publica, via regia* nominatur, ad fignificandum eius communitatem. Vbi Auguftinus in gloffa, dictum verbum exponit, quia pro tanto fic appellatur, quia debet effe libera, *cuilibet tranfeunti innoxia, ratione humanæ focietatis*. Propter quod, & ibidem fcribitur, quòd Amorrhæis contradicentibus, ne filij Ifrael tranfirent per eos, cum fola via regia gradi peterent, hoc eft, fine læfione aliqua regionis, Dominus mandauit ipfos deleri. Sed alibi ferens illud Ioann: 14. *Ego fum via, veritas, & vita*, allegoricè inquit; [S] reuera ipfe eft illa S op. 60. a. 11. *regia via*, de qua Numeri 21. Et bene dicit gloffa quædam fuper *Qui habitat*, quòd *via regia eft via Chrifti Regis noftri*; qui fic viam mundi cucurrit, vt nec profperis alliceretur, nec aduerfis frangeretur; quem etiam nos imitari debemus. Beda; *fequamur iter humanæ conuerfationis eius, fi Diuinitatis gloriam volumus intueri, & habitare in Domo eius æterna, omnibus diebus vitæ noftræ*. Inceffum per hanc viam ergo, quæ præpediant, in his duobus capitibus tactum eft. Occurrit Edom, aduerfaturque Moab etiam vt vidimus Iudicum 11. Per Edom qui & Efau, facilè intellexerim peccatores, qui funt iuftis impedimento, ne perambulent viam falutis, tametfi vtrique fideles fint: ex quo, capite præcedenti ad Edom dicitur; *hæc mandat frater tuus Ifrael*, neque enim fratres funt, qui non vnum nouerunt Patrem. Egreditur autem Edom obuius cùm infinita multitudine, & manu forti; quoniam arma funt ipfa peccata, iuxta quod Ezech. 32. *defcenderunt in infernum cum armis fuis*: infinita multitudine, *fi ftultorum infinitus eft numerus. Omnes mali*, aiebat Auguftinus, *perfequuntur bonos, non ferro aut gladio, fed prauo exemplo*. Idcirco Genefis 33. noluit Iacob habere Efau focium [T] iti- T op. 41. 1. 4. 1. neris fui; timendum eft enim vnicuique habere iuxtà fe malos.

Moab etiam properanti Ifrael impedimento, gentiles refert, vt patet in Sylua Laureti: fuit enim filius Lot, fed de inceftu maioris filiæ, vt patet Genefis 19. & contra ipfum Ifaias c. 15. prænunciat, *onus Moab*: quippe qui Ieremiæ 48. *fuperbus, & ai*[illegible]*ozans babuit in derifum Ifrael*, vnde fcandalo poterat Ifraelitis effe; & fic obftare in via.

Veruntamen etfi poffent Edom atque Moab remorari, & extrà viam expellere Ifrael; in Amorrhæum præcipua eft Dei plaga, ceu qui occluferat omninò viam, & Moabitas oppreflerat in captiuitatem. Amorrhæus ifte Diabolus eft, qui miferè in Idololatriam traduxerat gentes; atque de his iactanter prouerbia ediderat: iuxtà quod legimus verfu 27. *idcircò dicitur in*

prouerbio: Venite in Hesebon; ædificetur, & construatur ciuitas Sebon: de quo, & alijs ciuitatibus Moab, ab Amorrhæo præoccupatis, vt hic fertur, legitur, quoad Assyrios & Chaldæos, Isaiæ 15. Innuit sacer textus in quo ab Amorrhæo victi fuerint Moabitæ versu 29. *Væ tibi Moab: peristi popule Chamos*: Tertio enim Regum c. 11. exprimitur ipsorum fuisse Idolum. *Tunc ædificauit Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte qui est contrà Ierusalem; & Moloch idolo filiorum Ammon*: Filij itidem Lot ex secundæ filiæ incestu.

9 At post Saluatoris passionem & mortem, in serpente nupero æneo præfiguratam; *Princeps*, vt ipse ait, *huius mundi* eiectus est *foras*. *Nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi eijcietur foras: & ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Io. 12. Hoc vt pateſiat magis, requirendum videtur, cur de Hesebon præcipuè fiat sermo, At etenim potiùs fuisset prænominanda, vtpote quæ ex Isaiæ 15. metropolis fuit Moabitarum & Regia: at illustratur locus iste, ex Cant. 7. vbi ad Ecclesiam sponsus, *oculi tui sicut piscinæ in Hesebon*: Vbi D. Thomas, Hesebon dicitur fuisse quædam ciuitas Sehon Regis vltra Iordanem, quam ceperunt filij Israel, in cuius porta erant piscinæ, quibus potabatur multitudo populi; & subdit: talis est doctrina morum in Ecclesia, quia ea multitudo populi, idest omnes Christiani veri potantur; ad quam inuitantur omnes Io. 7. *si quis sitit, veniat ad me & bibat*; & Isaias, *omnes sitientes venite ad aquas*. Recolo gentes plenissimè edoctas ex illo Matthæi, *docete omnes gentes*; & iam in Ecclesia gentium, postquam Iudæi *errauerunt ab vtero locutique sunt falsa* ps. 54. vera dũtaxat fidei doctrina inuenitur: vtpote quæ est, vt habetur 1. Tim. 3. *columna & firmamentum veritatis*. Cum è contra ad Iudæos dicat Dominus Matthæi 21. *auferetur à vobis regnum Dei*, idest, *notitia Scripturarum*, vt communiter exponunt, *& dabitur genti facienti fructus eius*. Et de Synagoga iuxta D. Thomam Cant. 8. *soror nostra parua, & vbera non habet*, idest Doctores non habet de se, nec habere potest extra Ecclesiam, propter quod indiget tua instructione, vt per te nutriatur lacte Doctrinæ. Hesebon etiam Cant. ibi dicitur, *filia multitudinis*, ad literã, ex Haymone, *ob multitudinem confluentium populorum: & sic*, inquit, *Sancta Ecclesia rectè filia dicitur multitudinis, quia numerositatem quotidie colligit gentium*. De hac tunc incipiente legimus Act. 4. *multitudinis autem credentium, erat cor vnum, & anima vna*. En qua de causa de Hesebon in figura indiuidua fit mentio.

Væ autem pronunciatur in impios idololatras, per quod significatur æterna damnatio; vt passim in Scripturis ex D. Thoma: Ex quo fortè de *Arnon* repetita fit mentio; *Arnon* enim interpretatur etiam *maledictio permanens*. Dicitur autem v. 32. misisse Moysen, qui explorarent *Iazer*, quæ est in vltimis finibus, vt docet Angelicus; [V] quoniam idololatria penitùs fuerat exterminanda per Christum, dicente Isaia, *& idola penitus cõterẽtur*, Isaiæ 2. Nec immeritò Idololatriæ extermiñ insinuatur, quando ad illam auerruncandam, accepta à dementato populo occasione, æneus ipse serpens erat per Ezechiam confringendus 4. Regum 18. quoniam, ait S. Doctor, [X] etsi secundũ se esset bonus, ex sui institutione, tamen speciem habebat mali propter populum ad idololatriam pronum, vnde laudabiliter subtractus fuit & combustus.

V Isaiæ 16.

X Quodl 4. a. 13 15.

VERSV XXXIII. *Occurrit eis Og Rex Basan.*

Non solùm post Redemptoris mortem eiectus est Diabolus a cordibus hominum, veri Dei irradiatione & cultu; sed ipse sua in sede deuictus est; siquidem, vt ait Ioannes in Apocalypsi; *apprehendit Draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligauit eum*; dicente Gregorio, apud D. Thomam, [A] *potentia diuinæ dispensationis astringitur, ne in quantum nocere valet effrænetur*. Et si obijcias; nonne modo seducit? Respondet Angelicus; Sic: eos qui nolunt bene vti armis sibi à Christo datis; vel quæ darentur si vellent. Ante passionem autem, non habebant homines tanta adiutoria, quia tùnc non fuit tanta gratia. Item nec tam efficacia Sacramẽta. Item nec exemplum Christi. Item nec passio sua adhuc fuerat. Item ante aduentum Christi omnes trahebantur ad limbum: nunc aperta est ianua: vnde modo ligatus est, respectu temporis, quod præcesserat eius aduentum ac passionem. In quorum confirmationem est vocis *Basan* interpretatio: sonat autem *profundum*, designatque ex Arn. super ps. 135. Infernum, cuius Rex est Diabolus. Ex quo videtur exponi posse pro peccato; quoniam Prou. 18. *impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*; aiebatque psaltes; *De profundis clamaui ad te Domine*. Christus autem Dominus, venit auferre peccata (quod ait Ioannes) *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Et sic qui impediebant viam salutis, funditùs è medio sublati sunt, vsque ad internecionem: quia ad extirpandos peccatores, plenior nunc facultas Israelitis Spiritu data est: quemadmodum Petro in actibus Apostolorum c. 10. dictum audimus, *surge Petre, occide & manduca*: nimirùm occide ab eo quod sunt, vt desinant esse peccatores, vt ex D. Thoma: [B] & alibi, gentiles qui priùs erant velut bestiæ, sunt per Crucem Christi spiritualiter occisi; & sic, *vsque ad internecionem*, vt in calce huius capitis scriptum est. Hæc autem omnia tangit Amos c. 2. *ego autem, inquit Dominus, exterminaui Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eius; & fortis ipse quasi quercus, & contriui fructum eius desuper, & radices eius subter*. Quod explicans Sanctus Doctor; Amorrhæum ait, idest amarum inimicum; [C] & loquitur de diabolo, eiusque destructione; amarus enim dicitur Amorrhæus: est autem diabolus amarus felle inuidiæ. Ad hæc Deuteronomij 3. *Tulimus illo in tempore terram de manu duorum Regum Amorrhæorum*. Regnabat Diabolus & in Inferno & in Mundo. Et quoniam mox subditur; *solus quippe Og Rex Basan restiterat de stirpe gigantium*: Isaiæ 26. *terram gigantum detrahes in ruinam*: Dæmones autem gigantæa grandescunt superbia; juxta illud ps. 73. *superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*.

A Apoc. 20. comment. 1.

B Cant. 4 & Genesis 9.

C op. 58. c. 28.

CA-

CAPVT XXII.

1 PRofectique castrametati sunt in campestribus Moab, vbi trans Iordanem Iericho
sita est. 2 Videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat Israel Amor-
rhæo, 3 & quòd pertimuissent eum Moabitæ & impetum eius ferre non possent,
4 dixit ad maiores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus com-
morantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex
in Moab. 5 Misit ergo nuncios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen Iof. 24. 9.
terræ filiorum Ammon, vt vocarent eum, & dicerent: Ecce egressus est populus ex Agy-
pto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me. 6 Veni igitur, & maledic populo
huic quia fortior me est: si quomodo possim percutere & eijcere eum de terra mea, noui
enim, quòd benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris. 7
Perrexeruntque seniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretium in
manibus. Cumque venissent ad Balaam, & narrassent ei omnia verba Balac: 8 ille res-
spondit: Manete hìc nocte, & respondebo: quicquid mihi dixerit Dominus. Manentibus
illis apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum: 9 Quid sibi volunt homines isti apud te? 10
Respondit: Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me, 11 dicens: Ecce populus,
qui egressus est de Aegypto, operuit superficiem terræ: veni, & maledic ei, si quomodo
possim pugnans abigere eum. 12 Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque
maledicas populo: quia benedictus est. 13 Qui mane consurgens dixit ad principes: Ite
in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum. 14 Reuersi principes
dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum. 15 Rursum ille multò plures, & no-
biliores quàm ante miserat, misit. 16 Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit
Balac filius Sephor: Ne cuncteris venire ad me: 17 paratus sum honorare te, & quidquid
volueris, dabo tibi: veni, & maledic populo isti. 18 Respondit Balaam: Si dederit mihi Infr. 14 13.
Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei
mei, vt vel plus, vel minus loquar. 19 Obsecro, vt hìc maneatis etiam hac nocte, & scire
queam, quid mihi rursum respondeat Dominus. 20 Venit ergo Deus ad Balaam nocte, &
ait ei. Si vocare te venerunt homines isti, surge, & vade cum eis: ita duntaxat, vt quod ti-
bi præcepero, facias. 21 Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis.
22 Et iratus est Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asi- 2. Petr.
næ, & duos pueros habebat secum. 23 Cernens asina Angelum stantem in via, euaginato 15.
gladio, auertit se de itinere, & ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, & vellet
ad semitam reducere, 24 stetit Angelus in angustijs duarum maceriarum, quibus vineæ
cingebantur. 25 Quem videns asina, iunxit se parieti, & attriuit sedentis pedem. At ille
iterum verberabat eam: 26 & nihilominus Angelus ad locum angustum transiens, vbi nec
ad dexteram, nec ad sinistram poterat deuiare, obuius stetit. 27 Cumque vidisset asina
stantem Angelum, concidit sub pedibus sedentis, qui iratus, vehementiùs cędebat fuste
latera eius. 28 Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis
me, ecce iam tertio? 29 Respondit Balaam: Quia commeruisti, & illusisti mihi: vtinam
haberem gladium, vt te percuterem. 30 Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui sem-
per sedere consueuisti vsque in præsentem diem? dic quid simile vnquam fecerim tibi? At
ille ait: Nunquam. 31 Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stan-
tem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram. 32 Cui Angelus: Cur,
inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni, vt aduersarer tibi, quia peruersa est via
tua, mihique contraria: 33 & nisi asina declinasset de via dans locum resistenti, te occidis-
sem, & illa viueret. 34 Dixit Balaam: Peccaui: nesciens quòd tu stares contra me: &
nunc si displicet tibi, vt vadam, reuertar. 35 Ait Angelus: Vade cum istis, & caue ne
aliud, quàm præcepero tibi, loquaris. Iuit igitur cum principibus. 36 Quod cum audisset
Balac, egressus est in occursum eius in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis fini-
bus Arnon. 37 Dixitque ad Balaam: Misi nuncios, vt vocarem te, cur non statim venisti
ad me? an quia mercedem aduentui tuo reddere nequeo? 38 Cui ille respondit: Ecce
adsum: numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo? 39 Perrexerunt
ergo simul, & venerunt in vrbem, quæ in extremis regni eius finibus erat. 40 Cumque
occidisset Balac boues, & oues, misit ad Balaam, & principes, qui cum eo erant, mune-
ra. 41 Mane autem facto, duxit eum ad excelsa Baal, & intuitus est extremam partem
populi.

VERSUS II. *Videns autem Balac filius Sephor*, &c.

Memoratur tanquam iniquus Rex iste [A] in vtroque Apocalypsis Commentario, qui Balaam vocauit ad se, vt malediceret populo Dei: non antem permisit hoc Dominus. At iniquior Balaam, qui diuinus erat, [B] & dæmonum ministerio, ac arte magica, nonnunquam futura præcognoscebat: sed tamen multa prænunciauit vera, sicut c. 24. *orietur stella ex Iacob*, Quocirca inquit: [C] Spiritus Dei tangebat intellectum eius, & prophetabat multa bona, quæ futura erant in Israel. Erat ergo pseudopropheta, sed Deus per malos aliquando futura prædicit, Matthæi 7. *Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus?* vnde 2. 2. q. 174. 6. ad 1. Prophetæ dæmonum non semper loquuntur ex dæmonum reuelatione, sed interdum ex inspiratione diuina, sicut manifestè legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus Numeri 22. licèt esset propheta dæmonum, quia Deus vtitur etiã malis, ad vtilitatem bonorũ. Sic cõciliãtur interpretes de cõditione, & fide Balaã cõtrariè opinantes, fuisse falsi, vel veri Dei cultorem. De quibusdam impijs sanctus Apostolus Iudas, [D] *& errore Balaam, mercede effusi sunt*; vbi glossa, *errore Balaam pereunt qui pro amore terrestrium commodorum, veritatem, quam nouerunt, impugnant*. Ex quo videtur haberi, veri Dei cognitionem impium habuisse. Hinc 2. Petri 2. *secuti viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit*: [E] idest munera sibi promissa: & oblata, vt malediceret populo Dei. Vel *mercedem iniquitatis*, idest pretium damnationis, quæ dicitur merces iniquitatis, quia fuit merces pro iniqua promissione, quam intendebat adimplere contrà Deum. Vel *mercedem iniquitatis*; quia à Rege honorari debebat: quem honorem tantùm appetebat, vt ipsum voluntati Dei præponeret: vnde fuit magna iniquitas.

A Apoc. 5. 2.
B 2. 2. 172. 3.
C Apoc. 9. comm. 2. & 1. Corin. 12. 1. 1.
D Iudæ Epist.
E 2. Petri 2.

VERSUS VII. *Veni igitur, & maledic populo huic*, &c.

Perterrefactus Rex Moabitarum post visam de Amorrhæorum gente victoriam, ignoranter quidem, sed non ita perfidè de Numine sentiens, (si quidem c. 23. v. 27. ait: *si fortè placeat Deo, vt inde maledicas ei*:) armis desperans resistere, ad ariolum recurrit; si fortè per ministerium fidelis fide Hebræorum, possèt, maledictione tactum perdere Israel. Itaque ad Balaam mittitur ea intentione, vt vel extortè, populo imprecaretur, ac induceret mala.

VERSU XII. *Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est*.

Monet hæc Dominus, non vt præseruet à maledictionibus populum, in quem inani susurraret sibilo ariolus omnis, cum sit extrà teli iactum qui illius sub custodia: maledicta contemnes hominum, aiebat Apostolus; *maledicimur, & benedicimus*, 1. Cor. 4. sed eatenus arcet à facinore, quatenus nollet affici Balaam ipsum nouo reatu: qui proindè dum iteratò fortiùs instar Rex Balac, desuper confortatus respuit generosè illius dona; dicens versu. 18. *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plus, vel minus loquar*. Tacitè etiam Dominus sic scandalum cauet. Verùm cum edoceri ac ædificari negligunt, vel contemnunt, contempto, ex malitia oborto scandalo, finit Dominus, vt eat Balaam, obstringens suo præcepto quæ ageret. Contemnendum quippe est scandalum Pharisæorum. Matth. 15. vt docet 2. 2. q. 43. a. 7.

VERSUS XXI. *Surrexit Balaam manè, & strata asina sua profectus est cum eis*.

Mira sunt quæ in hac Balaam profectione dignatur patrare Dominus, quando (quod recolit D. Petrus) *subiugale mutum animal in hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam*. Et quidem potuisset absque huiusmodi prodigiosa locutione coercere Balaam; quare oportet illud Apostoli recolere: *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Quomodo autem fuerit locuta asina, edisserit S. Doctor dicens: erat vox articulata angelico ministerio per linguam asinæ prolata, sicut & diabolus per linguam serpentis locutus est Genesis 3. Quo circa alibi: [G] Serpens verborum sonos non intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem, neque enim conuersa credenda est anima eius in naturam rationalem: quandoquidem nec ipsi homines quorum rationalis natura est, cùm Dæmon in eis loquitur, sciunt quid loquantur. Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebar Balaam, locuta est homini; nisi quòd illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum. Iuuat autem eundem de potentia [H] arguentem audire, quomodo Simon magus faciebat vt canis loqueretur & cantaret. Et quomodo ex Valerio Maximo fortunæ simulacrum, quod Romæ erat via Latina, non semel sed bis ita locutum est his verbis; *ritè me matronæ vidistis, ritèque dedicastis*. Occurrit autem, quòd locutio canum, & alia huiusmodi, quæ Simon magus faciebat, potuerunt fieri per illusionem, & non per effectus veritatem: si tamen per effectus veritatem hoc fieret, nullum sequitur inconueniens, quia non dabat cani dæmon virtutem loquendi, sicut datur muris per miraculum, sed ipsemet per aliquem motum localem, sonum formabat, literatæ, & articulatæ vocis similitudinem, & modum habentem; per hunc enim modum etiam asina Balaam, intelligitur fuisse locuta: Angelo tamen bono operante. Et similiter dicendum ad quartum, de locutione simulacri; hoc enim factum fuit dæmone per motum aeris, sonum formante, similem humanæ locutioni.

VERSUS XXII. *Et iratus est Deus: stetitque Angelus Domini in via contra Balaam*.

Cum iter arripit Balaam, irascitur Deus. Perspicuum sit, non recta intentione ipse; ideoque Angelus ad eum paulò post ait; *peruersa est via tua, mihique contraria*. Hinc legimus Iosue 24. *vocauit* (Balac) *Balaam filium Beor, vt malediceret vobis, & ego nolui audire eum; sed è contrario, per illum benedixi vobis*. Qua in re, qualiter se gerat Deus cum peccatore docemur. Plerumque (inquit S. Doctor) peccatores, quasi secreta admonitione à Deo arguuntur [I] per interiorem inspirationem. Hoc in asina terrenda intendit Angelus. Et bene in animali id accidit, quoniam in diuinis inspirationibus potiùs agitur homo quàm agar. Quemadmodum in opusculo [L] idem D. Thomas, Apocalypsis exponens locum, docet cœlestes spiritus per se-

F 2. Petri 2.
G 2. 2. 165. 2. 4.
H de potent. q. 6. 5. 3. & 4.
I De virtutib. q. 5 a. 3.

nio-

niores significari; & per animalia quæ potiùs aguntur, quàm agant, ex vehementi irradiatione diuina. Terretur autem asina, quia sensibiliùs pauorem concipit peccator in carne, quæ temporalem pœnam veretur. *In via Dei*, ex Gregorio, à *timore incipitur*; & ex Apostolo, *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt*; & naturale est nobis per sensibilia, cætera quæ non cadunt sub sensu, percipere. Distrahitur ergo asina à via qua incedebat. Atteritur autem pes Balaam, conciditque tandem asina sub pedibus eius, eo quòd reatus Balaam in pedibus erat, cum per pedes significentur affectus cordis, iuxtà quod Gregorius: *non mouetur anima pedibus, sed affectibus*. Verberat autem reluctantem asinam Balaam, dum non solùm peruersam aggreditur viam, sed & contrariam, ex Sacro textu, Angelo, dùm diuina excitamenta retundit: quæ imò quandoque peccator sic abijcit & contemnit, vt peccet in Spiritum sanctum. Ad illa verbâ 1. Thessalonic. [M] *spiritum nolite extinguere*: cum aliquis bonus motus surgit, & homo impedit, extinguit Spiritum sanctum. Actor. 7. *Vos semper Spiritui Sancto restitistis*. *Vtinam*, ait Balaam, *haberem gladium, vt te percuterem*. Per ferream quippe voluntatem obstinatam in malo sanctus omnis instinctus enecatur, & brutam mentem in ipso pœnitendi exordio occidit peruersitas.

M 1. Thes. 5. 1. 2.

VERSVS XXXIII. *Et nisi asina declinasset de via dans locum resistenti, te occidissem, & illa viueret.*

Balaam qui hìc filius Beor perhibetur, 2. Petri describitur vnde sit, ex *Bosòr* scilicet. Nomen est [N] villæ vel ciuitatis, vnde erat. Interpretatur autem *Bosor*, carneus. Cùm mutum illud animal sit in typum carnis carnalisque affectus, efficat ex quo compatiatur errata nostra Deus noster, psalmo 77. *& abundauit vt auerteret iram suam, & non accendit omnem iram suam: & recordatus est quia caro sunt*. Hunc potest reddere sensum, *nisi asina declinasset de via, te occidissem*. Declinat asina de via, cum perterrefactus, vel in hoc mundo flagellis extimulat carnalis animum vt resipiscat. Cuncta hæc potuisset Dominus interiùs efficere: at sic nobis non cederent in doctrinam, nec studio humilitatis ad quærenda mysteria exerceremur. Præterea cùm ex hoc per Origenem [O] innotescat, *quòd Angeli præsunt super bestias, & præsunt animalium natiuitati, & virgultorum, & plantationum*; debuerat Balaam colligere, quàm inani conatu electo populo intenderet maledicere: eo vel maximè quòd secundùm Chrysostomum in Matth. 21. ibi, *statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea; asina, & pullus eius Iudæi sunt & gentes, Deū vel Dei filium non cognoscentes*. Quomodo his imprecaretur mala nolente Domino, quando & iumenta Dei prouidentia seruantur?

N 2. Petri 2.

O p. p. 110. 1. 3. & vers. 5. a. 8. cont.

Non deest huius capitis mystica studiosis intelligentia: *Balac* enim [P] interpretatur *elidens*, per quem signantur Principes mali, qui elidunt iustos corpore, & anima, vel blandirijs, vel flagellis. Ibidem apud S. Doctorem, *Balaam* interpretatur *vanus populus*: aut *præcipitans eos*. Tu his adnecte quod contigit tempore Herodis, quando *turbata est omnis Hierosolyma cum illo*: & quoad Balaam, vide in quod præceps corruerit scelus, infrà c. 24. versu 14. & expressiùs c. 31. v. 16. Alibi ait, [Q] Hæreticos comparari *Balaam*, qui interpretatur, *populus vanus*. Qui certè ex sensu & vita carnali, quod ipse expendit; & pro amore [R] terrestrium commodorum, veritatem quam nouerunt, impugnant. Quas heu laruas erroris protulit in sui perditionem, sæculo præcedenti Aquilonis plaga! & hæreticos hìc signari commonstrat Iudas in Epistola, atque Ioannes in Apocalypsi, vt videre est.

P Apoc. c. 2. comment. 2.

Q 2. Petri 2.

R Iuda Epist.

CAPVT XXIII.

1 DIxitque Balaam ad Balac: Aedifica mihi hìc septem aras, & para totidem vitu-
los, eiusdemque numeri arietes. 2 Cumque fecisset iuxta sermonem Balaam,
imposuerunt simul vitulum, & arietem super aram. 3 Dixitque Balaam ad
Balac: Sta paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam, si fortè occurrat mihi Domi-
nus, & quodcunque imperauerit, loquar tibi. 4 Cumque abijsset velociter, occurrit illi
Deus. Locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, & imposui vitulum, &
arietem desuper. 5 Dominus autem posuit verbum in ore eius, & ait: Reuertere ad Ba-
lac, & hæc loqueris. 6 Reuersus inuenit stantem Balac iuxta holocaustum suum, & omnes
principes Moabitarum: 7 assumptaque parabola sua, dixit: De Aram adduxit me Balac
rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Iacob: propera, & de-
testare Israel. 8 Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester
quem Dominus non detestatur? 9 De summis silicibus videbo eum, & de collibus consi-
derabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur. 10 Quis dinume-
rare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte
iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. 11 Dixitque Balac ad Balaam. Quid est
hoc, quod agis? Vt malediceres inimicis meis vocaui te: & tu è contrario benedicis eis.
12 Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod iusserit Dominus? 13 Dixit
ergo Balac: Veni mecum in alterum locum, vnde partem Israel videas, & totum videre
non possis, inde maledicito ei. 14 Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verti-
cem montis Phasga, ædificauit Balaam septem aras, & impositus supra vitulo, atque ariete,
15 dixit ad Balac: Sta hìc iuxta holocaustum tuum, donec ego obuius pergam. 16 Cui

cum

cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore eius, ait: Reuertere ad Balac,& hęc
loqueris ei. 17 Reuersus inuenit eum stantem iuxtam holocaustum suũ,& principes Moa-
bitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus? 18 At ille assum-
pta parabola sua, ait: Sta Balac, & ausculta, audi fili Sephor: 19 Non est Deus quasi ho-
mo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus
est, & non implebit? 20 Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere
non valeo. 21 Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel: Dominus
Inf. 24. b. 8. Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ regis in illo. 22 Deus eduxit illum de Aegypto,
cuius fortitudo similis est rhinocerotis. 23 Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in
Israel. Temporibus suis dicetur Iacob,& Israeli quid operatus sit Deus. 24 Ecce populus,
vt leæna consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit donec deuoret prædam, & occi-
sorum sanguinem bibat. 25 Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas.
26 Et ille ait: Nonne dixi tibi, quòd quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem? 27
Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: si fortè placeat Deo, vt inde
maledicas eis. 28 Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit soli-
tudinem, 29 dixit ei Balaam: Aedifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos,
eiusdemque numeri arietes. 30 Fecit Balac, vt Balaam dixerat: imposuitque vitulos, &
arietes per singulas aras.

VERSVS I. *Dixitque Balaam ad Balac: ædifica mihi hic septem aras*, &c.

Immeritò opinati fuerunt nonnulli, Dęmonibus septem Planetarum quasi Præsidibus construxisse Balaã septẽ aras: tũ quia holocaustũ id appellatur, & iuxta legis morẽ de vitulis & arietibus fiebat; tũ quia ipsemet Balaã ad verum Deum consulendum, præposterè Dæmonibus immolasset; nec ausus fuisset, versu 4. Deum alloqui, idololatriam fassus, quam detestatur versu 21. *septem*, inquit, *aras erexi*. Nihilominus ad Balac ait, *sta paulisper iuxtà holocaustum tuum*; quoniam erant suppeditata cuncta à Balac: qui vt tactum est, Diuinitatem dispertiebat facilè in plures Deos, ratus Iudæorum Dominum vtcumque in detestationem illius populi, vel oblatis muneribus pertrahendum. Crassè quippe Deum imaginabatur.

VERSVS IX. *De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum.*

Parabolam se dicturum promiserat; quare figuratè indubitanter sunt accipienda quæ cuncta promit: & ad hoc pressiùs insinuandum, ea quæ dicuntur hoc in capite versu 22. & 24. de eductione de Ægypto, atque de similitudine Rhinocerotis & Leonis, iterantur capite sequẽti versu 8. & 9. vt, post literæ intellectum semel prolatum, ad spiritus introspectionem mens rapiatur. Quod ergo ait, se de verticibus & collibus intueri, non tàm de visu oculorum, quàm de prophetali præuisione, qua felicitatem non Iacob secundùm carnem, sed Israel secundùm spiritum prædicit, capiendum est versu 10. *quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel?* Hanc interminabilem stirpem considerabat Balaam, Deo sic imprimente, qui & Asinæ paulo ante dederat locutionem: & ideò non ab imo sed in altitudine contemplationis id loquitur. *Mons*, ait Haymo Isaiæ 40. *altus & firmus est; qui de illo inspicit, inspicit quæ à longe sunt*; idest *futura non præsentia, anteriora non posteriora*. Quæ apprimè ad præsens faciunt; eò quòd subijcitur v. 23. *temporibus suis dicetur Iacob, & Israeli quid operatus sit Deus*. Et cap. sequenti v. 17. *Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope*. Et iam adiecit de nouissimis se vaticinari dicens; *& fiant nouissima mea horum similia*. Mihique videretur innui, quod aiebat Dominus, *fiet vnum ouile, & vnus Pastor*; gentibus & Iudæis in vnam conuenientibus fidem: cum subdit sacer textus: *populus solus habitabit, nec reputabitur inter gentes. Non enim est distinctio*, Paulo teste Rom. 10. *Iudæi & Græci; nàm idem Dominus omnium.*

VERSVS XIII. *Veni mecum in alterum locum.*

Conceperat animo Balac, nec erroneè, plurimos ex Iudæis probos, posse esse in causa, cur in omnes maledictio præpediretur: fuerat quippè Balaam perductus, ad excelsa Baal, vt in calce capitis præcedentis, vndè intuebatur extremam partem populi. Et sic Dominus Genesis 18. *Non delebo inquit ciuitatem propter decem.* Quàm tutum est peccatoribus cohabitare iustis! sed enim plerumque impij odio habent illos, cum potiùs, ex quo, illorum ex societate, diuinam euadunt vltionem, singulari amore prosequi, ac æstimationis in pretio habere deberent.

VERSVS XXII. *Deus eduxit illum de Ægypto: cuius fortitudo similis est rhinoceroti.*

Asseuerauerat paulò ante Balaam Deum esse immutabilem, de quo p. p. q. 19. a. 7. D. Thomas: nùnc pergit causas enucleare constantis benedictionis: Vtque audito velle Dei, non hæsitet fortè Balac de ipsius posse, quæ egerit commemorat, & quo brachio: *eduxit*, inquit, *illum de Ægypto* &c. Quod quidem figuratę libet expendere. *Dominus fortis, & potens; Dominus potens in prælio*, rhinoceroti similis perhibetur, siue vnicorni: quod est [A] animal Syluestre, quadrupes valdè forte, & ferum. Hanc eandem fortitudinem tangit psalmus; *& comminuet eos, tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium* Vbi Christus Dominus [B] vnicornis dicitur, quia secundùm generationem æternam est sine Matre; & secundùm temporalem generationem fuit filius sine Patre. Et prætereà *filius vnicornium*, idest filius Iudæorum, qui vnicornes dicuntur, in quantùm gloriantur in cultu vnius Dei. Licèt autem rhinoceros apud authores duo habeat cornua, alterum maius in

A Iob 39.
B Ps. 28.

nare,

nase, alterum supra nares, sed longè breuius: ex quo distinguitur à monocerote, qui vnicum & in fronte cornu habet; tamen quia in Sacro textu eadem vox est Hebraica vtriusque significatiua, tanquam generis, & speciei, transtulerunt, nunc rhinocerota, nunc monocerota seu vnicornem, pro eodem. Accipitur nihilominus vnicornis etiam in malum, puta in typum superbi, vt in psalmo 21. & à *cornibus vnicornium humilitatem meam*. Vbi D. Thomas refert ad Principes
C Ps. 21. Sacerdotum, [c] & scribas, qui comparantur vnicorni, superbiam designanti: & hoc indicat quòd vnum cornu habet in capite; & est tantæ superbiæ, quod nullo modo patitur subiectionem, sed statim captus moritur. Iob 39. *nunquid volet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?* Nihilominus etiam in hoc quòd captus statim moritur, rhinoceros fuit Christi figura, qui paucas post horas ab horto fuit crucifixus, & posuit, quia ipse voluit, animam suam: non absimiliter ac rhinoceros velut spontè moritur. Ne tamen ex animalis superbia, summæ humilitati Christi derogetur; statim sequitur; *Ecce populus*, &c. quæ vox ex glossa, Iudæ in Epistolam, humiles refert: ipse autem sibimet in corpore mystico ait, *discite à me, quia mitis sum & humilis corde*.

VERSVS XXIV. *Ecce populus vt Leæna consurget; & quasi Leo erigetur: non accubabit donec deuoret prædam* &c.

Ly *Ecce* est nota quædam [D] gaudij vel propinquitatis: ita in secundo Commentario D. Thomas. Cumque hic propinquitatem indicare non possit: siquidem capite sequenti habemus; *intuebor illum, sed non prope*; necesse est indicare gaudium: & meritò, quia de resurrectione Domini prophetia est. Similia prodiderat Iacob Genesis 49. de Messia loquens. *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Leæna: quis suscitabit eum?* Quocirca [E] Saluatoris triumphus significatur, qui tanquam victor captiuos nos liberauit. De quo sequenti capite versu 9.

D Apoc. 5.
E Isaiæ 41.

CAPVT XXIV.

1 CVmque vidisset Balaam, quòd placeret Domino, vt benediceret Israeli, nequaquam abijt, vt ante perrexerat, vt augurium quæreret: sed dirigens contra desertum vultum suum, 2 & eleuans oculos, vidit Israel in tentorijs commorantem per tribus suas: & irruente in se spiritu Dei, 3 assumpta parabola ait. Dixit Balaam
filius Beor: dixit homo cuius obturatus est oculus: 4 dixit auditor sermonum Dei, qui vi-
sionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius: 5 Quam pulchra
tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! 6 vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios
irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. 7 Fluet aqua de situla
eius, & semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex eius, & auferetur re- Supr. 23 d.22.
gnum illius. 8 Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. De-
uorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis. 9 Accu-
bans dormiuit, vt leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi,
erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur: 10 Iratusque Balac
contra Balaam, complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus
è contrario tertiò benedixisti: 11 reuertere ad locum tuum, Decreueram quidem magni-
ficè honorare te, sed Dominus priuauit te honore disposito. 12 Respondit Balaam ad Ba-
lac: Nonne nuncijs tuis, quos misisti ad me, dixi: 13 Si dederit mihi Balac plenam domum Supr. 24. d.18.
suam argenti, & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, vt vel boni quid,
vel mali proferam ex corde meo, sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar? 14 Verum-
tamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat ex-
tremo tempore. 15 Sumpta igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit
homo, cuius obturatus est oculus: 16 dixit auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam
Altissimi, & visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. 17 Videbo
eum, sed non modò: intuebor illum, sed non prope. ORIETVR STELLA ex Ia- Matth. 2. a.2.
cob, & consurget virga de Israel: & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.
18 Et erit Idumæa possessio eius: hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israel verò fortiter aget,
19 De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis: 20 Cumque vidisset Ama-
lec, assumens parabolam, ait: Principium Gentium Amalec, cuius extrema perdentur.
21 Vidit quoque Cinæum: & assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitacu-
lum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum: 22 & fueris electus de stirpe Cin, quam-
diu poteris permanere? Assur enim capiet te. 23 Assumptaque parabola iterum locutus
est: Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus? 24 Venient in trieribus de Italia, Dan. 11. e.11.
superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt. 25
Surrexitque Balaam, & reuersus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat,
redijt.

VERSVS III. *Assumpta parabola ait* &c.

1 Iterum assumit Balaam parabolam, nàm prophetia parabolas etiam innoluit [A] ex D. Isidoro, in quibus mysteria clauduntur, cum similitudinibus rerum. Quamuis autem Balaam ex Deo verè prophetasse innuerim; vnde & hìc legimus, *irruente in se spiritu Dei*; tamen sciendum ex D. Thoma, [B] siue videntes, siue loquentes, siue aliquid agentes propheticè ex Spiritus-Sancti motione, dupliciter se habere posse, scilicet, vel cognoscendo, vel non cognoscendo quæ vident, loquuntur, & faciunt. De ratione prophetæ est vt cognoscat illud, quod videt, vel dicit, vel facit. Quando autem non cognoscit, non est verè propheta, sed participatiuè tantùm. Et ideo nec in somnio Pharao, nec in visione Baltassar, nec milites ex Augustino in diuisione vestimentorum Christi, nec Caiphas, nec fortè (inquit) Balaam, fuit nisi participatiuè propheta.

A 2. 2. 174. 1. 3.

B Hebr. 11. 1. 1.

VERSVS III. *Dixit homo cuius obturatus est oculus.*

VERSVS IV. *Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est. Qui cadit* &c.

2 Sub dubio reliquit Angelicus, vt nuper dictum est, an Balaam visionem cognouerit. Quāuis autem quid certi omninò, ex litera colligi nequeat, præcipuè quia *obturatus* dicitur eius *oculus* in vulgata nostra, & paulo post; *intuitus est visionem*; nihilominus in eam propendeo potiùs opinionem: vt Balaam viderit quidem, & audierit quæ sibi erant dicenda; verùm non penetrauerit alta mysteria secundùm figuratam intelligentiam. Idcircò forte Noster vulgatus transtulit hìc, & versu 15. in hæc verba, *cuius obturatus est oculus*, quamuis ex Hebræa radice potiùs *apertio* quàm *obturatio* videatur haberi, vt significaretur Balaamo velatam fuisse figuram. Neque enim *factū* dicitur *verbum Domini* Balaamo, sicut consueuit alijs prophetis. Quamuis ergo futuram Israelis felicitatem quam prænunciabat nouisset, non tamen quæ latebant arcana fidei callebat; neque enim merebatur ipse, aut erat necesse ad aliorum vtilitatem, vt ad amussim, ac singillatim, homo peruicax in malo, esset diuinitùs edoctus. Et ad summum sub communi quadam ratione, *nouit* vt dicitur in textu *doctrinam Altissimi*. Hæc ergo quæ plura prædicit, magis ad nostram futuram doctrinam, voluit Spiritus-Sanctus per Moysen scribi, quàm vt daretur tùnc temporis *Sanctum canibus*. Vide v. 17.

VERSV IV. *Qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.*

Id ipsum iteratò, versu 16. *qui cadens apertos habet oculos. Qui cadit*, scilicet inquit [C] dormiendo: Et sic Septuaginta legunt, *vidit in somnis*. Docet autem loco nuper citato, potiorem esse vigilantis cognitionem, quàm dormientis. Quemadmodum & in 22. [D] quia maior vis prophetici luminis esse videtur, quæ aliquem occupatum circa sensibilia in vigilando abstrahit, quàm illa, quæ animam hominis abstractam à sensibilibus inuenit in dormiendo.

C de veritat. 12. a. 3. 1.

D 2. 2. 174. 3.

VERSVS V. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel!*

Præmittitur in Sacro textu, *assumpta parabola*, sequentia dixisse Balaam, ex quo deprehenditur etiam non peruenisse prophetam impium ad supernaturalem distinctam intelligentiam: nam nec discipuli plenè intelligebant prouerbia: vnde Ioannis 10. *Hoc Prouerbium dixit eis Iesus: illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis*; & Lucæ, *vt videntes non videant, & audientes non intelligant*. S. Doctor in p. 2. [E] astruens legem veterem de Principibus ordinasse, sic ait in Sed contra: Populus Israel de plenitudine ordinationis commendatur Num. 24. *quàm pulchra sunt tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel!* sed pulchritudo ordinationis populi dependet ex Principibus bene institutis, ergo per legem populus fuit circà Principes bene institutus. Ex hoc, in sequentibus prædicit auguraturque populo felicitatem: quemadmodum vbi Isaiæ 58. dicitur, de domo Iacob, *& eris quasi hortus irriguus*, &c. exponitur [F] de prosperitate, atque de bonorum omnium indeficientia, adnectiturque in eundem sensum quod hìc extat: *quàm pulchra tabernacula*: ex optimo ergo regimine, rectaque populi dispositione atque ordinatione, faustè euentura Balaam ominatur.

C [E] p. 2. 105. 1.

F Isaiæ 58.

3 Sed est, quod nobiliùs capiamus; ad psalmum enim 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ*, habemus [G] ex D. Dionysio, bonum & pulchrū esse omnibus eligibile. Carnales amant pulchrum carnale; spirituales amant pulchrum spirituale: & hæc est pulchritudo Domus Dei. Num. 24. *Quàm pulchra tabernacula*, &c. Hæc autem pulchritudo est bonorum operum, vel diuinorum munerum, vel ipsorum Sanctorum: quia omnia hæc sunt quasi quidam decor domus Dei. His conformia tradit in sententijs [H] in Prologo; ad illa verba Eccl. 24. *Ego sapientia effudi flumina*, &c. *rigabo hortum plantationum*; hortus inquit est Ecclesia, in quo sunt plantationes diuersæ secundùm diuersos Sanctorum ordines, quos omnes manus Omnipotentis plātauit. Nectè illud Matthæi 15. *omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur*; & Ioannis 20. *existimans quòd hortulanus esset*. Iste hortus irrigatur à Christo Sacramentorum riuis, qui ex eius latere profluxerunt: vnde in commendationem pulchritudinis Ecclesiæ dicitur Num. 24. *Quàm pulchra tabernacula* &c. & post sequitur, *vt horti iuxtà fluuios irrigui*. Et ecce, quomodo S. Doctor ea quæ subsequuntur, illustrat; est enim.

G Psalm 25.

H Prologo primi sentent.

VERSVS VII. *Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas.*

4 Variè reddiderunt alij, metaphoricæ Sacræ locutionis non omnino gnari. Septuaginta interpretantur sic: *Exibit homo ex semine eius; & dominabitur gentibus multis*. Chaldæa; *crescet Rex qui vngetur de filijs suis, & dominabitur populorum multorum*. Quæ licèt verè dicantur, & Christo præludant; tamen omnino textui non quadrant, in quo paulò ante, de horto irriguò, & de aquis factus est sermo. Verum est quidem, per aquas significari populos, iuxtà illud Apocalyps. 17. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes, & linguæ*: Sed in malum tunc accipiuntur; aquæ enim ait Sanctus, [I] labilis naturæ sunt & fluidæ: & sic mali per diuersa fluunt, & decurrunt paulatim ad inferos. Vnde & ibidem dicitur meretrix super eas sedere. Igitur *situla* illa, haustrum, vel

I Apoc 17. comment. 2.

vrna,

vtna, sit latus Saluatoris; de qua, vnda fluxit salutaris quando *exiuit sanguis, & aqua*; in pretium simul & lauacrum: vnde gratiarum exuperantia ac multiplicitas (diuisiones enim gratiarum sunt) quasi ex semine, sanctitatis fœnore prodijt: *& semen illius erit in aquas multas*. Nisi situla dicatur ipsa Christi humanitas, quæ hausit è pelago diuinitatis plenitudinem gratiæ, *de qua omnes accepimus*. Io. 1. quod ignorans mulier illa Samariæ Io. 4. aiebat; *neque in quo haurias habes*.

VERSVS VII. *Tolletur propter Agag, Rex eius* &c.

5 Difficilis est literæ interpretatio; ideoque variè transtulerunt, & legerunt, vt videre est collectim apud Maluendam nostrum de Antichristo: In prima quidem editione Romana, l. 5. c. 3. In alia autem ab Authore præaucta & Parisijs impressa lib. 6. c. 30. Etsi autem Sanctus Hieronymus Ezechielis 38. v. 17. cum aliquibus alijs, acceperit ly *tolletur*, pro *tolli de medio*, in quantum Regnum Israel in Saule, cùm ipso Saule destructum sit: de quo primo Regum: non arridet expositio huiusmodi ex vi radicis Hebrææ, quoad præsens attinet; quoniam potiùs sonat è loco vel conditione inferiori eleuari, attolli, euehi, sublimari: nec abnuit Noster qui posuit, *tolletur*, id enim latinè importatur, quemadmodum aiebat Poeta, *tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant*. Quare cùm Israelis benedictio, & felicitas tangatur in vaticinio, non videtur, excidium Saulis, Regnique sub illo, opportunè significari.

5 Satiùs ergo propter Agag, cui pepercerat Saul, inhibente id Domino Regum 1. c. 15. extollendum Regem Israel prædicit: sic enim euenit, suffecto post Saulem, Dauid. Quamuis autem si fuisset humanitùs prædicenda historia, *propter Saulem*, magis quàm *propter Agag*, Sacra in pagina exarandum esset; voluit Spiritus-Sanctus, causam exaltationis Regis Israel facere Agag, quia sublatebat figuratum mysterium exaltationis veri Regis Israel, Christi Saluatoris; qui dixit Ioan. 12. *nunc Princeps mundi huius eijcietur foras; & ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*: vnde fortè tùnc imò, prouidit immobiliter poni titulum; *hic est Rex Iudæorum*, deturbato ad ima inferorum, Tartari Rege, apprimè per Agag Amalec significatum. *Amalec*,[l] ex Sancto Doctore, idest *Diabolus*.

l. Serm. Sexagesima.

Dauid autem typum fuisse Christi, non est qui ignoret. Et consentit infrà vers. 20. *cumque vidisset* (Balaam) *Amalec, assumens parabolam ait: Principium Gentium Amalec, cuius extrema perdentur*. Superest hemistichium librare prætacti versus 7. *& auferetur regnum illius*. Cuius regnum? Agag? Saulis? Dauid? Non desunt qui vellent (Maluenda ipse) ad Regnum Dauidicum, vaticinium referre, iuxtà quod Genesis 49. *non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est*; tunc enim fuit auferendum. Verùm etsi summè cedant in gloriam fidei, secundùm corticem læsa fuissent Balac, qui ablationem Regni Iudaici aliquando sperasset. Cum ergo legatur paulo post; *iratusque Balac contrà Balaam, complosis manibus ait: ad maledicendum vocaui te, quibus è contrario tertiò benedixisti*; argumento est, nec verbum quod Israeli in malum accipi posset, prompsisse Balaam. Auferetur itaque Regnum, Amalec scilicet, qui prius regnabat in mundo. Agag autem dicebatur Rex omnis Amalecitarum; sicut Ægyptiorum Pharao, & Romanorum Cæsar.

VERSVS VIII. *Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est Rhinoceroti*.

Magnalia commemorat Ægypti, quo nos figuraliter passim decantamus, quo prophetiæ respondeat allegoria, vnde sumus *erepti de durissimo Pharaonis imperio*. Sequitur; *Deuorabunt Gentes hostes illius; ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis*. Hostes acerrimi Christi Regis, fuere carnales Iudæi, non solùm dicentes in eum, *omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari*; sed diram mouentes persecutionem, aduersùm fideles, de qua in Act. Apostol. c. 6. & 8. vbi S. Lucas, *facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ. Saulus autem deuastabat Ecclesiam, per domos intrans; & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam*, Act. 26. quod recolit D. Thomas ad Galatas 4. l. 9. Ismaelis exemplo. Hos Ecclesiæ hostes & Christi in corpore suo, deuoraturæ erant Gentes: primò sub Vespasiano & Tito, deinde sub Hadriano. Quocirca Eusebius libr. 4. Historiæ capit. 6. *Porrò cum Iudæorum defectio longiùs in dies serperet, Rufus Præfectus Iudææ, auxiliaribus copijs, sibi ab Imperatore Hadriano, ad eam rem missis, illorum amentiam tanquam ansam oblatam, ad exitium arripiens, acerbè, & crudeliter eos exagitat; Virorum ac Mulierum vnà cum liberis, infinita prope millia confestim concidit; belli iure, agros illorum populo Romano adiudicat*. Sic ergo *ossa illorum*, idest illorum fortitudo, *confracta sunt*. Ipsique infideles Iudæi longè lateque exagitati, & expulsi, *sagittis* quasi petuntur, atque vt hic habemus, *perforantur*. Ipsorum exterminium & cladem, exaggerat Maluenda idem l. 11. de Antichristo c. 3. quo facit illud Danielis 9. *Vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio*. Nisi illud psal. 126. huc aduoces; *sicut sagitta in manu potentis, ita filij excussorum*.

VERSVS IX. *Accubans dormiuit vt Leo, & quasi Leæna, quam suscitare nullus audebit*.

In capite præcedenti; *ecce populus, vt Leæna consurget, & quasi Leo erigetur*: hic præmittitur Leo; postponiturque Leæna: pro qua vtrobique Septuaginta legerunt, *catulus Leonis*: Chaldæa verò nobiscum. Genesis autem 49. singillatim de Iuda dicitur, *Catulus* primò *Leonis*; *Leo* deinde, & tandem *quasi Leæna*. Christus Dominus videtur fuisse leonis catulus, qui habitare dicitur *in abditis* psalmo 16. quando paruulus in antro Bethleemitico natus est, sed postea Leo euasit, *Leo rugiet, quis non timebit?* cum timuerunt turbæ; & ipsi proceres Iudæorum illius in causa, timebant plebem. Leo item secundùm Diuinitatem Iob 9. *Si fortitudo quæritur, robustissimus est*. 7

Quemadmodum autem Numeri 19. secundùm infirmitatem assumptam[m] significatus est Christus per vaccam rufam, quia id fœmininus sexus designat: ita posset de Leæna in præsenti exponi: vnde quia mortuus est ex infirmitate, hoc est, secundùm humanitatem, legimus; *accubans dormiuit* quidem *vt Leo*, propter communicandidio-

m p. 2. 102. 5. ad 5.

Vu idio-

idiomata; Deus enim propter identitatem personæ, mortuus dicitur; sed cum mortuus sit solùm secundùm humanitatem, subiunctum est; & *quasi Leæna, quam suscitare nullus audebit*, quasi dicat, *nullus* præter Dominum: *Ego dormiui* ps. 3. *& soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me*. Præcedenti autem in capite, quia de populo eius sermo fit: & de Christo pariter, quatenus pugnaturus erat & victurus in membris suis, leænæ præit similitudo, eoquòd scimus quales fuerint homines etiam fideles & iusti ante passionem Domini; & quales post eius mortem dæmonibus ipsis terribiles effecti: meritò ergo, prius Leænæ, deinde Leoni comparatur. *Non accubabit donec deuoret prædam, donec* scilicet saluandorum cœtum ad se rapiat, & omnes in suum corpus mysticum conuertat, iuxtà & dicta Petro in Actis, *occide & manduca*, c. 10. Quocircà S. Doctor: [N] gentiles qui priùs erant velut bestiæ, sunt per Crucem Christi spiritualiter occisi; & Christi Ecclesiæ incorporati. Et alibi: [O] Christus per se, & per suos semper studet membra diaboli præscindere & suis membris incorporare: iuxtà illud Act. 10. *surge Petre, occide; & manduca: occide* [P] ab eo quòd sunt, vt desinant esse peccatores, *&*, *mandaca*, hoc est, transfer in corpus Ecclesiæ. Igitur *non accubabit*, in sanctis suis atque ministris, *donec deuoret prædam* (*prædamque tulit tartari*, cantamus in hymno) *& occisorum sanguinem bibat*; quia nunquam desistit operarios etiam circa horam vndecimam in vineam mittere: *donec occisorum*, morte spiritali per peccatum, *sanguinem bibat*. Sanguis [Q] peccatum significat, (ita ad illa verba Apocalypsis; *tertia pars maris sanguis*;) ratione infectionis, ratione horroris, ratione signi mortis; quia peccatum turpiter inficit, horribile est, & signum est mortis spiritualis, immò & causa; Oseæ, 4. *sanguis sanguinem tetigit*: hunc sanguinem bibit Christus, qui *peccata multorum tulit*, vt ait Isaias 53. quemadmodum dixit Samaritanæ illi Ioan. 4. *mulier da mihi bibere*. Sic ipse quidem hausto lethali eiusmodi sanguinis poculo, *in similitudinem carnis peccati*, iuxtà Apostolum, *tollit peccata mundi*, quamuis *inter iniquos reputatus sit*.

N Genes. 9.
O op. 58. c. 14.
P Cant. 4.
Q Apoc. comm. 2. c. 8 & 14. ad calcē.

At iuuat quæ in eandem Apocalypsin scripsit repetere. [R] Fuit Leo Christus in incarnatione; qui Deitatem humanitate operuit, sicut cauda Leo vestigia, ne diabolus, vel Iudæi diuinitatem agnoscerent. Item Leo progressu vitæ, quia audacter arguebat peccatores. Item Leo in passione, quia triumphauit de Diabolo, sicut Leo triumphat de alijs animalibus. Num. 23. *non accubabit Leo donec deuoret prædam*. Rursus quia Leo dormit apertis oculis (tù Poetæ memineris: *Est vigil, est custos, oculis dum dormit apertis: Templorum idcircò ponitur ante fores*) & ipse mortuus est, Diuinitate viuente, Num. 24. *accubans dormiuit vt Leo*.

R Apoc. 5.

Item Leo in resurrectione, quia tertia die resurrexit, sicut Leo, cum velut mortuus natus est, tertia die voce patris suscitatur, Genesis 49. *Catulus Leonis Iuda, ad prædam ascendisti fili mi*, hoc quantùm ad passionem *acquiescens accubuisti vt Leo*; hoc quantùm ad resurrectionem. Item Leo in æquitatis distributione; hæc est enim Leonis natura; quòd Leo humilianti se, & prosternenti ad pedes suos mitem se præbet; stantem verò, & rebellantem prosternit. Item Leo in iudicij districtione Amos 3. *Leo rugiet, quis non timebit?* & Genesis 49. Christus per mortem obdormiuit, & resurrexit vt Leo, & veluti Leo iunior ab inferis prædam traxit; & cùm illa in Cœlum ascendit. Et etiam ab infernali statu infidelium multam prædam electorum traxit & trahet. Et hanc suscitationem non potuit facere Deus alter ab ipso. Vide quomodo sibi concinunt scripturæ: hic *quam suscitare nullus audebit*. Genesis 49. *quis suscitabit eum?* innuebatur ipsum per se resurrecturum.

VERSVS XIV. *Veruntamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.*

Exponitur tacitum in præsenti consilium de suggestione memorata infrà c. 31. versu 16. Quod & recolit S. Doctor in 2. Comm. Apocalyps. ibi, *habes illic tenentes doctrinam Balaam*; qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel; edere & fornicari. [S] Docuit enim illum, quòd per mulieres prouocaret filios Israel ad libidinem, & esum idolothytorum, Numeri 25. *fornicatus est populus cum filiabus Moab* &c. Sapienter autem in Sacra Apocalypsi scandalum dicitur: siquidem cùm ex S. Doctore scandalum actiuum [T] possit accipi & per se, & per accidens; tunc est per se, quando aliquis intendit alium trahere ad peccandum: quod quidem speciale est peccatum; & opponitur directè correptioni fraternæ, in qua attenditur specialis nocumenti remotio. Immanis ergo erat Balaam & Balac perfidia, vt infaustè res cederent Israeli, moliri ex intentione, illius ruinam, atque Dei sui protectionem auertere ab illo, duplici fornicatione studiosè implicando.

S Apoc. c. 2.
T 2. 2. 41. 3.

VERSVS XVII. *Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non propè.*

Habemus Isaiæ 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo*. Hoc intelligit S. Doctor ibi, de Filio Dei: & inquit, venisse de longinquo; primò, propter diuturnam expectationem, Hebræorum 11. *iuxtà fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, à longè eas aspicientes*. Secundò, propter meritorum nostrorum imperfectionem, Ephes. 2. *& veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis*. Tertiò, propter temporis dilationem, & adducit authoritatem quæ suprà. *Videbo eum* &c. Verùm alibi, [V] nomen Domini est longinquum propter peccatum Psalm. 118. *longè à peccatoribus salus*. Est etiam longinquum nobis, propter intellectus obscuritatem: vnde & quibusdam dicitur Hebræor. 11. *quòd erant à longè aspicientes*. Et Numer. 24. *Videbo eum, sed non modo* &c. Quare firmior fit animus in opinando, claram & distinctam mysteriorum notitiam latuisse Balaam, qui fassus est laborare obscuritate.

V Prol. in Epistolas Pauli.

VERSV XVII. *Orietur Stella ex Iacob.*

Refertur ad Christum qui in Apocalypsi ait, *Ego sum radix & genus Dauid, stella splendida & matutina*: Mundo lucem [X] præbendo, & splendorem Sanctorum excedendo. De huiusmodi stella habetur Numer. 24. Ecce præterea quomodo Balaam tenebras indicat suas, stellam orituram prænuncians, nondum sibi ortam. Cæterùm non videtur in oritura stella, Iudæorum Regem intellexisse, nisi tanquam in signo

X Apoc. 22. comment 2.

nasci-

nasciturus alicuius Regis: & ideò dixit, *ex Iacob*. Hinc Sancti Magi Matthæi 2. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente.* quocirca sicut dicitur in lib. de quæstionibus veteris & noui testamenti, [A] Magi illi traditionem Balaam sequebantur, qui dixit, *orietur stella ex Iacob*: vndè videntes stellam extra ordinem mundi, hanc esse intellexerunt, quam Balaam futuram indicem Regis Iudæorum prophetauerat. Qua de re, & in Matth. [B] dicuntur enim & isti de secta Balaam, qui dixit Numeri 24. *orietur stella ex Iacob*: qui Balaam habitauit iuxtà terram promissionis in parte Orientali. Et post alia: isti erant de stirpe Balaam, qui dixit, *orietur stella ex Iacob*, vnde habuerunt à prophetia eius: & ideò videndo tantam claritatem stellæ, suspicati sunt quòd Rex Cœlestis natus esset. Quæ tandem in Catena aurea ex Remigio scripsit in hæc verba. *Aly dicunt illos fuisse nepotes Balaam, quod magis est credendum. Balaam enim inter cætera quæ prophetauit, dixit*; orietur stella ex Iacob: *illi verò habentes hanc prophetiam, mox vt viderunt stellam nouam, intellexerunt Regem natum, & venerunt*. Et rursùs ex Hieronymo: *hanc stellam futuram vaticinio Balaam nouerunt, cuius erant successores.*

A 1.9.16. 14.

B Matth. 2.

9 Refert curiosa Maluenda de Antichristo prima in impressione libr. 1. capit. 8. de Iudæo quodam, qui impia seductione sub Domitiano Imperatore Messiam se faciebat. Erat illi nomen *Chozba*, iuxtà Rabbinos, inter quos Rabbi *Akiba*, de illo exponebat hunc textum; *orietur stella ex Iacob*: aiebatque, non esse legendum *Chochab*, quod significat stellam, sed *Chozab*, ad somniati sui Messiæ nomen. Christiani Patres scriptis mandauerunt, nebulonem illum nuncupatum primò fuisse *Barchuziba*, vel *Benchuzma*: hoc est, filius mendacij: sed ipsum absurditatem vocabuli aspernatum, permutato nomine, vocitasse se *Barchochaba*, hoc est *filius stellæ*. At perijt illius memoria cum sonitu.

VERSVS XVII. *Et consurget virga de Israel.*

10 Vt ly *orietur stella*, de Christo interpretantur: qui ex primo Commentatio etiam [C] Lucifer dicitur, eo quòd in motem Luciferi stellas cæteras superat in splendore, hoc est omnes Sanctos in cognitione: & diem fidei, & cognitionis aduexit, necnon resurrectionis prænunciauit: ita hoc quod adijcitur, *& consurget virga de Israel*, Christo iuremerito aptatur. Ipse quippe Isaiæ 53. appellatur *Virgultum de terra sitienti*, [D] præ alijs causis quoniam virga est ad percutiendum iuxta illud Num. 24. *orietur stella ex Iacob, & consurges virga*. Virga etiam conturbat hostes; & in hoc Christus fuit virga [E] Numeri 24. *& percutiet duces Moab*. Animaduertit autem discrimen regiminis tyrannici à Regali; quia tyrannicum est ad vtilitatem suam cum grauamine subditorum: Regimen autem Regis principaliter ordinatur ad vtilitatem subditorum: & ideò Rex est, Pater & Pastor; Pastor enim non corrigit cum gladio, sed cum virga. ps. 88. *visitabo in virga iniquitates eorum.*

C Apoc. 2. ad finem.

D Isaiæ 53.

E Hebr. 1.1.4.

11 Veruntamen quoniam de stellæ ortu ex Iacob, & de virga consurrectura de Israel distinctum est vaticinium, iuuat (quod Patres probant) de vtroque Christi aduentu scripturam eiusmodi exponere. Ortus est quippe Dominus vt *stella*, quæ benignos pluit gratiarum influxus: sed *consurget* quasi *virga* ad conturbandos hostes, & horum causa genus humanum omne, ad diem iudicij. Dicitur virga de Israel: de hac virga, psalm. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*: tunc autem *consurget de Israel*, quia Israel rectus rectissimus interpretatur. Deutoronomij 33. *non est Deus alius vt Deus rectissimi*; talia autem de Christo iudice prædicuntur in ps. *iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Percutiet Duces Moab*, hoc est Dæmones, quos impij, ac peccarores secati fuerint. Vnde Isaiæ 16, *venter meus ad Moab*, idest ad peccatores, vt exponit in 1. Comm. Apocal. cap. 15. Ioan. 12. *nunc iudicium est mundi*. Marci 1. *quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos*. Lucæ 11. *cum fortis armatus*, &c. Non dissimili omnino verborum tenore, quod attinet ad iudicium, eloquitur Isaias c. 11. post quam scilicet primum expressit aduentum; *& flos de radice eius ascendet*; dicens, *& percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*: id quod expendit etiam Apostolus 2. Thessal. 2. Quocircà mirum non videatur, si *vastabit*, inquit, *omnes filios Seth*. Etsi enim sint omnes homines filij Adam, *fecitque ex vno omne genus hominum* Actor. 16. alibique vt Ecclesiastæ 3. ita humanam sobolem litera sacra deriuet; *quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum?* tamen quia ad iudicium, non propter peccatum originis, sed propter actualia sunt homines congregandi, idcirco, non Adam commemoratur parens, originalis traductor, sed Seth post Adam primus, ex quo generationis nostræ contexta est series. *Vastabit* Noster transtulit; alij aliter: apud Maluendam etiam, *exparietabit*: quod sanè non nisi signanter dicitur, quoniam tunc discussio venerit in motem vastationis, sed & *cuncta cordium inabscondita proferentur ad lucem*, quemadmodum ait S. Beda lib. 8. in Luc. c. 52. ad illud 12. capitis; *quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.*

VERSVS XVIII. *Et erit Idumæa possessio eius: hæreditas Seir cedet inimicis suis.*

Pro huius intellectu obserua cum Angelico [F] Idumæos egressos fuisse de Esau. Sed Dominus venturus in hunc mundum, hos non despexit: imò ex ps. 59. & 107. *in Idumæam*, inquit, *extendam calceamentum meum*, quia ad Gentes missurus erat Apostolos; *docete omnes Gentes*: & quod Israeli parabatur, plebs Gentium occupauit: vnde de Gentium vocatione passim Prophetæ. Igitur futura erat possessio eius Idumæa. Quamuis autem ex Seir, qualis dictus est Esau, hispidus scilicet, & pilosus, prognati sint Idumæi, distinguit Spiritus-Sanctus Seir ab Idumæa, dicens *hæreditatem Seir cessuram inimicis suis*, eo quòd in typum reproborum ac peccarorum per cutem illam hispidam, atque per pelles hædinas signatorum, est Seir: de quo nequit illud Ecclesiastici 44. astrui, *hæreditas sancta nepotes eius*. Subdit Sacer textus in præsenti. *Israel verò fortiter aget*, quia ps. 149. *gladij ancipites in manibus Sanctorum, ad faciendam vindictam in nationibus*, &c. *& iudicabunt Sancti nationes, & dominabuntur populis*, Sap. 3. *Stabuntque iusti*, cap. 5. *in magna constantia aduersùs eos, qui se angustiauerunt* 12

F Hebr. 11.1.5.

runt: cum Christo Domino, qui, ibidem, *induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea, iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem*: *zelus* quippe (Prouerb. 6.) *& furor viri, non parcet in die vindictæ, nec aquiescet cuiusquam precibus*, *nec suscipiet pro redemptione dona plurima*.

VERSVS XIX. *De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.*

In profundo Balaam vaticinio de Christo Domino, & Redemptore, & Iudice, operæ pretium erat innotesceret, vnde hoc Regnum sibi promeruisset: *humiliauit*, inquit Apostolus, *semetipsum vsque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu, omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum*. Iob etiam 36. de ipso legitur; *causa tua, quasi impij iudicata est; causam iudiciumque recipies*. De Iacob erat futurus Dominator; etsi enim vir qui luctabatur cum Iacob Genesis 32. ipsum superare non posset, de illo tandem triumphans, dimissus est: fuit siquidem ex S. Doctore [G] ad figurandam luctam Christi non cum spiritu Iacob, sed cum carne, & brachio eius, idest cum parte Iudæorum carnalium, à qua Christus propter redemptionis pretium superandus erat ad horam. Micheæ 7. *ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam cum sedero in tenebris*. Ecce quomodo cohæret, *dimitte me quia aurora est*: surrexit enim Dominus diluculò: 3. p. 53. a. 3. Christus resurrexit circa diluculum, illucescente iam die, ad significandum quòd per suam resurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat: neque *mors illi vltra dominabitur*; imò, *de Iacob erit qui dominetur*.

G Genes. 32.

Quod sequitur; *& perdat reliquias Ciuitatis*, eam videtur subire interpretationem, quæ dictis hactenùs congruat. *Perdat* itaque, idest *perdet*, sicuti Ieremiæ 17. [H] *confundantur qui me persequuntur*, idest *confundentur*; *reliquias ciuitatis*. Ciuitas hic animam libens intelligo, quā Dominus Lucæ 19. *videns fleuit super illam*: reliquias huius ciuitatis perdet Dominator Dominus, cùm post animæ damnationem corpora etiam damnatorum in inferno puniet. Ieremiæ 17. *duplici contritione contere eos*: quod exponitur [I] quia anima & corpore damnabuntur. Corpus autem reliquiæ significant, quia ipsum est quod relinquitur: vnde & sacras reliquias veneramur; neque enim in coaceruatos, aut dispersos lapides, terrenæ alicuius dirutæ ciuitatis ira Dei exardescit. Sic metaphora simili [L] corpus cùm organis; anima cum potentijs quoddam castrum est.

H Rom. 12. l. 1.

I Apoc. 1. comm. 2. ibi; gladius.

L 1. Cor. 7. l. 7.

VERSVS XX. *Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam, ait: Principium Gentium Amalec.*

Cum Amalec fuerit nepos Esau, ægrè cortex literæ locum habet; non enim ab Amalec cœperunt gentes: & ideò forte Chaldæa paraphrasis legit, *principium bellorum Israel fuit Amalec*: atqui Hebræa sic non habet. Igitur non de gente carnaliter, quo pacto ait Apost. Ephes. 2. *Gentes in carne*; sed aliud significandum intenditur: nimirum gentium, quæ turpiter in idololatriam deuolutæ sunt, exitiale principium extitisse Amalec, nempe Diabolum: sic Exodi 17. Amalec accepimus. Simius enim Diuinitatis, cultū sibi ab impuris, ac deliris hominibus vsurpauit: vel quia primò impugnauit Israel, principium aduersarum gentium perhibetur. Extrema autem conatuum inferni perdidit Dominus cum iuxta Isaiam idola penitùs contrita sunt; & Diabolum vicit, atque vt dicitur Apocalyps. 20. ligauit eum per mille annos. Matthæi 12. *Quomodo potest quisquam intrare domum fortis, & vasa eius diripere, nisi priùs alligauerit fortem? & tunc domum eius diripiet.*

VERSVS XXI. *Vidit quoque Cinæum*, &c.

Genesis 15. promittens Dominus terram promissionis Abrahæ, enumerat vndecim populos; *semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphraten, Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos*, &c. Quocirca inibi [M] ex D. Augustino, licèt alijs in locis pauciores nominentur, gens vna subintelligitur per alias, & è contra. Quare cùm hìc soli exprimantur Cinæi, imò singulariter Cinæus, argumento est, per synecdochen accipi gentes omnes. Vnde & prima gens in Genesi recensita hìc memoratur. Et conuenienter quidem, quia postquam de Amalec in seipso qui typus est diaboli dictum est, oportet de eodem suis in membris tangere Christi victoriam. Suprà etiam capite 14. Amalecites, & Chananæus occurrunt; qui firmam, ac stabilem habitationem habebant in mōtibus, vt ibidem in calce capitis legitur. De hoc in montibus incolatu habemus in præsenti; *Sed si in petra posueris nidum tuum*. Cuius simile extat in Abdia; *superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt Aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus*. Exponitur autem [N] de superbia. Vtramque authoritatem complexus S. Doctor in quodam sermone Sexagesimæ [O] Dæmonibus aptat, qui idcircò volucribus Lucæ 8. comparentur. Ipse verò hoc in capite ad membra Diaboli refero, cuiusmodi, ex Iudæis etiam non credentes sunt, fuerunt & erunt: & omnes sub gentium nomine comprehenduntur; prout Isaias quoque dicit, *vocabo non gentem, gentem*. In istos prophetat Balaam dicens; *robustum quidem est habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe*, &c. *Assur capiet te*. Assur pro diabolo stat: sic Haymo Isaiæ 52. ad illa verba, & *Assur absque vlla causa calumniatus est eum*. *Assur* ergo *capiet te* paganum, gentilem, & incredulum, eritque idem diuinæ vltionis minister, quemadmodum Isaiæ 10. *Assur virga furoris mei, & baculus*. In inferno enim trudentur, eruntque tartarei spiritus illorum tortores.

M Genes. 15.

N op. 41. l. 1. 6. & Daniel. 7.

O ex Euāgelio.

Missis pluribus quæ ab interpretibus pro 13
extimo literæ intellectu congeruntur, placuit magis intimum scrutari sensum arcanæ huius prophetiæ; primariò enim de Messia fieri sermonem indubium est. Neque enim, tot denarrare Balac fuisset opus: quippe qui futura post tot sæcula præscire non affectaret. Igitur ne Gentiles laterent omninò quæ Deus in mundi redemptionem, & superbiæ diabolicæ confusionem, humiliando semetipsum, facturus erat, vaticinia illis promuntur, ne excusationē prætenderent de peccato, quo non crediderunt in

eum

eum, quando & per sibi acceptum diuinum Balaam, propheticis monumentis isthæc dignatus fuerat commendare.

VERSV XXIII. *Heu quis victurus est quando ista faciet Deus?*

A longe se vidisse coecutiente oculo dolet Balaam: ex quo adhuc deprehenditur, non humanum bellorum exitum, sed diuini triumphi gloriam verè adumbrari. Sciebat sanè Balaam, non exigua temporis dilatione posse cuncta in cortice impleri: neque idcirco erat ei exclamandum: *heu quis victurus est?* Sed aliud etsi non plenè notum portendebat ipsius interiectio: *Heu quis*, &c. Nihilominus, ne inani expectatione aliquando extinguatur fides, subijciuntur quæ tacitè indicantur præeuentura.

VERSVS XXIV. *Venient in trieribus de Italia* &c.

14 Supprimitur quinam sint hi venturi de Italia: nisi quòd subditur: *& ad extremum etiam ipsi peribunt*. Assyrios per hosce priùs superatum iri, vastandosque Hebræos, tradit Sacra pagina: quæ quidem quomodo re ipsa euenerint, ex profanis historijs notant interpretes: inter quos Maluenda de Antichristo l. 5. primæ impressionis c. 1. accuratissimè. Romani, ait Strabus Burgensis, Assyriam & totum fermè Orientem afflixerunt, ibi § 111. & secundum alios § 1. suo imperio, & potentia, cum vniuersum perlustrarunt orbem, & subiugarunt, Reges Syriæ & Babyloniæ deuicerunt: pluriesque funditùs oppresserunt Hebræos. In quo, & in Gentibus & in Hebræis sui aduentus signum, primi videlicet, ostendit Dominus. Chaldæa legit, *& naues venient à Romanis.* Verùm cum adiecit, *& ipsi peribunt*; voluit Romanorum imperium penitùs euellendum commonstrare, priusquam adueniat Dominus (secundò, ad ea, quæ concernunt iudicium, patranda. Equidem prope iudicij tempus, exurgent in orbe decem immanis potentiæ Reges, qui Prouincijs omnibus, quæ nunquam fuerunt Romani Imperij, inuasis, occupatis, inter seque diuisis, ipsas quoque eiusdem imperij languidas & flaueſcentes reliquias, quæ nunc etiam in Germania supersunt, penitùs de mundo tollant, ac interimant: ac rem omnem, nomenque imperij Romani, vbiuis terrarum, hoc est tàm germen, quàm radices extirpent. Hæc habet Maluenda qui suprà l. 4. c. 21. ad locum illum Apocalypsis 13. de decem cornibus bestiæ. Quæ cuncta vaticinatione sic tacta, quoniam obscura sunt & mitanda, priusquam perficerentur, & abstrusiora, & mirabiliora euadebant. Hinc fit vt fortè hac de causa, cursim absoluat Moyses ipsorum enarrationem: & Balaam dicatur reuersus in locum suum, quemadmodum & Balac qua venerat via; cunctabundi profectò, & obstupentes.

Non immeritò vaticinium istud; *consurget virga de Israel*, appropriatur Deiparæ, [P] quæ dicitur [Q] percutere *duces Moab*, quatenùs liberat à tentationibus. Et ita ex hoc textu alibi [R] dicitur Beata Virgo virga flagellans. Isaiæ 11. *egredietur virga de radice Iesse*.

P Serm. de Annũciat. 1.
Q Item in 2.
R Isaiæ 11.

Præterea moraliter in primo Commentario; [S] *Orietur stella ex Iacob*: pro stella animæ stola, quæ dicitur stella propter claritatem diuinæ cognitionis: & hæc stella oritur ex Iacob, idest ex lucta & supplantatione carnis, & mundi, & diaboli.

S Apoc. 2. ad finem.

C A P V T X X V.

1 MOrabatur autem eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus cum
filiabus Moab, 2 quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt,
& adorauerunt deos earum. 3 Initiatusque est Israel Beelphegor: & iratus
Dominus, 4 ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis: vt auertatur furor meus ab Israel. 5 Dixitque Moyses ad Iudices Israel:
Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. 6 Et ecce vnus de filijs
Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi. 7 Quod cum vidisset Phinees filius
Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, 8 ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filijs Israel: 9 & occisi sunt viginti quatuor millia hominum. 10 Dixitque Dominus ad Moysen: 11 Phinees filius Eleazar filij
Aaron sacerdotis auertit iram meam à filijs Israel: quia zelo meo commotus est contra eos,
vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. 12 idcircò loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, 13 & erit tam ipsi quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum,
quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel. 14 Erat autem nomen viri
Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione, & tribu
Simeonis. 15 Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia
Sur principis nobilissimi Madianitarum. 16 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
17 Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos: 18 quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidijs per idolum Phogor, & Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

Iosue 22. d. 17.
Deut 4. a. 3.
Exod. 32. f. 27
1. Mach. 2. e 26.
Psal. 105. c 30.
1 Corint. 10. b. 8.
Eccl. 45. d. 28.
1. Mach. 2. f. 54.
Infr. 31. c. 2.

VERSUS I. *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab.*

1 Lapsus carnis cum infidelibus Madian mulieribus, grauat coram Domino in primis populum Israel: moxque ad infanda sacrificia pertractus prouocat ad vindictam zelum Dei. Madianitas hasce, se se ad irretiendos illos ornasse tradit, [*A op. 41. l.5.c.64.*] ᴬ præmittitque; velut spina lacerans est superbus habitus vel mollis, quia via est ad luxuriam. Recolo illud Ecclesiastici 9. *auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam.* Perfrictam autem huiusmodi frontem descriptam habes Prouerb. 7. *Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga*, &c. Magni ponderis verba protulit hanc ad rem Aristoteles, quem refert in primo Commentario; [*B Apoc. 2. ad finem.*] ᴮ *vtinam inspiciendo mulieres, aut lynceos oculos haberemus aut nullos.* Ornatus ex se, nisi turpitudinem, ignobilitatem arguit; hinc Apostolus 1. Corinth. 12. *Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus*: Sicut [*C 1.Cor. 12.l.3.*] ᶜ auribus alicubi suspenduntur inaures, oculis autem nihil apponitur: & pedibus imponuntur calceamenta depicta & gemmata, manus autem nudæ habentur. Aiebat Pithagoras; [*D 1. Petri 3.*] ᴰ *vera ornamenta matronarum, pudicitia, non vestes sunt.* Nihilominùs ne rigidior sit noster calamus, iuuat S. Doctorem adire ad [*E 1. Tim. 2 l.2.*] ᴱ Timotheum: simplex ornatus, puta in veste, & auro, & huiusmodi, seruata recta intentione, consuetudine Patriæ, & conditione status, non est peccatum: de fucato autem ornatu; semper est peccatum: mulieribus enim non permittitur ornari nisi propter viros: & viri nolunt decipi vt fucatæ eis appareant. Sed quoniam posset conari quis consuetudinis voce, honestare corruptelas, sciendum est ex eodem [*F 2. 2. 100.2.4.*] ᶠ quod consuetudo iuri naturali vel diuino nunquam debet aut potest præiudicare. Quare cum habeamus, spiritualem proximi vitam respectiuè nobis committi iuxta illud Ecclesiastici 17. *& mandauit illis, vnicuique de proximo suo*, constans est quod docemur, [*G 2.2.43. 4.*] ᴳ peccare mortaliter scandalo qui contemnens salutem proximi, pro ea conseruanda non prætermittit facere quod sibi libuerit. Idcircò excusari nequeunt quæ conquisitis ornatuum lenocinijs, nimis heu lubricantes trahunt in præceps. De huiusmodi muliere aliqua aiebat D. Chrysostomus Matthæi 5. *qui viderit mulierem &c. si se decorauerit, & oculos hominum ad se vocauerit, etsi plagam non intulerit, extremam vindictam dabit: venenum enim obtulit, etsi nullus qui biberit inuentus sit. Filiæ Babylonis* (Bernardus relatus in opusculo [*H op 41. l.1.c.65.*] ᴴ) *induuntur purpura & bisso, & sub his conscientia pannosa iacet; fulgent monilibus, & sordent moribus.* Isaias etiam c. 3. *Et dixit Deus, pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum, ibant & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion; & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques & monilia, & armillas & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas & olfactoriola, & inaures & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas & theristra. Et erit pro suaui odore fætor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali, cilicium.* Quàm disertus Propheta! discant, quorum interest, parentes & confessarij coercere, ac respectiuè monere ad libidinis excitamenta effrænem parumque pudicam, muliebrem licentiam, ne pereant cum perfido Balaam, qui sui immanitate consilij, contexuit Israelitis inferni rete; vt recolitur c. 31. v. 16.

VERSUS III. *Initiatusque est Israel Beelphegor.*

2 Sic in psalmo 105. *& initiati sunt Beelphegor* idest consecrati; hoc est, susceperunt Sacra idoli Moab & Madian: quod communiter dicunt interpretes priapum, cuius infanda turpitudine cultores erant. Siue autem dicas *Baal*, siue *Beel*, pro eodem accipe. Sic D. Hieronymus in catena aurea Matthæi 10. Beel, *ipse est Beel siue Baal.* Et noster vulgatus effert hic *Beel*; suprà autem cap. 23. protulit *Baal*. Ratio discriminis esse potest varietas punctorum: quandoque enim punctatur prima Syllaba per *Cametz*, quod est *a* rusticum, arctoque ore enunciatur, quandoque per *Padach*, quod est *a* clarum, ab aperiendo dictum, eo quòd magno oris hiatu efferatur. De hac voce *Beel* S. Doctor, [*I Matth. 10.*] ᴵ sciendum quòd Ninus fuisse dicitur filius Bel; & imaginem Patris fecit adorari, & vocari Bel: deinde postmodum translatum est vocabulum ad aliam linguam. Sic puto ego *Bel* transijsse in *Baal* seu *Beel*. Hinc 22. [*L 2.2.94. 3.2.*] ᴸ tangens initia idololatriæ inquit: in secunda ætate legitur esse adinuenta, vel à Nemroth, qui vt dicitur, cogebat homines ignem adorare: vel à Nino qui imaginem Patris sui Beli adorari fecit. Apud Græcos tamen, (vt Isidorus refert) Prometheus primus simulacra hominum de luto finxit. Judæi verò dicunt quòd Ismael primus simulacrum de luto fecit. Additur autem *Phegor*, siue *Phogor*; quod erat nomen montis vbi colebatur, vt patet capite 23. *cumque duxisset eum super verticem montis Phogor.*

VERSU IV. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem, in patibulo.*

3 Fornicatus dicitur populus; & tamen puniuntur priùs Principes; quoniam [*M op.41. l.1.c.1.*] ᴹ peccata populi Principi imputantur, fertque ad hæc glossam: *hoc si cogitarent homines, Principatus non ambirent.* Verùm non solum propter neglectum, sed etiam ob personalem culpam, debitam luisse pœnam credendi sunt: Quemadmodum Esdræ 1. c. 9. in simili legimus, *manus Principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima.* Quàm pulchrè, *manus*, inquit, *Principum* &c. quorum munus erat studiosè populum ad virtutem dirigere, viuoque exemplo, quasi per manum ductare. Fidenter audet scelera vulgus, conscius de impunitate, quando præuaricantes nouit maiores. Hoc plorat Salomon Prouerb. 28. *Regnantibus impijs ruinæ hominum*; & c. 29. *cum impij sumpserint Principatum, gemet populus*; quia Ecclesiastici 10. *qualis Rector Ciuitatis, tales & inhabitantes in ea*: quod & Plato didicerat dicens; *quales in Republica Principes, tales ciues.* Quorum omnium aperit magis causam D. Gregorius apud S. Doctorem: [*N p.2.71. 10.*] ᴺ *in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia gradus, peccator honoratur; ad plurium enim perueniunt notitiam pec-*

cara maiorum. Ideò legis Prouerb. 6. *Potentes autem potenter tormenta patientur*.

Et ecce, ita Deo iubente impleri: non enim gladio, sed suspensi patibulo dant pœnas: vt summet spectaculum ignominiæ exhibeant populo, quem tanquam honestatis exemplar formare debuerant: fortè propterea contra solem, vt clarescat punitio, quando non latuere delicta; sitque cœlum cum elementis in testimonium animaduersionis, nec diuturniorem ac meditabundum spectantis populi intuitum lædat aut deprimat exuperantium radiorum aduersa vibratio. Igitur patiantur illi æstum, qui flagrarunt ardoris libidine. Et Israel patibulorum spectator, videat terga dans lumini corporis vmbram, ex quo luxuriæ igne continentiæ sub vmbraculo studuit non vri. *Melius est nubere* 1. Cor. 7. *quàm vri*.

VERSVS V. *Occidat vnusquisque proximos suos*, &c.

4 Multiplici de causa irascitur sumitque vindictam: sed aggrauauerat scelera populi status. Vocantur equidem castra, [O] vt tradit Isidorus, à castitate, eoquòd ibi debet castrari libido: subtrahebantur enim deliciæ à castris, cùm incumberet hostium pugna, vt Vegetius scribit; vnde castra filiorum Israel deuicta fuerunt à Madianitis, quia fornicati sunt cum filiabus eorum, vt dicitur in Numeris. Propter quod in Deuteronomio (cap. 23.) *Dominus enim tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos, & sint castra tua sancta & nihil in eis appareat fœditatis*. Tangit D. Thomas quod scribitur Iudicum 4. quando relapsis in priora crimina Israelitis, per septem annos de illis triumphat Madian.

O op. 20. 14 c. 24.

Docet Angelicus [P] quòd quando tota multitudo peccat, est de ea vindicta sumenda, vel quantùm ad totam multitudinem, sicut Ægyptij submersi sunt in mari rubro, persequentes filios Israel, vt habetur Exodi 14. & sicut Sodomitæ vniuersaliter perierunt. Vel quantùm ad magnam multitudinis partem, sicut patet Exodi 32. in pœna eorum qui vitulum adorauerunt. Quandoque verò si speretur multorum correptio, debet seueritas vindictæ exerceri in aliquos paucos principaliores, quibus punitis cæteri terreantur, sicut Dominus Num. 25. mandauit suspendi Principes populi pro peccato multitudinis. Ex quo conijcio desiderasse Dominum populi resipiscentiam per principaliorum vltionem: viso autem nihil prodesse clementiam, immò ad insolentiam infrænos potius abuti, acuisse ferrum, & ne carni aut sanguini parceretur, proximorum ministerio necasse proximos. Itaque, *vt auertatur*, inquit, *furor meus ab Israel, tolle cunctos principes populi* &c. atqui læsa patientia per inualescentem morbum, furere cœpit. Et vt dicitur versu 9. *occisi sunt viginti quatuor millia hominum*: pluresque sine dubio mortui essent, nisi Phinees generoso facinore compescuisset iram Dei zelo Dei.

P 2. 2. q. 108. a. 1. 5.

VERSVS VI. *Et ecce vnus de filijs Israel, intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse* &c.

Vide libidinis impudentiam. Non exprimitur hìc vnius, aut alterius nomen, neque sanguinis nobilitas memoratur; quia *non subtrahet personam cuiusquam Deus* (Sapientiæ 6.) *nec verebitur magnitudinem cuiusquam; quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus*. Vbi sanè de iudicio diuino sermo est: vnde consonè fit hæc obseruatio & in præsenti; quia ex D. August. [Q] in ps. 77. *supplicia, quæ illi sustinuerunt, figura gehennæ fuerunt*; & notandum præmittit S. D. quòd sicut in bonis longè melius est quod figuratur quàm ipsa figura; vt regnum cœlorum, quàm terra promissionis: ita in malis; longè peius est quod figuratur. 5

Q 1 Cor. 10. 1. 2.

Commendatur autem zelus Phinees & hic & in ps. 105. & Ecc. 45. sicut enim, vt ait Diuus Thomas, [R] contra se ipsum quis irascitur propter peccata propria, ita proximo suo propter sua; ergo irascimini contra vitia aliena, & hoc cum zelo. Num. 25. *Phinees auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos*. Modo credunt aliqui, quòd homo securè possit sibi ipsi irasci propter peccata sua, sed non proximo suo propter sua; sed non est ita. Hæc ipse.

R Ephes. 4. l. 8.

Posset autem insurgere difficultas, quo præterea iure se ingesserit Phinees. Et occurritur, quòd [S] Phinees ex inspiratione diuina, zelo Dei commotus hoc fecit. Vel quia licèt nondum esset summus Sacerdos, erat tamen filius summi Sacerdotis, & ad eum hoc iudicium pertinebat, sicut & ad alios iudices, quibus hoc erat præceptum.

S 2. 2. 6. 2. 6. 2.

VERSVS IX. *Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum*.

Quoniam extat in Epistola Pauli 1. ad Corinth. c. 10. diuersus numerus; nàm inquit, *neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & occiderunt vna die viginti tria millia*; variant laborantque interpretes pro concordia. Certum est, non irreparabile errorem aliquem ex sacris Scriptoribus; quoniam in re tam plana, cuiusmodi est numerus, nec puer defecisset. Igitur nisi sit exemplorum mendum, reor vtrumque cohærere textum, eo quòd Apostolus addit ly *vna die*: ergo potuit fieri, vt vna die perirent viginti tria millia, alij mille, die alia. Nisi numerum millenarium principaliorum, qui primò iussi sunt suspendi, supprimat Paulus. Quàquàm mysterio incertitudo hæc deseruiat, vt mox dicendū. 6

CAPVT XXVI.

1 POstquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen, & Eleazarum
filium Aaron sacerdotem; 2 Numerate omnem summam filiorum Israel à vigin- Supr. 1. a. 2. 1.
ti annis & supra, per domos, & cognationes suas, cunctos qui possunt ad
bella procedere. 3 Locuti sunt itaque Moyses, & Eleazar sacerdos in campestribus Moab
super Iordanem contra Iericho, ad eos qui erant 4 à viginti annis & supra, sicut Domi-

nus

nus imperauerat, quorum iste est numerus. 5 Ruben primogenitus Israel: huius filius,
Gen. 46. Henoch, à quo familia Henochitarum: & Phallu, à quo familia Phalluitarum: 6 & Hes-
a.9. Exod. 6. ron, à quo familia Hesronitarum: & Charmi, à quo familia Charmitarum: 7 hæ sunt fa-
b.14. 1. Par. 5. miliæ de stirpe Ruben: quarum numerus inuentus est quadraginta tria millia, & septingenti
a.3. triginta. 8 Filius Phallu, Eliab: 9 huius filij, Namuel, & Dathan, & Abiron: isti sunt
Supr. 16. Dathan, & Abiron principes populi, qui surrexerunt contra Moysen, & Aaron in seditio-
a.1. ne Core, quando aduersus Dominum rebellauerunt: 10 & aperiens terra os suum deuo-
rauit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros.
Et factum est grande miraculum, 11 vt, Core pereunte, filij illius non perirent. 12 Filij
Simeon per cognationes suas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Iamin, ab hoc fa-
milia Iaminitarum: Iachin, ab hoc familia Iachinitarum: 13 Zare, ab hoc familia Zareita-
rum: Saul, ab hoc familia Saulitarum: 14 hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum om-
nis numerus fuit viginti duo millia ducenti. 15 Filij Gad per cognationes suas: Sephon,
ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni, ab hoc familia
Sunitarum: 16 Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum: 17
Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarum: 18 istæ sunt fami-
Gen. 38. a.3. liæ Gad, quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingenti. 19 Filij Iuda, Her, &
Onan, qui ambo mortui sunt in Terra Chanaan. 20 Fueruntque filij Iuda, per cognatio-
nes suas: Sela, à quo familia Selaitarum: Phares, à quo familia Pharesitarum: Zare, à
quo familia Zareitarum. 21 Porrò filij Phares: Hesron, à quo familia Hesronitarum: &
Hamul, à quo familia Hamulitarum: 22 istæ sunt familiæ Iuda, quarum omnis numerus
fuit septuaginta sex millia quingenti. 23 Filij Issachar, per cognationes suas: Thola, à quo
familia Tholaitarum: Phua, à quo familia Phuaitarum: 24 Iasub, à quo familia Iasubita-
rum: Semran, à quo familia Semranitarum: 25 hæ sunt cognationes Issachar, quarum
numerus fuit sexaginta quatuor millia trecenti. 26 Filij Zabulon per cognationes suas: Sa-
red, à quo familia Sareditarum: Elon, à quo familia Elonitarum: Ialel, à quo familia Ia-
lelitarum: 27 hæ sunt cognariones Zabulon, quarum numerus fuit sexaginta millia quin-
Ios. 17. a.1. genti. 28 Filij Ioseph per cognationes suas, Manasse, & Ephraim. 29 De Manasse ortus
est Machir, à quo familia Machiritarum: Machir genuit Galaad, à quo familia Galaadita-
rum. 30 Galaad habuir filios, Iezer, à quo familia Iezeritarum: & Helec, à quo familia
Helecitarum: 31 & Asriel, à quo familia Asrielitarum: & Sechem, à quo familia Seche-
Infr. 27. a.1. mitarum: 32 & Semida, à quo familia Semidaitarum: & Hepher, à quo familia Hepheri-
tarum. 33 Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantùm filias,
Infr. 27. a.1. quarum ista sunt nomina: Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa: 34 hæ sunt
familiæ Manasse, & numerus earum quinquaginta duo millia septingenti. 35 Filij autem
Ephraim per cognationes suas fuerunt hi: Suthala, à quo familia Suthalaitarum: Becher,
à quo familia Becheritarum: Thehen, à quo familia Thehenitarum: 36 porrò filius Su-
thala fuit Heran, à quo familia Heranitarum: 37 hæ sunt cognationes filiorum Ephraim,
quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti. 38 Isti sunt filij Ioseph per familias suas.
Filij Beniamin in cognationibus suis: Bela, à quo familia Belaitarum: Asbel, à quo familia
Asbelitarum: Ahiram, à quo familia Ahiramitarum. 39 Supham, à quo familia Supha-
mitarum: Hupham, à quo familia Huphamitarum. 40 Filij Bela, Hered, & Noeman.
De Hered, familia Hereditarum: de Noeman, familia Noemanitarum: 41 hi sunt filij Be-
niamin per cognationes suas, quorum numerus fuit quadraginta quinque millia sexcenti.
42 Filij Dan per cognationes suas: Suham, à quo familia Suhamitarum: hæ sunt cognationes
Dan per familias suas: 43 omnes fuere Suamitæ, quorum numerus erat sexaginta quatuor
millia quadringenti. 44 Filij Aser per cognationes suas: Iemna, à quo familia Iemnaita-
rum: Iessui, à quo familia Iessuitarum: Brie, à quo familia Brieitarum. 45 Filij Brie: Heber,
à quo familia Heberitarum: & Melchiel, à quo familia Melchielitarum. 46 Nomen au-
tem filiæ Aser, fuit Sara: 47 hæ cognationes filiorum Aser, & numerus eorum quinqua-
ginta tria millia quadringenti. 48 Filij Nephthali per cognationes suas: Iesiel, à quo fa-
milia Iesielitarum: Guni, à quo familia Gunitarum: 49 Ieser, à quo familia Ieseritarum:
Sellem, à quo familia Sellemitarum: 50 hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per fa-
milias suas: quorum numetus quadraginta quinque millia quadringenti. 51 Ista est sum-
ma filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, & mille septingenti triginta. 52 Lo-
cutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 53 Istis diuidetur terra iuxta numerum voca-
bulorum in possessiones suas. 54 Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus mino-
rem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio: 55 ita dumtaxat vt sors terram
tribubus diuidat, & familijs. 56 Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel

pau-

pauciores. 57 Hic quoque est numerus filiorum Leui per familias suas: Gerson, à quo fa- Exod. 6 c. 17.
milia Gersonitarum: Caath, à quo familia Caathitarum: Merari, à quo familia Meraríta-
rum: 58 hæ sunt familiæ Leui: Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia
Musi, familia Core. At verò Caath genuit Amram: 59 qui habuit vxorem Iochabed fi-
liam Leui, quæ nata est ei in Aegypto: hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron & Moy-
sen, & Mariam sororem eorum: 60 De Aaron orti sunt Nadab, & Abiu, & Eleazar, &
Ithamar: 61 quorum Nadab, & Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Supr. 3. a. 4.
Domino. 62 Fueruntque omnes, qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini Leuit. 10. a. 1.
ab vno mense, & supra: quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum ceteris data
possessio est. 63 Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt à Moyse, & Eleazaro 1. Paral. 24. a. 2.
sacerdote, in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho. 64 Inter quos nullus fuit 1. Cor. 10. a. 5.
eorum, qui ante numerati sunt à Moyse, & Aaron in deserto Sinai. Prædixerat enim Do- Supr. 14. d. 23. 24.
minus quòd omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius
Iephone, & Iosue filius Nun.

VERSVS II. *Numerate omnem summam filiorum Israel.*

Fit noua enumeratio isthæc, *postquam noxiorum sanguis* (ita in litera) *effusus est*. Imminebat ingressus & possessio terræ promissionis, quæ vt paulò ante dictum est, regni cœlorum figura fuit, quidni fieret electorum census? quot sint signati, studiosè percenset etiam Ioannes in Apocalypsi. *Postquam noxiorum sanguis effusus est*: sit, ac si diceretur; postquam perpetua sunt damnati morte, qui meruerunt occidi, supererat ad dexteram verti, & prædestinatorum colligere numerum. Iam nuper, ex Augustino accepimus supplicia huiusmodi, Inferni redolere pœnas. In veteri lege, quæ lex erat timoris, primò de pœnis agitur: in noua, quæ est lex amoris, de æterna priùs retributione disseritur Matthæi 25. Hæc, si penitiùs introspiciatur litera, germanior est intelligentia: vnde & consentit varietas distributionum terræ promissæ, quia Sancti non paria merita habent. De quo & in Prologo libri huius. Et quoniam *multi vocati sunt, pauci verò electi*; non æquiparatur hic numerus coronandorum, numero recensitorum in principio libri; ibi siquidem militantium exurgit catalogus, hic emeritorum superstitum fiunt lustra: ideo cadit numerus iste ab illo. Et fortè voluit Spiritus-sanctus fixè non pronunciari occisorum numerum, *viginti tria millia, & viginti quatuor*, ad significandum consectariò, sibi soli cognitum esse numerum electorum in suprema felicitate locandum, (quod ait collecta) qui Deo tamen iubente deprehenditur: Sic Actor. 13. *crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternã*: quot essent, scit Deus. Vtrumque ergo versemus præ oculis; hinc punitionem, hinc præmium. Sic Canticorum 4. *vadam ad montem mirrhæ, & ad collem thuris*; quasi dicat, [A] aliquando cogitabo de Inferni amaritudine, aliquando de Paradisi dulcedine; vt illud possim vitare, alterum desiderare. Verùm animaduertit D. Ioannes Chrysostomus hom. 57. in Matth. disseruisse Dominum & de gehenna, & de Regno: sed cum de vtrisque disseruerit, Regnum quidem vt oculis cernatur concedit: (quando *transfiguratus est ante eos*, Matth. 17.) gehennam autem minimè: quoniam rudioribus, atque ineptioribus illud necessarium fuisset; sed cùm illi probi essent, ac perspicaces, satis fuit à melioribus confirmari. Sic nos clariori illustratos lumine fidei, alliciant magis promissa, quàm terreant minæ.

A Apoc. 15. comment. 1.

VERSVS XII. *Et factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij illius non perirent.*

Vt quid attexitur meditatio huiusmodi præsenti capiti, cùm potiùs suprà c. 16. illi esset locus, vbi Core mors denarratur? nunquid perperam id factum esse credendum est? absit. Psalmus 40. siue potiùs psalmi illius titulus, tangit arcanum. Titulum quippe habet; (*in finem psalmus Dauid*) quia scilicet ducit nos in finem, idest in Christum, quia agit de passione eius quantùm ad quædam. Dicitur tamen in glossa, quòd secundùm Hieronymum in Originali eius est titulus talis; *Intellectus filijs Core*; & est nouus titulus in titulis psalmorũ. Est ergo sciendũ quòd sicut legitur Num. 16. quando Dathan, & Abirõ fecerunt schisma pro principatu populi, tunc Core insurrexit contra Aaron, pro principatu Sacerdotij, & tunc ipse crematus est; non tamen omnes de familia sua in hoc cõsenserunt, & ideò isti remanserunt, quia nõ consenserunt ex eis: vnde tempore Dauid, inter cantores, illis datæ fuerunt ministeria. Et intelligitur quòd iste psalmus in diebus illis ordinatus fuit ad cantandum. Sed notandum quòd vbi dicitur, *intellectus*, &c. indicatur per psalmum incitari populum, ad intelligendum diuina beneficia, vel aliqua secreta: sicut illud, *intelligite insipientes*; & ibi, *attendite popule meus*. Mysticè *Core* interpretatur *Caluaria*: Christus autem crucifixus est in loco Caluariæ; & ideò psalmus iste attribuitur filijs passionis, idest Crucis Christi: & isti sunt, *qui carnem suam crucifixerunt*, vt dicitur Gal. 5. Hæc ex S. Doctore, [B] qui paulò post subdit; mysticè si referatur ad Christum, beatus Christianus, si est filius Core, idest Crucis Christi per meditationem.

B Psal. 40. & 45.

Ex quibus quoad præsens attinet, elicitur literæ interpretatio; fuit enim magnum *miraculum*, vt moriente Saluatore, imò ex Saluatoris morte, filij non perirent. *O mors, ero mors tua*, inquit Propheta. Volunt autem in aere pendulos perstitisse, donec hiatus iterum sese occluderet. Nec mirum videatur, si impius Core, aliquatenus Christi personam referat, quoniam vis nominis est in causa, non factum rebelle. Sic ex Augustino, *Deus est adeò omnipotens & bonus, vt benefaciat etiam de malo*. Quare tamquam sator cœlestis sibi complacuit Spiritus sanctus inserere in syluestri oleastro oliuæ plantam. Est autem hæc expositio D. quoque Augustini, &

Hie-

Hieronymi in psalmos, vbi *filij Core* dicuntur Apostoli; vt videre est in allegorijs Laureti. Cùm de censu electorum ad terram promissionis agitur, rectè quomodo simus superstites in vitam æternam, mysticè recolitur. Sicut *aperiens terra os suum deuorauit Core*; sic Christus Dominus in morem Ionæ, quem deglutiuit cetum, fuit in corde terræ.

Fortè *grande miraculum* ad literam; quia filij in peccatis parentum nutriti proniores sunt ad peccandum, tum propter consuetudinem, tũ propter exemplum, (quod ait D. Thomas Matt. 23.) & 2. 2. q. 108. a. 4. filij imitantur peccata parentum. Podagricus generat podagricum; & leprosus leprosum. Sapientiæ 4. *ex iniquis nascitur iniquitas*. Scandalum.

CAPVT XXVII.

Supr. 26. d. 32. 1 ACcesserunt autem filiæ Salphaad, filij Hepher, filij Galaad, filij Machir, filij Ma-
Infr. 36. a. 1. nasse, qui fuit filius Ioseph: quarum sunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, &
Iof. 17. a. 1. Melcha, & Thersa. 2 Steteruntque coram Moyse, & Eleazaro sacerdote, &
Supr. 16. a. 1. cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fęderis, atque dixerunt: 3 Pater noster
mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominum sub Core,
sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de fa-
milia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. 4
Retulitque Moyses causam earum ad iudicium Domini. 5 Qui dixit ad eum: 6 Iustam
rem postulant filiæ Salphaad, da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in heredita-
tem succedant. 7 Ad filios autem Israel loqueris hæc: 8 Homo cum mortuus fuerit abs-
que filio, ad filiam eius transibit hereditas: 9 si filiam non habuerit, habebit successores fra-
tres suos: 10 quòd si & fratres non fuerint, dabitis hereditatem fratribus patris eius: 11 sin
autem nec patruos habuerit, dabitur hereditas his, qui ei proximi sunt, eritque hoc filijs Is-
rael sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi. 12 Dixit quoque Dominus ad
Deut. 32. g. 51. Moysen: Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde Terram, quam daturus
Supr. 20. b. 12. sum filijs Israel. 13 Cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus
Aaron: 14 quia offendistis me in deserto. Sin in contradictione multitudinis, nec sancti-
ficare me voluistis coram ea super aquas, hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin.
15 Cui respondit Moyses: 16 Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, homi-
nem, qui sit super multitudinem hanc: 17 & possit exire, & intrare ante eos, & educere
eos, vel introducere: ne sit populus Domini sicut oues absque pastore. 18 Dixitque Do-
Deut. 3. d. 21. minus ad eum. Tolle Iosue filium Nun virum, in quo est Spiritus, & pone manum tuam su-
per eum. 19 Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine: 20 & dabis ei
præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis synagoga filiorum
Israel. 21 Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad ver-
bum eius egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo, & cętera multitudo.
22 Fecit Moyses vt præceperat Dominus. Cumque tulisset Iosue, statuit eum coram Elea-
zaro sacerdote, & omni frequentia populi. 23 Et impositis capiti eius manibus, cuncta
replicauit, quæ mandauerat Dominus.

VERSVS VIII. *Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hæreditas.*

Cùm ex hoc maximè multæ ciuitates & regna destruantur, quòd possessiones ad mulieres perueniunt, vt Philosophus dicit in 2. Politicorum c. 7. non videtur probè indulgeri, vt transeat hæreditas ad filium, vt hic fit. Sed respondet Angelicus [A] quòd lex non statuit quòd mulieres succederent in bonis paternis, nisi ex defectu filiorum masculorum. Tùnc autem necessarium erat, vt successio mulieribus concederetur in consolationem Patris, cui graue fuisset si eius hæreditas omninò ad extraneos transiret. Adhibuit tamen lex circa hoc cautelam debitam, præcipiens vt mulieres succedentes in hæreditate paterna, nuberent suæ tribus hominibus, ad hoc quòd sortes tribuum non confunderentur, vt habetur Num. vltimo. Hæc ad literam optimè. Verùm quoniam iam sumus in confinio terræ promissæ, instatque ingressus in illam, per quam toties dictum est significari cæleste Regnum; non est qui non videat, quo ex capite ad hæreditatis rationem transeat sermo. Vulgatum est in Scripturis æternæ beatitudinis Regnum vocari hæreditatem 1. Petri 1. *in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem conseruatam in cælis*. Ephesior. 1. *quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius*: illa [B] dona sunt stabilissima, & quantùm ad hoc dicit *hæreditatis*: ea enim quæ hæreditaria sunt, stabiliter possidentur, Ecclesiastici 31. *stabilita sunt bona illius in Domino*. Huc videtur collimare quod dicitur, ad *filiam etiam transire hæreditatem*; quoniam Galat. 3. claudens Apostolus in hæc verba; *secundùm promissionem hæredes*; præmittit, *non est in Christo masculus, neque femina*. Hoc ipsum innuit consequenter.

A p. 2. 105. a. 2.

B Ephes. 1. l. 6.

VERSVS XI. *Ascende montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filijs Israel.*

Vt quid terram, ad quam pereunturus non

erat Moyses, vult ab eo conspici? nunquid relatu scire nequierat fluere lacte, & melle, quando etiam misit exploratores? Certè. Sed montem iussus est conscendere in figuram: qui quidem mons memoratur 2. Machabæor. 2. *vsque-quo exijt in montem, & vidit Dei hæreditatem*: Romanorum 8. *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Hac de causa mox subditur à Domino de morte Moysi, *ibis & tu ad populum suum*: quo innuatur de illa dictum accipi hæreditate, quæ nonnisi interueniente morte obtineri potest. Idcircò ascendere præcipitur, non quemuis montem, sed *Abarim*, qui transitus interpretatur: cùm tamen dicatur Deuteronomij vltimo, *vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam*; futurum quippe non erat, vt transiret cum populo ad illam: nihilominus conscenso monte Abarim, significatur quid anagogicè opus sit, nempe transeundum, siue emigrandum è vita. Nisi, in Deuteronomio ly *non transibis*, catenus pronuncietur, quatenùs limbum Sanctorum Patrum petiturus erat Moyses, nondum regnum cælorum.

VERSVS XV. *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc*, &c.

Ad literam de capite populi sibi successore
2 rogat Moyses: quamuis enim de inferioribus Principibus institutio per hominem esset facienda, Exodi 18. *prouide de omni plebe viros sapientes*. Numeri 11. *congrega mihi 70. viros de senioribus Israel*, & Deuteronomij 1. *date ex vobis viros sapientes, & gnaros*; attamen quia populus ille sub speciali cura Dei regebatur, vnde dicitur Deuteronomij 7. *te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris*, institutionem Summi Principis sibi Dominus reseruauit; & hoc est quod Moyses hic petit. Et sic ex Dei ordinatione institutus est Iosue in principatu post Moysen: & de singulis Iudicibus, qui post Iosue fuerunt, legitur quòd Deus *suscitauit* populo *Saluatorem*, & quòd Spiritus Domini fuit in eo, vt patet Iudicum 2. Et ideò etiam electionem Regis non commisit Dominus populo, sed sibi reseruauit, vt patet Deuteron. 17. *cum constitues Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit*. Hæc [c] D. Thom. Quod etiam recolit alibi [b] sub his verbis. In veteri lege ordinabatur per homines de alijs Principibus populi, sed de Summo Principe solùm disponebatur per Deum; Num. 27. *prouideat* &c. & Deuter. 17. *Cùm intraueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam; habitauerisque in illa; & dixeris: constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum*. Posset hoc electioni potissimùm Summi Pontificis adaptari.

C p. 2. 105.1.2.
D Psal. 7.

Verùm quoniam vt dicitur Deuteronomij
3 34. *non surrexit vltrà Propheta in Israel, sicut Moyses*; non est cur hæreat animus de prophetico sensu illius, cùm ait: *prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem*. De supernaturali siquidem prouidentia, qua genus redemit humanum, intelligi debet: hoc est de Christo pro nobis homine, atque Pastore, vt tangit litera, firmatque Petrus in prima secundo capite; & Dominus ipse, Ioannis 10. dicens, *ego sum Pastor bonus*, semel & iterum. Inquit autem, *Dominus Deus spirituum omnis carnis*; quia Ioannis 1. *de plenitudine eius omnes accepimus*; & Christi gratia omnium hominum veluti gratiam exhausit. Hinc statim adiecit, *tolle Iosue filium Nun, virum in quo est Spiritus*: immò *requiescet* apud Isaiam c. 11. *super eum spiritus Domini*. Hæc quamuis satis pateant, eo ampliùs innotescunt, quòd perspectum sit, Iosue, vi nominis diuinitus ei mutati, vt dictum est suprà c. 13. typum gerere Iesu Christi, qui Hebræor. 2. *multos filios in gloriam adducturus erat*.

Consonat hactenùs dictis quod addit Moyses: *hominem qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos; & educere eos vel introducere*: & posteà, *ingredietur, & egredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo*. Quod expendit Angelicus Ioann. 10. [e] dicens de Apostolis (hoc est de Christo in membris suis) cum securitate ingredientur, conuersando cum fidelibus, qui intra Ecclesiam sunt; & cum infidelibus, qui sunt extrà; quando totius orbis terrarum facti sunt Domini, & nullus eos eijcere valuit. *Prouideat Dominus* &c. recolit hanc authoritatem. E Ioa. 10. l. 1.

VERSVS XX. *Et dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ*.

Benè dare dicitur Moyses Iosue figuratè præcepta, dum ipse inquit, *non veni soluere legem, sed adimplere*. Cæterum quod adiecit; *& partem gloriæ tuæ*, non eo sensu acceperim, vt portionem sonet impertiendam, sed quia, referendo ad Christum, quicquid habuit Moyses, pars quædam fuit; Dominus autem plenitudinem habuit. Sic 2. Cor. 3. de Moyse; *nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte*; quia vt ibi S. Doctor, illa gloria [f] non est omnibus ministris collata, sed solùm Moysi, & non claruit in toto Moyse, sed in parte, idest in facie solùm particulariter. Planiùs etiam Hebræor. 3. *amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam*. Et ideo cap. 2. appellat Iesum, *gloria & honore coronatum*. Hinc de eodem Iosue Deut. vltimo legimus; *repletus est Spiritu Sapientiæ*: quia Moyses posuit super eum manus suas. Sic F 2. Cor 3. l. 2.

VERSVS XXIII. *Et impositis capiti eius manibus*.

Futurorum præscius aiebat sine dubio intra se Moyses cum Baptista; *non sum dignus corrigiam calceamentorum eius soluere. Et, ego à te debeo baptizari*: erat enim Moyses, vt dicitur Hebræor. 3. *fidelis, tanquàm famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant*. At aiebat Dominus Ioanni Matth. 3. *sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam*. Sicut autem hic *repletus est Iosue Spiritu Sapientiæ*; ita tunc vidit Ioannes Spiritum Dei *descendentem sicut columbam*. Est autem sciendum taliter figurari Iesum per Iosue, vt vnà simul significetur per Eleazarum: Est enim Rex & Sacerdos, post Moysen & Aaron, veterem legem cum suo sacerdotio euacuans & implens. Quocircà idem Apostolus 2. Cor. 3. *si enim quod euacuatur per gloriam est, multo magis quod manet in gloria est*. Et Hebræorum 7. *& alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem, eo quòd maneat in æternùm, sempiternum habet Sacerdotium*. Quamquam autem sic verè dicatur Sacerdos, non ta-

men

men fuit vnctus oleo visibili, quemadmodum fiebat ex Leuit. c. 8. & ratio est, quia G Regnum eius non est de hoc mundo. Item non est functus sacerdotio materiali, idcircò non est materialiter oleo vnctus, sed oleo Spiritus-Sancti: & ideò, *oleo lætitiæ, præ consortibus, seu præ participibus suis*.

G Psalm. 44.

CAPVT XXVIII.

1 Dixit quoque Dominus ad Moysen: 2 Præcipe filijs Israel, & dices ad eos: Obla-
tionem meam, & panes, & incensum odoris suauissimi offerte per tempora
sua. 3 Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos
duos quotidie in holocaustum sempiternum: 4 vnum offeretis mane, & alterum ad vespe-
rum: 5 decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartam
partem hin: 6 holocaustum iuge est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suauissimum
incensi Domini: 7 & libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in Sanctuario
Matt. 12. a.5. Domini. 8 Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritum sacrifi-
cij matutini, & libamentorum eius, oblationem suauissimi odoris Domino. 9 Die autem
sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ
in sacrificio, & liba 10 quæ rite funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiter-
num. 11 In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arie-
tem vnum, agnos anniculos septem immaculatos, 12 & tres decimas similæ oleo consper-
sæ in sacrificio per singulos vitulos: & duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arie-
tes: 13 & decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos: holocaustum
suauissimi odoris, atque incensi est Domino. 14 Libamenta autem vini, quæ per singulas
fundenda sunt victimas, ista erunt: Media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem,
quarta per agnum: hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succe-
dunt. 15 Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum
Exod. 12. d.18. Leuit. 23. a 5. libamentis suis. 16 Mense autem primo, quartadecima die mensis Phase Domini erit, 17
& quintadecima die solemnitas: septem diebus vescentur azymis. 18 Quarum dies prima
venerabilis, & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea. 19 Offeretisque incen-
sum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos im-
maculatos septem: 20 & sacrificia singulorum ex simila, quæ conspersa sit oleo, tres deci-
mas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, 21 & decimam decimæ per agnos
singulos, id est, per septem agnos. 22 Et hircum pro peccato vnum, vt expietur pro vo-
bis, 23 præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis. 24 Ita facietis per singu-
los dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suauissimum Domino, qui surget de
holocausto, & de libationibus singulorum. 25 Dies quoque septimus celeberrimus, & san-
ctus erit vobis: omne opus seruile non facietis in eo. 26 Dies etiam primitiuorum, quan-
do offeretis nouas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis, & sancta erit: om-
ne opus seruile non facietis in ea. 27 Offeretisque holocaustum in odorem suauissimum
Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos se-
ptem: 28 atque in sacrificijs eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitu-
los, per arietes duos, 29 per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem. hircum
quoque 30 qui mactatur pro expiatione: præter holocaustum sempiternum, & liba eius.
31 Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

VERSUS III. *Agnos anniculos immaculatos duos, &c.*

1 Incipitur à sacrificio agni, in quo significatur A quòd oblatio agni veri, id est Christi, fuit sacrificium consummatiuũ omnium aliorum; & ideò Io. 1. *Ecce agnus Dei*. Erat ergo primum sacrificiũ in intentione, ideò primò recolitur. Sic alibi B inquit; per istud iuge Sacrificium figuratur Christus, & æternitas eius, qui est agnus immaculatus.

A 3.p.22. a.3.

B Hebr. 10.l.1.

2 Operæ pretium autem est iterum iterumque recolere quæ tradit circa antiquæ legis festa Angelicus verè Doctor. C In lege, inquit, veteri, erant septem solemnitates temporales, & vna continua, vt potest colligi Num. 28. & 29. Erat enim quasi continuum festum, quia quotidie mane, & vespere immolabatur agnus; & per illud continuum festum iugis sacrificij, repræsentabatur perpetuitas diuinæ Beatitudinis. Festorum autem temporalium, primum erat quod iterabatur qualibet septimana, &c. Quia enim ad verbum retuli quæ sequuntur, supra Leuitici 23. libens idcircò pertranseo, addens dumtaxat pro mantissa, ex eodem, D solemnitatibus veteris legis nouas succedere. Sabbatum enim quod significabat primam creationem, mutatur in diem Dominicum, in quo commemoratur noua creatura inchoata in resurrectione Christi.

C p. 2. 102. 4. ad 10.

D p. 2. 103.1.4.

Festo Phase succedit festum passionis Christi, & resurrectionis.

Festo

Festo Pentecostes, in quo data fuit lex vetus, succedit festum Pentecostes; in quo fuit data lex spiritus vitæ. Festo Neomeniæ, succedit festum beatæ Virginis, in qua primò apparuit illuminatio solis, idest Christi per copiam gratiæ. Festo tubarum, succedunt festa Apostolorum. Festo expiationis, succedunt festa martyrum & confessorum. Festo tabernaculorum, succedit festum consecrationis Ecclesiæ. Festo cœtus atque collectæ, succedit festum Angelorum, vel etiam festum omnium Sanctorum.

At rogabis, quare hic, & sequenti capite tot recoluntur festiuitates, quæ aliàs, & Exodi 29. & in Leuitici præsertim c. 16. & 23. memoratæ sunt? Respondeo ex doctrina eiusdem, loco nuper allato, quia beneficia illi populo exhibita significabant beneficia nobis cōcedenda per Christum; quæ subinde secunda hac vice tangi debuere: ne in primis tantùm indocta mens fortè hæreret.

Et si quæras iterum, cur hoc loci? videtur enim dissutum omnino caput, ad præcedentia colligari non posse. Respondeo denuò; non ita esse: imò studiosè opportunè. Cùm enim de terræ promissę adeptione priora figuraliter sint intelligenda; vt in ijs beatitatis æternæ imaginem susciperemus, accessit solemnitatum tot recordatio, quo cœlestis Patriæ quiétem prælibaremus. Id quidem speciatim de iugi agni sacrificio monitum reliquit S. D. qui suprà dicens: per illud continuum festum iugis sacrificij repræsentabatur perpetuitas diuinæ beatitudinis. At addiderim ego, coaceruari sic multa festa, vt per hæc cælestis curiæ iucunditas, in qua (quod canit Ecclesia in die omnium Sanctorum,) *iugis solemnitas*, caperetur. Id sanè expressè trahitur ab Isaia dicente cap. 33. *respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ*: non enim inquit solemnitatem ciuitatis, sed è conuerso, *ciuitatem solemnitatis*, ad innuendam [E] continuationem æternæ solēnitatis; celebrant enim qui sunt in hac ciuitate continuum festum, qui nihil aliud faciunt nisi quiescere, videre, amare, laudare, cantare: quæ conueniunt festo, vt ait Augustinus. Ad hoc innuendum idem Isaias c. 66. *erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato*, quocirca S. Doctor [F] idest requies perpetua. Hac de causa opinor versu 16. Phase Domini memoratur, de quo Iosue 5. quia nimirum celebrabitur Pascha æternaliter, cum dicat Augustinus ibi, *de te me satiabis satietate mirifica*; ex quo D. Thomas [G] clandit dicens in Sermone: erit ibi iugis & æterna solemnitas; ad quam perducat nos Deus IESVS.

E Serm. Dom. 15. ex Euangel.

F Hebr. 4. l. 2.

G Serm. in festo Resur.

C A P V T X X I X.

1 MEnsis etiam septimi prima dies venerabilis, & sancta erit vobis: omne opus ser-
uile non facietis in ea, quia dies clangoris est, & tubarum. 2 Offeretisque
holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum de armento vnum,
arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos septem: 3 & in sacrificijs eorum similæ
oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem: 4 vnam deci-
mam per agnum, qui simul sunt agni septem: 5 & hircum pro peccato, qui offertur in ex-
piationem populi, 6 præter holocaustum calendarum cum sacrificijs suis, & holocaustum
sempiternum cum libationibus solitis: eisdem cęremonijs offeretis in odorem suauissimum
incensum Domino. 7 Decima quoque dies mensis huius septimi erit vobis sancta, atque Leuit. 16 g. 30. & 23. c. 24.
venerabilis, & affligetis animas vestras: omne opus seruile non facietis in ea. 8 Offeretis-
que holocaustum Domino in odorem suauissimum, vitulum de armento vnum, arietem
vnum, agnos anniculos immaculatos septem: 9 & in sacrificijs eorum similæ oleo consper-
sæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, 10 decimam decimæ per
agnos singulos, qui sunt simul agni septem: 11 & hircum pro peccato, absque his quæ of-
ferri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum, cum sacrificio, & li-
baminibus eorum. 12 Quintadecima verò die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque
venerabilis, omne opus seruile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino
septem diebus: 13 offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulos de
armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 14 & in
libamentis eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vi-
tuli tredecim, & duas decimas arieti vno, idest simul arietibus duobus, 15 & decimam
decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim: 16 & hircum pro peccato, abs-
que holocausto sempiterno, & sacrificio, & libamine eius. 17 In die altero offeretis vitu-
los de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: 18
sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis: 19
& hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque & libamine eius. 20
Die tertio offeretis vitulos vndecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuor-
decim: 21 sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite cele-
brabitis: 22 & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque & liba-
mine eius. 23 Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immacu-
latos quatuordecim: 24 sacrificiaque, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, &
agnos ritè celebrabitis: 25 & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacri-

ficioque eius, & libamine. 26 Die quinto offeretis vitulos nouem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuotdecim: 27 facrificiaque, & libamina fingulorum pet vitulos, & arietes, & agnos tite celebrabitis: 28 & hircum pro peccato, abfque holocaufto fempiterno, facrificioque eius, & libamine. 29 Die fexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuotdecim: 30 facrificiaque & libamina fingulorum per vitulos, & arietes, & agnos tite celebrabitis: 31 & hircum pto peccato, abfque holocaufto fempiterno, facrificioque eius, & libamine. 32 Die feptimo offeretis vitulos feptem, & atietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuotdecim: 33 facrificiaque & libamina fingulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis: 34 & hircum pro peccato, abfque holocaufto fempiterno, facrificioque eius, & libamine. 35 Die octauo, qui eft celeberrimus, omne opus feruile non facietis, 36 offerentes holocauftum in odorem fuauiffimum Domino, vitulum vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos feptem: 37 facrificiaque & libamina fingulotum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis: 38 & hircum pro peccato, abfque holocaufto fempiterno, facrificioque eius, & libamine. 39 Hæc offeretis Domino in folemnitatibus veftris, præter vota, & oblationes fpontaneas in holocaufto, in factificio, in libamine, & in hoftijs pacificis.

1 IN hoc pariter capite coaceruantur ad idem folemnitates. Et exorditur fic.

VERSVS I. *Menfis etiam feptimi prima dies* &c.

H p. 2. 101. 4. ad 10. Hic menfis [H] quafi totus apud eos erat folemnis, ficut & feptimus dies. In prima enim die menfis feptimi erat feftum tubarum, in memoriam liberationis Ifaac, quando Abraham inuenit arietem hærentem cornibus, quem repræfentabant per cornua, quibus buccinabant. Erat autem feftum tubarum, quafi quædam inuitatio, vt præpararent fe ad fequens feftum, quod celebrabatur decimo die; & hoc erat feftum expiationis, in memoriam illius beneficij, quo Deus propitiatus eft peccato populi de adoratione vituli, ad preces Moyfi. Hinc fequitur

VERSVS VII. *Decima quoque dies menfis huius feptimi* &c.

Vide quæ dicta funt Leuitici 16. vbi plura ad hæc retuli ex Diuo Thoma, literaliter non folùm, fed & figuraliter.

VERSVS XII. *Quinta decima verò die menfis feptimi* &c.

2 Incipiebat feftum Scenophegiæ, hoc eft fixionis tabernaculorum, de quo item loco citato. Quod difficultatem hic ingerit, eft offerendorum varietas, cùm enim per feptem dies, imò & octauo, ritus holocauftorum decernatur, mira præcipitur de vitulis gradatio, feu decrefcentia: prima die, tredecim depofcuntur vituli: altera die, duodecim: tertia die, vndecim: quarta die, decem: quinta die, nouem: fexta die, octo: feptima die, feptem: octaua die, vnum. Vt quid enim minuitur oblatorum numerus, cùm potius augeri deberet? Præfertim, quia cum adnectatur holocauftum de arietibus duobus, hi per feptem dies, in eodem fiftunt binario: quamuis octaua die, vnus dumtaxat fit aries. Et quod mirere magis, cum primò agni quatuordecim expetantur, femper eodem funt in numero offerendi, præterquam octauo die, cui fatis funt feptem. Hæc adeò latuere facros interpretes, vt neminem viderim qui ventis vela dederit, ad felicem profundi maris traiectum: quin potiùs naufragium veriti, foluere neglexerunt è littore, fuperficiali ftatione contenti. Hugo nofter ad fummam redigens vitulos, & deprehendens eos feptuaginta, ratus eft fe nonnihil dixiffe, dum retulit huiufmodi numerum ad numerum animarum, quæ, ait, Ægyptum ingreffæ funt. Atqui cæteri phantafiæ non plauferunt, vnde nec verbum fecere: & fanè non fatis eft numerum conferre numero, ftatimque, parili inuento, rem quoque aptare: quorfum enim recoluntur ingreffi Ægyptum? & quare de agnis nihil? de hircis filet? Adeffe dignetur Dominus, vt quafi abftrufa in fauis mella excerpantur: Interimque benedictus Dominus glorificatus in Thoma, qui tanta in caligine vel radiolum doctrinæ effudit, ne cœco prorfùs calamo tranfiremus. Igitur figuras reuelans loco nuper citato primæ 2. inquit. Per feftum [I] expiationis fignificatur emundatio à peccatis populi Chriftiani. Per feftum autem tabernaculorum peregrinatio eorum in hoc mundo; in quo ambulant in virtutibus proficiendo. Quare vt audis ad allegoriam fpiritualis profectus, quem fequitur tandem poffeffio terræ promiffæ, hoc eft adeptio Regni cœlorum, cuncta, & quidem haud violenter vel extortè, trahenda funt. I p. 2. 102. 4. ad 10.

Itaque cum cœtus eorum, qui ad gloriam perueniunt ex filijs Ifrael, pœnitentes fimul colligat, & innocentes, vtrorumque ineeffum, & viam coram Domino fternit litera. Seiunctim offertur hircus pro peccato: & agni iuge holocauftum: quæ cum Chriftum fpeciatlier fonent; argumento in primis eft, præmiffa de vitulis tot, de tot arietibus, & agnis, populum vniuerfum faluandofque fideles fpectare. Qui fi pœnitentium de catalogo fuerint, tertiodecimo vitulorum numero, in quo eft fenarius præuius feptenario, debent gradatim ad numerum perfectionis indicem peruenire: & hoc per bona ftudiofaque opera, quæ per vitulos, tanquam per fructus ex armento, fignificantur. Ex Diuo Hieronymo fuper Ezechielis c. 43. vitulus qui inibi offertur feptem diebus, opera fignificat, quia vomeri, & labori, & terrenis operibus mancipatus eft. Oportet autem vt illi, quos prioris pœnitet vitę, per boni operis exercitium reftaurent quod prius amiferant, & fatisfaciendo ac merendo, ad perfectionem infudent. Et vide quàm myfteriosè in tertiodecimo fiat exordium. Sex enim dies præueniunt diem feptimam. S. Doctor in 2. Commentario Apocalypfis, ibi, *vt requiefcant à laboribus fuis*, operandum eft, inquit, in

fena-

L Apoc. 14. senario huius temporis, [L] vt Sabbatum assequamur. Quod signatur Genesis 2. *requieuit ab omni opere quod patrarat.*

Et si dicas: in die septima, qua potest significari septima ætas, quæ est quiescentium, non est ampliùs operandi tempus, Eccles. 9. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos; quò tu properas*: quomodo ergo hîc etiam die septima fit de vitulis holocaustum? Respondeo, ex eo quòd sequitur; *opera enim illorum sequuntur illos*: vnde quodammodo, & in die septima, siue in septima quiescentium ætate, operamur, quatenùs quæ in vita operati sumus, tùnc immò pressiùs pro mercede in holocaustum offeruntur Deo; quare complementum suum sortiuntur opera nostra die septima; quemadmodum eodem Genesis 2. legimus, *compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat.*

Dices iterum: cum processus de virtute in virtutem per scenophegiam vt diximus significetur, quare numerus vitulorum in holocaustum decrescit singulis diebus? potiùs debuisset augmenta suscipere, ita vt prima die tredecim, altera quatuordecim essent oblati. Respondeo, arcana significatione innui augmentum, perfectionis attactu: & quoniam vt innuimus, & tritum est, septenarius numerus perfectionem denotat, taliter iussa est vitulorum immolatio, vt septima die, septem incenderentur; & ex quo coincideretur in duplici septenario, (qui & ad pœnitentes attinet; *non solùm septies sed septuagies septies*, dicēte Domino) & innotesceret perfectionis limes; ad quem sine dubio collimandum est pœnitentibus.
M 3.p.84. Et quia pœnitentia ex S. Doctore [M] durare debet vsque ad finem vitæ; ideò vsque ad diem septimam, septem vituli redduntur in holocaustum. Quamuis plerique igne purgatorio in satisfactionem, ibique de viuentium suffragijs, litent Deo.

VERSVS XXXII. *Die autem septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos.*

3 Arietes totidem fuerant offerendi non solùm hac die, sed & singulis sex præcedentibus; & mirum videtur: cur enim in duobus sistitur? rebar primo aspectu significari posse vtrumque populi Ducem, sacrum scilicet & laicum: quia vt suprà dictum est, aries Dux gregis. Sed quoniam ad promissam terram ingrediendam promiscuè inuitantur omnes (*vult omnes homines saluos fieri*) non omnino arridet, specialiter salutis documenta ad eos reuocari. Igitur duos hosce arietes, intelligo quidem duces esse, sed quos debeamus offerre. In vnoquoque autem nostrum, spiritus aries vnus est, aries alter caro: qui tanquam Duces ad inuicem conflictantur, imò arietum in morem, cornibus (quod est fortiter dureque) impetuntur: *Caro*, ait Apostolus Galat. 5. *concupiscit aduersùs spiritum; spiritus autem aduersùs carnem.* Roman. septimo *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Carnem autem, vt obseruat An-
N Rom. 7.l.3. gelicus, [N] accipit cum viribus sensitiuis; sic enim caro distinguitur contrà spiritum, & ei repugnat, in quantùm appetitus sensitiuus tendit in contrarium eius, quod ratio appetit; Galat. 5. *Caro concupiscit*, &c. Hùc facit quod ait Apostolus hortans ad holocaustum rebellis arietis, Roman. 6. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*: & mox, *sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nũc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Et ad Galat. 5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs: si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Et c. 6. *quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Eiusmodi sunt holocausta, vt hic dicitur, *in odorem suauissimum Domino.*

Versu eodem: *Agnos anniculos immaculatos quatuordecim.*

Superiùs innui, innocentes ex Israel ad vitam peruenturos æternam per promissionis ver- 4
bum significatam. En de illis fieri mentionem per agnos immaculatos: neque enim absque causa toties ly *immaculatos*, repetitur. Dauid in psalmo interrogatione id edisserit. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula*: [O] sci- O Psalm. 14.
licet mortali, quia peccatum veniale non habet maculam propriè. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Item in eo quòd dicit, *anniculos*, intelligi possunt humiles, est enim innocentiæ comes humilitas: vnde primi Regũ 13. de Saule dicitur; *filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset*: vt exponit [P] Angelicus Doctor. P 1.Tim. 1.l.1.
C. 15. *nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Matth. 18. *nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Isti transferuntur ad Regnum. Et si roges cur quatuordecim semper sunt agni? Occurro, id esse ad duplicem eamque perfectam septenario numero indicandam innocentiam, in operibus scilicet, & in corde: quemadmodum in psalmo 23. dicitur; *quis ascendet in montem Domini*, (ad videndum cum Moyse in Monte *Abarim*) *aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus*; at non satis: *& mundo corde. Beati mundo corde*, Matth. 5. *quoniam ipsi Deum videbunt.* Et quoniam innocentia non est, quæ decidit in septennio, propterea quotidie offeruntur agni quatuordecim: iuxtà quod Iob c. 27. *iustificationem meam quam cœpi tenere, non deseram*: & priùs; *donec deficiam, non recedam ab innocentia mea*: quod magni facit Dominus dicens 2. capite, de eodem, *& adhuc retinens innocentiam.*

VERSVS XXXV. *Die octauo, qui est celeberrimus*, &c.

VERSVS XXXVI. *Offerentes holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem.*

Certè nisi Dominus adesset, obmutescere- 5
mus. Et quid sibi vult singulare holocaustorum discrimen à cæteris diebus? cur ad vnum deuenitur vitulum, similiter ad arietem, & dimidium agnorum? Qui dignatur illucere menti, ducet & calamum. Erat octauo die festum [Q] cœtus at- Q p. 1 102. 4 a 10.
que collectæ; in quo colligebantur à populo ea, quæ erant necessaria ad expensas cultus diuini: & significabatur adunatio populi, & pax præstita in terra promissionis. Figuraliter autem significatur congregatio fidelium in regno cœlorum, ideò istud festum dicebatur sanctissimum esse. Et hæc tria festa (tubarum, tabernaculorum, & coetus) erant continua ad inuicem, quia

oportet expiatos à vitijs proficere, quousque perueniatur ad Dei visionem, vt dicitur in Ps. 83. hæc D. Thomas: psalmus habet; *ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Ex his elucet quare octauo die vnus vitulus offerendus remaneat; cùm enim typicè de beatitudine æterna sit ille dies: *erit dies vna quæ nota est Domino*: melior est dies vna in atrijs tuis, vt dicitur, Zachariæ 14. & Ps. eodem 83. oportebat quæ tunc euenient, adumbrare. Docet autem Angelicus [R] beatitudinem hominis perfectam tunc futuram, quando vna continua & sempiterna operatione in illo beatitudinis statu niens Deo coniungetur: sed in præsenti vita, quantùm deficimus ab vnitate, & continuitate talis operationis, tantùm deficimus à beatitudinis perfectione. Est tamen aliqua participatio beatitudinis, quia quantò operatio potest esse magis continua, & vna, tanto plùs habet rationem beatitudinis. En igitur enucleata causa ex qua oblatio vituli reducatur ad vnum. Lucæ 10. *Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

R p. 1. 3. a 4.

VERSV eodem XXVIII. *Arietem vnum.*

Non vltrà plures arietes. Etsi autem generali quadam ratione, quæ de vituli vnitate dicta sunt, & arieti idcircò vni conueniant, iuuat peculiarem scrutari, & aperire. Iam innotuit cur duo per septem dies immolarentur; attingit enim pugna carnis cum spiritu ætatem septimam, licèt sit quiescentium, quia vsque ad hanc infesta est tribulatio. Præterquam currunt simul sexta & septima ætas, laborantium scilicet & quiescentiũ, & propterea verũ est, septima quoque die arietes ambos esse in certamine. At octauo die beatitudinis completæ, & resurrectionis ad gloriam, non ita: tunc quippe, quod patet Theologis in 4. Sententiarum, perfectè subdetur animæ corpus, nec sensitiuæ vires poterunt rationis imperia detrectare. Nunc dominatur intellectus [S] appetitui principatu politico, & regali, non despotico, sicuti seruo Dominus, ideoque experimur irascibilem, vel concupiscibilem, rationi repugnare, per hoc quòd sentimus, vel imaginamur aliquod delectabile, quod ratio vetat; vel triste deuitamus, quod ratio præcipit.

S p. p. 81. a 2.

VERSV eodem: *agnos anniculos immaculatos septem.*

Non vltra quatuordecim: septem quidem, quia perfectus eiusmodi numerus perfectam indicat beatitudinem, & innocentiam: sed alter septenarius iam locum non habet, vbi exterior innocentia, *innocens manibus*, expleta est. Occupationes [T] omnes actiuæ vitæ cessabunt, solaque contemplatiuæ vitæ occupatio in resurgentibus remanebit: propter quod Lucæ 10. dicitur de Maria contemplante, quòd *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Inde est etiam, quòd dicitur Iob 7. *qui descendit ad inferos, non ascendet nec reuertetur vltra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius*, in quibus verbis talem resurrectionem Iob negat, qualem quidam posuerunt dicentes, quòd post resurrectionem homo redibit ad similes occupationes, quas nunc habet; vt scilicet ædificet domos, & alia huiusmodi exerceat officia; vt notat Angelicus ibi.

T 4. cont G. c. 83.

Quoniam verò hìc, & suprà toties memorantur sacrificia, & libamina, post holocausta, illustretur & hoc ex D. Thoma, qui ad illa verba psalmi, [V] *tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta*, inquit: oblationes, idest Sanctos minores, & holocausta, idest Sãctos maiores; *super altare tuum*, idest in gloriam cœlestem. Semper autem præter tot oblata, offertur agnus in holocaustum sempiternum, & hircus pro peccato; quia per Christum, qui occisus est ab origine mundi, quique fuit nobiscum in similitudinem carnis peccati, nos cum nostris omnibus euadimus *in odorem suauissimum Domino*; iuxtà illud, *Christi bonus odor sumus*: fine quo cassa sunt & indigna Dei auribus: extrà quem non est salus aut vita, canente ex Apostolo Ecclesia, *in quo est salus, vita & resurrectio nostra: per quem habemus accessum*, &c. Rom. 5. Vnum duntaxat animaduerto, pro laudabili contentione ad numerorum qui suprà, venandum mysteria, nos veluti excitare in litera Spiritum-sanctum, dum versu 14. de libamentis præcipiens, recolit, & recolligit iterum vitulorum, arietum & agnorum dinumerationem; quæ quidem non redundare credenda est, sed stimulos acuere ad perquirendum, quid sibi velint numeri sic expensi: neque enim, *iota vnum, aut vnus apex, præterire debebat à lege*, Matthæi 5.

V Psalm 50.

CAPVT XXX.

1 NArrauitque Moyses filijs Israel omnia, quæ ei Dominus imperarat: & 2 locutus est ad principes tribuum filiorum Israel: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: 3 Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. 4 Mulier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognouerit pater votum quod pollicita est, & iuramentum, quo obligauit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: 5 quidquid pollicita est, & iurauit, opere complebit: 6 sin autem statim vt audierit, contradixerit pater: & vota & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quòd contradixerit pater. 7 Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento: 8 quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat: 9 sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus obstrinxerat animam suam: propitius erit ei Dominus. 10 Vidua,

& re-

& repudiata, quidquid vouerint, reddent. 11 Vxor in domo viri cum se voto constrin
xerit, & iuramento, 12 si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet
quodcumque promiserat: 13 sin autem ex templo contradixerit, non tenebitur promissio-
nis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. 14 Si vouerit, & iuramen-
to se constrinxerit, vt per ieiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam
suam, in arbitrio viri erit vt faciat, siue non faciat: 15 quòd si audiens vir tacuerit, & in
alteram diem distulerit sententiam: quidquid vouerat, atque promiserat, reddet: quia
statim vt audiuit, tacuit: 16 sin autem contradixerit postquam resciuit, portabit ipse
iniquitatem eius. 17 Istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi inter virum, & vxo-
rem, inter patrem, & filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis
domo.

VERSVS III. *Si quis virorum votum vouerit &c.*

Sermo Domini indubitanter est iste, vt hic præmittitur. Desinit autem esse mirabile, cur hoc in loco interseratur votorum atque iuramentorum obligatio, si consideratione voluantur quæ dicta sunt, antegresso in capite: nimirum, præhabitum esse sermonem de profectu in terram promissionis, ambulando de virtute in virtutem, atque ad perfectionem tendendo; ad quam quidem, cùm fideles omnes teneantur; *diliges Dominum tuum ex toto corde tuo* &c. ps. 83. per vota de meliori bono, & per iuramenta similiter contenditur, & peruenitur. Opportuniùs ergò alibi nequibat de voti & iuramenti adimpletione tractari: quo insinuaretur per quæ adminicula immò instrumenta, *ascensiones disponeret* quis *in corde suo*. Viri ergo votum, quoniam & sui compos præsumitur & Dominus, omnino adimpletionem exposcit; & ita in vniuersum de muliere; præterquam mox adiectis in casibus: idcircò versus iste indiscriminatim inquit, *si quis* &c. siue vir siue mulier: quemadmodum ait Dominus, *si quis vult venire post me*.

VERSVS IV. *Mulier si quippiam vouerit.*

1 Subditur causa inualidæ promissionis; quia scilicet in ætate puellari. Quæ sit autem puella-
A 2.2. 88. 9. & 2. 2. 189. 5. ris ætas, docemur à D. Thoma, [A] in qua scilicet pueri nondum habent debitum vsum siue plenum vsum rationis, per quem sint doli capaces, quem quidem pueri habent vt frequentiùs circa quartum decimum annum, puellæ verò circa duodecimum: qui nuncupantur anni pubertatis. Huiusmodi ergo impubes, etsi aliquando anteuertant consuetum annorum numerum; *sunt enim quibus ingenium, & rerum prudentia velox, ante pilos venit*, quod ait Poeta, semper subduntur dispositioni paternæ; lex enim qua vnus homo subditur alteri, respicit id quod in pluribus accidit: vnde quamuis præuenissent pleniorem vsum rationis, & quantùm in se est ex suo voto obligarentur, adhùc tamen posses obligatio remoueri per authoritatem Patris, qui non tenetur ad amussim rem discutere, sed potest iure vti suo. Vnde à fortiori id potest, quando nondum re ipsa filij debitum vsum rationis sunt assecuti: quamuis enim præscriptos etiam transcenderent annos, adhuc tamen formaliter essent in ætate puellari, & doli incapaces. Hæc ex D. Thoma trahuntur: additque ibi ad 4. puellarem ætatem non peccare vouendo; neque enim in litera reprehenditur, sed consulit paternæ authoritati, & illius præiudicio. Simili ex causa, defectu scilicet debitæ ętatis excluduntur pueri à iuramento ante quatuordecim annos, vt subsu-
mit S. Doctor alio [B] in loco. Et si roges quare B 2.2. 89. 10. 1.
Sacra pagina mulieris de voto legem tradiderit, & non potiùs de masculi; Respondeo id factum esse, quia in masculo ratio magis viget, quàm in muliere: & propterea dum loquitur de muliere, in qua est debilitas rationis, tacitè indicat aperitque causam, ex qua vota impuberum subijciantur Patris authoritati.

VERSVS VII. *Si maritum habuerit, & vouerit aliquid &c.*

Cum paulo post, versu scilicet 11. dicatur, *vxor in domo viri, cum se voto constrinxerit* &c. videtur bis de eadem, eandem tradi legem, atque adcò superuacaneum: atqui non ita est. Potest sanè mulier maritum habere, sed adhuc esse in parentis domo, aut aliqua alia de causa manere & diu in eadem: quare oportuit singillatim dari præceptum de hac muliere, & de vxore cohabitante. Hoc ex calce capitis indicatur; habemus enim; *istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi inter virum & vxorem: inter Patrem & filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo*: ac si dicat, non ad parentem spectat, sed ad maritum de voti aut iuramenti æquitate videre: idcircò versu 8. *quo die audierit vir*; quia facilè notitia differri poterat marito non cohabitanti; & ideò eodem versu 7. legunt Septuaginta; *si nupta fuerit viro* &c.

Seruatur autem marito ius irritandi vxoris 2
votum & iuramentum, & non è contra quoniam vir est *caput mulieris*, vt ait Apostolus. Verùm præsumitur id agat rationabili ex fine, non perperam solo arbitratu. In simili agens de voti
dispensatione S. Doctor astruit, [C] in manifestis C 2.2. 88. 12. ad 2.
Prælatum non excusari à culpa, puta si Prælatus dispensaret cum aliquo, super voto de ingressu Religionis, nulla apparenti causa obstante. Si autem esset causa apparens, per quam saltem in dubium verteretur, posset qui vouit, stare iudicio Prælati dispensantis, vel commutantis. Pari ergo, aio ego, ratione: cum vxor quidpiam vouit, haud debet maritus cœca contradictione irritum velle, quia in ijs, quæ bonis matrimonij non obsunt, cùm nihil marito dematur, libera est vxor.

Et si dicas: versu 14. habemus; *si vouerit, & iuramento se obstrinxerit, vt per ieiunium, & cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, vt faciat, siue non faciat*: ergo omnia simpliciter potest maritus irritare, etiam personales quasdam, puta ieiunium, vxoris obli-

gationes. Respondeo, non haberi ex hoc omnia indiscriminatim posse irritare, sed solùm quæ & quatenùs præiudicant iuri virorum: inter hæc autem recenseri debet, ieiunij votum, quia ex hoc afflictionis genere, nonnulla sequi possunt incommoda honesti conturbernij atque solatij: quæ non apparent si vouisset mulier quæ nullo pacto maritum tangunt.

3 Et si dicas iterum: D. Thomas ibidem [D] docet quòd Religiosus subditus est Prælato quātùm ad suas operationes, secundùm professionem regulæ. Et ideò, etiamsi aliquis ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur à Prælato; quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo Prælatus non possit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de cōsensu Patris; nec vxoris nisi sit de consensu viri: Hæc D. Thomas. Ex quibus videtur æquiparari in his mulier Religioso: qui neque potest vouere se dicturum aliquos psalmos, vel facturum aliquas abstinentias, vt contendebatur in argumento.

D 2.2.88. 8.ad 3.

Respondeo; non eandem esse paritatem: quia vxor non est in ea subiectione respectu viri, quali est Religiosus ad suum Prælatum: neque enim vouit illa obedientiam marito suo in omnibus & per omnia: igitur similitudinem inducit Angelicus, non parem omninò rationem vtrorumque.

Dices tandem, quare non fit sermo de seruo, qui pariter vt habetur [E] ibidem, cùm sit in potestate Domini, quantùm ad personales operationes, non potest se voto obligare ad religionem, per quam ab obsequio Domini sui abstraheretur?

E 2.2. 88. 8. 2. & q. 189. 5.

Respondeo; seruitutem pressè acceptam, non habuisse locum inter Iudæos nisi in casu furti, & contemptus libertatis donandæ beneficio legis anno remissionis septimo, Exodi 22. quod [F] ait S. D. Igitur quasi per accidens serui erant. Mysticè tamen ideò crediderim seruorum omitti votum, quia contenditur progressus ad perfectionem *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, Roman. 8. & coram Domino *non est distinctio liberi, & serui*. Galat. 3. Ephes. 6.

F p. 2. 105. 2. ad 10.

CAPVT XXXI.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Vlciscere priùs filios Israel de
Supr. 21. d.17. Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum. 3 Statimque Moyses, Armate,
inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de
Madianitis: 4 mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum.
5 Dederuntque mille nos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam: 6 quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta, &
tubas ad clangendum tradidit ei. 7 Cumque pugnassent contra Madianitas, atque vicis-
Iof. 13. c. 21. sent, omnes mares occiderunt, 8 & reges eorum Eui, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe,
quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. 9 Ceperunt-
que mulieres eorum, & paruulos, omniaque pecora, & cunctam supellectilem: quidquid
habere potuerant depopulati sunt: 10 tam vrbes, quàm viculos, & castella flamma con-
sumpsit. 11 Et tulerunt prædam, & vniuersa, quæ ceperant tam ex hominibus quàm ex
iumentis, 12 & adduxerunt ad Moysen, & Eleazarum sacerdotem, & ad omnem multitu-
dinem filiorum Israel: reliqua autem vtensilia portauerunt ad castra in campestribus Moab
iuxta Iordanem contra Iericho. 13 Egressi sunt autem Moyses, & Eleazar sacerdos, & om-
nes principes synagogæ in occursum eorum extra castra. 14 Iratusque Moyses principibus
exercitus, tribunis, & centurionibus, qui venerant de bello, 15 ait: Cur feminas reser-
Supr. 25. d.17. Iud. 21. d 1. uastis? 16 Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præ-
uaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, vnde & percussus est populus? 17
Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in paruulis: & mulieres, quæ
nouerunt viros in coitu, iugulate: 18 puellas autem, & omnes feminas virgines reseruate
vobis: 19 & manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum
tetigerit, lustrabitur die tertio, & septimo. 20 Et de omni præda, siue vestimentum fue-
rit, siue vas, & aliquid in vtensilia præparatum, de caprarum pellibus, & pilis, & ligno, ex-
piabitur. 21 Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus, qui pugnauerant, sic locutus est:
Leu. 6. d. 28. & 11 e. 35. & 15. b. 11. Hoc est præceptum legis, quod mandauit Dominus Moysi: 22 Aurum, & argentum, &
æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, 23 & omne, quod potest transire per flammas,
igne purgabitur: quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabi-
tur: 24 & lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis. 25
Dixit quoque Dominus ad Moysen: 26 Tollite summam eorum, quæ capta sunt ab homi-
ne vsque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos, & principes vulgi: 27 diuidesque ex æquo præ-
dam inter eos, qui pugnauerunt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam mul-
titudinem, 28 & separabis partem Domino ab his, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello,
vnam animam, de quingentis tam ex hominibus, quàm ex bobus, & asinis, & ouibus, 29

& da-

& dabis eam Eleazaro ſacerdoti, quia primitiæ Domini ſunt. 30 Ex media quoque parte
filiorum Iſtael accipies quinquageſimum caput hominum, & boum, & aſinorum, & ouium,
cunctorum animantium, & dabis ea Leuitis, qui excubant in cuſtodijs tabernaculi Domini.
31 Feceruntque Moyſes, & Eleazar, ſicut præceperat Dominus. 32 Fuit autem præda,
quam exercitus ceperat, ouium ſexcenta ſeptuaginta quinque millia, 33 boum ſeptuagin-
ta duo millia, 34 aſinorum ſexaginta millia, & mille: 35 animæ hominum ſexus feminei,
quæ non cognouerant viros, triginta duo millia. 36 Dataque eſt media pars his, qui in
prælio fuerant, ouium trecenta triginta ſeptem millia quingentæ: 37 è quibus in partem
Domini ſupputatæ ſunt oues ſexcentæ ſeptuaginta quinque. 38 Et de bobus triginta ſex
millibus, boues ſeptuaginta, & duo: 39 de aſinis triginta millibus quingentis, aſini ſexa-
ginta vnus: 40 de animabus hominum ſedecim millibus, ceſſerunt in partem Domini tri-
ginta duæ animæ. 41 Tradiditque Moyſes numerum primitiarum Domini Eleazaro ſacer-
doti, ſicut fuerat ei imperatum, 42 ex media parte filiorum Iſrael, quam ſeparauerat his,
qui in prælio fuerant. 43 De media verò parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, ideſt,
de ouibus trecentis triginta ſeptem millibus quingentis, 44 & de bobus triginta ſex milli-
bus, 45 & de aſinis triginta millibus quingentis, 46 & de hominibus ſedecim millibus,
47 tulit Moyſes quinquageſimum caput, & dedit Leuitis, qui excubabant in tabernaculo
Domini, ſicut præceperat Dominus. 48 Cumque acceſſiſſent principes exercitus ad Moy-
ſen, & tribuni, centurioneſque, dixerunt: 49 Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugna-
torum, quos habuimus ſub manu noſtra: & ne vnus quidem defuit. 50 Ob hanc cauſam
offerimus in donarijs Domini ſinguli quod in præda auri potuimus inuenire periſcelides, &
armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas, vt deprecetis pro nobis Dominum. 51 Su-
ſceperuntque Moyſes, & Eleazar ſacerdos omne aurum in diuerſis ſpeciebus, 52 pondo
ſedecim millia, ſeptingentos quinquaginta ſiclos à tribunis & centurionibus. 53 Vnuſquiſ-
que enim quod in præda rapuerat, ſuum erat. 54 Et ſuſceptum intulerunt in tabernaculum
teſtimonij, in monimentum filiorum Iſrael coram Domino.

VERSVS II. *Vlciſcere priùs de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum.*

Iuſtam vltionem intendit Dominus ſumere de populo impio & immũdo; dignaturq; denarrare nobis admuſſim præparationem, ordinem, & euentum belli, aliaque deinde conſecuta, ad noſtram ſine dubio inſtitutionem, atque doctrinam, quia *omnia in figura contingebant illis*. Et cum poſſet Moyſes antecedenter hæc ſcribere, poſtponere voluit dictis, præſertim in capite anteriori, vt monendo per ſuprà dicta verba; *vlciſcere priùs de Madianitis*, &c. indicaretur eſſe hæc attentè conſideranda, tanquam omnino præuia ad terræ ingreſſum, atque adeò non ità ſuperficietenus debere accipi, ſed medullitùs ſublatentem ſpiritum indagari. Pulſat ergo ly *priùs*, de quo ſtudioſè ſcrutemur: ſignãter enim factum eſt, poſtponi hoc caput, vt occaſio emergeret monendi, quàm neceſſariò ſpiritualiter eſſent hæc præagenda.

Igitur quemadmodum exponit D. Cirillus l. 4. de adoratione, cuncta allegoricè, vt vaſa & Cherubin ſint Angeli Sancti, qui cum viris pijs, & probis certant contra dæmones & peccata, eoſque animant, & adunant; vt tubæ ſint, prædicatorum diuinorum ſermones, & exhortationes; vt Phinees ſit Chriſtus, qui huius belli dux eſt, & director: ita à nobis ſingula accuratiùs ſunt expendenda; quoniam, citra dubium omne, fideles tranſituros ad gloriam delineat Moyſes, eorumque de peccatis triumphum tangit. Hugo noſter Iudicum 6. fert interpretationem vocis huius *Madian*, vt dicatur *iniquitas*, ſiue (quod communiùs dicitur) *declinans iudicium*. Peccata autem ſunt in cauſa, quare peccator inſtar Ionæ fugam intentet; cum tamen dicatur in pſalmo, *quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* & ab Apoſtolo Rom. 2. *exiſtimas ò homo quia tu effugies iudicium Dei?* peccator ergo declinat; iuſtus cupit iudicium, Apocalyps. 21. *Veni Domine Ieſu. De reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & ijs, qui diligunt aduentum eius*. 2. Tim. 4. Contrà iniquitates igitur, & peccata priùs dimicandum eſt, dùm contra Madianitas ineundum eſt prælium. Hinc Origenes hom. 25. *tempus*, inquit, *belli nobis eſt in hoc mundo, pugna aduersùs Madianitas eſt, ſiue aduersùm vitia carnis noſtræ, ſiue aduersùm contrarias poteſtates. Spectat nos Angelorum chorus, & virtutum cæleſtium pia erga nos pendet expectatio, quando vel quomodo de hoc prælio reuertamur, quid vnuſquiſque noſtrum manubiarum reportet; & intuentur curioſiùs, ac ſolicitiùs perſcrutantur, quis noſtrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti illud pondus exhibeat, quiſue lapides deſerat pretioſos: requirunt etiam ſi quis æs deferat, aut ferrum, aut plumbum: ſed & vas ligneum ſi forte aliquis afferat, aut fictile, aut aliud eiuſmodi, magnæ domus vſibus neceſſarium. Requiritur ergo diligenter cum abierimus illuc, quid vnuſquiſque noſtrum deferat; & ſecundùm ea quæ detulerit, ſecundùm quod labor eius pro contemplatione exuuiarum probatur, etiam manſionis ei meritum præparatur.*

VERSVS IV. *Mille viri de ſingulis tribubus eligantur.*

Millenarius ſolet vniuerſitatem ſignare, non autem certum aliquem numerum, Apocalypſis 20. *regnauerunt cùm Chriſto mille annis*; quemadmodum & in Canticis dicitur, *mille clypei pendent ex ea*, quia millenarius eſt numerus ſolidus, A 4-43. 1. 3.1.4.cõt.
ex duplici ductu denarij in ſe ipſum ſurgens, de G. 81. &
quo [A] pluribus locis D. Thomas. Duodena- Rom. 5. 15.

rius

rius etiam numerus Apostolicos viros omnes comprehendit ob sui perfectionem, qui pugnam ciere debent contra vitia, iuxta illud 2. Tim. 2. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu*: vnde & Cant. *6*. Ecclesia dicitur, *terribilis vt castrorum acies ordinata*.

VERSVS VII. *Cumque pugnassent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt.*

Secundum Lyranum Leuitici 12. ibi; *Mulier si suscepto semine, pepererit masculum*, per masculum intelligi potest peccatum. Fortè mas talem metaphoram patitur, quia ex Adam originem in nos habuit. Adam autem fuit primus, quem fecit Deus cum femina: *Masculum & feminam fecit eos*. Vel quia robustos mundi & potentes plerumque possidet. De huiusmodi masculeæ virtutis hostibus reportanda est victoria. Isaiæ 27. *& iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius*.

VERSVS VIII. *Et Reges eorum Eui, & Recem & Sur*, &c.

Hos habes memoratos Iosue 13. *Heueum & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, Duces Sehon habitatores terræ*. S. Doctor in Genesin, per quin-
a Genes. 14. que Reges [a] inquit Sodomorum, designatur regnum carnale quinque sensuum. Sic ipse libenter de his Principibus dixerim: De oculo tanquam de præcipuo Duce, Poeta, *si nescis, oculi sunt in amore duces*: patet in Dauide 2. Reg. 11. qui videns mulierem se lauantem, contraxit maculam culpæ; & de senibus illis Danielis, quorum alteri dixit improperando, c. 13. *species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum*. In muliere primò peccante sensus omnes ad arma conclamasse reperies: nam aurem serpenti præstitit, vidit *lignum quòd pulchrum esset visu, & ad vescendum suaue*: præsumitur de olfactu: denique libidine tangendi etiam tacta est dicens, *& ne tangeremus illud, ne fortè moriamur*; hos oportet moraliter vincere, & occidere hostes: vnde & extremæ vnctionis Sacramento, singillatim coercentur speciali vnctione; & sic colligimur *ad populum* per mortem: quod innuit Dominus Moysi dicens versu 2. *Vlciscere priùs de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum*. *Mortificate membra vestra*, ait Paulus Coloss. 3.

VERSV VIII. *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio*.

Necesse est id quoque ad triumphum. Apocalyp. Commentario 2; *Balaam* inquit interpretatur *vanus populus*, aut *præcipitans eos* 1 pro quo ipse intelligerem vanas huc illuc peruagantes cogitationes: ex quo deinde in præceps ruunt sensus externi, animæque moliuntur ruinam. Hanc reportamus victoriam sub Phinees, idest Christo Domino: qui dixit; *sine me nihil potestis facere*. Interpretatur autem Phinees *Aspectus*, siue *Facies confidentiæ*. Quàm rectè de Christo! Ait Apostolus; *curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gau-*
C Hebr. 12.1. *dio sustinuit Crucem*. Vnde D. Thomas, [C] Si ergo vis saluari, *respice in faciem Christi tui* Psal. 5. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; idest Filij tui, qui est facies tua, qua manifestaris. Ioan. 1. l. 3.

VERSVS IX. *Ceperuntque mulieres eorum & paruulos*.

Genesis 34. Vlciscentes stuprum sororis suæ Dinę Simeon & Leui, Iacob propterea quòd paruulos, & vxores duxissent captiuas, non senserunt iratum: cur hìc iratus est Moyses? Inducit quidem causam, quia scilicet deceperant filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari fecerunt in Domino propter peccatum Phogor. Verùm non apparet consensisse omnes. Et quare paruulos? Respondeo, diuolgata suggestione, etsi non opere, animo potuisse facilè mulieres illas impias in facinus conspirare, atq; adeo illarũ paruulos, tãquã ipsarũ aliquid, iustos fuisse occidi, vt illæ angerẽtur. Sicuti & de Sodomitarũ paruulis dictum est. Et si ad morale feramur, mulieres necesse est occidere; quia materiã omnẽ peccati resecari oportet. Mulierẽ enecauit Matthæus Apostolus, quando, quod obseruat Gregorius in homilia, *ad telonij negotium non resedit*. Occasio omnis mulier dici potest, quæ *mas est occasionatus*. Interficiendi sunt etiam paruuli, quales sunt initia peccatorum; paruus motus, minora peccata, & concupiscentiæ minores, atque cogitationes malæ, quæ sunt elidendæ ad Petram Christum, psal. 136. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad Petram*, quemadmodum eo loci ait Augustinus.

VERSVS XVIII. *Puellas autem, & omnes feminas Virgines reseruate vobis*.

Ex præcedenti capitis 25. vltione de for- 2
nicarijs, & ex præsenti Virginum reseruatione, fas est inferre plures ob pollutum vitæ cursum æternaliter mori; pluresque è contra cœlibes voto & opere peruenire ad gloriam. Sicut ad literam hìc Moyses, *cur feminas, reseruastis? nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel? mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate*. Nota; non dicit *viros suos*, sed *viros*, dumtaxat. In Apocalypsi habes: *hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinat; virgines enim sunt: hi sequuntur agnum quocumque ierit*: ita c. 14. sed c. 22. *foras impudici*. Quod extendit Apostolus 1. Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores*, &c. *regnum Dei possidebunt*.

VERSVS XXIII. *Omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur: quicquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur*.

Satis de legali emundatione in Leuitico di- 3
ctum est. Figuraliter accipiendo, ignis est charitas: sublimitas, puritas, vis, & impetus charitatis pariter atque ignis, id probant, 1. Cor. 12. *& adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*. S. Doctor. [D] Sicut ignis illuminat diaphana, exa- D Prologo ad Ephes.
minat metalla, exterminat cremabilia; ita charitas illuminat opera, examinat intentionem, & omnia vitia exterminat. Et alibi, ignis dicitur, quia eleuat cor per feruorem, & calorem, quia consumit peccata: aqua propter purgationem, & refrigerationem ab [E] æstibus tentationum. E Ioan. 1.2.
Horum sanè omnium vestigia obseruantur in litera: paulò ante quidem habemus v. 10. *tam vrbes quàm viculos, & castella flamma consumpsit*. Vrbes, & oppida impiorum, in quibus cohabitant scelera, & peccata, destruuntur, Deo opem ferente, per gratiam & charitatem: vnde Iosue 6. *maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit Iericho*. Hanc maledictionem incur-

rit

rit 3. Regum 16. Hiello. Sed ad mores trahendo,
f Galat. 5.l.5. iste ex D. Thoma [f] reædificat, qui reuertitur ad vitia, & iniquitates. Sic ergo vrbes, viculos & castella huiusmodi, charitatis flamma consumpsit. Duces supradictos cum Balaam interfecerunt gladio. Hùc facit quod ait Dominus Matthæi 10. *non veni pacem mittere sed gladium: veni enim separare hominem* &c. quare cum à carnalibus sensus nostros seiungere venerit, meritò id per gladium assequitur, de quo & in præsenti. Et ideò etiam interficitur Balaam, tanquam exterior peccati causa, quemadmodum deducitur ex S. Doctore, qui articulum formans, Vtrum
G p.1.75. 4. peccatum habeat exteriorem causam; [G] Respondet astruens quòd sic, ex authoritate huius capitis v. 16. *nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam* &c. ergo aliquid exterius potest esse causa faciens peccare. Igitur resecanda habetur ex hoc omnis occasio, reijcienda est omnis suggestio, vt incruenta reportetur victoria de hostibus animarum, seu de peccatis.

VERSVS XXII. *Aurum & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabunt.*

4 Paulò ante retuli ex S. Doctore, sicut ignis examinat metalla, ita charitas intentionem. Verùm liber potiùs quoad textum hunc attinet, pro metallis diuersa operum genera accipere, quæ tanquam pretij nonnullius prædam, postquam regnum peccati depopulati sumus, capimus, & asportamus. *Aurum* &c. Apostolus 1. Cor. 3. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum* &c. *vniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Hoc ex loco per Sancti Thomæ doctrinam erudimur pro literæ expositione. Postquam ergo occisus est spiritalis peccati Madian, recolliguntur multiplicia spolia. Aurum præfert opera illa, quibus homo tendit in ipsum Deum per contemplationem & amorem: vnde dicitur Canticorum 5. *caput eius aurum optimum*: *caput* enim *Christi est Deus*, vt dicitur infrà Corinth. c. 11. de quo auro dicitur Apocalypsis 3. *suadeo tibi emere à me aurum ignitum*, idest sapientiam cum chari-
H 1.Cor. 3.l.1. tate. Hæc [H] Sanctus Doctor. Per argentum (pergit) significantur actus, quibus homo adhæret spiritualibus credendis, & amandis, & contemplandis; vnde in glossa refertur argentum ad dilectionem proximi: propter quod in psalmo 67. *pennæ columbæ* describuntur *deargentatæ*, cuius superior pars, idest *posteriora*, describuntur esse *in pallore auri*: quod deinde explicat per obsequium proximorum.

I Ierem. 6. Sequitur de ære, & ferro. Obseruat S. Doctor, [I] ferrum & æs, esse immunditias argenti: quare pro duobus hisce metallis libenter accipere opera, quæ licèt non sint ab habente charitatem, atque adeò non sunt argentum aut aurum, attamen nonnihil charitatis redolent, quatenùs ex motiuo aliquo diuino fiunt: quod est esse in infimo gradu supernaturalitatis. Nihilominus solida sunt, & permanent, nonnulla congruentia coram Deo, qui dignatur interdum misericorditer iustificare eum qui sic conatur, iuxtà quod dicitur Prouerb. 15. *per misericordiam & fidem purgantur peccata*: de quo D. Thomas 1.2.q. 113. 4. ad 1. & quæst. 114. a. 7. Et quoniam æs sonorum est, ferrum non ita: potest per æs signi ficati opus, quod in aliorum vtilitatem, & ædificationem fit: per ferrum autem opus, quod pro se ipso, & ad se ipsum quis facit.

Tandem plumbum, & stannum. Plumbum præ cæteris pondus habet, ideoque præ cunctis deorsum vergit: quare videtur illa referre opera, quæ patenter affectu aliquo terreno dumtaxat fiunt, ideoque naturalia dicuntur in scholis & quoad substantiam, & quoad modum. Stannum non ita: etsi enim species sit veluti plumbi, vnde dicitur *plumbum album*; habet similitudinem quandam argenti: secundùm hanc rationem interpretatur Haymo Isaiæ 1. ly *auferam omne stannum tuum*, pro falsa sed simili, diuinis eloquijs, doctrina. Quidam profectò videntur operari ex diuino, & operantur omnino terreno motiuo, puta cum quis dat eleemosinam languenti, coquòd compatitur isti, non quia Deus admonet: quod tamen quisquis videt, putat fieri ex fine supernaturali. Est ergo stannum. Plumbum erit cum quis palam, studio humanæ virtutis, exempli gratia dat operarijs mercedem. Neque has peccatorum manubias sic despicit Deus, vt aliqua præpurgatione non probet atque remuneret. Aggæi 1. *seminastis multum, & intulistis parum*; de quo 3. p. quæst. 89. a. 6. ad 3.

Igitur exscinduntur Madianitæ, cum peccata mortalia per gratiam & charitatem delentur. Verùm supersunt excidio aliqua igne probanda ac renouanda. Opera bona quæ per peccatum mortificata fuere, etsi priùs facta in charitate, vt patet 3. p. q. 89. 4. per pœnitentiam reuiuiscunt, vt constat articulo 5. sequenti. Hoc ergo quod hic dicitur adhiberi ignem, est ea iteratò accendi per charitatem, siue fuerint in Deum sine in proximum: quod est esse aurum & argentum, tacitè que lapides pretiosos virtutum, vt exprimitur 1. Corinth. 3. suprà citato, quia *in duobus mandatis vniuersa lex*. Æs similiter & ferrum ingressuris in terram beatam purgantur igne charitatis, quia quod dispositum est ad ignem, per ipsum ignitur. Aiunt in simili Theologi, *ex attrito fit quis contritus*. Et quia dispositio quæuis ad formam semper perficitur, donec ipsam formam vltimatè attingat, ideò & ipsa dicitur igne, scilicet charitatis, probari: quamuis enim nondùm sit accepta persona, quæ ad gratiam disponitur, accepta est dispositio.

Plumbum & stannum, vt expositum est, dici possunt igne probari, quia charitas examinat intentionem. Et certè eiusmodi opera, licèt in se ipsis mortua, probat aliquatenus ignis charitatis, quia cum non sint peccata, illi non contrariantur.

Alibi, nimirum Ezechielis 22. metalla huiusmodi in typum peccatorum sumuntur: ait enim; *fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti æs & stannum, & ferrum & plumbum*. Adstipulatur S. Doctor [L] dicens: peccata L 1. Cor 3.l.2.
mortalia magis comparantur ferro vel plumbo vel lapidi; tùm propter grauitatem (recole tu illud ps. *& sicut onus graue grauatæ sunt super me*: & illud Apostoli; *deponentes omne onus, & circumstans nos peccatum*) tùm quia etiam non renouantur per ignem, sed semper in eo manent, in-

quo

M op. 58. 8. quo sunt. Consequenter ad hæc in opusculo, M impijs in malo perseuerantibus aptat illud Isaiæ 1. *auferam omne stannum tuum*: fertque glossam, vt intelligantur, *incorrigibiles*. Quocirca & in Ieremiam ibi, N *consumptum est plumbum*, inquit, ponit Incorrigibilitatis exemplum: argentum enim admistum plumbo in fornace ponitur, & sufflante argentario fæces consumuntur, & argentum melioratur, sed plumbum minuitur. Claudit autem ibi Propheta: *argentum reprobum vocate eos*. Verùm etsi hæc verè & opportunè dicantur; hic non videntur metalla huiusmodi hanc admittere interpretationem, sed magis eam quæ allata est; quia cùm de introducendis ad Regnum gloriæ sit sermo, post Madianitas excissos, hoc est post peccata omnino deuicta, superat quicquid virtutis, & meriti præfuerat recolligere: horum enim omnium merces figuratiuè præparabatur. Remunerat autem Dominus quæ cuncta sustinent ignem, idest, charitatem. De auro & argento, seu de reuiuiscentibus operibus factis ex charitate, dubium non est, dicente etiam Apostolo Hebræot. 6. *non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis & ministratis*. De ære etiam & ferro satis constat, sustinere ignem, quia bonitatem habent supernaturalem actus morales cum eliciuntur ex auxilio, & in finem supernaturalem. Sic plumbum & stannum: hoc est, opera naturaliter & moraliter bona, charitate significante personam, cum iterum eliciuntur, ignita sunt.

N Ierem.

Pro quotum omnium pleniori intelligentia sciendum est, in tres classes reponi opera virtutum. Quædam fiunt in finem supernaturalem directè, & ab habente gratiam: & ista sunt aurum & argentum; vt expositum est. Quædam fiunt in finem supernaturalem, sed eliciuntur ab homine peccatore, quem Deus donat persæpe auxilijs supernaturalibus: hæc sunt æs & ferrum, quæ igniuntur, & sunt in via ad charitatis adeptionem. Quædam naturali ex motiuo, & ex honestate morali. Neque hæc spernit charitas; quia etsi illorum exordio figatur oculus in naturale motiuum, non est incompactum, vt terminatiuè ferantur altiùs, quod est eleuari in finem supernaturalem. Hæc omnia sustinent ignem, quia charitati non aduersantur: ideoque faciunt ad æterni Regni acquisitionem: ex quo Dominus Matthæi 25. commemorat opera quæ quis fecit, *esuriui* &c. & hæc est causa, propter quam proximè ingressuris in terram promissionis, sunt metalla huiusmodi, & remanent in æternùm igne probata.

VERSV eodem XXIII. *Quicquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur*.

Ligna, fœnum, stipula, de quibus Apostolus 1. Cor. 3. videntur esse illa, quæ ignem sustinere non possunt. Huiusmodi sunt peccata venialia, vt ibi, quæ charitatis actu delentur; & hoc est aqua expiationis sanctificari: nàm vt supra tactum est, charitas ignis, & aquæ symbolo significatur. Vel nisi feruore charitatis, confessionis Sacramento, cuius figura fuerunt ex prima secundæ omnes huiusmodi O purificationes, sit sanctificatio.

O p. 2. 102. 1. 3.

VERSVS XXVI. *Tollite summam eorum quæ capta sunt*.

Docet Angelicus doctrinam pulcherrimam quærens, Vtrum numerus prædestinatorum sit certus, P quomodo licèt Deus sciat numerum omnium indiuiduorum corruptibilium, non tamen numerus vel boum, vel culicum, vel aliquorum huiusmodi est per se præordinatus à Deo, sed tot huiusmodi diuina prouidentia produxit, quot sufficiunt ad specierum conseruationem, quia indiuidua corruptibilia non ordinantur ad bonum vniuersi quasi principaliter. Quod non dicitur de sphæris, de stellis, & elementis, partibus essentialibus eius, vt pote habentibus aliquo modo ordinem ad perpetuitatem; vide in Prologo. Quæ cùm ita se habeant, mirum esset, exactum requiri numerum in præsenti ab homine vsque ad pecus, & illud Apostoli 1. Corinth. 9. afferri posset; *nunquid de bobus cura est Deo?* Atqui illustrat rem psalmus 35. misericordiam Dei multiplicem attuens: *quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus: homines, & iumenta saluabis Domine*: per homines Q intelliguntur iusti, per iumenta peccatores. En quare hic ait Dominus, *tàm ex hominibus, quàm ex bobus, & asinis, & ouibus*. Benè aliàs noster Hugo 6. Iudicum; *oues sunt subditi minores, Boues Prælati, asini imperiti* 2. Regum vltimo dicebat Dauid de subditis; *isti qui oues sunt quid fecerunt?* De Prælatis Prou. 14. *Vbi non sunt Boues, præsepe vacuum est: vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo Bouis*. Denique Iob 1. *Boues arabant, & Asinæ pascebantur iuxtà eos*. Et ipse Dauid in ps. 72. *vt iumentum factus sum apud te*.

5

P p.p. 23. 7.

Q Psalm. 35.

VERSVS XXVII. *Diuidesque ex æquo prædam* &c.

Duodecim millia expeditorum ad pugnam tantam sortiuntur prædam, quantam tota reliqua multitudo. Corona ergo ingentis gloriæ manet certantes in bello: quamuis nec reliqua multitudo spolijs priuetur, vtpote quia tota est Ecclesia, *quasi castrorum acies ordinata* Cant. 6.

VERSVS XXVIII. *Et separabis vnam animam de quingentis* &c.

Hæc est pars Domini, immò primitiæ Domini pro Eleazaro Sacerdote. Leuitis etiam decernitur de dimidia præda multitudinis populi, quinquagesimum caput hominum, & boum, & asinorum, & ouium, cunctorumque animalium. Sed quoniam quanta numero fuerit hæc Leuitarum portio, etsi colligi possit, non curat dicere Moyses, argumento est, hoc literaliter fuisse prouisum. Quod quoniam non est cum de parte Domini agitur danda Eleazaro, singillatim pluries fit supputatio, vt qualis emergeret summa hominum, & quorumcumque animalium, perpetuò animaduertatur. Occasio autem piè humiliterque scrutandi mysterium aliquod latens, est illa quingentesima pars: parum valde est quod sibi Dominus addicit.

Deinde, cur non centesima? cur tot summæ de singulis? Certè tam accurata descriptio indicat quo numeri mysterio sit res complenda, sitque nos Dominus ad se assumpturus. Quingentesimus Deo placet. Quinquagenarius est iubilæi, ac remissionis; si per hunc currat denarius decalogi, cuius obseruantia ducit ad vitam, consurgit quingentesimus. Qui ab hoc deficit, non est Deo acceptus. *Tunc non confundar, cum per-*

spe-

spexero in omnibus mandatis tuis. Remittuntur tibi peccata tua: en quinquagenarius. *Noli amplius peccare*: en ductus denarij ad quinquagenariũ: en colligatio, en augmentum. Ad hæc facit quod in Prologo dictum est.

6 Quod si iumenta omnia redigantur ad summam, conficiunt numerum octingentorum octo millium: à quorum medietate decreta Eleazaro si per singulos quingentos vnum accipiatur, (*vnam animam de quingentis*) octingenta & octo consurgunt. Mirum autem videretur voluisse Spiritum-Sanctum tàm accuratè referri, quis esset numerus oblatorum animalium omnium, nisi aliquid mysterij occluderetur: eò vel maximè, quòd cum de quinquagesimo quoque capite pro Leuitis agitur, id non fit. Adesse dignetur Dominus, ne ieiuni abeamus. Reperio in scripturis noui testamenti, quod clarius est, quia *nox præcessit, dies autem appropinquauit*, numeris tegi sæpe arcana: in Apocalypsi enim, præsertim c. 13. habemus, *qui habet intellectum, computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti, sexaginta sex*. Senarius numerus ibi (me iudice) ad mundanarum rerum possessum, quæ sex diebus creatæ sunt, videtur referri: in his potentia eius, & finis erit. Cæterùm quemadmodum nomen illud Antichristi est, vt multifariam Maluenda noster subductos refert calculos l. 8. de Antichristo c. 17. in prima impressione; ita apud eundem, Iesu Sanctissimum nomen sub octingentorum octoginta octo clauditur numero. Hinc Sibylla l. Sibyllinorum Orac. 1.

Tùnc ad mortales veniet mortalibus ipsis
In terris similis, natus Patris omnipotentis
Corpore vestitus; vocales quatuor autem
Fert, non vocales duas, binum Geniorum:
Sed quæ sit numeri totius summa docebo;
Namque octo monades totidem decades super ista
Atque hecatondadas octo, infidis significabit
Hominibus nomen: tu verò mente teneto.

Nomen autem est ΙΗΣΟΥΣ

Ι	Η	Σ	Ο	Υ	Σ
10	8	200	70	400	200.

Summa 888.

Fortè autem Græco ex nomine reddendus erat numerus, (hoc ipse meditatus sum) quoniam Græci Sapientiam quæsituri erant, primæ Cor. 1. *Græci sapientiam quærunt*. Cum ergo in subductione calculi iumentorum, reddantur octingenti & octo. 808. video, in medio deficere numerum, à numero nominis Iesu: ex quo conuenienter illi videntur accipi Deo donandi, qui quamuis medio, hoc est cursu vitæ declinent, attamen consignati ab initio baptismate, & in fine Christo reconciliati, ad vitam peruenturi erant æternam; etsi, non pleno nomine, & omine imitationis nominis Iesu. Eiusmodi, iumenta sunt, quia imperfectiores: quos tamen, quemadmodum & peccatores, non despicit, qui venit vocare illos, & *saluum facere quod perierat. Homines, & iumenta saluabis Domine* ps. 35. Octonatius numerus Christo, qui primitiæ resurgentium est, bellè conuenit; quia ætas resurrectionis octaua est, & ipse resurrexit post sabbatum, octauo die.

At de animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ: paulò ante vocat eas, *animas hominum sexus feminei*.

Ad animarum ergo præcipuè intendit acquisitionem; additque, *feminei sexus*, quod non fuerit superuacaneum, quamquam innotuisset, seruatas dumtaxat mulieres, quia etsi in animabus sexus locum non habeat, metaphora quadam, hominum omnium animæ fœminæ sunt, si Angelis comparentur, masculæ intelligentiæ ac virtutis. *Triginta duæ* sunt animæ, quæ non brutorum more, ad terram pronæ, neque fornicatæ spiritualiter *cùm amatoribus multis*, virgineum Ecclesiæ statum referentes, *secuturæ sunt agnum* in gloria. Sunt autem illo in numero, quia imitatione accesserunt Christo, qui tricesimo tertio expleto, vitam pro ipsis profudit: *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Iumenta intercepto Iesu nomine, sonant ipsum, *triginta duæ* istæ continuum illius exprimunt vitæ cursum. Iumenta ergo in typum erunt peccantium: virgines figura innocentium. De vtrisque sibi Dominus prouidet; eoquòd *vult omnes homines saluos fieri*; & vlteriùs speciatim quosdam, per Moysen, per Eleazarum, & Principes vulgi, hoc est per legem, per sacerdotes, & per maiores, vocat ad se, iustificat & glorificat.

Hic etiam numerus ex quater repetito octonario, ad idem mysterij fertur. Pythagorici octonarium numerum vocabant iustitiam: Christus autem dicitur *Dauid germen iustum*, Ieremiæ 23. & 1. Cor. 1. *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia & sanctificatio & redemptio*. Quod quaternarium autem facit quod ait Gregorius Nissen. *figura Crucis à medio tractu in quatuor extrema partita, significat virtutem, & prouidentiam eius, qui in ea pependit, vbique diffusam*: vt 3. p. q. 46. 4. & D. Athanasius, *de passione, & cruce Domini; diuidunt milites cætera vestimenta in partes quatuor; eoquòd pro peccatis mundi quadrifariam diuisi, ad exortum, occasum, septentrionem, ac meridiem gestabat illa*. De numeris videatur Lauretus in Sylua.

VERSV XXXXVIII. *Cumque accessissent Principes* &c.

Ferunt Moysi recensuisse numerum pugnatorum, & ne vnum quidem defuisse: cohæret his quæ ait Dominus Io: 10. de suis ouibus; *& non rapiet eas quisquam de manu mea*: & benè de prædestinatis ad gloriam, quando de ingressuris terram promissionis.

VERSVS XXXXX. *Ob hanc causam offerimus in donarijs Domini*.

Memorantur quinque ornamenta, quorum aliquid variam habet significationem. Ex lexicis *Periscelis* fœminale est: scribitque Cæl.l. 2. c. 43. periscelidas dici, quæ vulgo *gremialia* vel *transuersas* vocant: vnde & Menandet puellas, periscelides gestare scribit. Vtuntur & latini hac voce: & S. Doctor Isaiæ 3. [a] *Periscelides à peri*, quod est, circum, & *scelos*, quod est membrum, quasi ornatus circa membrum. Haymo dicit fieri ex auro ad similitudinem armillarum, & poni circa talum. Glossa dicit quòd ponuntur *periscelides* super pedes, similes armillis. Alij dicunt, quòd sunt quidam ornatus positi circa extremitates vestium, sicut aurifrigia, vel pelles aliquæ, vel aliud huiusmodi. Et hoc potest stare cum vtroque prædictorum, quia sic sunt & circa collum, & circa pedes; vestes enim habent talia & R Isaiæ.

in caputijs, & in fimbrijs inferioribus, & sic ornant collum mediatè. Hæc D. Thomas, qui ibi subijcit authoritatem loci huius. Quamuis autem typographorum inscitia, vbi fertur Haymo dicere esse periscelides ornamenta *tali*, irrepserit *colli*; nihilominus vt ex contextus diuisionibus patet, intendit S. Doctor posse etiam esse ad ornatum colli saltem mediatè: quare non erit adeò fixum, *periscelides* referri ad ima, sed esse circa membrum aliquod, & vt astruit, ad collum, tametsi ex lexico pariter *scelos* sit crus aut pes, brachium: & secundùm Cæl: totum illud quod consurgit ex crure, sphyro & pede. Sanè hebræa vox per Rabi D. Kimhi, sonat ornamentum, quod mulieres portant in cruribus; vel secundùm alios, quod portatur in brachijs, vt armilla. Verùm quia hoc in loco statim ad vocem *Etzgnadah* sequitur *vetzamid*, quod item pro armillis stat, debet accipi vox prior pro crurum ornatu. Armilla ex eodem S. Doctore Isaiæ 3. ab *Armo* dicitur, vnde meritò est ornamentum brachiorum: tu recole quod dixit Amalecites 2. Regum c. 1. Dauidi, *tulique armillam de brachio eius*, s. Saulis. Sed quemadmodum armillæ sunt vtriusuis brachij, ita dextralia, dextri. *Murænulæ* ex eodem in Canticis, [t] sunt ornamenta colli virginalis, & puellarũ; virgulæ videlicet auri perplexæ, intermistis nonnunquam pulchra varietate subtilissimis argenti filis. Haymo Isaiæ 3. Murænulæ sunt virgulæ vel catenulæ variæ, contortæ auro argentoque, & dependent à collo. In nouissimè inuento in Cantica S. Doctoris Commentario, [T] Murænula est catenula coniungens ornamentum colli, intùs diuersis coloribus colorata.

[t] Cantic. [T] Cant.

Ex hactenus dictis satis constat, omnia huiusmodi ornamenta esse muliebria; de quibus tamen versu penultimo habetur, fuisse Principum, Tribunorum, & Centurionum, *vnusquisque enim*, (inquit) *quod in præda rapuerat, suum erat*: quare, dùm isti signanter possedisse perhibentur fœminalia, indicantur fœmineo ex sexu esse ornamenta, non virorum, sed animarum, quæ intellectiuo in genere imperfectæ sunt. Canticor. 6. ad idem legimus; *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*. Vlteriùs etiam considerari oportet in his offerentibus typum Prælatorum, quorum accuratior debuit hìc poni figura, quia illorum opera, & ductu perueniunt Israelitæ spiritales ad terram promissam. In huius signum, versu 52. quamuis exactè recolligantur alia de pondere auri oblati, offerentes quasi perfunctoriè tanguntur, immò Principes recenseri negliguntur, nimirùm vt innotesceret, parum curæ fuisse de superficie historiæ, quando ad medullam spiritus intendebatur.

7 Igitur, quæ sint Prælatorum munia, quibus in operibus debeant exerceri, quasque virtutes speciatim colere, ex donariorum speciebus satis docemur. Et sanè quia crura, vel pedes totum vehunt corpus, Prælatorum statum, graueque sibi iniunctum onus significant: sic exponitur in Commentario nouissimè inuento Cantic. 5. [V] Nisi eorundem sollicitudinem, sedulamque diligentiam, & cursum, vbi pro sibi commissis opus fuerit, intelligamus. De hac in hostes pugna illud Apostoli accinit ad Timot. 2. 4. *bonum certamen certaui, cursum consummaui*. Et quoniam fortiter dimicandum est Duci pro suis, non satis est periscelides obtinuisse in crurum ornamenta, sed requiritur armillarum decus, vtriusque brachij ornatus, siue quia tota virtute, & fortitudine insistendum est, siue quia & in prosperis, & in aduersis, incumbit; *per arma iustitiæ*, quod dicitur 2. Cor. 6. *à dextris & à sinistris; per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam*. Qui sic se gerunt, reportant ostentantque armillas.

[V] Cant. 5.

Verùm postquam vis facta est ab ipsis in hostes visibiles, & inuisibiles, quia luctatores fecit eos Dominus contrà diabolum: postquam declinatum est ipsorum ministerio, à malo; promouendum est bonum: sed virtute quàm maximè discretionis, quæ passim in sacris litteris per digitos designatur. Hæc si deficiat, omne periclitatur bonum; rationabile enim esse debet obsequium: hoc referunt in præsentiarum annuli. Sic S. Doctor, [X] mysticè per digitum discretio designatur: nam, vt addit ad Colossenses, astruens significari etiam per sal discretionem sapientiæ, omnis [A] actio indiscreta est insipida, & inordinata. Matthæi 9. *habete in vobis sal*: ex quo ait; aliter respondendum est sapientibus, aliter insipientibus. Hoc præmisso, dextralia occurrunt, non solùm, quia magna dexteritate peragenda sunt cuncta Prælatis, sed quia ad dexteram collimare debent omnia, hoc est ad finem gloriæ; & denique quoniam per dexteram bona cœlestia apprimè accipi possunt, quemadmodum & per sinistram temporalia. Post hæc murænulas offerunt, *vt depreceris*, inquiunt, *pro nobis ad Dominum*. Quare, cùm sit murænula redimiculum colli, non solùm firmat de Prælatis esse scripturam, per quos tanquam per morale collum in corpus Ecclesiæ mysticum salutis influentiæ descendant: sed eorum suspiria signat, quibus concupiscere debent esse iuncti Christo suo capiti, *sine quo nihil possunt*, (ipso teste) *facere*: quod est, obire præfata munia in charitate. Et ecce statim in littera subdi de auro; *susceperuntque Moyses, & Eleazar Sacerdos omne aurum in diuersis speciebus*; etenim charitas sola dignificat ornamenta virtutum, quæ per huiusmodi alibi ex Haymone Isaiæ c. 3. significantur.

[X] Io. [illegible] l. 6. [A] Coloss. [illegible] 4. l. 1.

VERSVS XXXXXIV. *Susceptum intulerunt in tabernaculum testimonij; in monimentum filiorum Israel coram Domino*.

Quod dicitur; quia manent omnia in diuina acceptatione, remuneranda in gloria: & singulariter *acceptum* dicitur, non autem, accepta; fortè quia charitas vnit omnia, & omnes de aliorum bonis participant, iuxtà illud ps. 118. *particeps ego sum omnium timentium te*.

CAPVT XXXII.

1 FIlij autem Ruben, & Gad habebant pecora multa, & erat illis in iumentis infinita
substantia. Cumque vidissent Iazer, & Galaad aptas animalibus alendis terras,
2 venerunt ad Moysen, & ad Eleazarum sacerdotem, & principes multitudinis,
atque dixerunt: 3 Ataroth, & Dibon, & Iazer, & Nemra, Hesebon, & Eleale, & Saban,
& Nebo, & Beon, 4 terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio v-
berrima est ad pastum animalium, & nos serui tui habemus iumenta plurima: 5 precamur-
que si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias
nos transire Iordanem. 6 Quibus respondit Moyses: Nunquid fratres vestri ibunt ad pu-
gnam, & vos hic sedebitis? 7 Cur subuertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant
in locum, quem eis daturus est Dominus? 8 nonne ita egerunt patres vestri, quando misi
de Cadesbarne ad explorandam Terram? 9 Cumque venissent vsque ad Vallem botri, Supr 13
lustrata omni regione, subuerterunt cor filiorum Israel, vt non intrarent fines, quos eis Do- d.24.
minus dedit. 10 Qui iratus iurauit, dicens: 11 Si videbunt homines isti, qui ascenderunt
ex Aegypto à viginti annis, & supra, Terram, quam sub iuramento pollicitus sum Abra-
ham, Isaac, & Iacob: & noluerunt sequi me, 12 præter Caleb filium Iephone Cenezæum,
& Iosue filium Nûn: isti impleuerunt voluntatem meam. 13 Iratusque Dominus aduersùm
Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur vniuersa
generatio, quæ fecerat malum in conspectu eius. 14 Et ecce, inquit, vos surrexistis pro
patribus vestris, incrementa, & alumni hominum peccatorum, vt augeretis furorem Do
mini contra Israel. 15 Quòd si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet,
& vos causa eritis necis omnium. 16 At illi propè accedentes dixerunt: Caulas ouium
fabricabimus, & stabula iumentorum, paruulis quoque nostris vrbes munitas, 17 nos au-
tem ipsi armati, & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos
ad loca sua. Paruuli nostri, & quidquid habere possumus, erunt in vrbibus muratis, propter
habitatorum insidias. 18 Non reuertemur in domos nostras, vsque dum possideant filij Isra-
el hereditatem suam: 19 nec quidquam quæremus trans Iordanem, quia iam habemus no-
stram possessionem in orientali eius plaga. 20 Quibus Moyses ait: Si facitis quod promit- Iof. 1. c
titis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: 21 & omnis vir bellator armatus Ior- 13.
danem transeat, donec subuertat Dominus inimicos suos, 22 & subijciatur ei omnis terra:
tunc eritis inculpabiles apud Dominum, & apud Israel, & obtinebitis regiones, quas vultis
coram Domino. 23 Sin autem quod dicitis non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in
Deum: & scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. 24 Aedificate ergo vrbes
paruulis vestris, & caulas, & stabula ouibus, ac iumentis: & quod polliciti estis, implete.
25 Dixeruntque filij Gad, & Ruben ad Moysen: Serui tui sumus, faciemus quod iubet Do- Iof. 4. c
minus noster. 26 Paruulos nostros, & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in vr- 12.
bibus Galaad: 27 nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu do-
mine loqueris. 28 Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, & Iosue filio Nun, & prin-
cipibus familiarum per tribus Israel, & dixit ad eos: 29 Si transierint filij Gad, & filij Ru- Iof. 13. b.
ben vobiscum Iordanem omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit Terra 8.& 22. a. 4.
subiecta: date eis Galaad in possessionem. 30 Sin autem noluerint transire armati vobi- Deut. 3. b.
scum in terra Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca. 31 Responderuntque filij Gad, 12.
& filij Ruben: Sicut locutus est Dominus seruis suis, ita faciemus: 32 Ipsi armati perge-
mus coram Domino in Terram Chanaan, & possessionem iam suscepisse nos confitemur
trans Iordanem. 33 Dedit itaque Moyses filijs Gad, & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse Iof. 22. a.
filij Ioseph regnum Sehon regis Amorrhæi: & regnum Og regis Basan, & terram eorum 4.
cum vrbibus suis per circuitum. 34 Igitur extruxerunt filij Gad, Dibon, & Ataroth, &
Aroer, 35 & Etroth, & Sophan, & Iazer, & Iegbaa, 36 & Bethnemra, & Betharam,
vrbes munitas, & caulas pecoribus suis. 37 Filij verò Ruben ædificauerunt Hesebon, &
Eleale, & Cariathaim, 38 & Nabo, & Baalmeon versis nominibus. Sabama quoque:
imponentes vocabula vrbibus, quas extruxerant. 39 Porrò filij Machir filij Manasse per- Gen. 50.
rexerunt in Galaad, & vastauerunt eam, interfecto Amorrhæo habitatore eius. 40 Dedit d.22.
ergo Moyses Terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitauit in ea. 41 Iair autem
filius Manasse abijt, & occupauit vicos eius, quos appellauit Hauoth Iair, id est, Villas Iair.
42 Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cum viculis suis: vocauitque eam ex
nomine suo Nobe.

VERSVS 1. *Filij autem Ruben & Gad habebant pecora multa.*

Hæ duæ tribus illectæ pascuis vberrimis, transitum Iordanis, vbi terræ promissæ robur, non curant: contenti, si acquiescat Moyses, terra Galaad: immemores prædictionis Patriarchæ Iacob, qui Genesis 49. ait, de Ruben, *tu fortitudo mea* &c. & de Gad, *Gad accinctus præliabitur ante eum: & ipse accingetur retrorsum*: igitur eis respuendum non erat bellum, nec in armis, Iordanis traiectio. Increpat durè Moyses illorum segnitiem, vocans *incrementa & alumnos hominum peccatorum*; qui suprà c. 13. *detraxerant terræ*, ad quam missi fuerant *exploratores*. Acri perterriti reprehensione pollicentur se pugnaturos: Moysesque vicissim, præoccupatam desideratamque illis terram destinat: vnde, vt obseruat Hieronymus apud S. D. loco
A Genes. 49. cit. [A] post quatuordecim annos ad possessionem suam trans Iordanem reuertens Gad, reperit prælium vicinarum Gentium contrà se, & victis hostibus dimicauit fortiter.

Sed quoniam non solùm decernitur Galaad in possessionem prædictorum, sed etiam dimidiæ tribui Manasse, quæ tamen non legitur institisse: quoniam filij Gad versu 29 præmittuntur; *si transierint filij Gad & filij Ruben vobiscum Iordanem*: cùm è contrà in principio capitis fiat; non est dubium subesse mysterium, quod Deo dante venemur. Ruben fuit primogenitus Iacob. Gad pariter, ex Ancilla. Manasses quoque de Ægyptia natus prior natura Ephraim: significant ergò meritò priorem populum, qui non per Iesum, sed præcipiente Moyse hæreditatem extrà. Iordanem accepit. Ita ex glossa.

Typicè autem, ex eadem qui iumenta plurima possident, Iordanem transire refugiunt, quia quos multi amplicamenta occupant, habitationem cœlestis Patriæ non requirunt. Sed quia erubescunt non defendere quod confitentur pro fide, ad certamen properant, eamque non sibi, sed proximis vendicant. Et redeunt, in quantùm tota mente & desiderio rebus perituris inseruiunt, vt extrà terram promissionis bruta animalia nutriant, *habemus iumenta plurima*: irrationales scilicet motus animi vanis desiderijs. Consonat dictis nominum interpretatio; siquidem apud D. Thomam
B Apoc. comm. [B] *Ruben* interpretatur, *videns filium*; *Gad*, *tentatio*; *Manasse*, *obliuio*. Temporalia, *nisi quis reliquerit Patrem & Matrem & filios* &c. sunt in tentationem, vt obliuiscantur homines Regnum Dei: Sap. 14. *creaturæ Dei in odium factæ sunt; & in tentationem animæ hominum*: de quo p.p. 65. 1. 3. p. 2. 79. 1. 2. & alibi D. Th. Apud Abulensem; quia *Gad fortissimus*; *Manasse*, *obliuio*; *& Ruben* Hebraicè, *filius visionis*; Monachi opimi in Manasse, vtpote qui obliti sunt sui status; Principes in Gad; & in Ruben Prælati, qui aliorum vitam speculantur, intelliguntur. Metuenda tropologia, ne possessionem suam in terrenis dumtaxat obtineant: amisso Regno Cœlorum, quod nisi despiciant, negligunt oscitanter. Huiusmodi non raró aliorum insudant saluti, propriæ obliti. Sic mercenarius ipsorum affectus, ad terrena Sehon Regis Amorrhæi, & Og Regis Basan (memorantur hi versu 33.) conuersi, terrenam quam affectant, remunerationem recipiunt: cùm tamen commoneat Dominus; *primùm quærite Regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis*. Vnde quia temporalia bona, etiam secundùm se considerata, taliquali cadunt sub merito, [C] ideò ait Moyses; *si transierint filij Gad, & filij Ruben vobiscum Iordanem omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit terra subiecta, date eis Galaad in possessionem*. Hùc illud facit Abrahæ ad diuitem, Lucæ 16. *recepisti bona in vita tua*. Quocirca Gregorius in homilia de diuite & Lazaro; [D] *nisi diues ille aliquod bonum egisset, & in præsenti sæculo remunerationem accepisset, nequaquam ei Abraham diceret, recepisti bona* &c. Monemur autem temporalia bona Ecclesiæ non esse danda, vel decernenda immeritis cum peccato acceptionis personarum, de quo 22. q. 63. sed certaturis de quibus confidamus pro Regno cœlesti. Quòd si compromissam operam suam non impleant, nulli dubium est (ita versu 23.) quin peccent in Deum. Nihilominus, non audet Moyses figuratum Regnum cœlorum illis adimere: immò illis etiam salutem exoptat æternam, dicens (versu 30.) *sin autem noluerint transire armati, inter vos habitandi accipiant loca*. Verùm ipsi terrenorum illecti amore, in eorum persona qui diligunt mundum, acediæ vitio, loco hæreditatis promissæ, vltrà Iordanem, quæ mundi sunt concupiscunt, veluti vale dicto diuinis. Sic ipse, quod dicunt versu 32. *possessionem iam suscepisse nos confitemur trans Iordanem*; quasi non curando proferri arbitror: quomodocumque alij reddant; apud Maluendam. Nisi trans Iordanem dicatur terra Galaad, postquam occupassent Chanaan, vt innuitur c. 34. v. 15. & tùnc intelligitur trans Iordanem, ad orientalem, non ad occidentalem plagam, de quo Iosue 22. Ex quo tamen adhùc innotescit quàm addicti essent humanis, consensu & acceptatione soliciti stabiliri possessu.

C p. 2. 114.10.
D 1.4.89. 6.1.

Rogabis, quid sibi velit dimidiæ tribui Manasse, & non toti, quemadmodum Rubenitæ & Gaditæ, decerni citrà Iordanem, Galaad? Respondeo; quis queat nisi tantillum diuinæ lucis affulgeat, profunda exquirere? Stat calamus, hæret lingua, nisi ille dignetur adesse scriba, de quo in psalmo 44. *lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Profectò infrà c. 34. postquam versu 14. dictum est iterum, vt fortiùs insigeretur cordi latere mysterium; *Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, & tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse*; statim adijcitur, *idest duæ semis tribus acceperunt partem suam trans Iordanem* &c. quis ignorat duas tribus, & dimidiam Manasse, esse duas, & semissem? nugatorium videretur atque redundans. Sed vt attẽtionem humilium excitaret, voluit Dominus, eadem reperi: fortè vt animaduerteret pius lector, emergere numerum qui deficit à perfectione ternarij; non enim tres tribus, sed duæ & semis fuerunt. Qui inhiant extrà cœlestem Patriam terrenis, cadunt à perfectione. Mirificè itaque docemur quod ait Dominus Matth. 19. *si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. In figuram ergo deficientium à perfectione, sunt duæ tribus & semis. Vnde non mirum, si hi spontanea velut sententiæ prolatione, extra Chanaan itidem sunt, quando ibidem Saluator subiecit; *diues difficilè intrabit in Regnum*

Cœlo-

cælorum: & iterum, *facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in Regnum cælorum*. Suggerit etiam Manasses factum quod accidit Genesis 48. quando collocatus est pro benedictione ad dexteram Iacob; commutans enim Pater manus, sinistram posuit super caput Manasse. Vbi S. Doctor. [E] Dei sinistra dirigitur ad eos, qui exterius sunt in dextrâ; idest in prosperitate temporalis primatus. Hoc studio fortasse crediderim ego Manassen associari Rubenitis, & Gaditis; sortitumque dici versu 39. *terram Galaad* seu *partem Galaad*, vt habetur Iosue 13. v. 31. quam expressiùs petierant Rubenitæ & Gaditæ. Vnde & in eo quòd vrbibus noua imponunt vocabula versis nominibus, vt in calce capitis, notant vel inuiti temporalium transitum, quod enim fuerant, non erant: quia vt ait Apostolus, *præterit figura mundi huius*; quam tamen elabentem euanescentem misertimè decepti, nominibus & vocibus, præterea nihilo, (Ieremiæ 4. *aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihil*) deperimus.

E Genes. 48.

2 *Vicos* autem & *Viculos*, atque *villas* occupant filij Manasse, vt tandem legitur; quia *non habemus hic permanentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*. Hebr. 13. Idem Sanctus Doctor ad illa verba psalmi, [F] *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*. In vico non inueniuntur omnia necessaria vitæ humanæ, sanis & infirmis; sed in ciuitate oportet inuenire omnia necessaria ad vitam. Iudicum 18. legis; *vidimus terram valde opulentam & vberem*. Isaiæ 60. *tùnc videbis, & affiues*. Prou. 1. *abundantia perfruetur*. Apoc. 3. *scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, noua Ierusalem*. Isaiæ 6. *Tu autem vocaberis quæsita ciuitas, & non derelicta*.

F Psal. 45.

CAPVT XXXIII.

1 HAe sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Aegypto per turmas suas
in manu Moysi, & Aaron, 2 quas descripsit Moyses iuxta castrorum loca,
quæ Domini iussione mutabant. 3 Profecti igitur de Ramesse mense ptimo,
quintadecima die mensis primi, altera die Phase, filij Israel in manu excelsa videntibus cun-
ctis Aegyptijs, 4 & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam & in
dijs eorum exercuerat vltionem) 5 castrametati sunt in Soccoth. 6 Et de Soccoth vene-
runt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis. 7 Inde egressi venerunt contra Phi- Exod. a 2.
hahiroth, quæ respicit Beelsephon, & castrametati sunt ante Magdalum. 8 Profectique
de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: & ambulantes tribus diebus
per desertum Etham, castrametati sunt in Mara. 9 Profectique de Mara venerunt in Elim, Exod. g. 27.
vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ septuaginta: ibique castrametati sunt. 10
Sed & inde egressi, fixerunt tentoria supra Mare rubrum. Profectique de Mari rubro, 11
castrametati sunt in deserto Sin. 12 Vnde egressi, venerunt in Daphca. 13 Profectique
de Daphca, castrametati sunt in Alus. 14 Egressique de Alus, in Raphidim fixere tento-
ria, vbi populo defuit aqua ad bibendum. 15 Profectique de Raphidim castrametati sunt Exod. a. 1.
in deserto Sinai: 16 Sed & de solitudine Sinai egressi, venerunt ad sepulchra concupi- Exod. a 1.
scentiæ. 17 Profectique de sepulchris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth. 18 Supr. g. 15.
Et de Haseroth venerunt in Rethma. 19 Profectique de Rethma castrametati sunt in Rem-
momphares. 20 Vnde egressi venerunt in Lebna. 21 De Lebna castrametati sunt in Supr. a. 1.
Ressa. 22 Egressique de Ressa, venerunt in Ceelatha. 23 Vnde profecti castrametati sunt
in monte Sepher. 24 Egressi de monte Sepher, venerunt in Arada. 25 Inde proficiscen-
tes, castrametati sunt in Maceloth. 26 Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath.
27 De Thahath castrametati sunt in Thare. 28 Vnde egressi, fixere tentoria in Methca.
29 Et de Methca castrametati sunt in Hesmona. 30 Profectique de Hesmona, venerunt in
Moseroth. 31 Et de Moseroth castrametati sunt in Beneiaacam. 32 Profectique de Be- Deut. b 6.
neiaacam, venerunt in montem Gaddad. 33 Vnde profecti, castrametati sunt in Ietebatha.
tha. 34 Et de Ietebatha venerunt in Hebrona. 35 Egressique de Hebrona, castrametati
sunt in Asiongaber. 36 Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. 37 E- Supr.
gressique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus Terræ Edom. 38 a. 1.
Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor iubente Domino: & ibi mortuus est anno qua- Sup. 20. 8. d. 25
dragesimo egressionis filiorum Israel ex Aegypto, mense quinto, prima die mensis, 39 Deut. g 50.
cum esset annorum centum viginti trium. 40 Audiuitque Chananæus rex Arad, qui habi-
tabat ad meridiem, in Terram Chanaan venisse filios Israel. 41 Et profecti de monte
Hor, castrametati sunt in Salmona. 42 Vnde egressi, venerunt in Phunon. 43 Profecti-
que de Phunon, castrametati sunt in Oboth. 44 Et de Oboth, venerunt in Ieabarim, quæ
est in finibus Moabitarum. 45 Profectique de Ieabarim, fixere tentoria in Dibongad. 46
Vnde egressi castrametati sunt in Helmondeblathaim. 47 Egressique de Helmondebla-
thaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo. 48 Profectique de montibus Abarim
transierunt ad campestria Moab, supra Iordanem contra Iericho. 49 Ibique castrametati

sunt de Bethsimoth vsque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum, 50 vbi locutus est Dominus ad Moysen: 51 Præcipe filijs Israel, & dic ad eos: Quando transieritis Iordanem, intrantes Terram Chanaan, 52 disperdite cunctos habitatores Terræ illius: confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, 53 mundantes terram, & habitantes in ea, ego enim dedi vobis illam in possessionem, 54 quam diuidetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, & paucis angustiorem. Singulis vt sors ceciderit, ita tribuetur hereditas. Per tribus, & familias possessio diuidetur. 55 Sin autem nolueritis interficere habitatores Terræ: qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduersabuntur vobis in Terra habitationis vestræ: 56 & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.

Deut. 7. 2. Iudic. 2. 1. 2.

VERSUS I. *Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto.* Origenes. Duobus modis potest quispiam spiritualiter exire de Ægypto; vel relinquendo gentilem vitam, & ad cognitionem diuinæ legis accedendo; vel cum anima de corporis huius habitatione discedit. Et gradatim omnes & singulas mansiones ex locorum significatione apprimè exponit; quæ recensentur numero quadraginta duæ. Ex quo aptari possunt Ecclesiæ: quia sicut [A] populus Israel quadraginta duabus mansionibus peruenit ad terram promissionis; & in illis mansionibus multa mala priùs sustinuit ab hostibus: ita Ecclesia per persecutiones, quas quadraginta duobus mensibus sustinebit, perueniet ad terram viuentium. *Omnia enim in figuram contingebant illis.* 1. Cor. 10. Commemoratur ibi illud Apocalypsis de persecutione Antichristi: *Et ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Quibus cohæret illud Danielis 7. *Post tempus, & tempora, & dimidium temporis*; intelligendo cum glossa pro *tempore annum*; pro *tempora, duos*; *& dimidium* tandem; vt suis locis vberiùs.

A Apoc. 1. comment. 2.

Post has ærumnosas mansiones, in suprema quemadmodum legitur hìc versu 50. loquitur Dominus Moysi, vt præcipiat quòd excindantur hostes. *Confringite*, subdit, *titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate: mundantes terrã & habitantes in ea*: siue (iuxta 70. & Chaldęam) *habitabitis in ea*. Vbi signanter dicitur de munditia terræ, eò quòd Isaiæ 65. *via sancta vocabitur*: vnde *non transibit per eam pollutus*. Et sic Sapientiæ 7. de diuinæ Sapientiæ participatione, vt notat Angelicus, [B] *nihil inquinatum intrabit in eam*: & Apocalypsis 21. *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*.

B op. 3. c. 9.

Ex hoc validissimo fundamento & loco citato, & alibi [C] ostendit contra errorem quorundam Græcorum esse post hanc vitam purgatorij locum: siquidem contingit aliquos in hora mortis, aliquibus peccatorum maculis coinquinari, propter quæ tamen æternam inferni damnationem non merentur; sicut sunt peccata venialia, vt verbum otiosum, & huiusmodi. Polluitur autem per peccatum anima in quantùm rebus inferioribus inordinatè coniungitur. Ad minus ergo post mortem propter venialia dilationem gloriæ patientur. Tunc sic ait; nulla est ratio, quare magis hanc pœnam, quàm aliam, concedant animas pati: præsertim quia carentia visionis diuinæ & separatio à Deo, etiam existentibus in Inferno, malor est pœna, quàm sit ignis supplicijs, ergo animæ decedentium cũ venialibus purgatoriũ ignẽ post mortẽ sustinent.

C 4. cont. G. c. 91.

Fortè huic fortissimæ rationi occurrebat aliquis dicens per ignem conflagrationis mundi, qui faciem præcedet Iudicis, esse venialia huiusmodi purganda. Sed instat vlteriùs S. Doctor, quoniam omnino est improbabile vt pro leuibus peccatis, tantam pœnam patiantur in gloriæ dilatione, vt expectetur finalis iudicij dies.

Verùm quia non est adæquata ratio hæc, ex qua ponatur purgatorius ignis; Etiamsi detur, aliquem nullis peccatorum maculis coinquinari vtpotè quia per pœnitentiam, & alia Sacramenta purificatus est; nihilominus necesse est, purgatorium fateri; quia contingit quòd talis purificatio non perficitur totaliter in hac vita, sed remanet adhuc debitor pœnæ, qu'a non potuit, vel quia neglexit, vel quia præuentus est morte: ergone debet statim euolare? gratis illi dimitti? Sic melioris essent conditionis, qui citò morte præoccuparentur, quàm qui diutinam pœnitentiam in hac vita perficiunt; melioris conditionis negligentes quàm soliciti. Cùm ergò non fit diuinæ iustitiæ conueniens, quod illam vlteriùs non exoluat, neque vt pro solutione huius pœnæ vsque ad diem iudicij differatur gloria, oportet ponere aliquas pęnas temporales & purgatorias post hanc vitam ante diem iudicij: sicut & in hac vita quandoque per pęnas purgatorias purgatio completur.

Has duas rationes expendit etiam in alio opusculo [D] in hæc verba. Contingit quando que aliquos pro peccatis commissis, de quibus tamen finaliter pœnitent, pœnitentiam non impleuisse in hac vita. Et quia ordo diuinæ iustitiæ habet vt pro culpis pęnę reddantur, oportet dicere, quòd post hanc vitam animæ pœnam exoluunt, quàm in hoc mundo non exoluerunt. Similiter [E] etiam contingit aliquos ex hac vita decedere sine peccato mortali, sed tamen cum peccato veniali, per quod ab vltimo fine non auertuntur, licèt circa ea quæ sunt ad finem indebitè adhærendo, peccauerint: quæ quidem peccata in quibusdam viris perfectis, ex feruore charitatis purgantur: in alijs autem oportet per aliquam pęnam huiusmodi peccata purgari, quia ad vitam æternam consequendam non perducitur, nisi qui ab omni peccato, & defectu fuerit immunis; oportet igitur ponere purgatorias pœnas post hanc vitam. Habent autem istę pœnæ, quòd sint purgatoriæ ex conditione eorum, qui eas patiuntur, in quibus est charitas, per quam, voluntatem suam diuinæ voluntati conformant, ex cuius charitatis virtute pœnæ quas patiuntur, eis ad purgationem prosunt: vnde in iis, qui sine charitate sunt, sicut in damnatis, pœnæ non purgant, sed semper imperfectio

D op. 2. c. 181.

E loc. cit. c. 182.

ctio peccati remanet, & ideò semper pœna durat.

3 Adducit etiam S. Doctor & opusc. 3. & 4. cont. Gent. allato illud Apostoli. 1. Cor. 3. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem*. Vbi de igne inferni non posse intelligi notat, quia qui illum ignem patiuntur, non saluantur. Et denique id probat vtrobique authoritate Ecclesiæ vniuersalis, quæ pro defunctis orat, qui ritus introductus est ab Apostolis. Quod quidem hauserat ab Augustino, qui vt ipse allegat, in 4.

F 4.45.q. 2.1.2. in sed cont. ° inquit; *non parua est vniuersa Ecclesiæ quæ in hac consuetudine claret, authoritas, vt in precibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad altare funduntur, locum suum etiam habeat commendatio mortuorum: quæ quidem consuetudo ab ipsis Apostolis inchoauit*, *vt dicit Damascenus in quodam sermone de suffragijs mortuorum*, sic dicens: *mysteriorum conscij discipuli Saluatoris, & sacri Apostoli, in tremendis, & viuificis mysterijs memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt, sanxerunt*. Quod etiam, ait S. Doctor, patet per Dionysium qui vltimo cap. cœlestis Hierarchiæ, ritum commemorat quo in primitiua Ecclesia pro mortuis orabatur: vbi etiam asserit Dionysius suffragia viuorum mortuis prodesse, ergo hoc indubitanter credendum est. Item in artic. 2. in sed contra, eundem fert Dionysium, qui 7. cap. cœlestis Hierarchiæ dicit, quòd *Diuinus Sacerdos pro mortuis orans pro illis orat, qui sanctè vixerunt, & tamen aliquas maculas habuerunt, ex infirmitate humana contractas*; sed tales in purgatorio detinentur, ergo.

Item D. Cirillus Ierosolymit. Catech. mysta 5. *Cum hoc sacrificium offerimus, postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt; primum Prophetarum Apostolorum Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras: denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio, sancti illius, & tremendi quod in altari positum est sacrificij*. Tertullianus etiam l. de Monog. *Pro anima eius oret & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis*. Non igitur (inquit Iulius Rugerius de verbo Dei tradito pag. 121.) Pelagius huiusmodi oblationem commemorationem & orationem pro ipsis mortuis instituit, vt mentientes aduersarij, impudentissimè asserebant.

Huic astruendæ veritati, & Ecclesiæ ritui comprobando facit illud Machabæorum 2.c. 12.

G 4.21.1. 1. quod quidem fertur à D. Thoma in eodem 4. ° *Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*: præmittitur autem, quomodo Iudas, *duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum, Sacrificium*. Quæ Scriptura vt vim faciat, cauendus est error qui posset obrepere, si diceretur pro damnatis fuisse sacrificatum; vt in 4. ad Hannibaldum arguendo assumitur in hæc verba; legitur enim 2. Machabæorum, quòd Iudas iussit offerri sacrificium pro mortuis, apud quos inuenerat de donarijs idolorum, quod erat lege prohibitum, & sic mortaliter peccauerunt, & damnati sunt: cauendus inquam est error huiusmodi; quia vt in vtroque scripto respondet, donaria idolorum non fuerunt inuenta apud illos mortuos, sic vt ex eis signum accipi posset, quòd in reuerentiam idolorum ea deferrent; sed ea acceperunt vt victores, quæ eis iure belli debebantur: & tamen per auaritiam, venaliter peccauerunt; vnde non fuerunt in inferno damnati; & sic suffragia eis prodesse poterant. Vel dicendum secundùm quosdam, quòd in ipsa pugna videntes sibi periculum imminere, de peccato pœnituerunt; secundùm illud psalmi 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum*: & hoc probabiliter potest æstimari. Ita D. Thomas.

Huic sententiæ video suffragari quod subijcitur, nimirum; *& quia considerabat quòd ij qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*. Nec desunt viæ aliæ quibus euaditur, non fuisse scilicet sacrificia pro damnatis oblata. Neque iam licet de Canonica libri illius authoritate hæsitare; recepit enim libros vtrosque Machabæorum Concilium Carthaginense 3. Can. 47. nec enim officit scriptos ab Iosepho fuisse, vt ait Hieronymus in Dialogo contra Pelagij hæresim, l. 2. Epis. 16. nihil enim propterea deperit authoritatis libri alicuius, ex quo voluerit Dominus hunc vel illum adsumere scribam: quemadmodum Balaam mouit ad prophetiam, Caipham quoque. D. Thomas in Cant. Proæmio inquit: de causa instrumentali non sic nobis curæ, quia huiusmodi causæ habentur respectu doctrinæ, sicut penna scribentis ps. 44. *lingua mea calamus scribæ*: sicut ergo superstitiosum esset, cum quæreretur de Authore alicuius libri, quærere cum qua penna fuerit scriptus liber; ita quodammodo superstitiosum videtur, quòd aliquis sit multùm solicitus inquirere causas instrumentales scripturæ Sacræ: nā si constat de veritate, quòd liber sit à Spiritu-Sancto, non est magna cura adhibenda ad inueniendum Authorem alium. Quamuis autem præfatum Carthaginense Concilium Prouinciale fuerit, & non vniuersale, postea tamen approbatum & confirmatum fuit per sextam Synodum Oecumenicam, & vniuersalem: vnde & Sancti Patres certatim astipulantur huic veritati: quos recenset Stephanus de Sampaio Ordinis mei in præfatione ad Machabæorum interpretationem, quæ D. Thomæ. Vbi etiam fert primi libri ignorari certum Authorem, secundi verò fuisse Iosephum Marhathiæ filium, vel Philonem Hebræum; pariterque refert Roffensis.

Rogabis, quare alibi in Sacris Scripturis non exprimatur purgatorius ignis? In primis, mitto ad controuersiarum scriptores, inter quos fusè satis Roffensis a. 37. ad id plures expendens Scripturas: deinde respondeo Ecc. 2. haberi, *in igne probatur aurum, & argentum; homines verò receptibiles in camino ignis*: quem locum Diuus Vincentius Ferrerius Sermone vnico Sabbati Sancti, de purgatorio intelligit; & Sermone 2. Septuagesimæ sic exponit: receptibiles scilicet passiuè vt recipiantur in cœlo; vel receptibiles actiuè, eoquòd sunt aptæ ibi animæ recipere nostra suffragia. Quòd si recipere nolit peruicax schismaticus in Canone Ecclesiasticum, non deest alia figuratiuè Authoritas; Exodi siquidem 14. legimus; *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui*. Quod D. Thomas sic glossat, H op. 58 c. 5.

H *qui præcedat te*, scilicet lumen virtutum ostendendo;

dendo; *& custodiat in via*, in igne purgatorij defendendo; *& introducat te*, ad sydera cœlestis Regni perducendo. Neque gratis credatur ita exponi: nam si in confesso est, pro terra promissionis fluente lacte & melle, intelligi cœlorum Regnum, quare in materiali intelligentia viæ sistendum erit? & non vt exposuit.

Neque dicas dumtaxat debere accipi de via vitæ huius, sicut ait Gregorius: in *præsenti etenim vita in via sumus, quà ad Patriam pergimus*; quoniam in hoc mundo pluraliter potiùs vias inambulamus, tùm quia est via veritatis, & iustitiæ, viaque iniquitatis; in quibus custodit nos custos Angelus, quia *non dimittet cum peccaueris*; tùm quia ipsius etiam Domini multiplex via est, iuxta illud psalmi 24. *vias tuas Domine demonstra mihi*: vbi S. Doctor, [I] viæ Domini, quibus itur ad cœlum, sunt præcepta, Matthæi 19. *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Ieremiæ 6. *state super vias vestras*; scilicet, seruate præcepta: vnde & iterum in ps. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*. Quare cum iota vnum aut vnus apex, otiosè sacram non occupet paginam, conuenienter, dum singulariter *in via* perhibetur Angelus Domini custoditurus, de Purgatorij loco, custodia capitur. Docet Angelicus in 4. probabile esse quidem, [L] vt dæmones, exeuntes de corporibus animas ad loca pœnarum comitentur, & assistant purgandis, vt de eorum pœnis satientur; sed non vt illorum ministerio, quorum victores fuerunt, torqueantur: sic ne animabus quodammodo sint infestij, custodiunt & defendunt, ea in via, boni Angeli.

I Ps. 24.

L 4. 21. 1. 5.

Et si dicas iterum defunctorum animas si in purgatorio sint, non esse in via. Respondeo, ex doctrina S. Thomæ, [M] simpliciter non dici esse in via, quasi sint in statu merendi, & proficiendi; [N] nihilominus non defuere qui dicerent (in quorum sententia alibi idem S. Doctor) esse post hanc vitam meritum respectu præmij accidentalis, & sic esse in purgatorio quodammodo in via. Præterqua via æquiuocè dicitur & de spirituali profectu, & de medio seu intermedio statu, qualis est purgatorij locus. Certum est tamen, (quod illustrat superiùs dicta) venialia [O] remitti etiam post hanc vitam non solùm quantùm ad pœnam, sic vt cesset reatus, dum patiendo homo exoluit quod debet: sed etiam quantùm ad culpam, non quidem per pœnam, neque secundùm quòd actu sustinetur, quia non est meritoria, sed eo modo quo remittitur veniale in hac vita, scilicet virtute gratiæ, non solùm secundùm quòd est in habitu, quia sic compatitur peccatum veniale, sed prout exit in actum charitatis in Deum, detestantem peccatum veniale, eique in hac vita commisso repugnantem: & sic tollitur impedimentum venialis culpæ: remissio autem venialium impedientium profectum, per accidens se habet ad eundem profectum: & sic simpliciter non merentur, nec in via sunt. Et ita exponit in 4. d. 45. q. 2. a. 1. q. 2. illud Iob, *semitam meam circumsepsit*.

M De malo 7. a. 11. ad 1. & 6.
N 4. 21. 1. 1. q. 1. ad 4.

O de malo sup. ad 9. & in corp. & 4. 21. 1. 1.

Habemus etiam Leuitici 17. *Dedi vobis sanguinem vt super altare meum expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit*. Quod S. Doctor refert ad animas degentes [P] in purgatorio, dicens: & ideò caro & sanguis Christi rectè pro animabus defunctorum offeruntur, vt à pœna purgatorij, qua pro residuo pœnitentiæ ligati sunt, exoluantur. August. Orationibus, & eleemosinis Sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari non est dubium defunctorum animas releuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt in hoc mundo.

P op. 58. c. 4.

Numeri etiam 16. cū propter populi murmur Dominus misisset incendium, quo plures perierant, accessit Aaron ad mediam multitudinē, quā iam vastabat incendiū; *& stans inter mortuos, ac viuentes, pro populo deprecatus est*. Cur quæso *inter mortuos & viuentes stat Aaron*? Certè nō est cur negetur potuisse id esse, nobisque denarrari, vt inde perspicuum foret, deprecatum fuisse Aaron, non solùm pro viuentibus, sed & pro defunctis, seu mortuis; deprecatus est enim pro populo, qui murmurauerat. Vnde non solùm possibile est (quod ait Abulensis) sed verosimile vt passi diuinam pro meritis vltionem, in ipso interitu pœnituerint, atque adeò, in locum salutis abierint; neque enim de ipsis, tàm acriter fit executio sententiæ, quemadmodum de Dathan & Abiron, qui dicuntur descendisse viuentes in Infernum. Ergò sicuti dicitur in psalmo 77. *cum occideret eos, quærebant eum*; & Numeri 11. tactum est, contriti creduntur mortui, ideò quia in purgatorio, inter viuentes, & mortuos deprecatus est Aaron. Dum stat inter vtrosque medius stat: quod significat communiter se habere, vt inducit Angelicus in 2. Comment. Apocalyps. [Q] ibi; *& in medio septem candelabrorum aureorum*. Q Apoc. 1

Si vrgeant autem, quare sic veluti ænigmaticè, & per consecutionem, purgatorius deprehendatur ignis; & non potiùs dogma de illo patentiùs liqueat. Respondeo, neque de gloria æternæ beatitudinis fieri expressionem in lege, nisi figuratiuè; quamquàm dum de inferno fit sermo, purgatorium satis indicetur, quod infernus similiter dicitur: Gen. 37. *descendam ad filium meum lugens in infernum*. Si non est purgatorius locus, & Limbus similiter, idem cum damnatorum inferno, est illi affinis. [R] Sic Christus dicitur *ad inferos* descendisse: idemque est ignis; quemadmodum ait Gregorius, *eodem igne peccator crematur, & electus purgatur: aurum rutilat, & palea fumat*. Recolendum est tamen ex D. Dionysio ad illud Isaiæ 6. *duabus velabant pedes eius*, &c. quia mysteria futuræ miseriæ nobis ad plenum non reuelantur: & similiter quia facies diuinam essentiam designat, & ea quæ in æternitate fuerunt ante mundi constitutionem, *duabus velabant faciem* sedentis Domini. *Duabus volabant*, quia de ijs, quæ medio tempore aguntur, nos quantùm opus est Angelorum ministerio instruimur, inter quos Seraphin primatum obtinent: & hoc est; *duabus volabant*. Ita ex 4. Sententiar. dist. vltima, vlt. quæst. & articulo in calce. Considerandum autem valde est, pro comperto habitum fuisse suffragia prodesse mortuis apud Iudæos, dum tanquam rem, certè aliàs in praxi & probatam, misit Iudas Hierosolymam, vt offerretur *pro peccatis mortuorum sacrificium*. Aduersùs autem Græcos errantes ad hominem duas fert Sanctorum ex illis Patrum authoritates Angelicus Doctor [S] ad finem opusculi 1. Dicit enim Gregorius Nyssenus in Sermone de defunctis: *Si quis in hac labili vita, peccata pur-*

R 4. 21. 1. 1. 2.

S op. 1.

gare

gare minùs potuit, post transitum hinc, per purgatorij ignis conflationem, citiùs magis ac magis fidelis sponsa sponso dona, & hostias in passionis memoriam offert pro filijs, quos ipsi sponso, verbo & Sacramento rei, præclarè genuit: pœna alacriter expeditur, secundùm quod prædicamus dogma veritatis seruantes, ita & credimus. Item Theodoricus Episcopus Cyren. super illud 1. ad Cor. 3. *Si cuius opus arserit*, &c. sic dicit. *Dicit Apostolus, quòd saluabitur sic tanquam per conflatorium ignem purgantem quicquid interuenit per incautelam vitæ præteritæ, ex puluere saltem pedum terreni sensus; in quo tandiu manet, quandiu quicquid corpulentiæ, & terreni affectus inhæsit, purgetur: pro quo Mater Ecclesia hostias & dona pacifica deuotè offert: & sic per hoc mundus inde priùs exiens, Domino Sabaoth purissimis oculis immaculatus assistit.* En quomodo alter ex ipsis ad pœnæ solutionem agnoscit ignis purgatorij necessitatem; alter pro leuioribus delendis culpis, illud Apostoli expendens; *si quis superædificauerit lignum*, &c. de quo item S. Doctor in 4. d. 21. q. 1. a. 2.

Et hinc aliud præpeditur effugium, dicentium fortè per mortis tolerãtiam, debitam peccatorum solui pœnam. Præterquàm enim falsum est, quia infectioni naturæ ex originali respondet: & omnem difficilè posset compensare pœnam, nisi intensissimè ad id expeteretur; non id potest de venialibus culpis dici, pœna enim suapte natura non delet culpam, aliàs deleret eam in damnatis. Nisi ergo dicatur feruentissimo dilectionis in actu omnes decedere, nequit purgatorium de medio tolli. Quare eatenus necesse est illud fateri, quatenus intensiorem charitatis actum donari vnicuique necesse non est.

VERSVS XXXXXIV. *Quam diuidetis vobis sorte.*

Substantia terræ promissionis committitur sorti. Actor. 13. *& destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum*; non ita quantitas; quia subditur, *pluribus dabitis latiorem, & paucis angustiorem.* De quo etiam suprà Numeri 26. versu 55. Iosue 13. & 19. Sanè docemur in temporalium [T] distributione, quando
T 2.2.95. 1. & Eph. c.1.l.4. & Coloss. 1. l.3.
que licitè reccurri ad sortem diuisoriam, si absit vana omnis obseruatio, quod ad diuinatoriam attinet semper malam, & quieti atque concordiæ, ita studeatur. Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in sinum, & à Domino temperantur*, & 18. *contradictiones comprimit sors.* Ex quo D. Augustinus in 1. de doctrina Christiana dixit, *tolerabilius est, sorte sæcularem Rectorem quærere, quàm populum dissensionibus laborare.* Verùm hic hanc non experimur dissensionem, siquidem Regna Sehor Regis Amorrhæorum, & Og Regis Basan, duæ tribus Gad & Ruben, dimidiaque Manasse acceperunt in diuisionem, absque discordia, vt patet c. præcedenti. Igitur, ne nos littera occidat, iuuat adire Apostolum dicẽtem, *qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Quod quidem refert Angelicus ad electionem diuinæ prædestinationis, ibi ad Coloss. Sors enim nihil aliud est, quàm committere aliquid diuino iudicio. Video autem recensitis omnibus filijs Israel, haberi citato supra c. 26. *istis diuidetur terra iuxtà numerum vocabulorum*; cum tamen citrà Iordanem extrà Chanaan duę tribus & dimidia suas sedes habuerint. Ex his vmbram cerno illius, quod ait Apostolus idem; *vult omnes homines saluos fieri*: quod de voluntate antecedenti accipiunt Scholæ. Video item sorte obtineri terram, Coloss. 1. *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*; verum pluribus dari latiorem; neque id sorti committi: siquidem prædestinationis executio sortem non patitur, quando *satagere* monemur à D. Petro, vt *per bona opera, certam nostram vocationem & electionem faciamus*: pluribus ergo latiorem: quia cum charitas dilatare dicatur, iuxtà illud, *viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilatasti cor meum*: dicente etiam Apostolo, *vt possitis comprehendere cùm omnibus sanctis* Ephes. 3. *quæ sit latitudo* &c. Quod explicat D. Thomas [V] etiam de V Ephes l.l.5.
charitate, quæ se extendit vsque ad inimicos ps. 118. *latum mandatum tuum nimis*: & ps. 17. *eduxit me in latitudinem*; lata est charitas ob suam diffusionem. Et bene de latitudine dicitur, quia gaudium exigit cordis dilalationem: ps. 118. *cum dilatasti cor meum*; & 2. Cor. 6. *cor nostrum dilatatum est*; quando enim affectus quiescit in re amata, tunc animus dilatatur ad plus percipiendam delectationem, vt alibi [X] docet: gloria autem X Psalm 17 & se
per gaudium & lætitiam intelligitur, Isaiæ 51. *gaudium & lætitia inuenientur in ea*, & c. vltimo, *videbitis; & gaudebit cor vestrum.* Denique Dominus; *intra in gaudium Domini tui.*

Vltra hæc tamen secundùm anagogen, subest historialis prudens deliberatio, quia vt tradit Angelicus, [A] circa res possessas optimum est, A p. 2 105.2.
sicut dicit Philosophus 2. Politicorum c. 3. quòd possessiones sint distinctæ: & vsus sit partim communis, partim per voluntatem possessorum communicetur. Inducit autem de hoc capite, *ego dedi vobis terram in possessionem, quam sorte diuidetis vobis*; additque: sed quia per possessionum irregularitatem, plures ciuitates destruuntur, vt Philosophus dicit in 2. Politicor. c. 7. ideò circa possessiones regulandas, inter cætera hoc adhibuit remedium, vt secundùm numerum hominum æqualiter diuiderentur; *pluribus dabitis latiorem, & paucioribus angustiorem.* De sortis huius diuisione plenè Iosue 13. & infrà.

CAPVT XXXIV.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Præcipe filijs Israel, & dices ad eos:
Cum ingressi fueritis Terram Chanaan, & in possessionem vobis sorte ceciderit,
his finibus terminabitur. 3 Pars meridiana incipiet à solitudine Sin, quæ est iux-
ta Edom: & habebit terminos contra Orientem mare salsissimum. 4 qui circuibunt Austra
lem plagam per ascensum Scorpionis, ita vt transeant in Senna, & perueniãt à Meridie vsque
ad Cadesbarne, vnde egredientur confinia ad villam nomine Adar, & tendent vsque ad

Asemona: 5 ibique per gyrum terminus ab Asemona vsque ad Torrentem Aegypti, &
maris magni littore finietur. 6 Plaga autem occidentalis à mari magno incipiet, & ipso fi-
ne claudetur. 7 Porrò ad septentrionalem plagam à mari magno termini incipient, perue-
nientes vsque ad montem altissimum, 8 à quo venient in Emath vsque ad terminos Seda-
da: 9 ibuntque confinia vsque ad Zephrona, & villam Enam. hi erunt termini in parte
Aquilonis. 10 Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan vsque Se-
phama, 11 & de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde
peruenient contra Orientem ad mare Cenereth, 12 & tendent vsque ad Iordanem, & ad
vltimum falsissimo claudentur mari. Hanc habebitis Terram per fines suos in circuitu. 13
Præcepitque Moyses filijs Israel, dicens: Hæc erit Terra, quam possidebitis sorte, & quam
iussit Dominus dari nouem tribubus, & dimidiæ tribui. 14 Tribus enim filiorum Ruben
per familias suas, & tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerum, media quoque tri-
bus Manasse, 15 id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Iordanem contra
…ef. 14. a. Iericho ad orientalem plagam. 16 Et ait Dominus ad Moysen: 17 Hæc sunt nomina
virorum, qui Terram vobis diuident, Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun, 18 & singuli
principes de tribubus singulis, 19 quorum ista sunt vocabula: De tribu Iuda, Caleb filius
Iephone. 20 De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud. 21 De tribu Beniamin, Elidad
filius Chaselon. 22 De tribu filiorum Dan, Bocci filius Iogli. 23 Filiorum Ioseph de
tribu Manasse, Haniel filius Ephod. 24 De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan. 25
De tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach. 26 De tribu Issachar, dux Phaltiel filius O-
zan. 27 De tribu Aser, Ahiud filius Salomi. 28 De tribu Nephthali, Phedael filius Am-
miud. 29 Hi sunt, quibus præcepit Dominus vt diuiderent filijs Israel Terram Chanaan.

VERSVS II. *Cùm ingressi fueritis terram Chanaan, his finibus terminabitur.* Mirum est, quam accuratè præcipit Dominus de limitibus quaque versùm terræ Chanaan, ad tres cœli plagas, nimirum ad meridianum, ad occidentem, & ad septentrionem. Nunquid sine mysterio? absit. Scatent omnia figuralibus intelligentijs. Ecclesiastici 1. *latitudinem terræ quis dimensus est?* Quocircà ferens S. Doctor illud Ephes. 5. *vt possitis comprehendere cùm omnibus sanctis, quæ sit latitudo.* [A] Metaphoricè per latitudinem designatur dimensio, seu extensio virtutis diuinæ super omnia. Et paulò post; sic ergo patet, quod finis fidei, & charitatis nostræ est, vt perueniamus ad perfectam fidei cognitionem, qua cognoscamus infinitam suæ virtutis extensionem. Quamquàm autem exploratum sit, fieri per huiusmodi terram promissionis, sermonem de Regno gloriæ; adhuc id manifestatur, tàm in plagæ meridianæ tractu, quàm in alijs: in parte quidem meridiei, quia vt dicitur Abacuc 3. *Deus ab Austro veniet:* & ecce in litera; *circumbunt Australem plagam*, vt tangit ad Colossenses, [B] dicens, venturum Christum Dominum ad iudicium, allata hac authoritate Abacuc. Innuit autem alibi, [C] splendorem ad Austrum esse: ex quo, aio ego, in Empyrei figuram apprimè aptatur, quod item dicitur empyreum, idest [D] igneum, à luce vel splendore nimirùm. Hinc in nouissimè inuenta Canticorum expositione, ad illa verba [E] *vbi pascas, vbi cubes in meridie*; homines cubant in nocte; Christus autem in meridie cubat, & in plena luce, quia ipse est Deus verus, & *vera lux, & in eo tenebræ non sunt vllæ* p. Io. 1. Item est *splendor gloriæ*, Hebr. 1.

A Ephes. l.1.

B Coloss. l.1.

C Ierem. 1. in fine.

D p.66.

E Cantic. 1.

Sic sequitur in versu 6. de plaga occidentali. Et per hanc cœlum significari indubium est, quoniam in antiqua lege [F] fiebat adoratio ad occidentem, ad excludendam idololatriam; nàm omnes Gentiles in reuerentiam solis adorabant ad orientem; vnde dicitur Ezechielis 8. quòd quidam habebant *dorsa contrà templum Domini, & facies ad orientem*: vnde adhoc excludendum, tabernaculum habebat Sancta Sanctorum ad occidentem, vt versùs occidentem adorarent. Nunc quomodò decenter adoremus ad orientem, alibi docet, [G] vt dictum est Exodi 26.

F p. 2. 102. 4. ad 5.

G 2.2.8. 3.1.

VERSVS VII. *Porrò ad septentrionalem plagam.*

Etiam de septentrione solicitus est Dominus. Puto pariter in typum Regni cœlorum. Nàm dixit superbè Lucifer, *in cœlum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis;* [H] *in lateribus Aquilonis*, idest in Hierusalem, quæ erat ad Aquilonarem partem montis. Vulgatum est autem anagogicè designari per Hierusalem Cœlum. Sequitur in textu; *hanc habebitis terram per fines suos in circuitu*. Quàm benè circuitum commemorat, indicem æternitatis! quemadmodum pollicitus expressè fuerat Genes. 17. *Daboque tibi, & semini tuo omnem terram Chanaan in possessionem æternam*. Omittitur autem describi à Domino limes ad orientem; quia oriens sumitur etiam in malum, non solùm ex nuper dictis; sed etiam quia *sol oritur super iustos, & iniustos*. Matth. 5. *qui solem suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super iustos & iniustos.* Iob etiam idcircò ait c. 31. *si vidi solem cùm fulgeret*. Et de Cain dicitur, Genesis 4. *egressusque Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden*. Vbi S. Thomas. [I] Eden interpretatur voluptas, vel deliciæ: vnde assumit sibi terram voluptuosam. Quò facit, quod ait Angelicus idem ad Coloss: [L] mali partem habent voluptates & temporalia; Sap. 2. *hæc est pars nostra, & hæc sors nostra*. Relicto ergo huiusmodi oriente meridiem perfecti diei suspirari oportet, iuxtà quod legimus Prouerb. 4. *iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectum diem*; qui est, ait Sanctus, [M] dies gloriæ: fertque

H Isaiæ 14.

I Genes. 4.

L Coloss. 1.l.1.

M p. 114.8.

in

N op. 60. a.1. & 7. — in opusculo [N] glossam in hæc veiba : iustorum opera, luce scientiæ peraguntur, & æternam ducunt ad vitam, quæ est perfecta dies. Post hæc non fuerit absonum credere per ternas vnius mundi plagas, Deum trinum in personis & vnum in substantia ediscere, ænigmaticè adumbrari, de quo Iob 11. *longior terra mensura eius, & latior mari*, & tùnc signati limites indicant finitè In beata illa terra participari ipsum infinitum. Nec egrè Sacrosanctæ Triadis personas hæ plagæ præseferunt. De Patre quidem habemus 1. ad Timot. 6. *lucem habitat inaccessibilem*. Potest illud Ecclesiastici 43. aptari, *in meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius, quis poterit sustinere?* Sic quod de plaga occidentali, ad Filium referri debet, qui mortem pro nobis sustinuit, quæ ex D. Thoma [O] figuratur per occasum, secundùm illud ps. 67. *qui ascendit super occasum; Dominus nomen illi*. Sic denique per septentrionalem, Spiritus-Sanctus septiformis munere: quemadmodum à septem stellis Septentrio etymon trahit. Est quippe Spiritus-Sanctus, *in æstu temperies*.

O p. 2. 101. a. 4. ad 5.

Quoniam verò in Patria cognoscendus erit nobis Deus clarè, & secundùm Diuinitatem, & secundùm assumptam humanitatem, quemadmodùm & hic per fidem, Io. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solùm Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*; & Io. 10. *ingredietur*, scilicet in contemplationem Diuinitatis; *& egredietur*, scilicet in contemplationem humanitatis, & secundùm vtramque, exoptatur ab Apostolo Ephesiorum 4. *vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, sublimitas, & profundum*; ideò typum horum quatuor dimensionum metaphoricè in Deo (quæ tactæ sunt prius ab Iobo c. 11. *Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra, mensura eius, & latior mari*; expositeque ibidem [P] à S. Thoma) in præsenti reperio. Loquendo igitur de latitudine per quam vt dictum est, designatur dimensio, seu extensio virtutis, & Sapientiæ diuinæ super omnia; en quomodo insinuatur in litera, in qua legimus *circuibunt australem plagam*: & iterùm; *ibitque per gyrum terminus*. Ipse est, *qua certa lege, & gyro vallabat abyssos*, Prou. 8. & Eccl. 24. *quæ gyrum cœli circuiuit sola*. Per longitudinem, inquit, designatur æterna eius duratio. Et ecce ingentem describi in textu hac, & illac longitudinem, quæ tandem *maris magni littore finietur*. Per sublimitatem (pergit) vel celsitudinem, designatur perfectio, & nobilitas naturæ Dei, quæ in infinitum excedit creaturas. Et ecce in litera *plagam australem, per ascensum Scorpionis*: quod dicitur à collium, & cacuminum curuitate, vt inquiũt Emanuel Sa & Mariana, apud Tirinum, & peruenitur deinde *vsque ad montem altissimum*. Tandem per profundum signatur incomprehensibilitas Sapientiæ eius: & ita *maris magni* fit mentio: patet autem in psalmis pluriès mare dici profundum, Ps. 67. *conuertam in profundum maris*. Et de his quatuor Ecclesiastici 1. *dies sæculi quis dinumerabit? altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit?*

P Ephes. 3. l. 5.

Quoad occidentalem plagam de Christi morte, *à mari magno incipitur*, & ipso fine clauditur: ipse quippe ait, *veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*. Ps. 68. Alias etiam de hoc mundo ait Psalm 103. *hoc mare magnum, & spatiosum manibus*: ipse est etiam qui dicit, *veni in mundum*, quamquam *in mundo erat: & mundus per ipsum factus est*. *Ipso fine claudetur*: cum dixit, *consummatum est*. Iob 38. *quis conclusit ostijs mare?* Lucæ 22. *etenim ea quæ sunt de me, finem habent*. Has autem dimensiones adinuenit S. Doctor in Crucis mysterio dicens: [Q] Ibi est *latitudo*, scilicet in ligno transuerso, cui affixæ sunt manus; ibi est *longitudo*, in ligno erecto, cui innititur totum corpus; ibi est *sublimitas*, in ligno superiori, cui caput inhæret; ibi etiam est *profundum*, in ligno, quod latet sub terra, & sustinet Crucem, & tamen non videtur. Præmittit autem quòd Christus elegit mortem Crucis; quia perfectio charitatis in ea elucet; charitas enim dilatatur vsque ad inimicos: longitudinem habet, quia nunquam excidet: sublimitatem, cùm propter se ipsum Deus diligitur, non propter temporalia: profunditatem, quantùm ad originem: nam hoc, quòd Deum diligimus, non est ex nobis, sed à Spiritu sancto, qui vt dicitur Rom. 5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Ex quibus (missis alijs) satis apparet etiam Diuinitati Spiritus-Sancti interminas dimensiones, nobis finitè cognitas, conuenire: nàm & ad Septentrionalem plagam, *à mari magno termini incipiũt*, vt in litera patet: in mari autem magno, non est difficile quatuor has dimensiones lati, longi, sublimis, & profundi adinuenire.

Q Ephes. 3. l. 5.

VERSVS XIII. *Hæc erit terra, &c. quam iussit Dominus dari nouem tribubus & dimidiæ tribui.*

Pulsat nouenarius iste numerus corda, & nouem Angelorum Choros cœlestis Regni possessores videtur suggerere: quibus si addatur dimidia Manasse tribus, mirum non fuerit; eo quòd Matthæi 18. & Lucæ 16. nonaginta nouem ouibus, idest Angelis, hoc vnum deerat, vt reparatus homo associaretur. Benè autem *dimidiæ tribus* symbolo designatur humanum genus, quia rationalis anima semi Angelus veluti est; & intellectualis quidem naturæ, sed vt loquuntur Scholæ, semisubsistens. Est autem dimidia tribus Manasse, (qui ex alio etiam loco [R] interpretatur *obliuio*) per antiphrasim; quoniam de nobis in figura populi dicitur Isaiæ 49. *nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui*. Et in ps. 136. *adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*. Nisi obliuio eatenus memoretur, quatenùs miseraturus Dominus ait per prophetam Ezechielem, c. 18. *omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor*. Iuuat itaque credere & Sanctissimæ Trinitatis mysterium, & beatæ illius terræ, quam promiserat statum, voluisse Dominum figuris huiusmodi, & analogijs, quoties offerretur occasio, delineare. Hebræor. 1. *multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis*.

CAPVT XXXV.

1 HAec quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Ior-
[Iof. 21. 2.] danem, contra Iericho. 2 Præcipe filijs Israel, vt dent Leuitis de possessionibus
suis, 3 vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: vt ipsi in
oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac iumentis: 4 quæ à muris ciuitatum forin-
secus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur: 5 contra Orientem duo millia erunt
cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad
Occidentem, eadem mensura erit, & Septentrionalis plaga æquali termino finietur, erunt-
[Iof. 20. c.] que vrbes in medio, & foris suburbana. 6 De ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, sex
erunt in fugitiuorum auxilia separata, vt fugiat ad ea, qui fuderit sanguinem: & exceptis
[Deut. 4. 4.] his, alia quadraginta duo oppida, 7 id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis.
8 Ipsæque vrbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his, qui plus habent,
plures auferentur: & qui minus, pauciores, singuli iuxta mensuram hæreditatis suæ dabunt
[Deut. 19. 2.] oppida Leuitis. 9 Ait Dominus ad Moysen: 10 Loquere filijs Israel, & dices ad eos: 11
[Iof. 20. a.] Quando transgressi fueritis Iordanem in Terram Chanaan, decernite quæ vrbes esse de-
beant in præsidia fugitiuorum, qui nolentes sanguinem fuderint: 12 in quibus cum fuerit
profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis,
& causa illius iudicetur. 13 De ipsis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorum subsidia separan-
tur, 14 tres erunt trans Iordanem, & tres in Terra Chanaan, 15 tam filijs Israel, quàm
aduenis, atque peregrinis, vt confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit. 16 Si quis
ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est: reus erit homicidij, & ipse morietur.
[Deut. 19. 11.] 17 Si lapidem iecerit, & ictus occubuerit, similiter punietur. 18 Si ligno percussus inte-
[Iof. 20. 2.] rierit: percussoris sanguine vindicabitur. 19 Propinquus occisi homicidam interficiet, sta-
tim vt apprehenderit eum, interficiet. 20 Si per odium quis hominem impulerit, vel iece-
rit quippiam in eum per insidias: 21 aut cum esset inimicus, manu percusserit, & ille mor-
tuus fuerit: percussor, homicidij reus erit, cognatus occisi statim vt inuenerit eum, iugula-
bit. 22 Quòd si fortuitò, & absque odio, 23 & inimicitijs, quidquam horum fecerit, 24
& hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem, & propinquum san-
guinis quæstio ventilata: 25 liberabitur innocens de vltoris manu, & reducetur per sen-
tentiam in vrbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo
sancto vnctus est, moriatur. 26 Si interfector extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ
sunt, 27 fuerit inuentus, & percussus ab eo, qui vltor est sanguinis: absque noxa erit qui
eum occiderit, 28 debuerat enim profugus vsque ad mortem Pontificis in vrbe residere:
postquam autem ille obierit, homicida reuertetur in terra suam. 29 Hæc sempiterna erunt,
& legitima in cunctis habitationibus vestris. 30 Homicida sub testibus punietur: ad vnius
testimonium nullus condemnabitur. 31 Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sangui-
nis, statim & ipse morietur. 32 Exules, & profugi ante mortem Pontificis nullo modo
in vrbes suas reuerti poterunt: 33 ne polluatis terram habitationis vestræ, quæ insontium
cruore maculatur: nec aliter expiati potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem
fuderit. 34 Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum: ego enim
sum Dominus, qui habito inter filios Israel.

IN hoc capite de sex refugij ciuitatibus fit primò sermo: ad quas scilicet, qui casuale patrassent homicidium, fugientes immunes erant: exules tamen à patria, donec summi Sacerdotis mors accideret. Tùnc quippe liberi redibant ad propria, ab vltione propinquorum occisi, securi: cuius litteralem rationem meditatur Angelicus dicens, [A] quia in vniuersali damno populi, consueuerunt particulares iræ sedari: & sic proximi defuncti non sic proni erant ad eius occisionem.

[A p. 2. q. 105. 2. ad 10.]

Verùm superficialis horum intelligentia haud explet animam. In hisce fugitiuorum subsidijs, non esse in cortice standum satis indicat Spiritus-Sanctus, dùm non priùs designantur in asyla vrbes, quàm fuerint Leuiticis in possessionem: per manus ergo Leuitarum talia cuique dantur effugia. Prætereà sex decernuntur hìc vrbes, & tamen tres vult primò designari per Moysen trans Iordanem, vt patet Deuteronomij 4. v. 42. ad orientalem scilicet plagam de possessis à tribu Ruben, Gad, & Manasse: tres autem Deuteronomij 19. seorsim iubentur. Iterumque ibidem nullibi expressas, tres alias pollicetur v. 8. & infrà: cùm tres hactenùs innominatæ, ex sex aliquando coeligantur, vt patet Iosue 20. Quidnam sit mysterij Deo dante studeamus vestigare. Per mortem Summi Sacerdotis literaliter non potest esse dubium, Christi mortem significari, qui est *Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech*. Hinc Sanctus Doctor, [B] quærens, Vtrum Christus sua passione aperuerit nobis ia-

[B 3. p. 49. a. 5.]

nuam cœli, responsurus affirmatiuè hæc habet: prohibebantur homines ab ingressu Regni cœlestis propter peccatum, quia sicut dicitur Isaiæ 35. *via sancta vocabitur, & non transibit per eam pollutus*. Est autem duplex peccatum impediens ab ingressu Regni cœlestis, vnum quidem commune totius humanæ naturæ, quod est peccatum primi parentis; & per huc peccatum præcludebatur homini aditus Regni cœlestis: vnde legitur Genes. 3. quòd post peccatum primi parentis, *collocauit Deus cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*. Aliud autem est peccatum speciale vniuscuiusque personæ, quod per proprium actum committitur vniuscuiusque hominis. Per passionem autem Christi liberati sumus, non solùm à peccato communi totius humanæ naturæ, & quantùm ad culpam, & quantùm ad reatum pœnæ, ipso soluente pretium pro nobis; sed etiam à peccatis proprijs singulorum, qui communicant eius passioni per fidem & charitatem, & Sacramenta, & ideò per passionem Christi aperta est nobis ianua Regni cœlestis; & hoc est quod Apostolus dicit Hebræor. 9. quòd *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta*: quod figuratur Numeri 35. vbi dicitur quòd homicida manebit ibi, scilicet in ciuitate refugij, donec Sacerdos magnus, qui oleo sancto vnctus est, moriatur. Hoc ipsum in

C op.60. 18. opusculo [C] tradit; præmissa etiam alia authoritate ad Hebræos 10. *habemus fiduciam in introitum Sanctorum in sanguine Christi*: in figura (inquit) huius Num. 35. homicida manebat in ciuitate refugij, donec Sacerdos magnus, qui oleo vnctus est, moriatur; additque glossam, *in Cruce*. Hinc ad Christi mortem id iterum referens astruensque recuperatam nobis libertatem, ali-

D op.58. 19. bi, [D] ait: legitur Numeri 35. quòd homicidis expulsis de terra sua, non dabatur libertas redeundi nisi post mortem summi Sacerdotis. Et certè nisi ad Christum alluderetur, qui vnctus est *oleo lætitiæ pre consortibus, seu participibus suis*, superuacaneum videretur, id in præsentiarum apponi, cum liqueret satis, summum Sacerdotem inungi.

S Ex his deducitur, peccatum potissimè insinuari primi parentis. Quocirca recolendum est quod inquit Dominus Io. 8. de Diabolo; *ille homicida erat ab initio*. Vbi D. Thomas: [E] sciendum est, quòd non ferro accinctus Diabolus

E Io. 8. l. 6. occidit hominem, sed mala persuasione, Sap. 2. *inuidia diaboli, mors intrauit in orbem terrarum*: & primò quidem introiuit mors peccati ps. 33. *mors peccatorum pessima*: deinde verò corporalis Rom. 5. *per vnum hominem peccatum intrauit, & per peccatum mors*. Et, vt dicit Augustinus, *noli putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades*: hæc D. Thomas. Vnde colligitur, Heuam quoque fuisse homicidam suadendo viro, vt comederet: & Adam pariter homicidij interimini reum, vtpote per quem introierunt peccatum & mors: immo homicida fuit sui ipsius, quia Ecclesiastæ 7. *fecit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus*: vnde Augustinus in Enchiridio ad Laurentium Tomo 3. percurrens peccata multa in vno Adæ peccato inquit: *illic est homicidium, quia semetipsum præcipitauit in mortem*. Veruntamen quia non malitia, aut inuidia, vt Diabolus, vniuersam suam sobolem peccando occidit, complacuit Dominus sibi prouidere illi de asylis: quod & nobis similiter præstitit, verè homicidis, quia *peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*: quamquam secundùm quid, inuoluntarijs; cùm spiritualis directè non intendatur mors animæ, siue auersio à Deo, qui est animæ vita, sed magis conuersio inordinata ad commutabile bonum.

Habemus paradigma in praxi, huiusmodi præter animum homicidij Deuteronomij 19. *qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri, & nudiustertius, nullum contra eum odium habuisse comprobatur; sed abiisse cum eo simpliciter in syluam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percusserit, & occiderit; hic ad vnam supra dictarum vrbium confugiet, & viuet*. En quomodo ligni occasione occiditur proximus; quemadmodùm ex ligno vetito mors inualuit in omnes. Eguit ergo Adam, & nos ex illo indiguimus ciuitate refugij, ne æterna morte Deo vindice periremus: quin potiùs post hoc exilium, reduces tandem essemus.

Sex istas urbes, si allegoriam teneamus, non tàm facilè reperimus. D. Gregorius apud Lauretum in appendice de Numeris ad Syluam allegoriarum, docuit sic distribui; vt Prima sit cognitio verbi, & ad imaginem eius forma viuendi. Secunda, consideratio diuinæ operationis, qua creatus est mundus. Tertia, contemplatio potestatis regiæ, & maiestatis æternæ. Quarta, propitiationis diuinæ contuitus. Quinta, legis diuinæ contemplatio, quæ præcipit quid faciendum sit. Sexta, portio legis, quæ præscribit, quid non faciendum.

Verùm ipse hac non contentus interpretatione, considerare velim libenter, iuxta ea quæ dicta sunt, qui sint profugi isti. Sunt autem Adam, & soboles humani generis, ex peccati reatu: inundarunt homicidia: propinquus mortui hominis, est Deus vltor; *ipsius enim & genus sumus*: (quod probat Paulus Act. 17.) *In peccatores respicit ira illius*, Eccles. 5. Oportet igitur maturare fugam. *Hei mihi Domine quia peccaui nimis; quid faciam miser? vbi fugiam, nisi ad te Deus meus?* inanis est alia omnis euasio: *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero ad infernum, ades*: Itaque vt simus in tuto, ad ipsum est accedendum: ex ipso ad ipsum currendum, & recurrendum. *Deus noster refugium, & virtus*: *Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu*. Ad hanc perficiendam fugam sex ex S. Doctore [F] requiruntur, & sufficiunt actus: quos quidem in vr- F 5. p. 85. 1.

bium figura, crediderim præsignari. Quorum actuum (inquit) primum principium est Dei operatio conuertentis cor, secundùm illud Thren. vltimo; *conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: vnde alibi [G] docet, ad iustificatio- G p.2.113 1.

nem impij, requiri arbitrij motum. Pergit Sanctus Doctor. Secundus actus est motus fidei; de quo iterum dixerat in prima secundæ sequenti articulo 4. ferens authoritatem Pauli Roman. 5. *iustificati igitur ex fide*, & Hebræor. 11. *accedentem ad Deum, oportet credere*. Tertius est motus timoris seruilis, quo quis timore suppliciorum à

pec-

peccatis retrahitur. Hæ sunt ciuitates tres trans Iordanem ad orientem: quas Adam & filij eius in tempore legis naturæ, & legis scriptæ habuerunt: ideò (opinor) designantur à Moyse Deuteronomij 4. quia *lex per Moysen data est*. Ante transitum Iordanis; hoc est, ante gratiæ Euangelij, & baptismi tempus, tria illa duntaxat effugia patebant homini, vt fugeret ab ira; conuerti scilicet in Deum, & ad Deum: Credere, *Deum esse*, & quòd *inquirentibus se remunerator est*, Hebr. 11. requiritur etiam ad iustificationem impij ex p. 2. citata, actus fidei, quantùm ad hoc quòd homo credat Deum esse iustificatorem hominum, per mysterium Christi. Prætereà actus timoris proprius erat pristini status: iuxtà quod ait Augustinus; *breuis est differentia legis, & Euangelij, timor, & amor*; Ecclesi. 1. *timor Domini expellit peccatum*. Post transitum Iordanis, ad occidentem scilicet, quia in occasu sæculi sumus, tres aliæ nobiliores sunt ciuitates, quas non habuere prisci, vi legis scriptæ, aut naturæ. Quartus actus est actus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Inquit
1 op.60. 9. D. Bernardus, & refertur in opusculo: [u] *Quis non rapiatur ad spem impetrandi veniam, qui attendit crucifixi corporis positionem? Caput inclinatum ad osculandum; brachia extensa ad amplexandum; manus perforatas ad largiendum; latus apertum ad diligendum; pedes affixos ad nobiscum semper manendum*. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundùm se ipsum, & non iam propter supplicia. Sextus actus est motus amoris filialis, quo propter reuerentiam Dei, aliquis emendam Deo voluntarius offert: quod ipse intelligo, dùm se per bona opera exercet. Hæ sunt ciuitates refugij tres aliæ, ad quas si quis confugit, se ab ira Dei tuetur: quæ non à Moyse, sed ab Iosue designantur; quia *gratia, & veritas per Iesum Christum*, cuius fuit Iosue typus, *facta est* Io. 1. Ideò fortè ob earum dignitatem ac securitatem ab ira Dei, sunt in Montibus sitæ, vt patet Iosue 20. non sic aliæ trans Iordanem ad orientem. Quòd si qui in antiqua lege spe pollebant, charitate feruebant, & meritorijs operibus insudabant, ad nouam, vt dictum est in Exodo c. 19. spectabant legem, quæ est lex amoris, datque virtutem operandi, quod lex scripta nequibat: Rom. 8. *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem*: cùm tamen diceretur, *lex mandatorum* Ephes. 2. Idcircò autem in vnaquaque securitas erat, quia ipsum confugium ho-
1 p. 2. 11.1. minis ad Deum, vt ait S. Doctor, [t] est per motionem diuinam, quam iustum est non deficere.

Videtur autem huic expositioni conferre nominum interpretatio. Prima ciuitas est *Bosor*, idest *munitio*: En quomodo primum actum redolet conuersionis in Deum: *conuertimini ad me*: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Secunda, *Ramoth in Galaad*: *Galaad*, interpretatur, *aceruus testimonij*; ideò benè actui fidei respondet, dicente Dauid, *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Tertia est *Gaulon in Basan*. *Basan* inter alias interpretationes sonat *turpitudinem*: ex turpitudine autem peccatorum, certè nouit se peccator abominabilem Domino, iuxtà illud Osee, *facti sunt* c. 9. *abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*: Ex his nequit non timere: *timui*, ait Adam, *eò quod nudus essem*. Ad incutiendum timorem facit quod habetur Ezechielis 16. *nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam*. Quarta ciuitas & prima trans Iordanem Iosue 20. est *Cedes*; idest *Sanctitas*; videtur autem actui spei attribui posse sanctitatem, quoniam Rom. 5. *Spes non confundit*. 5. Machabæor. 2. *omnes qui sperant in illo, non infirmantur*; Ecclesiastici 2. *nullus sperauit in Domino & confusus est*: hinc Matthæi 9. *confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Quinta Ciuitas est *Sichem*: quod interpretatur, *humerus*; & actus quintus ei quadrat, qui est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum, & non iam propter supplicia. Concernit autem huiusmodi actus dilectionem Dei, quæ cùm innotescat ex proximi dilectione, per *humerum* significatur, quo proximum amanter portamus, ac supportamus: vnde Iob 31. *Si despexi pereuntem, & pauperem, humerus meus à iunctura sua cadat*. Sexta Ciuitas est *Hebron*, idest *societas*, sextumque refert actum, quo emendam suam voluntariè pœnitens Deo offert: certè iustitiæ operibus satisfactoriè impletis, ex quorum participatione, iuxtà illud ps. 118. *particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*, societas & Sanctorum communio roboratur: Matthæi 3. *quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* ac si diceret: effugium non est, nisi quod adijciam, *facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*. Huiusmodi est asylum fugientibus securitatis. Ratus sum autem, idcircò hæc scripta esse: vt edoceremur excidisse Adam, nosque cùm illo, à vera promissionis terra, per homicidia exules: quemadmodum accidebat Israelitis & aduenis perdere quam possederant libertatem. De tribus alijs ciuitatibus, quas Dominus pollicetur, Deuteronomij 19. suo loco.

CAPVT XXXVI.

Supr. 27 1. 1 ACcesserunt autem & principes familiarum Galaad filij Machir, filij Manasse de stirpe filiorum Ioseph, locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt: 2 Tibi domino nostro præcepit Dominus, vt Terram sorte diuideres filijs Israel, & vt filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri: 3 quas si alterius tribus homines vxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum, de nostra hereditate minuetur, 4 atque ita fiet, vt cum iubileus, id est, quinquagesimus annus remissionis aduenerit, confundatur sortium distributio, & aliorum possessio ad alios transeat. 5 Respondit Moyses filijs Israel, & Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Ioseph locuta est. 6 & hæc lex super filiabus Salphaad à Domino pro-

mul-

mulgata est·Nubant quibus volunt, tantùm, vt suæ tribus hominibus: 7 ne commisceatur Tob. 71. d. 24.
possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri, ducent vxores de tribu, & co-
gnatione sua: 8 & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient: vt hereditas perma-
neat in familijs, 9 nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, 10 vt à Domino separatæ
sunt. Feceruntque filiæ Salphaad, vt fuerat imperatum: 11 & nupserunt Maala, & Ther-
sa, & Helga, & Melcha, & Noa filijs patrui sui 12 de familia Manasse, qui fuit filius Ioseph,
& possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu, & familia patris earum. 13 Hæc
sunt mandata, atque iudicia, quæ mandauit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in
campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho.

IN hoc capite lex traditur super filiabus Salphaad, qui filios non habuit, sicut patet Iosue 17. vt nubant tantùm suæ tribus hominibus: subiungiturque idem de alijs, *omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua; & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient*: & hoc, ne commisceatur possessio, si filiæ, quæ nubere debent, ad aliam tribum tulerint dotem; & ne sibi etiam misceantur tribus (quod statim adiecit) *sed ita maneant vt à Domino separatæ sunt.* Memorata huius legis promulgatione, quam probè id factum sit, vt scilicet mulieres hæredes nubant suæ tribus hominibus, vide D. Th. [A] Hoc vniuersaliter ergo obseruatum est: nisi speciali aliqua indulgentia & Dei permissione secùs acciderit: de quo interpretes; ipseque nonnihil dixi Genes. 49.

A p. 2. 105. 2.

Credendum est autem noluisse Dominum passim fieri connubia, nisi inter eiusdem tribus atque familiæ, vt quoniam non erat consuetum apud Hebræos, & Gentiles genealogiam texere per mulieres, vt obseruat Angelicus in Matthæum, [B] saltem ex hoc deprehenderetur Christum Dominum esse de tribu Iuda, quoniam talis erat Ioseph, cui Maria nupserat. Quamuis alias Beata Virgo fuerit ex tribu Iuda per familiam Dauid, non solùm per lineam maternam, sed etiam per Paternam, per Nathan scilicet, vt docet Ambrosius l. 3. in Lucam, & Damasc. l. 4. c. 15. & Bernardus homilia 2. de Beata Virgine, & in Sermone *Signum magnum*, Petrus Damianus Serm. 3. de Mariæ Natiuitate, (tu adde Epiphanium de laudibus Deiparæ: *de radice Iesse ortus est Rex Dauid, & de tribu Regis Dauid sancta Virgo*) & alij complures apud Canisium l. 1. sui Marialis c. 3. quicquid garriant Erasmus, Osiander, Caluinus, & alij hostes Beatæ Virginis, referente Rutilio Benzono, *in Cant. Magnificat*, l. 1. c. 18. non multùm longe à principio.

B Matthæi 1.

Quoniam verò possessiones singularum tribuum statuit Dominus omninò esse inconfusas, & impermistas, sic vt etiam venditæ, iubilæi anno redirent ad Dominum legitimum suum; iuuat, (quod alibi dictum est) recolere, [C] æterna bona in veteri lege fuisse sub figuris temporalium significata, Hebræor. 10. *vmbram habens lex futurorum bonorum*. Quare in hac tam firma possessionum manutentione, non fuerit absonum immobilitatem, & certitudinem diuinæ prædestinationis intelligere: vnde si prædestinatus quandoque peccato victus, secundùm præsentem iustitiam deleatur de libro vitæ; attamen simpliciter fixa est illius electio; ideoque Leuitici 25. iubilæi anno, hoc est remissionis, recuperat, diuino nutu, quæ priùs amiserat. Deinde potest id accipi eo sensu, quo dicitur Apocalyps. 3. *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*: ex quo monemur vigilanti studio salutis nostræ negocium perpendere, & sancta industria operari: cauendum est enim nobis, ne benedictionem illam demereamur, *quam repromisit Deus diligentibus* se; & ne Chanaanitidem spiritualem, cuius cohæredes sumus in Christo, sic contemnamus, vt ex oscitanti vecordia, neglectuque inerti, illud improperari audiamus: *Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum*, Osee 13. Quin potiùs *satagentes, vt per bona opera, certam nostram vocationem, & electionem faciamus*, suaue illud melos insonet auribus Matthæi 25. *possidete paratum vobis Regnum à constitutione Mundi*: quò nos perducat qui est benedictus in sæcula. Amen.

C 3. 42. 1. 4.

FRATRIS INNOCENTII PENCINI VENETI

Ordinis Prædicatorum, Diui Thomæ Aquinatis collectoris, ac interpretis, in Librum Deuteronomium

PROLOGVS.

CEruicosam Iudaicæ generationis indolem increpant sæpè, obiecta cordis duritie, Prophetæ & Moyses; quemadmodum & Stephanus Actorum 7. dura, inquit, ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus. Vos semper Spiritui-Sancto restitistis: sicut Patres vestri, & vos. Verùm hìc, præterquàm pluriès, exaggeratione quadam fieri compertum est: dum cap. 9. legimus; cum durissimæ ceruicis sit populus; & iterum 31. scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam: vbi palam præponitur hebraicæ voci Casseh litera He, qua consueuerunt superlatiua exprimere. Innotescet causa, si libri huius quid rei, quidque nominis eius assequamur. Apud Rabbinos dictus est liber Misnè Hathoràh ex cap. hìc 17. & Iosue 8. secunda lex, siue repetita lectio. Idcircoque conflatum esse arbitrantur, vt memoriæ succurreretur promptè, si quid excidisset præcipuum; pubesque inerudita edoceretur. Enchiridion ergo veluti, compendium, Decalogi commentarium, & ex nostris putant. Cæterùm non his plenè acquieuerim; siquidem maioribus iniunctum non semel reperio, de filijs legalium doctrina imbuendis; sicuti Exodi 12. cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista Religio? dicetis eis; victima transitus Domini est, &c. & cap. 13. cumque interrogauerit te filius tuus cras dicens, quid est hoc? respondebis ei; in manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegypti, &c. Leuitici 10. doceatisque filios Israel, omnia legitima mea. Non igitur eo dumtaxat fine, est Deuteronomij liber rescriptus; sicut nec perperam in præcedentibus pleraque repetuntur; nec enim nudam iterationem Sacra hæc patiuntur mysteria; cùm nec in profanis, nisi figuris Rhetorum, obseruetur. Præterquam cur hæc, non illa inculcentur? Quorundam sanè planior mihi visa est ratio innouationis; puta cur tribus vicibus; non coques hędum in lacte matris, præcipiat; nimirùm Exodi 23. v. 19. cap. 34. v. 26. & iterum Deut. 14. v. 21. existimari siquidem potest triplici variaque ex causa, quam postremo in loco expendi, scilicet ad crudelitatem vitandam, ad rituum infidelium detestationem, atque ad assentationem blandientium remouendam. Sic vnum idemque theorema Physicus, & Astrologus promunt; terra est rotunda; sed, quod inquiunt, diuerso ex medio: alterum eoquòd, quo licet eis conatu, sese conglomerant terræ partes, grauitantes ad centrum; alterum, quia lunari in eclipsi orbicularis perspicitur terræ vmbra. Veruntamen quali studio coagmentauerit Moyses Deuteronomium, ipsum patefacit nomen, quod illustratorium in titulum, infallibili Sancti Spiritus ductu, ipsi Ecclesia imposuit. Certè ex Sancto Beda nouata lex interpretatur, siue secunda lex, aut iteratio legis Deuteronomium; græca enim isthæc appellatio, latinè redditur lex secunda. non quòd duæ sint leges Iudæorum, sed quia est Euangelicæ legis præfiguratio: quod alt Hieronymus in Epistola ad Paulinum presbyterum ca. 7. siue Meditatoriũ Euangelij; ad Fabiolam, de 42. mansionibus, circa finem. Sic etiam nõnulli Hebræorum meditatorium legis dicunt, ex sancto Beda, & glossa apud Hugonem, lex Deuteronomij, siue lex Euangelij. Et ecce originem specialis prædictionis Mosaicæ de durissima Iudæorũ ceruice: quãuis enim reluctanter audiant, legalia omnia typũ fuisse futuri, nihil tam obstinato animo ferunt, vt eorum legi noua superuentura astruatur; quod in Deuteronomio introspicitur, in quo mentio fit plurima dogmatum, quæ peracta per Crucem redemptione, scisso Templi velo, clarescunt. Sed quod ait D. Paulus 2. Cor. 3. obtusi sunt sensus eorum vsque in hodiernum diem; id ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum; (quoniam in Christo euacuatur) sed vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Carnales cortici addicti, non expendunt, quod hìc imò inquit Moyses c. 4. hæc est vestra sapientia, & intellectus, & Prouerb. 6. Salomon, mandatum lucerna est, & lex lux; qua scilicet, occulta erant manifestanda: ex quo in lege dicitur meditaturus fidelis die ac nocte.

Sacræ

Sacræ Theologiæ expertes, & acerrimi hostes, putant fore Deum mutabilem, (quod Scripturis repugnat, Numeri 23. non est Deus vt filius hominis, vt mutetur; *Malachiæ* 3. ego Dominus, & non mutor) *si extinctionem traditæ legis voluisset: neque animaduertunt, diuersum omninò esse*, mutari Deum; & Deum velle mutationem: *de quo D.Thomas p.p.q.* 19. 7. *Aiebat Augustinus Epist.* 5. *ad Marcell.* mutato præcepto, Deus non mutat instructionem. *Nunquid factus est Deus mutabilis, dùm* posuit hominem in Paradisum voluptatis, *& inde ipsum eiecit? Nunquid cùm primogenitorum loco assumpsit Leuitas, cùm transtulit Sacerdotium ab Heli ad Samuelem, ab Abiathar ad Sadoch? Nunquid cùm traduxit cultum à Silo in Ierusalem, de Tabernaculo in Templum? absit. Sanè docet Apostolus, ex illo psalmi* 109. Tù es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; translato sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat. *Quod ne gratis dici improperet contumax reliquiarum Iudææ proteruia, ineluctabilia in medium producuntur Scripturæ loca. Ieremias c.* 31. *cum Apostolo Hebræor.* 8. *sic eloquitur*; feriam domui Israel, & domui Iuda fędus nouum; non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus vestris *&c.* dabo legem meam in visceribus eorum. *Isaias c.* 42. & legem eius insulæ ex pectabunt: *cap.* 51. lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum: *& priùs c.* 33. Dominus legifer noster. *Vbi Septuaginta interpretes transtulerunt tenaces pristinæ legis*, & in nomine eius Gentes sperabunt: *cùm tamen* vldoradò *palam sonet* & legem eius. *Itemque cap.* 2. *vbi ait*: de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem: *vbi manifestè aliam expectandam fuisse legem prænunciat: prior siquidem de Horeb, siue de Sinai exierat.* De Sion *autem exisse dicitur lex Euangelica; per hoc quòd Apostoli ipsam promulgaturi, in cænaculo Sion, Spiritum-Sanctum receperunt; vt explicat D. Thomas Roman.* 11. *Lect.* 4. *At quid alios quærimus dum Moyses ipse apertè hic cap.* 18. *de alia futura lege, deque alio legislatore fert testimonium?* Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies. Vt petisti à Dño tuo in Horeb, *&c.* & ait Dominus mihi; benè omnia sunt locuti; Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; & ponam verba mea in ore eius *&c. Hunc in expectatione habuere semper prisci Iudæorum rectè sentientes: & propterea interrogauerunt Ioannem;* Propheta es tu? ille *scilicet? vnde in græco ponitur articulus: & Ioann.* 7. hic est verè Propheta. *hunc intendendo de quo nuper Moyses. Christo autem prophetiam tribuunt hac ex authoritate* 3. *par. q.* 7. *a.* 8. *Mirum est autem, quomodo vsurpet Spiritus-Sanctus vocem eam* suscitabit, *ac si diceret*, me præmortuo.

Mors Moysi hoc in Deuteronomio refertur cap. vltimo; mortuus est ibi Moyses seruus Domini. *Quamquam autem sic expressè de ipsius morte fiat mentio, etiam cap.* 31. *vbi ipsemet*, noui quod post mortem meam iniquè agetis, *inquit Augustinus in Ioann. Tract.* 124. *non defuisse asserentes, proinde etiam credentes eum adhùc viuere: quod putarunt etiam Ambrosius Catarinus, aliique citati à Suarez in* 3. *part. q.* 45. *a.* 3. *quoniam scilicet scriptum est*; & non cognouit homo sepulcrum eius, vsque in præsentem diem: *ex quo apparuerit in Monte Matthæi* 17. *cum Elia, quem mortuum legimus non esse, sed raptum*: quasi verò, *subdit Augustinus*, non potuerit alicubi sic abscondi, vt prorsùs homines lateret vbi esset, atque inde ad horam diuinitus excitari. *Atqui hoc etiam gratis dato, concesso nunquam: mysticè, mortuum esse quis neget? cautata scilicet metonymia, vt flet pro lege?* Lex, & Prophetæ *Lucæ* 16. vsque ad Ioannem. *Quid clarius? lex scripta, vsque ad legem gratiæ, nam inuoluit* Ioannes *gratiam: Ioann.* 1. lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum. *Sic glossa ad rem*, lex extincta succedente gratia. *Sic Augustinus relatus præsertim ad Galat.* 5. *Lect.* 1. *& in prima* 2. *quæst.* 103. *a.* 4. *ad.* 1. *distinguens diuersa tempora quoad legem, astruit medium, à passione Christi vsque ad diuulgationem Euangelij; in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea obseruare tenebatur: non tamen tunc erant mortifera, sicut post tempus Euangelij diuulgati.* Si, *quod ait Augustinus idem de antiquis Patribus*, etiam eorum vita prophetia fuit, *cur non, & finis vitæ eorum seu mors? Roman.* 7. lex in homine dominatur quanto tempore viuit. Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. *Vbi Isaiæ* 54. *habemus*, quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum, *quod recolit Paulus ad Galat.* 4. *vbi ait D.Thomas Lect.* 8. magis quàm eius, *scilicet Synagogæ*, quæ habet virum, *scilicet Moysen. Neque nugatoriè dicimus mortuum Moysen, mortuam legem, licèt pro eodem tropo accipi possint; sed mortuo Moyse tanquam legislatore. Quod certè hoc in Deuteronomio claret, in quo à principio statim legimus*; locutus est Moyses: *cum suprà in Numero, in singulis fere capitulis repetatur hæc clausula*; locutusque est Dominus ad Moysen. (*ex hoc existimarunt aliqui apud Georgium Ederum legem aliam à Deo, per Moysen fuisse datam.*) *Etsi ergo lex eadem à Deo per Moysen, hic Moysis veluti commendatur, vt ipsius cessatio, finis, mors innueretur. Quòd si adhuc pergere licet, dicamus, non esse inuentum sepulcrum eius; quia cum sepulcrum sit ad astruendam spem resurrectionis; spes omnis deperdita est, vt queat Mosaica lex aliquando resurgere. Ad Galat.* 5. nolite iterum iugo seruitutis contineri. *Quæ ne gratis comminisci videamur, tria po-*

tissimùm sunt enucleanda, ex quibus euincitur debuisse cessare legem. Primum caput est ipsius imperfectio. Hebræor. 7. nihil enim ad perfectum adduxit lex, & priùs; reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Constat quippe ex conditione status Iudaici populi, quando data est ei lex, p. 2. 98. a. 6. cui tamen sibi complacuit eam dare, vt ibi a. 4. Inde ob corruptionem rationalis, concupiscibilis, & irascibilis, tanquam imperfectorum præludia, permissa sunt sacrificium Zelotypię, Numeri 5. fœnerari extraneis, Deuteronomij 23. & repudium vxoris c. 24. quæ cuncta renouandos per gratiam Redemptoris homines, restaurandas virtutibus donisque vires, haud quaquam decent: vnde in Dei tentatores, in fœneratores, in repudiatores, passim Prophetæ. Erat autem lex præterea imperfecta, quia gratiam conferre nequibat: ex quo Apostolus Sacramenta veteris legis ad Galat. 4. vocat infirma & egena elementa: (& sic pro cæremonijs) infirma quidem, quia non poterant à peccato mundare; egena, quia non continebant in se gratiam; vt pluries D. Thomas exponit, p. 2. q. 103. a. 2. tertia p. q. 61. a. 4. 2. quæst. 62. a. 6. Opusc. 5. de Ecclesiæ Sacramentis, & alibi. Hebræor. 9. munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis. Cap. 10. impossibile est, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Romanor. 8. nàm quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem. Vis ergo legis & legalium tanta non erat; & ideò cum Dei perfecta sint opera, quod assumit Moyses in Cantico cap. 32. expectanda erat perfectio per nouam legem, quæ ex p. 2. q. 106. a. 2. iustificat. Et ita lex prisca pædagogus velut fuit puerorum, vt ait Apostolus ad Gal. 3. idest dirigens, & conseruans in Christo; scil. in viam Christi. Sapiens autem dispensator, vt dictum est in Prologo Exodi, secundùm diuersitatem temporum, & personarum, dat alia & alia præcepta: alia pueris, alia senibus; alia perfectis, alia imperfectis. Sic puero, ait Angelicus Hebr. 11. l. 2. primò oportet dari pædagogum; quando autem peruenit ad ætatem perfectam, datur ei modus se habendi, secundùm iudicium Rectoris Reipublicæ. Non poterat autem esse lex perfectionis, quæ lex erat timoris; sed hoc perficiendum erat per legem nouam, legem amoris; charitas enim est vinculum perfectionis, Coloss. 3. quam si qui ex antiquis ex fide Seruatoris assequebantur, personaliter, ad nouam legem nouumque testamentum pertinebant ex August. vt sæpe docet D. Thomas ad Eph. 2. Lectione 5. p. 2. q. 106. a. 1. ad 3. a. 3. ad 3. & q. 107. a. 2. item ad 3. sicut de Moyse dicit Apostolus Hebræor. 11. quòd maiores diuitias æstimabat thesauro Aegyptiorum, improperium Christi. Caput secundum terminandæ ex necessitate legis, est fuisse vmbram: ex quo lex noua, vt loco nuper citato, lex dicitur veritatis, lex vetus figuræ p. Cor. 10. omnia in figura contingebant illis. Colos. 2. Nemo ergo iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum. Hebræor. 10. vmbram habens lex futurorum bonorum. Quærit S. Doctor p. 2. q. 103. a 4. Vtrum post passionem Christi legalia possint seruari; & negando respondet: quia cæremoniæ veteris legis, significabant Christum vt nasciturum, & passurum: sicut igitur peccaret mortaliter qui nunc suam fidem protestando, diceret Christum nasciturum; ita nunc faciens ea, quæ Christum sic loquebantur. Articulo autem præcedenti, roborat dogma, quia legalia completo mysterio redemptionis humani generis consummata sunt, quod prompsit Dominus in cruce Ioann. 19. vnde in huius signum, velum templi scissum est. Debent quippe, vt ait Leo Papa, cessare imagines sub præsentia veritatis: gratia autē & veritas per Iesum Christum facta est: cumque lex noua legem veterem impleat p. 2. q. 107. a. 2. tunc imò cæremoniæ legis tolluntur, cum implentur: vnde idem Leo Papa, antiqua obseruantia, nouo excluditur Sacramento; & Paschalis festiuitas, dum mutatur, impletur. Tertium caput cessaturæ aliquando veteris legis est, quoniam non omnibus ea proposita est, nec omnes ad illam obligabantur: quod pertractatur p. 2. q. 98. a. 4. & 5. Loquor autem de lege, exceptis moralibus, quæ propriè dici nequeunt opera legis; cum ex naturali instinctu, & ex lege naturali, homo inducatur ad illa; quod considerat ad Galat. 2. l. 4. Futurum autem tempus erat, vt Ezechielis 37. inquo Rex vnus esset omnibus imperans, & non essent vltrà duæ gentes; quin potiùs, Abrahā foret Pater etiam multarū gētium per fidē: fieretq; vnum ouile, & vnus Pastor Isaiæ 54. aduena quondā tuus adiungetur tibi. Igitur noua vna sub lege, erat vterque populus coadunandus; nam circumcisio, exempli gratia, potissimū etiam erat ad protestandam ab alijs distinctionem; ideoque omissa in deserto; eademque erat sub peregrinorū arbitrio, vt patet Exodi 12. non iniuncta simpliciter. Hinc ait Apostolus Ephes. 2. ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, &c. vt reconciliet ambos in vno corpore: dictus idcircò, lapis angularis Coloss. 3. vbi non est Gentilis, & Iudæus; circumcisio, & præputium; Barbarus & Scytha; seruus & liber. Prima Cor. 7. circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. Roman. 9. quos & vocauit nos, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus; & supra c. 3. an Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Denique c. 10. dicit enim Scriptura; omnis qui credit in illum, non confundetur; non enim est distinctio Iudæi & Græci: nàm idem Dominus omnium. Cui accinit Petrus Actor. 10. non est personarum acceptor Deus, sed in

omni Gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi: & c. 15. nihil discreu
inter nos, & illos, fidè purificans corda eorum.

Descendendo autem ad facta, in quibus consistebat lex vetus, quæ mandatorum dicitur Ephes. :
seu factorum, Roman. 3. moralia, iudicialia, cæremonialia inuenimus præcepta: singillatim consl.
fuisse, breuianda, euacuanda, implenda. Sanè quod attinet ad moralia, colligenda erant in vnum p
duo charitatis; Isaiæ 10. consummatio abbreuiata inundabit iustitiam; consummationem
enim, & abbreuiationem Dominus exercituum faciet in medio omnis terræ: quod explicat I
Thomas Matthæi 22. ibi, in his duobus mandatis, vniuersa lex pendet, & Prophetæ: nec m
Roman. 9. Lect. 5. & Hebræor. 7. Lect. 3. Breuis est differentia, aiebat Augustinus, veteris, & no
ui testamenti, timor, & amor. Lex vetus inducebat ad obseruationem præceptorum per temporal.
comminationes, & pœnas, vt claret p. 2. q. 99. 6. & Ephes. 2. Lect. 5. Hebr. 10. irritam quis faci
legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus, moritur. Rom. 8. non eni
accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo cl
mamus, Abba, Pater. Ieremiæ 3. Patrem vocabis me: trahit autem dulce huiusmodi nomen
amorem, quemadmodum Domini vox (quæ semper in lege veteri) ad timorem; Malach. 1. si ergo Pat
ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Certum est auten
quod scriptum est Ioannis 1. cap. 4. quoniam timor non est in charitate: sed perfecta charitas fo
ras mittit timorem: qui autem timet, non est perfectus in charitate. Hanc amoris legem pollic
tur Dominus Ieremiæ 31. dabo legem meam in visceribus eorum; & in corde eorum scriba
eam: & tangit Moyses, dùm inquit hic cap. 33. in dextera eius ignea lex: de qua etiam Lucæ 1
ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? In dextera, per quam potio
bona, proinde spiritualia signantur, quæ Christus attulit prædicans Regnum cælorum; non vltrà tempor.
lia, quibus alliciebantur carnales illi; Isaiæ 1. bona terræ comedetis, vt quæst. 99. a. 6. citato: Pr
uerb. 3. in sinistra illius, diuitiæ & gloria. Qui diligit autem proximum (vtique ex dilectione De
Roman. 13. legem impleuit. Quamuis autem in veteri lege (sicut & ante) extaret de Dei dilectione
præceptum; hic cap. 6. diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. non ideò id factu
est, quia ex lege quis posset: sed vel ad ostendendam viam; quo pacto ait Augustinus relatus 2. 2. q. 4
a. 6. ad 3. cur non præciperetur homini ista perfectio? non enim rectè curritur, si quò curre
dum est, nesciatur: quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Vel quia, &
veteri lege, fuere ex fide, & sanctitate spectantes ad nouam: vel denique, quia præluditur Euangelio,
lex noua in veteri continebatur; p. 2. q. 107. a. 3. Vnde præceptum charitatis dicitur à Ioanne in prin
c. 2. mandatum vetus: ibidemque nouum: vt & Ioannis eiusdem c. 13. ait Dominus, mandatum
nouum do vobis. Quod quomodo intelligatur, vtrobique declarat; & propter effectum spiritalis innou
tionis, Roman. 6. in nouitate vitæ ambulemus: Coloss. 3. exuentes vos veterem hominem;
propter expressiorem modum diligendi inimicos; aliisque ex capitibus: iuxtà quod Ezechielis 36. legitu
dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapide
um de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Quoad iudicialia, quæ ad proximum ordinantu
pariter locum habet abbreuiatio in eo, diliges proximum tuum: vnde Ioannes in eadem prima Epist.
hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum; & Apostol
Rom. 13. non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, no
concupisces, & si quod aliud est mandatum, in hoc verbo instauratur, diliges proximum tu
um, sicut te ipsum. Hoc ipsum liquet de iudicialibus, quæ sunt determinationes moralium, quæ itide
non inuexere perpetuam obligationem, vt p. 2. q. 104. a. 3. nec seruari nunc opus est in propria forma,
docemur quæst. 108. a. 2. ad 4. & Lect. 13. Hebræor. 7. & ideò in priori loco ad 2. inquit: iudicialia præ
cepta ab hominibus instituta habent perpetuam obligationem manente illo statu Regiminis. Sed si ciuita
vel gens ad aliud Regimen deueniat, oportet leges mutari, non enim eædem leges conueniunt in Democra
tia, quæ est potestas populi, & in Oligarchia, quæ est potestas diuitum. Sic p. 10. cit. c. 2. ait: solet dic
à nouo Rege, noua lex. Roman. 8. non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore 2. Corin
th. 3. vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Et quòad rem nostram, dicitur lex Euangelica à D. Ia
cobo c. 1. lex perfectæ libertatis, vt ibi a. 1. & 4. & c. 2. si tamen legem perficitis regalem &
diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quod licet Leuitici 19. præbabeatur; attamen adnectitur ib
præceptis; ego Dominus: ex quo certè seruitutis conditio inculcatur. Superest ex Scripturis ostendere
qualiter cæremonialia desierint iure, & facto. Et quidem si de sacrificiis fiat sermo, claret non multùm ne
que semper, ea Deum curasse; ait enim Ieremiæ 7. quia non sum locutus cum Patribus vestris, &
non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustomatum, & vi
ctimarum: ex quo D. Thomas p. 2. q. 102. a. 3. ad 2. & Hebræor. 10. Lect. 1. docet in prima legisda
tione nullam fieri mentionem de sacrificiis, sed tantùm postquam fecere vitulum, vt eos ab idololatria su
reuocaret: sicut Exodi 8. habetur; abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo no-

ſtro. Hoc vt intelligeretur, prophetauit Iſaias c. 1. complexu quodam de omnibus figuratiuis huiuſmodi ſacrificijs aliquando dimittendis; holocauſta arietum, & adipem pingium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Vbi gloſſa relata in 4. Sentent. diſt. 1. q. 1. a. 5. quæſtiuncula 2. præterito, inquit, vtens tempore, oſtendit, ſe nunquam ſacrificia Iudæorum amaſſe: ſcilicet ſimpliciter in ſe ipſis: non enim delectatur in occiſione animalium; quod ſupra ait D. Thomas: niſi præteritum ob certitudinem futuri, vt mos eſt, ponatur: nihil enim certius præterito. Neque eſt Iudæis effugium, quaſi Deus reſpuere ſic voluerit indignè offerentes, quoniam Malachiæ 1. habetur; munus non ſuſcipiam de manibus veſtris; quia ob ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus; & in omni loco ſactificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; & repetitur, quia magnum eſt nomen meum in gentibus. Et ad hæc D. Paulus Hebræor. 10. aufert primum, vt ſequens ſtatuat. Aliam ergo oblationem pollicetur ſibi gratiſſimam fore; & quidem tunc id erit pleno effectu, cum in qualibet gente fundabitur Eccleſia, vt ex Auguſtino inquit p. 2. q. 106. a. 4. ad 4. habebiturque per totum mundum nomen Dei ſanctum & celebre, quod Opuſc. 2. Part. 2. c. 8. ex hac autoritate prædici docet: & Opuſc. 58. c. 13. exponit de Sacramento. Nouum autem ſacrificium quis dubitet, nouum exigere ſacerdotium? nimirum ſecundùm ordinem Melchiſedech, vt pſ. 109. qui panem, & vinum obtulit: atqui tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat: ergo, & priora ſacrificia, & Aaron ſacerdotiũ, & lex Moyſi deſiere. De facto autẽ ita eſſe compertũ eſt, dum nec Tẽpliũ, nec Tabernaculũ, nec conſecrationis vnguentũ, nec Arca, nec Propitiatorium, nec quidpiã aliud ad præfata pertinens extat. Quare cum hic Deuteronomij 16. caueatur; non poteris immolare Phaſe in qualibet vrbium tuarum; ſed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus: quia ter in anno comparere iubebantur coram Domino, vt patet Exodi 23. & 34. dum quò accedant ad offerendum, locus non eſt; oportet conſummatis ijs ritibus (ne ſit Deus abſque omni cultu & ſacrificio) impletum eſſe Sophoniæ vaticinium 2. cap. & adorabunt eum viri de loco ſuo: &, quod ait Leo Papa, veterum victimarum ceſſante myſterio, noua hoſtia nouo imponeretur altari, & Crux Chriſti, non Templi eſſet ara ſed Mundi: atque figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem, & lex in Euangelium verteretur. Aduerſum eos, qui è contrà volebant conuertere Euangelium, ad Galatas 1. in figuram legis; quod eſt abſurdum, vt ibi Lect. 2. ait D. Thomas. Et iam de Crucis myſterio, in qua conſummatum eſt, dixit Dominus; nullibi ſicut in Deuteronomio prædicitur, c. 21. maledictus à Deo qui pendet in ligno: Chriſtus enim, Galat. 3. factus eſt pro nobis maledictum; & vna oblatione, Hebr. 10. conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Cap. autem 7. & alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes; eoquòd morte prohiberentur permanere: (moritur Aaron Numeri 33.) hic autem, eoquod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.

Quæ cuncta de infernalium victoria, de idololatriæ extinctione, de ad myſticas vrbes refugio, de Synagogæ repudio, de ad terram promiſſionis profectu, de finali benedictione ac maledictione, deque multis alijs, quas ad Crucis myſterium conſectarijs, deſiderantur, lectori pio exhibet commentarius. Qui timet Dominum (Eccleſiaſtici 32.) excipiet doctrinam eius: qui quærit legem, replebitur ab ea. Qui appropinquant (hic c. 33.) pedibus eius, accipient de doctrina illius. Iam iugo fidei Gentium colla ſubdidit. Sic vtinam cum vniuerſo mundo, Iudæorum reſiduorum perfidiam: quibus cap. 10. dicitur, ceruicem veſtram ne induretis ampliùs; & circumcidite præputium cordis veſtri: circumciſione non manufacta, in expoliatione corporis carnis Coloſſ. 2. expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis cap. 3. ſicut ex Apoſtolo Hebræor. 8. dicendo in Ieremia nouum; veterauit prius; vt opere iuſſa complerent Leuitici 26. vetera nouis ſuperuenientibus proijcietis. Quod ad rem exponit pluries Angelicus p. cor. 5. Lect. 2. 2. Cor. 5. Lect. 4. ad Galat. 1. Lect. 2. Hebræor. 8. Lect. 3. & Epheſ. 2. Lect. 5. vbi ait, comedetis vetuſtiſſima veterum, id eſt præcepta legis naturæ ſimul cum noua lege; & præceptis eius ſuſceptis, nouis ſcilicet ſuperuenientibus, cæremonialia legis præcepta vetera proijcietis.

LIBER DEVTERONOMII HEBRAICE ELLE HADDEBARIM.

CAPVT PRIMVM.

1 HAec sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Ior-
danem in solitudine campestri, contra Mare rubrum, inter Pharan
& Thophel & Laban & Haseroth, vbi auri est plurimum: 2 vnde-
cim diebus de Horeb per viam montis Seir vsque ad Cadesbarne.
3 Quadragesimo anno, vndecimo mense, prima die mensis locutus
est Moyses ad filios Israel omnia, quæ præceperat illi Dominus, vt
diceret eis: 4 postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui Nu.24. c. 24.
habitabat in Hesebon: & Og regem Basan, qui mansit in Astaroth,
& in Edrai, 5 trans Iordanem in Terra Moab. Cœpitque Moyses explanare legem, & di-
cere: 6 Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis, quòd in
hoc monte mansistis: 7 reuertimini, & venite ad montem Amorrhæorum, & ad cetera, quæ
ei proxima sunt campestria, atque montana, & humiliora loca contra Meridiem, & iuxta lit-
tus maris, Terram Chananæorum, & Libani vsque ad flumen magnum Euphraten. 8 En,
inquit, tradidi vobis: ingredimini, & possidete eam, super qua iurauit Dominus patribus ve-
stris Abraham, Isaac, & Iacob, vt daret illam eis, & semini eorum post eos. 9 Dixique vo- Exo.18. c.18.
bis illo in tempore: 10 Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multi-
plicauit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi. (11 Dominus Deus patrum vestro-
rum addat ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis sicut locutus est.) 12 Non
valeo solus negocia vestra sustinere, & pondus, ac iurgia. 13 Date ex vobis viros sapientes
& gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis princi-
pes. 14 Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. 15 Tulique de tribubus
vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quin-
quagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula. 16 Præcepique eis, dicens: Audite illos,
& quod iustum est iudicate: siue ciuis sit ille, siue peregrinus, 17 Nulla erit distantia perso- Ioan 7. c. 24.
narum, ita paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudi- Inf.16.d. 19.
cium est. Quòd si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam. 18 Præ-
cepique omnia, quæ facere deberetis. 19 Profecti autem de Horeb, transiuimus per ere- Leu. 19. c.15.
mum terribilem & maximam, quam vidistis, per viam montis Ammorrhæi, sicut præceperat Pro 24 c. 21.
Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cadesbarne, 20 dixi vobis: Veni- Eccl.42.a. 1.
stis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis. 21 Vide Ter- Iaco. 2.a. 1.
ram, quam, Dominus Deus tuus dat tibi: ascende & posside eam, sicut locutus est Dominus
Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quicquam paueas. 22 Et accessistis ad me om- Nu.13.a. 4.
nes, atque dixistis: Mittamus viros, qui considerent Terram, & renuncient per quod Iter de-
beamus ascendere, & ad quas pergere ciuitates. 23 Cumque mihi sermo placuisset, misi ex
vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis. 24 Qui cum perrexissent, & ascendissent
in montana, venerunt vsque ad Vallem botri: & considerata terra, 25 sumentes de fructi-
bus eius, vt ostenderent vbertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam
Dominus Deus noster daturus est nobis, 26 Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermo-
nem Domini Dei nostri 27 murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Do-
minus, & idcircò eduxit nos de terra Aegypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque de-
leret. 28 Quo ascendemus? nuncij terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est,
& nobis statura procerior: vrbes magnæ, & ad cælum vsque munitæ, filios Enacim vidimus
ibi. 29 Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos. 30 Dominus Deus, qui ductor est
vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Aegypto cunctis videntibus. 31 Et in solitudi-
ne (ipse vidisti) portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum,

Exo.13.d.21. in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. 32 Et nec sic quidem
credidistis Domino Deo vestro, 33 qui præcessit vos in via, & metatus est locum, in quo
Nu.14.c.14. tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis.
Nu.14.d.21. 34 Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus iurauit & ait: 35 Non
Psl.94.c.11. videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimæ Terram bonam, quam sub iura-
mento pollicitus sum patribus vestris: 36 præter Caleb filium Iephone, ipse enim videbit
eam, & ipsi dabo Terram, quam calcauit, & filijs eius, quia secutus est Dominum. 37 Nec
miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec
tu ingredieris illuc: 38 sed Iosue filius Nun minister tuus ipse intrabit pro te. hunc exhor-
tate, & robora, & ipse sorte Terram diuidet Israeli. 39 Paruuli vestri, de quibus dixistis
quòd captiui ducerentur, & filij, qui hodie boni, ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur,
& ipsis dabo Terram, & possidebunt eam. 40 Vos autem reuertimini, & abite in solitudi-
Nu.14.f.40. nem per viam Maris rubri. 41 Et respondistis mihi: Peccauimus Domino; ascendemus, &
Nu.14.g.42. pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in
montem, 42 ait mihi Dominus: Dic ad eos: Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim
sum vobiscum: ne cadatis coram inimicis vestris. 43 Locutus sum, & non audistis: sed ad-
uersantes imperio Domini, & tumentes superbia ascendistis in montem. 44 Itaque egres-
sus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens persecutus est vos, sicut solent
apes persequi: & cecidit de Seir vsque Horma. 45 Cumque reuersi ploraretis coram Do-
mino, non audiuit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. 46 Sedistis ergo in Cadesbarne
multo tempore.

1 VERSVS V. *Cœpitque Moyses explanare legem.*

Quoniam explanatio Moysi, non est vt vulgo accidit, didascalica, sed obscura potius & ænigmatica, nè *Sanctum* sit expositum *canibus*, Matth.7. ideò diligenti, & humili scrutatione sunt sæpe minima quæque obseruanda, è quibus quasi percusso silice, mysteriorum euibrantur fauillæ, quæ in lumina effulgent. Accuratè locus, & tempus sermonum eius describitur; quia exinde etiam emicant nouæ legis, quam vetus vbique, & semper præfigurat, arcana: *Hæc sunt verba*, inquit, *quæ locutus est Moyses trans Iordanem* &c. *vbi auri est plurimum.* Et post hoc; *De Horeb per viam montis Seir. Seir* dictus est Esau, idest *hispidus*, siue *pilosus*: typus Christi, qui *in similitudinem carnis peccati*, Rom. 8. venit; ideò hædinas pelles, idest peccata nostra portauit, visus etsi erat Iacob, Esau: per aurum etiam significatur Diuinitas; *Caput eius aurum optimum*, Cant. 5. *Caput Christi Deus*; p. Corinth. 11. Non ergo perperam hæc memorat. Sed tempus etiam mira præsignat. *Anno quadragesimo*. Hoc anno, vt patet Numeri 33. Aaron mortuus est. Innuitur propterea extinctio Sacerdotij Leuitici, atque etiam legis: siquidem, *labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius*, Malach. 2. Messias futurus erat Sacerdos in æternum, & legifer noster, vt dicitur in ps. 109. & Isaiæ c.33. *Dominus legifer noster*. Vndecimus etiam mensis extremum tempus designat; quia in nouissimis diebus, hæc futura erant; *erit in nouissimis diebus præparatus mons Domus Domini &c.* Isaiæ 2. Sic vndecima hora operariorum vineæ Matthæi 20. computatur ab aduentu Christi, secundùm glossam interlinearem, vsque ad finem mundi. Præmittitur etiam, in loci designatione, esse scilicet vndecim diebus de Horeb, fortè quia totidem sunt Epactæ dies, ex quorum additione solis cursus completur. Christus autem venturus erat vt Sol: *Orietur vobis timentibus nomen meum*, Malachiæ 4. *Sol iustitiæ*: futurumque erat per eum, diei tempus, non noctis, iuxta quod ait Paulus Rom. 13. *nox præcessit, dies autem appropinquauit*. Et Ideo prima die mensis, tangendo Neomeniæ festum; cui, vt ait S.D. p.2.103.a.3.ad 4. successit festum Beatæ Virginis, in qua primò apparuit illuminatio Solis, idest Christi, per copiam gratiæ.

VERSVS VI. *Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb: Sufficit vobis quòd in hoc monte mansistis.*

Et quid aliud hoc est, nisi apertè cessationem pristinæ Mosaicæ legis signare? *Horeb* Mons est *Sinai*: ibi quippe data est lex, vt patet Exodi 20. *Sinaque* interpretatur *mandatum*, vt ait glossa apud D. Thomam [A]: vnde & ab Apostolo vetus lex vocatur, *lex mandatorum*. Idem est ergo ac si diceret: *sufficit* vos vsque ad hoc tempus permansisse in veteri mandatorum: *reuertimini &c.* Exhibetque possessionem Regnorum in Chanaan, innuens non vltra futuros esse seruos sub lege; nam Sina *in seruitutem generabat*, vt idem tradit Apostolus ad Galatas 4. *hæc enim sunt duo testamenta: vnum quidem in monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia* &c. mysticè namq; *Arabia*, [B] *humilitas* vel *afflictio* interpretatur, in qua datum est vetus Testamentum, quia homines quasi serui, & alieni, sub ea affligebantur carnalibus obseruantijs Actor. 15. *hoc est onus quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.*

VERSVS X. *Non possum solus sustinere vos.* 2

Ad litteram; honestas regiminis Mosaici ostensa est, ex D. Thoma, Exodi 18. ad v. 18. Nunc fit repetitio eo fine, vt exaggeret filiorum Israel multitudinem, cui precatur interminabile additamentum, dicens; *Dominus Deus Patrum nostrorum* (quasi illorum intercessione) *addat ad hunc numerum multa millia*. Sic etiam infrà c. 10. *in septuaginta animabus descenderunt Patres tui in Aegyptum: & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus*. Sanctus Doctor, & in p. p. & ad Hannib.

A Gal.4. l.2.

B Loco cit.

supponit desideratam hanc multiplicationem esse prædestinatorum, arguitque numerum ipsorum certum non esse
c pp.13. q.1.& p. d.40. 1.2. 3. respondetque [c] verbum istud Deuteronomij esse intelligendum de illis, qui sunt prædestinati à Deo respectu præsentis iustitiæ: *horum enim numerus & augetur, & minuitur; & non numerus prædestinatorum*. Huc ergo fertur Moysi intentio probè ac sanctè vitam ducere homines, cetera Deo linquens; nam, *sapientiam Dei precedentem omnia quis inuestigauit?* Eccl.1. Certè de prædestinatis est sermo: quando & hìc & cap. 10. præfato sicut astra Cœli dicuntur. Tacetur similitudo arenæ maris, de qua dictum fuerat Genes.22. & 32. *Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas Cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: fulgebunt iusti tanquam stel-*
3 *læ quæ in arundineto discurrent*. Sap.3. Hoc insinuat Saluator, dum inquit, Io.12. *nisi granum frumenti cadens in terra &c. si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Augustinus; *ipse Dominus erat granum mortificandum in infidelitate iudæorum, multiplicandum in fide populorum*. Et hæc est causa quare subdatur in littera, *nulla erit distantia personarum*. Dixerunt etiam Pharisæorum discipuli Matthæi 22. *non enim respicit personam hominum:* at quod hi malitiosè proferunt, D. Petrus persanctè prompsit, Actor. 11. visa Cornelij vocatione; *in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. An Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium?* Interserit ergo, me iudice, Moyses de personarum inacceptione, vt tempus vocationis Gentium, de quibus Dominus Ioan. 10. *alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*, tangat: moneatque Iudæos, quemadmodum Ioannes Matthei 3. ne velint *dicere intra se, Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Ioannis 8. Dominus; *si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*. Hoc ipsum aperit textus, v.17. *Non accipietis personam, quia Dei iudicium est*: non solùm enim docemur ex D.
D 12.60. 12. Thoma, [D] iudicem esse Dei ministrum; atque
E 12.63. 8. adeò personarum [E] acceptionem esse peccatum; sed Deum pariter, non esse similiter personarum acceptatorem.

VERSVS XXI. *Ride terram &c.*

Singulari numero interloquitur Moyses, vt vnitatem Ecclesiæ indicet; iuxtà quod, in collecta, *Deus qui diuersitatem Gentium, in confessione tui nominis adunasti*: & præterea, vt indiscriminatim diuinam vocationem, & protectionem Saluatoris omnium hominum, (quod & ex versu 31. typo vnici filij) insinuet.

4 VERSVS XXII. *Accessistis &c. mittamus viros &c.*

Recolit exploratorum relata, de quo Numeri 13. *Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis: & noluistis ascendere*. Nihil prohibet hos in figuram Apostolorum aptare, qui cùm Ioanne prædicauerant Iudæis, *appropinquasse Regnum Cælorum*: consultò omittuntur illa verba Num.13. *detraxeruntque terræ*; non enim faciunt ad præsentem figuram: at isti increduli, vt olim fuerunt; & carnali intelligentiæ addicti, Christiani populi multitudinem castrorum more timentes, dicunt potiùs, (versu 27.) *odit nos Dominus*, quàm credere velint: Et sicuti nil profuit commemorari à Moyse beneficia accepta in Ægypto, & in solitudine; ita in præsenti, nec per miracula persuasum est illis de Christi doctrina: quare non est mirum si excludantur à Regno v.35. *non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimæ terram bonam*. Sic factum est, vt paruuli illorum, vt dicitur v. 39. idest Gentes, nouissimè ex lege illorum instructi, quas captiuatas Diabolo arbitrabantur & filij, (Ps. 44. *pro patribus tuis nati sunt tibi filij*), & Malachiæ vltimo; *conuertet cor patrum ad filios*; Sic Angelus ad Zachariam de Ioanne Lucæ 1. *vt conuertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum*,) aliàs *boni* & *mali*, (vt subiungitur) *ignorantes distantiam*, quia pædagogum non habuerant, hoc est eandem legem, Galat. 3. *lex pædagogus noster fuit in Christo*, ingrediantur, & possideant terram promissam. Hæc si perpenderent iudæi, cernerent, quod nunc euenit, esse prædictum: *Paruuli vestri, de quibus dixistis, quòd captiui ducerentur, & filij qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur, & ipsis dabo terram, & possidebunt eam*.

VERSVS XXXXI. *Ascendemus, & pugnabimus.*

Temerario ausu, terreno decepti sen... terrestrem possessionem quærere; cùm in Christianos sæuam, omnium primam, de qua in Actis c. 8. persecutionem cœperunt: *facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia*. At non præualuerunt, *tumentes*, vt hic etiam legitur v. 43. *superbia*; quia apertè ait Dominus v. 42. *non sum vobiscum*: Propterea *egressus Amorrhæus*, (dic Titum & Vespasianum) *persecutus est eos: sicut apes solent persequi*; quia vt dicitur in ps. 117. *circundant: circundederunt me sicut apes*: & illi obsessi sunt miserrimè in Ierusalem: de quo Dominus Lucæ 19. *circumdabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique*.

VERSVS XXXXV. *Cumque reuersi ploraretis coràm Domino, non audiuit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere.*

Nescio an clariùs præsens Iudæorum dispersio queat effigiari: in cassum enim fundunt preces ad Cœlum, malitia excœcati: cum *sine fide impossibile sit placere Deo*, Hebr. 11. Et ecce tactam eorum diuturnam inanemque expectationem Messiæ & Regni: *sedistis in Cadesbarne multo tempore*, siue *dies multos*, vt Septuaginta, & Chaldæa legunt. *In Cadesbarne*, vnde missi sunt exploratores Numeri 13. seu potiùs in *Rhetma* Num. 33. v. 18. quæ non procul aberat ab Vrbe Cadesbarne, vt obseruat Tirinus in Chronico c. 19. fuit quintadecima mansio. Quamuis autem incertum sit apud eundem Tirinum, quo mense peruenerint ad decimam sextam mansionem *in Rhemmomphares*: attamen compertum est, fuisse eodem anno peregrinationis secundo: quomodo ergo mansisse dicuntur multis diebus, seu longo tempore sedisse in Cadesbarne? Dic, referri ad illud Osee 3. *quia dies multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari &c.* Et sic sedent infideles Iudæi in Cadesbarne, terræ promissionis nuncios spe inani expectantes. Sedent autem ibi cœcorum in morem; Lucæ 18. *cæcus quidam sedebat secus viam*: & c. 1. *in vmbra mortis sedent*: inani expectatione, erroris in subsellio, perfidiæ

mora.

mora. Et benè in *cades*; quod apud Lauretum *in Allegoriarum sylua*, interpretari potest, *mutata* siue *translata*; quia translatio veteris legis in nouam, & Sacerdotij Aaron in Melchisedech facta est. *Translato* quippe *Sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat*, Hebr. 7.

CAPVT II.

1 PRofectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad Mare rubrum, sicut mihi di-
xerat Dominus: & circuiuimus montem Seir longo tempore. Dixitque Dominus
ad me: 2 Sufficit vobis circuire montem istum: 3 ite contra Aquilonem: 4
& populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui ha-
bitant in Seir, & timebunt vos. 5 Videte ergo diligenter ne moueamini contra eos, neque
enim dabo vobis de terra eorum quantum potest vnius pedis calcare vestigium, quia in
possessionem Esau dedi montem Seir. 6 Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquam
emptam haurietis, & bibetis. 7 Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum
tuarum: nouit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta an
nos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit. 8 Cumque transissemus fra-
tres nostros, filios Esau, quæ habitabant in Seir: per viam campestrem de Elath, & de Asion-
gaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab. 9 Dixitque Dominus ad me: Non
pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersùs eos prælium: non enim dabo tibi quidquam de
terra eorum, quia filijs Loth tradidi Ar in possessionem. 10 Emim primi fuerunt habitato-
res eius, populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe, 11 quasi gigan-
tes crederentur, & essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim
12 in Seir autem prius habitauerunt Horrhæi, quibus expulsis, atque deletis, habitauérunt
filij Esau: sicut fecit Israel in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus. 13 Surgentes
ergo vt transiremus Torrentem Zared, venimus ad eum. 14 Tempus autem, quo ambula-
uimus de Cadesbarne vsque ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit:
donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut iurauerat Do-
minus: 15 cuius manus fuit aduersùm eos, vt interirent de castrorum medio. 16 Post-
quam autem vniuersi ceciderunt pugnatores, 17 Locutus est Dominus ad me, dicens: 18
Tu transibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar: 19 & accedens in vicina filiorum
Ammon caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra
filiorum Ammon, quia filijs Loth dedi eam in possessionem. 20 Terra gigantum reputata
est: & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zonzommim, 21 po-
pulus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos deleuit Dominus a fa-
cie eorum: & fecit illos habitare pro eis, 22 sicut fecerat filijs Esau, qui habitant in Seir, de-
lens Horrhæos, & terram eorum illis tradens, quam possident vsque in præsens. 23 He-
uæos quoque, qui habitabant in Haserim vsque Gazan, Cappadoces expulerunt: qui egressi
de Cappadocia deleuerunt eos, & habitauerunt pro illis. 24 Surgite, & transite torrentem
Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius incipe
possidere, & committe aduersùs eum prælium. 25 Hodie incipiam mittere terrorem, atque
formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo: vt audito nomine tuo paueant, &
Iu. 11. c. 2. in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur. 26 Misi ergo nuncios de
solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens: 27 Transibimus
per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad si-
nistram. 28 Alimenta pretio vende nobis, vt vescamur: aquam pecunia tribue, & sic bibe-
mus. Tantum est vt nobis concedas transitum, 29 sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in
Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Iordanem, & transeamus ad Ter-
ram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. 30 Noluitque Sehon rex He-
sebon dare nobis transitum, quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obfir-
Amos 2. 9. mauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas, sicut nunc vides. 31 Dixitque Dominus ad
me: Ecce cœpi tibi tradere Sehon, & terram eius: incipe possidere eam. 32 Egressusque est
Sehon obuiam nobis cum omni populo suo ad prælium in Iasa. 33 Et tradidit eum Do-
minus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filijs suis, & omni populo suo. 34 Cun-
ctasque vrbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris, ac mulieribus,
& paruulis: non reliquimus in eis quidquam. 35 Absque iumentis, quæ in partem venere
prædantium: & spolijs vrbium, quas cepimus 36 ab Aroer, quæ est super ripam torrentis
Arnon, oppido quod in valle situm est, vsque Galaad. Non fuit vicus, & ciuitas, quæ nostras
effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis. 37 Absque terra filiorum

Ammon, ad quam non accessimus: & cunctis, quæ adiacent torrenti Ieboc, & vrbibus montanis, vniuersisque locis, à quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

1 LEgenti caput præsens apparet moneri Israelitas à Domino, vt profecturi ad terram promissionis caueant, ne *Seir*, hoc est *Esau*, siue *Edom* possessionem attingant: *neque enim* inquit v. 5. *dabo vobis de terra eorum quantum potest vnius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau, dedi montem Seir*. Intentatum per terminos Edom transitum, & vanè quidem, legimus Numeri 20. quia *egressus* Rex Edom *obuius cùm infinita multitudine*, id vetuit. Hic silentio inuoluitur: solummodo intacta iubentur illius omnia: quod primo intuitu superfluè videtur commemorari, quando per *Seir* loca transituri non fuerant, cùm rasis dumtaxat Idumeæ finibus, mouerint castra. Igitur credendum est eo animo inhiberi, vt à temporalibus cunctis alieni sint illi, qui figuratam Chanaanitidem petunt. Temporalia huiusmodi etiam in possessionibus Moabitarum, & Ammonitarum significantur; vnde ad hoc indicandum, gigantes, hoc est potentes, terrenos dominos vocat: possessiones, & amissiones alternat; quia *præterit figura mundi huius*, vt ait Apostolus: dedisse perhibetur Dominus huic, & illi tales possessiones: quasi iusto iudicio in temporariam mercedem, vel permissu, *muscipulam* (Sapientiæ 14.) *pedibus insipientium*. Ideò versu 5. *in possessionem Esau dedi Montem Seir*: quod apud Lauretum qui supra in Allegorijs, stare potest pro culmine mundanæ prospetitaris. Secundùm Hieronymum relatum [A] à D. Thoma, *Esau, Edom* & *Seir* est nomen vnius hominis. *Seir* autem sonat hispidum & pilosum; certè peccatoris in typum: vnde per Augustinum Christus in Iacob hædinis pellibus contectus est, dum aliena peccata portauit, & inter iniquos *reputatus est*. Ad peccatorum autem innuendam conditionem habemus v. 14. *tempus annorum triginta & octo*: quemadmodum ille in Euangelio *trigiata & octo annos habebat in infirmitate*, cui nimirum deerant duo præcepta charitatis pro legis & pœnitentiæ adimpletione, vt idem Augustinus exponit: & ecce statim de malis, & de peccatoribus subdi, *donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris &c.* Horum ergo quorumcumque bona, quamuis ipsi timeant, v. 4. *Et timebunt vos*: non vult Dominus ab Israclitis tangi, transire solummodo: Collecta: *sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna*: Versus 4. *transibitis per terminos fratrum vestrorum*. Iuxta transeuntia, quid nisi transeundum? cibos solummodo, & aquam emant: 1. ad Timot. 6. *nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*: hinc in textu memotato solitudinis itinere, *nihil*, inquit, *tibi defuit*.

A Gen. 36.

2 Verùm per membra Christi, cuiusmodi sunt veri filij Israel, Christus ipse intelligi potest: quod & ipse Saulo expressit, *Saule Saule quid me persequeris?* Christus autem exemplum omnium nostrum ait, *Regnum meum non est de hoc mundo* Ioannis 18. *Exiuit* nihilominus *à Patre, & venit in mundum*: at venit transitu quodam, *vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*: pertransijt benè faciendo, Act. 10. Versu 27. *transibimus per terram tuam*. versu 28. *tantum est, vt nobis concedas transitum, sicut fecerunt filij Esau*: per extremos scilicet fines eorum: versu 29. *donec transeamus ad terram*, Quid sibi vult totiès transitus? nisi quod apud Ieremiam 14. cap. *quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator, declinans ad manendum?* At noluit Sehon Rex Hesebon dare transitum. Quis sit figuraliter Rex ille Amorrhæus, dictum est Numeri 21. ex Amos 2. *ego exterminaui Amorrhæum*, nempe Diabolum. Et ecce in præsentiarum describi ab inflexibilitate in malo: versu 30. *quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor illius, vt traderetur in manus eius & ipse, & omnis eius populus*: hoc est omnes inferni cohortes. Versu 35. *absque iumentis, quæ in partem venere prædantium, & spolijs vrbium*. Lucæ 11. *cum fortis armatus custodit atrium in pace sunt ea quæ possidet: si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet*: *sicut* Isaiæ 9. *gaudent victores capta præda quando diuidunt spolia*. Pro iumentis autem, quibus parcitur, quod non probatur aliàs 1. Regum 15. intellige cum Chrysostomo in Matth. 21. *Iudæos & Gentes*, quia *fuerunt homines ante Christi aduentum idololatriæ passionibus diuersis, immundi & irrationabiles; verbi ratione carentes; quantùm ad Deum stulti*. Spolia sunt ornamenta gratiæ, quibus expoliati fuerunt dæmones: quæ cesserunt nobis subrogandis per gloriam ad eorum sedes. Sic deceptus est Diabolus ausus inuadere Christum: qui similitudine *Leuiathan*, Iob 40. inquit secundùm aliam litteram: *nunquid capies Leuiathan hamo?* supple, sicut ego. *Leuiathan* est Diabolus: hamus siue aculeus in esca, est Dei filius in carne humana assumpta absconditus: illo hamo captus est Diabolus & deceptus; quia dùm carnem innocentis Christi in Cruce mordere, & effundere sanguinem iniustè præsumpsit, latens aculeus Diuinitatis potestatem eius perforando, destruxit. Hæc D. Thomas; adnectens statim illud [B] Amos 2. *ego exterminaui Amorrhæum*: quod ad præsentem litteram non est dubium referri. Subiungitur autem in calce huius capitis; *absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus*, &c. *& vniuersis locis à quibus nos prohibuit Dominus Deus noster*: quia qui victurus est diabolum, oportet non inhiare terrenis: quæ ipse studiosè offert, dicens Matthæi 4. *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. Sic ex dictis de incursione Sehon Amorrhæi, hoc est Diaboli in Christum, perductum ipsius instigatione, *vsque ad mortem, mortem autem Crucis*, fit manifestum, quare nuncijs terræ promissionis, excæcati non credant iudæi: *verbum enim Crucis iudæis est scandalum*. p. Cor. 1.

B Opusc 58. c. 28 & 29.

CA-

CAPVT III.

nſ. 29. b. 1 ITaque conuerſi aſcendimus per iter Baſan: egreſſuſque eſt Og rex Baſan in occur-
Nu. 21. g. ſum nobis cum populo ſuo ad bellandum in Edrai. 2 Dixitque Dominus ad me:
3. Ne timeas eum: quia in manu tua traditus eſt cum omni populo, ac terra ſua: fa-
Nu. 22. c. cieſque ei ſicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitauit in Heſebon. 3 Tradidit
1. Nu. 21. g. ergo Dominus Deus noſter in manibus noſtris etiam Og regem Baſan, & vniuerſum po-
5. pulum eius, percuſſimuſque eos vſque ad internecionem, 4 vaſtantes cunctas ciuitates il-
lius vno tempore, non fuit oppidum, quod nos effugeret: ſexaginta vrbes, omnem regionem
Argob regni Og in Baſan. 5 Cunctæ vrbes erant munitæ muris altiſſimis, portiſque & ve-
ctibus, abſque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. 6 Et deleuimus eos, ſicut fe-
ceramus Sehon regi Heſebon, diſperdentes omnem ciuitatem, viroſque, ac mulieres, & par-
uulos: 7 iumenta autem, & ſpolia vrbium diripuimus. 8 Tulimuſque illo in tempore
terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem: à torrente Ar-
non vſque ad montem Hermon, 9 quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir: 10
omnes ciuitates, quæ ſitæ ſunt in planitie, & vniuerſam Terram Galaad & Baſan vſque ad
Selcha, & Edrai ciuitates regni Og in Baſan. 11 Solus quippe Og rex Baſan reſtiterat de
ſtirpe gigantum. Monſtratur lectus eius ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, nouem
cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad menſuram cubiti virilis manus. 12
Terramque poſſedimus tempore illo ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon,
Nu. 32. e. 9. vſque ad mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius dedi Ruben & Gad. 13 Reli-
quam autem partem Galaad, & omnem Baſan regni Og, tradidi mediæ tribui Manaſſe,
omnem regionem Argob: cunctaque Baſan vocatur Terra gigantum. 14 Iair filius Ma-
naſſe poſſedit omnem regionem Argob vſque ad terminos Geſſuri, & Machati. Vocauitque
ex nomine ſuo Baſan, Hauoth Iair, id eſt Villas Iair, vſque in præſentem diem. 15 Machir
quoque dedi Galaad. 16 Et tribubus Ruben & Gad dedi de terra Galaad vſque ad Tor-
rentem Arnon medium torrentis, & confinium vſque ad torrentem Ieboc, qui eſt termi-
nus filiorum Ammon: 17 & planitiem ſolitudinis, atque Iordanem, & terminos Ceneteth
vſque ad mare deſerti, quod eſt ſalſiſſimum, ad radices montis Phaſga contra orientem.
18 Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus veſter dat vobis terram hanc
in hereditatem, expediti præcedite fratres veſtros filios Iſrael omnes viri robuſti, 19 ab-
ſque vxoribus, & paruulis, atque iumentis. Noui enim quòd plura habeatis pecora, & in vr-
bibus remanere debebunt, quas tradidi vobis, 20 donec requiem tribuat Dominus fratri-
bus veſtris, ſicut vobis tribuit: & poſſideant ipſi etiam Terram, quam daturus eſt eis trans Ior-
Iu. 27. d. 8. danem: tùnc reuertetur vnuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, quam dedi vobis. 21 Ioſue
quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus veſter
duobus his regibus: ſic faciet omnibus regnis, ad quæ tranſiturus eſt. 22 Ne timeas eos: Do-
minus enim Deus veſter pugnabit pro vobis. 23 Precatuſque ſum Dominum in tempore illo,
dicens: 24 Domine Deus, tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam, manumque
fortiſſimam. neque enim eſt alius Deus, vel in cælo, vel in terra, qui poſſit facere opera tua, &
comparari fortitudini tuæ. 25 Tranſibo igitur, & videbo Terram hanc optimam trans Ior-
danem, & montem iſtum egregium, & Libanum. 26 Iratuſque eſt Dominus mihi propter
vos, nec exaudiuit me, ſed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.
27 Aſcende cacumen Phaſgæ, & oculos tuos circumfer ad occidentem, & ad aquilonem,
ne. 12. a. & 14 b. auſtrumque & orientem, & aſpice: nec enim tranſibis Iordanem iſtum. 28 Præcipe Io-
ſue, & corrobora eum, atque conforta: quia ipſe præcedet populum iſtum, & diuidet eis
Terram, quam viſurus es, 29 Manſimuſque in valle contra fanum Phogor.

1 POſtquam debellatus eſt Amorrheus Rex Sehon, qui egreſſus fuerat ad prælium aduerſus Chriſtum; Rex alius Baſan, Og nimirum, inſurgit in eundem ſecundùm membra, commouendo tyrannos tot in Eccleſiam. Duo ſunt Reges, iuxta quod dicitur verſu 8. *tulimuſque illo in tempore terram de manu duorum Regum Amorrhæorum*: cæterùm Amos 2. vt dictum eſt, ſingulariter de vno legimus triumphatum; *ego exterminaui Amorrhæum*; quia Diabolus aut in ſe, aut ſuis in membris, pro indiuiſo Amorrhæus eſt; ſcilicet *amarus inimicus*, vt interpretatur & D. Thomas Opuſc. 58. vbi ſupra; felle enim inuidiæ inimicitias ab initio contrà nos iuratas, amarulento corde tenet in æuum. Dicit autem, *ego exterminaui Amorrhæum*, quia in perſona victurus erat Diabolum factus homo. Reg. 4. c. 3. *Pugnauerunt Reges contra ſe, & cæſi ſunt mutuò.* D. Th. opuſc. 58. c. 29. Reges, ſcilicet Chriſtus & Diabolus, ille humi-

lium,

lium, hic superborum. Iob. 16. *hostis meus irruit in me quasi gigas, concidit me vulnere super vulnus:* (refert ad Christi carnem) sed Isaiæ 51. *nunquid non tu Domine percussisti superbum, vulnerasti Draconem?* Et si autem in prauis omnibus dicatur Diabolus operari tanquam caput in membris (an non membrum Diaboli fuit Pilatus?) attamen speciali quadam ratione se habet ad Principes, quos aduersus Ecclesiam armauit, & animauit. Cæsaris nomen ex S. Doctore quod
A Op. 10. l.3.c.12. primus omnium obtinuit Iulius, [A] ex D. Isidoro l. 9. Etymolog. dictum est, vel quia casu mortuæ matris vtero prolatus est, vel quia cum Cæsarie natus; à quo Imperatores sequentes sic vocati sunt, quia comati. Porrò in Apocalypsin
B Apoc. 7. [B] Commentario secundo ad illa verba; *quoadusque signemus seruos Dei nostri*, fert illud Matthæi 22. *cuius est imago hæc & superscriptio?* sic potest à malis quæri, & modo, & in iudicio; & possunt respondere; *Cæsaris*, idest Diaboli; interpretatur enim, *possidens Principes*, quia maximè nititur ad dominandum maioribus, & præcipuè eos possidet. Quod quidem si vnquam, tunc factum est, cum tot Orbis Principes, suas quasi vices gerentes, persecutores possedit Christiani nominis. *Basan* apud Lauretum in Allegorijs interpretatur etiam *profundum*, & designat infernum, cuius Rex est Diabolus. Perhibetur fortasse v. 11. *gigas*, quo itidem sit in typum Diaboli, superbi, & feri Isaiæ 26. *terram gigantum detrahes in ruinam*.

VERSV XI. *monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath.*

Certè non nisi graui aliqua de causa hæc interserit Author. Contendit ipsum *Og* gigantem comprobare, & ex lecto mensuras trahit. *Nouem inquit cubitos habens longitudinis.* Amos 2. de Amorrhæo qui supra: *cuius altitudo, cedrorum altitudo eius; & fortis ipse quasi quercus; & contriui fructum eius desuper;* (parturijt ipse tyrannos) *& radices eius subter*, quia in infernum, vt statim dicam, trusus est: *tyrannum*, canit Ecclesia, *trudens vinculo*. Lectus Diaboli est in *Rabbath*. *Rabbath* apud Lauretum qui supra, typus Ecclesiæ hæreticorum, vel schismaticorum. In his quies est Diaboli. Lecti longitudo ad nouem cubitos, altitudinem ipsius ostendit, qui supremus creditur fuisse in nono Choro, vt ex pp. 63. 7. Latitudo est quatuor, quia ad quatuor mundi partes tentando se extendit Iob 1. *Circuiui terram & perambulaui eam.* Subditur autem in littera; *ad mensuram cubiti virilis manus:* quod simpliciter superuacaneè videretur poni; neque enim de geometrico cubito, qui iuxtà Origenem, & Augustinum 12. Contra Faust. 16. sex nostros continet, facilè acciperetur: vnde humanam ad mensuram recurritur, quia ipse est *inimicus homo qui superseminauit Zizania*, Matthæi
C Matth. 13. 13. dictus homo, [C] quoniam non potuit esse
D Hebr. 11. similis Deo: vel ab homine [D] victo, sicut Scipio Africanus à deuicta Africa dictus est Africanus. S. Hieronymus Ezechielis 32. *Cubile Assur in medio interfectorum, est pœna Diaboli Inferno*,

Et sic Rupertus de lecto in quem mittitur Iezabel Apoc. 2. *Ecce mittam eam in lectum; & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt.* Vbi non abnuit S. Doctor Commentario vtroque. Quoniam autem è pœna nunquam surrecturus est, est lectus infernus. At est *lectus ferreus*, ob ferream & inflexibilem voluntatem, in qua quiescit obstinatus non vltrà reuocaturus. Lectus etiam Diaboli ferreus esse potest catena illa magna, qua Angelus Apocalyps. 20 *apprehendit eum & ligauit per annos mille, vt non seducat amplius Gentes.* Igitur reportata per tot martyrum myriades de isto Og victoria, innotuit esse ligatum; quia, vt ait Gregorius, [E] *potentia diuinæ dispensationis astringitur, ne quantùm nocere valet, effrænetur*: quamuis, vt subdit in Gregoriano, *AntiChristi tempore, suis membris traditus, pauco quidem tempore, sed multa contra nos, laxabitur virtute.*

VERSVS XII. *Et Ciuitates illius dedi Ruben & Gad.*

Sic & dimidiæ tribui Manasse. Post triumphum de Ecclesiæ persecutionibus, temporalis cessere Christianis Principibus, & Ecclesiæ pariter dono Constantini. Verùm huiusmodi possessio, extrà terram promissionis est; ideòque Moysi desideria non explet, qui inquit.

VERSV XXIII. & XXV. *Precatusque sum Dominum: transibo igitur, & videbo terram hanc optimam*,

Sciebat sine dubio Moyses figuratam in terram promissionis, qui erant sub lege, non esse ingressuros; sed immò *ad nostram doctrinam* ac id fundit preces: quo erudiamur, ad Patriam suspirandum Cœlestem: Et ad innuendum clausum nobis Cœlum fuisse, ob alterius, nempe Adæ, culpam, illud inculcatur, & hic & alibi; *iratus est Dominus mihi propter vos.* Immò tanquam peteret rem omninò impossibilem, *quia nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo* Io. 3. Ephes. 4. *& ipse est qui ascendit*, Micheæ 2 *iter pandens ante eos*, inhibet Dominus; *nequaquàm vltrà loquaris de hac re ad me. Ascende cacumen Phasga, & oculos tuos circumfer. &c. & aspice.* Dat ijs qui sub lege erant in Moyse, per quem lex signatur, vt videant per fidem, non claré & distinctè: quod & ait Apostolus Hebræor. 11. *iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, à longè eas aspicientes.* Meritò autem subiungitur de Iosue, *ipse præcedet populum istum, & diuidet eis terram, quam visurus es.* Erat ergo visurus Moyses aliquando terram promissam, sed postquam præcessisset Iesus, qui vt dicitur 3. p. aperuit [F] nobis ianuam Cœli. Et sic transimus Iordanem, figuram certè baptismi, per quem aperitur Cœlum: vnde baptizato Christo Matth. 3. *aperti sunt Cœli.* Hæc est hæreditas, de qua 1. Petri 1. *in hæreditatem incorruptibilem &c. conseruatam in Cœlis*, Et cohærenter in ps. 135. *occidit Reges fortes; Sehon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan; & dedit terram eorum hæreditatem*: à qua deciderunt, ob superbiæ peccatum exhæredati.

CAPVT IV.

1 ET nunc Israel audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te: vt faciens ea, viuas, &
ingrediens possideas Terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est
vobis. 2 Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cu-
stodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis. 3 Oculi vestri viderunt om-
nia, quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriuerit omnes cultores eius de
Nu. 25. a. 4. medio vestri. 4 Vos autem, qui adhæretis Domino Deo vestro, viuitis vniuersi vsque in
præsentem diem. 5 Scitis quod docuerim vos præcepta, atque iustitias, sicut mandauit
mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra, quam possessuri estis. 6 & obseruabitis
& implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audien-
tes vniuersa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. 7 Nec
est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest
cunctis obsecrationibus nostris. 8 Quæ est enim alia gens sic inclyta vt habeat ceremonias,
iustaque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? 9
Custodi igitur temetipsum, & animam tuam solicitè. Ne obliuiscaris verborum, quæ vide-
runt oculi tui, ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios, ac nepo-
Ex. 19. c. 18. tes tuos, 10 à die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locu-
tus est mihi dicens: Congrega ad me populum, vt audiant sermones meos, & discant time-
re me omni tempore, quo viuunt in terra, doceantque filios suos. 11 Et accessistis ad ra-
dices montis, qui ardebat vsque ad cælum: erantque in eo tenebræ, & nubes, & caligo.
12 Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & for-
mam penitus non vidistis. 13 Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit vt faceretis,
& decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. 14 Mihique mandauit in illo tem-
pore vt docerem vos ceremonias & iudicia, quæ facere deberetis in Terra, quam possessuri
estis. 15. Custodite igitur solicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in
die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: 16 ne fortè decepti faciatis
vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel feminæ, 17 similitudinem om-
nium iumentorum, quæ sunt super terram, vel auium sub cęlo volantium, 18 atque re-
ptilium, quæ mouentur in terra, siue piscium, qui sub terra morantur in aquis. 19 ne fortè
eleuatis oculis ad cælum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cęli, & errore deceptus
adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ
sub cęlo sunt. 20 Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Aegypti, vt ha-
Sup. 1. f. 7. beret populum hæreditarium, sicut est in præsenti die. 21 Iratusque est Dominus contra
me propter sermones vestros, & iurauit vt non transirem Iordanem, nec ingrederer Ter-
ram optimam, quam daturus est vobis, 22 Ecce morior in hac humo, non transibo Ior-
danem: vos transibitis, & possidebitis terram egregiam. 23 Caue ne quando obliuiscaris
Heb. 12. 29. pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ
fieri Dominus prohibuit 24 quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmula-
tor. 25 Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in Terra, deceptique feceritis vo-
bis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, vt eum ad iracun-
diam prouocetis: 26 testes inuoco hodie cælum & terram, citò perituros vos esse de Ter-
ra, quam transito Iordane possessuri estis: non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit
vos Dominus, 27 atque disperget in omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad
quas vos ducturus est Dominus. 28 Ibique seruietis dijs, qui hominum manu fabricati
sunt, ligno & lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec adorantur. 29
Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris:
& tota tribulatione animæ tuæ. 30. Postquam te inuenerint omnia, quæ prædicta sunt, no-
uissimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius, 31 Quia
Deus misericors Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omninò delebit, neque obli-
uiscetur pacti, in quo iurauit patribus tuis. 32 Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt an-
te te ex die, quo creauit Deus hominem super terram, a summo cęlo vsque ad summum
eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vmquam cognitum est, 33 vt audiret po-
pulus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vixisti: 34 si fecit Deus vt
ingrederetur, & tolleret sibi Gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque
portenta, per pugnam, & robustam manum, extentumque brachium, & horribiles visio-
nes iuxta omnia, quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Aegypto, videntibus oculis

tuis:

tuis: 35 vt scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum 36 De cę-
lo te fecit audire, vocem suam, vt doceret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maxi-
mum, & audisti verba illius de medio ignis, 37 quia dilexit patres tuos, & elegit semen Exo 13.
eorum post eos. Eduxitque te præcedens in virtute sua magna ex Aegypto, 38 vt dele- d. 21.
ret nationes maximas, & fortiores te in introitu tuo: & introduceret te, daretque tibi ter-
rum earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die. 39 Scito ergo hodie, & cogitato
in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in cęlo sursum, & in terra deorsum, & non sit
alius. 40. Custodi præcepta eius atque mandata, quæ ego præcipio tibi: vt benè sit tibi, &
filijs tuis post te, & permaneas multo tempore super Terram, quam Dominus Deus tuus da-
turus est tibi. 41 Tunc separauit Moyses tres ciuitates trans Iordanem ad Orientalem pla- Nu. 35. a.
gam, 42 vt confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus 6.
ante vnum & alterum diem, & ad harum aliquam vrbium possit euadere: 43 Bosor in so- Iof. 20. c.
litudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad, quæ est in 8.
tribu Gad, & Golan in Bassan, quæ est in tribu Manasse: 44 Ista est lex, quam proposuit
Moysés coram filijs Israel. 45 & hęc testimonia & ceremoniæ, atque iudicia, quæ locu-
tus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Aegypto, 46 trans Iordanem in valle con-
trà fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitauit in Hesebon, quem percus-
sit Moyses. Filij quoque Israel egressi ex Aegypto 47 possederunt terram eius, & terram
Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum qui erant trans Iordanem ad solis ortum.
48 Ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, vsque ad montem Sion, qui est &
Hermon, 49 omnem planitiem trans Iordanem ad Orientalem plagam, vsque ad mare
solitudinis, & vsque ad radices montis Phasga.

VERSVS I. *Et nunc Israel, audi præcepta, & iudicia.*

Ad calcem capitis habemus; *& hæc testimonia, cæremoniæ, atque iudicia, quæ locutus est ad filios Israel,*

Quare putassem relegi cæremonias omnes, & iudicialia præcepta, quæ sparsim in Exodo, Leuitico, & Numero tradita sunt: Atqui non ita est: vix, ac nec vix quidem fit alicuius huiusmodi præcepti specialis mentio. Quid ergo? mox dicam.

Postquam tractum est præcedentibus in tribus capitibus de futuro Messia, & consecutis quibusdam, ne perperam videretur proponi dogma, fuerat de figuris nonnihil luminis ad rem hanc hauriendum. Et ideò de cæremonijs, de iudicijs attexitur sermo. Nisi enim hunc in finem id fieret, cur rogo priùs de istis, quàm de præceptis decalogi, quæ sequenti capite memorantur? Pro quorum luce notandùm, ex Sancto Doctore [A] eò collimasse veterem totam legem, vt Christum prænunciaret; idcircò enim tradita est, vt ille populus, ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctificatione polleret. Et quia populus Iudæorum ad hoc electus erat, oportuit totum [B] illius populi statum esse propheticum & figuralem, vt Augustinus dicit contra Faustum. Hinc ait Apostolus Rom. 3. *illis sunt tradita eloquia Dei*. Quoniam autem non intenditur specialiter exprimi aliquam cæremoniam quæ sonet Christum, sed solummodò fuisse præfiguratum, ideò in communi, & quasi in vno tanguntur, quemadmodum, non nisi vnum Dominum venturum præsignabant; non enim intendit Moyses erudire populum de hoc aut de illo, quod innotuisse præsumit, sed commonere vult in communi, *omnia in figura* contigisse, & legem *vmbram* habere *futurorum bonorum*; Hebr. 10. Et hoc ex versus sequentis annexione patebit magis.

A p. 2. 98. 4.

B p. 2. 104. 2. 2.

VERSVS II. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.*

Grano salis est intelligendum: *non addetis*, scilicet [C] aliquid contrarium, seu extraneum verbis, quæ ego loquor: addere enim aliqua, quæ non sunt contraria, licuit eis, scilicet aliquos dies solemnes, & alia similia: sicut factum est tempore Mardochæi, & tempore Iudith, in memoriam beneficiorum, quæ à Deo recipiebant. Quod prædocuerat etiam [D] in alia lectione, ad illud Apocalypsis vltimo, *si quis apposuerit adhac vel addiderit*, scilicet omninò alienum, *apponat Deus super illum plagas scriptas in libro isto*. Alibi [E] de Symbolo loquens considerat, veriùs dici sumptum de Sacra Scriptura, quàm illi additum. Et In tertia parte [F] ad verba, inquit, Sacræ Scripturæ non licet aliquid apponere, quantùm ad sensum, sed quantùm ad expositionem Sacræ Scripturæ multa ei verba à Doctoribus apponuntur. Non tamen licet etiam verba Sacræ Scripturæ apponere, ita quòd dicantur esse de integritate Sacræ Scripturæ, quia hoc esset vitium falsitatis.

C Gala 1. 1. 3.

D Lect 1.

E 22. 9 1.

F 3. p. 60 8. ad 1.

At non quiescit idcircò animus, cur inquies, modò (& non anteà, cum singillatim traderentur præcepta) id inhibitum est? siue potiùs in fine, sicut facit Joannes in Apocalypsi? dicens c. 22. *si quis apposueris ad hæc* &c. *& si quis diminuerit*. Quantùm assequi possum; Respondeo, nullibi opportuniùs; eòquod intendit Moyses firmiter auditorum cordibus figere, legem fuisse mysticam & figuralem: & ita vt hoc solerter simul velet quodammodo, & detegat; *non addetis*, inquit, *ad verbum, nec auferetis*: quasi in minimo crimen sit: quia, vt docet profundè Angelicus, [G] figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Quod quidem ipse declarare consueui exemplo, siue imagine alicuius, quæ si vel tantillùm deficiat à prototypi similitudine, vituperatur; & meritò, quia cùm secundùm totum sit repræsentatiua, falsitatis arguitur, siue excedat, siue non exæquet ideatum. Itaque dùm sic intactam vult legem, idem est, ac si commonefaceret esse figuralem,

G 22. 121 4. ad 4.

2 Et ecce in contextu paulo post; *hæc est enim*
vestra sapientia, & intellectus: En populus sapiens,
& intelligens: ex quo satis claret mysticam per-
pendi causam, ad quàm scrutandam opus est in-
tellectu & Sapientia, ps. 118. *da mihi intellectum*
& scrutabor legem tuam: Prouerbiorum 28. *qui*
H 22.45. a. 1. & 3. *custodit legem, filius sapiens est*. Sapientiæ dono ex
S. Doctore, [H] ille dicitur sapiens simpliciter,
qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quę
est Deus; in quantùm per regulas diuinas omnia
potest iudicare, & ordinare: munus autem Sa-
pientiæ inter alia est consulere diuina, vt per di-
I 22.8. 3. uinas regulas dirigantur actus humani. Donum
autem intellectus apud eundem [I] quemadmo-
dum nomen fert, quandam intimam cognitio-
nem importat; dicitur enim intelligere, quasi
intùs legere; subditque: sunt autem multa ge-
nera eorum quæ interiùs latent: nàm sub acci-
dentibus latet natura rei substantialis; sub ver-
bis latent significata verborum; sub similitudi-
nibus, & figuris latet veritas figurata. En pa-
lam fieri quid intendat Moyses, nimirùm ad fi-
gurarum meditationem transferri mentem,
vnde & fidei nostræ, & Christi mysteria pandun-
tur. Prætereà Ephesior. 5. l. 6. ille simpliciter
est sapiens, qui cognoscit finem; vel qui agit
propter finem vniuersalem, scilicet Deum, Deut.
4. *hæc est enim sapientia*, &c. *Sapientia* enim, *est*
diuinarum rerum cognitio, vt dicit August. 4. de
Trinitate. Et hac de causa inquit, *& nùnc Israel*
audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te. Signan-
ter ly *nùnc* apponitur, quoniam, vt visum est,
altè de Christo dictum fuerat, in præmissis capi-
tibus; & ita, *nùnc*: ac si dicat opportunè, con-
uenienter, immò necessariò, *doceo te*, quam-
quam docuerit anteà, vt exprimit v. 5. *scitis quod*
docuerim vos præcepta, atque iustitias sicut manda-
uit mihi Dominus Deus meus: *nùnc* docet, quia
priùs, iuxta mandatum Domini, agenda pro-
posuerat, *nùnc* agendorum causas, & quidem fi-
gurales intendit docere, quod est proponere, sed
ante oculos, vt dicit versu 8. & meritò; quia vt
L 22. 16. a. 1. alibi [L] tradit, primò sunt proponenda legis
præcepta, & postmodùm homines sunt indu-
cendi ad eorum scientiam, vel intellectum. Et
iterum meritò ait, *doceo*, & *docuerim*, eoquòd,
ibidem ad 2. doctrina pertinet ad maiores: qui-
bus deinde, (vt obseruat) & præceptum prohi-
bitiuum traditur, *non addetis ad verbum, quod*
vobis loquor, neque auferetis ex eo; & affirmatiuum
v. 9. *docebis ea filios, ac nepotes tuos*. Quare vno
verbo, non intendit Moyses aliquam texere, vel
retexere seriem præceptorum, sed eadem, vt
decet Scripturæ maiestatem, solerter quasi nuri-
bus enucleare. De quibus redibit sermo consi-
milis capite 6.

3 VERSVS III. *Oculi vestri viderunt om-*
nia, quæ fecit Dominus contrà Beelphegor.

Mirum est, quomodo Moyses hæc adnectat
de punitis Numeri 25. ijs, qui fornicati fuerant
cum filiabus Moab, *initiati Beelphegor*; legali
enim obseruantiæ conferre potiùs videbatur, si
memoraretur de Core, de Dathan, & Abiron,
cæterum subtilis literæ intelligentia, & admi-
rationem amandat, & scriptoris Sapientiam
commendat. Docturum se legem exhibuerat in
primo versu: in secundo, quomodo sit mystica
& figuralis innuerat, monendo quàm exactè &
inuiolabiliter esset custodienda: in præsenti tex-
tu, vt neglectum omnem, qui sensim priùs ad
contemptum, deinde tandem ad infidelitatem
disponit, excutiat, patrata contra Beelphegor
renocat ad memoriam: ac si velit apertè dicere,
cauete, ne oscitanter audiatis, minúsque fideli
mente teneatis, memores cultorum Beelphe
gor, quos de medio vestri contriui: vnde licet
conijcere radicem lapsus illorum, fuisse legali-
um inobseruantiam ex infirma fide prognatam:
& ideò ne aliquando & hi corruant, exemplo
aliorum muniuntur. Fauet huic meditationi,
non solùm sic optimè continuari literam, sed &
quod subditur. *Vos autem qui adhæretis Deo viui-*
tis; nam per fidem, adhæremus Deo. Et quod
de fide quam protestabantur fiat sermo manife-
stum est, quia Ezechiel. 20. habemus, *dedi eis*
præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent,
idest, ait in op. 58. c. 1. minùs bona, & cæremo-
nialia, in quibus non viuent, quia vitam gratiæ M 3. p. 8 3. 2.
non conferebant. Quocirca ex S. D. [M] fides vnit
Deo, (licèt non simpliciter quemadmodum
cùm est per gratiam formata) secundùm quid;
& qui fidem habent, nonnullum actum vitæ ha-
bent sicut membrum mortificatum mouetur ali-
qualiter ab homine. *Iustus ex fide viuit*. Tacitùs
etiam innuitur Diuinitas Messiæ, latentis sub ve-
lamine, & carne literæ; siquidem vt ait D. Au-
gustinus, in sermone de Sancto Ioanne Bap[illegible],
lex Christo grauida erat. Sit ergo dictum à Moyse,
dum de Beelphegor commemorat, cauete ne
doctrinam, quam ego doceo vos, contem[illegible];
nàm erit delinquere, in veri Dei cultu, non le-
uiùs ac illi, qui *initiati sunt Beelphegor*. Hoc est er-
go quod intendit docere: versu enim 6. inquit,
hæc est vestra sapientia: quod non solum adduci- N p p 1 6
tur à D. Thoma, [N] vt stet pro Sacra Doctrina,
sed etiam pro Christo [O] Domino: sic enim ait, O psalm 36.
quidam meditantur Christum qui est sapientia
Dei Patris; & statim allegat Deut. 4. *Hæc est sa-*
pientia vestra, & intellectus. Sapientia est secun-
dùm Augustinum, cognitio diuinorum. Aptè
coniunguntur hæc duo, sapientia, & intellectus,
quia, *minor est sapientia, si intellectu careat*; (vt
dicit Gregorius) & inutilis est intellectus sine
sapientia, quia sapientia iudicat, & intellectus
capit; & non valet capere, nisi iudicet; & è con-
uerso. Ita ad Coloss. 1. ad illa verba, vt *implea-*
mini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia, &
intellectu spiritali.

VERSVS VII. *Non est alia natio, tàm* 4
grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut
Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

S. Doctor in prima secundæ [P] homo quan- P p. 2. 98 5. 2.
tò Deo magis coniungitur, tantò efficitur me-
lioris conditionis: & ideò quantò populus Iu-
dęorum erat astrictus magis ad diuinum cultum,
dignior alijs populis erat: vnde dicitur Deute-
ronomij 4. *quæ est alia gens sic inclyta, vt habeat*
cæremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem.
Idem Sanctus Doctor profundè meditatus hunc
locum, constanter in offi[illegible]io Augustissimi Sacra-
menti in Sermone, applicat ad Incarnationis
mysterium, dicens, *non enim est, aut fuit aliquando*
tàm grandis natio quæ habeat Deos appropinquan- Q in Sermone Sacramenti in officio opusc. 57.
tes sibi, sicut Deus noster adest n[illegible]. Vnigenitus si-
quidem Dei filius, suæ Diuinitatis volens nos esse par-
ticipes, nostram naturam assumpsit, vt homines Deos

face-

faceret, factus homo. Nec calumnietur quispiam leuitèr intelligentia tinctus expositionem, quasi extorta sit ac violenta; nàm licèt in litera non sit *adest nobis*, sed *cunctis obsecrationibus nostris*: tamen, non est sensus certè de exauditione, eo-quòd non semper absolutè exaudit Dominus Deus: igitur appropinquare dicebatur, quia legalibus, in quibus protestabantur mediatoris fidem, veluti appropinquabat, mystico deuotionis tractu, suauique coactione proximiùs figurata impleturus; Iacobi 4. *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. Et ideò postquam re ipsa mysterium factum est, benè ait Angelicus, *adest nobis*, & ibidem in responsorio septimo refert ad Sacramentalem præsentiam: de qua clariùs saluator; *in me manet & ego in eo; qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*.

VERSVS XII. *Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis*.

Hæc est clausula apparitionis Domini in Horeb. Ibi enim vltra decalogum, accepit Moyses legem cæremoniarum, & iudiciorum, quæ erant in pactum populo illi, vt legitur v. 13. & 14. Quare, vt videtur mihi, pergit Moyses enucleare Messiæ venturi mysterium: quod quemadmodum in lege præfigurabatur, ita in ipsa legis
R p.p. 51. a. 1. datione. Mitto quòd omnes [R] legis veteris apparitiones ad illam ordinabantur, qua filius, Dei apparuit in carne. Quod si alibi locum habet, multò magis in præsenti commemorata Dei locutione: *vocem verborum eiusdem audistis* dicente Apostolo Heb. 1. *multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis, locutus est nobis in filio*. Et considero loqui Dominum, & apparere in igne. Etsi enim tùnc ad incutiendum timorem, quod, & hìc dicitur, *vt discant timere me*, & ignis & tornitura essent; attamen figuratè amor Dei portendebatur [?]. Vulgatum est in scripturis hoc ipsum: *fortis est vt mors dilectio, lampades eius lampades ignis atque flammarum* Cant. 8. Ieremiæ 31. *in charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans*; quod absque dubio ad Christi mysterium spectat; ideò & ipse in Euangelio *ignem veni mittere in terram*: Lucæ 12. & hìc v. 36. *in terra ostendit tibi ignem suum maximum*; quia scilicet, *maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: vnde, & hìc v. 24. appellatur Deus ipse, *ignis consumens est* & nomen hoc, inter innumera, quæ recolit D. Dionysius c. 1. & ibi D. Thomas Lect. 3. seligitur: ea certè de causa, quia, *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, ad purificandos homines à peccatis, quia ratione purificationis, ita expendit D. Thomas dici;
S opus. 7. 5. vt enim [S] ignis metalla purificat, ita Deus purificat corda peccatorum. Vel ad illuminandum;
T 3. cont. G. c. 51. nàm ideò, [T] tàm Deus, quàm Angeli in Sacra Scriptura in figuris igneis describuntur, propter ignis claritatem.

VERSV eodem XII. *Vocem verborum eius audistis, & formam penitùs non vidistis*.

5 Quoniam aliqualis apparuit vnio Dei ad ignem, noluit Dominus aliquam eis exhiberi formam, ne rudis populus ea ex apparitione deceptus, putaret in Deo mistionem aliquam esse corporis; vel confusionem naturarum in Christo; in quo errauit Eutices: igitur cauet, ne aliquam sculptam faciant similitudinem, vel imaginem, de quo satis Exodi 20. dictum est. Verùm cùm ex D. Dionysio in eodem c. 1. ad finem, habeamus aliquando à quibusdam apparitionibus diuinis, in Sanctis templis, aut alibi, nominari per Theologos Deum: & *formas ipsi, & figuras humanas, aut igneas, aut electriuas circumponunt; & oculos ipsius, & vires, & cincinnos, & vultus, & manus* &c. (vbi D. Thomas, & ad laudem ipsius describunt ei oculos, & aures, & alia membra, & circumponunt ei coronas;) constat non simpliciter prohiberi sculptam similitudinem, aut imaginem, sed quatenùs malè cordato populo, occasio poterat esse erroris & idololatriæ: satisque claret in litera, cùm dicitur, *ne fortè decepti* &c. & iterùm, *ne fortè eleuatis oculis ad cœlum, videas solem, & lunam, & omnia astra Cœli & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus*. 6

Igitur dempto erroris periculo nihil prohibet imagines formari, & in eis imaginata venerati. Et quis scit? est hæc studiosa Moysi præoccupatio, vt cùm sub forma veri hominis adoraretur Dei *Verbum factum caro*, non crederetur sacrilegum, quando sic adoratio exhibetur homini Deo, vt nihil simplicitatis, aut perfectionis Diuinati dematur. Explicat autem [V] quomodo V 1. Cor. G. 22.
in ministerium sint, quia motio cœli ordinatur ad generationem: generatio autem tota ordinatur ad hominem, sicut in vltimum finem huius generis, scilicet generabilium, & mobilium: ergo facta sunt in ministerium corpora omnia cœlestia.

VERSVS XX. *Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Aegypti*.

Ieremiæ in Commentario; [X] fornax, propter afflictionem; ferrea, propter duram dominationem. Tangitur eductio de Ægypto; & statim de introductione in terram promissionis; quoniam cæremoniæ, & iudicia, vt dicitur c. 6. id sibi volunt. Sed absit vt in cortice stemus. Fornax ferrea erat diaboli oppressio, qui tyrannide occupauerat animas; *erepti de durissimo Pharaonis imperio*. Et ad ostendendum se loqui mysterium, adiecit Moyses, se à visione terræ dolenter exclusum: *Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem*; si enim de materiali terra Chanaam, acciperetur, non ita languesceret Moyses, qui apprimè nouerat illius vbertatem; quique despiciebat terrestria; & vel per transennam è vertice Phasga, ipsam erat inspecturus: latebat ergo, simulque detegebatur arcanum quid de cœlestis Patriæ visione. Miscet nihilominus aliqua verba, quæ sonant historialem terræ possessum quandoque, quandoque mysticum, vt intuenti patet, eoquòd sic deceat prophetiæ dignitatem, ne *sanctum detur canibus, & margaritæ ponantur ante porcos*.

X Ierem. c. 11.

VERSVS XXIII. *Caue ne quando obliuiscaris pacti* &c.

VERSVS XXIV. *Quia Dominus Deus tuus, ignis consumens est; Deus æmulator*.

Pacisci dignatus est Deus de terra Chanaam, si legitima feruent in cultu Dei: secus comminatur vltionem. Ad illa verba Danielis, [A] A Danielis c. 7.
Thronus eius flamma ignis; seueritatem, inquit, significari, quia Dei iudicia flamma sunt, nàm Deus *ignis consumens est*. Nihilominus alibi, [B] B 2. Cor 11. l. 6.
amor Dei, & proximi dicitur *ignis consumens*.

Subditur autem ratio vindictæ; quia *Deus æmulator*. Ibidem, *æmulor vos*, [C] idest diligo vos ferueutèr: vnde æmulatio esse potest idem quod zelus. Zelus autem [D] est amor sponsi. Cùmque sponsalia inter Christum, & Ecclesiam [E] contracta sint in incarnatione, sicut solemnitas celebrata in resurrectione; innotescit & hinc Redemptionis mysterium.

C ibi L.1. D Hebr. 10.L.1. E Apoc. 19. Com. 2.

VERSVS XXVI. *Testes inuoco Cælum & terram.*

Non desinit obtestari de illorum dispersione, quando præuaricentur a Deo, vt patet de captiuitate sub Nabuchodonosor in Assyria, &c. Verùm postquàm fore dixit, vt reconcilientur Deo; addit de dispersione post Christi repudium; quæ tandem terminetur in bonum, quia *reliquiæ saluæ fient*: Roman. 9. propterea.

VERSV XXX. *Postquam te inuenerint omnia quæ prædicta sunt, nouissimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius.*

Auditus per verbum Christi Rom. 10. *fides ex auditu*. Credent ergo in nouissimo tempore. Quæ quidem, ad rem coincidere videntur cum Osee dicente c. 3. *Post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum*, &c. *in nouissimo dierum.*

8 VERSVS XXXII. *Interroga de diebus antiquis* &c.

Magnificat incarnationis mysterium *absconditum à sæculis in Deo*, Eph. 3. in æternis indeficientis lucis sapientiæ thesauris. Danielis 7. *antiquus dierum sedit*. Propter hoc, ex Dionysio c. 10. de diuinis nominibus L. 2. *quid & ante dies, & ante æuum, & tempus.*

VERSVS XXXVI. *Audisti verba illius de medio ignis.*

Causam huius beneficij legis acceptæ assignat statim, *quia dilexit Patres tuos & elegit semen eorum post eos*: hunc [F] enim populum elegit, vt ex eo Christus nasceretur, & non alium. Cuius si quæratur causa, conuenit Responsio Augustini super Ioann. *quare hunc trahat & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.* Constat autem, cum legitur Gen. 12. *benedicentur in semine tuo omnes gentes*; secundùm Hieronimum *in semine tuo quod est Christus*: & per Apostolum ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit, seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno; & semini tuo, quod est Christus*; Constat inquam, quod & hic sonet ly *semen eorum post eos*: quamuis aliàs infra c. 10. ad litteram exponatur; *idest vos de cunctis Gentibus, sicut hodie comprobatur*. Hoc ipsum sonat quod pauloante n. 34. *Si fecit Deus, vt ingrederetur*. &c. nam vbi Apostolus idem Hebræorum 10. dicit, *Christus ingrediens mundum* &c. ait glossa [G] ingrediens idest *homo factus*. Et supra v. 20. *vt haberet populum hæreditarium*, videtur significari quòd ait pariter Paulus, *hæredes Dei, cohæredes autem Christi*, qui est caput prædestinatorum, in quo sumus electi *ante mundi constitutionem*, de qua electione intelligit etiam [H] textum præsentem, *dilexit Patres tuos & elegit semen eorum post eos*. ex quo denique versu 39. videtur expressiùs descensus eius de Cœlo in terram notari. *Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse sit Deus in Cœlo sursum, & in terra deorsum.*

F psal 98. 6. G Opusc 58. c. 10. a. H psl. 17. lit. v.

VERSVS XXXXI. *Tunc separauit Moyses tres Ciuitates &c.*

Vel, vt homicidium seu Deicidium, quod per ignorantiam fecerunt Iudæi, allegorizet; statim quippe sequitur; *vt confugiat ad eas, qui occiderit nolens proximum suum*. Act. 3. *scio quod per ignorantiam fecistis*: vel, vt causam, Messiæ venturi, ex homicidio totius naturæ humanæ, quod perpetrauit Adam, ob oculos ponat: Roman. 5. *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*: Vel, vt regressum in pristinam libertatem, & in Patriam post mortem Summi Sacerdotis qui est Christus, de qua dictum est Numeri 35. insinuet. Et de hoc capite, satis.

C A P V T V.

Exod. 20. 12. Leui. 16. 1. 1. Psal. 80. b. 8. Exod. 20. 1. 3. Psal. 80. 2. 7. Leu. 16. a. 1. Psal. 96. b. 7. Exo. 20. a. 4. Exo. 34. c. 14. Exo. 20. 2. 7. Leu. 19 c. 12. Mett. 5. c. 11. Exo 20. 2. 10. Gen 2. a. 2 Hebr. 4. b. 3.

1 VOcauitque Moyses omnem Israelem, & dixit ad eum: Audi Israel ceremonias,
atque iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere
complete. 2 Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. 3
Non cum patribus nostris inijt pactum, sed nobiscum, qui in præsentiarum sumus, & viuimus.
4 Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. 5 Ego sequester &
medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius. timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem, & ait:
6 Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Aegypti de domo seruitutis.
7 Non habebis Deos alienos in conspectu meo.
8 Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desuper, & quæ
in terra deorsum & quæ versantur in aquis sub terra.
9 Non adorabis ea, & non coles.
Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam, & quartam generationem his, qui oderunt me,
10 & faciens misericordiam
in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea.
11 Non vsurpabis nomen Domini Dei tui frustra: quia non erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit.
12 Obserua diem Sabbati, vt sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.
13 Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.
14 Septimus dies Sabbati est,
id est, requies Domini tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, seruus
& ancilla, & bos, & asinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus quæ est intra portas tuas:
vt requiescat seruus tuus, & ancilla tua, sicut & tu.
15 Memento quod & ipse seruieris in

Aegypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento: Id- Exo 20
circò præcepit tibi vt obseruares diem Sabbati. 16 Honora patrem tuum & matrem, ficut c 12.
præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene fit tibi in Terra, quam Eccles. 3
Dominus Deus tuus daturus est tibi. 17 Non occides. 18 Neque mœchaberis, 19 Fur- Matt. 15
tumque non facies, 20 Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 21 Marc. 7
Non concupisces vxorem proximi tui: non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, b 10.
non bouem, non asinum, & vniuersa, quæ illius sunt. 22 Hæc verba locutus est Dominus Ephe. 6. a
ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis, & nubis & caliginis, voce Matt. 5. d
magna, nihil addens amplius: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mi- Rom. 7. b
hi. 23 Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere 7.
vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum & maiores natu, atque dixistis: 24 Ecce
ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem & magnitudinem suam, vocem eius audi-
uimus de medio ignis, & probauimus hodie quod loquente Deo cum homine vixerit homo.
25 Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltra vo-
cem Domini Dei nostri, moriemur. 26 Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuen-
tis, qui de medio ignis loquitur sicut nos audiuimus, & possit viuere? 27 Tu magis accede:
& audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos, & nos audientes
faciemus ea. 28 Quod cum audisset Dominus, ait ad me: Audiui vocem verborum populi
huius quæ locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti. 29 Quis det talem eos habere mentem,
vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene sit eis & filijs
eorum in sempiternum? 30 Vade & dic eis Reuertimini in tentoria vestra. 31 Tu verò
hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque iudicia: quæ docebis
eos, vt faciant ea in Terra, quam dabo illis in possessionem. 32 Custodite igitur & facite
quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sini-
stram: 33 sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, vt viuatis, &
bene sit vobis, & protelentur dies in terra possessionis vostræ.

VERSV I. *Audi Israel ceremonias atque iudicia.*

Cùm nullius præcepti cæremonialis, aut iudicialis fiat mentio, sed solummodo de moralibus in Decalogo, mirabitur quis, quòd cæremonias & iudicia se dicat Moyses proponere. Verum enim ex doctrina Sancti Thomæ, ^A tàm præcepta cæremonialia, quàm iudicialia sint determinationes quædam moralium præceptorum in communi, ideò quamuis nihil specialius de cultu diuino per cæremonias; nihil specialius de iustitia inter homines obseruanda traderetur; dùm moralia percurrunrur, quodammodo tanguntur & cæremonialia, & iudicialia; quia communicant in hoc, quòd à ratione deriuantur. Suppresso ergo veluti vocabulo, innuuntur: & hoc sentire sibi vult, quod ait Moyses; *quæ ego loquor in auribus vestris*: silenter enim, & veluti non expressè ad aures consueuimus loqui. Igitur paulatim sternitur via pro legalium extinctione: in cuius confirmationem est. A p. 2. 99. 4.

VERSVS III. *Non cum patribus nostris iniit pactum.*

Cum simpliciter negari nequeat iniisse Deum pactum cum Patribus, vt patet Genesis 17. & præterea in proximis capitibus, Septimo *custodiet & Dominus Deus tuum pactum tibi, & misericordiam quam iurauit Patribus tuis*; & octauo, *vt impleret pactum suum, super quo iurauit Patribus tuis*; dicendum est intelligi negari pactum, quod iniit in Horeb; de legalibus scilicet quod cum non contigerit Patribus antiquioribus, argumento est, ideò hic expendi, vt innotescat cæremonialia, & iudicialia, non duratura in finem, quæ non fuere à principio: cùm tamen prisci illi, vt Abraham, Isaac, & Iacob, acceptissimi Deo essent: ad quod indicandum ipse Dominus Ieremiæ 7. *non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum*: Et id ipsum claret, quia videtur arctare obseruantiam ad tempus vsque possessionis terræ promissionis: versu 31. *quæ docebis eos, vt faciant ea in terra quam dabo illis in possessionem*: tunc autem figuratè defierunt esse in terra promissionis, quando venerat Christus, & nos redimerat. Alias autem cap. 7. versu 9. *custoditurum se polliceter pactum & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta eius in mille generationes*. Et hoc est quod ait Apostolus ad Romanos ^B *Verbum consummans & abbreuians in æquitate*: & ita, vt ibi ex Diuo Thoma, abbreuianda erant verba legis, quia omnia sacrificia figuralia legis in vno vero sacrificio, comprehensa sunt; quo Christus *tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam*, vt dicitur Ephes. 5. Præterea multitudo figurarum, & præceptorum legis comprehenduntur sub breuitate Euangelij: nihil tamen omittendo, obseruandum, quod æquum sit secundùm dictamen rationis naturalis. Denique omnia præcepta legis moralia in duobus præceptis charitatis clauduntur. Hoc est ergo quod ait; *Verbum Euangelij erit abbreuians, & consummans in æquitate*. Et quia (tu necte) Deuteronomium istud, nouam præsagit Euangelij legem, ideò in præsenti vix meminit cæremonialium & iudicialium, nisi complexu quodam Decalogi: immò & ipsum Decalogum, in præcepto dilectionis abbreuiat infra, 6. capite; *diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo* &c. præscius Moyses Responsionis Iesu ad tentatorem Matthæi 22. *diliges Dominum Deum tuum &c.* B Rom. 9 f. 5.

VER-

VERSVS IV. *facie ad faciem locutus est nobis in monte.*

Soli Moysi facie ad faciem: infra c. 34. *non surrexit vltra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem.* Igitur figuraliter congruentiùs accipitur; quia *nouissimè* locuturus erat nobis *in filio*, vt ait Apostolus Hebræor. 1. Et iam id comprobat sequens textus.

2 VERSVS V. *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo.*

Subdit, *timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem.* Certè aliquo studio id commemorat: nempè, vt recolatur lex fuisse timoris; atque adeò existentibus sub peccato; est enim *timida nequitia*, Sapientiæ 17. Aiebat Apostolus ad Romanos, [C] *non enim accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore.* Lex vetus data est in timore, quod significabant tonitrua, & alia huiusmodi in datione veteris legis, Exodi 19. & ideò dicitur Hebræorum 12. *& ita terribile erat, quod videbatur*; & ideò lex vetus per inflictionem pœnarum inducens ad mandata Dei seruanda data est in spiritu seruitutis; ad Galat. 4. *Vnum quidem in monte Sina in seruitutem generans*: Stante hoc timore recolit Moyses se fuisse sequestrem & medium. Quamuis autem hoc Moysi conueniens fuerit, vt innotesceret, ex officio Pontificem obligari [D] ad hoc, quòd bona spiritualia proximis administret, quasi quidam mediator inter Deum, & homines constitutus; vnde & è conuerso, preces & obsecrationes Deo in persona populi offert. Quod & alibi explicat [E] de Sacerdote quocumque ex hac eadem authoritate, cui pertineat dogmata, & Sacramenta exhibere populo, & iterum ea quæ sunt populi, puta preces, & sacrificia, & oblationes offerre, secundùm illud Apostoli ad Hebræos 5. *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum*: tamen Moyses altiori quadam ratione sequester, & medius est, quia nimirum, vt in eodem opusculo, & ad Gal. 3. l. 7. ait, gessit figuram Iesu Christi, cui simpliciter & perfectiuè proprium [F] est esse mediatorem Dei, & hominum: 1. ad Timotheum 2. *Vnus est mediator Dei, & hominum homo Iesus Christus.* Moysen autem figuram in hoc fuisse Christi (præterquàm alia extat comparatio, *lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*) constat etiam ex D. Paulo ad Galat. 3. dicente de lege, *ordinata per Angelos in manu mediatoris; mediator autem vnius non est*; &c. Et quia sequester altercationem supponit duorum, potest referri hoc ad inimicitiam inter Deum, & hominem ex peccato, ex quo timebatur: & ita ad Ephes. 2. *per Crucem interficiens inimicitias in semetipso*; Roman. 5. *cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Verùm de eodem mediatore ait S. Doctor [G] ad officium mediatoris propriè pertinet coniungere, & vnire eos inter quos est mediator. Christus autem per suam mortem humanum genus Deo reconciliauit: vndè loco citato ad Timot. adiecit Paulus, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Sed quoniam, ad Galat. dicitur, *mediator vnius non est*, intelligitur Christus Dominus [H] esse mediator non vnius populi tantùm, scilicet Iudæorum, sed etiam gentilium, Ephes. 2. *ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*; & hoc, ex parte gentium auferendo idololatriam, & ex parte Iudæorum obseruantiam legis. Et ecce quomodo videtur id Moyses tangere, qui statìm Decalogi dumtaxat præcepta percurrit: & ad Idololatriam extirpandam non parum moratur in primo. Itaque in Decalogo conuenire oportet omnes: Et vlteriùs in idololatriæ detestationem reuocantur gentiles: nec non legis remouetur obseruantia, quando, loquendo de Sabbato, non de cæremonijs ait

VERSV XIV. *Non facies in eo quidquam operis tù, & filius tuus, & filia; seruus & ancilla; & bos & asinus & omne iumentum tuum, &c.* 3

Ex hoc in primis commendat honestatem legis [I] quæ quantùm ad seruos instituit vt modestè tractarentur quantùm ad labores, ne scilicèt immoderatis laboribus affligerentur. In opusculo [L] autem, astruit datum etiam fuisse præceptum de sabbati omnimoda requie, ad exercenda opera pietatis respectu subditorum; aliqui enim crudeles sibi & suis, non cessant continuè operari propter lucrum; & hoc habent Iudæi maximè, quia auarissimi sunt; *vt requiescat seruus tuus, & ancilla tua, sicut tu.* Cæterùm nihil, me iudice, prohibet, per hoc mysticè præsignari, fuisse tempore gratiæ per Christum excutiendam seruitutem peccati, & onus legis; *hoc est iugum*, Actor. 15. *quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Asina etiam & pullus*, ait D. Chrysost. in Matth. 21. *Iudæa sunt & Gentes; est enim animal hoc oneriferum magis.* Ideò pro sabbati exactissima obseruantia, non inducitur requies diei Septimi post Creationem, quemadmodùm Exodi 20. sed liberatio de Ægypto; *memento quòd & ipse seruieris in Aegypto &c.* Iam non sumus sub Pharaonis Infernalis tyrannide, *erepti de durissimo illius imperio* per Christum, qui Isaiæ 33. *est legifer noster, & in cuius manu*, infrà Deuteronomij 33. *est ignea lex*; est enim lex amoris, vt prisca timoris.

VERSVS XXV. *Si enim audierimus vltrà vocem Domini Dei nostri, moriemur.*

Legimus Iob 26. *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius*; [M] (quod pertinet ad illam cognitionem, qua per viam creaturarum in Dei cognitionem noster intellectus ascendit) *cùm vix paruam stillam sermonum eius audiuerimus*: (quod pertinet ad secundam cognitionem, prout diuina nobis credenda per modum locutionis reuelantur) *quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* quod ad tertiam cognitionem pertinet, qua prima veritas cognoscetur, non sicut credita, sed sicut visa. Inquit autem S. Doctor, stillam auditi paruam, & vix: quia nobis aliqua reuelantur quidem, sed sub similitudinibus & obscuritatibus verborum, vt ad ea quoque capienda soli studiosi perueniant: alij verò quasi occulta venerentur, vt increduli lacerare non possint: & ideò addidit *vix*, vt difficultas ostenderetur. Post naturalem cognitionem, per decalogum illustratam, & aliquantulum per tactam aliquam figuram eleuatam, in signum se fide tenere dicunt, se *audisse*: sic in Iob loco citato D. Thomas; quia reuelata veritas de diuinis non videnda, sed credenda proponitur, rectè dicit *audierimus*. Vltra non audent; quia excedunt mysteria captum rudioris non solùm populi, sed & Principum tribuum, & maiorum natu, cum

C Rom. 8 l. 3.
D Opusc. 18. c. 16.
E 21. 86. 6.
F 3. p. 26. 1.
G 3. p. 26. 5.
H Galat. 3. l. 7.
I p. 2. 105. 4.
L Op. 4. 5. 14.
M 4. Cont. G. c. 1.

esset adhuc velum intra Sancta. Et ecce,

VERSVS XXVI. *Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis?*

Cohæret quod legimus Iob 37. *etiam si locutus fuerit, homo, deuorabitur quasi absorptus à ma-*
N Iob 37. 1. 2. *gnitudine* [N] *materia*, quasi tantam rem capere non valens, & adducit D. Thomas contextum hunc; *quid est omnis caro* &c. & ita paulo antè inquiunt, *cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus?*

VERSVS XXIX. *Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me?*

Prælaudatur à Domino illorum timor: & exoptatur non solùm, sed Donum Dei declara-
O 3. p. 85. 5. 4. tur, vtpote quem nemo dare possit, nisi Deus ipse. Motus siquidem timoris [O] procedit ex actu Dei conuertentis cor; vnde Deuteronomij 5. *Quis det eos talem* &c. Quamuis autem sit seruilis
P Rom. 8. l. 3. & 22. q. 19. timor, laudatur. Quocirca S. Doctor, [P] alius est timor qui refugit malum, quod contrariatur naturæ creatæ, scilicet malum pœnæ; sed tamen refugit hoc pati à causa spirituali, scilicet à Deo; & hic timor est laudabilis, quantùm ad hoc solùm quòd Deum timet. Deut. 5. *Quis det* &c. & secundùm hoc à Spiritu Sancto est. Sed in quantùm talis timor non refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicet peccatum, sed solùm pœnam, non est laudabilis: & istum defectum non habet à Spiritu Sancto, sed ex culpa hominis: sicut fides informis quantùm ad id quod est fidei est à Spiritu-Sancto, non autem eius informitas. Vnde etsi per huiusmodi timorem aliquis bonum faciat, non tamen benefacit, quia non sponte, sed coactus metu pœnæ, quod propriè est seruorum. Et ideò timor iste propriè dicitur seruilis, quia seruiliter facit hominem operari. De hoc timore alibi, [Q] primus actus timoris, qui est timor gehennæ, præparat lo- Q p. Ioan. 4.
cum charitati, & eam tandem introducit, sicut seta, vel acus filum, vt ait Augustinus, & D. Gregorius in Gregoriano; [R] *in via Domini à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur.* R Apoc. 14. Com. 2.

VERSVS XXXII. *Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

Hoc crediderim moneri eos, quia virtus omnis vt traditur 1. 2. consistit in medio, [T] per T p. 2. 64.
conformitatem ad regulam vel mensuram; secundùm quam virtus transcendit, aut deficit. Et ideò stando in viæ metaphora, subiungitur; *sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester*; quare opinor intendere Moysen, vt caueant in Dei cultu ab omni superstitione, quæ facilè tot in cæremonijs potuisset obrepere.

Vel ex ipsius doctrina in 2. Apocalypsis Commentario ibi, *audiui vocem vnius Aquilæ volantis per medium cæli.* [V] *Per medium* &c. non V Apo. 8. ad finem
declinando scilicet, ad dexteram, per scrutinium maiestatis, Prouerb. 25. *Qui perscrutator est maiestatis opprimetur à gloria*: Nec ad sinistram per solam acceptionem sensus litteralis, quia non omnia sunt ad litteram accipienda, vt patet Galat. 4. *Abraham habuit duos filios* &c. *quæ sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo testamenta,* &c. *Littera occidit, Spiritus autem viuificat*, 2. Cor. 3.

CAPVT VI.

1 HAec sunt præcepta, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus
vester, vt docerem vos, & faciatis ea in Terra, ad quam transgredimini possi-
dendam: 2 vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata
& præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filijs, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ,
vt prolongentur dies tui. 3 Audi Israel, & obserua vt facias quæ præcepit tibi Dominus,
& bene sit tibi, & multipliceris ampliùs, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum
tibi terram lacte, & melle manantem. 4 Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus
vnus est. 5 Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: & ex Mat. 22. d. 36.
tota fortitudine tua. 6 Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: 7 Mar. 12. c. 30.
& narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere,
dormiens atque consurgens. 8 Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & moue- Luc. 10. e. 27.
buntur inter oculos tuos, 9 scribesque ea in limine & ostijs domus tuæ. Cumque introdu- Infr. 11. b. 13.
xerit te Dominus Deus tuus in Terram, pro qua iurauit patribus tuis Abraham, Isaac, &
Iacob: & dederit tibi ciuitates magnas & optimas quas non ædificasti, 11 domos plenas
cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta & olineta, quæ
non plantasti, 12 & comederis, & saturatus fueris: 13 caue diligenter ne obliuiscaris Do-
mini, qui eduxit te de Terra Aegypti de domo seruitutis Dominum Deum tuum timebis, &
illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. 14 Non ibitis post deos alienos cunctarum Gen- Matt. 4. b. 7.
tium, quæ in circuitu vestro sunt: Quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio Luc. 4. b. 12.
tui: nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ.
16 Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. 17 Custodi Infr. 10. d. 20.
præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, & ceremonias, quas præcepit tibi, 18 & fac
quod placitum est, & bonum in conspectu Domini, vt bene sit tibi: & ingressus possideas
terram optimam, de qua iurauit Dominus patribus tuis, 19 vt deleret omnes inimicos tuos
coram te, sicut locutus est. 20 Cumque interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi
volunt testimonia hæc, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noster

nobis? 21 dices ei: Serui eramus Pharaonis in Aegypto, & eduxit nos Dominus de Aegy-
pto in manu forti: 22 fecitque signa, atque prodigia magna & pessima in Aegypto contra
Pharaonem, & omnem domum illius in conspectu nostro 23 & eduxit nos inde, vt intro-
ductis daret Terram, super qua iurauit patribus nostris. 24 Præcepitque nobis Dominus,
vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, vt bene sit nobis
cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie. 25 Eritque nostri misericors, si custodierimus,
& fecerimus omnia præcepta eius coram Domino Deo nostro, sicut mandauit nobis.

VERSVS I. *Hæc sunt præcepta, cæremoniæ, atque iudicia.*

Præcepta antonomasticè dicuntur moralia. Ex quo colligo quod priùs aiebam, ad præcepta moralia, cætera tandem reductum iri; immò cuncta ad præcepta charitatis; quia Matthæi 22. *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ.*

1 VERSVS II. *Vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata, & præcepta eius.*

Hic iam agitur de timore, qui dicitur loco
Rom. 8. 3. citato ad Romanos [A] timor initialis, eoquòd solet esse in hominibus in initio suæ conuersionis: Et de hoc dicitur ps. 110. *initium sapientiæ timor Domini*. Timor iste refugit malum quod opponitur bono spirituali, nimirùm refugit peccata vel separationem à Deo: Et hoc quidem timet incurrere ex iusta Dei vindicta: & sic quantùm ad vtrumque obiectum respicit rem spiritualem: sed tamen cum hoc habet oculum ad pœnam: vnde alibi docet respici à timore ini-
B 2. 2. 19. 4. tiali pœnam [B] secundariò; quæ à seruili respicitur principaliter. Et quoniam pro eodem stant fuga mali, & adeptio boni, en in textu; *vt prolongentur dies tui*: postquàm dictum fuerat, *vt custodias mandata, & præcepta eius*; & statim clariùs; *audi Israel, & obserua &c. & bene sit tibi*; non dicit *vt bene sit tibi*; quia quod consecutiuè se habet, non exprimitur per ly *vt*, quod rationem finis concernit. Sic Saluator; *primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adjicientur vobis*. Timor huiusmodi initialis loco cit. ad Romanos causatur à charitate, licèt imperfecta. In decus & gloriam timoris eiusdem iuuat ex 2. Ec-
C Cor. 14. 4. fine. clesiasti cum S. Doctore [C] recolere; Qui *timetis Dominum credite in illum*; quantùm ad fidem; *Qui timetis Dominum sperate in illum*; quantùm ad spem: *Qui timetis Dominum diligite illum*; quantùm ad charitatem.

2 VERSVS III. *Terram lacte, & melle manantem.*

Quod dicitur ad literam, vel propter abun-
D Iere. 11. dantiam terræ nascentium: [D] vel hyperbolicè in his duobus abundantia omnium bonorum designatur.

VERSVS IV. *Audi Israel; Dominus Deus noster, Dominus vnus est.*

Deum verum vnum esse, missis rationibus
E p. p. 11. & 1. Cont. G. 3. theologicis, quæ possunt videri [E] pluribus locis, præter hanc authoritatem, comprobatur ex illo Exodi 20. *non habebis Deos alienos coram me*, & Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides*. Quamuis autem demonstrabile sit Deum esse, & esse vnum,
F 22. 2. 2. 1. nihilominus, quando homo [F] habet voluntatem credendi ea quæ sunt fidei ex sola authoritate diuina, etiam si habeat rationem demonstratiuam ad aliquid eorum, puta (inquit S. D.) ad hoc, quod est, *Deum esse*, non propter hoc tollitur vel diminuitur meritum fidei.

Neque huic reuelatæ etiam veritati obest, 3
quòd in principio Genesis, vbi nos legimus; *in principio creauit Deus cælum & terram*, habeat hebraica versio *Elohim*, quod potest interpretari *Dij*, siue *Iudices*; quoniam [G] diuersæ linguæ ha- G p. p. 19. 3. 2.
bent diuersum modum loquendi: vnde sicut propter pluralitatem suppositorum Græci dicunt, *tres hypostases*, ita & in Hebræo dicitur pluraliter *Elohim*. Nos autem non dicimus pluraliter, neque Deos, neque substantias, ne pluralitas ad substantiam referatur. Et hac veritate repellun-
tur Gentiles [H] Deorum multitudinem confiten- H p. cont. G. c. 43.
tes: tametsi plures eorum vnum Deum summum esse dicerent, à quo omnes alios quos Deos nominabant creatos esse asserebant, omnibus substantijs sempiternis Diuinitatis nomen ascribentes: & præcipuè ratione sapientiæ, & felicitatis, & gubernationis. Quæ quidem consuetudo loquendi etiam in Sacra Scriptura inuenitur, dum sancti Angeli, aut etiam homines, vel iudices Dij nominantur; sicut illud ps. *non est similis tui in dijs Domine*: & alibi; *ego dixi dij estis*; & multa huiusmodi per varia scripturæ loca inueniuntur.

Aperit autem D. Thomas causam [I] quare I p. 2. 99. 2. 2.
inter credenda, nobis proponantur non solùm ea, ad quæ ratio attingere non potest, vt *Deum esse Trinum*, sed etiam ea, ad quæ ratio recta pertingere potest, vt *Deum esse vnum*, ad excludendum rationis humanæ errorem, qui accidebat in multis. Et præterea docet, quòd Deum esse,
[L] & alia huiusmodi, quæ per rationem natura- L pp. 2. 2. 1.
lem nota possunt esse de Deo, vt dicitur Roman. 1. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos: sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & vt perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet, illud quod secundùm se demonstrabile est & scibile, ab aliquo accipi, vt credibile, qui demonstrationem non capit. 4

Et si roges quam ob causam hic de Dei vni-
tate agatur? operæ pretium est in primis scire, [M] M 22. 16. 1.
quòd lex non imponitur ab aliquo Domino, nisi suis subditis; & ideò præcepta legis præsupponunt subiectionem cuiuslibet recipientis legem, ad eum qui dat legem. Prima autem subiectio hominis ad Deum est per fidem, secundùm illud Hebræorum 11. *accedentem ad Deum oportet credere quia est*; & ideò fides præsupponitur ad legis præcepta. Et propter hoc Exodi 20. id quod est fidei præmittitur ante legis præcepta, cùm dicitur; *ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti*; & similiter Deuteronomij 6. præmittitur; *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est*: & posteà statim incipit agere de præceptis. Hoc autem animaduerso, inquit, in veteri lege, non erant secreta fidei populo exponenda; & ideò supposita fide vnius Dei, nulla alia præcepta

sunt

sunt in veteri lege data de fide. Nihilominus, nota lector, [N] omnes articulos implicitè contineri in aliquibus primis credibilibus, scilicet, vt credatur Deus esse, & Prouidentiam habere circa hominum salutem, secundùm illud ad Hebræos 11. *accedentem ad Deum oportet credere quia est; & quòd inquirentibus se remunerator sit*. Secundò dici potest fieri de Dei fide mentionem, quia dictum fuerat de timore: non potest autem esse [O] timor Dei sine fide.

[N 12. 1. 7.] [O ibi ad 5.]

5 Tertiò recolendum est quod capite præcedenti diximus, immò dixit Moyses, de Christo esse mediatorem. Ex hoc enim colligit Sanctus Doctor esse simul Deum, & hominem. Eius hæc sunt verba; [P] Mediator non est vnius tantùm, sed duorum; vnde cùm iste sit mediator Dei, & hominis, oportet quòd sit Deus, & homo; si enim esset purus homo, vel Deus tantùm, non esset verus mediator. Pergit: si ergo est verus Deus, & nullus est mediator sui ipsius, potest videri alicui, quod præter ipsum sint alij dij, quorum est mediator: & hoc remouet D. Paulus dicens, quòd mediator iste, etsi non est vnius tantùm, non propter hoc sunt alij dij; sed Deus vnus est; quia licèt ipse alius sit in persona à Deo Patre, non est tamen aliud in natura; fertque D. Thomas hunc locum Deut. 6. *Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est*. Apparet ergo quàm mirè nunc id promferit Moyses. In calce lectionis; specialiter autem mediator est Filius, non Pater, non Spiritus Sanctus: nihilominus vnus est Deus. Quare innuit, Moysen ideò sic expressisse Dei vnitatem, ne prætacta Personarum distinctione, in mediatoris officio vnitati Naturæ derogaretur.

[P Ad Gal. 3. l. 7.]

Quartò denique sentit: [Q] ideò promulgari hoc a Moyse; *Audi Israel* &c. vt intelligendo esse Deum nostrum, qui nos speciali quadam ratione creauit, *genus enim Dei sumus*, Actorum 17. debitam atque indiuiduam ei reuerentiam exhiberemus; quia ipse solus est, cui, ex primo primæ tabulæ præcepto, debetur reuerentia & honor, in quantùm ab ipso solo creati sumus, & singulari quadam prærogatiua producti. Et propter hoc, habita consideratione tanti beneficij, subdit Moyses; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. In hoc volens ostendere, quòd totum Deo debemus, quod sumus.

[Q Op. 20. 12. c. 16.]

6 Mirabitur autem quis, quòd vbique D. Thomas hanc ferens anthoritatem dicat. Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est; cum Hebraicè habeatur *Elohenu*, Deus noster? At ideò credendus est id fecisse, quia Dominus ita pronunciauit Marci 12, respondens interroganti scribæ de primo mandato; *Primum omnium mandatum est. Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est*. Pronunciauit autem Iesus hoc mandatum, tanquam ex ore proprio, cum esset *legifer noster*; & ideò quia Deus non æquè est ipsi Deus ac nobis, sicut æquè Moysi, & Israel, ideò noluit dicere sicut Moyses, *Deus noster*, *sed Deus tuus*. Sic D. Augustinus ad illa verba Ioannis 20. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*, referente D. Thoma [R] *Christus*, inquit, *loquitur de se secundùm vtramque naturam, quia quod dicit, ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, pertinet ad diuinam naturam, secundùm quam habet Patrem Deum connaturalem, cui est æqualis; & sic intelligendum est, aliter, meum, & aliter vestrum: naturâ meum; gratiâ vestrum*. Id ipsum tangit supra. [S] Lect. 2. in fine. Et alibi, [T] signanter Dominus Ioannis 20. seorsum dixit, *Patrem meum* & seorsum dixit, *Patrem vestrum*; est enim Pater Christi naturaliter generando, quod est proprium sibi; Est autem Pater noster, voluntariè aliquid faciendo, quod est commune sibi, & filio, & Spiritui-Sancto. Etsi dici queat [V] etiam, ipsum Deum Patrem, qui secundùm proprietatem est Pater Christi, secundùm appropriationem esse Patrem nostrum. Hinc redarguitur Arrius qui (loco citato Ioann. 20.) audiens, *ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum*, concludere voluit, quòd eodem modo Deus sit Pater filij, sicut est Pater noster, & Deus filij, sicut est Deus noster. Aio ego, si res ita se haberet, cur Marci 12. allegato, immutasset Iesus præcepti illius vocem, *Audi Israel Dominus Deus tuus*; cùm extet in littera *Dominus Deus noster*? Sciendum est autem Iesum Christum, si tàm in ratione Verbi, quàm secundùm rationem humanitatis esset creatura, non eximere se potuisse à consortio aliarum: vnde quemadmodum dixerat Moyses, *Dominus Deus noster*, ita nulla facta mutatione repetijsset: quod cùm non fecerit argumento est, se à Moyse alium ostendere voluisse; Ac si apertè diceret; Moyses, quia purus homo, benè cùm alijs Deum pro suo Deo agnouit; vnde ait *Dominus Deus noster*: *ego & Pater vnum sumus*; propterea, non pronuncio *Dominus Deus noster*, sed *Dominus Deus tuus*. Quamuis enim secundùm humanitatem Christus Deum habeat; *ascendo ad Deum meum, & Deum vestrum*: sicut, & Apostolus scribit ad Ephesios [X] *vt Deus Domini nostri Iesu Christi*; quòd explicat ibi Sanctus Doctor, & confirmat Ioannes in Apocalypsi, ibi, *quod est in Paradiso Dei mei*, [A] vbi S. Doctor, quem vocat Christus Deum suum, in quantum homo, propter singularem amorem, & plenam obedientiæ subiectionem: non tamen secundùm quod Verbum est Patris habet Deum, cùm sit æquè Deus cum Patre, & Spiritu Sancto. Et quia, Marci. 12. præmittitur, *Iesus autem respondit ei*, & hoc nomen *Iesus* ex D. Damasceno relato in opusculo [B] significat Deum humanatum; sicut è contra, Christus hominem Deificatum; ideò Iesus tanquam Deus loquens prætermittit, ly *noster*, cuius loco apponit *tuus*. *Audi Israel, Dominus Deus tuus*. Si res non ita se habet, dicat Arrius si potest ad effugium, quare Christus, Deum non vocitet suum, dicendo, *Deus noster*?

[R Ioan. 20. l. 3. & Matthæi 16. ibi Patet mi.] [S Ioan. c. 1. 2.] [T 3. p. 23 a. 2.] [V. Rom 1. l. 4. & 1. Cor. 1. 1.] [X Ephes 10. l. 1. 6] [A Apoc 2. Comm 1.] [B op. 60. a. 1. in principio]

Dices, cùm hìc legamus, *Dominus Deus noster Dominus vnus est*, quare in Euangelio, inquit *Deus vnus est*? Respondeo, in lege quæ erat lex timoris, præcipuè cùm paulo ante de timore actum esset, debuisse timorem incuti, ideò *Dominus* perhibetur. *Dominus* inquit Ambrosius *nomen est potestatis*. Romanor. 13. *Vis non timere potestatem*? Malachiæ 1. *Si ego Dominus vbi timor meus*? In Euangelio lex est amoris; ad hoc indicandum crediderim supprimi ly *Dominus*: loco cuius dicitur, *Deus vnus est*; quia & de Diuinitatis vnitate præcipuè vtrobique fit sermo. Quomodo autem lex vetus esset lex timoris, declaratur vberrimè à S. Doctore, [C] quia dabatur imper-

[C p. 2. 107 a. ad 2.]

perfectis, inducebatque ad obseruationem præceptorum per comminationem quarundam pœnarum; E contrà (ibi) de lege gratiæ; ac vnde fit amoris,

VERSUS V. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.*

8 Quoniam toties de totalitate inculcatur; cùm ex Philosopho 3. Physic. *totum, & perfectum idem sint*, vt refert S. D. in 3. d. 27. q. 3. a. 4. & 22. q. 184. 3. videtur præcipi perfectio dilectionis: quare cum Deus impossibile non præcipiat, quemadmodum assumit Hieronymus relatus 2. 2. q. 44. a. 6. tenebitur homo ex consequenti ad Dei perfectam dilectionem; atque adeò nunquã illam interrumpere, nunquam remittere; quod ex alia parte impossibile esse videtur. Respondeo; Si de hac totalitate, & perfectione, vt semper cor hominis actualiter in Deum feratur, siac sermo, cũ sit perfectio Patriæ, nõ intelligi executiuè præceptum, vt tradit pluribus in locis. D Sanctus Thomas; sic enim, imperfectè solummodo impleri potest in via: nihilominus, vt in eodem a. 6. inducitur Augustinus, *cur non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? non enim rectè curritur si quò currendum est nesciatur, quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?* Et ideò hoc pacto accepta perfectione & totalitate, ex S. Doctore E non est præceptum, sed finis præcepti: indicatur enim nobis per hoc, non quid faciendum sit, sed potiùs quò tendendum sit, vt ait Augustinus. Quocirca alibi F de hoc perfectæ dilectionis diuinæ modo qui est beatorum: In illa beatitudinis perfectione creatura rationalis diliget Deũ, *ex toto corde*, dum tota eius intentio feretur in Deum, ex omnibus quæ cogitat, amat, aut agit: *ex tota mente*, dum semper actualiter mens eius feretur in Deum ipsum semper videns, & omnia in ipso; & secundum eius veritatem de omnibus iudicans: *ex tota anima*, dùm tota eius affectio ad Deum diligendum feretur continuè, & propter ipsum omnia diligentur. *Ex tota fortitudine*, vel *ex omnibus viribus*, dùm omnium exteriorum actuum ratio, erit Dei dilectio.

D 22. 44. 4. 2. & a. 6. & in 3. Sent. 27. 9. 1. 4.

E De vit. ... q. 2. a. 10. 1. & 22. 44. 6.

F opusc. 18 c. 4.

Verùm etiamsi tradatur hoc modo præceptum de dilectione, id sit vt indicetur ex ipsa forma præcepti G quòd dilectio Dei, non cadit sub præcepto secundùm aliquam mensuram, quia *finis præcepti charitas*, vt dicitur 1. ad Timoth. 1. In fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solùm in his quæ sunt ad finem, vt Philosophus dicit in primo Politicorum; sicut medicus non adhibet mensuram quantùm sanet, sed quanta medicina, vel diæta vtatur ad sanandum. Itaque non efficitur H transgressor præcepti aliquis ex hoc quòd optimo modo implet, sed sufficit quòd quocumque modo impleat illud: perfectio autem diuinæ dilectionis vniuersaliter quidem cadit sub præcepto, ita quòd etiam perfectio Patriæ non excluditur ab illo præcepto, vt dicit Augustinus, sed transgressionem præcepti euadit qui quocumque modo perfectionem diuinæ dilectionis attingit.

G 22. 184. 3.

H ibi ad 2.

9 Et ecce deuenimus ad aliam totalitatem enucleandam. Itaque in primis totalitas apparet, I quia Deus est diligendus vt finis vltimus, ad quem omnia sunt referenda.

I 22. 44. 4. & a. 5. 2.

Item totaliter, quasi dicat L vt nihil sit in corde tuo, quod sit contrà Deum. Et quæst. citata de virtutibus; secundùm quòd totalitas excludit omne illud, quod impedit perfectam Dei inhæsionem, quæ inhæsio ex 3. ad Philipp. l. 2. est de necessitate salutis; scilicet, vt in nullo cor suum quis applicet ad id quod est contrà Deum, sed habitualiter referat totam vitam in eum. Item totaliter siue *in toto corde tuo*: idest M nihil sit ibi vacuum ab amore Dei. Denique hæc omnia complectens in citato opusculo 18. inquit, N *Ex toto corde, mente, anima, & fortitudine* Deum diligimus, si nihil nobis desit ad diuinam dilectionem, quod actu, vel habitu in Deum non referamus. Et huius dilectionis *perfectio* (puto legi debere, *præceptum*) datur homini in præleuti; primò quidem vt homo omnia in Deum referat sicut in finem: sicut Apostolus dicit 1. Corinth. 10. *siue manducatis, siue bibitis, vel aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*: Quod quidem impletur, cùm aliquis vitam suam ad Dei seruitium ordinat, & per consequens omnia quæ per se ipsum agit virtualiter ordinantur in Deum: nisi sint talia quæ à Deo abducant, sicut sunt peccata: & sic Deum diligit homo, *ex toto corde*. Secundò vt intellectum suum homo Deo subijciat, ea credens quæ diuinitùs traduntur, secundùm illud Apostoli 2. Cor. 10. *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*; & sic Deus diligitur *ex tota mente*. Tertiò vt quæcumque homo amat in Deo amet, & vniuersaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat; vnde dicebat Apostolus 2. Cor. 5. *siue enim mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis; charitas enim Christi vrget nos*; & sic Deus *ex tota anima* diligitur. Quartò vt omnia exteriora nostra, verba, & opera ex diuina charitate firmentur; secundùm illud Apostoli 1. ad Corinth. vltimo; *omnia vestra in charitate fiant*, & sic Deus ex tota fortitudine diligitur: hic est perfectæ dilectionis diuinæ modus, ad quem omnes ex necessitate præcepti obligantur. Alibi rem sic explicat O sciendum quòd ad charitatem exigitur aliquid tripliciter, vno modo, sicut subiectum charitatis, quod est ipsa voluntas: alio modo, sicut præcedens ad charitatem, sicut memoria, & intelligentia: tertiò, sicut consequens ad charitatem; quemadmodum irascibilis, & concupiscibilis, & etiam membra corporalia, quæ imperium charitatis exequuntur. Quia ergo actum charitatis oportet esse perfectum, sicut cuiuslibet virtutis, ideò præceptum de actu charitatis includit perfectionem omnium prædictorum, secundùm diuersas expositiones: vt scilicet, neque in voluntate, neque in omnibus præcedentibus sit aliquid quod charitati obsistat quantùm ad perfectionem viæ; vel quod actum charitatis interrumpere possit, quantùm ad perfectionem Patriæ. Et ideò secundùm vnam expositionem dicitur, *ex tota mente*, idest ex tota memoria; vt absit obliuio: *ex toto corde*; idest intellectu, vt desit error: *ex tota anima*, idest voluntate, vt tollatur omnis contraria affectio. Alio modo exponitur; *ex toto corde*, quantùm ad concupiscibilem: *ex tota anima*, quantùm ad irascibilem, vt nulla passione sensitiui appetitus dilectio Dei impediatur: *ex tota mente*, quantùm ad rationalem, quæ includit voluntatem, & intelle-

L Ephes. 6. 1. 2. & 22. 44. 4. 2.

M Serm. S. Agathę

N opu18. c. 5.

O 3. 27. in exposit textus.

tellectum. Item Gregorius Nyssenus exponit, *ex toto corde*, quantùm ad animam vegetabilem; *ex tota anima*, quantùm ad sensibilem; *ex tota mente*, quantùm ad rationalem. Sed Deuteronomij 6. ponitur *ex tota fortitudine*, quod referendum est ad membra exteriora, quæ imperium charitatis exequuntur: vel etiam ad irascibilem, vt quidam dicunt: vel ponitur circumstantia dilectionis; vt scilicet sit firma. Iterum in Ioannem, P Ioan. 11. l. 3. [P] *Toto corde*; vt scilicet totam intentionem tuam ad Deum dirigas: *Tota anima*; scilicet vt tua voluntas, in Deo per amorem quiescat. Et *ex tota fortitudine tua*; vt tota exequutio operum tuorum Deo seruiat.

Verùm post tot, iuuat, ipsum audire in Q 22. 44. 5. Summa. [Q] Respondeo dicendum, quòd hoc præceptum diuersimodè inuenitur traditum in diuersis locis. Deuteronomij 6. ponuntur tria, scilicèt *ex toto corde*, *& ex tota anima*, *& ex tota fortitudine*. Matthæi 22. ponuntur duo horum, scilicet *ex toto corde*, *& ex tota anima*, & omittitur, *ex tota fortitudine*; sed additur; *in tota mente*. Marci 12. ponuntur quatuor, scilicet, *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex tota mente*, *ex tota virtute*, quæ est idem fortitudini. Et hæc etiam quatuor tanguntur Lucæ 10. Nàm loco fortitudinis seu virtutis, ponitur, *ex omnibus viribus tuis*. Et ideò horum quatuor est ratio assignanda. Nàm quòd alicubi vnum horum omittitur, hoc est, quia vnum intelligitur ex alijs.

Est ergò considerandum, quòd dilectio est actus voluntatis, quæ hic significatur per Cor: nàm sicut cor corporale est principium omnium corporalium motuum, ita & voluntas; & maxime quantùm ad intentionem finis vltimi, qui est obiectum charitatis, est principium omnium spiritualium motuum. Tria autem sunt principia actuum, qui mouentur à voluntate, scilicet intellectus, qui significatur per mentem; vis appetitiua inferior, quæ significatur per animam; & vis exequutiua exterior, quæ significatur per fortitudinem, seu virtutem, seu vires. Præcipitur ergo nobis, vt tota nostra intentio feratur in Deum; quod est *ex toto corde*: & quòd intellectus noster subdatur Deo; quod est *ex tota mente*: & quòd appetitus noster reguletur secundùm Deum; quod est, *ex tota anima*; & quòd exterior actus noster obediat Deo: quod est *ex tota fortitudine*, vel virtute, vel viribus Deum diligere. Chrysostomus tamen super Matthæum, accipit cor, & animam è contrario quàm dictum sit. Augustinus verò in 1. de doctrina Christiana refert cor ad cogitationes, animam ad vitam, & mentem ad intellectum. Quidam autem dicunt, *ex toto corde*; idest, intellectu: *anima*; idest voluntate: *mente*; idest memoria. Vel secundùm Gregorium Nyssenum: per cor, significat animam vegetabilem: per animam, sensitiuam: per mentem, intellectiuam: quia hoc quòd nutrimur, sentimus, & intelligimus, debemus ad Deum referre.

10 Hic vel malitia, vel proterua ignorantia lapsus est Lutherus, asseuerans nos in quouis actu peccare, hoc non implentes præceptum; *diliges* &c. *ex toto corde* &c. somnians ex consequenti peccatum etiam esse, quod non est voluntarium: vel blasphemè impossibilia Deum præcepisse, vt videre est apud Bunderium à Gandauo Ordinis Prædicatorum, in Compendio concertationis &c. Titulo 8. a. 7. & 8. nec non apud Roffensem, in Confutatione Lutheranæ Assertionis a. 31. Noluit perfidus intelligere, vt bene ageret, vim præcepti; ideoque impegit in breuia, & syrtes. Tendere tenentur omnes ad perfectionem. Audiat ex D. Thoma [R] etsi inuitus. Diligere Deum ex toto corde tenentur omnes. Est tamen aliqua totalitas perfectionis, quæ sine peccato prætermitti non potest; aliqua autem quæ sine peccato prætermittitur, dùm tamen desit contemptus, vt suprà dictum est; (nempe q. 184. a. 2. ad 3.) Ita etiam omnes tam Religiosi quàm sæculares, tenentur aliqualiter facere quicquid boni possunt; omnibus enim communiter dicitur Eccles. 9. *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare*. Est tamen aliquis modus hoc præceptum implendi, quo peccatum vitatur; scilicet, si homo faciat quod potest, secundùm quòd requirit conditio sui status, dummodo contemptus non adsit agendi meliora, per quem animus firmatur contra spiritualem profectum. Ex quo habetur illum transgredi hoc præceptum ac proinde peccare, qui contemnens meliora facere, sistit, nec vult proficere: ille non vult diligere *toto corde*; contentus, exempli gratia, diligere *vt quatuor*, non curans *vt octo*. Si autem diligens remisso conamine, aneat nihilominus feruentiùs semper diligere, diligit in voto *ex toto corde*, in quantùm *vult* diligere toto corde, quamuis id non assequatur; nec contrà præceptum agit, nisi cum *non vult* diligere vlteriùs. Sufficit ergo tendentia. Neque aliud intendit præcipiens. Nec aliter sola tendentia exprimi poterat quàm dicendo, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Sicuti si præciperetur Soli, vt scandat vsque ad meridiei punctum, dicendo scande quantum potes; si capax rationis esset, non peccaret Sol, cùm tantillùm scandere inciperet; sic *iustorum semita*, Prou. 4. *quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*. Notandum est autem, infimum dilectionis gradum [S] esse, vt nihil suprà Deum, aut contrà Deum, aut æqualiter Deo, diligatur. Quando autem contingit, non excludi omne id quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, si tamen excluditur id quod est charitati contrarium, impletur quidem substantialiter præceptum de dilectione, non tamen impletur secundùm accessoriam quandam perfectionem, & ideò non est sine peccato, non tamen mortali: & hoc accidit in incipientibus, & proficientibus, vt colligitur ex eodem Sancto Doct. [T]

R 22. 186. a. 2. 2.

S 22. 184. 3. 2.

T 22. 184. 2.

VERSVS VI. *Eruntque verba hæc quæ ego præcipio* &c. 11

Pharisæi hoc malè interpretabantur [V] scribentes in membranis decalogum Moysi, & ligabant in fronte quasi coronam, vt ante oculos moueretur: cùm tamen intentio Domini mandantis fuerit, vt signarentur in manu, (hoc habemus v. 8. *& ligabis ea quasi signum in manu tua, & mouebuntur inter oculos tuos*) idest, in operatione; & essent ante oculos, idest in meditatione. Id ipsum scripserat in Matthæum, ibi; *dilatant Phylacteria*, [X] dicens, *in manu*, idest, in completione operis, *& ante oculos*, idest, in consideratione tua.

V p. 1. 102 6. 7.

X Matth. 23.

A 22. 36. 1. Verùm cumulatiùs hos textus exponit, [A] præmittens quòd circa scientiam, & intellectum tria possunt considerari; primò quidem, acceptio ipsius; secundò, vsus eius; tertio verò, conseruario ipsius. Acceptio quidem scientiæ vel intellectus fit per doctrinam, & disciplinam; & vtrumque in lege præcipitur; Deut. 6. *erunt verba hæc quæ ego præcipiò tibi, in corde tuo*: quod pertinet ad disciplinam; pertinet enim ad discipulum, vt cor suum applicet his quæ dicuntur. Quod verò subditur; *& narrabis ea filijs tuis*, pertinet ad doctrinam. Vsus verò scientiæ vel intellectus est meditatio eorum, quæ quis scit, vel intelligit; Et quantùm ad hoc subditur; *& meditaberis sedens in domo tua* &c. Conseruatio autem fit per memoriam: & quantùm adhoc subditur; *& ligabis ea quasi signum, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos; scribesque ea in limine, & ostijs domus tuæ*: pee quæ omnia, ingem memoriam mandatorum Dei significat; ea enim quæ continuè sensibus nostris occurrunt; vel tactu, sicut ea quæ *in manu* habemus; vel visu, sicut ea quæ *ante oculos* sunt continuè, vel ad quæ oportet nos sæpe recurrere, sicut ad ostium domus, à memoria nostra excidere non possunt. Et Deut. 4. manifestiùs dicitur; *ne obliuiscaris verborum quæ viderunt oculi tui; & ne excidant de corde tuo, cunctis diebus vitæ tuæ*.

VERSVS VIII. *Et meditaberis in eis &c. dormiens atque consurgens*.

B loco cit. ad 4. Non est sic intelligendum, [B] quòd homo dormiendo meditetur de lege Dei, sed quòd *dormiens*, idest, *vadens dormitum*, de lege Dei meditetur; quia ex hoc etiam homines dormiendo adipiscuntur meliora phantasmata; secundùm quòd pertranseunt motus à vigilantibus ad dormientes, vt patet per Philos. 1. Ethic. Similiter etiam mandatur, vt in omni actu suo aliquis meditetur de lege; non quòd semper actu de lege cogitet, sed quòd omnia quæ facit, secundùm legem moderetur.

VERSVS X. *Cumque introduxerit te Dominus*, &c.

Plura recolit bona quæ habituri erant ad litteram in terra promissionis; & adijcit, se daturum eis, quæ non extruxerunt, & quæ non foderunt: referens sine dubio in merita priscorum Sanctorum Patrum, & Patriarcharum, quos proinde signanter exprimit; *pro qua iurauit Patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob*. Sic Dominus Ioannis 4. ait discipulis; *alij laborauerunt, & vos in labores eorum intrastis*. D. Thomas in primo Commentario Apocalyps. ibi; *habens portas duodecim*, &c. [C] astruit, vtramque scripturam nectens, contigisse Apostolis, qui antiquo ex testamento habuerunt, vnde & verbo, & vita proficerent. Sic & nos *hæredes sumus Dei, cohæredes autem Christi*, illius hæreditatis, de qua Petri primæ c. 1. dicitur, *in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatum*, &c. (C Apoc. 1.)

12 VERSVS XIII. *Ac per nomen illius iurabis*.

Quorsum, inquies, iuramenta veluti promouet? Respondeo; fortè ad tollendum errorem, ne quia periurium prohibuerat Exodi 20. & super re vana assumi Dei nomen c. proximo 5. arbitrarentur omninò illicere; siquidem, vbi est *iustitia, iudicium, & veritas*, sacrum est, vt patet 22. [D] Immo probatur ex origine sua, quia iuramentum est introductum [E] ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuersalem omnium cognitionem, & prouisionem. Nisi dicatur, *iurabis per nomen illius*; idest non per cœlum, vel terram; [F] hanc enim secundùm Hieronymum pessimam consuetudinem iurandi per elementa habere Iudæi noscuntur. Vel ne per falsos Deos iurarent; sicut prædictum fuerat Exodi 23. *Et per nomen externorum Deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro*. Non itaque suadendo iuramentum, sed tanquam minoris irreuerentiæ datum. Quod dixerim, quia Saluator Matthæi 5. ait, *non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius*, &c. *sit autem sermo vester, est, est; non, non: quod autem his abundatius est, à malo est*. Quod repetijt Iacobus c. 5. *nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum, sit autem sermo vester, est, est: non, non*. In quo vt animaduertit S. Doctor [G] adimpleuit Dominus legem, ordinando quomodo tutiùs obseruaretur quod lex vetus statuerat; sicut lex vetus statuerat, vt homo non peieraret, & hoc tutiùs obseruatur, si omninò à iuramento abstineat, nisi in causa necessitatis. Et sic ex Augustino loco citato 22. *non iuremus*, ait Dominus, *omninò*; ne scilicet iurando ad facilitatem iurandi perueniatur; ex facilitare iurādi, ad cōsuetudinē: Eccl. 33. *iurationi non assuescat os tuū, multi enim casus in illa*: & à cōsuetudine in periuriū decidatur. (D 22. 8. 3. — E ibi art. 2. — F ibi ad 1. — G p. 2. 107. 2.)

VERSVS XVI. *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis*.

Cùm Numeri 14. v. 22. exaggeret Dominus; *tentauerunt me iam per decem vices*, (quarum primam, si standum sit præfixè numero, faciunt Exodi 5. v. 21. quando ante egressionem de Ægypto, grauiùs afflicti à Pharaone, ob petitam missionem per Moysen dixerunt: *fætere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt affligeret nos*) oboritur quæstio, de quanam tentatione sit sermo. Videtur enim antonomasticè memorari, quæ fuit potior. Et ideò consulendus est S. Doctor, qui [H] videtur præsupponere grauissimam omnium tentationum fuisse, illam Numeri 14. ob quam scilicet perierunt vniuersaliter omnes, terram promissionis non intrantes, secundùm illud Ps. 94. *tentauerunt me patres vestri*; & posteà sequitur; *quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*. At hic quæritur denuò, quare moneantur cauere à Dei tentatione, qua tentauerunt ipsum *in loco tentationis*; satis enim videtur fuisset, dicere, *non tentabis Dominum Deum tuum*; eo vel maximè, quòd illius generis tentatio, locum non vltrà videbatur habitura, quando iam obtinuerant terram, de cuius possessu nec dubitatio insurgere poterat, nec hæsitatio de diuina potentia; ex quo occurrit tentatio, vt capiat experimentum quis sine necessitare de hoc vel illo: De quo 22. [I] Respondeo id studiosè fieri, vt nempe discat fidelis, post ingressum terræ promissæ, adhuc similem posse accidere tentationem, de diffidentia scilicet assequendi Regnum cęlorum, quod est figurata terra Chanaan. Constat anagogicus ille sensus, ex Apostolico discursu ad Hebræos: [L] Vbi priùs fert illud Psalmi 94. *hodie* (H 22. 97. 4. 1. — I 22. 97. — L Hebr. 4. l. 1.)

die si vocem eius audieritis; nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur, posthac, die. Vim ergo facit in ly *hodie*. Vbi D. Thomas, est ergo quædam requies in quam nobis intrandum est, in quam illi non *introierunt propter incredulitatem*. Vnde sicut Iudæi non intrant increduli, quorum illi fuerunt figura, ita fidelibus ingressuris ait psalmus ne *obdurent corda*, & textus præsens, ne *tentent Dominum Deum*: qua authoritate pariter in deserto confudit Saluator Diaboli suggestionem.

VERSVS XVIII. *Custodi præcepta*, &c.

13 Postquam animauit ad fidem, atque spem fouit, obtinendi secundùm anagogen terram, extimulat ad operandum; nam *finis est cuius gratia aliquid fit*: *spes alit agricolas*; recipit qui laborat mercedem; & ait Psalmus, *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes*, &c. *propter retributionem*. Idcircò ait, *custodi*, &c. Et statim elucidans quo sensu sint custodienda, subdit, *fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini*: ac si diceret; ingressuris ad Regnum gloriæ, opus est, eatenus legalia obseruare, quatenus bonum, & beneplacitum bonum, quod illa figurabant, operari necesse est.

VERSV eodem; *Vt bene sit tibi*, &c.

Cum suprà versu 3. & pluries alibi, c. 4. 5. & 12. idipsum, quod hic, exprimatur: nimirùm requiri obseruantiam diuinæ legis; addatque: *Et bene sit tibi*: suspensus stat mentis oculus, cur iterum velùt superuacaneè repetatur? neque enim Rhetorum figura fit; eo quòd ad *anadiplosim* exposcitur repetitio continuata. Quid nam igitur mysterij? Magnum quid certè. Quia & apices non sunt sine causa, quando *iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*. Versu 3. legimus, *obserua vt facias*, &c. *& bene sit tibi*: in præsenti versu 18. *fac quod placitum est*, &c. *Vt benè sit tibi*. Quare ibi ly *&*; & hic ly *Vt*? solutio est, quoniã ibi agitur de gratiæ dono; hic de æternis: gratia autem non cadit sub merito, si de prima loquamur, idcircò ab illa particula *Vt* abstinet; adiecto ly *&*: quo indicetur, custodiam mandatorum non tanti esse, vt ad gratiæ donum iure aut merito tendat: quemadmodum ex gratia meremur gloriam; ex quo deinde apposita est *Vt* particula, ceu finis index. In huius signum, ait, *& multiplicens ampliùs*: ac si diceret, augebitur in te gratia, nã *iustorum semita crescit vsque ad perfectum diẽ*, Prou. 4. qui est dies gloriç, apud D. Th. p. 2. 114. 8. Et terra, quæ ibi dicitur *lacte, & melle manare*, hic dicitur *terra optima*: quod ad beatitudinem, fermè sine ænigmate aliquo, potest referri; cum sit status optimus; nempe *status bonorum omnium aggregatione perfectus*.

Quod ne gratis credatur excogitati, eo vel maximè quòd sæpe id repetitur, iuuat recolere, in ly *benè* significari remunerationem: vnde p. 2. q. 21. a. 3. ad astruendum actus humanos habere rationem meriti, inducitur illud Isaiæ 3. *dicite iusto quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet*. Quod referens in 2. ad Tim. c. 1. l. 4. ad mercedem gloriæ coaptat. Iudæis temporalia in cortice promittebantur, sed vlteriùs in eis æterna; & quia tam temporalia quàm æterna apud Theologos cadunt sub merito, passim, ex vi hebraici textus, post exhortationem ad legis custodiam, subditur, *correspondentia* bene erit, &c. siue *ad correspondentiam*, vt apud Maluendam accuratè videre est. Noster hanc innuit correspondentiæ vocem pluries, in ly *Vt*, quamquam aliquando vim non faciat, sed legat, *& benè sit tibi*. Cæterùm si pressè attendatur, inuenimus hic versu 3. omitti ly *ad correspondentiam*, vt subtili perscrutatione, & humili studio conantibus palam fieret, de gratia sanctificante sermonem esse, quæ ad correspondentiam non datur, cum nemo sibi possit illam mereri, vt p. 2. q. 114. a. 5. *Malum est & amarum reliquisse Dominum*, Ieremię 2. Augustino autem flenti *bene erat cum lacrymis suis*. Prouerb. 5. *donum bonum tribuom vobis; legem meam ne derelinquatis*: E contrario ergo, *benè* seruantibus legem. Et si dicas, hic v. 24. vbi legitur, *vt benè sit vobis*, in Hebręo, non extat ly *correspondentiæ*. Respondeo, præmitti de instructione filiorum: vnde abstinet à ly *correspondentia*, ne mercenarius sit animus & amor, edocendo videlicet dilectionis & operis puritatem, quibus *in domum Domini ibimus* (ex quo pluraliter ait, *nobis bene sit*) etiamsi nulla prorsus esset remuneratio, in Deũ ferti. Sane distinguit D. Basilius (in Catena aurea Lucæ 15.) de obedientia: *aut enim metuentes supplicia declinamus à malo, & sumus in dispositione seruili; aut mercedis lucra venantes, exequimur quæ mandantur, mercenarijs adsimilati, aut ipsius gratia boni, & dilectionis ad eum, qui dedit legem, seruimus & sic dispositionem redolemus filiorum*. Et D. Ambrosius, *filius qui habet Sancti-Spiritus pignus in corde, sæcularis mercedis lucra non quærit, sed ius seruat hæredis*. En qua de causa subticetur de intendenda retributione, ly *correspondentia*; & cur me iudice introducatur de filio, *cum interrogauerit te filius tuus*. Quod vt emicet per contrapositionem sequitur, *serui eramus*, &c. Ac si diceret; doce, quomodo qui filialem dilectionem auet, se gerere debeat in legis custodia; vt scilicet, etsi nulla esset expectanda ad *correspondentiam*, merces, Deo seruiat & obsequatur. Sanè ex D. Thoma in 2. 2. q. 26. 3. ad 3. hoc quòd aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiæ: magis autem amamus Deum amore amicitiæ, quàm amore concupiscentiæ: quia maius est in se bonum Dei, quàm participare possimus fruendo ipso. Et quia profectus huius, ac perfectionis initium ex timore sumitur, ideò rogantur de timore, *& timeamus Dominum Deum nostrum*, quemadmodum supra c. 5. dixerat Dominus ipse, *quis det eos talem habere mentem, vt timeant me?* quod D. Tho. 3. p. q. 85. a. 5. ad 3. expendens ait, indicari motum timoris procedere ex actu Dei conuertentis cor. Quod si obijcias infra c. 19. v. 13. cum agitur de iusta homicidę vindicta, illum pręcipi addendo, *vt benè sit tibi*, Hebraico autem ex textu *bona tibi* absque ly *correspondentiæ*: quare non subtili, quam exposui contemplatione, videri posset apponi ant omitti: occurro; non casu, aut abs re id fieri, sed certo ex proposito, eo quòd agitur eo loco de seruando, longè ab iniurijs, humano conuictu, & societate, quę perit si eiusmodi delicti sequatur impunitas: & ideo, ne quis personalem in compensationem illum traheret vindictam, sed potiùs iustam vltionem ad iustitiæ bonum referret, & referendam esse intelligeret, subticetur ly *correspondentiæ*,

dentia, quia comminne bonum, quod inde singulis etiam obuenit, non est ad *correspondentiam* huic aut illi, sed ad iustitiæ, quæ communis est virtus, iura colenda.

Quoniam verò legimus, v. 13. *Dominum Deum tuum timebis*: licèt accipi posset ad charitatis & dilectionis (de qua superiùs) conseruationem, eoquòd, vt ait Gregorius, *anchora cordis est timor*, tamen, non tam ad astruendum timorem Domini, de quo prædixerat v. 2. quàm ad amouendum timorem omnem alium, dici crediderim: *Nolite timere eos qui occidunt corpus; ostendam autem vobis quem timeatis*. Igitur alta quadam intelligentia, *Dominum Deum tuum timebis*, idest, caue, ne alios præter Deum, aut contra Deum timeas. In quo temporis primitiuæ Ecclesiæ circunstantia tangitur, quo iam primò iter ad Regnum parabatur.

Adiecit; *Et illi soli seruies*.

Quia futurum erat, vt tentaretur fidelium primitiuorum mens de seruiendo atque colendis falsis Numinibus; quemadmodum factum legimus 4. Regum 17. *Et cum Dominum colerent, Dijs quoque suis seruiebant*. 2. Cor. 6. *Quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?*

Sequitur; *ac per nomen illius iurabis*. Quod, non tantùm causa, quæ suprà posita est, videtur adnecti, sed vt arcano sensu signaretur ratio vnius Dei colendi; quæ inuoluitur iuramento; siquidem vt dicebam ex D. Thoma, iuramentum est introductum ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuersalem omnium cognitionem, & prouisionem. En ergo, cur post prædicta, *iurabis*, inquit, ac si diceret, ratio quare Deo soli seruias, in his latet. Nullus enim præter Dominum est Deus, qui hæc habeat.

Sic apertiùs sequenti 14. versu, *non ibitis post Deos alienos cunctarum Gentium*; Dæmonia cùm illis adoraturi; quamuis persecutiones magnas patiamini Tyrannorum, quibus obsessa est Ecclesia, quod sonat ly *in circuitu vestro sunt*: quoniam ira Dei æmulatoris, qui est *in medio tui*; 12
hoc est, ad defensionem tuam omni ex parte, in furorem abiens, *auferet te de superficie terræ*. Sicut in psalmo, *non sic impij non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*. Post quam comminationem, *non tentabis*, inquit, &c. quia fidenter te Dominus in brachio suo extento ad Regnum perducet.

In horum omnium confirmationem, dici videlicet alta figurali intelligentiâ; futurum tangitur, & figuratum innuitur, dicendo; *cumque interrogauerit te filius tuus cras*. ly *cras*, crastinam diem significat, de qua legimus, *crastina die erit vobis salus*, vt ex 1. Reg. 11. canit Ecclesia; & Apostolus, *nox præcessit, dies autem appropinquauit*: quia tunc *arcana scripturarum, Christum nobis loquentia patuerunt; exinde cœpimus in æternam introire hæreditatem; exinde cœpimus Cælestis Patriæ esse ciues*, vt ait D. Leo.

CAPVT VII.

CVm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, &
Exo.23.c.23. & 33.g.2. deleuerit Gentes multas coram te, Hethæum, & Gergezæum & Amorrhæum, Cha-
nanæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, septem gentes multo maioris
numeri quàm tu es, & robustiores te: 2 tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percu-
Exo.23.g.32. & 34.b.15.16. ties eas vsque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, 3 neque
sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo:
4 quia seducet filium tuum ne sequatur me, & vt magis seruiat dijs alienis, irasceturque fu-
Infr.12.a.3 14.a.1.16.d.21. ror Domini, & delebit te cito. 5 Quin potius hæc facietis eis: Aras eorum subuertite, &
confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite: 6 Quia populus sanctus es
Exo.23.c.24. Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis po-
Infr.14.a.2.& 26.d.17. pulis, qui sunt super terram. 7 Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus
est Dominus, & elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores: 8 sed quia dilexit vos Do-
minus, & custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus vestris: eduxitque vos in manu for-
ti, & redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis regis Aegypti. 9 Et scies quia Domi-
nus Deus tuus, ipse est Deus fortis, & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligenti-
bus se, & his, qui custodiunt præcepta eius in mille generationes: 10 & reddens odientibus
se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis restituens quod merentur.
11 Custodi ergo præcepta, & cæremonias, atque iudicia, quæ ego mando tibi hodie vt fa-
cias. 12 Si postquam audieris hæc iudicia, custodieris ea, & feceris, custodiet & Dominus
Deus tuus pactum tibi, & misericordiam, quam iurauit patribus tuis: 13 & diliget te, ac mul-
tiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vinde-
miæ, oleo, & armentis, gregibus ouium tuarum super Terram, pro qua iurauit patribus tuis, vt
daret eam tibi. 14 Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis vtriusque
Exo.23.f.26. sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis. 15 Auferet Dominus a te omnem languo-
rem: & infirmitates Aegypti pessimas, quas nouisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.
16 Deuorabis omnes populos: quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis
oculus tuus, nec seruies dijs eorum, ne sint in ruinam tui. Si dixeris in corde tuo: Plures sunt

gentes

gentes istæ quàm ego; quomodo potero delere eas? 18 noli metuere, sed recordare quæ
fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Aegyptijs, 19 plagas maximas, quas vide-
runt oculi tui, & signa, atque portenta, manumque robustam, & extentum brachium vt edu-
ceret te Dominus Deus tuus, sic faciet cunctis populis, quos metuis. 20 Insuper, & crabro-
nes mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat qui te fugerint,
& latere potuerint. 21 Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus
magnus & terribilis: 22 ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per
partes. Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ. 23
Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet illos donec penitus delean-
tur. 24 Tradetque reges eorum in manus tuas, & disperdes nomina eorum sub cælo: nullus
poterit resistere tibi, donec conteras eos. 25 Sculptilia eorum igne combures: non concupi-
sces argentum, & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offen-
das, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. 26 Nec inferes quippiam ex idolo in
domum tuam, ne fias anathema: sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inqui-
namentum, ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

I VERSUS II. *Percuties eas vsque ad internecionem.*

Quales fuerint hæ gentes declarat liber Sapientiæ c. 12. his verbis: *illos enim antiquos inhabitatores terræ Sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant, per medicamina & Sacrificia iniusta; & filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis à medio Sacramento tuo: Et auctores parentes animarum inauxiliatarum, perdere voluisti per manus parentum nostrorum, vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra.* Meritò ergo ait S. Doctor; [A] præcepit Dominus eos occidi, propter eorum obstinationem. Et facit idem Sapientiæ textus, in quo præmittitur; de correptione ac admonitione, quasi cuncta spreuerint. Vnde de Deo qui alias *Deus est vltionum*, inquit; *O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus! ideoque eos qui exerrant, partibus corporis*; Græcè; *paulatim corripis*, sicuti & hic v. 22. *ipse consumet nationes has in conspectu tuo, paulatim, atque per partes. Et de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine. Illos enim &c.*

A 4.39.1. 1.2.

Versu eodem; *Non inibis cum eis fœdus; nec misereberis earum.*

VERSUS III. *Nec sociabis cùm eis coniugia.*

Ne, quod potuisset accidere, sibi suadeat Israel, necessitudine atque conuictu, redituras gentes illas ad cor; neue epichiæ vlli sit locus; nullo prætextu parcendum eis ait Dominus, & Exodi 34. conceptis verbis, habetur. Quocirca in 4. Sententiarum præfato; In veteri lege de aliquibus infidelibus erat permissum, quòd cum eis possent inire coniugia, & de aliquibus prohibitum. Specialiter quidem erat prohibitum de infidelibus habitantibus in terra Chanaan; tùm quia Dominus præceperat eos occidi, propter eorum obstinationem; tùm quia maius periculum imminebat, ne coniuges aut filios ad idololatriam peruerterent; quia filij Israel ad ritus, & ad mores eorum proniores erant, propter conuersationem cùm eis. Sed de alijs gentibus permisit; præcipuè quando non poterat esse timor pertrahēdi ad idololatriam, & sic Ioseph, & Moyses, & Hesther cum infidelibus matrimonia contraxerunt. Sed in noua lege, quæ per totum orbem diffunditur similis ratio prohibendi est de omnibus infidelibus: & ideo disparitas cultus præcedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum.

Hac de re alibi:[a] Dominus alienigenas prohibuit in matrimonium duci propter periculum seductionis; ne inducerentur in idololatriam: & specialiter hoc prohibuit de illis gentibus, quæ in vicino habitabant, de quibus erat magis probabile, quòd suos ritus retinerent. Si qua verò idololatriæ cultum dimittere vellet, & ad legis cultum se transferre, poterat in matrimonium duci: Sicut patet de Ruth, quam duxit Booz in vxórem: vnde ipsa dixerat socrui suæ; *populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus*, vt habetur Ruth. 1. Et explicans in 2. 2. [c] quomodo liceat firmis in fide, communicare infidelibus, quos potiùs pertrahant ad fidem, & maximè si necessitas vrgeat: non sic autem simplicibus, & infirmis in fide; de quorum subuersione probabiliter timeri potest: præcipue si magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent: subdit, præcepisse ita in præsenti, præcipuè de illis gentibus, quorum terram ingressuri erant iudæi, proni ad idololatriam: Et ideò timendum erat, ne per continuam conuersationem cum eis alienarentur à fide: ex quo ibidem (inquit) habetur; *quia seducet filium tuum, ne sequatur me.*

VERSUS XIV. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.*

De hoc, an præcepti vim habeat, an sonet potiùs benedictionem, quod contextui quadrat, dictum est Exodi 23. v. 26. Certè posset accipi tanquàm præceptum prout ad homines fertur: at non, dum ad greges, inuoluta etiam hominibus, benedictio transfertur, ad quos præcepti ratio haud locum habet: bene verò benedictio: *benedictus eris inter omnes populos*. Iuuat expendere quanta circumspectione rem tractat Angelicus [D] dicens: Tempore legis oportebat generationi insistere, tàm mulieres quàm viros: quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequàm ex illo populo Christus nasceretur. Et paulo post, de Beata Virgine: accepto sponso, secundùm quòd mores illius temporis exigebant. Denique: videbatur esse lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum

semen super terram. Hugo noster, Deuteronomij 21. per illationem, colligi ait, in steriles maledictionem, non expressè: vt tetigi Exodi 23. Et in steriles, postquam matrimonio dedissent operam.

4 VERSVS XX. *Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat.*

De huiusmodi crabronibus Exodi 23. *emittens crabrones priùs, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum antequam intraeas.* Iosue 24. *Misique ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis.* Item Sapientiæ 12. *Et misisti antecessores exercitus tui, vespas.* Quare autem afflictione hac præuia ante extremum excidium gentes afflixerit, habemus in primis eodem Sapientiæ 12. *misisti vespas, vt illos paulatim exterminarent; non quia impotens eras in bello subijcere impios iustis, aut bestijs sæuis, aut verbo duro simul exterminare; Sed partibus iudicans, dabas locum pœnitentiæ.* Et paulòpost: *nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.* Cæterùm aliam quoque rationem innuit D. Thomas, [E] nimirum ex parte Israel, ne superbiens victoriam sibi tribueret: & memorans huiusmodi vespas, nectit illud Deuteronomij 32. *ne dicerent; manus nostra excelsa.* Ad quod facit illud Iosue 24. *non in gladio nec in arcu tuo.* Et psalmus 43. *non enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: sed & dextera tua, & brachium tuum.*

E 1. Cor. 4. 5.

At dices, quomodo sensim Dominus illas afflixit gentes: & non statim exterminauit, prout comminatus fuerat, hoc eodem capite, versu 10. vbi dicitur: *Et reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinus eis restituens, quod merentur?* Respondeo primò, sic se gerere Deum cum suis, vt non tardet supplicia; vnde 2. Machabæor. 6. *non enim sicut in alijs nationibus, Dominus patienter expectat, vt eas cum iudicij dies aduenerit in plenitudine peccatorum puniat, ità & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demùm in nos vindicet.* Immò præmittitur ibidem; *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere; sed statim vltiones adhibere, magni beneficij indicium est;* Quare liquido apparet, cur Deus interdum malos toleret: quos tamen nonnùnquam, ne pereant, sed resipiscant, vt hic denarratur, gradatim punit.

Respondeo secundò, comminatorie dici vt *statim dispergat* &c. quemadmodùm Ieremiæ 18. *repente loquar adversum gentem, & aduersùs Regnum, vt eradicem, & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit* &c. *agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei.*

Respondeo tertiò; posse ly *statim*, & ly *vltrà non differat*, fortè accipi ad eum sensum, quo Ecclesiastici 7. legimus; *Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ, disperdet te:* statim quippe puniuisse videtur qui non vltrà differt. Et sic Isaiæ 42. *tacui, semper silui, patiens fui, vt parturiens loquar.*

VERSVS XXII. *Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes.*

Subijcitur rei huius causa; *ne fortè multiplicentur contrà te bestiæ terræ.* Sic Exodi 23. *non eijciam eos à facie tua anno vno; ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contrà te bestiæ. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram.* Quæ colligens D. Thomas [F] ibi, *afflixisti populos, & expulisti eos*, inquit, quia terra fuisset inculta, & bestiæ multiplicatæ. Vide tu, quàm fortiter & suauiter operetur diuina sapientia! F ps. 43.

VERSVS XXV. *Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt.* 5

VERSVS XXVI. *Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam.*

Rem istam versat Angelicus in prima 2. [G] dicens pro decimo argumento; ea quæ sunt inanimata, maxime videntur hominum potestati esse subiecta: inconuenienter igitur arcetur homo ab argento, & auro, ex quibus fabricata sunt idola, & ab alijs, quæ in idolorum domibus inueniuntur, præcepto legis, quod habetur Deuteron. 7.

G p. 1. 10. a. 6.

Sed heu transcriptorum inertiam! Extat quidem argumentum. Sed non ita solutio. Sic nisi antiquissimum aliquod exemplum aduehat fortuna, in quo fortè reperiatur, quod excidit in impressionibus, quantò desiderio ardemus, caligamus mente, quidnam responderit Sanctus hoc ad decimum. Sic 22. quæst. 10. a. 9. ad 1. deest dilutio primi argumenti: etsi haberi possit ex corpore. Et similiter 22. quæst. 189. a. 7. Solutionis ad 3. non fit mentio. Veruntamen ne coecutiamus omninò, iuuat recolere quæ alibi tradit [H] ex capite 21. infrà; captiuam scilicet infidelem, non aliter permissam duci in vxorem, nisi priùs *rasa cæsarie*, & *circumcisis vnguibus*, & *deposita veste*, in qua capta erat; & *fleret patrem & matrem*: per quæ significatur idololatriæ perpetua abiectio. Sic in simili de repudiata idolorum substantia aut ornatu, fas opinari. Porro largiente Domino, aliunde innotescit, quidnam sceleris committi potuerit in huiusmodi legis transgressione. Adi, lector, secundum Machabæorum, duodecimo capite; ibi enim, inito prælio contra Gorgiam Præpositum Idumææ, contigit paucos ruere Iudæorum. Aperitur autem paulopost causa mortis illorum; quia scilicèt *inuenerunt sub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex* (hæc est huius capitis 7. lex) *prohibet iudæos. Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse*: vbi D. Thomas [I] præsentem memorans legem, exponit, *de donarijs*, idest de illis quæ data erant idolis, vel ad sacrificandum, vel ad ornandum. In vtroque tamen sententiarum Scripto, [L] tuetur, peccasse quidem auferentes donaria huiusmodi, venialiter per auaritiam: cæterum, non in reuerentiam idolorum, sed tanquam victores, quibus veluti, belli iure deberentur; vnde non fuerunt in inferno damnati. Maximè, quia dato, peccasse mortaliter, pœnituerint imminente periculo. Satis autem liquet ex textu capitis huius septimi in calce, quare hanc legem promulgarit Dominus, *ne fias* (inquit) *anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes, abominationi habebis, quia anathema est.*

H p. 2. 105. 4. 6.

I 2. Mach. 12.

L 4. 45. 1. 2.

Licèt autem vox hæc, *anathema*, prout fortè per *ita* scribitur, vt obseruat Tirinus Leuitici 40. in bonam partem quandoque accipi possit; vnde & Religiosi eò quod ab omni iurisdictione seculi æternùm succiduntur, diuino mancipati 6

serui-

seruitio, anathemata dicuntur: attamen communiùs, (vt ait Hieronymus) extremam detestationem, per *Epsilon* scribendo, significat: vbi iuuet sectum ad ipsum nomen enucleare; & quidem ex S. Doctore præsertim [M] dicente; *Anathema* græcum nomen est, & componitur ab *ana*, quod est, *sursum*; & *thesis*, quod est *positio*; quasi sursùm positio. Et est ortum ex quadam antiqua consuctudine; antiqui enim quando pugnabant, capiebant aliquando aliquam prædam ab hostibus, quam nolebant conuertere in vsum proprium, sed suspendebant illam in templo, vel in aliquo loco publico ciuitatis, quasi separatum à communi vsu hominum; & omne tale sic suspensum nominabant græci *anathema*: Et ex hoc inoleuit consuetudo, quòd omne illud quod excludebatur ab vsu communi, dicebatur anathematizatum: vnde dicitur Iosue 6. de Iericho & omnibus quæ in ea erant; quòd Iosue *mox anathematizauit ea*. Et ideo etiam hoc in Ecclesia inoleuit, vt illi qui excluduntur à communi societate Ecclesiæ, & à participatione Sacramentorum Ecclesiæ, dicuntur anathematizati. Hæc D. Thomas. Videmus autem quàm seuerè iusserit Dominus sequenti cap. 7. Iosue, puniri Achan, cuius scelus innuens dixerat, *Anathema in medio tui est Israel*. Abstulerat autem ex spolijs pallium coccineum, ducentos siclos argenti, regulamque auream, vt ipse fuerat fassus. Hebræi huiusmodi *anathema*, vocant *cherem*.

M Galat. 1. l. 2. 1. Cor. 12. l. 1. Rom. 9. l. 1.

Post litteræ expositionem medullam sensus mystici degustemus: cuius quidem indicium, ex quo cætera colligantur, tradit Angelicus in locis nonnullis. Iacobi 4. legimus *adulteri nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Deo? quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur. An putatis quia inaniter scriptura dicat ad inuidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis?* Quænam rogo speciatim, scripturæ sacræ est authoritas? latuit plurimos, sed non D. Thomam, qui ibidem [N] inquit loqui scripturam de hac materia, suadendo separationem ab amore mundi; & fert ex præsenti capite; *non inibis fœdus cum eis*, scilicet cum alienis, huius amatoribus mundi. Ly *ad inuidiam*, sonat interpretibus, zelotypum esse Deum erga animam, ipsius sponsam: & hoc non inaniter scriptura dicit, hanc eandem ad rem Exodi 34. *Dominus zelotes nomen eius, Deus æmulator*; & hic capite 6. *Deus æmulator*, quemadmodum & c. 4. & 5. Liquet ergo quomodo mystice capienda sint quæ hic habentur. Accedit in quodam Sermone ferri, quod extat versu 8. *& redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis* [O] idest Diaboli. Adde ex versu 6. *quia populus Sanctus es Domino Deo tuo; te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris*: vnde cùm peculiaris sanctitas in sola idololatriæ detestatione non emicet, fas est ad peccatorum referre abintationem, quæ si quis diligit, veluti idola colit, relicto Deo. Et sic specialem Dei curam circa illum populum expendit [P] Angelicus Doctor. Et alibi quod hic dicitur v. 6. *te elegit Dominus Deus tuus*, adnectit [Q] propheticæ locutioni Isaiæ dicentis; *& eliget adhuc de Israel*.

N Iacob. 4.

O Serm. Dom. infra oct. Natiu.

P 1. 2. 105. 1. 1.

Q Isaiæ 14.

6 Itaque descendendo specialiùs, satis habetur triumphum in terra promissionis obtentum de inimicis, referri ad Christi Seruatoris tempus. Sic Dauid in psalmo 43. postquam præmisit, *manus tua gentes disperdidit & plantasti eos*, adiecit; *non enim in gladio suo &c. Sed dextera tua, & brachium tuum*: quod quidem de Verbi Incarnatione, exponitur [R] ad Hannibaldum: vnde ait, Dei filius, qui in natura diuina est virtus, secundùm humanam naturam est brachium, quo genus humanum est saluatum; Isaiæ 40. *in brachio suo congregabit agnos*. Lucæ 1. *fecit potentiam in brachio suo*. Et iam quomodo ipsi soli attribuendus sit opus, ex præsenti littera constat v. 7. *non quia cunctas gentes numero vincebatis*; ac si diceret, vt in psalmo; *non enim in gladio suo possederunt terram*. Simili modo in psalmo 17. ad illa verba, *Et exaltetur Deus salutis meæ*, aptat hemistichium psalmi 43. *tu es ipse Rex meus & Deus meus*; in quo concernitur de possessu terræ promissæ, tanquam tempus gratiæ tangatur, quia ipse est, inquit, actor & dator salutis gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Et cum in eodem psalmo, qui capiti huic affinis est; dico in 43. habeamus, *in te inimicos nostros ventilabimus cornu*, in defensionem fertur [S] non solum temporalium, sed & spiritualium malorum. Igitur non fuerit absonum, si gradiamur de littera ad spiritum, & in figurata inchoatione ingressus terræ promissionis, prænunciatam inspiciamus plenam victoriam de spiritalibus hostibus, hoc est de nequitia, & colluuie peccatorum nostrorum: in quorum typum sint Hethæi, Gergezæi, Amorrhæi &c. quorum delendorum enutritur spes seu fiducia, memorata versu 8. redemptione, de domo seruitutis, de manu Pharaonis idest Diaboli, vt dictum est. Quoniam autem ingressuri erant Cœleste regnum pœnitentes, ac innocentes; de primis videtur esse hoc caput, sequens verò octauus de secundis. Porrò studiose animaduertendum discrimen sacræ litteræ hic, & Numeri 31. ibi enim versu 2. legitur, *vlciscere priùs filios Israel de Madianitis*: hic ante vltionem de gentibus, prætangitur de introductione in terram: Et facit ad hæc nobilis Sancti Thomæ doctrina, in nouissimè retecta Canticorum expositione; [T] obseruat siquidem moneri prius fideles conuerti ad Christum, & deinde relinquere mundum; nec propterea accidere ordinis peruersionem; quia licèt via generationis priùs sit relinquere mundum, quàm adhærere Deo; via tamen perfectionis & complementi, priùs est adhærere Deo: Et ita in bono formaliùs est conuerti ad ipsum. Quid mirum, si & in præsenti, cùm figuratur gratiæ tempus, priùs ad Patriam mentis oculos auocet spiritus Sanctus, quàm ad hostium internecionem, hoc est ad culparum excidium deflectat.

VERSVS II. *Non inibis cùm eis fœdus &c.*

VERSVS V. *Quin potius hæc facietis eis; aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucosque succidite*, &c.

Cùm iterum in calce capitis præcipiatur; *sculptilia eorum igne combures*, argumento est, morale priùs moneri exterminium idololatriæ spiritalis, quæ per peccatum contingit: Et deinde ad litteram decerni, de eliminanda omnino falsorum numinum supellectili, lege addita de anathemate. Vtrobique tamen habemus, semouendas esse conatu omni scelerum occasiones, nàm & seduci & pertrahi possumus facilè ad ma-

lum, nisi excitamenta omnia extinguantur. *Aras* subuertimus, cum Matthæi imitatores effecti, & materiam peccandi subtrahimus, & loco dissiungimur: *Et surgens secutus est eum*. Confringimus *statuas*, si quæ ingentia videbantur bona, & ad quæ flexerat animus, in frusta in minutula scrutemur, nam cum ex Tullio L. de Tusculanis quæst. *bona & mala temporalia, quantò magis cognoscuntur tantò minora reputentur*, fit meritò, vt ea spernamus. *Lucos* succidimus, (ex S. Doctore [Y] idololatræ consueuerunt sub arboribus sacrificare propter amœnitatem, & vmbrositatem) non solùm exosi carnales delicias, sed tenebris, quæ mala opera fouent, vale dicto: iuxtà illud Iob 24. *oculus adulteri obseruat caliginem*; Ioannis 3. *qui malè agit, odit lucem*; & Ephes. 5. *quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere*. Denique sculptilia comburimus, (nota quomodo versu 25. additur ly *igne, sculptilia eorum igne combures*; non enim *pleonasmus* est redundanter appositus, sed vt deprehendatur, de morali combustione superiùs fieri verba, quemadmodùm ibi de physica; ex quo adiectum est, *igne* combures.) quando diabolicas artes studiumque peccandi, vna cùm reliquijs peccatorum execramur.

Y p.2.102.7.

VERSVS VI. *Quia populus sanctus es Domino Deo tuo; te elegit Dominus Deus tuus.*

7 Præit expositionem textus huius, doctrina theologica de nostra ad Cœlum destinatione, vbi agitur de electione, pauloque post de dilectione, dilecti enim sumus à Deo & electi. Et quia contra Pelagianam hæresim, nullis præcedentibus meritis, dilecti, & electi dicimur, idcircò non est accipiendum ly *quia populus sanctus es Deo tuo, te elegit* causaliter, vel occasionaliter, (potiùs enim in præterito tempore loqueretur; *quia populus sanctus fuisti*;) sed ostensiuè, quasi à signo & à posteriori, sicut ait Philosophus de demonstratione, *Quia*: Coloss. 3. *electi Dei, sancti, & dilecti*. Prædestinatorum numerum, reproborum excedit colluuies, eòquod pauciores sunt qui saluantur, vt [X] tradit Angelicus; ecce id tangi etiam in textu; *non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores*. Opportunè etiam subditur de iuramento v. 8. *custodiuit iuramentum quod iurauit Patribus vestris* &c. sicut respondet Zacharias in Cantico; *iusiurandum quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis; vt sine timore de manu inimicorum nostrorum &c.* quoniam vt ait Apostolus Ephesior. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*. En quomodo sibi inuicem adstipulantur sacræ paginæ: *Elegit vt essemus sancti: quia populus sanctus es, te elegit*.

X p.p.23. 7.5.

8 VERSVS IX. *Et scies, quia Dominus Deus tuus &c.*

Hoc, & sequenti versu, de retributione fit sermo, & quidem de retributione æterna, quod sonat respectu bonorum ly *in mille generationes*, ponendo determinatum pro interminato; æternum enim planiùs apprehenditur per temporaneum. *Sic reddit odientibus se, protinus eis restituens, quod merentur*. Nescio an clariùs, post præmium electorum, de impiorum damnatione (sicuti & Matthæi 25. seruatur ordo) dici posset: hi sunt qui oderunt Deum; *& reddens odientibus se*; Quod non solùm intelligendum est, de diurina auersione à Deo in peccato mortali, *quod consummatum generat mortem*, sed de formali odio damnatis, & damnandis communi, vt tangitur 22. 1. 3. 4. & alibi, [A] in quantùm apprehenditur ab ipsis Deus, vt pœnarum inflictor. Quod etiam addit, *statim & protinus*, non ad exclusionem moræ dicitur, (est enim *longanimis* Dominus & *patiens, expectans vt misereatur nostri*, nos ad pœnitentiam: Rom. 2. *an diuitias bonitatis eius ex patientia & longanimitatis eius, contemnis?* Is. 3. *expectat vos Deus vt misereatur vestri*: 2. Petri 3. *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed ad pænitentiam reuerti*) sed ad impræparatorum pœnam non vltra differendam, sed quasi inopinatò superuenturam: sicuti Prouerb. 1. *cum irruerit repentina calamitas*. Thessal. 1. c. 5. *repentinus eis superueniet interitus*; Eccli. 5. *subitò enim veniet ira illius; & in tempore iracundiæ disperdet te*: & Isaiæ 30. *Subitò dum non speratur, veniet contritio eius*. Vel *statim*, & *protinùs*, ea intelligentia, qua Apocalypsis pluries comminatur *citò*.

A 22. 34. 1.

Et si roges cur interserat de finali retributione? esse potest causa, vt illiciamur spe præmij, & vltionis metu, ad declinanda mala & facienda bona: sicuti Iob. 7. *Militi & mercenario præstolanti finem operis sui*, comparatur hominis vita, & sicut ait Apostolus consequi ad pugnam, mercedis receptionem 2. Timoth. 4. *bonum certamen certaui &c. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*. 1. Cor. 9. *debet in spe qui arat arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi*.

VERSVS XI. *Custodi ergo præcepta, & cæremonias.*

Præter id quod dictum est suprà; expendi oportet, præmissum fuisse de hostium internecione, & adiectum in præsenti de bona operatione, iuxtà quod in ps. 36. legitur, *declina à malo & fac bonum; & inhabita terram* &c. Vbi D. Thomas: [B] hæc duo frequenter introducuntur in Sacra Scriptura, sed quandoque præmittitur bonum, sicut ibi, *dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*; quandoque præmittitur vitatio mali, Isaiæ 7. *vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: Et ratio est, quia duplex est ordo, vnus scilicèt intentionis; & secundùm hunc ordinem semper priùs, debet præmitti bonum, quàm vitatio mali, quia ad hoc vitat malum, vt faciat bonum. Alius est ordo executionis; & secundùm hunc ordinem, priùs præcipitur vt vitet malum, quia omnes nascimur *filij iræ*, & non possumus fieri iusti nisi expellamus malum. Sic alio in loco; [C] in executione operis, priùs extirpanda sunt vitia, quàm inserendæ virtutes; Isaiæ 1. *quiescite agere peruersè, discite benè facere*: tamen in cognitione priùs est virtus, quàm peccatum, quia per rectum cognoscitur obliquum, vt dicitur in primo de Anima.

B ps. 36.

C p. 2. 100 6. 2.

Sequitur in litera benedictio plurima, &
aggeratio bonorum multiplicium, quæ Deus 9.
custodientibus legem daturum se pollicetur: sicuti & ait Dominus Marci 10. v. 26. *nemo est, qui reliquerit domum aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiat centiès tantùm, nùnc in tempore hoc; domos & fratres & sorores & matres & filios & agros, cùm persecutionibus*, & in *sæculo futuro vitam æternam*: cuius (subintellige tu quod alias dictum est,) sunt tempora-

lia in figuram. Ad probationem tamen nostram vt ait D. Thomas, [D] aliquando famis necessitas seruos Dei præoccupasse probatur, vnde Apostolus de se ipso 1. Cor. 11. *in fame & siti*. De huiusmodi figuratis bonis agitur & in sequenti capite, versu 7.

D ps. 36. ibi in diebus famis.

VERSVS XVIII. *Noli metuere* &c.

Cohæret quod dicitur Prou. 28. *iustus quasi leo confidens, absque terrore erit*. Et Ecclesiastici 34. *qui timet Dominum, nihil trepidabit*. Verùm Zacharias spiritaliter arridet subijciens, *vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi*. Etsi enim semper timendum sit ex humilitate, *qui stat videat ne cadat*, 1. Cor. 10. non tamen sic vt confidentiæ in Domino quidquam dematur, aut imprudens inquietudo ob præcedentia delicta nimis perturbet; *si consistant aduersùm me castra, non timebit cor meum; si exurgat aduersùm me prælium, in hoc ego sperabo* ps. 26. *modicæ fidei quare dubitasti?* Matth. 14. Et hoc quoad primum. Quoad secundum verò Isaiæ 1. *si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Et Rom. 3. *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum*. Et quia posset quis timere de occultis, recolat illud ps. 18. *ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo*: quod consonat textui, *donec deleat omnes atque disperdat, qui te fugerint, & latere potuerint*; & quidem per *crabrones* seu *vespas*, quæ meritò aptari possunt in typum cogitationum timidarum, & incertarum, quæ volucrum infestarum in morem animam torquent. Præterea etiam non esse timendum monet, quemadmodum nos docet Ioannes; *quia perfecta charitas foras pellit timorem*: quod indicare videtur, dum pergit v. 21. *non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est*. Tunc Deus videtur esse in medio nostri, cum in corde quod in medio pectoris, & in medio itidem cordis est; cœpit enim tanquam incipiens Deum in corde recipere, qui nondum medium eius, atque adeò cor totum illi donauit.

VERSVS XXII. *Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes*, &c.

Cum impium sit à Deo dimidiam sperare veniam, quemadmodum ait Augustinus in lib. de vera & falsa pœnitentia c. 6. *quædam impietas infidelitas est, ab eo qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam*: dum hic per partes destructurum se nationes perhibet Dominus, manifestum fit, iam ad gentes absque metaphora, hoc est, non ad peccata, vt suprà factum est, conuerti sermonem: par quippe fuit, vt post delendos spiritales animarum hostes, de terrenis etiam ad litteram prophetaretur. Et vide quomodo innuatur in textu; siquidem *nationes & Reges eorum*, fortè hac de causa exprimuntur, & lex anathematum abominatrix, prout sonat, ob seruanda promulgatur. Certè Dominus iam iugo fidei gentium colla subdidit, iam mundi gloriam strauit; atqui paulatim, & per partes. Sic accidit infirmo sanari: qua similitudine ait Chrysostomus Serm. de Pentecoste; *peragrarunt piscatores orbem terrarum, & infirmum eum inuenientes ad sanitatem reduxerunt*. Semen etiam paulatim fructificat: hinc legitur Isaiæ 27. de Apostolis; *qui ingredientur impetu ad Iacob; florebit, & germinabit Israel; & implebunt faciem orbis semine*. Vide quàm paulatim, & per partes, disseminatum fuit Euangelium: quamquam verè diceret Apostolus Coloss. 1, *in vniuerso mundo est; & fructificat & crescit*. Cum hoc tamen stat, vt assimilaretur *grano Sinapis* Matth. 13. *quod quidem minimum est omnibus seminibus, cum autem creuerit* &c. *fit arbor*: paulatim certè subuersa est gentilitas; nam tempore adhuc Augustini, (quod refert & ipsemet S. Doctor) erant aliquæ gentes in quibus nondùm erat Ecclesia. Rationabiliter autem id factum est, quoniam Diuina Sapientia *attingit* quidem *à fine vsque ad finem fortiter, sed disponit omnia suauiter*; ideò aggressi sunt Apostoli mundum non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, sed sicut oues in medio luporum: quod quidem nouum fuit belli genus, & insolitus præliandi mos. Et magnum atque mirabile, mentem aduersariorum commutare, & animam in aduersum transferre. Sic factum est, vt multiplicatæ non sint *bestiæ terræ*, quod canet Dominus, non potestatis indigentia, quæ super crabrones eluxit, sed mysterij prouidentia, quia bestijs comparantur gentes; nam missi sunt in medio luporum. Chrysostomus vbi suprà, *& vulneratæ à bestijs non sunt oues*. Vnde & Actor. 10. in linteo magno erant omnia *quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cæli*, quæ peccatores insinuant: Cumque dictum Petro fuerit *occide, & manduca*, id ipsum innuebatur. Quocirca Sanctus Doctor, gentiles qui priùs erant velut bestiæ, sunt per Crucem Christi spiritaliter occisi, & Christi Ecclesiæ incorporati. Cùm autem mysticè transferendi essent veluti manducatione quadam in corpus Ecclesiæ, quis dubitet quin futurum fuisset, vt *paulatim, & per partes* id fieret, quemadmodù & successione huiusmodi contingit in corporalibus nutriri & augeri? Etsi ergo Sancti Spiritus impetu ducerentur, suaui quodam tactu, humanis consentaneo rebus, *bonum certamen certauerunt, cursum consummauerunt*: secus bestiali ac effræni conspiratione ferociùs sæuisset mundus. Et si non aliàs multiplicatæ fuissent contra eos *bestiæ terræ*, saltem excreuissent bestiales motus, quasi ad repellendam violentiam; eoquod, vt ait Seneca, nobilis est humanus animus, & qui faciliùs ducitur, quàm trahatur.

Coloss. 1. l.2.

Genes. 9. in princ.

C A P V T VIII.

1 OMne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, caue diligenter vt facias: vt pos-
sitis viuere, & multiplicemini, ingressitque possideatis Terram, pro qua iurauit
Dominus patribus vestris. 2 Et recordaberis cuncti itineris, per quod addu-
xit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret,
Mat. 4. a. & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, vtrum custodires mandata illius, an non. 3
Luc. 4. a. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibũ Manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt ostenderet ti-
bi quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. 4
Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est
subtritus, en quadragesimus annus est. 5 Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium
erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te, 6 vt custodias mandata Do-
mini Dei tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum. 7 Dominus enim Deus tuus introdu-
cet te in terram bonam, terram riuorum, aquarumque & fontium: in cuius campis & mon-
tibus erumpunt fluuiorum abyssi: 8 terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, &
malogranata, & olіueta nascuntur: terram olei, ac mellis: 9 Vbi absque vlla penuria co-
medes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, &
de montibus eius æris metalla fodiuntur: 10 vt cum comederis, & satiatus fueris, bene-
dicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi. 11 Obserua, & caue nequando
obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, atque iudicia, & ceremonias, quas
ego præcipio tibi hodie: 12 ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras
ædificaueris, & habitaueris in eis, 13 habuerisque armenta boum, & ouium greges, argen-
ti, & auri, cunctarumque rerum copiam, 14 eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Do-
[...]u. 20. b. mini Dei tui, qui eduxit te de Terra Aegypti, de domo seruitutis: 15 & ductor tuus fuit in soli-
[...]21. b. 6. tudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas, &
20. 16. nullæ omnino aquæ: qui eduxit riuos de petra durissima, 16 & cibauit te Manna in solitu-
10. & dine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probauit, ad extremum misertus
7. b. 6. est tui, 17 ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia
præstiterunt. 18 Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit, vt imple-
ret pactum suum, super quo iurauit patribus tuis, sicut præsens indicat dies. 19 Sin autem
oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisque illos, & adoraueris: ecce
nunc prædico tibi quòd omnino dispereas. 20 Sicut Gentes, quas deleuit Dominus in in-
troitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

2 VERSVS I. *Omne mandatum quod ego præcipio tibi hodie &c.*

Postquàm in præcedenti capite de peruenturis ad Regnum, occisis per pœnitentiæ gladium, peccatorum hostibus, actum est; ad innocentum transitur agmen, qui nimirum cauent diligenter, vt faciant omne mandatum. Et quoniam vt dicitur Sapientiæ 3. *iustos tanquam aurum in fornace probat Deus*; Sicut Tobiæ c. 12. dixit illi Raphael restituto visu; *quia acceptus erat Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Et Ecc. 3. *in igne probatur aurum & argentum; homines vero receptibiles, in camino humiliationis*; ideo sequitur

VERSVS II. *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te atque tentaret.*

A 22. 108. Quandoque punitur aliquis [A] in temporalibus bonis absque culpa: cuiusmodi sunt plures pœnæ præsentis vitæ diuinitus inflictæ, ad humiliationem vel probationem. Facilè in prosperis quis acquiescit Deo. Hoc obiectabat Satan de Sancto Iob. c. 1. *nunquid Iob frustrà timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius &c. extende paululùm manum tuam & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Vbi Angelicus, [B] (B Iob. 1. l. 2.) Notandum, inquit, quòd in magna aduersitate etiam, nec iustorum corda interdum commouentur: sed simulatè iusti ex modica aduersitate turbantur, velut nullam virtutis radicem habentes.

VERSVS III. *Afflixit te penuria, & dedit tibi manna &c.* 3

Sanctus Paulus 1. ad Corinth. 10. *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* S. Doctor hoc dupliciter exponit, [C] vno modo de tentatione interiori mala, & tunc est permissio; alio modo exponitur de tentatione exterioris boni; & tunc est exhortatio: sic; *tentatio vos non apprehendat, nisi humana*: scilicèt tribulationum præsentium tolerantia. Augustinus in quæstionibus vet. & nou. test. q. 99. *propter Christum pati humana tentatio est* 1. Cor. 12. *fidelis Deus qui non permittit vos tentari suprà id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum*, idest [D] gratiæ augmentum, *vt possitis sustinere*; Prouerb. 22. *virga disciplinæ stultitiam fugat & sapientiam inducit.* Verumtamen dicit Apostolus Hebræor. 12. *Omnis disciplina in præsenti non videtur gaudij sed mœroris; posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ.* Quocirca S. Doctor adiecit, [E] Disciplinam sequitur consolatio, & in præsen-

C p. cor. 10. l. 1.

D op. [...] l. 5. 11.

E opu[...] cit.

ti,

ti, & in futuro; adducitque præsentem locum. *afflixit te penuria, & dedit tibi Manna.* Sanè legimus Tobiæ 3. *post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum, exultationem infundis.* Hinc Ieremiæ 31. *conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo.* Animaduertit S. Doctor, [F] tribulationes ex hac auctoritate dici penurias. Et in opusculo § *sed libera nos à malo*; [G] afflictis tot bona Deum facere, quot tradunt mala obliuioni. Ps. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et quomodo quamuis Sancti communiter in hoc mundo affligantur, quia rarò contingit, vt non superueniat ipsis afflictio; tamen alicui aliquando concedit Deus, vt non affligatur, quando scilicet cognoscit eum impotentem, & non posse resistere: sicut medicus infirmo debili non dat violentas medicinas. In Patria autem erit generale hoc, quòd nullus affligetur ibi. Iob 5. *in sex tribulationibus* scilicet præsentis vitæ, quæ per sex ætates distinguitur, *liberabit te, in septima non tanget te malum.* Apoc. 7. *non esurient neque sitient ampliùs.* Et iam iam in hoc capite innotescet de futura gloriæ felicitate attexi promissum.

F ps. 24

G opusc. 7.

VERSV eodem III. *Vt ostenderet tibi quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, quòd egreditur de ore Dei.*

3 Aperit Dominus, quare voluerit penuria laborare priùs populum; deindeque saturare per Manna, (quod ignotarent nimirum) eo fine, vt ostenderet viuere hominem etiam Dei verbo. Carnalem crassæque mineruæ fuisse populum illum, diuinæ Maiestatis ac prouidentiæ ignarum, & incredulum, non est qui nesciat: quapropter clementissimus Dominus, vt pro captu vniuscuiusque per Moysen erudirentur, de his ordinauit.

Etsi autem multifariam dicatur verbum; quia vt docet in Sermone quodam, [H] triplex est Verbum Dei; primum æternale. Io. 1. *in principio erat Verbum*: Secundum, mentale; Iob 4. *porrò ad me dictum est absconditum Verbum*; Tertium vocale; de hoc pressiùs intelligitur locus iste. De panibus varijs alibi [I] loquens ait, ferens ex Matthæi 4. hanc eandem sententiam; secundus panis est ineffabilis in verbis Dei consolatio. Ioannis 6. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Vbi D. Th. lect. 3. cibus spiritualis est ipse Deus in quantùm est veritas contemplanda, & bonitas amanda, quibus reficitur Spiritus. Prouerb. 9. *comedite panem meum.* Eccles. 15. *cibabit illum pane vitæ & intellectus.* Dicit glossa interlinearis Act. 6. *non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis; meliora sunt fercula mentis, quàm dapes corporis.* Notat autem [L] ly *in omni verbo*, quia tota spiritualis doctrina est à Deo; siue ab homine, siue à Deo dicatur. Igitur signanter crediderim dici in textu, *quod ignorabas tu & Patres tui*, quia & indicatur eorum neglectus in addiscendis, quæ Dei, suæque salutis erant, & occasio edisserendi per Moysen quæ oportuit; sicut Exodi 16. *Iste est panis quem dedit vobis Dominus.* Quocirca, pleraque alia dixisse & ostensa enucleate, opportune occasionem nactus, credere licet: ex quo de illis admirabundi aliquando cæteri promerent, de quo supra c. 4. *en populus sapiens, & intelligens, gens magna.* Puta edoceri poterant, quod notat Angelicus c. 4. Matthæi, quòd *non in solo pane*, idest non viuit solùm homo per panem, sed etiam verbo, idest imperio Dei, potest conseruari sine aliquo cibo.

H Serm. de Passione ex Euang.

I Serm. Dom 7. ex Euang.

L Matth. 4.

Præterea potuerunt institui, puriori illo ex alimento, quod Apostolus 1. Corinth. 10. spiritale appellat; *eandem escam spiritualem manducauerunt*; quodque *panem Angelorum vocat* Dauid in ps. 77. vltra corpoream hanc nostri corporis massam, immistum nonnihil esse rationalis naturæ, cuius altior suprà terrena esset finis, quando adhuc in vita mortali, panis (Sap. 16.) de cœlo illis ministrabatur. Alius quippe cibus (cùm sit cibus omnis ad vitam) aliam præsignabat vitam. Eiusmodi verbo Dei, viuit homo, victurus tandem aperta Dei fruitione; de qua Tobiæ 12. *ego cibo inuisibili, & potu qui ab homine videri non potest, vtor.* Quæ cuncta vel dicit, vel innuit S. Doctor [M] allegans Augustinum in hæc verba; *sicut anima vita est corporis, sed non viuificat, sine cibo corporali; ita Deus vita est animæ, sed non viuificat illam, sine cibo spirituali, idest sine verbo Dei.* Vnde non solum ad illos, sed & nobis dictum sit; *non in solo pane* &c. quia vt ait in Sermone Dominicæ de passione præfato, stulti sunt, qui non audiunt verbum Dei; propter duo præcipue; primò, quia ex auditu verbi Dei vitatur omne malum; secundò quia acquiritur omne bonum. Et de his Prouerb. 1. *qui me audierit absque terrore quiescet*; (scilicet quia in hac vita nullis terretur aduersis, & in morte de ingressu vitæ æternæ lætatur) *& abundantia perfruetur, malorum timore sublato*; scilicet in præsenti, *abundantia* bonorum operum, *ablato timore* eorum *qui corpus occidunt*: in futuro *abundantia* gaudiorum, *ablato timore* alicuius defectus vel aduersitatis. 4

M op. 58. 6.

Hunc locum, *afflixit te penuria*, ad præparationem animæ pro Manna figurato, nempe Eucharistiæ Sacramento sic explicat, [N] *Afflixit te*, idest fecit, vt affligeres te, & corrigeres penuria, idest pœna voluntatis tuæ, & voluptatis carentia, & tùnc dedit tibi cœlestem panem corporis sui. Et ecce quomodo cohæret quod sequitur, *vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit*: quod non inconueniens de veste charitatis accipere, qua amissa, apparuit primatum Parentum nuditas, (quemadmodum ille *non habens vestem nuptialem*) qua etiam *operitur multitudo peccatorum*, (Prou. 10. *vniuersa delicta operit charitas*) & ornamur virtutibus. Et quia charitas nunquam excidit, ideo *nec vetustate defecit*, vt in littera dicitur, *vestimentum*. *Pes* etiam *non est subtritus*: Hoc pariter ad rem facit, ex quo claret calceorum vtilitas eis donata. De comedentibus agnum habetur in Exodi 12. *calceamenta habebitis in pedibus*, vnde nobis propheticè dictum sit, quod ex D. Gregorio fertur. [O] *Calceamenta in pedibus habere, est mortuorum Patrum vitam aspicere, & nostra vestigia à peccati vulnere custodire.*

N op. 58. 16.

O opusc. 58. 16.

VERSVS IV. *Vestimentum tuum quo operiebaris* &c.

Iam effectus verbi Dei tanguntur, siquidem per prædicationem verbi Dei, ac doctrinam, vita spiritualis, quæ est per habitum inconsumptum gratiæ, conseruatur, vt patuit per Augustinum: hoc fuisse assecutum Sanctum Iob, periphrasi

phrasi nobili habemus c.4. *ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti*. Quid mirum si non sit pes eorum subtritus? Eccles. 9. *omni tempore vestimenta tua sint candida*. Iob 37. *nonne vestimenta tua calida sunt cum perflata fuerit terra austro?* Nec debent vetustate deficere, dicente Apostolo Coloss. 3. *expoliantes vos veterem hominem*.

5 Sed heu, Verbo Dei, (quo viuit homo, prout homo; nàm alimentis alijs viuit prout animal) vix hodie tantillùm reficimur! Vereor, ne illud Amos c. 8. hac tempestate impleatur; *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram; non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini*: vel si auditur, adulterinum audiatur. Quocirca Apostolus, [P] *non enim sumus vt plurimi adulterantes Verbum Dei*: & rursùm, *non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei*. Vbi S. D. idest prædicantes propter quæstum, vel propter fauorem laudis; sicut enim mulieres dicuntur adulteræ, quando recipiunt semen ex alio viro ad propagationem prolis: cùm in prædicatione semen nihil aliud sit quàm finis seu intentio; si finis tuus est quæstus; si intentio tua est fauor gloriæ, propriè adulteras verbum Dei. Isti vt ait c. 4. sunt propriè mercenarij: adulterantes falsa doctrina lupi. Audi iterùm Apostolum 1. Thess. 2. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione auaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs*. Erubescat igitur si quis est, qui vbi thesaurum inueniàt, dispergit prædicationis suæ semen: quique si loco auri sint glebæ, accedere despicit. Confundatur etiam plausus humani gloriæque transeuntis præcupidus, memor illius; *mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*: & meritò quidem, quia *prædicamus Christum crucifixum*. Et rursùs: *non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum*, (p. Cor. 2.) *& hunc crucifixum. Et sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione spiritus & virtutis; vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Inanis autē plausus præcupidos carpit Angelicus Apoc.8. Comm. 2. ad finem, Christi Domini exemplo, qui vni mulierculæ Ioann. 4. non dedignatus est veritatem docere, quando ipsi solàm famosis in locis affectant prædicare.

P 1. Cor. 2.1.3.& c. 4.1.1.

6 Hic veruntamen eloquentiam haud damnem sacram, quam solidè tuetur Angelicus, aduersùm Religiosorum ordinum calumniatores, opusc. 19. c. 12. sic tamen vt eloquentiæ specialiter non insudetur. Noui quod dicitur, Prouerb. 24. *fauus mellis composita verba*: cæterùm, qui eloquentiæ principaliter studet, homines non intendit inducere in admirationem eorum quæ dicit, sed dicentis, ait Sanctus Doctor, Isaiæ 55. *quare appenditis argentum, non in panibus, idest eloquentiam, non in veram sapientiam*, quæ reficit, vt exponitur. [Q] Et priùs cap. 33. *populum imprudentem, non videbis, populum alti sermonis, ita vt non possis intelligere disertitudinem linguæ eius*, In quo nulla est sapientia. Sic Achilles illorum euincitur, qui ad Ambrosium ad Augustinum eloquentiæ professores eximios confugiunt. Hos aliosque Sanctos Patres vndequaque imitentur: non erit qui mutiat: atqui profanam degenerat in elocutionem concio Sacra, & affectatus dicendi color in ornatu sistit inani, frigidissimè ad salutem animarum pertractus sermo, eneruata Apostolica declamatione languescit: tanto Ecclesiæ damno, vt quemadmodum Prædicantes, sic & audientes, post vana post curiosa dumtaxat eant, despectis ijs Verbi Dei præconibus, qui minùs humanis artibus pollent; & amisso lucro quod Christus distribuendo talenta exigit à seruis: inter quos qui vacuus reuertitur, sola ex omissione, ad tenebras exteriores damnatur: condigna pœna splendori fucatæ eloquentiæ, & luminibus vt loquuntur infœcundæ facundiæ. Concionatorum confessariorumque vitio, cùm tanta videatur ipsorum copia, inemendatus perennat orbis: quod argumento est, cui nequeat quis refragari, tantum exerceri munus per æra sonantia, & cymbala tinnientia: 1. Cor. 13. *si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens*. De Rhetorum huiusmodi auditoribus, qui purpureis è labris excipiunt cateruatim sæcularem magis quàm sacram eloquentiam, Inauratis etiam & floribus onustis increpationibus, cùm accedant ieiuni, & abeant vacui, illud D. Iacobi c. 1. coapte dicatur; *si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo; considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit: qui autem perspexerit in legem perfectam* &c. Capturam piscium intendant, per aureum etiam rete, non abnuo; si verè ex corde intendant. *Sed variæ multiplicesque sunt diaboli ad decipiendum insidiæ*. Væ qui solùm tuba canit ad delectandum, nusquam clangit ad terrendum. Sed væ illis etiam qui neutra capi volunt via: quibus id potest improperari ad mottem Lucæ 7. *cantauimus vobis tibijs, & non saltastis; lamentauimus, & non plorastis*.

Q Ioan. 6.1.1.

VERSVS idem IV. *Vestimentum tuum quo operiebaris* &c.

Mirum videtur cur Moyses hoc dumtaxat memoret de non attrito vestimento aut pede miraculum, cùm aliàs tot sint patrata in deserto prodigia, quadraginta annis: sed si attentè pensetur latens intelligentia præcedentis, & huius textus, quàm maximè cohærent. Prædictum fuerat *non in solo pane viuit homo*, elato ad altiorem prouidentiam humano sensu: ecquid est aliud, nisi quod & apertiùs nos monuit Dominus Matthæi 6. *ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, & corpori vestro quid induamini; nonne anima plus est quàm esca, & corpus plusquàm vestimentum? respicite volatilia cœli, quoniam non serant neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa*. Et paulo post. *Et de vestimento quid soliciti estis? considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent*. Ecce iterum tangi miraculum præsens; siquidem, vt ait Abulensis, *vestes, & calcei puerorum, vnà cum incremento corporum, incrementum capiebant*. D. Paulus 1. ad Timoth. 6. *habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*; & immediatè prædixerat; *nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quòd nec auferre quid possumus*. Sicut ergo expresse in nouo testamento à terrenis abduci-

mur,

mur, ita secretiùs in veteri, vt inhiemus ad gloriam: de qua paulò post, idem Apostolus, *apprehende*, inquit, *vitam æternam*. Hoc verbo viuit homo, *non solo pane*. Et quoniam assequi vitam æternam, non datur nisi deposito corporis vestimento, dicente Apostolo 2. Cor. 5. *ingemiscimus grauati; eoquòd nolumus expoliari, sed super vestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita*; ideò post factam ænigmaticè excitationem ad gloriam, de vestimento subijcitur. Vetustate non deficiet huiusmodi corporis indumentum: quia *surget* (1. Cor. 15.) *in incorruptione*. Additur autem: *Et pes tuus non est subtritus*; vt indicetur illò per affectum, per desiderium & profectum esse pergendum: iuxta quod Ephes. 2. *creati in operibus bonis, vt in illis ambulemus*, quod & hic sequitur; *vt ambules in vijs eius*, & quia iustis non est claudicandum 3. Regum c. 18. *vsquequò claudicatis in duas partes*: quemadmodum ad id Angelicum præest adiutorium, de quo in ps. 90. *ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. De hoc infra, etiam c. 29.

VERSVS V. *Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te*.

Vrget vt cogitemus non solùm, sed recogitemus. Magnum quid ergo latet recogitandum. Quod si recogitandum est in corde, vbi feruet dilectio, quare dictum est *sicut erudit filium suum homo*; non potiùs, sicut erudit filium Pater? patris enim est erudire filium, & educare; patrisque nomen, ad amorem prouocat, vnde D. Bonauentura Tertia in parte stimuli diuini amoris; *sufficit mihi si habeam Patrem meum*. At profundiùs transuerberat cor nostrum amoris telum, si pensetur Deus factus homo, qui nos erudiuit verbo & exemplo; *nisi enim*, quod ait Leo Papa, *verus esset Deus, non afferret remedium*; *nisi verus esset homo, non præberet exemplum*. Hinc Augustinus 13. de Trinit. c. 10. *quid dilectionis Dei isto iudicio manifestius, quàm quod Dei filius naturâ nostra dignatus est inire consortium*? Et in lib. de catechizandis rudibus c. 4. (En eruditio) *quæ maior est causa aduentus Domini, nisi vt ostenderet dilectionem suam in nobis*: *si amare pigebat, saltem redamare non pigeat*. Benè ergo ait Moyses, *sicut erudit filium suum homo*; vt Patris, quando factus est filius hominis in terris absque Patre Dei filius, subticeatur nomen; & homo asseueratur, quem vt
R 3. p. q. 4. 1. dicitur Ioelis 2. *dedit nobis Dominus Deus doctorem iustitiæ*, vt exponitur apud S. D. [R] & Isaiæ 54.
S Ioan. 5. 1. 1. *ponam filios tuos vniuersos doctos à Domino*. Notato discrimen ab alijs, [S] quia cæteri magistri docent tantùm exteriùs, sed Christus etiam interiùs

VERSVS VII. *Dominus enim Deus tuus introducet te* &c.

De Seruatore ait Apostolus Hebræorum 2. *qui multos filios in gloriam adduxerat*. Vbi expen-
T Hebr. 1. 3. dit S. Doctor. [T] Quomodo filij simus adoptiui per Christum, qui filius est naturalis; & per eundem hæreditatem gloriæ consequamur. Quò facit illud Ieremiæ 3. *ego autem dixi quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem: hæreditatem præclaram exercituum gentium? & dixi; Patrem vocabis me; & post me ingredi non cessabis*.
7 VERSVS VII. *Terram riuorum, aquarumque & fontium*.

Incipit Moyses altissima certe intelligentia, cœlestis Patriæ describere statum: neque enim fuisset necesse sic ad amussim promissæ terræ vbertatem promere, nisi anagogicus subesset sensus. Igitur cum sublimi illo in Regno sit omne bonum, meritò terram bonam compellat: & quia triplex est bonum, naturæ nimirùm, gratiæ, & gloriæ, tangit tergeminam huiusmodi boni copiam; naturæ quidem in eo quòd ait *riuos*. Hinc S. Doctor in prologo tertij sententiarum [V] V Prologo 1. sententiat.
exponens illud Isaiæ 33. *locus fluuiorum, riui latissimi & patentes*; (vbi certè de Paradisi amoenitate) riui inquit naturalium bonitatum, qui fluunt scilicet ex diuina bonitate. Sequitur; *aquarumque*: plus est aquam dicere, quàm riuum; quia gratia excedit naturam, clariùs Ioannes in Apocalypsi magnificat; *& vox illius, tanquam vox aquarum multarum*: vbi D. Thomas, [X] notat abundantiam gratiarum. Ioann. 4. *Aqua* X Apoc. 1. Com. 2.
quam ego dabo ei: & dicit, *multarum* propter largiorem gratiam. Supererat tangeretur de gloria in ly *& fontium*. Et iam Ioannes rem appritime illustrat dicens: *non esurient, neque sitient ampliùs*, &c. *quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos, ad vitæ fontes aquarum*. Quod prædixerat Isaias c. 49. conceptis verbis; *non esurient* &c. *quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos*. Quocirca vtramque nectens authoritatem [A] ait S. D. *ad fontes*, hoc A Apoc 7 Com. 2
est ad plenam abundantiam: *aquarum*, idest omnimodæ refectionis; quia desiderium ibi terminabitur, sicut sitis potu aquæ sedatur; ibi enim erit plenitudo boni: Et sic capite 21. *ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis*, idest [B] abundantiam B Apoc. 21.
æternæ beatitudinis: & sic ibidem relatus Isaias c. 55. *omnes sitientes venite ad aquas*. Sed capite suprà septimo opponit de pluralitate hac fontium, quoniam vnus est *fons vitæ*, vt dicitur in psalmis. Et Respondet mirificè, quòd si nomen fontis, accipiatur pro bono creato, dicitur in plurali, *Fontes*, ad signandam plenam abundantiam ac multiplicem, quia nomen fontis, nomen est abundantiæ: non ad signandum originis principalis multiplicitatem, illa enim tantùm vna est, scilicet Deus; & sic accipit glossa. Si autem pro increato: super hoc quòd dicitur *fontes* intelligitur diuina bonitas, & increata, & infinita in qua est omnis, & perfecta refectio in patria: & dicitur in plurali propter multiplicitatem, & varietatem præmiorum, sicut & Spiritus Sanctus dicitur multiplex Sap. 8. in eodem versu; *in cuius campis, & montibus erumpunt fluuiorum abyssi*. Nunquid pro delicio rumpuntur ibi fontes abyssi magnæ, vt fuit in diluuio? Gen. 7. 8

Consimile quid habemus Isaiæ 41. *aperiam in supinis montibus flumina*, siue, vt ferunt alij codices, *in supernis, vel supremis montibus flumina*. Absit autem, vt naturæ sistamus in opere hæc audiendo, *inter medium montium* liquidem, vt ait psaltes, *pertransibunt aquæ*. Deliciosum præterea non esset, vt campi qui replentur vbertate, vt dicitur quoque in psalmo, ingenti aquarum copia essent submersi. Exponitur autem Isaias, [C] vt C Prolo. go tertij Senten- tiarum
montes huiusmodi sint nobilissimæ creaturæ, in quibus flumina, idest naturales bonitates quas Deus creaturis influit, copiosissimè accipiuntur, & sine imperfectione ostenduntur. Ex quo fas est philosophari in præsenti; non enim erit disso-

nium hanc eruptionem, intelligere, tanquam effluxum quendam ingentem abyssorum Dei. Igitur cùm intendat Moyses cœlestis patriæ statum ænigmaticè significare, postquam naturæ, & supernaturalis doni retigit copiam, descendit ad innuendum in quibus præcipuè eluceat, ordinis naturalis, & supernaturalis vbertas; secundùm enim vtramque rationem, est Deus abyssus inexhauribilis; idcirco pluraliter inquit *fluuiorum abyssi*. Si humanitùs id esset intelligendum, diceret potiùs erumpere è montibus, quàm in montibus. In naturæ autem ordine inter creata omnia, quemadmodum nobiliorem altioremque locum, ita pulchritudinem ac dignitatem obtinuisse videtur cęlum, (non loquor de homine, qui tanquam beatitudinis capax, ad ordinem gratiæ spectat; nec simplici quidditatis trutina, secundum quam Augustinus lib. de duab. animab. 8. pulchrè confirmat muscam Soli præferendam esse.) Meritò fouebat filium Salomonia illa ad martyrium, dicens, *peto nate aspice Cælum:* Et Dauid in psalmo 8. *quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*; quia, vt inquit Angelicus, [D] quæ digitis facimus, subtilia opera sunt.

Psal. 8.

Et certè sub aspectu nil pulchrius nil mirabilius cęlo cadit: vnde est illud Philosophorum sermone tritum, *in cælesti mundo florem esse huius inferioris; in hoc facem illius*. Quod si ita de cœlis quos videmus fas est dicere, quid rogo de Empyreo Beatorum Domicilio, Diuinæque Maiestatis habitaculo arbitrandum est? ps. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*. *Cælum Cæli Domino* ps. 113. & hìc c. 10. en *Domini Dei tui cælum est, & Cælum Cæli*. Meditetur fidelis, ex Apocalypsis 21. quàm pretiosa, quàm admirabilis sit superna ciuitas: & deinde cum Sapiente pronunciet c. 13. *à magnitudine speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri*. Satis fuerit recolere magnificentissimum Salomonis Templum, vmbratilem extitisse typum Patriæ cœlestis. Pensetur Empyrei dignitas, ex nobilissima ad quam creatum est obiecti beatifici exhibitione; & denique locum esse in quo, Danielis 7. *millia millium ministrant, & decies millies centena millia assistunt* Deo; qui ibi tanquam in Augustali supremo sedet, & regnat.

9 *In Campis* ergo erumpit abyssus fluuij. Per huiusmodi campos, benè intelligitur empyreum Cœlum; nàm campus amplitudinem sonat: Beata autem terra illa promissionis epitheton habet spatiosæ: Sic Exodi 3. *in terram bonam, & spatiosam*. Sic psal. 30. *statuisti in loco spatioso pedes meos*, vbi D. Thomas; [E] Iste locus spatiosus est vita æterna: Baruch 3. O *Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius*. Sic Tobiæ 13. memoratur latitudo platearum; *Portæ Ierusalem ex Sapphiro, & Smaragdo ædificabuntur, & ex lapide candido & mundo, omnes plateæ eius sternentur*: & sub eadem camporum voce legitur Ecclesiastici 24. *quasi oliua speciosa in campis*: quod ad rem nostram [F] exponit Angelicus Doctor. Empyreum autem multiplici de causa significari videtur per campos & per terram spatiosam. In primis immensa ex magnitudine; Isaiæ 40. *quis cælos palmo ponderauit?* vnde & mathematicis puncto comparatur terra, ad peripheriam Cœli, Ieremiæ 4. *aspexi terram & ecce vacua erat, & nihil*. Plinius l. 2. c. 68. ridet meritò vanos homines pro adeo exiguo iure bellantes: *portio terræ, immò vt plures tradidere mundi punctus, (neque enim est aliud terra in vniuerso) hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes, hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus: hic instauramus bella etiam ciuilia, mutuisque cædibus laxiorem facimus terram*. Deinde quia ex S. Doctore [G] ad illud Ioannis primæ c. 3. *maior est Deus corde nostro*; nihil præter Deum est maius corde humano; & ideo secundùm Augustinum animam Dei capacem, nihil minus Deo replere potest. Quid mirum ergo si in cœlo vbi Deus dilatat cor nostrum, perhibeantur spatia & camporum planities? Tertio propter proprietatem ignis, qui angustias non patitur. Dicitur autem de charitatis igne Isaiæ 31. *Ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem*: & cantatissima est in Scripturis, charitatis latitudo, *cum dilatasti cor meum*. Denique spatiosa terra & campestris dicendum est cœlum vbi nulla erit angustia, iuxta quod ait Isaias c. 65. *obliuioni traditæ sunt angustiæ priores*: & propter amœnitatem; quod ait D. Thomas in Serm. Domin. 4. post Epiphaniam. In huiusmodi campos, in illam terram spatiosam erumpit fluuius abyssi, quia ibi magnificentia diuinæ bonitatis splendidiùs elucet, dum orbis terrarum è contra dicitur Sapientiæ 11. *momentum stateræ, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram*.

E Psal. 30. F Serm. S. rei ex ... ng.

G p. Io. 3.

De montibus autem qui in spatiosa terra locantur, vt nonnihil dicamus, pro explorato præmittimus beatos posse per illos significari sicut in prologo bis allato sententiarum ait S. Doctor, montes sunt nobilissimæ Creaturæ; & alibi [H] ferens illud ps. 86. *fundamenta eius in montibus sanctis*, tangit Angelos dici etiam montes, sub his verbis: Angeli sunt eius ciuitatis fundamenta, & addit homines assumi ad ordines Angelorum. Sic etiam in recenti expositione Cant. cap. 2. ibi, *saliens in montibus*, idest transiens Angelos venit in mundum. Quare autem Angeli montes dici possint, de facili patet, si consideretur altitudo Angelorum. In huiusmodi etiam montibus, qui adeò transcendunt, sua in eleuatione ad ordinem gratiæ imum terræ, erumpit etiam fluuij abyssus; quia illud venit ex profundo diuinæ prædestinationis, quò hæc astruens reuocatur illud [I] Ecclesiastici 1. *profundum abyssi quis dimensus est*; & iterum [L] aliud psalmi, *iudicia Dei abyssus multa*: cum sit id humanæ cognitioni incomprehensibile. Præterea ait psaltes ps. 45. *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, & Isaias c. 66. *ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis*: quod ad beatorum attinet statum, [M] scilicet super Ierusalem cœlestem. Non potest nisi per abyssi emissionem siue eruptionem teneri, quod idem Isaias ait c. 64. iuxta Apostolum 1. Cor. 2. *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*. 10

H Hebr. 11. l. 3.

I Ephes. 3. l. 5. L op. 2. c. 242.

M Philip. 4. l. 1. Io. 14 l. 7.

VERSVS VIII. *Terram frumenti, hordei ac vinearum.*

Comprehenditur paucis, qui sint illi qui inhabitant terram illam; sub tropis frumenti, hordei, & vinearum. Hæc omnia vnitatem Ecclesiæ, vnionem in charitate inuoluunt, quia ex multis granis, siue triticeis siue hordeaceis fit

panis, & ex multis racemis vinum confluit: facit autem Dominum habitare *vnanimes* cœlesti illa *in domo*, in vna fide fideles. Per frumentum autem significari possunt qui maius habebunt meritum, quia triticum magis nutrit quàm hordeum, & magis est acceptabile ratione valoris, vt habetur ex D. Thoma in 2. Comm. Apocalyp. [N] ibi *bilibris tritici, bilibris hordei*. Cum autem subditur, *& vinearum*: vel radicem charitatis, scilicet gratiam, indicat Moyses; eoquod vineæ sunt vnde deriuatur; nàm charitas dicitur vinum, vt exponit S.D. [O] ratione feruoris. Vel designat vtrumque populum, & ex gentibus, & ex Iudæis illic transplantandum; sicut Cantic. 1. ait Ecclesia, *posuerunt me custodem in vineis; &, vineam meam non custodiui*: vt in nupero Commentario [P] ait idem Sanctus.

VERSV eodem VIII. *In qua ficus, & malogranata, & olíueta nascuntur.*

11 Quæ conueniant beatis, quæque in eisdem in æternùm nascantur arbores, pro fructibus earum indeficientibus, signatur. Ficus apud S. Doctorem, super illud Iudicum 9. *dixeruntque ligna ad arborem ficum*, [Q] sunt contemplatiui, Dei dulcedinem sentientes: Dominus autem Lucæ 10. dixit, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*; & Gregorius super Ezech. hom. 14. *Contemplatiua hìc incipit, vt in cælesti Patria perficiatur*: de quo videri potest [R] Angelicus. Quoad malogranata, est etiam attendenda anagogia. Est res omnis, multiplicis intelligentiæ capax: & ideò iuxta contextuum exigentiam, expositio germanior quærenda est. Certè, & huiusmodi arbores pro mystico recoluntur sensu; quia si litterali in superficie sistamus, non multum dignificant conditionem terræ, nec expetibilem faciunt malogranata. Ad illa verba Cant. [S] *si germinassent mala punica*, in recenter detecto Commentario, habemus; grana rubea designant feruorem vitæ contemplatiuæ; & quia exteriùs habent corticem asperum, designât quoque turbationem vitæ actiuæ. Sic capite 4. *genæ tuæ sicut fragmen mali punici*; [T] est autem malum punicum, malum granatum, quod quando frangitur apparent in eo grana rubea plura; sic etiam ex vna charitate plura bona opera debent procedere. Satis igitur liquet charitatis feruorem concerni, plurimosque dilectionis actus in malogranatorum granis significari: quod quidem in Patria eueniet; sicut ait Augustinus in lib. de Ciuitate Dei; *si quæratur quod est opus illius ciuitatis, dicimus, quòd ibi vacabimus, & videbimus, & amabimus.*

Superest de oliuetis agere. Et quia vltra essentialem beatitudinis rationem, sitam in contemplatione & dilectione Dei, gaudium accidentale beatos delectat: quod ex D. Thoma [V] aureola dicitur, (ad differentiam coronæ vel aureæ, quæ est præmium essentiale, in perfecta coniunctione animæ ad Deum, in quantùm eo perfectè fruitur, vt viso & amato perfectè) estque gaudium quoddam de operibus factis, ex genere & circunstantijs ipsorum, ex habitu eliciente, & proximo fine, consideratis; video meritò de oliuetis fieri mentionem: & quidem duplici de causa; primò, quia proprium oliuæ epitheton est esse vberem & fructuosam, vt dicitur Ieremię 11. *oliuam vberem, pulchram, fructiferam; &* ps. 51. *ego autem sicut oliua fructifera*. Secundò ad innuendum esse gaudium hoc, aliquid superadditum aureæ, non secùs ac pinguedo superadditur corpori, idcirco commemoratur oliua, quæ pinguedine pollet: vnde ait D. Thomas, [X] oliua semper fructum habet pinguem. Et Iudicum 9. respondit in sacro Apologo oliua, *numquid possum deserere pinguedinem meam*? Quoniam ergo, veluti impinguatur mens ex bonis operibus, id sensibili pinguedine significatur. Et prætereà, saginabitur quasi, beatus particeps gaudij aliorum omnium, iuxtà illud ps. 86. *sicut lætantium omnium*: eoquòd quilibet [A] habebit omnia bona cùm omnibus beatis, quia quilibet diliget alium sicut se ipsum, & ideò gaudebit de bono alterius, sicut de suo. Quocircà ait glossa relata Hebræor. 11. l. 8. *in communi gaudio omnium, maius sit gaudium singulorum*: & D. Augustinus apud S. D. p. 2. 38. 3. quando cum multis gaudetur, in singulis vberius est gaudium. Itaque *oliueta ibi nascuntur*. Olei autem est proprietas lætificandi, vt docet Angelicus in Matthæum ibi [B] *ad montem oliueti*: & rursùm ibi, [C] *acceperunt oleum*. Et in quodam Sermone ex Epistola [D] semper ferens illud ps. 103. *vt exhilaret faciem in oleo*.

VERSV eodem VIII. *Terram olei, ac mellis.*

12 Vt quid postquam dixerat nasci olíueta, supetuacaneè vt videtur, adiecit terram olei? an fortè vbi copia erit oliuarum oleum deficiet? scimus quid nam significet oleum: nimirum apertè Christi humanitatem, secundùm quam vnctus est *oleo lætitiæ præconsortibus suis*. Immò Cant. 2. *oleum effusum* dicitur nomen eius. Ibi ergo erit oleum, id est Christi Domini præsentia; Et mel: Per mel, vt aliàs dictum est, significatur Diuinitas. Prouerb. 25. *sicut qui mel multùm comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*. Hinc aiebat Dauid, *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*! quod exponens S. Doctor [E] inquit, *ista dulcedo est gaudium de diuina fruitione*; Ecclesiastici 11. *Breuis in volatilibus est apis; & initium dulcoris habet fructus illius*. Io. 17. *hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Chrisma græcè, vnguentum vel vnctio dicitur.

13 VERSVS IX. *Vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris.*

Aiebat Augustinus, *copia quæ Deus non est, egestas est*: & iterum, *si cuncta quæ fecisti, mihi dederis, non sufficis seruo tuo, nisi te ipsum dederis*. Et D. Gregorius, *cùm omnia sint facta ad quærendum Deum, nihil humanæ menti sufficit, quod non sit Deus*. Quę pulchrè perpendit in hæc verba S. Doctor, [F] hoc autem facit fidelitas creaturarum, quæ non permittit hominem in creaturis quiescere, sed ad creatorem suum remittit.

Hic autem expressè verba fieri de beatitudine astruit in Sermone dicens, [G] Est autem beatitudo *status omnium bonorum congregatione perfectus*, vt dicit Boetius: est enim ibi omne bonum, & nullum malum; & mox addit, Deut. 8. *Vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris*. Et hoc ipsum in alio Sermone ex Euangelio post Pentecosten loquens de cœlestis mensæ ferculis prædixerat. [H] Primum ferculum erit gaudium de omnium ma-

N Apoc. 6.
O Ioan. 2. l. 1.
P Cantic. 1.
Q Apoc. 1. c. 7. op. 41. l. 2. 9.
R 22. 180. 8.
S Cantic. 6.
T Cant. c. 4.
V 4. 49. 5. 2.
X ps. 5
A op. 7. 25.
B Math. 21.
C Math. 25.
D Serm. Dom.
E 2. Cor. 12. l. 2.
F 1. petri c. 2.
G in festo S. Thom.
H Dom. 2. Euang.

lorum absentia; secundum, de omnium bonorum præsentia. De his duobus Deut. 8. *Vbi absque penuria, bonorum omnium abundantia perfrueris.* Isaiæ 35. *gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.*

VERSV eodem IX. *Cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius, æris metalla fodiuntur.*

14 Post adumbrata cœlestis Patriæ gaudia, debuit felicitatis æternæ perennis durabilitas indicari, neque enim animæ complet desideria, bonum quod transit. Igitur cum ait, *lapides illius terræ, ferrum esse*, nequit secundùm proprietatem intelligi; quoniam ferrum lapis non est, nec è contrà; sed eatenus ferrum esse dicuntur, quatenus ferrum lapide durabilius est. Sic in psalmo 149. perpetuitas tormentorum inferni per ly *in manicis ferreis* significatur; ad damnatos siquidem referri docet [l] Angelicus Doctor. Sic Danielis 4. [L] *& alligetur vinculo ferreo & æreo*, idest forti, & durabili. Et eadem phrasi Ecclesiastici 28. legimus, *iugum illius, iugum ferreum est; & vinculum illius, vinculum æneum est*. Et ecce tangi sequentis intelligentiam, nimirum *& de montibus eius, æris metalla fodiuntur*. Ita tamen vt quod dicitur de ferro, suprà terram ipsam cadat, quæ aliàs in Apocalypsi per similitudinem ciuitatis, dicitur posita in quadro; sic vt quemadmodum ex ferri durabilitate, ita ex figura in qua subsistit quadra, perpetuitas significetur æternæ mansionis; nàm globosum motui, & varietati subiectum est, ex quo per poetam instabilitas tribuitur fortunæ, non autem Mercurio, eoquòd insideat cubo: Versus est.

l op. 6. 5. 14.
L Danielis 4.

Vt fortuna globo, cubo sic insidet Hermes.
Artibus hic varijs, casibus illa præest.

Facit huc quod ait Zacharias c. 14. *sedebit Ierusalem secura*. Et deinde quod de ære subiungitur, ad Sanctorum immortalitatem habeat respectum: Iob c. 37. de cœlis dicitur, esse *solidissimos quasi ære fusos*. Et meritò beatos, quos superiùs diximus montes, refert æs & non ferrum, quia hoc, est illud nobilius. Docet Angelicus [M] diuersificari metallorum species secundùm maiorem vel minorem puritatem vaporis resoluti, & secundùm differentiam caloris digerentis: inter quæ aurum videtur purissimum; & post hoc, argentum; & sub hoc, æs: infimum autem ferrum.

M iob. 28.

Et nota quomodo ait fodi *æris metalla de montibus*; quia ab interiori erit corporum immortalitas. Quod quidem, & naturæ & gloriæ competit. Naturæ quidem, quia vt dicitur Sapientiæ 2. *creauit Deus hominem inexterminabilem*; nàm nisi peccasset fuerat immortalis. Et hoc [N] prouidentia diuina disposuit propter diuinitatem animæ rationalis, quæ cum naturaliter sit incorruptibilis, debebatur sibi incorruptibile corpus. Gloriæ etiam refertur immortalitas, nimirùm animæ glorificatæ; subijcietur enim tunc animæ perfectè corpus, & tanquam formæ & tanquam motori, vnde elucescent in eo dotes, [O] de quo in 4. Et compendiosè in secundo Apocalypsis Commentario, ibi *corona stellarum duodecim*; [P] percensentur dotes, inter quas impassibilitas; 1. Cor. 15. *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*. Quæ apprimè per æs solidissimum, & impertransibile hic designatur.

N Romã. 5. l. 3. 4. Cont. G. c. 52.
O 4. 49. 4. 5.
P Apoc. 12.

Rogabis, quare ad perpetuitatem cœlestis gloriæ sic ænigmaticè cordi nostro inferendam, ferri, & æris prompserit, cùm nobilior non deesset, similitudinem. Respondeo; in primis allegoriam terræ illius coegisse veluti, vt ad metalla confugeretur, ad innuendam perennitatem Regni illius, & corregnantium Sanctorum. Deinde nondum nouæ legis dies venerat, Rom. 13. *nox præcessit, dies autem appropinquauit*: Quare opportunum non erat, pellucentibus pretiosis lapidibus, (quemadmodum Ioannes fecit in Apocalypsi c. 21. & in primo præcipuè fundamento, scilicet in iaspide, qui semper viret, & virorem æternitatis immarcescibilem indicat) adumbrare Patriæ cœlestis æternam durationem. Similiter, cum ad mysticam promissionis terram, nemo in veteri lege pertingeret, sed ad inferos omnes descenderent, in limbo redemptionem expectaturi, meritò exinde obscura metallorum extracta est metaphora capessendæ aliquando æternitatis.

VERSVS X. *Vt cum comederis, & satiatus fueris* &c.

Satiabor, ait & psaltes, *cùm apparuerit gloria tua*: & subditur; *tùnc benedicent Domino Deo suo*; iuxtà quod ait Augustinus, *Vacabimus, & videbimus, & amabimus, & laudabimus, & cantabimus*; & Tobias c. 13. *per vicos eius, alleluia cantabitur*.

VERSVS XI. *Obserua & caue.* 15

VERSVS XII. *Ne postquam comederis &c.*

Consimili locutionis phrasi ait Dominus Lucæ 22. *vt edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo*. Quocirca D. Thomas Opusc. 2. P. 2. c. 9. non quòd in illo finali bono corporalibus cibis Sancti vtantur. Item 3. contra Gentes c. 51. de cibo corporali & potu, non potest intelligi: ex quo Cyrillus, *ex ijs quæ apud nos sunt, spiritualia designat*: Prouerb. 9. *comedite panem meum, & bibite vinum*: Ecclesiastici 14. *cibabit illum Dominus pane vitæ & intellectus*, Denique p. 2. q. 4. a. 7. ad 1. omnes illæ corporales promissiones, quæ in scriptura continentur, sunt metaphoricè intelligendæ: scilicet, per cibum & potum, intelligitur delectatio beatitudinis: per diuitias, sufficientia, qua homini sufficiet Deus: per Regnum, exaltatio hominis vsq; ad coniunctionem cum Deo. Tobiæ 12. *ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, vtor*. De quibus, nonnihil in textu; *habuerisque armenta boum, & ouium greges*, (ecce diuitias naturales) *argenti & auri, cunctarumque rerum copiam*, (ecce artificiales)

VERS. XIV. *Et non reminiscaris Domini Dei tui.*

In hoc etiam loco contemplatus est D. Thomas continuationem, [Q] & speciale argumentum charitatis Dei in continuatione tot beneficiorum, post quæ nusquam tantus amor obliuioni tradi deberet. Ipse veruntamen introspectum velim vitæ nostræ fidelem cursum: quo expleto assequamur regnum. *Deus quippe vult omnes homines saluos fieri*: vnicuique largiter impertit auxilia, ne pereat in via. Viæ autem huius fuit figura peregrinatio populi in solitudine. Hinc

Q op. 58. c. 1.

VERSVS XV. *Et Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens* &c.

R Serm. Dom. 4. Adu. ex Euang.

Moraliter [a] per desertum mundus intelli-
gitur. In quo est *serpens flatu adurens*, idest su-
perbia; *scorpio*, idest, luxuria; *dypsas*, idest aua-
16 ritia: hæc D. Thomas. Quàm benè autem ve-
nenosis huiusmodi aptentur hæc potissimè vitia,
ex dicendis constabit. Peccatum quippe omne
venenum fundit, iuxta illud, *à facie colubri fuge
peccatum*, Ecc. 21. ideoque inficit statim cor, hoc
est voluntatem; suo frigido charitatem extinguit;
&, *cum consummatum fuerit generat mortem*. Su-
perbia verò in extollentia capitis deprehendi-
tur: quare cùm sit serpentis id proprium, quem-
admodum aiebat Poeta; *longo caput extulit antro,
cæruleus serpens*; meritò stat in typum superbiæ.
Est caput etiam superbia, quia vt dicitur Eccles.
10. *initium omnis peccati superbia*. Quocircà S. Do
S Op. 41. l. 7. 8. ctor, [s] Vitium superbiæ caput est antiqui ser-
pentis, cuius capitis contritioni, maximè est in-
sistendum: vnde Genes. 3. dictum est serpenti de
muliere quæ tenet figuram Ecclesiæ; *ipsa conte-
ret caput tuum*. Serpens modica percussione ca-
pitis occiditur: Si capiti parcatur, frustrà cæte-
ra membra illius percutiuntur; amputata enim
cauda nihilominùs viuit: Sic frustrà alia vitia
à se amputare nititur, qui superbiam non relin-
quit. Hieronymus; *lubricus est antiquus serpens,
& nisi capite teratur, totus statim illabitur*. Eccles.
25. *non est caput nequius super caput colubri*. Quod
dicitur *flatu adurens*, elatum turgidumque notat
animum, qui & flatu in altum tollitur, & flatu
tumet: Exodi 9. *vesicæ turgentes in vniuersa terra
Aegypti*. Isaiæ 14. *ascendam super altitudinem nu-
bium*: Quo sensu increpat superbos Bernardus,
*quid tumescis puluis morticinus? quid tenderis ò sanies
fœtida, quid inflaris? Adurens* autem est hic fla-
tus; tùm quia superbia virtutes omnes abigit,
vitiorum inducta colluuie, Isaiæ 28. *Væ coronæ
superbiæ*; trahit enim magnam malorum societa-
tem, ad modum Regis, Eccles. 10. *initium omnis
peccati superbia: qui tenet eam adimplebitur maledi-
ctis*, idest vitijs; De superbia nascuntur hæreses,
schismata, detractiones, inuidia, verbositas, ia-
ctantia, contentiones, & huiusmodi, vt opusc. al-
lato: tùm etiam, quia bonis operibus etiam, vt
inquit Augustinus in regula, insidiatur vt pe-
reant.
17 Scorpio, idest luxuria. Scorpio brachijs
ruit in amplexus, & cauda ferit: ex quo fallaci-
ter blandientium generaliter est in figuram. Præ
cæteris autem id emicat in fallacium scortorum
nequitia Prouerb. 5. *ne attendas fallaciæ mulierum;
fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo
guttur eius: nouissima autem illius, amara quasi ab-
synthium, & acuta quasi gladius biceps*; & c. 7. *Et
ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præpara-
ta ad capiendas animas, garrula & vaga*, &c. *appre-
hensumque deosculatur iuuenem, & procaci vultu
blanditur*.

Dypsas, idest auaritia. *Dypsas*, sic dictus, quòd ij quos mordicùs apprehenderit, siti inarescant vehementiùs, ad potumque efferuescant; ac inde incessanter haurientes, dissiliant mox. Sic mythologici de auaris interpretantur Tantali fabulam sitibundo semper ore inhiantis aquas: Sic de inexplebili dolio Danaidum: nam, *crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit*, ait Poeta. Spiritus-Sanctus etiam Ecclesiastes 5. *auarus non replebitur pecunia*. Sibi constant vtriusque fœderis paginæ, quoniam quod ait hic Moyses sub tropo, clarè Ioannes; *Omne quod est in mundo*, (in prima c. 2.) *concupiscentia carnis est*, (ecce scorpionem) *& concupiscentia oculorum*, (ecce dypsadem) (*ostendit ei omnia regna mundi*) *& superbia Vitæ*; en serpentem. Durissimæ ceruicis erat populus, vt legitur sequenti in capite, propterea præmittitur de serpente, hoc est de superbia. Ioannis tempore, Nicolaitarum turpitudo viguit, ideò exorditur à carnis concupiscentia.

VERSVS XVIII. *Sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse tibi vires præbuerit.*

Apertiùs hoc in loco retundi, & confundi nequit Pelagiana superbia, sibi tribuens & naturæ, quod Deo authori gratiæ tribuendum est. Misericorditèr datur quibus datur; idcirco paulo ante, inquit, *misertus est tui: ne diceres in corde tuo; fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt*. Etsi autem operari bonum ex Deo sit: nihilominus facere malum ex nobis est: *perditio tua* (Osee 13.) *Israel: tantummodo in me auxilium tuum*. Qua de causa comminatur si delinquant dispersionem: *ecce nunc prædico tibi, quòd omninò dispereas; sicut gentes quas deleuit Dominus in introitu tuo*. Memoratur introitus in terram promissionis; quoniam, tùnc timenda est vltio, cum tempus aduenit introitus, hoc est tempus mortis. Et si dicas, quare de cultu, & adoratione deorum alienorum eos terret: & mox; *Si inobedientes fueritis?* Respondeo, quia propensi fuere in idololatriam: & hoc est præcipuum. Deinde mandatorum vrget de obedientia. Nisi dicas cum S. Doct. [t] quòd amissio charitatis, est via ad amittendam fidem: 1. Timoth. 1. *à quibus quidam aberrantes*; scilicet à charitate, & alijs huiusmodi, *conuersi sunt in vaniloquium*: nexus est ergo inter inobedientiam, & cultum Deorum: 1. Reg. 15. *quasi peccatum ariolandi est repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*.

CAPVT IX.

1 AVdi Israel: Tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas nationes maximas &
fortiores te, ciuitates ingentes, & ad cælum vsque muratas, 2 populum ma-
gnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, & audisti, quibus nullus
potest ex aduerso resistere. 3 Scies ergo hodie quòd Dominus Deus tuus ipse transibit an-
te te: ignis deuorans, atque consumens, qui conterat eos, & deleat, atque disperdat ante fa-
ciem tuam velociter, sicut locutus est tibi. 4 Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos Do-
minus Deus tuus in conspectu tuo: Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt ter-
ram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. 5 Neque

enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, vt possideas terras earum:
sed quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt: & vt compleret verbum suum Do
minus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob. 6 Scito er-
go quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam
in possessionem, cum durissimæ ceruicis sis populus. 7 Memento, & ne obliuiscaris quomo-
do ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egres-
Exo.17.b. sus es ex Aegypto vsque ad locum istum, semper aduersùm Dominum contendisti. 8 Nam
6.19.a.1. & in Horeb prouocasti eum, & iratus delere te voluit, 9 quando ascendi in montem, vt
31.d.18. acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus, & perseueraui
32.d.15. in monte quadraginta diebus, ac noctibus panem non comedens & aquam non bibens. 10
Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continentes omnia
verba, quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata
est. 11 Cumque transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas
Exo.32.b.7. tabulas lapideas, tabulas fœderis, 12 dixitque mihi: Surge, & descende hinc cito: quia
populus tuus, quem eduxisti de Aegypto, deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti
eis, feceruntque sibi conflatile. 13 Rursumque ait Dominus ad me: Cerno quòd populus
iste duræ ceruicis sit: 14 dimitte me vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cælo,
& constituam te super Gentem, quæ hac maior, & fortior sit. 15 Cumque de monte ar-
dente descenderem, & duas tabulas fœderis vtraque tenerem manu, 16 vidissemque vos
peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter
viam eius, quam vobis ostenderat: 17 proieci tabulas de manibus meis, confregique
eas in conspectu vestro. 18 Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus &
noctibus panem non comedens, & aquam non bibens propter omnia peccata vestra, quæ
gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis: 19 timui enim indignatio-
nem & iram illius qua aduersùm vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudiuit me Domi-
nus etiam hac vice. 20 Aduersùm Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum contere-
re, & pro illo similiter deprecatus sum. 21 Peccatum autem vestrum quod feceratis, idest,
vitulum, arripiens igne combussi, & in frusta comminuens, omninoque in puluerem redi-
gens, proieci in torrentem, qui de monte descendit. 22 In incendio quoque & in tentatione
No.11.a. & in Sepulchris concupiscentiæ prouocastis Dominum: 23 & quando misit vos de Cades-
3.16.a.1. barne, dicens, ascendite, & possidete Terram, quam dedi vobis, & contempsistis imperium
32.a.5. Domini Dei vestri, & non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis: 24 sed semper
fuistis rebelles à die, qua nosse vos cœpi. 25 Et iacui coram Domino quadraginta diebus, ac
noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos vt fuerat comminatus: 26 &
orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hereditatem tuam, quam redemisti
in magnitudine tua, quos eduxisti de Aegypto in manu forti. 27 Recordare seruorum tuo-
rum Abraham, Isaac, & Iacob: ne aspicias duritiam populi huius, & impietatem atque pecca-
tum: 28 ne forte dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus in-
troducere eos in Terram, quam pollicitus est eis, & oderat illos: idcirco eduxit, vt interficeret
eos in solitudine. 29 qui sunt populus tuus & hereditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua
magna, & in brachio tuo extento.

VERSVS IV. *Ne dicas in corde tuo* &c. *propter iustitiam meam introduxit me Dominus* &c.

1 Postquam de promissionis terræ possessu, hoc est de Cœlestis Patriæ adeptione dictum est, operæ pretium erat, muniri aduersùm liberi arbitrij superbiam, atque moneri, non ex meritis nostris esse quod eò dirigamur: quamuis promerentibus gratiæ dono, iure debeatur: eo in sensu quo inquit Apostolus, *reposita est mihi corona iustitiæ*. Si præsens attentè legisset caput Pelagius, non adeo fuisset iniurius gratiæ; nec iniuria deprimendo gratiam, extulisset plusquàm par sit, naturam.

Igitur cauet, ne propter iustitiam nostram gloriosi arbitremur obuenisse Regnum Cœlorum. Quare etsi dicamus cum Apostolo, *reposita est mihi corona iustitiæ*: non tamen addi potest ly possessiuum *mea*. Aiebat Dauid 1. Paralipomenon c. 29. *tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*: & Apostolus, *quid enim habes quod non acceperis?* Sancti gratiæ defensores! Immò subiecit Dominus per Moysen, neque pluraliter *propter iustitias suas*, quas possent reuocare ad memoriam, datum illis fuisse obtinere terram. Gratis proinde, quemadmodum in Sequentia dicitur; *qui saluandos saluas gratis*.

VERSVS V. *Sed quia illæ* (nationes) *egerunt impiè*.

2 Tangit è contrà causam perditionis earum, iuxtà illud prælatum Oseæ, *perditio tua Israel*. *Conteret* (Iob. 34.) *multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*; quia scilicet [A] Deus aliquos sic permittit cadere, vt quorundam casus, sit aliorum salutis occasio. Quocirca alibi; [B] sciendum est, quòd Deus homini præparauit beatitudinem, nec vult istam præparationem esse

A Rom. 11 La.

B Hebr. 4. l. 1. in fine.

frustrà,

frustrà, sed si vnus non intrabit, intrabit alius; sicut ostenditur in illa parabola de nuptiis Matthæi 22. vnde Apocalypſ.3. *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: quasi dicat; si tu non accipias, alius habebit. Et ad litteram inquit; Circa Ciuitates hostium, quædam distinctio adhibebatur: quædam enim erant remotæ, [C] non de numero illarum vrbium, quæ eis erant repromissæ, & in talibus vrbibus expugnatis, occidebantur masculi, qui pugnauerant contra populum Dei; mulieribus autem, & infantibus parcebatur: Sed in Ciuitatibus viciniis, quæ erant eis repromissæ, omnes mandabantur interfici, propter iniquitates eorum priores; ad quas puniendas, Dominus populum Israel diuinæ iustitiæ executorem mittebat. Deut.9. *quia illæ egerunt impiè, introeunte te, deletæ sunt*.

C p.2.105. 3.ad 4.

VERSVS VI. *Scito ergò, quòd non propter iustitias tuas.*

3 Hæc expendens Angelicus [D] inquit; ratio ibi præmittitur, *vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est Patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob*. Quæ autem promissio eis facta fuerit ostendit. Apostolus Galat. 3. dicens; *Abrahæ dictæ sunt promissiones*, &c. (de quo sequenti capite n. 15.) Deus igitur;(pergit Angelicus) legem, & alia beneficia specialia illi populo exhibuit, propter promissionem eorum Patribus factam, vt ex eis Christus nasceretur. Nec etiam fuit propter meritum ipsius Abrahæ, vt talis promissio ei fieret, vt scilicet Christus ex eius semine nasceretur; sed ex gratuita Dei electione, & vocatione; vnde dicitur Isaiæ 41. *quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum, vt sequeretur se?* Sic ergo patet quòd ex sola gratuita electione Patres promissionem acceperunt. Si autem rursùs quæratur: Quare hunc populum elegit, vt ex eo Christus nasceretur, & non aliū? conueniet Responsio Augustini, quam dicit super Ioannem Tract. 26. paulo post princip. t. 9. *quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare*. Sic consonat illud Apostoli ad Titum, *cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos*. Ad quod adducit S. Doctor [E] loci huius authoritatem; *non propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui, ingrederis vt possides terram eorum*, &c. sed vera ratio est, sola misericordia Dei.

D p.2.98. 4.

E Ad Titum 3.l.1.

Assumitur autem alibi hoc argumentum: [F] Apostolus ad Romanos 15. conuersionem Iudæorum attribuit iustitiæ & veritati; conuersionem autem gentium misericordiæ, ergo non in quolibet opere Dei est iustitia, & misericordia. Et Respondet, quòd iustitia, & misericordia Dei apparet in conuersione Iudæorum & Gentium: sed aliqua ratio iustitiæ apparet in conuersione Iudæorum, quæ non apponet in conuersione Gentium: sicut quòd saluati sunt propter promissiones Patribus factas.

F pp. 21. 4.1.

VERSVS VII. *Memento, & ne obliuiscaris, quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum.*

4 Non solùm gratiam Dei contendit extollere Moyses; sed vlteriùs, cum præfuerit miseria, (Prouerb. 14. *miseros facit populos peccatum*) eluxisse misericordiam. Vnde gratiosè prædestinati sunt Angeli; at homines non solùm ex gratia, sed ex misericordia, quæ miseros respicit. Sic vt durissimam superbi Pelagij humiliet ceruicem, lapsus ad memoriam reuocat; & inculcat, ne obliuiscamur: cùm satis videretur suisse ly *memento*, sicuti de sanctificatione sabbati, absque eo quòd adderetur, *ne obliuiscaris*: ac si diceret; periclitatur salus, si misericordiæ desit confugium. Sic quippè excolitur humilitas, quam Dominus semper exaltat. Et videas quàm humiliter se gerit Moyses; nam cùm indoluisset Dominus de Idololatria in Horeb; *deseruerunt*, inquit, *velociter viam, quam demonstrasti* (Moysen alloquitur) *eis*: At ipse in Dominum omnem refert instructionem, dicens statim, *deseruisse eos viam, quam eis* (supple, *Deus*) *ostenderat*.

VERSVS XVII. *Proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro.*

Offusus tenebris ignorantiæ mundus, in tantam deuenerat cœcitatem, vt vsque in idololatriam turpissimè deuolutus sit, & in turpissima vitia prolapsus, vt patuit tempore Abrahæ. Permittente sic Domino, vt homo regimini suæ rationis relictus, vel experimento tandem probans quo deflexisset, de sua conuinceretur superbia. Tangit hæc S. Doctor, [G] pluribus locis. Miseratus itaque tantum rationis defectum, intonat per Angeli ministerium, promulgatque è monte Sinai decalogum, audiente populo, vt patet Exodi 20. signaturque etiam, ad preces Moysi, exarare lapideis tabulis hæc præcepta, ne excidant vlteriùs memoria, sed vel lapideis cordibus scripta, sculptaque sint. Colligo autem ad preces Moysi id factum esse, quoniam hic versu 20. obtenta venia, *exaudiuit*, inquit, *me Dominus etiam hac vice*: priùs ergo exaudierat. Consultò autem agebatur de danda lege, quando in summ populum, Iudæos primum, deinde vniuersas nationes afficiebat Dominus; siquidem ex Augustino in 2 de ciuitate Dei c. 21. & lib. 19. c. 21. etiam, quem refert Angelicus, [H] *Populus est cœtus multitudinis, iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus*: vnde ad rationem populi pertinet, vt communicatio hominum ad inuicem, iustis præceptis legis ordinetur. Tu multò magis ordinationem ad Principem Intelligas, cuius authoritate, fit hominum ad inuicem communicatio. Quid mirum, frustra a lege hoc suo fine, præcipetit Dominus Deus Israel Exodi 32. v. 27. *occidat vnusquisque fratrem, & amicum & proximum suum?* Leuitarum gladio; tacitè iusta animaduersione damnans necessitudinem omnem, vbi legis cōmunicatio nulla subsit. Hæc etiam videtur causa quare Moyses hic perhibeatur tenuisse duas tabulas fœderis vtraque manu, quia & opere compleri, & mutuo consensu seruari necesse est. Quodlibet membrum, ait S. Doctor [I] de corpore mystico, naturalem quandam inclinationem habet ad tuuamentum aliorum membrorum; & habetur ex Apostolo, *sed in idipsum pro inuicem solicita sint membra*. Viso à Moyse turpissimo populi lapsu in idololatriam, (quod post latam legem, vt notat, [L] grauius fuit) meritò confringit tabulas: conscius quomodo fuerant scriptæ, vt contineretur in lege populus, quasi frustra custodiretur in lapide, quæ veluti à corde fuerat abolita: 2. Mach. 5. *non propter locum, gentem*

G p 2.98 6 Gal 3.1 4 ... ef. 1 Tit. 2 .1

H p. 2. 105. 2.

5

I 1. Cor. 12.l.4.

L p.2.98. 4.

sed

ſed propter gentem, locum Deus elegit. Addit D. Baſilius; Propheta ſanctiſsimo indignum exiſtimãte, vinolentum populum à Deo legem acciperei dum per ieiunium mandata Dei in tabulis conſcripta ſuſcepit. Ideo ſignanter verſu 11. *cumque tranſiſſent quadraginta dies, & totidem noctes*: vt innoteſceret, quantæ ſit opus præparationis, vt irradiatio diuini luminis, per legem nouo dono cœcis affulgeat.

VERSV XII. *Dixitque mihi; ſurge, & deſcende hinc citò*, &c.

Clementiſsimus Dominus, quo citra condignum puniat, ſolicitat Moyſi deſcenſum: ac ſi diceret intrà ſe; tantò citiùs reuertetur obſecraturus pro populo, (quod dicitur Exodi 32. v. 31. *reuerſuſque ad Dominum*) quantò properantiùs deſcenderit ad populum. Terrenus Iudex quandoque anteuertit executionem ſententiæ, ne preſſanti ad relaxandam pœnam ſtudio exoretur: non ſic miſerator Dominus. Veruntamen, quæ denarratur Exodi vltio, per quandam anticipationem poni videtur; mitigauerat enim Moyſes iram Domini, etſi non plenam obtinuiſſet indulgentiam, quoniam *miſericors* quidem eſt, *& miſerator*, ſed & *iuſtus Dominus*, vt in Pſalmo 11. dicitur. In preſenti tacetur de illa vindicta, quoniam ad nouæ legis normam ſcribitur Deuteronomium. Eſt autem lex noua lex amoris: vnde ſi in lege veteri taxabatur modus vindictæ, *oculum pro oculo, dentem pro dente*, ne ad immoderantiam procederetur; in noua monemur omnino à vindicta abſtinere, vt obſeruat S. Doctor [m] in prima 2. Pergas legere caput hoc, & reperies, alia populi commemorari delicta, quibus prouocauerant Dominum: poſt quæ iterum dicit Moyſes, ſe iacuiſſe coram Domino quadraginta diebus, ac noctibus ſuppliciter deprecatus. In quo innuitur, ipſius preces præueniſſe etiam alia futura populi ſcelera; ampla ſiquidem fuerat oratio, nempe vt tandem introduceretur populus in terram promiſſam; cohibita infideli Ægypto blaſphemandi licentia: verſu 28. *ne fortè dicant habitatores terræ, de qua eduxiſti nos: non poterat Dominus introducere eos in terram*, &c. Quod & Exodi 32. inuenitur; *ne quæſo dicant Ægyptij, callidè eduxit, vt interficeret in montibus, & deleret è terra; quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui*. Quàm benignus Dominus, qui aliorum merito reis relaxat errata! & ſic ora obſtruit etiam loquentium iniqua. Quæ ſi ad prædeſtinationem libeat referre: *h*abes iuuari Sanctorum precibus, vt traditur p. p. 23. a. 8. Dæmoneſque, de quorum poteſtate redempti ſumus ſub Ægyptiorum figura, inuidia liqueſcere & confundi.

CAPVT X.

Exo. 34. a. 1 IN tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores fuerunt, & aſcende ad me in montem: facieſque arcam ligneam, 2 & ſcribam
in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas ante confregiſti, poneſque eas in arca.
3 Feci igitur arcam de lignis ſetim. Cumque dolaſſem duas tabulas lapideas inſtar priorum
aſcendi in montem, habens eas in manibus. 4 Scripſitque in tabulis iuxta id, quod prius
ſcripſerat, verba decem, quæ locutus eſt Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando
populus congregatus eſt: & dedit eas mihi. 5 Reuerſuſque de monte, deſcendi, & po-
ſui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucuſque ibi ſunt, ſicut mihi præcepit Dominus.
6 Filij autem Iſrael mouerunt caſtra ex Beroth filiorum Iacan in Moſera, vbi Aaron mor-
Nu. 33. d. 31. tuus, ac ſepultus eſt, pro quo ſacerdotio functus eſt Eleazar filius eius. 7 Inde venerunt in
Nu. 20. d. 28. Gadgad: de quo loco profecti caſtrametati ſunt in Ietebatha, in Terra aquarum, atque
torrentium. 8 Eo tempore ſeparauit tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, &
ſtaret coram eo in miniſterio, ac benediceret in nomine illius vſque in præſentem diem. 9
Quam ob rem non habuit Leui partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis: quia ipſe
Dominus poſſeſſio eius eſt, ſicut promiſit ei Dominus Deus tuus. 10 Ego autem ſteti in
monte, ſicut prius, quadraginta diebus, ac noctibus: exaudiuitque me Dominus etiam hac
Act. 10. b. 34. vice, & te perdere noluit. 11 Dixitque mihi: Vade, & præcede populum, vt ingrediatur
& poſſideat Terram, quam iuraui patribus eorum vt traderem eis. 12 Et nunc Iſrael, quid
2. Par. a. 19 c. 7. Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius,
Iob. 34. b. 19. & diligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: 13 cu-
Sap. 6. b. 9 ſtodiaſque mandata Domini, & ceremonias eius, quas ego hodie præcipio tibi, vt bene ſit
Eccl. 35. c. 15. tibi? 14 En Domini Dei tui cęlum eſt, & cęlum cęli, terra, & omnia quæ in ea ſunt: 15
Rom. 2. b. 11. & tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos, elegitque ſemen eorum
Gal. 2. b. 6 poſt eos, ideſt, vos, de cunctis Gentibus, ſicut hodie comprobatur. 16 Circumcidite igi-
Sup. 6. c. 31. tur præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius, 17 quia Dominus
Matt. 4. b. 10. Deus veſter ipſe eſt Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, & potens, &
terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera. 18 Facit iudicium pupillo & viduæ, a-
Luc. 4. b. 8. mat peregrinum, & dat ei victum, atque veſtitum, 19 & vos ergo amate peregrinos, quia
Gen. 46. c. 27. & ipſi fuiſtis aduenæ in Terra Aegypti. 20 Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſer-
Exod. 1. a. 5. uies: ipſi adhærebis, iurabiſque in nomine illius. 21 Ipſe eſt laus tua, & Deus tuus, qui fe-
cit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui. 22 In ſeptuaginta animabus de-

ſcen-

ſcenderunt patres tui in Aegyptum: & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra cæli.

VERSUS I. *In tempore illo dixit Dominus ad me; dola tibi duas tabulas lapideas.*

1 Quoniam de cœleſtis Patriæ adeptione dictum eſt: opportunè tangitur de ſalutis tempore, ac de alijs hanc ad rem attinentibus. In calce præcedentis capitis; *in brachio extento Dei, & fortitudine magna* dicitur eductus populus: & quid aliud eſt, niſi quod ait virgo in Cantico: *fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Brachium, [N] dicitur Filius, per quem Pater omnia operatur. Et ſi homo ſolo verbo interiori, vel exteriori operaretur, tùnc verbum eius poſſet dici brachium ſuum: Iſaiæ 53. *Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Et ſic ad Hannibaldum. [O] ipſe ſecundùm humanam naturam eſt brachium, quo genus humanum eſt ſaluatum; Iſaiæ 40. *in brachio ſuo congregabit agnos.* Igitur, *in tempore illo*: niſi ad plenitudinem temporis reſpiceret propheticè Moyſes, vt quid notaret ly *in tempore?* & iterum verſu 8. *Eo tempore ſeparauit tribum Leui?* Tempore ſalutis redemptioniſquè humanæ, *dola*, inquit, *duas tabulas lapideas.* De nouo lex traditur, quia poſt legem veterem, futura erat lex noua: tabulæ veruntamen duæ ſunt; & ait Dominus, *ſcribam verba quæ fuerunt in his, quas ante confregiſti.* Confractum eſt continens, ſed non variatur contentum; ceſſauit legis obſeruantia & ritus, non legis ſubſtantia. Quærit Angelicus, [P] Vtrum lex noua in lege veteri contineatur: & adducto illo Ezechielis, *Rota erat in rota*, c. 1. vbi Gregorius, *ideſt nouum teſtamentum in veteri*, ſancit omnia nouæ legis præcepta, in lege veteri implicitè & ſub figura latuiſſe; vnde rectè dicatur noua lex, vt frumentum in ſpica, aut arbor in ſemine, in veteri contineri. Ad dandam autem hanc nouam legem accitur Moyſes, qui paſſim typus fuit Chriſti, de quo pariter Iſaias c. 33. *Dominus*, inquit, *legifer noſter* &c. 42. *Et legem eius inſulæ expectabunt.* Ad hoc præfigurandum voluit Dominus parari per Moyſen tabulas iſtas, cum de primis habeamus Exodi 32. v. 16. factas fuiſſe opere Dei. Venit, vt ipſe teſtatur, legem *non ſoluere ſed adimplere*. Non legimus autem primas fuiſſe dolatas: bene autem iſtas; *dola tibi duas tabulas lapideas*: & paulò poſt, *cumque dolaſſem duas tabulas lapideas.* Quid ſibi vult hoc dolandi præceptum? nunquid aſcia læuigandi erant lapides? Quærit Angelicus; Num lex noua [Q] ſit grauior quàm vetus: & oſtendit grauiorem fuiſſe veterem noua ob multitudinem præceptorum, & quia noua eſt lex amoris, qui vt ait Auguſtinus ibi, *omnia ſæua & immania, efficit & facilia & propè nulla*; hinc ait Dominus Matthæi 11. *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*: Suauiori ergo ſtylo, & faciliori ſcribi ſignificatur, dum in dolatis tabulis ſculpitur. Sic infrà c. 27. *cumque tranſieritis Iordanem* &c. *eriges ingentes lapides, & calce læuigabis eos, vt poſſis in eis ſcribere omnia verba legis huius*: ex quo Ioſ. c. 8. *ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filijs Iſrael.* Charitas ex D. Thoma, [R] eſt quaſi cæmentum conglutinans, ſingulos ſibi inuicem, & omnes ſimul Chriſto: etſi autem in tabulis lapideis ſolùm eſſet decalogus: nihilominus, quia præcepta cæremonialia & iudicialia, quæ iam ceſſauerunt, erant determinationes quædam moralium, videbatur eſſe grauior decalogus ipſe. Et prætereà in noua lege factæ ſunt additiones quædam ad præcepta veteris legis; puta, lex vetus prohibuit periurium, lex noua etiam iuramentum: hæ autem additiones ordinantur, vt faciliùs impleatur quod lex vetus mandabat, vt Auguſtinus dicit apud D. Th. [S]

VERSUS IV. *Scripſitque in tabulis, iuxta id quod prius ſcripſerat, verba decem.*

Quare data ſit lex ſcripto, retuli Exodi 20. litera præſertim 1. Nunc prætacta videtur ratio, vt ex reuerentia diuini imperij ad opera virtutis flecteremur; præcipit enim; *poneſque eas in Arca: quæ hucuſque*, ait Moyſes, *ibi ſunt.* Sed quoniam, vt viſum eſt Exodi 26. abſolutè incertum eſt, num materialis Arca adhùc extet, iuuat ad figuram diuertere; Chriſtus enim ſignificabatur per Arcam, [T] quia ſicut Arca erat conſtructa de lignis Setim, ita Corpus Chriſti de membris puriſſimis conſtabat: Erat autem deaurata, quia Chriſtus fuit plenus ſapientia, & charitate, quæ per aurum ſignificatur: Intra arcam autem erat vrna aurea; ideſt ſancta anima habens manna, ideſt omnem plenitudinem ſanctitatis & Diuinitatis: erat etiam in Arca, virga; ideſt poteſtas ſacerdotalis; quia ipſe eſt factus *Sacerdos in æternum*: erant etiam ibi tabulæ teſtamenti, ad deſignandum, quòd ipſe Chriſtus eſt legis dator. Et ideo crediderim ego, aſſumi à Moyſe quod ſequitur; *quæ hucuſque ibi ſunt*: propheticè enim promi videtur; non referendo ad litteram, ſed ad figuram; quia lex noua vſque ad ſæculi conſummationem eſt duratura, vt probatur in Prima 2. [V]

VERSUS VI. *Filij autem Iſrael*, &c. *Vbi Aaron mortuus, ac ſepultus eſt, pro quo* &c.

3 Quoniam, vt traditur Hebræorum 9. *translato Sacerdotio, neceſſe eſt, vt legis translatio fiat*; ſummopere confert ad inſinuationem nouæ legis, tangi deficientiam Sacerdotij Aaron, per ipſius mortem; ex quo arguitiuè deprehendatur, alium ſuffectum illius vices. Quod quidem apertiùs conſequenter docet ibi D. Paulus dicens; *alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eoquòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.* Quocirca D. Thomas, [X] Aaron mortuo ſucceſſit Eleazar, ſicut patet Numeri 20. & ſic deinceps. Sicut autem videmus in naturalibus, quæ ſunt ſigna ſpiritualium, quòd incorruptibilia non multiplicantur ſub eadem ſpecie; vnde non eſt niſi vnus Sol: ita in ſpiritualibus: in veteri teſtamento, quod fuit imperfectum, multiplicati fuerunt Sacerdotes: Et hoc fuit ſignum, quòd illud Sacerdotium erat corruptibile, quia incorruptibilia non multiplicantur in eadem ſpecie, vt dictum eſt. Quàm mirabilis intelligentia, quæ textui optime quadrat! Vt

quid

N Io. 12. 1.
O Prologo tertij ſententiar.
P p. 1. 107. 3. & 1.
Q p. 2. 107. 4.
R Ephe. 2. 1. 5.
S p. 2. 10. 4. 1.
T p. 2. 10. 1. 4. ad 6.
V p. 2. 106. 4.
X Heb. 7. 1. 4.

quid enim, nisi id lateret, extemplò commemo-
ratur vnde mouerint semel castra, nimitum ex
Beroth, &c. satis enim Numeri 33. vnde profecti
sint, & vbi fecerint mansiones, sigillatim decla-
ratur: & specialiter hoc Ipsum denarratur versu
31. & de *Moseroth*, &c. Ergo non diffuta est lit-
tera, sed eatenùs id interiectum est, quatenùs
mortem Aaron oportebat commemorari, vt ad
incorruptibile sacerdotium per locũ ab opposi-
to mens taperetur.

VERSVS VII. *Inde venerunt in Gad-
gad: de quo loco profecti sunt in Ietebatha, in terra
aquarum atque torrentium.*

Numeri 33. citato v. 35. non additur terræ
commendatio huiusmodi, vt sit *aquarum atque
torrentium*. quare videtur tangi abundantia gra-
tiarum, quæ post consummationem sacerdotij
Aaron, Ecclesiam irrigauit: *uàm gratia, & veri-
tas per Iesum Christum facta est*. Vide supra c. 8.
v.7. de mysticis hisce aquis, Sacerdotium Aa-
ron, & ad ipsum spectantia sacrificia, & sacra-
menta gratiam non conferebanr, vnde appellan-
tur *egena elementa, & infirma*: Infirma dicit S.
A Gal.4.l.4. Doctor, quia non perficiebant [A] iustificando,
Hebræor. 7. *nihil enim ad perfectum adduxit lex*;
& egena, quia non conferebant virtutes, & gra-
tiam adiuuando per se.

VERSVS VIII. *Eo tempore separauit tri-
bum Leui; vt portaret Arcam fœderis Domini*, &c.

Mirum etiam videtur sic de separatione
tribus Leui agi cum tradita sit priùs mors Aa-
ron; quæ ad superficiem historiæ debuisset post
poni; coquòd cùm Moyses descendit de monte
Sinai secundis tabulis, eo tempore separata sit
tribus Leui. At secundùm figuram, non ita. Tri-
bus Leui Sacerdotes præsignanit nouæ legis:
quorum primi fuerunt Apostoli: hi post mortem
Aaton, hoc est completo legis veteris ministe-
rio, separati sunt; *elegit enim duodecim ex ipsis
quos & Apostolos nominauit*; vt portarent Arcam
fœderis Domini. De Paulo ipsemet dixit, *vt
portet nomen meum coram gentibus & Regibus, &
filijs Israel*: & de omnibus in sequentia, *vti tro-
phæum Christi per totum mundum veherent*: *stant* Sa-
cerdotes & Leuitæ legis nouæ coram eo, (vt
literæ interpretatio exposcit) in ministerio; quia
veraciter est in Sacramento Altaris. Standum
est enim summa pro reuerentia; *& benedicunt in
nomine illius, vsque in præsentem diem*. Sic Apo-
stolus 1. Cor. 10. *calix benedictionis cui benedici-
B 1. Cor. 10.l.4. mus*, idest [B] quem nos fideles exaltamus, cre-
dendo & gratias agendo: vel *cui benedicimus*; id-
est quem nos Sacerdotes consecramus. Sic in pa-
ne Dominus nos instruens, *benedixit & fregit*.
Vsque in præsentem diem: Sic semper dicetur, quia
ipse testimonio infallibili pollicetur; *Ecce ego vo-
biscum sum omnibus diebus vsque ad consummatio-
nem sæculi*, Matthæi vltimo.

VERSVS IV. *Quamobrem non habuit Le-
ui partem &c.*

De Leuitis loquens in 4. inquit; Ad secun-
C 4 24.3. a.p.2. dum dicendum quòd [C] Leuitæ in veteri testa-
mento habebant ius in hæreditate paterna: sed
ideò non acceperant partem cum alijs tribubus,
quia erant per omnes tribus dispergendi: quod
fieri non potuisset, si vnam determinatam par-
tem terræ accepissent, sicut aliæ tribus. Hæc vi-
detur fuisse occasio quare non habuerint par-
tem: sed finalis causa, quæ illustrat fidei myste-
rium, est in præsenti expressa; quia scilicet ipse
Dominus possessio eius est. Hoc ipsum prædictum
fuerat Numeri 18. v. 20. *in terra eorum nihil possi-
debitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars &
hæreditas tua in medio filiorum Israel*. Et sic infra
capite etiam 18. *nihil accipient de possessione fratrum
suorum; Dominus enim ipse est hæreditas eorum, si-
cut locutus est illis*. Etsi autem, quod alijs in locis
dicitur, ad temporalem compensationem possit
referri; diuites enim valde fuerunt qui ex tribu
Leui, vt expendit Tirinus Numeri præfato 18.
attamen hìc speciatim videtur insinuari æterna
felicitas; quia inquit, *ipse Dominus possessio eius
est*; Matthæi 25. *possidete Regnum*; neque additur,
vt in Numero ly *in medio filiorum Israel*. Subinde
tangitur tempus gratiæ: in quo cœpimus introi-
re in æternæ hæreditatis possessum.

Sic exponens illud psalmi 15. *Dominus pars* 5
hæreditatis meæ; [D] homines in hoc mundo quæ- D ps.15.
runt possessiones, & vsus earum: quidam ha-
bent pro hæreditate delectationes carnis Sap. 2.
hæc est pars, & hæc est sors nostra: alij, alia delecta-
bilia mundi; sed Deus est sors nostra; Thren. 3.
pars mea Dominus: vnde, *Dominus pars hæredita-
tis meæ*: intransitiuè, idest hæreditas, quæ venit
mihi in partem. Alibi autem expressiùs, [E] hæ-
reditas Christianorum non est in terra, sed in E Quodlib.5 a.6.
Cœlo, scilicet ipse Deus: Et ad Romanos, [F] F Rom.8. l.4.
regenerauit (1. Petri 1.) *nos in spem viuam in hære-
ditatem*: Roman. 8. eodem, *hæredes quidem Dei*.
Dicitur autem hæres alicuius existere, qui prin-
cipalia eius bona percipit seu adipiscitur, non
autem qui aliqua munuscula recipit: sicut legi-
tur Genesis 25. *quòd Abraham dedit cuncta quæ
possedit Isaac: filijs autem concubinarum largitus est
munera*. Bonum autem principale quo Deus di-
ues est, est ipsemet: est autem diues per se ipsum,
& non per aliquid aliud, vt dicitur in ps. (15. *quo-
niam bonorum meorum non eges*;) vndè ipsum
Deum, adipiscuntur filij Dei pro hæreditate.
Hæc D. Thomas. Meritò ergo dicitur Thren. 3.
Pars mea Dominus; & additur, *dicit anima mea*: est
enim animæ hæreditas de cœlo, non de terra ter-
reni hominis.

Hùc facit quòd ait Dominus Matthæi 19. 6
& omnis qui reliquerit domum, vel *fratres, aut soro-
res* &c. *propter nomen meum, centuplum accipiet, &
vitam æternam possidebit*. Et Marci 10. *nemo est qui
reliquerit domum, aut fratres aut sorores* &c. *aut
agros propter me, & propter euangelium, qui non
accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos
& fratres* &c. *& in sæculo futuro vitam æternam*.
Quæ licèt possent intelligi etiam de temporali-
bus; non semper; quia boni in hac vita quandoque
non habent corporalia præmia: nunquam tamen
deficiunt à spiritualibus, etiam in hac vita, vt
attestatur Angelicus, [G] hæc duo expendens
Matthæi, & Marci loca. Igitur etiam in hoc sæ- G p.2.69. 2.2.
culo, incipit Dominus esse possessio nostra;
quemadmodum de beatitudinibus loquens [H] H Matthæi 5.
ait; Notandum quòd ista præmia, quæ Domi-
nus tangit, possunt dupliciter haberi, scilicèt per-
fectè & consummatè, & sic in Patria tantùm;
secundùm inchoationem, & imperfectè, & sic
in via. Et quoniam secundùm quod ait Petrus
in prima c. 2. de fidelibus; *Vos autem genus ele-
ctum, regale Sacerdotium* &c. in quantùm omnis

laicus bonus mysticè Sacerdos est, quia scilicet mysticum sacrificium Deo offert se ipsum, scilicet hostiam viuentem Deo Roman. 12. vt explicat D. Thomas; [l] non est inconueniens, quod in præsenti dicitur de triba Leuitica, figuratè ad Christianum referre populum, cuius est Dominus, sicut promisit, possessio. Hinc fidenter D. Bonauent. 3. p. Stimuli diuini amoris; *sufficit mihi si habeam Patrem meum.* & D. Cyrillus, *melius est esse Patrem quàm Dominum*. Augustinus etiam, *omnia dura sunt, Tù solus requies*: & iterum, *si cuncta quæ fecisti mihi dederis, non sufficis seruo tuo, nisi te ipsum dederis.*

l 4.15.1. 61.

VERSVS X. *Ego autem steti in monte sicut priùs, quadraginta diebus, & noctibus.*

Vt quid hæc interserit abrupta oratione, repetens ly *exaudiuit me Dominus etiam hac vice?* quod prædixerat capite præcedenti v. 19. Nota sine dubio, non dici sine mysterio; adiecit enim, *& te perdere noluit*; vt ex hac euasione diuinæ iracundiæ, immo ex hoc quòd perdere populum Israel noluerit, pensaretur alius diuinæ clementiæ excessus, redemptionis scilicet generis humani, & tandem perductionis in vitam æternam: ex quo subinde dicitur Moysi, *vade, & præcede populum, vt ingrediatur & possideat terram.* Quò cum Moyses non præcesserit, non enim ingressus est terram, cogimur figuratum intelligere Moysen, Christum Dominum de quo Micheæ 2. *ascendet pandens iter ante eos*. In hoc autem quod recolit; *quam iuraui Patribus eorum, vt traderem eis*; possessionem æternam indicat: Matthæi 25. *iusti autem in vitam æternam*: sicut in simili S. Doctor, vbi fert Apostolus; *iurauit Dominus & non pœnitebit eum*, [l] inquit, istud iuramentum designat æternitatem potestatis Christi; Danielis 7. *potestas eius potestas æterna*. Et Lucæ 1. *Regni eius non erit finis*. Meritò autē id ait D. Thomas, quia iuramentum firmitatem importat, & nil firmius æterno.

l Hebr. 7. l. 4.

7 VERSVS XII. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum.*

Quorsum de timore? iam satis supra c. 6. versu 2. & 13. inculcatur. Et si occurras cum S. Doctore, [M] maximè requiri à Deo timorem, eo quòd est, quasi primordium quoddam perfectionis donorum; quia *initium sapientiæ timor Domini*: & quia ordine generationis, prius est quòd aliquis recedat à malo, quod fit per timorē, vt dicitur Prou. 16. vnde hoc loco anteit dilectionem; non quiescit animus, quoad causam repetitionis. Verùm audiamus mirificè S. Thomam [N] astruentem, quòd lex diuina principaliter ordinat hominem in Deum; Illud præcipuum debet esse in lege, ex quo lex efficaciam habet; sed lex diuinitùs data, ex hoc apud homines efficaciam habet, quòd homo subditur Deo; non enim aliquis alicuius Regis lege arctatur, qui ei subditus non est; hoc igitur præcipuum in diuina lege esse debet, vt mens humana Deo adhæreat: hinc est quòd dicitur Deut. 10. *Et nùnc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te nisi vt timeas &c. ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo*, &c. Argumento igitur est nouæ legis tempus hic tangi, quando de noua ad Dominum Deum subiectione monemur: Et hæc videtur esse causa repetitionis. Et fortè id satis voluit indicare Moyses in ly *& nunc Israel*: neque enim perperam aduerbium temporis ponitur: in quo veluti exordium esset nouæ subiectionis ad Dominum Deum per timorem; ex quo ad dilectionem fieret profectus. Hùc posset referri quod ait Apostolus Roman. 3. *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur; vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.*

M p. 2. 68. 71.

N Cont. Gent. c. 115.

VERSVS XIV. *En Domini Dei tui, Cælum est, & Cælum Cæli &c.* 8

VERSVS XV. *Et tamen Patribus tuis conglutinatus est Dominus.*

Nescio an clariùs descensum Domini Dei in terras per Incarnationis mysterium promere possit. Ieremiæ 13. *agglutinaui mihi omnem domum Israel, dicit Dominus*: [O] idest inseparabiliter mihi vniui totam hominis naturam, scilicet, animam, corpus, & sanguinem. Ideo vt vides, sequitur, *& amauit eos* (sic *Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret*, Ioan. 3.) *elegitque semen eorum post eos; idest, vos de cunctis gentibus*. Vt quid mihi exponere satagit Moyses, quidnam seminis nomine intelligatur? dicens, *idest vos*. Certè vbi id fieri necessum est, colligitur amphibologia præcedentis: Et res ita de facto se habet; nàm pro semine intelligitur etiam Christus; *in semine tuo benedicentur omnes gentes. Et semini tuo, qui est Christus* Galat. 3. *Non dicit seminibus quasi in multis, sed quasi in vno*. Nec perperam hæc dici credantur: præparat enim cor nostrum ad huiusmodi Incarnationis intelligentiam, quod præmisit Moyses; *En Domini Dei tui Cælum est, & Cælum Cæli, terra & omnia quæ in ea sunt: & tamen Patribus tuis conglutinatus est Dominus*: ac si diceret; quamuis Deus sit vbique & in omnibus rebus; per potentiam, quia ei omnia subiecta sunt; per essentiam, quia omnia immediatè creauit; & per præsentiam, quia omnia cognoscit: (de quo in Summa D. Thomas [P]) immò per modum quo cognitum est in cognoscente, & amatum in amante, non solùm in terris, sed intimiùs in Cœlo Cœli, hoc est in Empyreo clarè visus ab Angelis: (Huius diuinæ existentiæ in rebus origo est, quoniam *Dei sunt omnia*; hoc tangitur in textu) nihilominus scias alium futurum esse modum vnionis hypostaticæ, quo *conglutinabitur* naturæ humanæ in re, quemad-
modum Patribus tuis, in promissione; Et quo- 9
niam summum in corde fideli exinde excitatur gaudium: *gauisi sunt gaudio magno valde: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum*: id ego propheticè præsignare intendo: dum de his locuturus primordiale illud assumo aduerbium *En*, siue *Ecce*. *En*, inquit, *Domini Dei tui* &c. ly *ecce* secundùm D. Thomam [Q] in secundo Apocalypsis Commentario, nota est gaudij vel propinquitatis: *Abraham exultauit, vt videret diem Christi*, Ioan. 8. Prophetis etiam propè erant futura, quia visus intuitionem importat: quamuis procul viderent, si prophetiæ re ipsa impletæ tempus spectetur. Isaiæ 14. *prope est vt veniat tempus eius*: & c. 51. *prope est iustus meus*: Ieremiæ 23. *ecce dies veniunt*: Isaiæ 7. *ecce Virgo concipiet*.

O Op. 27.

P p. p. 8. & 1.

Q Apoc. 5.

VERSVS XVI. *Circumcidite igitur præputium cordis vestri.*

Ignari mysterij hic mirificè adumbrati, 10
nempe circumcisionis cordis Chaldæa & Septua-

ginta,

ginta, noluerunt esse studiosi in translatione, ad verbi proprietatem dicendo vt noster legit. *præputium*: Sed Chaldæa teddidit, *circumcidite insipientiam*: Septuaginta, *circumcidite duritiem*. Non est huiusmodi pressè ex hebræo traductio: *præputium*, vera est translatio. Ex quo innotescat, non ad carnalem circumcisionem fixum esse præceptum: & tunc immò, quando de Incarnatione, sub tegumento literæ fiebat mentio, successuram circumcisionem spiritu, eidem in carne. Hoc benè attigit Apostolus Rom. 2. dicens; *non enim qui in manifesto iudæus est; neque quæ in manifesto in carne est circumcisio; sed qui in abscondito iudæus est; & circumcisia cordis in spiritu non littera*; & Coloss. 2. *circumcisione non manufacta* &c. Et ante ipsum Ieremias c.4. *circumcidimini Domino*, & *auferte præputia cordium vestrorum*. Ex quo sequitur, cessatura legalia omnia ad litteram, quorum obseruantiæ signum, erat carnalis circumcisio, vt ait Apostolus ad Gal.5. *testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*. Sic ex radice *Chassac* gratis transtulerunt *elegit*: & non potiùs vt vulgata *conglutinauit*, significat enim *cingere, aliquid circulariter vestire, cinctorium* & huiusmodi; vnde vsurpant magistri *chassukim*, pro *ligaminibus* quæ vasa cingunt. Et hoc optimè quadrat Paulo dicenti, Philipp. 2. *& habitu inuentus vt homo*: latente scilicet interiùs diuinitate: dum *cinctorium* carnis assumpsit: quod ait Fulgentius Serm. de Sancto Stephano, *sempiterna Deitatis maiestate seruata, seruile cinctorium carnis assumens, in huius seculi campum pugnaturus intrauit*.

Et ceruicem vestram, ne induretis amplius. Humiliato sic *Deo Deorum, & Domino Dominantium*, vt statim adiectum est, *potente, & terribili*, quis queat indurare ceruicem? Glossa ad illud Philipp. 2. *humiliauit semetipsum* &c. *vsque ad Incarnationem, vsque ad diaboli tentationem, vsque ad populi irrisionem, vsque ad vincula, vsque ad flagella, vsque ad sputa, vsque ad alapas, vsque ad mortem: & si parum est hoc, vsque ad mortem Crucis*. Meritò ergo memorato Saluatoris aduentu, statim subditur; *ne indurent vltrà ceruicem*. Sub sic humiliato Rege, haud decet extolli mancipia. Ceruix est posterior pars colli: à collo autem incipit spina qua integra corpora nostra feruntur, quaque Isaiæ 10. ibi, *deuorabitur spina*, per Haymonem intelligitur superbia. Isaiæ 3. *ambulauerunt extento collo*. Ergo humilitati insistendum, tùnc maximè cum Deus *respexit humilitatem ancillæ suæ*. Sequitur glossa quæ Bernardi est, & fertur in 1. Comm. Apocal. c. 10. *ò pellis morticina quid tenderis, ò sanies fœda quid inflaris? Princeps tuus humilis, & tu superbus? caput humile, & membrum*
11 *superbum?*

VERSV XVII. *Qui personam non accipit, nec munera.*

In hoc nihil aliud videtur significari, nisi gentium vocatio per Christum, *qui fecit vtraque vnum*, Ephes. 2. vnde ad conuersionem Cornelij Actorum 10. *aperiens Petrus os suum dixit; in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*. Roman. 3. *an Iudæorum Deus tantùm, nonne & gentium?* Vt ergo inferat ipsorum Iudæorum corde quid futurum esset, inquit, *qui personam non accipit; nec munera*. Supple, ad idem; iuxtà quod Exodi 23. *nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum*. Vel ad tempus gratiæ refertur, consummatis legalibus cunctis, muneribus & sacrificijs: quo pacto Malachiæ 1. legitur; *munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco, sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*.

VERSVS XVIII. *Facit iudicium pupillo & viduæ.*

In hoc quod ait *pupillo*, suggerit gentilem populum qui pupillus dicebatur, Iudæorum comparatione. Pupillus est sine patre; quemadmodum Ieremias ait in Oratione; *pupilli facti sumus absque patre*. Non sic Iudæi, *quorum* vt ait Apostolus Roman. 9. *adoptio est filiorum & gloria, & testamentum & legislatio*. Videtur autem fecisse *iudicium pupillo*, idest gentili, quando hic, quasi *oleaster insertus est in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus est: & fracti sunt rami propter incredulitatem* vt dicitur Roman. 11. quia scilicet Iudæi in Christum credere noluerunt; vt ibidem [R] D. Thomas. *Et viduæ*. Ad huius intelligentiam facit quod dicitur Isaiæ 54. *Lauda* R Rom. 11.l.1.
sterilis, quæ non paris &c. *quoniam multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum*. Ecclesia sterilis erat, scilicet militans gentium ante conuersionem, quæ non offerebat filium Deo, sed diabolo. Vnde ad Babylonem dicitur Isaiæ 47. *sterilitas & viduitas venerunt tibi*. Et Ecclesia triumphans ante passionem Christi sterilis erat, quia non generabantur aliqui in filios eius, per introitum gloriæ, nisi in spe, posita enim erat romphæa ante ianuam paradisi, vt nullus intraret. Ecclesia gentium deserta erat à Christo, quia nondum venerat Christus; & Ecclesia triumphans deserta erat ab hominibus, quibus ad eam nondum patebat accessus: huic ergo *desertæ*, scilicet Ecclesiæ gentium, sunt *multi filij*, idest plures, magis quàm Synagogæ, *quæ habet virum*, scilicet Moysen: & hoc veniente sponso idest Christo, à quo deserta erat, non dilectione, sed partu postposito. Ps. 112. *qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem*. Primi Regum 2. *sterilis peperit plurimos*. Hæc ex [S] Di- S Galat. 4.l.8.
uo Thoma. In hoc autem facere videtur Deus *iudicium*, quia vt ibidem Anna; *Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit: &* tandem, *Dominus iudicabit fines terræ*.

VERSV eodem XVIII. *Amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum.*

Sanctus Doctor ad illa verba Apostoli Ephesior. 2. *Vos qui Gentes eratis in carne, qui dicebamini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta* &c. *alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum*, [T] inquit, qui in iudaismo T Ephes. 2.l.4.
recipiebantur contemptibiliter, fiebantque proseliti *hospites*; quia huiusmodi proseliti, non sicut ciues sed sicut *hospites* recipiebantur: vnde & præmittit: *dicebamini præputium*: vilipensione contemptus: & quoniam pergit Apostolus; *iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei*; prosequitur D. Thomas
[V] dicens; hoc sunt hospites ad domum, quod V ibi l.6.
aduenæ ad ciuitatem. Ac si dicat Apostolus; olim eratis extranei à collegio fidelium, sicut hospi-

tes

cens à domo, & aduenæ à Ciuitate; quemadmodum & proselyti ad legem veterē: sed nunc non est ita; quia *iam non estis hospites* &c. Isaiæ 54. *Ecce accola veniet, qui non erat mecum: aduena quondam tuus adiungetur tibi*. Vnde D. Petrus in 1. c. 2. *obsecro vos tanquàm aduenas & peregrinos*. Hinc versu proximo subditur, *& vos ergo amate peregrinos; quia & ipsi fuistis aduenæ in terra Aegypti*, vnde & nostra in persona accipi potest quod dicitur Isaiæ 4. *aufer opprobrium nostrum* : quod patiebamur à Iudæis, qui dicebant nos sine lege: vt ibi D. Th. Subiecerat autem; *& dat ei victum atque vestitum*. Non est Deus, ille Princeps qui ait Isaiæ 3. *in domo mea non est panis, neque vestimentum*: quare cum Dominus perhibetur dare peregrinis etiam victum atque vestitum, innuitur esse peregrinorum huiusmodi Regem. Roman. 3. *an Iudæorum Rex tantùm, nonne & gentium?* Ezech. 37. *Rex vnus erit omnibus imperans*.

Dum sic autem promittitur victus, non est dubium eò referri vbi c. 8. dictum est, *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei*; quia futurum erat, vt Gentes non essent vltra *hospites testamentorū*. Eph. 2. Pro vestitu autem, quoniam de domesticis, non iam aduenis, & peregrinis est sermo; illud facit Prouerb. 31. *omnes domestici eius, vestiti sunt duplicibus*; (missis alijs interpretationibus) idest innocentia baptismali, & sanctitate pœnitentiali, vt explicat in primo Commentario [x] Angelicus Doctor; ibi, *amicti stolis*.

X Apoc. 7.

VERSVS XX. *Dominum Deum tuum timebis, &c.*

12 Mirum videtur, repetatur denuo de timore, cum paulò ante id monuerit, nempe versu 12. & supra c. 6. versu 13. Numquid pro simplici reductione ad memoriam scriptum toties est? absit. Puto id fieri ad edocendum fideles conglutinationem, siue vnionem Dei, de qua suprà, faciendam fuisse in persona diuina: sic nihil minus præstetur de adorationis cultu, ipsi Messię, ac Deo: cum Deus sit. *Dominum* ergo *tuum timebis, & ei soli seruies, ipsi adhærebis iurabisque in nomine illius*: quæ certè omnia, nōnisi illi exhiberi possunt & debent, in quo, vt ait Apostolus, *inhabitat plenitudo Diuinitatis corporaliter*. Vnde confunditur Nestorius astruens, non esse eandem personam in Christo: & Eutiches confundens naturas: iuxta ipsos siquidem, hæc de timore de seruitute, &c. locum non habuissent erga Seruatorem.

VERSVS XXI. *Ipse est laus tua, & Deus tuus*.

Locutus fuerat Apostolus Roman. 2. de circumcisione cordis in spiritu non littera; & adiecit, *cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est*. Videtur ergo & in præsenti id tangi, nimirum, vt essent, Moysis monito, Iudæi cupidi laudis coram Deo, & non coram hominibus. Quocircà D. Thomas; [A] manifestum est quòd in omnibus iudicium diuinum præferendum est humano: ea verò quæ exterius apparent, siue sit Iudaismus, siue circumcisio, laudantur ab hominibus, sed ea quæ sunt in abscondito, laudantur secundùm iudicium diuinum: quia vt dicitur 1. Regum 16. *homo videt ea quæ parent; Dominus autem intuetur cor*. Quare me iudice, dum inculcat Moyses, vt Dominus sit *laus populi*, manifestè monet, non esse aliquando curandum de exteriori aliquo signo, cuiusmodi erat circumcisio, sed solùm de interiori Iudaismo; neglecta, immo spreta laude hominum, siue vituperatione. Quemadmodum aliàs Roman. 4. dicit; Si *Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. In hoc autem quod addit, *& Deus tuus*; diuinam prouidentiā crediderim commendari, prout nomen Dei, vt alibi dictum est, sonat: & quidem supernaturalem, qua ad finem gloriæ dirigimur, per dona gratiæ. *Ipse ergo est Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia, & terribilia* Quæ magnalia, quæ terribilia, seu gloriosa vt legunt Septuaginta? Vt quid ly *hæc* demonstratorium? Certè videtur referri ad id quod sequitur.

A Rom. 2. l. 4.

VERSVS XXII. *In septuaginta animabus descenderunt Patres tui in Aegypto, & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus, sicut astra cæli*.

De hoc ad litteram Genes. 46. Hic recolitur mysterio: quod etiam reuelauerat Dominus Abraham dicens, *multiplicabo semen tuum, sicut stellas Cœli*, &c. *& benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Prædestinatis autem quadrat similitudo (illa arenæ maris relicta) iuxtà quod ait Apostolus primæ Corinth. 15. *Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum*. Accinit autem & Isaias dicens; *videbit semen longæuum*: [B] vsque ad finem mundi filios sibi regenerari ex virtute mortis eius. Ioannis 12. *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Vbi Augustinus non te fugiat, qui ait, *ipse Dominus Iesus erat granum mortificandum in infidelitate Iudæorum, viuificandum in fide populorum*: additque D. Thomas, [C] vnde & grano sinapis comparatur. Suprà c. 6. *& multipliceris amplius*.

B Isaiæ 53.

C Io. 12. l. 4.

CAPVT XI.

1 Ama itaque Dominum Deum tuum; & obserua præcepta eius & cæremonias, iudicia, atque mandata omni tempore. 2 Cognoscite hodie hodie quæ ignorant filij vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia eius & robustam manum, extentumque brachium, 3 signa & opera, quæ fecit in medio Aegypti Pharaoni regi, & vniuersæ terræ eius, 4 omnique exercitui Aegyptiorum, & equis, ac curribus: quo modo operuerint eos aquæ maris rubri, cum vos persequerentur, & deleuerit eos Dominus vsque in præsentem diem: 5 vobisque quæ fecerit in solitudine donec veniretis ad hunc locum: 6 & Dathan atque Abiron filijs Eliab, qui fuit filius Ruben: quos aper- Nu. 16. a. 1. Nu. 16. c. 32.

to ore ſuo)terra abſorbuit cum domibus & tabernaculis,& vniuerſa ſubſtantia eorum, quam
habebant in medio Iſrael. 7 Oculi veſtri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit,
8 vt cuſtodiatis vniuerſa mandata illius,quæ ego hodie præcipio vobis, & poſſitis introire,
& poſſidere Terram, ad quam ingredimini, 9 multoque in ea viuatis tempore: quam ſub
iuramento pollicitus eſt Dominus patribus veſtris, & ſemini eorum, lacte & melle manan-
tem. 10 Terra enim, ad quam ingrederis poſſidendam,non eſt ſicut Terra Aegypti, de
qua exiſti, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: 11 ſed montuoſa
eſt & campeſtris, de cęlo expectans pluuias, 12 quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit,
p.10.c. & oculi illius in ea ſunt à principio anni vſque ad finem eius. 13 Si ergo obedieritis man-
datis meis,quæ ego hodie præcipio vobis,vt diligatis Dominũ Deũ veſtrum,& ſeruiatis ei in
toto corde veſtro, & in tota anima veſtra: 14 dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam
& ſerotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum, 15 fęnumque ex agris ad pa-
ſcenda iumenta, & vt ipſi comedatis, ac ſaturemini. 16 Cauete ne fortè decipiatur cor ve-
ſtrum,& recedatis à Domino,ſeruiatiſque dijs alienis, & adoretis eos: 17 iratuſque Domi-
nus claudat cęlum,& pluuiæ non deſcendant,nec terra det germen ſuum,pereatiſque veloci-
p.6.b,6 ter de terra optima, quam Dominus daturus eſt vobis. 18 Ponite hæc verba mea in cordi-
bus,& in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collo-
cate. 19 Docete filios veſtros,vt illa meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambula-
ueris in via, & accubueris, atque ſurrexeris. 20 Scribes ea ſuper poſtes, & ianuas domus
tuæ: 21 vt multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in Terra, quam iurauit Dominus pa-
tribus tuis, vt daret eis quandiu cęlum imminet terræ. 22 Si enim cuſtodieritis mandata,
quæ ego præcipio vobis,& feceritis ea, vt diligatis Dominum Deum veſtrum, & ambuletis
in omnibus vijs eius,adhærentes ei, 23 diſperdet Dominus omnes gentes iſtas ante faciem
.1.a.3. veſtram,& poſſidebitis eas:quæ maiores & fortiores vobis ſunt. 24 Omnis locus, quem
calcauerit pes veſter,veſter erit. A deſerto, & à Libano,a flumine magno Euphrate vſque ad
mare occidentale erunt termini veſtri. 25 Nullus ſtabit contra vos: terrorem veſtrum
& formidinem dabit Dominus Deus veſter ſuper omnem terram, quam calcaturi eſtis, ſicut
locutus eſt vobis. 26 En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem,& maledictio-
nem: 27 benedictionem, ſi obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, quæ ego hodie præ-
cipio vobis: 28 maledictionem, ſi non obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, ſed receſ-
ſeritis de via,quam ego nunc oſtendo vobis, & ambulaueritis poſt deos alienos, quos igno-
ratis. 29 Cum verò introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, ad quam pergis habi-
tandam,pones benedictionem ſuper montem Garizim, maledictionem ſuper montem He-
bal, 30 qui ſunt trans Iordanem poſt viam, quæ vergit ad ſolis occubitum in Terra Chana-
næi,qui habitat in campeſtribus contra Galgalam,quæ eſt iuxta vallem tendentem,& intran-
tem procul. 31 Vos enim tranſibitis Iordanem, vt poſſideatis Terram, quam Dominus
Deus veſter daturus eſt vobis,vt habeatis,& poſſideatis illam. 32 Videte ergo, vt impleatis
cæremonias,atque iudicia,quæ ego hodie ponam in conſpectu veſtro.

VERSV I. *Ama itaque Dominum Deum tuum.*

Bis præcipuè, in hoc capite Dei amor & dilectio populo iniungitur; ſcilicet hoc primo verſu; deinde v.13. *vt diligatis Dominum Deum veſtrum*: quod licèt pati queat expoſitionem Ioannis Apoſtoli, dicentis perſępiùs; *diligite alterutrum, quia ſi ſolum fiat, ſufficit*: attamen quoniam lex erat timoris, niſi figuratè referatur ad nouam, non videtur fuiſſe populus ille fixè iterum atque iterum via amoris trahendus. Quare cum dupliciter diligamus Deum; naturali nimirum dilectione, & charitate infuſa; de vtraque crediderim moneri. Mirè autem præmittitur de amore priùs quàm de cognitione,quia potior in via Dei eſt dilectio: ſicuti Eccleſ.24. *ego mater pulchræ dilectionis, & timoris*; deinde, *& agnitionis*.

VERSVS II. *Cognoſcite hodie quæ ignorant filij veſtri.*

Ignorare inquit filios; demus: atqui quod additur; *qui non viderunt diſciplinam Domini Dei veſtri, magnalia eius &c.* torquet animum; ſiquidem, neque cœteri viderunt, qui aſtabant, opera Domini: & tamen verſu 7. ſubdidit, *oculi veſtri viderunt omnia opera Domini*. Quomodo id verum eſt? Non vtique ſecundùm ſuperficiem; quia vt habetur capite 1. *Moyſes locutus eſt hæc quadrageſimo anno vndecimo menſe*: quo certè tempore imminebat ingreſſus terræ promiſſæ: vnde populus omnis erat nouus; iuxtà quod Ioſue 5. legimus; *omnis populus qui egreſſus eſt de Aegypto generis maſculini, vniuerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto*. Et Numeri 14 *Omnes homines qui viderunt Maieſtatem meam, & ſigna quæ feci in Aegypto, & in ſolitudine, &c. non videbunt terram præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun*: Quomodo ergo eos, quos nunc alloquitur Moyſes, inquit vidiſſe omnia opera Domini &c. Etſi enim reſponderi ad litteram poſſit, ſuperſtites fuiſſe paruulos, vt ibidem dicitur; *paruulos autem veſtros introducam*; morituris omnibus qui numerati erant à viginti annis & ſupra, vt pariter eo loci decernitur: nihilominus, libet ſpiritaliter id accipere, vt oculi ipſorum dicantur vidiſſe omnia opera Domini magna, quæ fecit;

vidisse, ideſt interiori lumine intellexiſſe, quidnam, per illa, myſticè ſignificaretur: ad quod non pertigerint filij eorum; ideſt carnales, carnali generatione ſignati, qui non viderunt *diſciplinam*, ſiue vt Chaldęa legit, *doctrinam Domini Dei*. Quo ſenſu ait Apoſtolus 1. Cor. 10. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt*, &c. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo*. Quare, vt ignorantiæ huic medeatur, præcipit, hoc eodem in capite, *docete filios veſtros, vt illa meditentur* &c. Quid autem oculis interioribus viderint, mox expendam.

2 VERSV IV. *Quomodo operuerint eos aquæ maris* &c.

Mirum quomodo *magnalia Dei*, malorum in perditionem commemoret, cum tot quæ tacet, beneficia operatus ſit. *In via Dei*, ait Gregorius, *à timore incipitur*; & iterum, *Anchora cordis eſt timor*. Quoniam ergo felix redemptionis tempus tetigerat præcedenti in capite, ne nimia ſecuritate pereat quis, vltiones percenſet. *Tutius*, aiebat Bernardus, *mihi reputo timiditate, quàm temeritate periclitari*. Et quoniam terræ promiſſæ ſymbolum, non ſolùm triumphantem ſed etiam militantem, (quæ ideatur ab illa: *vidi Ciuitatem Sanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de Cœlo*, Apoc. 21. *Inſpice & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*, Exodi 25.) militantem inquam deſignat Eccleſiam, gehennæ figuram exaggerat, quo ſibi caueant. Quod vt re ipſa deprehendatur; recolere oportet quod dicitur Iob. 24. *ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium*. Quocirca Matthæi 8. [A] ex hac authoritate aſtruitur in inferno multus calor, & multum frigus. Et infrà [B] ibi, *erit fletus* &c. per fletum qui ex fumo citò generatur, ſignificatur pœna ignis; per ſtridorem dentium, frigus. Quod quidem quomodo ſit intelligendum exponit in Quodlibetis, [C] Vbi quærit, *Vtrum in inferno, ſit tantùm pœna ignis, vel etiam pœna aquæ*: Et reſolutio eſt aſſertiua vtriuſque; immò ſecundum Baſilium multipliciùs patientur damnati, quia quod eſt in elementis fœculentum & pœnoſum, deſcendet in infernum: vt qui Creatorem offenderunt, ab omni creatura puniantur: Sap. 5. *orbis terrarum pugnabit pro illo contrà inſenſatos*. Cœterùm, vt eodem in loco docet, non ſic agent ignis, & aqua in corpora damnatorum, vt relinquant ſuas qualitates in corporibus damnatorum, ſecundùm eſſe naturæ, ſicut ignis relinquit calorem in lignis, quæ facit eſſe calida; alioquin cum contraria non poſſint eſſe ſimul in eodem, oporteret corpora damnatorum ſuas qualitates perdere; & ſic tranſmutata natura organorum, fieret pœna minùs ſenſibilis: agunt ergo in corpora damnatorum non actione naturæ, ſed actione ſpirituali, imprimendo ſcilicet ſuas qualitates in corporibus damnatorum, ſecundùm eſſe ſpirituale: per modum quo ſpecies eſt in aere, vel etiam in pupilla: non ita quòd fiant colorata. Vnde corpora damnatorum ſentient afflictionem ignis, ſine hoc quòd conuertantur in naturam ignis; & ideo varietas pœnarum, non faciet eis refrigerium; refrigerium enim nunc ex alteratione pœnarum proueniens cauſatur ex tranſmutatione naturæ, in quantùm per frigus aquæ, ſuperfluitas calefactionis remittitur; & ſic ad medium venitur, quod eſt delectabile: Sic tu intellige quod ait Auguſtinus de igne inferni; *tanto calidior eſt noſtro igne, quanto noſter ignis picto*. Et hoc breui docens in Iob [D] inquit; Ad pœnas Inferni referri poteſt quod dixerat; *ab aquis niuium* &c. quia in Inferno nulla erit temperies. Tu nota ly *nimium*, ly *niuium*: exceſſus enim vtrobique importatur.

Itaque vt id figuraret Moyſes, quem nonnulli, vt Origenes, Philippus presbyter, Iſidorus, Abulenſis faciunt libri Iob Authorem, aſſumpſit ſubmerſionem Ægyptiorum in aquis maris rubri, nec non abſorptionem ſub terra, hiatu enim terræ abſorpti Dathan Abiron & Core fuerunt, & igne cremati, vt exprimit de Core S. D. In pſ. 40. In vtroque autem caſu deſcenderunt impij in profundum; quare nil aptius in typum Inferni: Immò veritate, quia deſcenderunt viui in Infernum operti humo: Ex quibus pœnarum Inferni timor incuteretur.

VERSVS XIII. *Si ergo obedieritis mandatis meis, &c. vt diligatis Dominum Deum veſtrum*.

VERSVS XIV. *Dabit pluuiam &c.* 3

Poſtquam ſpecimen infernalium pœnarum exhibuit: quæ ſint ſeruantium legem adiumenta declarat. S. Thomas [E] in primo Commentario, ad Eccleſiam refert quod dicitur, *montuoſa eſt, & campeſtris de Cœlo expectans pluuias: quam Dominus Deus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt, à principio anni vſque ad finem eius*. Si in puritate ſiſtamus litteræ, non videtur hoc cohærere, cum ijs quæ dicta ſunt ſuperiùs. c. 8. *introducet te in terram bonam, terram riuorum aquarumque & fontium: in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi*: at concors eſt ſibi Moyſes, quia, ibi ſecundùm anagogen ad gloriam; hic per allegoriam ad Eccleſiam huius temporis ſermo eſt: *pluuiam* ergo, quod dicitur in pſalmo 87. *voluntariam ſegregabit Deus hæreditati tuæ*: & *oculi eius*, aſſiſtentiæ & illuminationis, ſiue miſericordiæ (quod ait) verſu 12. *erunt à principio anni vſque ad finem eius*; quando ipſe promiſit; *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi*. Iſaiæ 61. *vt prædicarem annum placabilem Domino*, & *diem vltionis Deo noſtro*: annum, ideſt, inquit Haymo, *omne tempus à natiuitate vſque ad diem iudicij*.

Dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam. Videtur adnecti parabolæ Matthæi 20. cùm Pater familias *exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam*. Et deinde *circa vndecimam* etiam *horam exijt*, & *inuenit alios ſtantes*: vel quia à pueritia quoſdam vocat; & quibuſdã non datur occaſio reuertendi ad Deum, vſque ad ſenium: vel quia ſemper Eccleſiæ ſuæ adfuit pluens dona: & ſic prima hora decurrit ab Adam vſque ad Noe; & nouiſſima hora eſt tempus Chriſti 1. Io. 1. *filioli nouiſſima hora eſt*. Ita ibi [F] ex D. Th.

VERSV eodem XIV. *vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum*.

Simile quid habetur 2. Paralipomenon c. 11. *ciborumque horrea; hoc eſt olei, & vini*. Quod recolens S. Doctor [G] expreſſius ait; *Ciborumque horrea*; poſuit in his frumentum vinum & oleum; vnitque illud Geneſis 27. *det tibi Deus de rore Cœli, & pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei*: & præ manibus habens illud Matthæi 13. 4

[A] Matth. 8. & 22. [B] Matth. 13. & 24. in fine. [C] Quodl. 8. a. 18. [D] Iob. c. 24. [E] Apoc. 9 ibi ante oculos Dei. [F] Matth. 20. [G] Serm. ex Eu Dom. 4 poſt Epiph.

Congregate in horreum meum: de Sanctorum gloria exponit; optimum, inquit, est horreum, ideo, quia ibi est abundantia frumenti, vini & olei. Vinum est gaudium de visione Patris; frumentum, gaudium de visione filij; oleum, gaudium de visione Spiritus-Sancti. De primo; *vinum lætificet cor hominis*; ps. 103. de secundo ps. 80. *cibauit eos ex adipe frumenti*; & ps. 147. *& adipe frumenti satiat te*: Io. 12. *nisi granum frumenti, cadens in terram mortuum fuerit*: de tertio, ps. 44. *vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitiæ, præ consortibus tuis*; idest Spiritu Sancto. Et si roges quomodo per vinum visio æterni Patris signetur? Scias vitam æternam speciatim in visione Dei Patris attendi; iuxtà quod ait Dominus ipse; *hæc est vita æterna vt cognoscant te Deum Patrem, & quem misisti filium tuum*: iterùm autem de eadem visione in ps. 35. *inebriabuntur ab vbertate Domus tuæ*; quia scilicet omnem mensuram rationis, & desiderij excedit, vt patet in *Prologo primi sententiarum*. Quid ergo mirum, si per vinum &c. Et si rursùm quæras: vnde est, primò poni frumentum? Debuisset enim priùs symbolum Patris, quàm filij memorari; Respondeo, quia vt docet Hilarius, *nec genitus est genitore posterior*: vel id factum est, ad innuendum, per quem habeamus accessum ad Deum, Eph. 3. vel quia, *Patrem* (Matthæi 11) *nemo nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare*.

Et si velimus statui præsentis vitæ, non collectioni in futuro hæc aptare: inueniemus, consectarium esse ad gratiarum atque donorum spiritalium descensum, vt confortetur mens, ad omne vitium deuincendum, quia *panis cor hominis* ps. 103. *confirmat*, (hoc, Eucharistico pani, pluries. [H]) Deinde sequatur lætitia spiritus; *cum gaudio in Spiritu-Sancto*, Rom. 14. *redde mihi lætitiam*, ps. 50. Et nitor conscientiæ, qui per oleum [I] satis ex D. Thoma repræsentatur. Nisi omnia velis intelligere de eodem Eucharistico Sacramento, in tribus ijs adumbrato: quod tanquam potissimum fructum colligunt mystica vnione iuncti, in terris etiam fideles. Quocirca D. Th. 3. p. q. 80. a. 2. Contingit manducare spiritualiter ipsum Christum, vno modo prout in sua specie consistit: & sic Angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, in quantùm ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & visione manifesta, (quem panem expectamus in Patria) non per fidem, sicut nos ei hic vnimur.

H Op. 58. c. 9-22. & 25.
I 4 7. 1 2. 2 in corp.

5 VERSVS XV. *fænumque ex agris ad pascenda iumenta*.

Res grandis non est, sponte sua etiam ex agris oriri fœnum: quare necessum est credere altiorem sublatere sensum. In Sylua Allegoriarum, V. *Ager*, Lauretus refert; *ager prætereà dicitur Sacra Scriptura: & in hoc agro est fænum ad pascenda iumenta*; Deuteronomij 11. Quanta fertilitate vigeat Sacra pagina, non est qui nesciat. Ex agris autem plurali numero loquitur, quia vtrumque testamentum, vberrimam offert messem: Sic Dominus; *qui profert de thesauro suo noua & vetera*. In psalmo, [L] *homines & iumenta saluabis Domine*: per homines intelliguntur iusti, per iumenta peccatores. Et Hugo noster Iudicum 6. *oues sunt subditi minores, asini imperiti*. Horum ergo alimentum iuxtà idoneitatem ipsorum, tanquam simplicium, & fermè irrationalium est; *& erit fænum ex agris*. In quo opportunè ostendit Dominus, se prouisurum etiam simplicioribus; & si, non vt altè sapiant, saltem vt communi & facili olere, maioribus ministrantibus, viuant. Collectis ergo pro se frumento, vino, & oleo, diuinis charismatibus locupletes, tacitè monentur Prælati ac Prædicatores, talenta non abscondere otiosè; quia fœnum iumentis enascitur. Sequitur autem; *Et vt ipsi comedatis, & saturemini*: quod quidem detorquendum non videtur, ad id quod ait Apostolus 1. Corinth. 9. *si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus*? sed spiritaliter accipiendum. Quemadmodum Ioannis 4. dicebat Dominus; *ego cibum habeo manducare quem vos nescitis*. Vbi D. Thomas, [M] fructus spiritualis doctrinæ proponitur sub figura cibi, & refectionis: Cibus autem quem Christus manducare habebat, est salus hominum, quam quærebat; sicut enim cum esurimus, concupiscibile est manducare, ita ei saluare nos. Mirum est autem quomodo hìc dicatur, *vt comedatis & saturemini*. S. Paschasius libro 3. in Threnos ibi, *saturabitur opprobrijs*, inquit: *omnis saturitas ex auiditate sumendi nascitur*. Matthæi 15. *beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Augustinus in Catena; *saturabuntur in præsenti*, de quo Dominus dicit; *meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei*, quod est iustitia. & Hilarius significat, *extensam in Dei doctrinam, sanctorum auiditatem, in cęlo satietate repleri*. Certè qui alios docet, comedit & saturatur; vel quia sacram lectionem ruminat; vel quia, vt ait Seneca, *nobilis possessio sapientia est, quæ distributa suscipit incrementum*.

L ps. 35.
M Io. 4 L. 8.

VERSVS XVI. *Cauete ne fortè decipiatur cor vestrum*.

Monet ne in idololatriam labantur. Vt quid tam præcipitem timet ruinam? S. Doctor in 1. Comment. ibi, *timete Dominum*; [N] partitur cultum Dei in interiorem, & exteriorem; atqui, interior est duplex, honor & timor: exterior autem est adoratio, quæ consistit in bona operatione, per quam conformatur homo Deo. Quare nihil prohibet posse interpretari præsentem locum de idololatria minus propriè, sicuti dicit Apostolus; *auaritia quæ est idolorum seruitus*; & Rom. 6. *non vltra seruiamus peccato*: præsertim quia si tempus gratiæ concernitur, idola erant penitus extirpanda vt Isaias prædixit. Vide Deuteronomij c. 28.

N Apoc. 14.

VERSVS XVII. *Iratusque Dominus claudat cælum*.

Cœlum comminatur Dominus infra relato c. 28. æneum; & 3. Regum c. 17. Elias obtinet impiorum in pœnam, ne triennio sit *ros & pluuia*. *Anima* veruntamen ait psaltes ps. 142. *anima mea, sicut terra sine aqua tibi*: quare sicut cum aperitur cœlum, descendit Spiritus-Sanctus, ita cum clauditur, donorum ipsius deficientia indicatur. Additur autem; *pereatisque velociter de terra optima*, non solùm amissionem cœlestis Patriæ tangendo; sed etiam iudæis ipsis (ad quos de terra promissionis est sermo) perditionem minando. Ne irent ergo glorioli, vt recolitur Matthæi 3. dicentes intrà se; *Patrem habemus Abraham*, ad ipsos speciatim dirigitur comminatio: ad quem finem etiam crediderim memoratis suprà v. 6.

Dathan & Abiron filijs Eliab, expressa fit mentio de Ruben, omisso Phallu, qui fuit illorum parens, vt pater Genesis 46. primi Paralipom. 5. & Num. 26. vbi habetur, *filius Phallu Eliab*: Puto inquam, id fieri vt docerentur primogenituram non suffragari, quando ex delicto amittuntur: quemadmodum contigit Rubeno propter incestum, eoquòd violasset thorum Patris sui: vt ibidem 1. Paralipomenon declaratur. Quoniam ergo, Exodi 4. dictum fuerat; *filius meus primogenitus Israel*, ne temerè fidant, nihil Eliabo profuisse, esse ex Rubeno primogenito, ostendit.

VERSVS XVIII. *Ponite hæc verba mea in cordibus vestris.*

Quod suprà c. 6. prædictum fuit, iteratur: non solùm ne obliuiosi, legis cæremonias prætereant: sed iterum ne in noua lege, quæ latent vbique mysteria fideles fugiant.

Hùc facit mirificè quod habemus in opusculo 58. c. 3. *ponite hæc verba mea in cordibus vestris*; scilicet legalia, quantùm ad moralia, quæ semper sunt seruanda: *suspendite ea pro signo, in manibus*; quantùm ad manufacta tabernacula, & huiusmodi, quæ pro tempore sunt tollenda: *scribite in postibus, & ianuis*; sacrificia scilicet, oues & boues, quasi litteras paruulorum, in quibus multa bona sunt discenda: & præcipuè fides Saluatoris, forma de moribus, spes de cœlestibus. Primum poterant discere in sacrificijs ouium; secundùm in sacrificio taurorum; tertium in sacrificio animalium extrà castra combustorum. De primo Isaiæ 53. *sicut ouis* &c. Cùm ergo ouis offerebatur, poterant tria de vera fide discere, scilicet Saluatoris innocentiam, mansuetudinem, & humani generis per mortem Christi redemptionem. De secundo Daniel. 3. *In Spiritu humilitatis* &c. *sicut in holocaustis arietum, & taurorum.* Cum ergo cornuta animalia in holocaustum, idest per ardorem ignis, in cinerem redigenda offerebantur, poterant de bonis moribus tria discere; scilicet vt dæmonibus, & vitijs resisterent; Dei & proximi amore arderent; cordis, & corporis humilitatem in omnibus conseruarent. De tertio Leuit. 4. Hebræor 13. *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem; horum corpora cremantur extrà castra.* Sanguis animalium significat animas iustorum. Cum hęc fiebant, poterant tria discere de spe obtinendæ cœlestis gloriæ; quæ sunt: pœnitentia viuentium, Saluatoris officium, bonorum suffragium. Primum discimus in illo, quòd corpora extrà castra cremabantur; quia ibi corpora cremare, est fideles extrà delicias & voluptates sæculi pœnitentiam agere. Secundum, in eo quòd sanguis inferebatur per Pontificem in Sancta Sanctorum; quia hoc est animas iustorum, post hanc vitam beneficio Christi, in cœlum assumi. Tertium, in eo quòd sanguis per Pontificem in sancta delatus, valuit ad remissionem peccatorum hominum viuorum; quia, hoc est, animas bonorum, iam per Christum in cœlum subleuatas, intercedere pro peccatis exulum in mundo relictorum. Mirè ita D. Thomas.

VERSVS XXIV. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.*

Paulò antè, *vt diligatis Dominum Deum vestrum*: & pollicetur de hostibus triumphum.
7 Verùm quia victoriam spiritualem comitantur tribulationes atque aduersitates; quo nobis cedant in bonum, monet eas esse calcandas: & quidem pede, non alio quàm dextero. In primo Commentario ° ibi, *& posuit pedem suum dextrum super mare*; pes dexter est amor Dei, qui debet omnem tribulationem, & aduersitatum amaritudinem conculcare, vt sicut pro amore nostro calcauit amaritudinem passionis Isaiæ 53. *torcular calcaui solus*, sic nos pro amore ipsius calcemus omnem amaritudinem mundi, etiam non timentes pro ipso mori: hoc pede quicquid tangimus, nostrum facimus, vnde Deut. 11. *omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* Capite etiam duodecimo in principio, refert huiusmodi conculcationem ad mundi contemptum: & videtur cohærere illud Apostoli, *nihil habentes, & omnia possidentes.* Et sanè *calcari non potest*, quod ait Augustinus in Matthæum, ibi *vt conculcetur ab hominibus, nisi inferius*, ergo tacitè memorat quod de Beato Dominico canit Ecclesia *mundum, calcans sub pedibus*: tùnc noster est; secus sumus nos mundi: *si de mundo fuissetis, mundus*, ait Dominus Io. 15. *quod suum erat diligeret.* Et ecce consecutiuè

° Apoc. 10.

VERSVS XXV. *Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus Deus vester* &c.

Non id intellexerim ego humanitùs; *etsi* 8
enim, quod ait Chrysostomus in persona Christi Domini homilia 34. in Matth. *possum non permittere* (Apostolos loquitur) *vt graue aliquid patiamini, & efficere vt leonibus terribiliores euadatis. attamen sic expedit fieri; mitto vos sicut oues in medio luporum.* Quamquam ergò quod ait in Serm. de Pentecoste, *peragrarint piscatores orbem terrarum, non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes*: nihilominus, vt in præfata homilia, *ferreos quodammodo & adamantinos fecerat, ceu ab omnibus negocijs sæcularibus alienatos, & ab omni temporalium rerum cura liberatos.* Et sic addit: *lege Actuum Apostolorum librum; perspicies profectò, cùm sæpe Iudæorum populus in Apostolos insurrexerit, ac dentes exacuerit, illos columbæ simplicitatem imitando, & cum decenti modestia respondendo, iram ipsorum superasse, furorem extinxisse, impetum retardasse.* Sic, ait D. Fulgentius de Sancto Stephano, *Stephanus charitatem pro armis habebat, & per eam vbique vincebat.* Hæc mysticè prædici videntur. & Gregorius hom. 30. in Euang. *Mundi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos Sancti Spiritus fortitudo solidasset: quales namque Doctores sanctæ Ecclesię ante aduentum Spiritus-Sancti fuerint, scimus: & post aduentum ipsius, cuius fortitudinis facti sunt, conspicimus.*

VERSVS XXVI. *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem.*

Alloquitur Iudæos: atqui nequit esse dubium in typum futuri iudicij, cum audietur dulce illud melos; *venite benedicti Patris mei*: & terrificum, *ite maledicti in ignem æternum.* Verùm ne credatur in littera sisti, executio huius differtur præcipienda adamussim infrà c. 27. hic autem eatenus subadnectitur, quatenus tanguntur alia, quæ concernit iudicium.

VERSVS XXIX. *Cùm verò introduxerit* 9
te Dominus.

Selegit Dominus duos hos montes, ad benedictionem ac maledictionem ferendam, causa

quæ inferiùs. Mirum est autem quòd tàm accuratè illos describat: *qui sunt*, inquit, *trans Iordanem: post viam quæ vergit ad solis occubitum, in terra Chananæi*. Præterea aduertit de Chananæo; *qui habitat in campestribus*; item, *contra Galgalam*; denique vbi sit Galgala, nimirùm, *iuxtà vallem tendentem, & intrantem procul*. Vt quid tot, hac ex occasione montium *Garizim & Hebal*, insumere verba? *Iordanis* apud Lauretum in Sylua Allegoriarum, interpretatur *flumius iudicij*, designatque transitum vitæ præsentis; igitur benè montes benedictionis, atque maledictionis sunt *trans Iordanem*. *In terra Chananæi*: Chananæus apud eundem Authorem stat pro gentili. Gens est Christianus etiam, cum gentiliter viuit, Ephes. 4. *iam non ampliùs ambuletis, sicut & gentes*. In horum terra dicuntur esse præfati montes, quia ipsis eminet imminetque iudicium: Ioan. 3. *qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est*. Titi 1. *Confitentes se nosse Deum, factis autem negant*. 2. Petri 2. *quibus iudicium, iàm olim non cessat*. Isaiæ 3. *stat ad iudicandum Dominus, stat ad iudicandum populos*. Imminet ergo eis iudicium: Sed ipsi *habitant in campestribus*. Numeri 14. aliàs habemus versu 25. *Amalecites & Chananæus habitant in vallibus*: & versus 45. *Descenditque Amalecites, & Chananæus, qui habitabant in monte*; nùnc Chananæus memoratur, *qui habitat in campestribus*. Pratum campestre, quid est? quare habitat Chananæus in campestribus? dùm inquiunt impij, Sapientiæ 2. *nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, non habitant montes iudicij: quia vt dicitur Prou. 28. *Viri mali, non cogitant iudicium*; & Sap. 12. legimus, diuturni errori. in pęnā, *propter hoc tanquā pueris insensatis, iudicium in derisum dedisti*: Et tamē iudium est *post viā, quæ vergit ad solis occubitū*; quod dicitur hic de his montibus, siquidē post hanc vitā, in qua vt ait D. Greg. *quasi in via sumus qua ad Patriam pergimus*: & surgit *ad solis occubitum*, quoniā *mox nati continuò desinimus esse*, Sap. 5. quamuis nondum *obtenebrescat Sol*, quod tangitur Ecclesiastes 12. Non iacebat in campestribus dicens Cant. 4. *vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris*; idest, [P] (in primo Commentario, ibi
[P] Apocal 12. & c. 15 *duæ alæ Aquilæ*) ad cumulum immobilem tormētorum inferni, ad culmen immobile gaudiorum Paradisi. Et licèt maiora sint gaudia cœli, quàm tormenta inferni, tamen quia minùs cognoscuntur, & sentiuntur gaudia cœli, ideo per collem designantur. Vel per *montem myrrhæ* intelligitur multitudo peccatorum; per *collem thuris*, paucitas meritorum, quæ alternis vicibus sunt consideranda. Non habitabat *in campestribus*, sed in his montibus mente Hieronymus, dùm aiebat, *siue comedam, siue bibam, siue scribam, siue aliud operis quidquam faciam, semper sonat auribus meis quasi tuba vehemens, vox illa terribilis, surgite mortui venite ad iudicium*. Hùc facit glossa Esdræ 2. c. 2. ibi, *miserunt ad me dicentes, veni & percutiamus fœdus pariter in viculis in campo Ono*. Hostes ciuitatis sanctæ suadebant Nehemiæ in campestria descendere, & fœdus pacis secum inire: sic & hæretici, & falsi catholici, cum veris catholicis pacis consortium habere volunt, non vt ipsi ad arcem catholicæ fidei & operationis ascendant, sed vt potiùs eos, quos in culmine virtutum commorantes aspiciunt, ad infima operum, vel prauorum dogmatum descendere cogant. Ex D. Thom. opusc. 19. capit. 5. in initio.

VERSV eodem XXX. *Contrà Galgalam*.

Alibi dictum est ex D. Thoma, [Q] tria Paschata mystica celebrasse filios Israel: Primum [Q Serm. in festo Resurrectionis.] in exitu de Ægypto, Exodi 12. Secundum in deserto Numeri 9. Tertium in terra promissionis Iosue 5. Hoc autem tertium Pascha æternam illius celebrationem in cœlo significat. At rogo, quo loci specialiter celebratum est? audi Iosue 5. *mānseruntque filij Israel in Galgalis, & fecerūt Phase*: benè ait, *manserunt*: Ioa. 14. *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*; igitur Galgala typus est cœlestis Ierusalem; vbi plena culparum purgatione manendum est. Quocircà D. Thomas 1. 2. q. 102. a. 5. ad 1. figuralis ratio circumcisionis erat, quia figurabatur ablatio corruptionis fienda per Christum, quæ perfectè complebitur in octaua ætate, quæ est ætas resurgentium. Igitur, aio ego, etiam alio ex capite, Patriam cœlestem Galgala præsignauit.

Sequitur de *Galgala*, quæ interpretatur Lau- 10
reto, *Rota*, apprimè symbolum æternitatis; vt sit, *iuxta vallem tendentem, & intrantem procul*. Hebraicè est, *iuxtà Elone Moreh*, idest iuxta *Aulon vallem*, in ingentem quandam longitudinem protensam, quæ Vallis, vt dicunt Genesis 12. vocatur *conuallis illustris*. Hæc conuallis secundùm Bedam apud præfatum Lauretum, est Ecclesia, ad quam venit Christus, sicut ad illam, Abraham, quæ *illustris* est prædicatione & miraculis. *Galgala* meritò dicitur esse *iuxta hanc vallem*, exemplar enim non longè distat ab exemplo. De tabernaculo autem Exodi 25. legimus, proinde de Ecclesia, Apocalypsis 21. *descendente de Cœlo; inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Quis scit, an non Spiritu Sancto illuminante motus, transtulerit Noster, *in vallem tendentem, & intrantem procul*? *Galgala* æternitatem refert: Ecclesia non ita: veruntamen, ipsius tendentia, & exordium procul sunt. *Non præteribit generatio hæc donec omnia fiant* Matthæi 24. quod exponit Chrysostomus, apud D. Thom. [R] *de generatione fidelium Christi*: [R p. 2. 106. 4.] quare (ibi) & lex noua vsque ad sæculi consummationem est duratura. Vallis ergò tendit reuera procul. Sed & *intrauit procul*; quia vt ait Gregorius, & Genesis 4. visum est, *ab Abel iusto* (quàm procul!) *vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit*. Meritò autem conuallis adumbratur Ecclesia, quia sic dicitur eidem tanquam sponsæ, vt humilitatem colat, *ego flos campi, & lilium conuallium*: siue decor, vt in nouissimè reparato Commentario, [S] & præmium hu- [S Cant. 2.]
milium; ideò, inquit, *si te humiliaueris*, &c. Humili certè sponso: *mitis sum & humilis corde*. Matth. 11. *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*, Philipp. 2. humilis debebatur & sponsa.

Superest de his montibus *Garizim, & Hebal*, nonnihil dicamus. Et adeamus sanctum Euangelium Ioannis c. 4. ad illa Samaritanæ verba: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*. Circà quod sciendum, [T] quòd Samaritani (secundùm legis [T Io. 4. l.]
mandata) Deum colentes, fecerunt Templum,

in quo cum adorarent in monte Garizim: Iudæi verò in monte Sion: vnde quæstio vertebatur inter eos, quis istorum montium esset conuenientior, locus orationi, &c. Cum ergò Sanctus futurus esset locus, non sit mirum si benedictionibus consecratur. *Hebal* apud Lauretum, idest *acernus vetustatis*. Vetustas, tritum est in scripturis, peccatum designat. Rom. 6. *hoc scientes, quòd vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur*
V Rom. 6.1.2. *corpus peccati*; idest [V] vetustas hominis per peccatum inducta; in quantùm per peccatum, bonum
X Coloss. 3.4.2. naturæ corrumpitur. Et sic ad Colossenses, [X] *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*, idest, vetustatem peccati; nàm homo inueteratur per peccatum, Hebræor. 8. *Quod autem antiquatur, & senescit, propè interitum est*: hæc vetustas propinquat corruptioni, quia peccatum est via ad corruptionem. *In acerno vetustatis*, dantur maledictiones: *maledicti qui declinant à*
11 *mandatis tuis*. Parce autem admodùm hic anagogicè de benedictione ad gloriam, & maledictione ad pœnam æternam tangitur, quia Seraphin Isaiæ 6. ad idem; *velabant faciem pedesque*
A 4. 50. in fine. *sedentis*; vt ex D. Dionysio, ait [A] Sanctus Doctor: mysteria siquidem æternæ Deitatis futuræque beatitudinis & miseriæ, illa in capite, hæc in pedibus tanquam finalia, nobis ad plenū non reuelantur. Sanè non erat, aio ego, necesse, (præterquam statum humanæ vitæ, ac intelligentiæ transcendunt) singillatim ea epingere; satis est, illorum *An est* non ignorare, etsi nesciatur *quod est*.

VERSVS XXXI. *Vos enim transibitis Iordanem, vt possideatis terram*, &c.

VERSVS XXXII. *Videte ergò vt impleatis cæremonias*, &c. 12

Magistrali hac clausula, illud videtur insinuari, quod Matthæi 19. habetur; *si vis ad vitam ingredi serua mandata*. Inquit autem: *videte ergo vt impleatis*: in quo innuitur obseruantia legis nouæ; venit enim Saluator, Matthæi 5. non *legem soluere, sed adimplere*. Declarat ideirco mirificè Angelicus, atque [B] decernit, legem nouam, cum comparetur ad veterem, sicut perfectum ad imperfectum, (*nihil* quippe *ad perfectum adduxit lex*, Hebræor. 7.) hanc implere. Quod est, Leo ait Papa serm. 7. de Passione; *legalis festiuitas dum mutatur, impletur*. B p.2.107 2.

C A P V T X I I.

1 HAec sunt præcepta, atque iudicia, quæ facere debetis in Terra, quam Dominus
Deus patrum tuorum daturus est tibi, vt possideas eam cunctis diebus, quibus
super humum gradieris. 2 Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes,
quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum
frondosum. 3 Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola Sup. 7. d. 25.
comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis. 4 Non facietis ita Domino Deo ve- 2. Mar. 12 8. 40.
stro; 5 sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt
ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis: 6 & offeretis in loco illo holocausta, &
victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria, pri-
mogenita boum, & ouium. 7 Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabi-
mini in cunctis, ad quæ miseritis manum, vos & domus vestræ, in quibus benedixerit vo-
bis Dominus Deus vester. 8 Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi
rectum videtur. 9 Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessio-
nem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis. 10 Transibitis Iordanem, & habita-
bitis in Terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis a cunctis ho-
stibus per circuitum: & absque vllo timore habitetis 11 in loco, quem elegerit Dominus
Deus vester, vt sit nomen eius in eo, illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, &
hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum: & quidquid præcipuum est in mune-
rībus, quæ vouebitis Domino. 12 Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos &
filij, ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Leuites, qui in vrbibus vestris commorantur:
neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos. 13 Caue ne offeras holocausta
tua in omni loco, quem videris: 14 sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum
tuarum offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi. 15 Sin autem comedere volue-
ris, & te esus carnium delectauerit, occide, & comede iuxta benedictionem Domini Dei
tui, quam dedit tibi in vrbibus tuis: siue immundum fuerit, hoc est, maculatum & debile:
siue mundum, hoc est, integrum, & sine macula, quod offerre licet, sicut capream & cer-
uum comedes, 16 absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam ef-
fundes. 17 Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui,
primogenita armentorum, & pecorum, & omnia, quæ voueris, & sponte efferre volueris,
& primitias manuum tuarum: 18 sed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem
elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua, & seruus, & famula, atque Leuites, Gen. 28. c. 14.
qui manet in vrbibus tuis: & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis, ad Inf. 13. b. 8.
quæ extenderis manum tuam. 19 Caue ne derelinquas Leuitem in omni tempore, quo Exod. 34
versaris in terra. 20 Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus c. 24.

est

est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua: 21 Locus autem, quem ele-
gerit Dominus Deus tuus vt sit nomen eius ibi, si procul fuerit, occides de armentis, & pe-
coribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, vt tibi placet. 22
Sicut comeditur caprea, & ceruus, ita vesceris eis: & mundus, & immundus in commune
vescentur. 23 Hoc solum caue, ne sanguinem comedas, sanguis enim eorum pro anima
est: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus: 24 sed super terram fundes
quasi aquam 25 vt bene sit tibi, & filijs tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu
Domini. 26 Quæ autem sanctificaueris, & voueris Domino, tolles, & venies ad locum,
quem elegerit Dominus: 27 & offerens oblationes tuas carnem, & sanguinem super altare
Domini Dei tui, sanguinem hostiarum fundes in altari: carnibus autem ipse vesceris. 28
Obserua, & audi omnia, quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi, & filijs tuis post te in sempi-
Inf. 19.a. ternum, cum feceris quod bonum est, & placitum in conspectu Domini Dei tui. 29 Quan-
do disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possiden-
das, & possederis eas, atque habitaueris in terra earum: 30 caue ne imiteris eas, postquam
te fuerint introeunte subuersæ, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gen-
tes istæ deos suos, ita & ego colam. 31 Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim
abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt dijs suis, offerentes filios & filias, &
comburentes igni. 32 Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quid-
quam, nec minuas.

VERSVS I. *Hæc sunt præcepta atque iudicia.*

VERSVS II. *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes.*

1 Quoniam de monte Garizim dictũ est paulò ante, vbi Samaritani Deum coluerunt, de cultus diuini loco agitur consequenter. Ad litteram autem subuertenda mandantur quæ cuncta ad idololatriam spectant, quemadmodum supra c. 7. moraliter expositum est: in cuius signum præmittitur; *vt possideas eam terram, cunctis diebus quibus super humum gradieris.* Coluerunt autem gentes Deos suos super montes excelsos, & colles, *& subter omnem lignum frondosum*, vt hic dicitur, & quidem vt visum est eodem c. 7. propter amœnitatem præsertim, & vmbrositatem; Sic S. Doctor ad illa verba; *in omni colle sublimi, & sub omni ligno* [A] *frondoso tu prosternebaris meretrix*: amæna inquit & excelsa semper idolis dedicantur. Et prius Isaiæ 57. ibi, [B] *Qui consolamini in dijs subter omne lignum frondosum*, &c. *super montem excelsum, & sublimem*; locorum amœnitatem describit, vel ex vmbris arborum, vel ex vbertate aquarum, & deinde tangit loca sublimia. Igitur, præcipit Dominus omnia, statuas, aras, lucos, idola comminui; atque disperdi nomina deorum de locis illis; subditque, *non facietis ita Domino Deo vestro.*

A Ierem. 2.

B Isaiæ 57

VERSVS V. *Sed ad locum quem elegerit Deus vester.*

2 Templi ædificationem insinuat futuram in loco, quem elegerit Dominus: præoccupatque illi dumtaxat offerendum esse: quod cauerat etiã Leuitici 17. dicens, *qui non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit*, vel *interibit de populo suo*. Attamen, inquit S. Doctor Rom. 11. l. 1. ante ædificationem templi permittebatur populo, vt in diuersis locis altaria construeret ad cultum diuinum: quod quia erat contra legem, ædificato iam templo, Ezechias Rex pijssimus omnia huiusmodi altaria destrui fecit. Et hoc est quod dicitur 4. Regum 18. *nonne iste est Ezechias, qui abstulit excelsa, & altaria? & præcepit Iuda & Ierusalem: ante altare hoc adorabitis in Ierusalem.* Causa autem quare sic arctarentur ad vnũ, enucleatur his verbis. [C] Ratio vnitatis templi, vel tabernaculi potest esse, & literalis & figuralis; literalis quidem est ratio ad exclusionem idololatriæ, quia gentiles diuersis dijs diuersa templa constituebant; & ideò, vt firmaretur in animis hominum fides vnitatis diuinæ, voluit Deus, vt in vno loco tantùm sibi sacrificium offerretur. (Vide quam germana sit hæc D. Thomæ ratio: hic postquam dictum est de montibus, de collibus, de lucis, sequitur, *non facietis ita Domino Deo vestro*; & versu 13. *caue, ne offeras holocausta tua, in omni loco quem videris.*) Deinde addit aliam rationem; vt per hoc, inquit, ostenderet, quòd corporalis cultus, non propter se erat ei acceptus; & ideo compescebantur, ne passim & vbique sacrificia offerrent. Sed cultus nouæ legis, in cuius sacrificio spiritualis gratia continetur, est secundùm se Deo acceptus; & ideò multiplicatio altarium & templorum acceptatur in noua lege.

C p. 2. q. 102. a. 4. ad 3.

3 Quantùm verò ad ea quæ pertinebant ad spiritualem cultum Dei, qui consistit in doctrina legis & prophetarum, erant etiam in veteri lege, diuersa loca deputata, in quibus conueniebant ad laudem Dei, quæ dicebantur Synagogæ, sicut nunc dicuntur Ecclesiæ, in quibus populus Christianus ad laudem Dei congregatur. Et sic Ecclesia nostra succedit in locum templi, & synagogæ, quia ipsum sacrificium Ecclesiæ spirituale est, vnde non distinguitur apud nos locus sacrificij à loco doctrinæ.

4 Ratio autem figuralis esse potest, vnitas Ecclesiæ militantis, vel triumphantis. Hæc D. Thomas. Hinc Iosue 22. Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasse, cum exstruxissent ad Iordanem altare, fuerunt in causa, vt concitarentur filij Israel in eos, tanquam in legis sacrilegos transgressores; etsi comperto, non id ad sacrificia factum fuisse, sed alio ex fine, placati sint. Huc facit etiam quod denarratur [D] alibi, nimirum pugnantibus Antiocho Magno & Ducibus Ptolemæi, Iudæam in medio positam, in contraria studia fuisse scissam, alijs Antiocho, alijs fauentibus Ptolemæo; ita quòd Onias Sacerdos cum innumeris ex populo Iudæorum in Ægyptũ

D Danielis 10.

con-

confugiens,& à Ptolemæo honorificè susceptus: & suscepta terra, quæ Eliopolis dicitur, construxit templum (Rege annuente) simile, templo Iudæorum: asserens se implere vaticinium. Isaiæ 19. *in die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxtà terminum eius*. Defecit nihilominus intelligentia Onias, vt loco citato non solùm, sed & Isaiæ 19. notat Angelicus; intelligitur enim de altari ædificando ad cultum Christianum; Quod prædixerat Daniel c. 11. *Filij quoque præuaricationum populi tui extollentur, vt impleant visionem, & corruent*. Alio sanè tempore implědum erat Isaiæ vaticinium, de quo & Malachiæ 1. *ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Ad quod D. Thomas; [b] ecce loca plurima exprimit, & vnam oblationem mũdam fidelium: addens, ad idem collimare quod ait Exodi 20. *in omni loco in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi; quia memoria nominus Domini sacrificium est altaris*.

E op. 58. 61.

VERSVS VII. *Et comedetis ibi in conspectu Domini*, &c.

5

Hic agitur de decimis illis, quas singulis annis mandat expresse cap. 14. separari & offerri Domino; de quibus inquit, *comedes in conspectu Domini Dei tui*; quasque memorat Angelicus in [f] secunda secundæ; atque, in noua lege locum non habere; cessantibus legalibus victimis. Comesturi autem erant earum partem, non solùm qui offerebant, sed filij & filiæ, famuli & famulæ, atque Leuites, qui commorabantur eorum in vrbibus. Inquit autem Tirinus Leuitici 19. ad huiusmodi sacrum epulum Ierosolymis, adhiberi solitos fuisse & orphanos, & viduas, domesticos & amicos. Et in lib. Machabæorũ, [g] vbi memorantur diruta *pastophoria*; exponitur sic appellari domunculam in atrio Sacerdotum, quæ ad duo seruiebat, scilicet ad habitationem hebdomadariorum, & comestionem, in Ierusalem ad sacrificandum de longinquo veniẽtium, qui partem sacrificij sui coram Domino comedere debebant. Et est nomen græcum secundum Hieronymũ, & latinè dicitur *thalamus*: vel secundùm alios, est latinum; & tunc dicitur quasi *pastus forensium*, quia forenses Iudæi ibi comedebant.

F 22. 87. 3. 4.

G 1. Machab. 4.

Quis autem futurus esset locus in quo ædificaretur Templum, quò conuenirent, Genesis 22. dictum est ex D. Thoma. [h] Ibi quippè dicitur mãdasse Dominus Abrahæ, vt offerret filium suum in holocaustum, *super vnum montium, quem monstrauero tibi*, & posteà dicit, quòd appellauit nomen illius loci, *Dominus videt*; quasi secundùm Dei præuisionem esset locus ille electus ad cultum diuinum: propter quod (inquit S. Doctor) Deuteron. 12. habetur, *ad locum quem elegerit Dominus*, &c. Secundum D. Chrysost. apud D. Thomam, [i] quidam dicunt, Abraham in monte *Garizim* filium obtulisse: alij autem in monte Sion.

H p 2. 102. 4 2.

I Ioan 4. l. 2.

6

Certè tu nota ex eodem ibidem, Samaritanos, qui secundùm legis mandata Deum colebant, fecisse sibi templum in monte *Garizim*, in quo Deum adorarent, non euntes in Ierusalem, propter iudæos eis infestos. Quare oportet dicere in eo monte *Garizim*, non fuisse oblatum Isaac; sed prope Ierusalem, vbi factum est iudæorum templum. Lege 2. Machab. c. 6. & reperies ab impio Antiocho Templum Ierosolymitanum Ioui Olympio, Garizitanum Ioui hospitali fuisse dicatum. Idem S. Doctor quærens, vtrùm adoratio requirat determinatum locum, [l] docet insinuasse Dominum Ioann. 4. per illa verba, *venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem*, cessationem adorationis, tàm secundùm ritum iudæorum adorantium in Ierusalem, quàm etiam secundùm ritum Samaritanorum adorantium in monte *Garizim*, vterque enim ritus cessauit, veniente spirituali Euangelij veritate, secundùm quam in omni loco Deo sacrificatur; Malach. 1.

L 22. 83. 1.

VERSVS IX. *Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem*.

Consonat sacer textus ijs quæ traduntur in prima secundæ citata; quia populus primò fuit 7
in deserto, non habens certam mansionem: postmodum autem habuerunt varia bella cum finitimis gentibus: vltimo autem tempore Dauid Regis, & Salomonis, populus ille habuit quietissimum statum; & tunc primò ædificatum fuit templum. Locus autem ille, in quo erat ædificandum, designari non debuit ante tempus prædictum, propter tres rationes, quas Rabbi Moyses assignat. Prima, ne gentes appropriarent sibi locum illum. Secunda ne gentes ipsum destruerent. Tertia ne quælibet tribus vellet habere locum illum in sorte sua, & propter hoc orirentur lites, & iurgia: & ideò non fuit ædificatum templum, donec haberent Regem, per quem posset huiusmodi iurgium compesci. Tu hinc animaduerte sacri textus circumspectionem; neque enim quisnam sit designandus locus aperit, neque in qua tribu: *ad locum*, inquit, *quem elegerit Dominus Deus de cunctis tribubus vestris*. Sic sequitur D. Thomas; per templum, quod erat fixum & stans, significabatur status futuræ vitæ, quæ omnino immutabilis est; & propter hoc in ædificatione templi dicitur quòd *non est auditus sonitus mallei vel securis*, ad significandum, quòd omnis perturbationis tumultus, longe erit à statu futuro. Per Templum etiam à Salomone constructum significatur status nouæ legis, vnde ad ædificationem eius, non sunt operati soli iudæi, sed etiam gentiles, scilicet Tyrij & Sidonij. Tu considera, quomodo hæc requies statim versu 10. magnificatur, *vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, & absque vllo timore habitetis*. Concinit Salomon in Prouerbijs c. 1. *qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato*. *Festinemus ergo*, Hebræor. 4. *ingredi in illam requiem*.

Præmissum est autem de comestione & epulo; (Audi iterum D. Thomam) [m] non quod in 8
illo finali bono corporalibus cibis Sãcti vtantur; quia [n] de cibo corporali & potu non potest intelligi: sed quia vt ait Cyrillus, ex ijs quæ apud nos sunt, spiritualia designantur: Prouerb. 9. *venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*. Ecclesiastici 14. *cibabit illum Dominus pane vitæ & intellectus*. Tobiæ 12. *ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor*. Ex quo idem Sanctus Doctor; [o] omnes illæ corporales promissiones, quæ in Scriptura

M op. 2. p. 2. c. 9.

N 1. cont. G. c. 51.

O p. 2. 4. 7. 1.

con-

continentur, sunt metaphoricè intelligendæ; scilicet per cibum & potum intelligitur delectatio beatitudinis, Lucæ 22. *vt edatis & bibatis super mensam meam*: per diuitias Matt. 6. *thezaurizate vobis thesauros in cælo*; sufficientia, qua homini sufficiet Deus: per Regnum, Matthæi 25. *venite benedicti Patris mei possidete Regnum*, exaltatio hominis vsque ad coniunctionem cum Deo: secundùm quòd in scripturis solent spiritualia per corporalia designari: vt ex ijs quæ nouimus, ad desiderandum incognita consurgamus, sicut Gregorius dicit in quadam homilia. Hoc ipsum tradit luculenter alibi [b] dicens; excluditur error Iudæorum & Saracenorum, qui ponunt, quòd in resurrectione homines cibis, & venereis vtentur, sicut & nùnc. Et post multa, inquit, Auctoritates verò quæ ciborum vsum post resurrectionem repromittere videntur, spiritualiter intelligendæ sunt: proponit enim nobis diuina Scriptura intelligibilia sub similitudine sensibilium; & secundùm hunc modum, delectatio quæ est in contemplatione sapientiæ, & assumptio veritatis intelligibilis in intellectum nostrum, per vsum ciborum in Sacra Scriptura consueuit designari. Et in 3. priùs allato claudit c. 51. in hæc verba: super mensam ergò Dei manducant & bibunt qui eadem felicitate fruuntur qua Deus felix est; videntes eum illo modo, quo

a Ps. 49 Deus videt se ipsum. In psalm. etiam ibi, [a] *nunquid manducabo carnes Taurorum*, ait; eadem est refectio Sanctorum & Dei: sancti reficiuntur ipsius amore, & Deus in fruitione sui ipsius. Item Matthæi 25. ibi, *intra in gaudium*, exponit ly, *super mensam meam*, idest, vt sitis beati in quo sum beatus. Meritò ergo hic legimus, *epulabimini coram Domino*.

VERSVS XV. *Sin autem comedere volueris* &c.

9 Dat Dominus, vt in proprijs oppidis, carnibus vescantur vt libet, siue mundis siue immundis; quod periphrasi Vulgatus exponit, *de immundo, hoc est, immaculato, & debili*; non de immundo simpliciter, aliàs vetito. Hanc comedendi in oppidis facultatem limitat versu 17. vt non habeat locum in decimis, & primogenitis, & primitijs selectis Domino: nisi fortè postquam dilatasset Dominus eos; tunc enim eo quòd procul esset locus immolationis & oblationum, fas erat, etiam destinata iuxta præceptum Domini, occidere, & comedere, vt patet vsque ad versum 21. Nonnullæ circunstantiæ comitantur isthæc præcepta, puta de effundendo sanguine, de Leuita asciscendo: quæ quoniam in littera satis patent, expendentur mox mysticè Deo largiente. Sanè mirum videtur, voluisse Dominum esse solicitum de danda eis facultate, vt comederent debilia etiam animalia, ægra, manca, mutila: cùm enim fuissent alia immunda simpliciter dumtaxat prohibita Leuitici 11. & de his quoque infra c. 14. superuacaneum primo intuitu apparet, relaxari licentiam, & libertatem, quam præhabebant, de immundis in ordine ad sacrificia dumtaxat; cuiusmodi erant maculata & debilia. Excipiebantur species quædam sicut Cameli, lepores: de qualitate non fiebat sermo; ergo non suberat causa, ex qua concederetur debilium esus expressè: regula satis innotescebat ex exceptione; nàm *exceptio*, in iure, *firmat regulam in contrarium*. Censendum est itaque sine dubio latere allegoriam. Pro cuius intellectu recolere necessum est; Templum, cuius locus designandus adhuc occulitur, prout dictum est, militantem etiam præfigurasse Ecclesiam. Quare si de gloriæ epulis tactum fuerat, debuit & de alimento gratiæ non subticeri. Ecclesia conflanda erat ex Gentibus, & ex Iudæis. Gentes nullatenùs Iudæorum legibus erant obstrictæ. Ad has typo reor dici versu 15. *Sin autem comedere volueris* &c. *occidè & comede iuxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in vrbibus tuis*. Innotescit satis de gentibus esse ænigma: non solùm quia benedictio id indicat, dicente Apostolo ad Galat. 3. *vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret*; sed etiam, ex eo quòd adijcitur, *siue immundum fuerit, siue mundum*: vbi quamquam ita possit transferri; attamen, ex vi hebraicarum litterarum sonat etiam, *siuè immundus fuerit, siue mundus*; vt Noster versu 22. legit, & vtrobique reddunt Chaldæa & Septuaginta. Si ergo ly *immundus*, non suprà epulum, sed super personam cadit absque extorsione litteræ, quid prohibet ad Ecclesiam ex Gentibus referre? vt præluderet amphibologiæ studio, cessationi aliquando futuræ immundorum secundùm legem: quemadmodum ait Apostolus Rom. 14. *scio*, & *confido in nomine Iesu, quia nihil commune per ipsum*. Et 1. ad Timoth. 4. *omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. De quo immundo Isaias c. 52. *quia non adijciet vltrà, vt pertranseat per te incircumcisus & immundus*. In suis vrbibus ergo comedentes, adoraturi etiam significantur Dominum *de loco suo*, vt ait Sophonias c. 2. *omnes insulæ Gentium*. Psalmo 21. *& adorabunt in conspectu eius, vniuersæ familiæ Gentium*.

Verùm in Ecclesia militante libera comestio, est participatio Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini; de qua Augustinus Tract. 10
26. in Ioannem; *hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere*. De hac etiam manducatione, quæ spiritualis est, D. Thomas; *isto modo* [a] *omnes saluati ab origine mundi manducauerunt*, & *saluandi manducant. Omnes eandem* (1. Cor. 10.) *escam spiritualem manducauerunt*; idest, omnes boni veteres in manna cibum inuisibilem, scilicet Christum, spiritualiter intellexerunt, crediderunt, gustauerunt: Ideo non inconuenit, id etiam in præsenti significari per occidenda in genere & comedenda; *occide*, & *comede*. *Crede & manducasti*, ait Augustinus. Et Tract. 15. in Ioan. *inuenimus virtutem Iesum, & inuenimus infirmum Iesum: fortem & infirmum*. Quidni ergò, & hìc susceptæ naturæ debilitas præfiguretur, in immundo seu debili; & virtus diuinitatis, in integro, & sine macula? *Speculum sine macula*: in spirituali siquidem comestione, secundùm vtramque naturam à fideli assumitur. Ibidem autem S. Doctor de perfectis, quia manducant spiritualiter, tria declarat; inter quæ primò ponitur appetitus: debemus esurire spiritualiter, Christum cibum nostrum, ardenter desiderando; Iob 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det, vt de carnibus eius saturemur?* quasi optabant, & desiderabant saturari: Ecc. 24. *qui edunt me, adhuc esurient*: Et ecce hìc tangi; *sin autem comedere volueris*,

a R. Op. 58. 18. & 19. Et vide 3. p. q. 80. a. 1. & 2.

lueris,

lueris, & te esus carnium delectauerit. Paulò post edisserit delectationem, quæ comitatur spiritualem huiusmodi cibum; Isaiæ 55. *audite, audientes me; & delectabitur in crassitudine anima vestra*; idest, in dulcedine spirituali. Interiectum est autem de masticatione: 'debemus autem spiritualiter masticare totum Christum, scilicet membra & caput: hùc facere videtur ly *occide*, & *comede*; vides enim, memoriale mortis Domini esse Sacramentum, spiritualiter etiam degustatum. Sed quoad membra ait S. Doctor; perfecti Sanctos masticant mortuos, vitam eorum ad imitandum considerando. Matthæi 22. *Ecce prandium meum paraui; tauri mei, & altilia occisa sunt*. Tauri sunt prophetæ & Apostoli, qui fortitudine fidei, quasi cornu, Principibus mundi restiterunt; & ab eis passi, virtutum nobis exempla reliquerunt. Altilia ab alendo dicta sunt: pinguia sunt volatilia; & significant Sanctos interna charitate saginatos; & contemplationis penna, alta petentes. *Occisa sunt*; vel ab eo quod per pœnitentiam egerunt; vel per mortem carnis iam in requie posita. Hæc nobis sunt spiritualiter masticanda, idest ad imitandum diligenter consideranda. Post hæc adnectit textum cap. 14. præsentis, veluti additamentum; *omne quod mundum est comedite: quicquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo: omne mundum*; idest, honestis verbis & moribus comedite, in corde ponite imitandum: Quod autem morticinum est, idest peccato contaminatum, ne vescamini ex eo; consentiendo, vel idem faciendo.

11 Additur in littera; *sicut capream, & ceruum*, licere cætera comedere etiam debilia, seu maculata. Cur rogo de caprea & ceruo exemplificat, selectis inter tot alia, concessa proximo quartodecimo capite? Puto, quia specialiùs per duo illa præfiguratus est Christus; de quo in Canticis, *similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*: & iterum, *assimilare capreæ hinnuloque ceruorum*. Caprea, vt refert ibi Angelicus, [S] subtiliter videt, & Ceruus agiliter currit, quod ait glossa; subtiliter nostros defectus intuendo, & agiliter commiserando. Ex quibus arbitrari fas est, idcirco memorari in similitudinem capreæ & cerui; quia, prouidentia supernaturali, visa hominis lapsi miseria, venit *saliens in montibus, transiliens colles*; vbi Bernardus Serm. 54. *Dominus tecum volauit & præuolauit super pennas ventorum. Victus es Archangele, transilijt te qui præmisit te*: & Richardus de Sancto Laurentio l. 1. de laudibus Virginis; *nimio peruolans desiderio, præuenit nuncium suum ad Virginem*.

S Cant. 2. & 8.

VERSVS XVI. *Absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram, quasi aquam effundes*.

12 Quibus de causis esus sanguinis vetaretur, alibi pluries dictum est. Genesis 9. Exodi 29. versu 22. Leuitici 4. versu 32. c. 7. v. 26. & c. 17. v. 30 nullibi tamen reperio, qualificari vt hìc sanguinis effusionem, *quasi aquam* inquit *effundes*. Quod & iterum v. 24. *& super terram fundes quasi aquam*. Sanè de Interfectione seruorum Dei ait psaltes ps. 78. *effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Ierusalem*: in quo agnoscit Eminentissimus Turrecremata, copiam sanguinis ac vilipendium: quæ certè etiam quadrant Christo. *Verè* (Bernardus) *copiosa Christi redemptio; quia vndam sanguinis per quinque partes corporis largiter effudit; cum vna gutta sufficeret; sed data est copia, vt magnitudine muneris, virtus innotesceret diligentis*. Et Chrysost. *consuetudo erat, vt condemnatus non denudaretur, nisi vilissimus homo; ideò, quo magnam contumeliam inferrent ei, denudauerunt ipsum*. Cæterùm iuuat recolere ex D. Thoma, [T] potissimam vnam rationem effusionis sanguinis fuisse, quia per hoc significabatur effusio sanguinis Christi. Quid mirum ergo, si effunditur vt aqua? *exiuit*, aperto latere, *sanguis & aqua*. Io. 19. De hoc [V] ait, de latere Christi fluxit aqua ad abluendum, sanguis autem ad redimendum: sanguis [X] fusus est in remissionem, aqua in lauacrum. Super illa verba Ioannis 13. *misit aquam in peluim*, glossa, [A] *sanguinem in terra fudit, & cœpit lauare pedes discipulorum*; quia scilicet sanguine Mundum mundans, nos fecit pulchros, & Deo gratos: *dilexit nos*, Apoc. 1. *& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Et c. 7. *lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni*. Et ad illud Isaiæ 12. *haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*; idest, de vulneribus Iesu Christi [B] sanguinem spiritualem, ad sitim malorum extinguendam, per piam passionis meditationem. Tandem anteriori in capite 30. hæc habet: potus sanguinis Christi [C] vt significatur per aquam, tres habet effectus in anima fideli: arida eius humectat, & coniungit; Isaiæ 44. *effundam aquam super sitientem, & fluenta super aridam*: vt scilicet anima quasi puluis arida, ad fontalia defluа, & ad malum prona, potu sanguinis Christi perfusa coniungatur, conglutinetur, & roboretur ad bona: refrigerat prauæ sitis ardorem ps. 77. *percussit petram & fluxerunt aquæ*. Item cibum verbi Dei ad membra vehit &c. In sermone etiã; [D] sanguinem suum fudit in pretium simul ac lauacrum, vt redempti à miserabili seruitute, à peccatis omnibus mundaremur.

T p. 2. q. 102. a. 1. 8.
V 3. p. 66. a. 3. 1.
X Opusc. 58. 27.
A Op. 58. 28.
B Op. cit. c. 31.
C Op. cit. c. 30.
D Op. 57.

VERSVS XVI. *Non poteris comedere in oppidis tuis, decimam frumenti, vini, & olei tui &c.* 13

Etsi liceat fidelibus in suo vniuscuiusque domicilio, fide spiritaliter manducare; tamen cum de sacrificio agitur, adire necessum est sacrarium. Et quia est Sacramentum pignus futuræ gloriæ, iuxtà quod in Collecta dicitur; *fac nos quæsumus Diuinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis, & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat*; ideo ad illam sanctam signandam societatem, commune indicitur conuiuium; tu, *& filius tuus, & filia tua, & seruus & famula*. O res mirabilis! manducat Dominum pauper seruus & humilis. *O Sacramentum vnitatis!* ait Augustinus. Primi Regum 21. respondit Sacerdos ad Dauid; *non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* Et respondit Dauid Sacerdoti, *si de mulieribus* (hoc est *de vxoribus*, vt Hieronymus interpretatur) *agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius* &c. *dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem*. Hac de causa crediderim omitti de vxore sermonem, neque enim dicitur, *tu & vxor tua*; sicut & suprà v. 12. (quod fertur ad gloriam) nulla fit mentio mulieris, quia *in resurrectione erunt homines sicut Angeli Dei, non nubent neque nubentur*, Matthæi 22. Et per hoc excluditur error Iudæorum, & Saracenorum,

qui ponunt quòd in resurrectione, non solùm cibis, sed & venereis vtentur, sicut & nùnc: de quo, loco cit. 4. contra G. c. 83. D. Th. Atqui non ita subticetur *Leuites*, quia sacerdos est qui *consecrat, & sacra dat: Sic sacrificium istud instituit, cuius officium committi voluit, solis presbyteris, quibus sic congruit, vt sumant, & dent cæteris. Caue*, subdit, *ne derelinquas Leuitem in omni tempore, quo versaris in terra*. Suprà versu 12. *Leuites* itemconuiua esse decernitur: sed alia videtur ex causa, quia non habet aliam partem, & possessionem; vnde pars eius est Dominus, vt dictum est. Vtrobique autem apponitur ly *coram Domino*; quod spiritualem refectionem designare videtur; sicut in psalmo 21. ibi *& adorabunt* [E] *in conspectu eius*, deducit S. Doctor accipi de spirituali cultu: spiritu quippe & tollimur, & sumus coram eo.

E ps. 21.

14 VERSVS XX. *Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos.*

Dilatatos fuisse terminos populo spiritaliter Israelitico, quando *in omnem terram exiuit sonus Apostolorum*; de quo in ps. 2. *postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, constat: vnde & ipse *parietem maceriæ* Ephes. 2. dicitur soluisse; quo veluti claudebatur Iudæis limes, ne Gentibus commiscerentur: Et sic ad Galatas 3. *priùs quàm veniret fides, sub lege custodiebantur conclusi*. S. Thomas Ephesior. 2. nuper allato; [F] paries maceriæ lex vetus est; Christus *duos condidit in semetipso, in vnū nouū hominē faciens pacē*; & duos populos, Iudæos & Gentiles fecit vnū populum. Hâc censeo esse, de qua in præsenti dilatationem. Et adnecte quod sequitur in textu.

F Ephes. 2 l. 5.

VERSVS XXI. *Locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus, vt sit nomen eius ibi; si procul fuerit* &c.

Mirè Apostolus concinit vt vidimus dicens, *vt duos condat in semetipso in vno nouo homine*. Et pergit in hæc verba, *euangelizauit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem his qui prope*. Gentibus aptat S. Doctor ly longè; Isaiæ 33. *audite qui longe estis, quæ fecerim, & cognoscite* &c. ly prope, ad Iudæos refert. Facta hac populi vtriusque in Christo vnione, impletum est Isaiæ vaticinium 54. capite; *Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi: filij tui de longè venient*, Isaiæ 60. & ps. 72. *quia ecce qui elongant se à te, peribunt*. Ex hac locorum mundi totius intercapedine, extinctionem legalium victimarum, quasi occasionem nactus, hic Moyses prænunciat; dicens de ijs quæ præceperat, vt comederent in oppidis suis, vt sibi placeret: *sicut comeditur caprea pariter & ceruus*, (quæ non offerebantur) *ita vesceris eis; & mundus & immundus in commune vescentur*. Quid clarius? Incommoda itineris, cuius gratia litteraliter id conceditur, differt exaggerare propterea vsque ad caput 14. vt hic altius quid sapiamus. Capite 14. *Cùm longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus* &c. *nec potueris ad eum hæc cuncta portare; vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tua* &c.

VERSVS XXVI. *Quæ autem sanctificaueris, & voueris Domino*.

Non exprimit de sanctificatis, aut deuotis Domino, quemadmodum fit capite 14. de pretio retracto; *& emes ex eadem pecunia, quicquid tibi placuerit, siue ex armentis, siue ex ouibus, vinum quoque & siceram*: non exprimit inquam, quatenus innuat futurum esse, vt Deus specialia animalium sacrificia non curet; quia vt ait Apostolus Hebræor. 10. *vna oblatione, Christus Dominus consummauit in sempiternum sanctificatos*.

VERSV XXVII. *Sanguinem hostiarum fundes in altari; carnibus autem ipse vesceris.*

Suffragatur hactenus dictis, (ex quibus Eucharistiæ Sacramentum, immo sacrificium, in quo, incruento ritu perseuerat oblatio Crucis habetur) Angelicus noster; Qui in opusc. [G] 58. ait; quare populus non accipit sanguinem sub specie vini, sicut Sacerdos? Huius triplex est ratio. Prima est ad habendum vas congruum huius sanguinis contentiuum; sicut enim vinum, vas specialius & diligentiùs præparatum, in quo seruetur, exigit, quàm panis; sic sub specie vini sanguis Christi sumendus solis sacerdotibus conceditur, tanquam vasis Domini, ad hoc specialiter consecratis, sacra religione constrictis, & virtutum pulchritudine, excellentiùs præornatis. Hinc triplici vasi electo comparantur in Scripturis, scilicet altari consecrato, crateræ ligatæ aureo scypho. De primo, Deuteronomij 12. *carnibus hostiarum ipse vesceris, sanguinem in fundes in Altari*; idest committes sacerdoti, qui debet esse vas specialiter consecratum & sanctum, & Altare dignum, ad suscipiendum sanguinem Domini. Glossa Exodi 30. *Altare holocausti significat vitam iustorum, qui carnem suam quotidie crucifigunt cum vitijs, & concupiscentijs, atque in hostiam Deo viuentem offerunt*; Roman. 12. *Altare holocaustorum est fides pura, doctrina recta, & conuersatio bona Christi ministrorum*, ps. 33. *Altaria tua Domine virtutum* &c. quasi dicat, ô quàm sancta, quàm ornata, quàm dilecta debent esse sanguinis Christi vasa! hæc D. Thomas, qui pergit deinde alias duas enucleare similitudines vasorum redolentium Sacerdotem.

G op. 58. 29.

Occasione expositionis præsentis textus non fuerit inutile nonnulla colligere circa Eucharistiæ communionē sub specie vini laicis interdictā. Sanè si Ecclesiæ primitiuæ ritum quæramus, negari nequit fuisse aliqualiter in vsu sub vtraque specie in Ecclesijs latinis, vt ait D. Cyprianus in Epist. 17. de lapsis. Quapropter refert Caiet. 3. p. q. 80. a. 12. q. 3. consueuisse D. Cyprianum Martyres Dominico poculo præconfortare. Et pretereà in ordine Cisterciensi alicubi ita factum fuisse. Quod argumento videtur esse, nec ad tempus illius ordinis, dimissam fuisse omnino talem etiam per calicem communionem. Sed quamuis id libenter concedatur, nunquam tamen probabitur fuisse vniuersalem consuetudinem; quia Hierosolymis, vbi erat magna multitudo fidelium cum sanctis Apostolis, *erant* Act. 2. *perseuerantes in communicatione fractionis panis*. Nulla fit mentio de potu. Et iterum quamquam facilè à quibusdam detur de Corinthiorum Ecclesia, non ijs ego omnino subscripserim; tùm quia c. 10. differenter Apostolus loquitur de pane & de calice: *calix benedictionis cui benedicimus* non dicit quem propinamus, sicuti statim de pane, adiecit, *quem frangimus* & cap. 11. *conuenientibus ergò nobis in vnum, iam non licet Dominicam cœnam manducare; vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad* 15

man-

manducandum: Vbi exprimit de manducatione dominicæ cœnæ conuenientibus populis, nihil de potu; dolens de præmissa profana comestione, quasi prouerbio: *alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Neque enim cum de Sacramento ageretur deerat verbum bibitionis aut potus: quod immo statim vsurpat de profana cœna subiungens; *nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?* Et preterea videtur consultò nullam intendere sub specie vini laicis sumptionem, dùm inquit, *tam non est*, idest non licet, *vobis dominicam cœnam manducare*. Scimus autem ex eodem Sancto Apostolo ibidem, Christum Dominum calicem consecrasse, *postquam cœnauit*. Et ad meditationis meæ confirmationem repetit strictè in fine capitis; *cum conuenitis ad manducandum*, non dicit, & ad bibendum.

Neque obstat, quòd eodem in capite 11. legamus; *itaque quicumque manducauerit panem & biberit calicem*: & iterum, *& sic de pane illo edat, & de calice bibat*; intendit enim Apostolus perterrefacere, & commonere, cuiuscumque status & conditionis homines, tàm sacerdotes quàm laicos; ad Ecclesiæ namque instructionem scripta est epistola, & idcircò ait *quicumque*: propterea de Sacramento sub vtraque loquitur specie & panis & vini. Et sic posset absque vlla extorsione accipi, quod legebatur cap. 10. *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus*, respectiue scilicet; nam in tota Ecclesia, & de pane & de calice participatur; non dicit singuli qui de vno pane & de vno calice participamus, sed *omnes* collectiuè: & collectio iustorum de vtroque sine dubio participat. Non est ergo vbi vim faciat Lutherus; eo vel maximè quòd in exemplari Græcorum apud Roffensem in confutatione Assertionis Lutheranæ art. 16. non extat ly *& de vno calice*: vnde & vulgatæ exemplaria nunc prodeunt correcta.

Fuerit ergo, demus, aliquarũ etiam Corinth. Ecclesiæ consuetudo, non item vniuersalis. Et ideo nullibi inuenitur præcepto aliquo Ecclesiastico roboratum, vt sub vtraque laicus communicaret. Ex quo fas est dicere fuisse tùnc temporis indultum, cuius contrarium nondum erat sancitum. Dixi *indultum*, quia perfectio sacramenti hoc non exposcit: cui satis est, vt ab eo à quo consecratur & perficitur, pariter consum-
H 3.p.80. 12. metur, vt tradit Angelicus.[H] Quare autem indultum sit? missis alijs, esse potuit ratio, probitas Christianorum primitiuæ Ecclesiæ eximia: quos Hieronymus præstantioribus nostri temporis cœnobitis comparat: dicente etiam Augustino 3. de doctrina Christiana, quòd *illi qui conuersi fuerunt ex Iudæis ad Christum in primitiua Ecclesia, quia proximi spiritualibus fuerunt, tàm capaces extiterunt Spiritus-Sancti, vt omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum ante pedes Apostolorum ponerent*: Et hoc cohæret rationi præmissæ ex Opusc. 58. quæ eo innititur, vt ex ijs quæ facta sunt, *inuisibilia Dei* intelligamus; & per similitudines corporalium rerum, diuina mysteria: *potui, ornatius nobiliusque debetur receptaculum*. Quod ergo specialiùs sacerdotibus instituit Dominus, largitatis indulgentia, siuit Ecclesia primæua, primis, verè *primis* opportunè tunc propinari, & decuit feruentia corda vinum salutis. Hanc prætendunt præ alijs, causam communionis antiquæ sub vtraque specie & Caiet. 3. p. q. 80. a. 12. ad finem quæstionis 3. & Magister Ioannes Bunderius à Gandauo in compendio suæ concertationis Titulo 21. a. 3.

Verùm quemadmodum ait Origenes in Isa- 16
iam Hom. 5. *lege fidei manente, cætera iàm disciplinæ & conuersationis, admittunt nouitatem correctionis, operante scilicet & proficiente vsque in finem gratia Dei*. Audiamus ad rem quæ docet S. Doctor in opusculo. Ad sextum, inquit, dicen-
dum,[I] quòd quamuis illud præceptum; *in viam gentium ne abieritis*, fuerit post resurrectionem totaliter reuocatum; eoquòd primùm oportebat Iudæis verbum Dei loqui, & sic transire ad Gentes, vt dicitur Actor. 13. tamen hoc quod Dominus dixerat Apostolis, quòd non secum necessaria ferrent, non totaliter reuocauit in cœna, sed solùm tempore persecutionis, quando à persecutoribus necessaria habere non potuissent; vnde Lucæ 22. *quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis; sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter & peram* &c. Non eadem viuendi regula persecutionis tempore, qua pacis, discipulos informat: missis siquidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præcepit; ordinans scilicet, vt qui Euangelium nunciat, de Euangelio viuat: instante verò mortis articulo, & tota illa gente Pastorem simul & gregem persequente, congruam tempori regulam discernit, permittens necessaria victui, donec sopita persecutorum insania, tempus euangelizanti redeat. Quocircà vide p. 2. q. 108. 2. ad 2. vbi agnoscit cum Sanctis Patribus, statuta quædam temporalia Apostolis data tanquam paruulis: quæ opportunè remouit, postquam fuere sufficienter exercitati.

I.op.10.c 6 ad fine

In eodem opusculo declinando ad finem c. 4. hæc quoque docet. Quod ergò primò objicitur, quòd Romanæ sedis authoritas, non potest aliquid condere vel mutare contra statuta Sanctorum Patrum: dicendum, quòd verum est in illis, quæ statuta Sanctorum determinauerunt esse de iure diuino, sicut articuli fidei, qui determinati sunt per Concilia; sed illa quæ sancti Patres determinauerunt esse de iure positiuo, sunt relicta sub dispositione Papæ, vt possit ea mutare vel dispensare, secundùm opportunitates temporum, vel negociorum; sancti enim Patres in Concilijs congregati, nihil statuere possunt, nisi authoritate Romani Pontificis interueniente, sine qua etiam, nec Concilium congregari potest. Nec tamen Papa quando aliter aliquid facit, quàm à Sanctis Patribus statutum sit, contrà eorum statuta facit; quia seruatur intentio statuentium, etiam si non seruantur verba statutorum; quæ non possunt in omnibus casibus, & in omnibus temporibus obseruari: seruata intentione statuentium, quæ est vtilitas Ecclesiæ: sicut & in omni iure positiuo accidit, derogatur enim prioribus statutis, per statuta sequentia.

Hùc etiam perquàm nobilem referre iuuat
eruditionem ex D. Thoma 3. p. q. 66. a. 8. de 17
baptismi ritu, qui ex Diuo etiam Gregorio licitè, vel trina, vel vna perficiebatur immersione: siquidem, quod ait, diuersis ex causis, secundùm ordinationem Ecclesiæ, quandoque vno, quan-

doque alio modo institutus est. Quia enim à principio nascentis Ecclesiæ, quidam de Trinitate malè sentiebant, Christum purum hominem esse æstimantes, nec dici filium Dei, & Deum, nisi propter meritum eius, quod præcipuè fuit in morte; ideò non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi, & vna immersione. Quod reprobatum fuit in primitiua Ecclesia: vnde in Canonibus Apostolorum legitur; *Si quis Presbyter, aut Episcopus, non trinam immersionem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismale,* (quod à quibusdam dicitur in morte Domini) *deponatur*: non enim nobis dixit Dominus, *in morte mea baptizate*, sed *in nomine Patris, & filij, & Spiritus-Sancti*. Postmodum verò inoleuit quorundam schismaticorum & hæreticorum error, homines rebaptizantium: sicut de Donatistis Augustinus narrat super Ioannem: & ideò in detestationem erroris eorum, fuit statutum in Concilio Toletano, quòd fieret vna sola immersio: vbi sic legitur. *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismi immersionem*. Sed cessante tali causa communiter obseruatur in baptismo trina immersio: & ideò grauiter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non obseruans: nihilominus tamen esset baptismus. hæc D. Thomas.

Ex hac profunda solidaque D. Thomæ doctrina, gratis dato, fuisset etiam vniuersalis Ecclesiæ primitiuæ consuetudo, æquiualens iuris positiui statuto, nihil obesset quin absque calumnia, secùs posset decerni; nisi ostendatur de iure diuino sub vtraque specie communio; hoc enim semper est sectarijs probandum.

Igitur quoniam laudabiliter secundùm opportunitates temporum mutantur nonnulla, Pontificis iussu & authoritate, vt patet de abstinentia à suffocato & sanguine, de qua Actorum 15. & 21. quam non seruat Ecclesia; iuuat palam fieri, qua ex causa, seu potius quibus ex causis id factum sit. Potissima est, ne quid emergeret in tanti Sacramenti iniuriam: quod præcipuè posset accidere in sanguinis sumptione; qui quidem si incautè sumeretur de facili posset effundi;
L. 3 p. 80. 82. & quia creuit inquit S. D. [L] multitudo populi Christiani, in qua continentur senes & iuuenes & paruuli; quorum quidam non sunt tantæ discretionis, vt cautelam debitam circà vsum huius Sacramenti adhibeant, ideo proinde in quibusdam Ecclesijs obseruatur, vt populo sanguis sumendus non detur, sed solùm à Sacerdote sumatur. Hanc eandem causam tangit in opusculo,
M Op. 58. 59. [M] dicens; secunda ratio est vitandi periculum effusionis propter multitudinem quæ circà Altare comprimitur: hinc est quòd Dominus in cœna Apostolis paucis, & vt suis Sacerdotibus, non non solùm corpus in specie panis, sed & sanguinem in specie vini dedit: & multitudini hominum in deserto (Matthæi 14.) panem sine potu distribuit. Nota non intendere D. Thomam, distributionem huiusmodi in deserto sacramentalem fuisse, sed prouidæ circumspectionis patere exemplum, quod tamen mysticè ad cibum animæ referri potest: vnde fuerunt ibi paruuli, mulieres, & viri, idest incipientes, proficientes & perfecti, vt exponitur opusc. 58. 19. Non desunt tamen apud Authores casus plures communionis dumtaxat sub specie panis satis probabiles. Vt apud Roffensem de fractione panis discipulis euntibus in Castellum nomine Emaus. De Paulo, qui ex Chrysostomo nauigans, non solùm benedixit pani, sed de manu sua porrexit Lucæ & alijs. De Diuo Dionysio etiam, de quo traditur, quomodo Christus ipse ei Sacramentum hoc ministrauit sub sola panis specie. Quibus etiam pensatis, non fuerit mirum; si diu etiam ante Concilium Constantiense, inoleuerit consuetudo in Ecclesia laicis sub vnica specie. Præfatum autem Concilium Sess. 1. decernit, vt consuetudo, (quam de communione sub vna dumtaxat specie laicis exhibenda, tūc asserebant ab Ecclesia fuisse receptam) deinceps obseruaretur: inhibuitque Sacerdotibus cunctis, atque id sub excommunicationis pœna, ne quisquam eorum populum communicaret sub vtraque specie. Basiliense autem Sess. 30. inquit, laudabilis vel 13.
quoque consuetudo communicandi laicum populum sub vna specie, à Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenùs diutissimè obseruata, & a Doctoribus diuinæ legis, Sacrorum Canonum, atque sanctarum Scripturarum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda est; nec alicui licitum est, eam reprobare, aut sine authoritate Ecclesiæ, ipsam immutare. Scio & Constantiense Concilium, & Basiliense, non fugere Catholicorum etiam censuram, de quo Caietanus in opusculis Tract. 1. Tomo 1. cap. 8. & Tract. 2. parte 2. Apologiæ c. 11. Nihilominus deseruiunt saltem illorum decreta ad hominem contra Lutherum: & indicant consuetudinem illam, quam memorat D. Thomas quarundam Ecclesiarum, tractu temporis semper creuisse, factamque communiorem. Constantiensé celebratum est anno 1415. sub Ioanne 23. Basiliense, anno 1431. sub Eugenio 4. Non inconuenit propterea, vt in Ordine Cisterciensi qui florere cœpit tot ante sæculis, nimirum anno millesimo nonagesimo octauo, mos alius fuerit. Cùm ergo ex Augustino Epistola fundamenti contra Manichæos, *illud, securum sit asserere, quod in gubernatione Ecclesiæ Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, Vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est*: Et præterea Constantiense præfatum decreuerit velut hæreticos puniendos quicumque suæ Sanctioni, de communicatione sub vna specie, contradixerint, non video quomodo possit impius Lutherus temeritatis & hæreseos notas effugere. Mitto Nestorium, qui vt fert Caietanus 3. p. citata quæstione sua prima, contendebat necessitatem communionis etiam sub specie vini, eoquòd putabat sub specie panis, non esse per annexionem sanguinem, ceu qui fuerat separatus in morte.

Et ad Bohemos accedo atque Græcos, qui vnam pro se magnificant authoritatem Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*. Luthero locus iste nullatenus suffragatur, quoniam (vt obseruat Roffensis qui suprà) capitis illius sexti, nec verbum quidem vnum, ad hoc Sacramentum affirmat pertinere. Nihilominus Pelagius etiam astruens necessitatem sub vtraque specie, voluit id in-

ferri ex præsenti loco.

Hac in re non placet Caietani tùm 3. parte tum in opusculo phantasia, vt de Sacramentali manducatione nullatenus intelligatur Domini verbum, sed de purè spirituali manducatione. Agnosco quidem triplicem modum manducandi ipsum Christum: sacramentaliter solùm; sacramentaliter & spiritualiter simul, cum quis dignè accedit; & purè spiritualiter incorporando nos Christo, & eius mystico corpori, quod est Ecclesia. Agnosco inquam, quoniam de pura sumptione spiritali supra a. 2. huius quæstionis loquendo, Angeli ipsi dicuntur spiritualiter manducare Christum. Et de triplici hoc modó manducandi est Opusculi 58. caput 17. 19. & 20. Hæc loca quia non recoluit Caietanus; tanquam ipse primò excogitasset tertium modum spiritaliter purè manducandi, conatus est ipsum enucleare & suadere. Cęterum nequeo Caietano subscribere, vt authoritas ista *nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem* &c. intelligenda sit dumtaxat de purè spiritali manducatione, *nec re nec voto*, qualis est Angelorum; tùm quia, pro hac non oportuisset distinguere de carne & sanguine; cum sit Sacramentum hoc corporis & sanguinis; tùm quia, constat satis ex 3. p. q. 73. a. 3. esse necessarium ad salutem in voto; & hac ratione Apostolus inquit, *omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt:*

N p Cor. 10.l.1. *spiritualem*, [N] idest corpus Christi, in signo spiritualiter intellecto: & omnes eundem potum spiritualem biberunt, scilicèt Christi sanguinem in signo: & sic manducabant Christum spiritualiter secundùm illud Augustini super Io. Tractatu 25. *crede & manducasti*. Quod quidem scripserat priùs in opusc. [O] dicens, hanc virtutem Sacramenti crediderunt & gustauerunt spiritualiter, omnes saluandi, ab origine mundi; & quotidie gustant omnes boni Christiani: vnde Ambrosius; *non manducans manducat*. Adde D. August. Tract. 26. in Io: *visibilem cibum* (Aaron, Phinees & alij multi) *spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustauerunt, vt spiritaliter satiarentur*. Denique tam clarè S. Doctor Ioannis c. 6. Lect. 7. de corpore & sanguine Christi Domini in Sacramento illud accipit, *nisi manducaueritis carnem* &c. vt pudor sit, discipulum qui se facit ipsius, refragari.

O op.58. 17.& 19.

Duo pressere Caietanum; timuit enim & in opusculo, & 3. p. q. 80. a. 12. ne demeretur dignitati baptismatis, & sufficientiæ; de qua Dominus, *qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit*. Deinde, sibi videbatur vim pati, cogique fermè ad necessitatem communionis, promiscuè sub duplici specie. Sed prima difficultas tam planè à D. Thoma resoluitur 3. p. q. 73. a. 3. vt vel addere verbum sit redundantia. Necessum est, eo pacto habere Eucharistiæ Sacramentum in voto, quo necesse est fieri de mystico Ecclesiæ Corpore, cuius vnitas est res Sacramenti; & sicut finis est in desiderio & intentione incipientis: Et ita docet etiam infantes baptizatos, sicut ex fide Ecclesiæ credunt, ita ex intentione ipsius desiderare Eucharistiam; & sic recipiunt rem ipsius. Vnde Augustinus ipsemet ibi ad 1. *nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum Corporis Christi efficitur; nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat*. Vides lector, quomodo nihil baptismo deperéat: deperiret immo illi, si secùs esset, quia incorporaret Ecclesiæ fideles, neglecto vel contempto Ecclesiastico signo incorporationis. Hinc D. Dionysius relatus Lect. 7. citata in Io: docet, perceptionem cuiuslibet Sacramenti consummari debere in coniunctione Eucharistiæ, quæ est consummatio omnium Sacramentorum.

Secundam autem quæstionem soluit ibidem Angelicus, fassus, textum intelligi de Sacramento Eucharistiæ; non solùm Lectione illa 7. sed & 6. expendens ly, *panis, quem ego dabo: dabo*, quia nondum institutum erat hoc sacramentum: Soluit inquam, quia etiamsi non sumatur sub specie vini; qui communicat corpori, communicat etiam sanguini, cùm sub vtraque specie totus Christus contineatur, etiam quantùm ad corpus & sanguinem. Quod quidem proprietati verborum Saluatoris consonat, qui turbas Iudæorum allocutus, tanquam laicos, nihil de vino dixit, sed de pane dumtaxat; *& panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: erat daturus vtrumque, & panem & vinum Matthæi 26. *& accipiens calicem gratias egit, & dedit illis*; sed populo pollicetur dumtaxat *panem*. Neque adiecit, *nisi manducaueritis panem & biberitis calicem*; quod ad Sacramentum sub vtraque specie poterat referri: sed, *nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem*: quod attinet ad rem significatam simul & contentam, cuius, vnusquisque communicans sub sola specie panis, particeps est. Sic S. D. in opusculo, exponens illud Canticor. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi*. [P] Duo sumo, inquit, in botro; Vuam, scilicet corpus Christi in cibum, & ex vua sugo dulcem sanguinem in potum. Deuteronomij 32. & *sanguinem vuæ biberent meracissimum*. Certè qui comedit vuam quodammodo bibit; & ita qui sumit sub specie panis, comedit non solùm carnem, sed bibit & sanguinem.

Peropportunè autem hæc interserit Dominus, quia disciplinæ cœlestis magister, voluit nos edoceri, fideliter manere & carnem & sanguinem suum, sub altera specie: *Caro, cibus, sanguis, potus; manet tamen Christus totus sub vtraque specie*. Et hìc meritò adducitur ibi ab eo tertia ratio, ad præcauendum scilicet erroris periculum: si enim populus rudis acciperet sanguinem sub specie vini, vix crederet illum esse sub specie panis, cùm tamen veraciter sit sub vtraque specie.

At dices: error huiusmodi videtur irrepere potuisse etiam in primitiua Ecclesia, in qua plures creduntur communicasse sub vtraque specie: & in antiqua etiam, in qua inualuerat consuctudo, vt omnes (quod dat D. Thomas in ea Lect. 7.) etiam sanguini communicarent. Respondeo, tuendo hanc rationem, non item; quia in primitiua Ecclesia, non erat tantus credentium numerus, quin posset instrui de veritate & edoceri; eo vel maximè quòd in primordijs fidei, sancta anxietate semel tradita dogmata custodiebant: ideò crescente per vniuersum orbem

Ecclesia, factaque messe multa, operarijs paucis, expediens fuit, vt ipso Sacramenti in vsu, & ex vsu rudioribus, & fœmellis integritas fidei, communicato integrè Christo Domino, sub sola specie panis, firmaretur.

Neque dicas inoleuisse consuetudinem, vtriusque speciei, ad obtemperandum Christo Domino dicenti Matthæi 26. *bibite ex hoc omnes*: nàm ibi ad discipulos sermo est, vt claret ex cap. 14 Marci de eisdem Apostolis discumbentibus & manducantibus dicente, *& biberunt ex illo omnes*. Non ergo fuit id præceptum fidelibus laicis. Quapropter Sacrum Tridentinum Concilium Sessione 21. cap. 1. & Can. 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles, vtramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit*. Satis. Vide Exodi 24. n. 6.

VERSVS XXVIII. *Obserua & audi, quod ego præcipio tibi*.

Non esse sistendum in puritate litteræ docemur ex dictis; *obserua & audi*; *obseruare* enim & *audire*, animæ attentionem & cordis meditationem inuoluunt: mystica quippe sensa scrutari monet; Et innuit in capitis clausula, esse eiusmodi cæremonias significatiuas, proinde impletis significationibus extinguendas, dùm inquit, *nec addas quidquam, nec minuas*; quemadmodum suprà c. 4. *non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*: quia proprium est figurarum integrè obseruari, eo quòd vt ait Angelicus, [a] figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Q. 11. 103. 4. 4.

VERSVS XXXI. *Omnes enim abominationes quas auersatur Dominus fecerunt dijs suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni*.

De immolatione, incruento Sacrificio, in Altari peracta, vt vidimus tactum est: Quæ quidem verum est sacrificium agni immaculati, *qui tollit peccata mundi*. Consectarium erat, vt aduersari Dominum & Gentium carnificinas, & ritus dæmoniorum palam fieret. *Caue ergo ne imiteris eas*. Sed heu parùm profuit præcederet admonitio! *Commisti sunt inter Gentes* ps. 105. *& didicerunt opera eorum; & immolauerunt filios, & filias dæmonijs*: In noua autem lege non defuerunt qui præceptis neglectis Domini, symbola idololatriæ miscerent, impiè corrupto sacrificio; nàm vt fert S. Doctor [b] de Sacramentis Ecclesiæ; fuit error Cathaphrigarum, Præputiatorum, qui de infantis sanguine, quem de toto eius corpore, minutis punctorum vulneribus extorquebant, quasi Eucharistiam suam confecisse perhibentur; immiscentes eum farinæ, panemque inde facientes: quod magis (ait) est simile sacrificijs dæmoniorum, quàm sacrificijs Christi, secundùm illud ps. 105. *effuderunt sanguinem innocentem, quem sacrificauerunt sculptilibus Chanaam*. B. op. 5.

CAPVT XIII.

1 SI surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixe-
rit signum, atque portentum, 2 & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Ea-
mus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: 3 non audies
verba prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam
fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. 4 Dominum
Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem
eius: ipsi seruietis & ipsi adhærebitis. 5 Propheta autem ille aut fictor somniorum interfi-
cietur: quia locutus est, vt vos auerteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de Terra
Aegypti, & redemit vos de domo seruitutis: vt errare te faceret de via, quam tibi præcepit
Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui. 6 Si tibi voluerit persuadere frater
tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus,
quem diligis vt animam tuam, clam dicens: Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoras
tu & patres tui, 7 cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta, vel procul sunt, ab initio,
Iof. 17. b. 8. vsque ad finem terræ, 8 non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt mi-
sererearis, & occultes eum, 9 sed statim interficies: sit primùm manus tua super eum, & po-
stea omnis populus mittat manum. 10 Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstra-
here à Domino Deo tuo, qui eduxit te de Terra Aegypti de domo seruitutis: 11 vt omnis Is-
rael audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quippiam hujus rei simile. 12 Si audieris in
vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos:
13 Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ, atque dixerunt:
Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoratis: 14 quære solicite, & diligenter, rei ve-
ritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere per-
petratam, 15 statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac om-
nia, quæ in illa sunt, vsque ad pecora: 16 quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis
in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succende, ita vt vniuersa consumas Domi-
no Deo tuo, & sit tumulus sempiternus: non ædificabitur amplius, 17 & non adhærebit
de illo anathemate quidquam in manu tua, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, & mi-
sereatur tui, multiplicetque te sicut iurauit patribus tuis, 18 quando audieris vocem Domi-
ni Dei tui, custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, vt facias quod
placitum est in conspectu Domini Dei tui.

VER-

VERSVS I. *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat: &c. & euenerit, &c. non audies.*

1 Quo permaneant ad litteram in veri Dei fide firmi, præmonet de seductorum insidijs populum, prohibetque ex D. Th. p. 2. q. 100. a. 11. falsam doctrinam. Quamuis enim eueniat quod prædixere, non ideo eis acquiescendum. Hoc autem videtur primo intuitu contrarium Ieremiæ, qui c. 28. ab euentu contendit probari Prophetam, dicens: *Propheta qui vaticinatus est pacem, cùm venerit verbum eius, scietur Propheta, quem misit Dominus in veritate*, & ideò in Isaiæ commendationem Ecclesiasticus c. 48. *Vsque in sempiternum ostendit futura, & abscondita antequam euenirent.* Aliàs etiam infrà c. 18. de agnoscendo Propheta Domini, dicitur; *hoc habebis signum: Quod in nomine Domini, Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus; sed per tumorem animi sui Propheta confinxit:* Quare ab opposito, si euenerit quod prædicitur, videtur sentiendum.

Pro istorum elucidatione, adeamus necessum est D. Thomam, vt distinguatur de Prophetia, & de propheta: Propheta simpliciter is dicitur, qui per reuelationem diuinam prædicit aliquid; & hic, quoniam à Spiritu Sancto loquitur, nunquam falsum prænunciat, teste etiam Chrysost. & hoc pacto exponit illud libri huius c. 18. *quia si non euenerit, Dominus non est locutus.* Tene tu ergo, vbi contingit mentiri, Dei verbum non esse. Prophetia *secundùm quid*, esse potest à dæmone, quia cum importet cognitionem quandam procul existentem à cognitione humana; & intellectus malorum etiam Angelorum sit suprà intellectum humanum; quædam cognoscunt dæmones etiam sua naturali cognitione, quæ sunt remota ab hominum cognitione, quæ possunt hominibus reuelare; ex quo prophetæ dicuntur cum additione tamen; puta *prophetæ falsi, prophetæ idolorum.* Hæc ª ex D. Thoma. Ita hic nun-

A 12.171.5. cupatur Propheta, *fictor somniorum*. Igitur benè ait Moyses, non esse fidendum euentui; quia præuisus est, vel saltem esse potest, perspicacitate naturæ; ideo nec sapientes qui faciliùs id nouerunt, nec simplices qui ignorant, amoueri debent à proposito, aut vera fide.

Et si dicas de Ieremia, qui secus videtur docere; non ita est, quia Ieremias specialem quendam commemorat euentum, scilicet pacem, quæ à dæmone prænosci nequit tanquam ab hominum arbitrio & voluntate dependens.

B p.p.57.1. Quocirca recolendum est, ᵇ ab Angelis cognosci quidem futura, quæ ex necessitate ex causis suis proueniunt, per certitudinem; & quæ proueniunt, vt in pluribus per coniecturam; cæterum non ita casualia & fortuita: multo minùs, quæ pendent a voluntate & ratione, cùm cordis cogitationes, antequam erumpant in effectum aliquem, nesciant vt patet ibi artic. 4.

VERSVS III. *Non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, Vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.*

2 Tentare est propriè ᶜ experimentum su-

C p.p.114.2. mere de aliquo, vt sciatur aliquid circà ipsum; & ideò proximus finis cuiuslibet tentationis est scientia. Sed quandoque vlteriùs ex scienti
quæritur aliquis alius finis vel bonus, vel malu
bonus scilicet, sicut cùm aliquis vult scire qual
aliquis sit, vel quantùm ad scientiam, vel qua
tùm ad virtutem, vt eum promoueat: malus a
tem, quando hoc scire vult, vt eum decipiat v
subuertat. Deus tentare dicitur, vt sciat, eo mo
do loquendi, quo dicitur scire, quod facit alic
scire. Deut. 13. *vt palam fiat, Vtrum diligatis eum*
Quare ergo permissurus quandoque id sit Do
minus, aperit Moyses hic & D. Thomas. Pote
tamen exponi ly *tentat*, idest permittit vos ten
tari à Diabolo: Sed *fidelis Deus* (1. Cor. 10.) *q
non patietur vos tentari, suprà id quod potestis, s
faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possi
sustinere.*

Fas est hic autem grandem Moysi Philoso
phiam mirari, qui in huiusmodi tentatione in
quit, intendi à Domino, *vt palam fiat de dilectio
ne*. Non curat Dominus, vt palam fiat ingen
solertia, ad retundenda infidelium seducentiu
argumenta, etsi laudabile sit, quod ait D. Petru
1. c. 3. *parati semper ad satisfactionem, omni poscen
vos, rationem de ea quæ in vobis est, spe*: sed vu
fideles suos, roburque fidei clarere ex ipsius d
lectione. Quod innuit idem Apostolus præmi
tens, *Dominum autem Christum sanctificate in cord
bus vestris.* Itaque subinnuitur charitati potiu
esse tribuendam fidei firmitatem, & hac cont
fidei hostes pugnandum: hinc ad Ephesios 3.
*det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtutem co
roborari per spiritum eius, in interiori homine, Chr
stum habitare per fidem in cordibus vestris, in charit
te radicati & fundati* 1. Corinth. 13. *charitas o
nia credit, omnia sperat*: & ideo subdit, *vt pos
tis comprehendere*: vt ostendat, inquit S. Doct
ᵖ corroborationis per fidem & charitatem, fr
ctum, qui est quædam cognitio. Ægrè autem s
paratur à Deo, qui est in charitate; facilè qui s
ne charitate fidem habet; quia fides informis
docet, ª vnit secundùm quid, & non simplic
ter Deo.

VERSVS IV. *Dominum Deum vestru
sequimini &c. ipsi seruietis; & ipsi adhærebitis.*

Tanguntur nonnulla, quæ dilectionis D
sunt argumenta; qualia sunt, sequi Dominun
timere separationem ab illo, mandata ipsius cu
stodire, & audire vocem eius. Ecclesiastici 2
gloria magna est sequi Dominum ibidem 25. *Tim
Dei, initium dilectionis eius*, & ante c. 2. *qui tim
tis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur co
da vestra*, Io. 14. *si quis diligit me, sermonem meu
seruabit* & p. Io. 5. *hæc est charitas Dei, vt manda
eius custodiamus.* Ex quo legit D. Gregorius hon
30. in Euang. c. 2. eiusdem Epistolæ; *qui dicit, di
ligo Deum, & mandata eius non custodit, menda
est.* Denique adiecit; *& audite vocem eius*; iuxt
quod ait Dominus Ioan. 10. *oues meæ vocem me
am audiunt.*

Sequitur; *ipsi seruietis, & ipsi adhærebiti.*
Intendit post dilectionis Dei excursa signa, qu
munimine se tueantur à falsis prophetis, conan
tibus eos auertere à vero Deo: neque enim hor
tatur, vt acutis rationum telis impetant aduer
sarios; eoquòd, *fides non habet meritum, vbi hu
mana ratio præbet experimentum*: sed vt tanquan
scopuli, in medio mari, fiant inconcussi, fluct
bus etsi vndequaque percussi; *seruietis*, inquit

ipsi; ac si diceret, studeatis Domini Dei vestri facere voluntatem. Seruorum quippe est voluntatem Domini sui facere: de quibus Lucæ 12. *ille seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: Qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Seruietis* ergo *illi*; inde enim fiet, vt adhæreatis per fidem ipsi immobiliter.

Id apprimè manifestat Dominus Ioannis 7. quando, hinc & hinc de se dubitantibus: *quia bonus est: & non, sed seducit turbas*: non ad alium recurrendum monuit lydium lapidem, præter subiectionem deuotam ad Patris voluntatem; *si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar*: hæc est breuior feliciorque ad illi fideliter adhærendum, via; ipsius obtemperare mandatis, voluntatem eius facere; quod est, illi seruire; hoc enim est nosse Deum; dicente Ioanne p. c. 2. *& in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit, se nosse eum & mandata eius non custodit, mendax est*. Quod potest explicari, secundùm D. Thomam, [a] de notitia approbationis, & non simplicis speculationis. Contingit siquidem, ex eodem, [b] bifariam de re aliqua iudicari: vno modo per modum inclinationis, sicut qui habet habitum virtutis, rectè iudicat de his, quæ sunt secundùm virtutem agenda, in quantùm ad illa inclinatur: vnde & in 10. Ethicorum dicitur, quòd *virtuosus est mensura & regula actuum humanorum*. Alio modo per modum cognitionis, sicut aliquis instructus in scientia morali, posset iudicare de actibus virtutis, etiamsi virtutem non haberet. Primus igitur modus iudicandi de rebus diuinis pertinet ad sapientiam, quæ ponitur donum Spiritus-Sancti; secundùm illud p. Cor. 2. *spiritualis homo iudicat omnia*: & Dionysius dicit 2. cap. de diuinis nominibus; *Ierotheus doctus est, non solùm discens, sed & patiens diuina*. De quo idem S. Doctor; [c] in omnibus, ille qui rectè se habet, rectum iudicium habet circà singula: ille autem qui in se rectitudinis defectum patitur, deficit etiam in iudicando; vigilans enim rectè iudicat, & se vigilare, & alium dormire: sed dormiens non habet rectum iudicium de se, nec de vigilante; vnde non sunt res tales, quales videntur dormienti, sed quales videntur vigilanti. Et eadem ratio est de sano & infirmo, circà iudicium saporum: & de debili & virtuoso & vitioso, circà agibilia. Tu ergo collige, quomodo *si spiritualis iudicat omnia*, potest vnusquisque spiritualis, de quo Apostolus, iudicare de fide verà Dei dupliciter; vel quatenus illuminatur, & illustratur secundùm intellectum, vel quatenùs inflammatur secundùm affectum & voluntatem, vt idem ait Sanctus Doctor: qui pariter 22.45.a.2. & 4. docet; sapientiam, quæ est Donum Spiritus-Sancti, facere rectitudinem iudicij circa res diuinas, ex quadam connaturalitate siue vnione ad diuina, quæ est per charitatem: sicut per quandam connaturalitatem ad castitatem, qui habet castitatem iudicat de ijs, quæ ad castitatem pertinent. Et 2.2.39.a.1. ad 3. amissio charitatis, est via ad amittendam fidem. Videtur Moyses exposcere priùs inflammari affectum & voluntatem, in ly *ipsi seruietis*; ex quo fiat, vt fideliter, & immobiliter Deo adhæreatur. Sic D. Thomas opusc. 70. super Boetium de Trinitate quæst. 3. a. 1. lumen, inquit, fidei est quasi sigillatio quædam primæ Veritatis, in mente. Et hic habitus non mouet per viam intellectus, sed magis per viam voluntatis. Sic ps. 118. *adhæsi testimonijs tuis Domine*. Actorum 17. *quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt*: Et August. Tract. 27. in Ioan. *priùs hæreamus per fidem*.

p.Io.a

p.p.1.6 a1.

I p. Cor. d.1.

VERSVS V. *Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur*.

Fertur de morte seductoris sententia, prò merito ipsius malitiæ, & culpæ notoreitate. *Fictor somniorum* dicitur: quod, ex industria patrata ostendit delicta: voluit enim impius suam tegere impietatem, data opera simulando quod prophetis sanctis solet accidere; Numeri 12. *in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum* fingendoque naturæ peritia, opportuni temporis reuelationem; quia vt docemur, [d] impressiones spiritualium causarum, magis apta est anima humana suscipere, cum à sensibus alienatur. Meritò autem dicitur *fictor*; eoquòd, sicut nullus contra fidem facit vera miracula, cùm Deus non sit testis falsitatis, vt traditur [e] à Diuo Thoma, (licèt aliquis, habens malam vitam, posset) ita contra fidem, propheticum aliquod somnium esse nequit. Impius autem huiusmodi, palam deprehenditur reus; tùm quia de simili c. 18. legimus, *per tumorem* confinxisse; tùm quia paulò post, de alio seductore, *clam*, inquit, peccare primus, ergo de quo erudimur, palam deliquit. Quare cùm propria veluti confessione se se prodiderit: nihil opus est vestigari de culpa, sed solùm promulgari sententiam. *Interficietur. Ne contagione pestifera plurimos perdat. De ore tuo te iudico, serue nequam*. Lucæ 19. Ly *auferes malum de medio tui*; contagionem, & periculum signat multorum.

I p.q.86.4 a.

L 2.The. fal.a.L2.

VERSV eódem V. *Qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo seruitutis*.

Postquam satis cor fixum in Domino, docuit esse habendum, excolit illustratione intellectum, ne aberrare contingat à veri Dei fide. Sed nunquid ereptio de Pharaonis manu, tanti ponderis est beneficium, vt mereatur iterum versu 16. commemorari? vt hoc vno astruatur veri Dei fides! non equidem apud incredulos: vnde dicturos fuisse Ægyptios, introducit Moyses, etiam post eductionem; *non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat, idcircò occidit eos in solitudine*. Præterea, quare de hoc toties fit sermo, non potiùs de esca in deserto de qua psaltes; *memoriam*, inquit, *fecit mirabilium suorum*. &c. *escam dedit timentibus se*? Sed latet magnum mysterium in hac de Ægypto liberatione: nimirum Pharao in typum est diaboli, vt aliàs dixi: *erepti de durissimo*, canit Ecclesia, *Pharaonis imperio. Possidebat Diabolus* (Augustinus Tract. 52. in Io.) *genus humanum, & reos suppliciorum tenebat, chirographo peccatorum* &c. *per Christi autem fidem* &c. *per eius sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli*. Consonat his sacer textus; nam ly *de manu*, possessum innuit tyrannicum: & dùm subditur; *redemit vos de domo seruitutis*, ad peccatum referri oportet; quod seruitutem animæ inducit; Rom. 6. *serui estis eius, cui*

obe-

obeditis, *siue peccati ad mortem* &c. *fuistis serui peccati*; 2. Petri 2. *à quo enim quis superatus est, huius & seruus est*: Et ipse Dominus, Ioannis 8. cum dixisset Iudæis credentibus, *veritas liberabit vos* respondentibus illis, *semen Abrahæ sumus*, & *nemini seruiuimus vnquam; quomodo tù dicis, liberi eritis?* Respondit, *amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati*. Signanter etiam, videtur poni ly *de domo seruitutis*. Prima causa esse potest, ad insinuandam multiplicis seruitutis detentionem; in domo enim, *mansiones multæ sunt*. Præterquam autem omnes presserat seruitus peccati: præter seruitutem corruptionis, de qua Roman. 8. *ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum*
M Gal. 4. 1.8. *Dei*, erat seruitus Iudæorum; quia, vt docet ad Galat. [M] non erat eius cognitio libera, sed ancillaris, subiecta velaminibus figurarum. Erat seruitus timoris, qui enim timet, non ex se, sed ex alio mouetur, Rom. 8. *non accepistis spiritum seruitutis iterùm in timore*. Qui amat liberè ex se mouetur. Denique ijs, quos generabat lex vetus, tanquam seruis, dabantur munuscula temporalium promissorum; sicut in lege noua, filijs debetur hæreditas. Ioan. 8. *seruus non manet in domo in æternùm: filius manet in domo in æternùm. Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit*, Gal. 4. Lex noua etiam dicitur Iacobi 1. *Lex perfectæ libertatis*; de quo, D. Thom. p. 2. 108. 1.

5 Secunda causa est, vt intelligatur, quàm difficile esset, hominem de seruitute huiusmodi educere; ideo apponitur ly *de domo*. Scribit An-
N p. 2. 105 a. 4. gelicus; [N] domus est tutissimum vniuscuiusque receptaculum; vnde molestum est homini, vt in domo sua inuadatur. Hinc Iustinianus regula 103. *nemo de domo sua extrahi debet*: & lib. 4. Instit. Tit. 4. *grauissima æstimatur iniuria, domum alicuius, vi introitam esse*. Magnum ergo pondus habet, *de domo seruitutis*: neque per modum periphrasis scriptum est; sed ad signandam, (quod ait Damascenus in principio 3. libri de fide orthodoxa) *difficillimi pretij decentissimam solutionem*. Erat eripiendus & extrahendus homo, *de domo seruitutis*: vt destrueretur secundùm Apostolum Rom. 6. *corpus peccati, vt vltrà non seruiremus peccato. At nemo poterat aperire librum*,
O Apoc. c. 5. Com. 2. vt dicitur Apocalyps. 5. idest, (præter alia) [O] implere diuinam dispositionem, redimendo mundum. Nemo, neque in Cœlo vt Angelus; neque in terra, vt homo; neque subtùs, vt animæ iustorum exutæ; quia ante aduentum Christi, boni & mali descendebant ad inferos. Iob 17. *si sustinuero, infernus domus mea est*. Hinc scribæ & Pharisæi Marci 2. & Lucæ 5. audito a Domino; *Homo, remittuntur tibi peccata tua; cœperunt dicere, quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* certè ita res se habet: *Solus Deus* dare potest gratiam, qua deleantur peccata: *gratiam & gloriam dabit Dominus*: propterea adiecit Dominus Matthæi 19. sanato paralytico; *vade in domum tuam*. Quocirca, ne vacet mysterio ly *vade in domum tuam*, dicendum cum Ambrosio in Catena aurea Lucæ 5. *domum repetere suam, esse ad paradisum redire; ea enim est vera domus, quæ hominem prima suscepit; non iure amissa, sed fraude*. Vel, secundùm Augustinum, *in domum tuam*; idest; *in requiem secretorum cordis tui*. Ex quo fas est colligere, eousque aliena in domo fuisse propter peccata; *in domo* scilicèt *seruitutis*: non sua, quia omne peccatum contra naturam est, quatenùs ordinem rationis excludit; vt traditur in prima secundæ.

De hac *domo seruitutis* solus Christus Dominus poterat nos redimere: vnde S. Doctor docet, venisse ad liberandum hominem à seruitute peccati; quia homo purus satisfacere non poterat, pro toto humano genere: Deus autem satisfacere non debebat; vnde oportebat, Deum & hominem esse Iesum Christum: vnde & Leo Papa dicit in Sermone de Natiuitate; *suscipitur à Virtute infirmitas, à Maiestate humilitas; vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atque idem Dei, & hominum mediator, & mori ex vno, & resurgere posset ex altero: nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset verus homo, non præberet exemplum*. En ergo quo pacto suggeritur fidelibus modus, quo non auertantur per falsum quemuis prophetam, à vero Deo; dum vera Diuinitas, in eo qui redemerat figuratè de *domo miserrimæ seruitutis*, manifestè hoc ex vno clarescit; quia nisi *verus esset Deus, non afferret remedium*: Io. 1. *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Propterea vsus est Moyses verbo, *redemit*: ex quo, Redemptor humani generis signaretur. Et cùm posset similitudinibus alijs tyrannidem Pharaonis exprimere, (quemadmodum suprà exaggerat c. 4. v. 20. *de fornace ferrea Aegypti*,) semel & iterum, *de domo*, inquit, *seruitutis*: certè non nisi causis quæ suprà: ex quibus verus Deus est à fidelibus agnitus: sicuti è contrà, vt dicitur hic versu 2. & 6. *dij alij omnes fuere ignorati*. Propterea Ieremias in Oratione dolebat; *serui dominati sunt nostri; non fuit qui redimeret de manu eorum*. Videatur D. Thomas 3. p. q. 48. a. 4. & 5. Vbi de Redemptione, & Redemptore.

Sed dices. Vt quid ad deorum extraneorum explosionem vsurpat Moyses argumentum ab ignoratione? Deus etiam verus è contra fuit ignoratus. Ad Galat. 4. *sed tunc quidem ignorantes Deum*; 1. Thessal. 4. *sicut & Gentes quæ ignorant Deum*. Et similia. Respondeo; non mirum esse, ignoratum fuisse & verum Deum, ab infidelium cæcitate; sed diuersimodè ignoratos fuisse falsos Deos; quia quamquam colerentur sacrificijs diris ac victimis, solidum aliquod diuinitatis argumentum nunquam præbuere: Deuteronomij 32. *immolauerunt dæmonijs, & non Deo; dijs quos ignorabant*: vnde ibidem in exprobrationem legitur; *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant*, & *opitulentur vobis*, & *in necessitate vos protegant. Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus, præter me*. Sic Ieremiæ 2. *Vbi sunt dij tui, quos fecisti tibi? surgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ*. At ait psaltes: *oculos habent*, & *non videbunt*: proinde non prouidebunt: quare cum nec adoratione & cultu, flecti vnquam potuerint dij gentium ad veram aliquam idololatrarũ protectionem, marmorei ac lignei, ac *ignorati* dicti sunt. Hinc illud ebat Elias 3. Regum 18. Prophetis Baal, cum *non esset vox, nec qui responderet*, quamuis clamarent, & inuocarent Baal *voce magna*. Etsi autem impij ignorauerint verum Deum, tamen vt dicitur Eccl. 2. *quis inuocauit eum, & despexit illum?* neque enim

vanus

vanus est qui seruit ei: quod blasphemè dixerunt Malachiæ 3.

VERSVS VI. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ* &c.

Postquam de pseudoprophetæ punitione dictum est, in quo videntur præfigurari illi, qui extra Ecclesiam, fidei insultarunt: (qualis fuit actorum 13. *Bariesu, vir magus, pseudopropheta iudæus, plenus dolo & omni fallacia, quærens auertere Proconsulem à fide*: ex quo tanquam deprehensus in crimine cæcus factus est) transitur ad intentatam ab hæreticis seductionem: ideirco; *si frater*, inquit, *tuus filius matris tuæ*: neque enim defuerunt promiscui generis de gremio Ecclesię, qui errores gentium cunctarum, & hæreses disseminare conati sunt: de quibus Ioannes in 2. sua, *quoniam multi seductores exierunt in mundum*.

7 VERSVS VIII. *Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum*.

Non videtur hìc habere locum, quod docet Apostolus ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita*; neque enim capax correctionis est qui ex malitia *clam* alios pertrahere nititur in errorem: idcircò, cum sit huiusmodi infectiuus aliorum, prodi debet: quare nisi accusari possit ob testium defectum, vnde crimen nequeat probari, quod pertinet ad officium accusatoris; de quo in secunda secundæ: [a] tamen denunciari debet, non
22.68.1
occultari: nimirum, vt qua licet via obuietur scandalo: & quæratur qui in littera fructus, *vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quippiam huius rei simile*. Prouerb. 19. *pestilente flagellato, stultus sapientior erit*. Hinc ait D.
22 11.1.
Hieronymus relatus in articulo; [b] *Vtrùm hæretici sint tolerandi: resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit; sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est*. Vide tù, quomodo præscius concors est Moyses, *statim*, & ipse ait, *interficies*. Præsumit tamen lapidatio rei, (quæ præcipitur) conuictum esse, iuxta quod Hebræorum 10. dicit Apostolus, *irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus, moritur*; & Actor. 25. *non est consuetudo Romanis condemnare aliquem, priusquàm is qui accusatur præsentes habeat accusatores*: *Et tunc sic primùm manus tua super eum*, & *postea omnis populus mittat manum*. Verùm de simili delatione delicti, & consecutis iterum infra c. 17.

VERSVS XII. *Si audieris in vna vrbium tuarum* &c. *dicentes aliquos*. *Egressi sunt filij Belial* &c.

Alium procedendi modum, qui per inquisitionem dicitur, tangit; postquam serpsit, vrbemque cœpit aliquam idolorum cultus inficere: & rei veritate perspecta, supremum ei decernitur excidium, & euersio.

8 Pro vniuersæ vltionis huiusmodi honestate,
22.108.5.
iuuat semper recolere ex D. Thoma; [z] cùm tota multitudo peccat, posse de tota illa sumi vindictam: in paruulos autem exerceri diuino iudicio; tùm quia sunt res parentum, & in eis etiam parentes puniuntur; tùm etiam, quia hoc in eorum bonum cedit, ne si reseruarentur, essent imitatores paternæ malitiæ, & sic grauiores pœnas mererentur. In bruta verò animalia, & quascumque alias irrationabiles creaturas, vltionem pariter exerceri, quia per hoc puniuntur illi, quorum sunt; & iterum, propter detestationem peccati, vt dicitur loco citato a. 4. ad 3. Præsens autem littera, si nouæ legi, quæ est lex amoris, & in qua nullum propterea extat de inferenda morte præceptum, si inquam legi nouæ arridere debet, moraliter exponenda est; vt omnes peccati & relapsus reliquiæ & occasiones exterminentur: sicuti de euersione Ciuitatis Niniue ait Augustinus; *euersa est Niniue quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat: stantibus enim mœnibus, atque domibus, euersa est in perditis moribus*: quod memorat S. Doctor in 4. [y] Se- V 4 46.1.3.2.& Isa.12.18.
quitur autem. *Non ædificabitur amplius*. Quemadmodum de Iericho Iosue 6. imprecatus est; *maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho*: hic iubetur esse *tumulus sempiternus*, & non ædificari. In tumulo tandem solus remanet cinis; qui signum est pœnitentiæ: cinis desinit esse cum res suscitatur: *maledictus* ergo qui *suscitauerit*: hoc est, quem pœnitere desierit. De regressu ad vitia interpretatur D. Thomas cum Sanctis Patribus, [x] verbû X Galat.2.1.5.
Iosue, iuxta illud 2. Petri 2. *canis reuersus ad vomitum*. Vnde D. Hieronymus in Matthæum c. 20. & in ps. 86. *destruit Iericho qui abrenunciat Satanæ: reædificat vero, qui reuertitur ad vitia*. Cohæret his, quod dicitur suprà, filios scilicet *Belial auertisse habitatores vrbis suæ* &c. *Belial* vt recolit S. D. 2. Corinth. 6. idest *absque iugo*: quod & interpretatur Noster, Iudicum 19. Iugum subiectionem & obedientiam fidei D. Gregorio significat, dum inquit, *iam iugo fidei gentium colla subdidit*: sed pro mandatis etiam accipitur Matthæi 11. *iugum enim meum suaue est*. Quod vt apertiùs intelligatur, est tandem.

VERSVS XXVIII. *Quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta eius*.

Quid enim est hoc aliud, nisi, quod ait Iacobus c. 2. *fides sine operibus mortua est*? Animaduertere autem quomodo inquit, *custodiens omnia præcepta*, (in psalterio Decem chordarum, ps. 32.) inter quæ certè continetur mandatum de dilectione Dei, & proximi. Notat hoc aliàs D. Thomas [A]. Tunc sit quod *placitum est in con-* A p.2.100 10.1.
spectu Domini Dei, vt in textu dicitur: neque enim *placitum est Deo*, quod offertur cum macula. Et prætereà vbi ait Apostolus, [B] *vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem sanctam*, B Ro.12.1.1.
Deo placentem: placentem inquit S. D. per rectitudinem intentionis. Sanè quod placiturum est alicui, ad ipsum dirigitur. Idem ergo videtur *placitum* in conspectu Domini, atque omnia *in Dei gloriam* facere. *Dominus enim intuetur cor*: ex quo innotescat, spiritum Deo acceptum, non literam.

CAPVT XIV.

1 Filij estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, nec facietis caluitium super mor-
tuo, 2 quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo:& te elegit, vt sis ei in popu-
lum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram. 3 Ne comedatis quæ
immunda sunt. 4 Hoc est animal, quod comedere debetis, Bouem, & ouem, & capram,
5 ceruum, & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum. 6
Omne animal, quod in duas partes findit vngulam, & ruminat, comedetis. 7 De his autem
quæ ruminant, & vngulam non findunt, comedere non debetis, vt camelum, leporem, chæro-
grillum: hæc quia ruminant, & non diuidunt vngulam, immunda erunt vobis. 8 Sus quo-
que quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immunda erit. carnibus eorum non vescemi-
ni, & cadauera non tangetis. 9 Hæc comedetis ex omnibus, quæ morantur in aquis: Quæ
habent pinnulas, & squamas, comedite: 10 quæ absque pinnulis, & squamis sunt, ne come-
datis, quia immunda sunt. 11 Omnes aues mundas comedite. 12 Immundas ne comeda-
tis: aquilam scilicet, & gryphem, & haliæetum, 13 ixion, & vulturem, ac miluum iuxta genus
suum: 14 & omne coruini generis, 15 & struthionem, ac noctuam, & larum, atque acci-
pitrem iuxta genus suum: 16 herodium, ac cygnum, & ibin, 17 ac mergulum, prophyrio-
nem, & nycticoracem, 18 onocrotalum, & charidrium, singula in genere suo: vpupam quo-
que, & vespertilionem. 19 Et omne quod reptat, & pennulas habet, immundum erit, &
non comedetur. 20 Omne quod mundum est, comedite. 21 Quidquid autem mortici-
num est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da vt comedat, aut vende ei:
quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. Non coques hædum in lacte matris suæ. 22 De-
cimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos,
23 & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius
inuocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ouibus tuis:
vt discas timere Dominum Deum tuum omni tempore. 24 Cum autem longior fuerit via,
& locus, quē elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eũ hæc cuncta
portare, 25 vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tua, & proficisceris ad
locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: 26 & emes ex eadem pecunia quidquid tibi
placuerit, siue ex armentis, siue ex ouibus, vinum quoque, & siceram, & omne quod desiderat
anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & domus tua; 27 & Leui-
tes, qui intra portas tuas est: caue ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in posses-
sione tua. 28 Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo
tempore: & repones intra ianuas tuas. 29 Venietque Leuites, qui aliam non habet partem,
nec possessionem tecum, & peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt, & co-
medent & saturabuntur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum
tuarum quæ feceris.

VERSVS I. *Filij estote Domini Dei ve-
stri: non vos incidetis nec facietis caluiti-
1 um super mortuo.*

Leuitici 19. prædictum fuerat; *ne-
que in rotundum attondetis comam, nec radetis bar-
bam, & super mortuo non incidetis carnem vestram,
neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis.*
Item c. 21. *non radent caput, nec barbam, neque
in carnibus suis facient incisuras.* Et priùs etiam
Leuit. 10. legimus; *capita vestra nolite nudare:*
secundùm aliquos abradendo capillos, luctus te-
standi causa.

Pro quorum præceptorum intelligentia, di-
scrimen notare opus est: siquidem Leuitici 10. &
21. Sacerdotes alloquitur, hìc autem, & eius-
dem Leuitici 19. laicis etiam promiscuè vetitum
est. Sed adhuc differenter postremis his in locis,
dum in præsenti, præmittitur; *filij estote Domini
Dei vestri*; quod Leuitici 19. non extat: sicut de
sanctitate nil additur. Quare credendum est, ea-
tenùs tùnc prohiberi huiusmodi ritus, quatenùs
gentium erant cæremoniæ superstitiosæ: & hoc
erat communiter inhibendum. Sed nùnc specia-
liùs ad fidem populorum respicitur, quæ tem-
pore gratiæ fulgeret: & ideò de filiatione præ-
fatur; *filij estote*: Ioann. 1. *dedit eis potestatem filios
Dei fieri*: & quoniam iuxta illud Petri; *sumus
genus electum, gens sancta, regale sacerdotium*, san-
ctitas indiscriminatim cuique inculcatur in pri-
mo limine: (quod non fit Leuitici 11. sed in fine
capitis; quasi posteà futurum esset, vt populus
sanctitate foret eximius) admoneturque, exte-
rius omne Sanctitatis signum, fallax reputandum
esse & simulamentum, quando Domino Deo no-
stro, qui *scrutator est cordium*, sancti non simus.
Vide Leuit. c. 10. & c. 19. versu 27. & c. 21. Hùc
ergo spectat repetitio huiusmodi legis; aliàs
enim satis videbatur cautum, quoad amandan-
dos ritus gentilium, supra in calce capitis 12. *ca-
ue*, inquit, *ne imiteris eas, nec requiras cæremonias
earum*.

VERSVS III. *Ne comedatis quæ immun-
da sunt.*

Cum fusiùs de discretione ciborum dicatur

Leuitici 11. breuioris repetitionis causa illa esse potest, ad quam Deuteronomij liber collimat, nimirum, ad instituendum populum nouæ legis: etsi enim legalia cessauerint, nihilominus, non item cessauit lex, quantùm ad moralia, vt habetur apud D. Thomam in prima secundæ. [A] Vetabantur autem huiusmodi cibi tropologicè etiam, vt vidimus Leuitici 11. præfato: & ideò quia hic non aliud intenditur, nisi ab omnibus vitijs & peccatis elongatio, in populo præsertim Christiano, idcircò recensentur quędam vetita, sed non tam exactè, vt in Leuitico factum fuerat. Figuralis ergo ratio est, [B] quia per huiusmodi animalia prohibita, designantur aliqua peccata, in quorum figuram prohibebantur. Quemadmodum autem immunda prohibentur: sic versu 20. adiectum est, *omne quod mundum est comedite*: quod ad actiones, exempla, & opera sanctorum, ad imitandum diligenter consideranda, atque adeo spiritualiter masticanda, refert [C] Angelicus.

[A p.2,101 .1.] [B p.2,102 .1.] [C op 58.c .9.]

VERSV XX. *Quicquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo.*

Morticinum est quod sponte sua moritur: symbolum viuum peccati; quod non est nisi voluntarium.

Et si dicas, quare de hoc subditur *dari aut vendi peregrino?* nunquid aliena peccata negligenda sunt? Absit: sed non oportet, teste D. Thoma in Cantica [D] recenti Commentario, mysticum sensum esse continuum. Cæterùm, fortè ex hoc docere intendit, simpliciter ex cibis nihil esse immundum: quod ait Dominus Matthæi 15. *quod per os intrat, non coinquinat hominem.*

[D Cant.c. 2]

VERSVS XXI. *Non coques hædum in lacte matris.*

Non perperam, nec extra chorum, iteratur quod prædictum fuit Exodi 23. & 34. Docemur [E] id prohiberi ad litteram, vel ad crudelitatem vitandam, vel ad rituum infidelium detestationem. Sed cùm figuralis præferatur sensus ibidem, ne *hædus* idest *peccator*, coquatur in lacte matris, idest blandicijs deliniatur: videtur hac de causa, hic speciatim caueri: vt innotescat, præmissa cuncta de esu prohibito, peccatum implicare: & prætereà, ne videretur, in peregrino cui daretur morticinum, negligi proximi salus: ac si diceret, dandum est quidem extraneo morticinum: at non ideò nutriendus peccator in suo peccato, palpando & blandiendo. *Non coques hædum in lacte matris*. Cohæret quod ait sapiens Prouerb. 16. *vir iniquus lactat amicum suum*; &c. 24. *nec lactes quemquam labijs tuis*, & præmonitum illud cap. 1. *fili mi si te lactauerint peccatores; ne acquiescas eis*. Nàm ait Isaias c. 3. *populi meus: qui beatum te dicunt:* (glossa apud D.Th. [F] *blandis verbis*) *ipsi te decipiunt*. In quo, post propria, *ab alienis* cauere peccatis monet.

[E p.1.1.2 .4.] [F op. 19. in procemio.]

VERSVS XXII. *Decimam partem separabis &c.*

Postquam dictum est mysticè, de spiritali esu vetito, atque permisso: transitur ad decimarum exhibitionem, quæ literaliter potius accepta, quasi per locum à contrario indicat præcedentium ciborum sensum moralem. Facit huc quod scribitur in secunda secundæ, [G] de secundis his, & tertijs decimis: secundæ decimæ reseruabantur ad sacrificia offerenda, & locum non habent in noua lege, cessantibus legalibus victimis. Tertiæ decimæ quas cum pauperibus comedere debebant, (ita v. 28.) in noua lege augentur per hoc, quòd Dominus non solùm decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus iubet exhiberi: secundùm illud Lucæ 11. *quod superest date eleemosynam*. Ipsæ etiam decimæ quæ ministris Ecclesiæ dantur, per eos debent in vsus pauperum dispensari. De Sancto Tobia legimus c. 1. quomodo pergebat in Ierusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, *omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens, ità vt in tertio anno, proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.*

[G 2.2.87.2 .4.]

VERSVS XXIV. *Cum autem longior fuerit via &c.*

VERSVS XXV. *Vendes omnia, & in pretium rediges.*

Indultum erat ob longum iter, vt venderent: cæterum partam inde pecuniam, non item in alium vsum conuertere. De ritu offerendi infrà 26.

CAPVT XV.

1 SEptimo anno facies remissionem, 2 quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur
aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus re-
missionis est Domini. 3 A peregrino & aduena exiges: ciuem, & propinquum
repetendi non habebis potestatem. 4 Et omnino indigens, & mendicus non erit inter vos:
vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem. 5
Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris vniuersa quæ iussit, & quæ ego ho-
die præcipio tibi, benedicet tibi, vt pollicitus est. 6 Fęnerabis gentibus multis, & ipse a
nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur. 7 Si
vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ in terra quam Dominus Deus
Mat. 5. g. 42. tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes ma-
Luc. 6. c. 34. num, 8 sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. 9
Caue ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus
annus remissionis: & auertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mu-
tuum commodare; ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. 10 Sed da-
Matt. 26. b. 10. bis ei; nec ages quippiam callidè in eius necessitatibus subleuandis: vt benedicat tibi Do-
minus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris. 11 Non deerunt

pau-

pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo
egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. 12 Cum tibi venditus fuerit frater tuus He- Exod.2
bræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: 13 2.
& quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris: 14 sed dabis viaticum Ier. 34.1 24.
de gregibus, & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi. 15
Memento quòd & ipse seruieris in Terra AEgypti, & liberauit te Dominus Deus tuus, & id-
circò ego nunc præcipio tibi. 16 Sin autem dixerit: Nolo egredi: eo quòd diligat te, &
domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat: 17 assumes subulam, & perforabis aurem
eius in ianua domus tuæ, & seruiet tibi vsque in æternum: ancillæ quoque similiter facies. 18
Non auertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos: quoniam iuxta mercedem
mercenarij per sex annos seruiuit tibi: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis ope-
ribus quæ agis. 19 De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, & in ouibus tuis, quid-
quid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito
bouis, & non tondebis primogenita ouium: 20 In conspectu Domini Dei tui comedes ea
per annos singulos in loco, quem elegerit Dominus, tu & domus tua. 21 Sin autem ha- Luc. 2. 20.
buerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile,
non immolabitur Domino Deo tuo. 22 sed intra portas vrbis tuæ comedes illud: tam Eccl. 3. b. 14.
mundus quàm immundus similiter vescentur eis quasi caprea, & ceruo. 23 Hoc solùm
obseruabis, vt sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

VERSVS II. *Cui debetur aliquid ab amico vel proximo, ac fratre tuo, repetere non poteris; quia annus remissionis est Domini.*

Præsupponit fuisse secutum mutuum, & creditorem patienter sustinuisse redditorem iuxta quod Exodi 23. dicitur, *si pecuniam mutuò dederis populo meo pauperi, non vrgebis eum quasi exactor*: vultque impotem ad reddendum, septimo anno donari; sic vt debitum penitus remitteretur: probabile enim erat, subdit Angelicus, [a] vt illi qui commodè reddere possent, ante septimum annum redderent, & gratis mutuantem non defraudarent. Si autem omninò impotentes essent, eadem ratione eis erat debitum remittendum, ea dilectione, qua etiam erat eis de nouo dandum propter indigentiam. Et declarat ibi quomodo legis intentio fuerit, homines assuefacere ad hoc, quòd sibi inuicem de facili subuenirent, ad amicitiæ fomentum.

a p.2.105 a. ad 1.

1 VERSVS III. *A peregrino & aduena exiges: ciuem & propinquum repetendi, non habebis potestatem.*

Affert ad hunc textum glossam S. Doctor in opusculo, [b] ad primum argumentorum, quod non liceat eleemosinas petere; *licèt omnes proximi nostri sint, illis tamen maximè misericordia impendenda est, qui Christi nobiscum sunt membra.* Ex quo patet, ait S. Doctor, quòd vbi præcipitur misericordia, non prohibetur mendicitas. Nihilominus cum dicit *exiges*, ad litteram, non acciperem ipse, per modum iussionis, sed permissionis, sic vt esset in potestate dantis, etiam peregrino dimittere.

b op. 19. c. 7.

2 VERSVS IV. *Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos.*

In hoc præcepto, vt animaduertit, [c] non prohibetur alicui mendicare; sed prohibetur diuitibus, ne tam tenaces sint, vt propter hoc, aliqui egestate mendicare cogantur. Et hoc ipsum tradit in opusculo nuper allato, onus diuitum ostendendo ex contextu præcedenti, *ciuem & propinquum repetendi, non habebis potestatem.* Nõ vult, inquit, ita derelinqui ab alijs, vt in statum mendicitatis incidat. Quare autem mendicitatem arceri mandet à populo, ea esse potest, quam tangit Salomon causa, Prouerb. 30. *mendicitatem ne dederis mihi; ne fortè egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Mendicitas [d] est occasio furandi, & mentiendi, aut etiam periurandi. Et sic Augustini glossa 2. ad Thessal. 3. *si quis non vult operari non manducet*, dicit, *per hæc verba non prohibet mendicitatem voluntariam, sed docet occasionem necessariæ mendicitatis vitandam esse.* Quocirca Angelicus opusc. præfato; coacta mendicitas, quia contrà voluntatem est, periculum impatientiæ habet annexum. Eccles. 27. *propter inopiam multi deliquerunt.* Non sic de voluntaria mendicitate; vt alibi etiam [e] docet.

c 2. 2. 187. a. 5. 1.

d 1. p. 4. 1.

e 2. 2. 186. 1.

VERSVS VI. *Fænerabis gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum.*

Hoc ipsum leges infra c. 28. Fœnerare [f] quandoque accipitur largè pro mutuare: vt patet Ecclesiastici 29. *multi non causa nequitiæ, non fænerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt*: id est non mutuauerunt. Mutuare autem pertinet ad eum, qui superabundat. Et ideò quod dicitur *fænerabis*, intelligendum est *mutuabis*: vt per hoc detur intelligi, quòd in tantum affluerent temporalibus bonis, quòd ipsi alijs possent mutuare, & à nullo mutuum indigerent accipere. Et repetitur in Summa, [g] vt cum promittitur hoc præmium, *fænerabis gentibus multis* &c. fœnus largè accipiatur pro mutuo.

f De malo q. 13. 4. 2.

g 2. 2. 78. 1. 2.

VERSVS XII. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus* &c. 3

Quoniam de hoc in libro Exodi c. 21. pariter dicitur, non ad puram inculcationem credendum iterùm præcipi: sed ibi in leuamen seruorum, hic ad beneficentiæ exercitium commemorari. Videtur siquidem caput hoc eò collimare, vt postquam in præcedenti, sub edulıorum abstinentia, vetuit malum, statim promoueat ad bonum: iuxta illud, *declina à malo, & fac bonum.* Et quia vt patet Roman. 13. *qui diligit proximum legem impleuit*, ideo dilectionis proximi præcipua edicuntur argumenta; mutui scilicet etiam dimissi pauperibus, qui recepissent; & manumissionis seruorum; post vitæ enim subsi-

dia,

dia, nil carius est libertate. Itaque intenduntur charitatis opera in proximum: & indicatur initio capitis cum dicitur, *quæ* (remissio) *hoc ordine celebrabitur : ordinauit in me charitatem* Cant. 2. de quo diligendorum ordine totam vide quæstionem 2. 2. vigesimam sextam. Et ideo discernit Moyses inter peregrinum, & aduenam, ac inter ciuem & propinquum : de quo ibi, articulo præsertim 6. & 8. Praxis ergo dilectionis proximi succinctè tangitur : & tamen charitatis vel dilectionis siletur vocabulum; quia nondum erat lex amoris, nisi in figura. *Signatè*, vt loquuntur, exprimitur vt Leuitici 19. at *exercitè*, lex vires non dabat; nàm *gratia per Iesum Christum facta est* Io. 1. Idem itaque intendit Moyses, quod Paulus ad Galat. 6. *operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Et ita vltrà libertatem, mandatur seruis dari viaticum, de gregibus, de area, & de torculari. Ex dilectione quippe, vt ait Angelicus, [k] procedit, quòd homines sibi inuicem bona communicent. Ioann. 1. c. 3. *qui viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Punitur autem diuturniori seruitutis iugo, qui respuit libertatem, qui charitatis inuertit ordinem; quia vnusquisque ex charitate magis debet diligere se ipsum, quàm proximum, vt in 2. 2. a. 4. & 5. & fortè etiam diutiùs in pœnam seruiebat, iubente Domino, in æternum, scilicet vsque ad annum Iubilæi; (qui erat quinquagesimus cuiusque sæculi, siuè procul, siuè parum abesset, vt dictum est Exodi 21.) quia immemor videbatur liberationis de seruitute Ægypti: & vlterius, quia septimæ ætatis requiem, (vt innuit D. Thomas) [l] non intelligere videbatur; iuxtà quod Iob. 5. *in sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.*

k p. 2. q5.1.5.

Quare post sex ætates huius sæculi, septima, quæ est quiescentium, ignorari culpabiliter præsumebatur ab illo; & ideò, cùm esset defectus fidei, non mirum, si *subula perforabatur auris eius*; vt moneretur de culpa, nam *fides ex auditu*; & ipse auditu deliquerat: vtque, quia *auditus*, quod ait Philosophus, *est sensus disciplinæ*, non posthac negligeret, de spirituali requie, & libertate animæ, edoceri. *Per quæ peccat quis* (Sap. 11.) *per hæc & torquetur : pœna* etiam ait Gregorius, *oculos aperit, quos culpa clausit.*

VERSVS XIX. *De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, & in ouibus tuis* &c. *sanctificabis Domino* &c. *Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouium.*

Idcircò quasi præposterè, (cum tamen ordinem in principio capitis præ oculis habeat) de cultu Dei loquitur: quia non tàm pro sanctificandis victimis animalium Domino, quàm pro qualificandis in proximum bonis operibus, de quibus dixerat, attexitur sermo. Mirè propterea de boue inter armenta, & de ouibus loquitur; quoniam quæ vniuersaliter aguntur beneficè in eundem proximum, aut ad victum aut ad vestitum attinere possunt: *habentes* 1. Timoth. 6. *alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* In boue autem emicat alimenti prouentus ob agriculturam; & in ouibus ex laneis tegumentum: hinc Iob 31. *si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Si despexi pereuntem; eoquòd non haberet indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum, calefactus est.* Sed quemadmodum, beneficentiæ symbola sibi Dominus gaudet offerri; ita, vt sint sibi accepta, amorem concupiscentiæ in datore damnat; neque enim gratanter Deo offertur quod in humanam vtilitatem, & commodum prouenire intenditur. Hoc significat ly *non operaberis in primogenito bouis*; si pauperi subuenias; non eo id facias animo, vt tibi exinde multiplicentur segetes. *Non tondebis primogenita ouium* i Non ideo operimentum præstes, nec des, vt accipias. Mercenarius est qui sic operatur. Rependit Deus vtique, secundùm illud Prouerb. 11. *alij diuidunt propria, & ditiores fiunt; alij rapiunt non sua, & semper sunt in egestate*: cæterùm non Deo obsequitur sed lucro, qui lucro inhiat. Vult vt comedantur spiritaliter, quæ Deo sunt sanctificata, *in conspectu Domini*, vt statim subijcitur; quatenùs solum Deum præ oculis habentes, nostra proximis impendamus. Et quia de operibus huius vitæ nùnc loquitur, addit *per singulos annos*, transitum præsentis temporis tangens: quod non legitur suprà, 12. capite, vbi de oblatis pariter Deo præcipitur; eoquòd tùnc de spiritalibus Cœlestis patriæ edulijs sine tempore degustandis tractabatur.

VERSVS XXI. *Sin autem habuerit maculam, &c.* 4

Certè oblitus non est Moyses quod paulo ante scripsit: nimirum eodem 12. capite, satis id habebatur expressum, vt patet v. 15. & 16. quo de sanguinis effusione, in morem aquæ effundendi: cur eadem hic iterantur? Respondeo; ibi de comestione physica, cum subintellectu mystico; hic de morali alimento euulgatur lex. Eccl. 9. *vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum; quia Deo placent opera tua.* Igitur quando contingat opus charitatis, quod facimus, habere maculam, nonnihil quidem exinde trahimus emolumenti; atqui non nisi intra portas vrbis nostræ: non est irremuneratum opus; sed temporali retributione: mundus vel immundus fuerit qui habuerit opus illud. Sic diues Lucæ 16. audiuit, *memento, quia recepisti bona in vita tua*, quod teste Gregorio, non illi fuisset dictum, *nisi aliquid bonum egisset, cuius in sæculo presenti remunerationem receperat*: Qua de re D. Thomas in prima secundæ. [l] Qui eiusmodi sunt vescūtur temporalibus, quia temporali studio bona agunt: & his fruuntur, quasi caprea & ceruo; quia cum Dominus signatus per Ceruum & Capream, esse deberet illorum pars: *Dominus pars hæreditatis meæ*, transitorijs stulta quiete contenti sunt. Sapientiæ 2. *hæc est pars nostra & sors: opprimamus pauperem iustum*; puta si quis mutuum det ad vsuram; (quo mutuo, suis succurrit pauper necessitatibus) & tondet quod offert, & deforme, claudum, cœcumque comedit, non dignum Deo. Veruntamen sanguinem non comedunt, sed effundunt in terram, quasi aquam: quatenùs cum anima sit in sanguine, non eis prodest secundùm animam, nec ad veram vitam. Et huc facit, quod ait, c. 17. *non immolabis Domino Deo tuo ouem & bouem, in quo est macula, aut quidpiam vitij; quia abominatio est Domino Deo tuo.*

l p. 2. 114 10

CA-

C A P V T X V I.

1 OBserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase
Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ae-
gypto nocte. 2 Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus
in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. 3 Non comedes
in eo panem fermentatum. Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem:
quoniam in pauore egressus es de Aegypto: vt memineris diei egressionis tuæ de Aegypto,
omnibus diebus vitæ tuæ. 4 Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem
diebus, & non remanebit de carnibus eius, quod immolatum est vespere in die primo vsque
mane. 5 Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus
tuus daturus est tibi: 6 sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen
eius ibi: immolabis Phase vespere, ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto. 7
Et coques, & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens
vades in tabernacula tua. 8 Sex diebus comedes azyma: & in die septima, quia collecta
est Domini Dei tui, non facies opus. 9 Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua
falcem in segetem miseris: 10 & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo
tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei
tui: 11 & epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & an-
cilla tua, & Leuites, qui est intra portas tuas, aduena ac pupillus, & vidua, qui morantur
vobiscum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi: 12 &
recordaberis quoniam seruus fueris in Aegypto: custodiesque ac facies quæ præcepta sunt.
13 Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris
de area, & torculari fruges tuas, 14 & epulaberis in festiuitate tua, tu, filius tuus, & filia,
seruus tuus & ancilla, Leuites quoque & aduena, pupillus ac vidua, qui intra portas tuas sunt.
15 Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis in loco, quem elegerit Dominus: be-
nedicetque tibi Dominus Deus tuus, in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum
tuarum, erisque in lætitia. 16 Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum
in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit in solemnitate azymorum, in solemni-
tate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum
vacuus, 17 sed offeret vnusquisque secundum quod habuerit iuxta benedictionem Domi-
ni Dei sui, quam dederit ei. 18 Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas
Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas: vt iudicent populum iusto iudicio
19 nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera
excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. 20 Iustè quod iustum est perse-
queris: vt viuas & possideas Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. 21 Non
plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui. 22 Nec facies tibi, neque
constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

VERSVS I. *Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase.*

De tribus solemnitatibus agitur in hoc capite, missis alijs, quæ fiebant in lege: quod certè non vacat mysterio: eo vel maximè, quòd quædam in cortice, ægrè decent eloquij diuini maiestatem: puta, versu hoc primo dicens, *eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto*, addit, *nocte*. Similiter, quòd toties de fermentati prohibitione: & tamen adhuc versu 8. *sex diebus comedes*, Inquit, *azyma*. Item quòd versu 7. ait, *coques, & comedes*: nunquid dignum erat solicitari de coquendo cibo immolato? Adesse dignetur Dominus, vt congruè loquar. Postquam, in præcedenti dictum est, de abstinentia à peccato, vario animalium immundorum ænigmate; atque de bonorum operum studio in proximi dilectione: prosequitur de reparando lapsu, si fortè acciderit delinquere atque peccare. *Obserua mensem nouarum frugum* cohæret quod habetur Osee 10. *seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordia: innouate vobis nouale. Tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit, qui docebit vos iustitiam. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij*. De peccato, inquit Apostolus; *vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati*, Rom. 6. & ad Coloss. 3. *expoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes nouum*. Idem indicatur à peccato *transitus*, cum sequitur; *Et verni primum temporis, vt facias Phase*: hoc est, post hyemem. Hinc D. Gregorius 2. Moralium, ad illud Ioannis 10. *byems erat; idcirco Euangelista byemis curauit tempus exprimere, vt, messe Iudæorum cordibus malitiæ frigus, indicaret*. Et concinit D. Thomas duabus sententijs: Ieremiæ 6. *sicut frigidam fecit malitiam suam*: & Cant. 2. *iam enim byems transijt* &c. Quoniam autem tali mense eductus est populus de Ægypto; vt in hoc ipso intelligeretur status peccati, adiecit, *nocte*; quod non fit Exodi 34. vbi de his agitur solemnitatibus. Pecca

tum est tenebra spiritalis: cum lux gratiæ amittitur; & de hac nocte intelligitur Iob, dum ait, *pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo*. Et D. Thomas in Oratione ante studium: *duplicem à me remouens noctem, peccatum scilicet, & ignorantiam*.

VERSVS II. *Immolabisque Phase Domino, de ouibus, & de bobus*.

Phase seu *Pascha* interpretatur *transitus*: transitum ergo de peccato ad gratiam, vult ei immolari. Vbi D. Petrus in sua 1. cap. 2. inquit,
B 4 11.3. 31. *genus electum, regale Sacerdotium*: exponitur [B] mysticè, quia scilicet omnis bonus mysticum sacrificium Deo offert, seipsum; scilicet, *hostiam viuentem Deo*. Roman. 11. Coarctatur autem phase ad oues & boues; ad significandos in primis dignos fructus pœnitentiæ; est enim ouis fructuosa: & quidem magna & indefessa animi fortitudine; quod signatur in bobus.

VERSVS III. *Non comedetis in eo panem fermentatum*.

2 *Quæ conuentio lucis ad tenebras, Christi ad Belial*. 1. Cor. 6. Fermentum ob corruptionem passim pro peccato accipitur in Scripturis: Et quia, toto vitæ cursu perduret oportet pœnitentia,
C 3. p. 84. 8. iuxta doctrinam Angelici, [C] dicente Augustino: *quid restat nobis, nisi semper dolere in vita?* vbi enim dolor finitur, deficit pœnitentia: idcircò dicitur *septem diebus*: per quem numerum vniuersitas significatur; quatenus omne tempus in Septenario comprehenditur: *comedes afflictionis panem*: *Quia manducatis panem doloris*: *quia cinerem, tanquam panem manducabam*: *cibabis nos pane lacrymarum*. Et hic meritò dicitur *afflictionis panis*. Isaiæ 54. *nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nonne hoc est magis ieiunium quod elegi: dissolue colligationes impietatis* &c. in pauore autem recolitur exisse de Ægypto; quia Prou. 15. *per timorem Domini, declinat omnis à malo*. Sic respectiuè D. Thomas in 2. Comm. Apocalypf. 14. ad Exodi 23. v. 15. *Septem diebus azima comedetis, tempore messis nouorum*: quia, inquit, vniuerso tempore vitæ, in quo iusti metunt noua, dum de suis meritis habent à Deo nouas & internas refectiones, debent habere opera azima, idest sine fermento: quæ opera sunt in nutrimentum animæ: & ideò dicuntur azima comedi.

VERSVS IV. *Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis, septem diebus*.

D De Sācto Nicolao. In sermone [D] exponitur, quatenùs nihil habere debemus, de hypocrisi, vel inani gloria. Sanè ly *apparere* ad id potest referri; iuxta quod
E Thess. 5. l. 2. dicitur, *vt appareant hominibus ieiunantes*. Nisi cum Apostolo in idem redeat, ac si dicatur, [E] *ab omni specie mala abstinete vos*: quia, etiam quæ habent similitudinem malitiæ, vitare debemus; quæ scilicet non possemus seruare coram hominibus, absque scandalo eorum.

3 VERSV eodem; *Et non remanebit de carnibus eius. &c. vsque mane*.

Super illud ps. 5. *manè astabo tibi, & videbo*
F ps. 5. [F] Nota quòd mane dicitur etiam diei gratiæ, in prima conuersione hominis ad Deum; quia tunc incipit habere lumen gratiæ ps. 89. *repleti sumus manè misericordia tua*: propulsis tenebris culpæ. 2. Regum 23. *sicut lux auroræ oriente Sole, manè absque nubibus rutilat*. Quoniam ergo, *sacrificium est Deo spiritus contribulatus*, ps. 50. idem est ac si diceret apud Ieremiam c. 31. *conuertam luctum eorum in gaudium*: siue cum Chrysost. in Catena Lucæ 7. *Vbi vehemens imber prorumpit, fit serenitas, sic lacrymis effusis, apparet tranquillitas*. Præterea si referatur ad mane æternitatis, de quo, in eodem psalmo: non remanet de afflictiua immolatione: eoquòd post hanc vitam, Sancti non sunt susceptiui doloris: vnde vt in q. 84. præfata; displicebunt quidem eis peccata præterita, sine omni tristitia; secundùm illud Isaiæ 65. *obliuioni traditæ sunt angustiæ priores*.

VERSVS V. *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium*.

Etsi versu 2. dixerit de loco: nunc pressiùs arctat immolationem Phase. Nefas est quippe extra Ecclesiam locum quærere pœnitentiæ: extra vineam, vbilibet otium est: *quid hic statis* (quamuis essent in foro) *tota die otiosi?* Matth. 20. Sic extra Arcam non fuit salus. Cùm autem Ecclesia de latere Christi Domini, sicut Adam, dormientis in Cruce; formata sit: sequitur de ipsius morte; *immolabis Phase, vespere ad solis occasum*, ps. 29. *ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*: D. Thomas, ad vesperam dominicæ sepulturæ, fuit tristitia. Ipse est Sol, de quo Malach. c. 4. *orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iustitiæ*: hic verò ascendit super occasum: qui est typus mortis: tunc egressi sumus, vt subnectitur, *de Ægypto*. Et quoniam inde habet sacrificium omne diuinam acceptationem; est enim *Altare, Propitiatio*, & is in *quo Pater sibi benè complacuit*, ideo vesperi ad Solis occasum, est immolandum. Quod Apostolus clariùs videtur dixisse Hebræo. 12. *deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit*
Crucem: Per pondus, ait S. Doctor, [G] potest etiam G Hebr. 12. l. 1.
intelligi tædium tribulationis; Sic enim frequenter tribulatio dicitur *onus* per Prophetas; sicut *Onus Damasci*, idest, tribulatio. Ergo ad occasum Solis, pœnitentiæ onera subire monemur; quia ex Bernardo, videntes angustias Domini nostri, leuiùs nostras portabimus; & ex Gregorio, si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est adeò durum, quod non æquo animo toleretur, & D. Petrus in sua 1. cap. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*. Quia qui passus est in carne, desijt à peccatis; idest,
[H] quasi mortuus peccato, intendit Dei seruitio. H 1. Petri 4.

VERSVS VII. *Coques & comedes &c.*

Siue in aquis lacrymarum, siue in igne charitatis, *quæ* ex Prou. 10. *operit multitudinem peccatorum*: secùs non cedit in alimentum animæ nostrum sacrificium. De Agno immaculato aliter dicitur, Exodi 12. *non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni*. Sequitur; *maneque consurgens vades in tabernacula tua*. Fortè id adijcitur, ad animandos homines ad pœnitentiam tandem, spe æternæ retributionis; quam & in corpore meruerint: cum fiet vniuersalis resurrectio: quod sonat ly *consurges*; particula enim illa *con* est associatiua: *& vades in tabernacula tua*: de quibus Isaiæ 32. *Et sedebit populus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta*.

VER-

4 VERSVS VIII. *Sex diebus comedes azima, & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.*

Non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azimis sinceritatis & veritatis, ait Apostolus 1. Cor. 5. Sed cum suprà dictum sit, *septem diebus comedes absque fermento*: in quo vniuersitas dierum vitæ significatur: nùnc de sex solùm meminit diebus, vt edoceat quidnam in septimo accidat. Quia, inquit, *collecta est Domini Dei tui, non facies opus*. Et quid isthæc collecta die septimo? Leuitici 23. legitur, *dies quoque octauus erit celeberrimus, atque sanctissimus; est enim cætus atque collectæ*. Respondeo, hìc esse sermonem de collecta seu congregatione fidelium in regno cœlorum; quæ fiet cum resurrectione in octaua ætate: quemadmodum in septima, quæ est post mortem, ætas quiescentium, spirituales colliguntur colligaunturque manipuli; Apocalypsis 14. *opera enim illorum sequuntur illos*: vbi D. Thomas [l] in secundo Commentario; operandum est in senario huius temporis, vt sabbatum assequamur; quod signatum est Genes. 2. *requieuit ab vniuerso opere quod patrarat*. Et ideò signanter non dicit *opus seruile*, vt alibi toties, sed dumtaxat *non erit opus*: insinuatque post sex huius vitæ dies, locum operi vltra non esse: ad amanc....dum longè otium, & non ad sanctificandum festum: Quod expressius in Ecclesiaste c. 9. *quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud Inferos.*

l Apo. 14.

5 VERSVS IX. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris.*

Tangitur consequenter de festo Pẽtecostes, septem hebdomadarum; quod in memoriam legis datæ post quinquaginta dies ab exitu de Ægypto, de quo Exodi 34. v. 22. & Leuitici 23. v. 15. celebrabatur; *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest quinquaginta dies*. Septem primos dies aptat Angelicus [m] septem donis Spiritus-Sancti, dicens. Dies Solis, idest sapientiæ: dies Lunæ, donum intellectus: dies Martis, idest fortitudinis: dies Mercurij, idest consilij: dies Iouis, idest scientiæ: dies Veneris, idest pietatis: dies Saturni, idest timoris. Sed in Danielem, [n] quod ad rem facit, multipliciter accipit hebdomadas. Prima inquit hebdomada est horarum: & est curationis; Ioan. 4. *heri hora septima reliquit eum febris*. (Videstù memorari in principio capitis *noctem*, quod certam designat horam: media enim nocte, occisa sunt omnia primogenita Ægyptiorum.) Secũda hebdomada dierum, est requietionis; Genesis 2. *requieuit*, &c. (de hac dictum est.) Tertia est septimanarum, idest notitiæ discretionis, & dilectionis: vnde post septem hebdomadas ab exitu de Ægypto data est lex, Exodi 20. Et post septem hebdomadas à resurrectione, datus est Spiritus-Sanctus: in lege autem significatur discretio, notitia, & amor. Ex his autem libenter collegerim, indici celebrationem hebdomadarum huiusmodi, ad excitandum seruandæ legis amorem: ex qua die, cœptum est falcem in segetem mitti: secundùm quam tropologiam, ait psaltes, *anima mea sicut terra*: & Salomon Prouerb. 24. *diligenter exerce agrum tuum*. Ideo appellatur isthæc oblatio, *spontanea*, & addit, *manus tuæ*: vt intelligatur voluntaria operatio septies adduplicata & aucta, quia oportet expiatos à vitijs, proficere de virtute in virtutem, vt dicitur in ps. 83. Et communis fit epulatio: quoniam vt in psal. 118. est vnusquisque Deo acceptus, *particeps omnium timentium Deum*: quod est fateri, *sanctorum communionem*. Additur autem ad extimulandum cor, vt amore præcepta Dei custodiat, ingentis beneficij memoria; *recordaberis quoniam seruus fuisti in Ægypto*. Quod & ad humilitatis custodiam, fortasse dicitur: sicuti Ecclesiastici 11. *in die bonorum, ne immemor sis malorum*: sicut & D. Petrus in prima c. 2. inquit, *vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti*. *Arborem attendite*, aiebat Augustinus, *radicem figit in humili, vt vertice tendat ad cælum*. Numerantur autem hebdomadæ, quia semper augmento insistendum est, & per eum qui septiformis est munere, confirmamur.

m Serm. de Sanct. Nicolao.

n Danielis 9.

VERSVS XIII. *Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis, per septem dies, quando collegeris de area, & torculari, &c.* 6

Vbi Dauid psalmum octauum inscribit, *pro torcularibus*, ait [o] Sanctus Thomas; Ecclesia dicitur torcular, quia sicut in torculari separatur vinum à vinaceis, sic in Ecclesia boni separãtur opere ministrorum, etsi non loco semper, affectu tamen. Eadem ratione dicitur & *area*, quia separatio fit grani à paleis. Ibi aliam fert expositionem, vt torcularia sint martyria, in quibus fit separatio animarum à corporibus. Quouis sensu accipiatur torcular; quoad præsens attinet, opportunè de illo, & de area fit sermo: ex quo ad memoriam reuocetur futura septimi mensis separatio, quando *separabunt Angeli* (Matthæi 13.) *malos de medio iustorum*: & iterum c. 25. *congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hædis*. Colliget tamen vnusquisque de *area* & *torculari* pœnalis huius ac miseræ vitæ fruges suas, *vt referat* (2. Cor. 5.) *propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum*. Cui beatam in sortem datum fuerit referre bona, *benedictio* obuenerit *Domini Dei sui* (quod in textu legitur) *in cunctis frugibus suis, & in omni opere manuum suarum*, communi epularum consortio cum alijs in gloria, siue in lætitia. Quod vnum nudè pronunciat verbum *lætitia*; quoniam explicari humanis vocibus nequit: vtpote de qua D. Petrus in prima c. 1. *exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum*.

o psal. 1

VERSVS XVI. *Tribus vicibus per annum*, &c.

Vt moneat, ne appareat quis ante Dominum *vacuus* in quauis harum solemnitatum, eas recenset in numero ternario: qui quidem ob sui perfectionem multas vices significat: sicut ly *ter Dominum rogaui*, 2. Cor. 12. idem valet Angelico Præceptori, [p] atque *multoties*. Certè etiam animo sæpius sunt mysticè huiusmodi solemnitates celebrandæ: neque *vacuus* quis debet apparere. Nectitur cum illo Apocalypsis 3. *non*

p 2. Cor. 12. l. 1.

Q Apoc. .Comm

inuenio opera tua plena: ſcilicet ᵠ efficacia & merito per plenitudinem circunſtantiarum, vt intentionis, deuotionis, diligentiæ, humilitatis, & huiuſmodi: ſed vacua, vel per vanam gloriā, vel propter mortale additum; vel quia, non ex charitate, quæ facit opera plena, Rom. 13. *plenitudo ergo legis eſt charitas*.

7 VERSVS XVIII. *Iudices & magiſtros conſtitues*, &c. *vt iudicent*, &c.

Niſi quæ ſupra dicta ſunt mirè tetigiſſent de futuro operum noſtrorum iudicio, manifeſta non eſſet ratio, cur de conſtituendis iudicibus ſtatim ſubderetur. Verùm vt animaduertit ʳ Sanctus Doctor, ad hoſce iudices, deferenda erant iudicia circa ambiguitatem aliquam apud ſimplices. De dubijs etiam peritiorum (quod non vacat myſterio) ſuſtinet ſacet textus agere in ſequenti capite, Satis fuit hîc, iudicij noſtri ſupremi, puta etiam particularis ſignari vmbrā. Ad literam, ˢ iudices ſedebant in portis, vbi populus congregabatur.

R p. 2. 05.2.7.

S p. Cor. .1.1.

VERSVS XIX. *Non accipies perſonam nec munera*.

Hoc quod dicitur intelligendum eſt prohiberi, ſi ad diuitias augendas & congregandas, munera accipiantur: ſic enim *excæcant oculos ſapientum*: ita S. Thomas. ᵀ Et ſanè indicatur præmiſſis, ſcilicet, ne in alteram partem declinent, neue accipiant perſonam: de quo 22. 63. Verùm cum Exodi 23. v. 8. aliàs præſcriptum fuerit: *nec accipies munera*: & pariter de acceptione perſonarum vitanda hoc in libro c. 1. v. 17. credendum eſt omni procul dubio, non ad inculcandum repeti, ſed vt per hominum iuſtitiam, iuſtiſſimum Deum Iudicem diſcamus: Prouerb. quippe 6. legitur; *quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima*. Et Sap. 6. *non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit*. Aliàs autem cantatiſſimum eſt Sacra in pagina, Deum non eſſe acceptatorem perſonarum.

T op. 19 .7 & 2.2. 84 4 4.

VERSVS XXI. *Non plantabis lucum, & omnem arborem, iuxtà altare Domini Dei tui: neque conſtitues ſtatuam: quæ odit Dominus*.

Conſequenter ad hactenùs dicta, (ſecus diſparatus videtur ſermo iſte, & non neceſſarius omninò, vtpote quia cautum ſit ſuprà c. 7. v. 5. *confringite ſtatuas, lucoſque ſuccidite*; & iterum c. 12. v. 2. *confringite ſtatuas, lucos igne comburite*) *iuxtà altare* myſtico ſenſu, ideſt iuxta oculos Domini, Amos 9. *Vidi Dominum ſtantem ſuper altare*: vel iuxta Chriſtum Dominum, qui vt alibi dictum eſt, per altare ſignatur, *non plantabis lucum*. Lucus dicitur per antiphraſin, eoquòd minimè luceat: ſicut Mundus, quia non mundus: hoc eſt ergo plantare lucum, latibula quærere. Eccleſiaſtici 16. *non dicas, à Deo abſcondar*. Iob. 26. *nudus eſt infernus coram illo*: pſ. 7. *ſcrutans corda & renes Deus*; ideſt ᵛ cogitationes, & intentiones: & ibi Apoſtolus; *omnia nuda & aperta ſunt oculis eius*. Lucus ergo in vanum eſt coram Domino. Sed vana eſt ſtatua omnis. Per ſtatuam ˣ deſignatur vita ficta, vel ſimulata. Sic hominem fallere poſſumus; atqui non ita Deum; quia *homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*. p. Regum 16. S. Beda lib. 4. in Lucam c. 52. *attendite ne æmulemini ſimulatores; quia veniet profectò tempus, in quo, & veſtra virtus omnibus, & eorum reueletur hypocriſis?* Concinnunt paſſim Scripturæ. Eccleſiaſtes vltimo, *cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium*: Eccleſ. 11. *in fine hominis, denudatio operum eius*. Nahum 3. *reuelabo pudenda tua in faciem tuam*. Sophoniæ 1. *ſcrutabor Ieruſalem in lucernis*. Nectit Dominus Lucæ 12. aduerſùm ſtatuas hypocritarum poſtquam dixit, *attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis: nihil autem opertum, quod non reueletur, neque abſconditum, quod non ſciatur. Non plantabis ergo lucum, neque conſtitues ſtatuam: quæ odit Dominus*. Sap. 14. *odio ſunt Deo impius, & impietas eius*: recoluntur que ibidem, *obſcura ſacrificia facientes*. Rom. 2. *cum iudicabit Deus occulta hominum*.

V Hebr. 4 1.2.

X Danielis 2. ad finem.

CAPVT XVII.

1 NOn immolabis Domino Deo tuo ouem & bouem, in quo eſt macula, aut quip-
piam vitij, quia abominatio eſt Domino Deo tuo. 2 Cum reperti fuerint apud
te intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mu-
lier, qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui, & tranſgrediantur pactum illius, 3 vt
vadant, & ſeruiant dijs alienis, & adorent eos, ſolem, & lunam, & omnem militiam cæli, quæ
non præcepi: 4 & hoc tibi fuerit nunciatum, audienſque inquiſieris diligenter, & verum
eſſe repereris, & abominatio facta eſt in Iſrael: 5 deduces virum, ac mulierem, qui rem
ſceleratiſſimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur. 6 In ore
nf. 19 d. 5. Matt. 18. 16. .Cor. 13 1. up. 15. .9. duorum, aut trium teſtium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, vno contra ſe dicente
teſtimoniū. 7 Manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mit-
tetur: vt auferas malum de medio tui. 8 Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe
perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram: & iudicum
intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus
Deus tuus: 9 Venieſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tem-
pore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. 10 Et facies quodcunque
.Par. 19. .10. dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te 11 iuxta legem eius:
ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. 12 Qui au-
tem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo

tuo,

tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel. 13 cunctusque
populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. 14 Cum ingressus fueris
Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaueris que in illa, & di-
xeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: 15 eum
constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alte-
rius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. 16 Cumque fuerit constitutus,
non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum, equitatus numero subleua-
tus, præsertim cum Dominus præceperit vobis, vt nequaquam ampliùs per eandem viam re-
uertamini. 17 Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti, &
auri immensa pondera. 18 Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deute-
ronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leuiticæ tribus, 19
& habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum
suum, & custodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. 20 Nec eleuetur
cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram: vt
longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israel.

VERSVS I. *Non immolabit Domino Deo tuo ouem & bouem, in quo est macula, aut quidpiam vitij.* &c.

Quamuis suprà c.15. inhibitum id ipsum fuerit, non inani repetitur studio, quando de sacrificio iustitiæ, mox est agendum. Descenditur autem ad praxim tradendam, in vltione delictorum, & in eorundem iudiciali deprehensione: de quo prætactum fuerat tertiodecimo cap.

VERSVS II. *Cum reperti fuerint* &c.

A 22.97. 4.cont. B 22.94.4 Hìc glossa quam fert S. Doctor, [A] *lex*, inquit, *errorem, & idololatriam maximè detestatur*. Quæritur in eadem secunda secundæ, [B] Vtrum causa idololatriæ fuerit ex parte hominum. Et Respondetur (missis alijs) euenisse propter ignorantiam veri Dei, cuius excellentiam homines non considerantes, quibusdam creaturis propter pulchritudinem seu virtutem, Diuinitatis cultum exhibuerunt: vude dicitur Sapientiæ 13. *Neque operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, Rectores orbis terrarum Deos putauerunt.* Et ecce hìc præsertim fieri mentionem *de Sole & Luna, & omni militia cæli*: Sic suprà c.4. *ne fortè eleuatis oculis ad Cælum, videas Solem & Lunam, & omnia astra Cæli; & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Deus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.* Recolit alibi, quomodo Angeli colebantur, quos vocabant [C] *militiam cæli*.

C psalm. 84.

VERSVS IV. *Et hoc tibi fuerit nunciatum, audiensque inquisieris diligenter.*

2 De delinquentis denunciatione agitùr in 2. 2. q. 33. a. 7. 8. de accusatione verò quæst. 68. Tangitur etiam tertius modus, quo peruenit ad Iudicem delictum, scilicet per diffamationem, q. 69. a. 2. & q. 70. a. 1. Quocircà ad illa verba, [D] *descendam & videbo, Vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*, inquir Angelicus: more humano de se ipso loquitur, vt iuxtà rectam & maturam formam diuini iudicij, doceat ordinem & maturitatem iudicij humani: & etiam, vt in hoc ipso Prælatos doceat, quomodo debeant suos subditos iudicare: fertque Innocentium III. in quadam Decretali exposcentem, vt clamor & fama, non à maleuolis & maledictis, sed à prouidis & honestis, nec semel tantùm aures superioris pulset; tùncque diffamatio, & clamor tenent locum accusatoris. In præsenti, non determinatè, qua via sit incedendum, præscribitur: sed vagè dicitur: *Et hoc tibi fuerit nunciatum: Audiensque inquisieris diligenter: & verum esse repereris.*

D Genesis 18.

VERSVS VI. *In ore duorum aut trium testium.* 2

Aperitur duorum saltem testium necessitas, nec sufficere vnum: [E] quia si vnus affirmet, & vnus, reus scilicet, neget, non plùs credendum est vni quàm alteri. Multitudini autem iure meritò creditur. Quare cum multitudo omnis compleatur numero ternario; principio, medio & fine; iuxta quod air Philosophus, in 1. de Cœlo t.2. *omne totum in tribus ponimus*, ideo sufficiunt duo testes cum accusante, seu cum actore. Ad maiorem certitudinem autem est ternarius numerus testium: vnde Eccles.4. dicitur, *funiculus triplex difficilè rumpitur*; de quo etiam cap. 19. v. 15. *non stabit testis vnus contra aliquem: quicquid illud peccati, aut facinoris fuerit.* Augustinus tamen super illud Ioannis 8. *duorum hominum testimonium verum est*, dicit, quòd in hoc, *est Trinitas secundum mysterium commendata, in qua est perpetua firmitas veritatis*: Nec refert, si nominentur duæ personæ vel tres; quia semper in duabus intelligitur tertia, scilicet spiritus-Sanctus, qui est nexus amborum. Ista ratio mystica est. Hæc D. Thomas. Sic [F] alibi ex Diuo Augustino; Cum in Trinitate sint duo, scilicet personarum distinctio, & essentiæ vnitas; aliquando quidem fit mentio de tribus personis, ad insinuandam distinctionem personarum; aliquando verò facit mentionem de duabus sine tertia, ad insinuandam essentiæ vnitatem. Vel dicendum, quòd cum Spiritus-Sanctus, nihil aliud sit, quàm Amor Patris & filij; posito Patre & filio, intelligitur Spiritus Sanctus. Idipsum pluries repetit occasionem aliquam nactus, vt primæ Corinth. c.1. l.1. Secundæ Cor. c.1. l.1. ad Galat.1. l.1. ad Ephes. ad Thessal. primæ semper c.1. l.1.

E 22.70. & Hebr 1.3 & 10 8.1.2.

F Ioa. 14 Lect.6. & p 1-105.: ad 8.

VERSVS VII. *manus testium prima interficiet eum.*

Quoniam accusantes [G] debent iurare, se dicere veritatem, & tunc est lis contestata; modus iurandi hìc indicatur; sicut iniqui illi duo præsbyteri contrà Susannam, posuisse dicuntur *manus suas super caput eius*. Er ita ex hac D. Tho-

G Danielis 13.

mæ eruditione, colligitur sensus litteræ, *manus testium interficiet eum*, morali scilicet concursu: sicuti & in simili, exponitur [H] quod ait Marcus c. 15. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, ex Diuo Augustino, cùm clamauerunt Iudæi, vt Dominus crucifigeretur.

H 1.p.46. q.2.

VERSVS VIII. *Si difficile & ambiguum* &c.

Non est hìc sermo de dubio apud simplices, ad quod tollendum [I] mandatur cap. præcedenti vt *iudices, & magistri constituantur per singulas tribus*; sed de difficili, & ambiguo apud peritos; ad quod tollendum, instituit lex, vt omnes recurrerent ad locum principalem, à Deo electum; in quo & Summus Sacerdos esset, qui determinaret dubia, circa cæremonias diuini cultus; & summus iudex populi, qui determinaret quæ pertinent ad iudicia hominum; sicut etiam nunc per appellationem, vel per consultationem, causæ ab inferioribus iudicibus, ad superiores deferuntur.

I p.2.105 a.7.

Hactenus dicta congruunt iudicij finalis mentioni, paulò ante sub ænigmate tacti. Nam quod attinet ad restes; *in ore duorum*: Rom. 2. ait Apostolus, *testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: Ieremiæque 29. inquit ipse Dominus, *ego sum Iudex, & testis*. Sap. 1. *in cogitationibus impij interrogatio eius*. Et idem Apostolus, *& inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Sic vermis eorum non morietur*, Isaiæ 66. Et sic, *manus testium prima interficiet eum*. Et, *Deus armabit creaturam ad vltionem*, Sap. 5.

VERSVS XIV. *Cum ingressus fueris terram*, &c.

3 Agitur de institutione Principis seu potius Regis. Quocirca iuuat adire D. Thomam dicentem, [L] Regnum quidem esse regimen optimum, nisi corrumpatur. Sed propter magnam potestatem, quæ Regi conceditur, facilè regimen degenerat in tyrannidem, nisi sit perfecta virtus eius, cui talis potestas conceditur; quia non est nisi virtuosi bene ferre bonas fortunas, vt Philosophus dicit in 10. Ethicorum, *perfecta autem virtus in paucis inuenitur*: aiebatque Boetius relatus 1. Cor. 7. l. 4. *cum omnis fortuna timenda sit, magis tamen prospera, quàm aduersa*. Et præcipuè Iudæi crudeles erant, & ad auaritiã proni, per quæ vitia maximè homines in tyrannidem decidunt. Et ideo Dominus à principio eis Regem non instituit cum plena potestate, sed Iudicem & gubernatorem in eorum custodiam; At posteà Regem ad petitionem populi, quasi indignatus concessit, vt patet per hoc, quod dixit ad Samuelem, 1. Regum 8 *non te abiecerunt, sed me*, ne regnem super eos. Instituit tamen à principio circà Regem instituendum; primò quidem ipsum modum eligendi; in quo, duo determinauit, vt scilicet in eius electione, expectarent iudicium Domini; & vt non facerent Regem alterius gentis: quia tales Reges solent parùm affici ad gentem, cui præficiuntur; & per consequens, non curare de eis. Secundò ordinauit circà Reges, qualiter deberent se habere, quantùm ad se ipsos, &c. Ad hoc facit etiam, quod præmiserat in responsione ad primum; institutionem nimirum summi etiam Principis, sibi Deum reseruasse, quia ille populus sub speciali cura Dei regebatur; iuxta quod

L p.2.105 a.1.

petiuit Moyses Numeri 27. *prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc*. Et sic ex Dei ordinatione institutus est Iosue in principatu post Moysen; & de singulis Iudicibus, qui post Iosue fuerunt, legitur, quòd *Deus suscitauit populo saluatorem*; & quòd *spiritus Domini fuit in eis*; vt patet Iudicum 2. De alijs ergo Principibus populi, vt notat in psalmum 7. ordinabatur per homines; sed de summo solùm dispensabatur per Deum. Adnecte antea dictis; *ipse est, qui constitutus est à Deo, Iudex viuorum, & mortuorum*. Actorum 10.

VERSVS XV. *Non poteris alterius gentis hominem, Regem facere*. 4

Quamquam tacta sit ratio coarctationis huius, alijs in locis expenditur. Ex quo nimirum [M] Ecclesia ordinauit, quòd quando vtilis inuenitur aliquis de collegio, nō eligatur extraneus, Osee 2. *dabo ei vinitores eius ex eodẽ loco*. Ille quippe, [N] qui de gremio Ecclesię assumitur, vt in pluribus; consueuit esse vtilior, quantùm ad bonum commune; quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus. Sequitur; *qui non sit frater tuus*: nam fratres cum multipliciter dicamur, [O] natura, cognatione, affectione, religione, dicimur etiam gente; sicut fratres sunt, qui vnius linguæ. Meritò etiam de fratribus in Reges assumendis præcipit, quemadmodum & de alijs inferioribus iudicibus recolit Moyses, suprà c. 1. *Tuli de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, præcepique eis dicens; audite illos, & quod iustum est iudicate*. [P] Nè fortè ad extraneos infideles, (quod absit) recurreretur.

M Hebr. 5.1.1.

N 22. 63. a. 4.

O Galat. 1. l. 5. & Matthæi 12. in fine

P p. Cor. 6. l. 1.

VERSVS XVI. *Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos*, &c. 5

Traduntur leges nonnullæ regalis Dominij, quas probat in opusculo [Q] dicens; concludendum est ergo, legitimum Regem secundùm formam in Deuteronomio traditam, sic debere regere, & gubernare. Et si obijciatur, expedire videri, vt habeat Rex diuitiarum copiam naturalium, quemadmodum de Salomone legitur, 3. Regum c. 4. quòd, in sua florens prosperitate, *habebat quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium*: quod commemorat eodem in opusculo, l. 2. c. 6. affirmans idem capite 7. de diuitijs etiam artificialibus. Respondetur cum ipsomet S. Doctore, [R] prohiberi hìc Regi, equitatus numerum, aurique & argenti immensa pondera, ad ostentationem & fastum, vt de Crœso Rege Lydorum narrant historiæ: ex qua causa, ruinam passus est, quia captus à Ciro Rege Persarum, nudus, in alto monte, patibulo est affixus. Ad subuentionem autem Regni, præfata necessaria omnino sunt, Hanc expositionem innuit sacer textus ibi *equitatus numero, subleuatus*: & in calce capitis; *nec eleuetur cor eius in superbiam*. Quod & expendit in opusculo 41. [S] Certè Sapientiæ 5. nectuntur damnatorum ex ore duo isthæc, *quid nobis profuit superbia; aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Abundantia diuitiarum est superbiendi occasio, ait 3. p. q. 40. 3. ad 2. Quamuis autem, in primo Regum c. 8. Samuel secùs de Rege pronunciet; id est, propter ingratitudinem, & populum duræ ceruicis, ad terrendum eos: neque enim ius illud tunc debebatur Regi ex institutione diuina; sed magis prænunciabatur

Q op. 20. l. 3. 11.

R op. 20. l. 2. 7.

S op. 41. l. 1. 6.

tur

tur vſurpatio Regum, qui ſibi ius iniquum conſtituunt, in tyrannidem degenerantes, & ſubditos deprædantes. Et hoc patet, per hoc quòd in fine ſubdit; *voſque eritis ei ſerui*: quod propriè pertinet ad tyrannidem; quia tyranni ſuis ſubditis principantur vt ſeruis. *Noluit autem audire populus*, ait textus, *vocem Samuelis*. Poteſt tamen contingere, quòd bonus Rex abſque tyrannide filios extollat, & conſtituat tribunos & centuriones, & multa recipiat à ſubditis ſuis, propter commune bonum procurandum. Hæc D. Thomas.[T]

T p. 2. 105. 1. 5.

VERSVS XVIII. *Deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius, &c.*

V op. 41. l.1.2. Aperit huius præcipuam cauſam, aſtruens D. Thomas,[V] (iuxta illud Sapientiæ 5. *melior eſt ſapientia, quàm vires; & vir prudens, quàm fortis*) debere Regem, qui tenet locum Dei, eiuſque vices agit, regere populum, ſecundum ipſius voluntatem. At quomodo id aſſequi poteſt legis Dei ignarus? Eruditè ibi de aliquibus diuinæ legis ſtudioſis, & amatoribus: præcipuè de Ioſia, qui magni fecit librum Deuteronomij, perterritus maledictionibus in eo ſcriptis; vt videre eſt 4. Reg. c. 21. & 22.

X p. 2. 105. 2. 2. Circa quæ tandem, & reliquum capitis huius, Angelicus noſter[X] inquit; ordinauit circa Reges inſtitutos, qualiter deberent ſe habere quantùm ad ſe ipſos; vt ſcilicet non multiplicarent currus & equos, neque vxores, neque etiam immenſas diuitias; quia ex cupiditate horum, Principes ad tyrannidem declinant, & iuſtitiam derelinquunt. Inſtituit etiam qualiter ſe deberent habere ad Deum, vt ſcilicet ſemper legerent, & cogitarent de lege Dei, & ſemper eſſent in Dei timore, & obedientia, & quia (hoc ex 2. 2. q. 16. a. 2. 3.) doctrina legis Dei non eſt adeò annexa regali officio, ſicuti eſt officio ſacerdotis; quia Rex conſtituitur ſuper populum in temporalibus: ideò ſpecialiter præcipitur, vt Rex inſtruatur de ijs, quæ pertinent ad legem Dei, per Sacerdotes. Inſtituit etiam qualiter ſe haberent ad ſubditos ſuos, vt ſcilicet non ſuperbè eos contemnerent, aut opprimerent: neque etiam à iuſtitia declinarent. Quæ cuncta patent in littera; *neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram*: Sic Iſaiæ 30. *hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. ideſt neque per exceſſum, neque per defectum, vt exponit in pſalmum 44. littera [B].

Verùm poſt hactenus dicta, ne ardua conniuere credamur, libenter de repentina Regis delineatione, audimus quæri. Vt quid dicet quiſpiam, hoc potiſſimum in loco, de futuro poſt tot ſæcula Rege agitur? præcox enim, & immatura nimis videtur præceptio parùm, vt patet, à Regibus Iſrael opere impleta. Vt quid etiam timetur de reductione in Ægyptum? nunquid Rex ſuum populum ſub alterius ditione, atque nota tyrannide, gaudet redigere? ex quo cauet Dominus, *ne ſit equitatus numero ſubleuatus?* Certè, magnum latet myſterium: & meritò, poſtquam de iudiciorum praxi dixerat Moyſes, vt mens ad ſummi Iudicis raperetur recordationem, de Rege adiecit: quatenùs innueret fidelibus; Chriſtum Regem: qui iudicaturus eſt orbem terrarum, *cùm venerit in ſede Maieſtatis ſuæ*, quando cuncta cordium inabſcondita, in præſenti ſæculo ambigua, proferentur ad lucem. 1. Cor. 4. *illuminabit abſcondita tenebrarum*. Ipſe tunc Rex agnoſcetur, Iſaiæ 33. *Regem in decore ſuo videbunt. Rex qui ſedet in ſolio iudicij* (Prou. 20.) *diſſipat omne malum intuitu ſuo*. Iſaiæ 42. *non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium*.

Hac de cauſa deſcribitur in præſenti Chriſtus Dominus filius Abrahæ: ex ſemine Dauid ſecundùm carnem: *ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem*. Matthæi 1. Roman. 1. & 9. quia vt habetur Ioann. 4. *ſalus ex Iudæis*; *Non poteris alterius gentis hominem, Regem facere, qui non ſit frater tuus*: Hebræor. 2. *debuit per omnia fratribus ſimilari*. Venit ipſe non multiplicatis equis; neque habuit vxores plurimas; aut argenti & auri immenſa pondera: quia de illo dixit & Zacharias c. 9. expendente Matthæo c. 21. *Ecce Rex tuus venit tibi, iuſtus & ſaluator*; (non ergo reducet populum in Ægyptum) *ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ*. An Chriſtus in hoc mundo debuerit pauperem vitam ducere? Vide 3. p. q. 40. a. 3. Poteſt etiam de ipſo intelligi nō habiturum vxores plurimas quia Regnum eius, vt teſtatur ipſemet, *non erat de hoc mundo*: & ſemen ipſius ſpiritali generatione erat propagandum, iuxta Iſaiæ vaticinium c. 53. *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*. Quam autem humilitatem profeſſus fuerit, aperit ſatis Apoſtolus dicens; *humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis*. Philip. 2.

Verùm hæc, quæ exponuntur perbelle de Chriſto, induci videntur per locum à contrario vt de Antichriſti aduentu præmoneamur: quem quidem obcæcati præſtolantur Iudæi, deſtitutum tamen omnibus fermè indicijs veri Regis, quem hic Dominus format & architectatur; vt, vel hoc vno, poſſent ſi vellent, cùm eruperit, ipſum reſpuere, atque ipſius tyrannicum imperium detrectare. Certè ſublimabitur ſuperbus ille, equitatus numero, multiplicabitque ſibi equos, dicente Daniele c. 11. verſu 40. *Quaſi tempeſtas veniet Rex Aquilonis, in curribus & equitibus, & in claſſe magna*. Et Ieremiæ c. 8. v. 16. *à Dan auditus eſt fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota eſt omnis terra*. Impetus etiam eius poteſt ſignari ibidem 8. *quaſi equus impetu vadens in prælium*: itemque ferocitas ad perſequendum, atque velocitas. Quæ perpendit S. Doctor[A] in ſecundo Commentario; de quo Maluenda de Antichriſto l. 5. c. 8. & 10. Qui & libro 6. c. 9. & infrà de immenſis diuitijs, & opibus Antichriſti. Daniel etiam; *dominabitur theſaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti*. Rex ergo verus non reducet populum in Ægyptum, vt hic perhibetur. Signatur tandem impijſſimus iſte nebulo, in eo quòd ſit, immo tanquam exlex, ducturus vxores plurimas: quia & de eodem ait Daniel c. 11. v. 37. *& erit in concupiſcentijs fœminarum*: vnde, & cœcutientes ad tantam lucem, tardigradum ſuum Meſſiam opperientes Iudæi, communi conſenſu arbitrantur, eum legitimum Regem futurum, qui polygamiam in concubinarum innumero grege exerceat in ſe, ipſiſque concedat; craſſo ſenſu, & ſecundùm carnem intelligentes quæ dicuntur in pſalmo 44. *adducentur Regi virgines*

Post eam: ps. 88. ponam in sæculum sæculi semen eius, & Isaiæ 53. *videbit semen longæuum*. Sed valeant cum expectatione Regis, qui floreat concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: proinde de hoc mundo Regis: post quam salutis neglecto studio, serpenti in primordio mundi etiam plaudere possunt, qui vitiorum huiusmodi radix humanum genus infecit. Vide Maluendam l. 6. c. 21. & 22.

CAPVT XVIII.

Sup. 10. b. 9. 1 NOn habebunt sacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu sunt, partem
Nu. 18. c. 20. & hereditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, & oblationes eius
1 Cor 9. b. 13. comedent, 2 & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus
enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis. 3 Hoc erit iudicium sacerdotum a
populo, & ab his qui offerunt victimas: siue bouem, siue ouem immolauerint, dabunt sa-
Nu. 18. c. 21. cerdoti armum, ac ventriculum: 4 primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem
ex ouium tonsione. 5 Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, vt
stet, & ministret nomini Domini ipse, & filij eius in sempiternum. 6 Si exierit Leuites ex
vna vrbium tuarum ex omni Israel, in qua habitat, & voluerit venire, desiderans locum,
quem elegerit Dominus, 7 ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres eius
Leuitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino. 8 Partem ciborum eandem accipiet,
quam & ceteri: excepto eo, quod in vrbe sua ex paterna ei successione debetur. 9 Quan-
Le. 20. d. 27. do ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abo-
minationes illarum gentium. 10 nec inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, du-
cens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria, nec sit male-
1 Reg. 28 a. 7. ficus, 11 nec incantator, nec qui pythones consulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis
veritatem. 12 omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera dele-
bit eos in introitu tuo. 13 Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo. 14
Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo
Ioan. 1. g. 45. tuo aliter institutus es. 15 PROPHETAM de gente tua & de fratribus tuis sicut me,
Act. 3. d 22. suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, 16 vt petisti à Domino Deo tuo in Ho-
Ex. 20. reb, quando concio congregata est, atque dixisti: Vltra non audiam vocem Domini Dei
d. 21. mei, & ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar: 17 Et ait Dominus mihi,
Io. 2. g. 45. Bene omnia sunt locuti: 18 Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem
tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi: 19
qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.
20 Propheta autem, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo quæ ego
non præcepi illi vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. 21 Quòd si
tacita cogitatione respondetis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non
est locutus? 22 hoc habebis signum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit,
& non euenerit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confin-
xit: & idcirco non timebis eum.

VERSVS I. *Non habebunt Sacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu sunt, partem & hæreditatem cum reliquo Israel.*

Quàm mirè illustratus diuino spiritu Moyses repetit quæ dixerat suprà c. 10. v. 9. & Numeri 18. v. 20.! ne scilicet, temporali Antichristi prosperitate & diuitijs rapiantur, qui tunc erunt fideles, memores, *Dominum esse hæreditatem eorum: sicut locutus est illis*: quod legitur in littera. Tunc certè opus erit, promissionem huiusmodi sæpe recolere: secùs, vt ait Hieronymus relatus [A] in Danielem: *quos terroribus nequibit, subiugabit auaritia*.

VERSV III. *Dabunt Sacerdoti armum & ventriculum*.

In textu Hebræo, est prætereà expressum *de maxilla*, vt reddunt Septuaginta, & Chaldæa. Quare hoc additur in præsenti, quod non alibi? & cur hìc miscet de huiusmodi; cum satis alibi præsertim Leuitici 7. v. 34. *pectusculum eleuationis, & armum separationis tuli à filijs Israel de hostijs pacificis, & dedi Aaron Sacerdoti, & filijs eius lege perpetua, ab omni populo Israel*. Respondeo, non perperam repeti, sed cohærenter ad nuper dicta: quia enim de Antichristi tempore obscurè tactum est; ænigmaticè consequenter, quorum interfit aduersùm illum pugnare, mirificè indicat. Per *armum*, aliàs vidimus ex D. Thoma, [B] significari fortitudinem, ad sustentandum defectus: per *pectusculum*, (hic *ventriculum*, fortè quia etiam secretiùs insudandũ erit) necessitatẽ sapientiæ cordis. Tunc & fortitudo, & sapientia opus erunt. Huc facit quod traditur 3. p. q. 66. 10. 2. de inunctione baptizandi, & in pectore, & in scapulis: quasi athleta Dei, vt Ambrosius dicit in lib. de Sacramentis; sicut pugiles inungi consueuerunt: vnde, sicut Innocentius dicit in quadam Decretali; baptizandus in pectore inungitur, vt per Sancti Spiritus donũ,

B p. 2. 10 3. 8.

abijciat errorem, & ignorantiam, & fidem rectam suscipiat, quia *iustus ex fide viuit*. Inter scapulas etiam, vt signetur fortitudo laborum. Vide quàm sint consona dictis: & collige, quare de cibis ad vitam, & de oleo, addatur. Sed & maxilla addicitur sacerdotibus, vt ipse reor, quantùm ad patientiam tribulationis, vt expo-
C Thren. 5. nit [c] in threnos. Matthæi 5. *si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram*. Vt autem ait ipse Dominus, Matthæi 24. *Erit tunc tribulatio magna*, &c. Hìc vanè, mysteriorum ignari, putant hebræi, eatenùs de genis seu maxillis, præcipi, quatenus orando Sacerdotes commouent genas: vt fert à Lapide. Sed neque plauserim, gratis excogitato ab Abulensi, vt similitudinariè sint genæ in armo.

VERSVS IV. *Primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem, ex ouium tonsione.*

At vnde nam Christi ministris fortitudo & sapientia? Ambulauit Elias *in fortitudine cibi illius mystici, quadraginta diebus & quadraginta noctibus* 3. Regum 19. Ex diuinissimi itaque Sacramenti perceptione, constantes erunt ad sustinendos fideles: est enim Sacramentum mysticæ Christianæ vnitatis: hinc Chrysostomus relatus 3. P. 79. 6. *vt leones flammam spirantes ab illa mensa discedimus; terribiles effecti diabolo*. Indeque lumen quoque sapientiæ, *quæ ædificauit sibi domum, miscuit vinum & posuit mensam*. Quod signatur p. Regum 14. vbi Ionathas, extenta summitate virgæ, *intinxit in fauum mellis, conuersaque manu sua ad os suum, illuminati sunt oculi eius*; quia [p]
Dp. Cor. 11.5. per huius virtutem Sacramenti, anima illuminatur. *A fructu ergo frumenti, vini, & olei sui*, vt dicitur in psalmo, multiplicabuntur fideles. In oleo etiam gratia & doctrina Spiritus Sancti accipi potest: iuxta quod, ait Ioannes in prima c. 2. *vnctio eius docet vos de omnibus*. En quare iteratur (nec extrà chorum) quod prædecernitur Numeri 18. v. 12. Cæterùm superadditur de *lanarum parte, ex ouium tonsione*: quod est subijcere memoriam Christi Domini; *qui tanquam ouis ad occisionem ductus est*, Isaiæ 53. quique *Spiritu oris sui interficiet impium*, 2. Thess. 2. ex quo fide & spe roborentur: plurale enim pro singulari consueuit in Scriptura vsurpari; secundum quòd dicitur Matthæi 2. *defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri*: extincto Herode. Nisi pluraliter dicatur de ouibus: ex quo succurrant tot martyrum innocentum neces, quos misit Dominus tanquam oues, non ad lupos dumtaxat, sed *in medio luporum*: nimirùm eo in sensu, quo Iacobus c. 5. ait, *accipite exemplum exitus mali, & lōganimitatis, & laboris, & patientiæ, prophetas*. Ac si moneantur, ne paueant tunc in arenam certaminis descendere, quando tot alij inculpati vt oues, vsque ad mortem certarunt pro iustitia. In his autem tribulationibus quotquot Deo placuerunt, exteriùs tantummodo tacti sunt; idcircò lanæ pars est: *ex ouium tonsione*. Quo pacto Apostolus ad Colos. 4. *vt cognoscatis quæ circa nos sunt*. Et Ephesior. 6. *vt autem & vos sciatis*
E Ephes. 6. *quæ circa me sunt, quid agam; omnia vobis nota faciet Tychicus frater*: quasi dicat, [E] volo sciatis, quòd catena, & omnes tribulationes, & omnia supplicia, quæ in credito officio, mihi inferuntur, non me angunt, nec cor mutant, nec peruertunt interiùs, nec attingunt; sed certè sic angor de istis, quòd omnia circà me sunt, non intrà. Nonne ergo, aio ego, quasi ouis solummodo tondebatur? hac lana vestiendi erunt ministri Domini in fine sæculi; & sancti martyres, aduersùm plures mysticos Antichristos mansuetudine, & innocentia induti sunt. Et fortè excitando ad hoc prælium, sequitur in littera; *vt stet, & ministret nomini Domini*, &c. quatenus *gladium spiritus* assumet Sacerdos atque Leuita, quod est Ephes. 6. *verbum Dei*: quemadmodùm alias Romanor. 13. legimus, *non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est*. Hoc pugnæ ministerium prænunciat Moyses.

VERSVS VI. *Si exierit Leuites ex vna Vrbium tuarum*, &c. *& voluerit venire, desiderans locum quem elegerit Dominus.*

Locus agonis præcipuus erit Ierusalem, vbi trucidabit Antichristus Enoch, & Eliam, iuxtà quod Apocal. 11. *cum finierint testimonium suum; bestia, quæ ascendit de abysso, faciet aduersùs illos bellum, & vincet illos, & occidet eos; & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ*, idest Ierusalem, [F] inquit D. Thomas Commentario 2. & per Enoch & Eliam, Sanctos Prædicatores significari. *Si exierit* ergo *Leuites*. Mihi idem est, ac si dicat; *Si exierit* aliquis Prædicator perrecturus in Ierusalem; (vbi creditur apud Maluendam Libro 10. c. 9. reperiendos plures Christianos, ex omnibus terræ partibus, non sine Dei nutu, ob Eliam, & Enoch) *Si exierit* inquam *ex vna Vrbium, ex omni Israel, ministrabit in nomine Domini, sicut omnes fratres eius Leuitæ, qui stabunt eo tempore coram Domino*. Quonam rogo tempore? non exprimitur, sed vaga tangitur significatione; quia *de die illa nemo scit* Matth. 14. & Actor. 1. *non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Qui illuc in salutem fidelis populi accurrerit, eandem prædicationis, seu doctrinæ, aut Martyrij, mercedem cum alijs accipiet; nec meritis fraudabitur, quæ habuit priusquam desereret propria. Quod ipse in his verbis intelligo: *partem ciborum eandem accipiet, quam & cæteri. excepto eo, quod in Vrbe sua, ex paterna ei successione debetur: nam si filij & hæredes*, vt ait Apostolus Rom. 8.

VERSVS IX. *Quando ingressus fueris terram* &c. *caue ne imitari velis abominationes illarum gentium* &c.

Quæ scilicet [G] idolis seruiebant. Dicit quippe Valerius Maximus, quòd obseruatio auguriorum, & somniorum, & huiusmodi, ad Religionem pertinent, qua idola colebantur: & ideò in veteri lege, simul cum idololatria hæc omnia prohibebantur, Deut. 18.

VERSVS X. *Nec inueniatur in te qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem.*

De pluribus huiusmodi superstitiosis ritibus, videri potest [H] Sanctus Doctor: damnantur siquidem talia sciendi studia, quæ cuncta cum dæmonibus pactum & societatem vel expriment, vel inuoluunt. Vnde articulo 1. q. 96. ferens quod sequitur; *non inueniatur in te qui quærat à mortuis veritatem*, inquit; quæ quidem inquisitio innititur auxilio dæmonum. Et in opusculo [I] etiam ex D. Augustino 2. de doctrina Christiana c. 23. *Omnes artifices huius, vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta infidelis*

&

& dolosæ amicitiæ constituta, penitùs sunt repudianda & fugienda Christiano: vnde Deuteronomij 18. &c.

Verùm, cùm aliàs id Dominus vetuerit, vt Leuitici 19. & 20. mirum videretur fusiùs, & non compendiosiùs hic prohiberi, nisi subesset monitum salutare. Est autem, me iudice, arcana quædam præuentio, ne Magia, infandisque Antichristi artibus falli contingat. De quibus eruditus Maluenda lib. 6. c. 4. & infra. Et quis scit? hinc fortè texit Apostolus certam prænunciationem de illo dicens 2. Thessalonicensium 2. *cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus; & in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt*.

VERSV XIV. *Tù autem à Domino Deo tuo aliter institutus es*.

[L p. 2. 102.6.] Quærit Angelicus, [L] Vtrum fuerit aliqua rationabilis causa obseruantiarum cæremonialium, & hunc in *Sed Contra*, textum adducit: ex quo inquit potest accipi, quòd huiusmodi obseruantiæ sunt institutæ à Deo, ad quandam specialem illius populi prærogatiuam: non ergo sunt irrationabiles, aut sine causa. In Corpore autem articuli astruit, quomodo cultus legis figurabat mysterium Christi: vnde omnia eorum gesta figurabant ea, quæ ad Christum pertinent; secundùm illud 1. Cor. 10. *omnia in figuram contingebant illis*: Et ideo rationes harum obseruantiarum dupliciter assignari possunt, vno modo, secundùm congruentiam ad diuinum cultum; alio modo, secundùm quòd figurant aliquid circa Christianorum vitam. Hæc ille. Opportunè è regione ad vanas sacrilegasque Ethnicorum obseruantias, sacræ plenæ mysterijs commemorantur, vt superstitio per sanum cultum Domini eliminetur.

4 VERSVS XV. *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*.

Plenam ergo legis intelligentiam ab huius pendere voce, fit manifestum. *Ipsum audite*, intonuit etiam de Cœlo Pater, Matthæi 17. etsi adessent Moyses ac Elias. Immo ipsemet Matthæi 7. ait, *omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti* &c. Quocircà Augustinus l. de Sermone Domini in monte: *Considerandum est, quia cum dixit; qui audit verba mea hæc, satis significat, sermonem istum Domini, omnibus præceptis quibus Christiana vita formatur, esse perfectum*. De quo cosulendus est D. Thomas [M]
[M p. 2. 108. 3. & 4.] percurrens intelligentiam & complementa legis ex doctrina Christi. Ex hoc autem loco, si Prophetam alium audiri oportet, colligitur Scriptę legis cessatio: vt insinuatur ad Galatas, [N] &
[N Galat. 2.l.6.] comprobatur. Neque enim scriptæ legis, ex se mortuæ, tùnc opus est adminiculo, cùm non visus ad legendum, sed auris ad audiendum documenta viuæ vocis euocanda est. Et huc facit quod
[O 3. p. 40. 4.] Quæritur; [O] *Vtrùm Christus debuerit doctrinam suam scripto tradere*. Vbi ad secundum dicitur, quòd quia lex vetus in sensibilibus figuris dabatur, ideo etiam conuenienter sensibilibus signis scripta fuit: sed doctrina Christi, quæ est *lex spiritus vitæ*, Rom. 8. scribi debuit, *non atramento, sed spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*; vt Apostolus dicit 2. Cor. 3.

Exponendum esse contextum de Christo Domino, plusquam exploratum est Sanctis Patribus; quemadmodum affirmat [P] Angelicus. [P Ioan. 4. l. 6.]
Sic Petrus Actorum 3. *Moyses quidem dixit; quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus noster* &c. & hoc ipsum commemorat Stephanus c. 7. v. 37. Hunc Prophetam antonomasticè talem & maximum quidem expectabant Iudæi, vt obseruatur [Q] à D. Thoma, in illa interrogatione, *Propheta es tù?* ille, scilicet? & ita in græco, [Q Io. 1. l. 12.]
ponitur articulus, vt dicatur *ly*, quasi antonomasia. Et Ioannis 7. cum dixerunt: *hic est verè Propheta*; [R] non solùm Prophetam, sed verum, [R Io. 7. l. 5.]
antonomasticè intelligentes hunc esse, de quo Moyses prædixit. Licèt autem prædictio huiusmodi eorum animis insideret: nihilominus in hoc errabant, quòd opinabantur Prophetam hunc, alium esse à Christo, quem expectabant: vnde locis citatis, discrepantia illorum id manifestat; nam Ioannis 7. turba dicebat, *hic est verè Propheta*: alij dicebant, *hic est Christus*: & in priori loco, interrogauerunt Ioannem, primò an esset Christus? deinde, an esset Elias? aut denique decantatus propheta? vt notat vtrobique S. Doctor. Doctior Samaritana Ioannis 4. *Scio*, inquit, *quia Messias venit, qui dicitur Christus*: & ipsum iuxtà Moysi vaticinium facit etiam Prophetam docentem & annunciantem: *cùm ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia*: vnde & Dominus se illi [S] manifestat dicens; *ego sum qui loquor tecum*. Quomodo autem Christus dicatur Propheta, edisserit pluribus in locis: [T] quæ non vacat seorsim examinare: ibi consulatur. Vnde & ipse Dominus abiens in Galilæam testimonium perhibuit, *quia Propheta in sua Patria honorem non habet*. Est autem recolendum quomodo Christus Dominus futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos, vt notat idem Sanctus Thomas non semel. [V] Sacerdos quidem ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternùm, secundùm ordinem Melchisedech*. Rex etiam, Lucæ 1. *regnabit in Domo Iacob in æternùm*. Et Propheta ex hac authoritate. Secundùm autem hanc triplicem dignitatem, designatur esse *Christus* qui interpretatur *vnctus*. Vngebantur quippe Sacerdotes Exodi 28. quantùm ad sanctitatem: vngebantur Reges, vt patet de Dauid 1. Regum 16. & de Salomone 3. Reg. 1. quantùm ad potestatem: vngebantur & Prophetæ ad cognitionem, vt patet de Eliseo 3. Regum c. 19. Christus autem quia non est functus Sacerdotio materiali, ideò non est materiali oleo vnctus, sed oleo Spiritus-Sancti; & ideò *oleo lætitiæ*. Vides ergo, lector, quàm mirè Christum sonent quæ in præcedenti capite, & in hoc dicuntur: nam de ipso tanquam Rege; de eodem, vt Propheta; subinde vt Sacerdote. Malachias 2. *labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est*. Scientia legis

[S Io. 4. l. 2. T Matth. 13. Io. 4. l. 6. ps. 44. lit. E 3. p. 7. a. 8. V Matth. 1. Rom. 1. 1. & ps. 44.]

[X] est adeò annexa officio Sacerdotis, vt simul [X 22. 16 2. 5.]
cum iniunctione officij, intelligatur etiam & scientiæ legis iniunctio. De Christo autem, iuxta Septuaginta, vt recolit etiam S. Doctor in ps. 33. lit. h. legitur Isaiæ 9. *Et vocabitur nomen eius magni Consilij Angelus*. Ab huius ore lex Dei attendenda indicitur: *ponam*, inquit, *verba mea in ore eius*. Hoc ipsum indicatur à loco & tempore, in quo promisit hæc Deus; *Prophetam suscitabo* &c. nimirùm *in Horeb, quando concio congregata*

est : cum scilicet agebatur de lege scripta siue scri-
benda per Moysen : vt apertè designaretur, tùnc
immò, cùm lex tradebatur, ad aliam legislatio-
nem animum ferri : ipse enim Dominus Isaiæ 33.
legifer noster : & c. 42. *legem eius insulæ expectabunt*.
Nisi hoc subolfaciamus mysterium, ineptè ni-
mis, cùm lex vna scribitur, ad alterius futuri
Prophetæ legem concio euocatur. Distulit au-
tem Moyses, quod tùnc dixit Dominus, *Prophe-
tam suscitabo* &c. reuelare in futurum : quia in fu-
turo venturus erat Christus : & quia, ex instituto
magis, hic de noua lege, & opportuniùs, quàm in
Exodo agendum erat.

5 VERSVS XX. *Propheta autem qui arro-
gantia deprauatus* &c.

A Isaiæ 2. Arrogans est inquit D. Gregorius [A] qui
sibi tribuit quod non habet : Prouerb. 8. *arrogan-
tiam & superbiam, & viam prauam, & os bilingue
detestor*.

VERSVS XXII. *Hoc habebis signum :
quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, &
non euenerit* &c.

B 22. 172. 5. 3. Aliquibus signis etiam exterioribus [B] di-
scerni potest prophetia dæmonum, à prophetia
diuina : vnde dicit Chrysostomus super Mat-
thæum, quòd *quidam prophetant in spiritu diaboli,
sed sic discernuntur : quoniam diabolus interdum falsa
dicit ; Spiritus-Sanctus, nunquam*. Hoc signum
profert hic Moyses. Quare, vt caueatur dece-
ptio, non semel est recipienda prædictio : quod
& monemur supra c. 13. Neque obstat Ieremiæ
28. dici ; *cum venerit verbum eius, tùm scietur pro-
pheta, quem misit Dominus in veritate* : Id enim ibi
quasi datur ex abundanti ab Ieremia, vt fortiùs
Hananiam confundat ; cui postea dixit : *audi Ha-
nania, non misit te Dominus ; & tù confidere fecisti
populum istum in mendacio*. Igitur misericorditer
præmonet & præcauet Dominus ; ne labamur
errore, fidentes pseudoprophetis. Ad futuro-
rum quippe prænotionem sunt prouocandi, eam-
que multiplicem, iuxtà illud, *annunciate*, Isaiæ
41. *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia
dij estis vos*. Sanè proprium est scientiæ Dei, vt
C p. p. 14. 13. sit futurorum contingentium. [C] Nec Angeli [D]
D p. p. 57. 3. futurorum omnium habent cognitionem. Quare
nisi Deus reuelet, necesse est, deficiant aliquando
pseudoprophetæ.

6 Quod imperitum etiam vulgus deprehen-
dere potest, eoquòd frustrentur prædictiones
promisso euentu, sapientes aliunde dignoscent :
nimirum ex falsitate signorum. Constans quip-
E p. p. 105. 7. 22. 178. 2. Op. 2. c. 136. Op. 60. a. 15. Io. 10. l. 5. pe est ex D. Thoma [E] doctrina, solummodo à
Deo posse fieri vera miracula : *qui facit mirabilia
magna solus* ; nam operari præter ordinem causa-
rum secundarum solius Dei est, qui est huius or-
dinis institutor, & huic ordini non obligatur :
Quare etsi gentilibus aliqua mira acciderint, de
F De pot. 6. a. 5. quibus [F] alibi, non fuere simpliciter miracula :
qualia sunt restitutio visus, resurrectio mortui :
licèt enim possit natura causare vitam, non ta-
men in mortuo ; & licèt possit præstare visum,
non tamen cæco. Hinc Ioannis X. dicebant, *nun-
quid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Et
quoad substantiam simpliciter, puta vt duo cor-
pora sint simul ; vt sol retrocedat ; vt corpus hu
manum glorificetur. Attendenda ergo est facti
species : & cùm dignoscitur suprà naturam, euin-
citur ex Deo esse. Sed licèt aliquando faciat Deus
per malos etiam vera signa, ad veræ fidei com-
probationem ; nunquam tamen ad falsæ doctri-
næ contestationem. Quia vt ait idem Sanctus
Thomas ; [G] quandoque miraculum fit in testi- G Ioan. 9. l. 3.
monium prædicatæ doctrinæ ; & tunc necessa-
rium est doctrinam illam esse veram. Quan-
do etiam fit in testimonium personæ, necesse est
simpliciter quòd persona sit bona. Et ad Thes- H 2. Thess. 2. l. 2.
salonicenses, [H] nullus contra fidem facit vera
miracula, quia Deus non est testis falsitatis.
Quare ad rem nostram, cum impijssimus reue-
landus *homo peccati*, Antichristus scilicet, impu-
gnaturus sit veram fidem, phantastica quidem
poterit, virtute dæmonis, confingere facta, præ-
stigijs ludificare, & mira intra naturæ ordinem
patrare : nusquam tamen vera edere miracula,
quibus cogat doctores fide aberrare. Idcirco,
ait sacer textus, *non timebis eum* : in quo, terrifi-
cum illud monstrum insinuat : vnde & paulo ante
ob incussum aliquibus timorem, vsurpauit Moy-
ses eam phrasin : *quòd si tacita cogitatione responde-
ris* : quemadmodum & de Magno Alexandro 1.
Machab. 1. *& siluit terra in conspectu eius*. Nisi hæc
ita exponantur referanturq; ad Antichristi tem-
pora, cur quæso timori esset locus? cur tacita
cogitatione dumtaxat responderetur? Suprà c.
13. mentio fit de falso aliquo propheta ; nec
animari est opus exanimes, sed audacter non
audiendum esse, esse immò interficiendum præci-
pitur. De præpotenti ergò vno, magno seductore,
qualis erit Antichristus, sine dubio est sermo.

Vnum superest pro supra dictorum luce
maiori adnotare, triplicem Prophetiæ speciem
esse, vt pluries, & ex professo 22. 174. 1. docet
Angelicus ; prædestinationis, præscientiæ & com-
minationis ; Sic Isaias ad Ezechiam c. 38. *dispone
domui tuæ, quia morieris tu, & non viues* : sic Ionas
c. 3. *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuerte-
tur*. Re ipsa, non ita euenit : nec tamen falsi fuê-
re Prophetæ ; quia tantummodo fuere commi-
nationes : & hoc Prophetæ ipsi cognoscebant,
vt tradit de Veritate q. 12. a. 10. ad 14. Neque id
gratis asseritur, quia ex genere obiecti, de quo
prophetæ tunc loquebantur, innotescit esse pos-
se in comminationem : itemque ex verborum te-
nore ; *morieris tù, & non viues*. Nota ly *tù*, ly
non viues : nam aliàs sonaret vitiosum pleonas-
mum, Isaia indignum, qui vt ait Hieronymus,
disertus est, vt vir nobilis, & vrbanæ eloquentiæ :
aliàs tamen prænunciatur, vt ait D. Thomas,
ordo causæ ad effectum. Vt hoc animaduerta-
mus, ipse Dominus Ieremiæ 18. sic ait ; *repente lo-
quar aduersùm Gentem, & aduersùm Regnum ; vt
eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pæni-
tentiam egerit Gens illa à malo suo, agam & ego pæ-
nitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei*.
At non omnis prædictio, vt sic comminatoriè ac-
cipiatur, capax est.

CA-

CAPVT XIX.

Nu. 35.b. 10. 1 CVm disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram,
Iosu. 20.a. 2. & possederis eam, habitaueriſque in vrbibus eius, & in ædibus: 2 tres ciuitates
separabis tibi in medio Terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessio-
nem, 3 sternens diligenter viam: & in tres æqualiter partes totam Terræ tuæ prouinciam
diuides: vt habeat è vicino, qui propter homicidium profugus est, quo possit euadere. 4
Hæc erit lex homicidæ fugientis, cuius vita seruanda est: Qui percusserit proximum suum
nesciens, & qui heri, & nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur: 5
sed abijsse cum eo simpliciter in siluam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis
fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percusserit, & occiderit: hic ad
vnam supradictarum vrbium confugiet, & viuet: 6 ne forsitan proximus eius, cuius effu-
sus est sanguis, dolore stimulatus persequatur, & apprehendat eum si longior via fuerit, &
percutiat animam eius, qui non est reus mortis: quia nullum contra eum, qui occisus est,
odium priùs habuisse monstratur. 7 Idcirco præcipio tibi, vt tres ciuitates æqualis inter se
Gen. 28.c. 14. spatij diuidas. 8 Cum autem dilatauerit Dñs Deus tuus terminos tuos, sicut iurauit patri-
Sup. 12.e. 20. bus tuis, & dederit tibi cunctam Terram, quam eis pollicitus est: (9 si tamen custodieris
mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & am-
Exo. 34.c. 24 bules in vijs eius omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates, & supradictarum trium vr-
Nu. 35.c. 20. bium numerum duplicabis: 10 vt non effundatur sanguis innoxius in medio Terræ, quam
Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus. 11 Si quis autem odio
habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ eius, surgensque percusserit illum, & mor-
tuus fuerit, fugeritque ad vnam de supradictis vrbibus, 12 mittent seniores ciuitatis illius,
& arripient eum de loco effugij, tradentque in manu proximi, cuius sanguis effusus est, &
Sup. 17.a. 6. morietur. 13 Non misereberis eius, & auferes innoxium sanguinem de Israel, vt bene sit
Mat. 18.b. 16. tibi. 14 Non assumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in posses-
2 Cor. 13. a. 1. sione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in Terra, quam acceperis possidendam. 15
Sup. 13.c. 9. Non stabit testis vnus contra aliquem, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit: sed in ore
Da. 13.g. 62. duorum aut trium testium stabit omne verbum. 16 Si steterit testis mendax contra homi-
nem, accusans eum præuaricationis, 17 stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum
in conspectu sacerdotum & iudicum qui fuerint in diebus illis. 18 Cumque diligentissimè
Exo. 21.c. 23. 24 perscrutantes, inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: 19 red-
Leui. 24.c. 19. dent ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui: 20 vt audientes cæ-
Mat. 5.f. 39. teri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. 21 Non misereberis eius, sed
animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro
pede exiges.

VERSVS II. *Tres ciuitates separabis tibi in medio terræ.*

1 Cum de signandis sex vrbibus refugij, in primis, Numeri 35. præceptum sit, & Deuteronomij 4. tres eligat Moyses speciatim de alijs tribus, vsque huc supersedet tractare. Nunquid sine causa? absit. Sed cùm pauló ante de Antichristi tyrannide tactum sit, tacitè sternitur homini via, qua animaduersionem effugiat. Rei mortis sumus omnes, ex primi parentis lapsu, quemadmodum dictum est, Numeri 35. Væ ijs, qui ciuitates confugij non perquirunt. Qui inuenerint, haud timebunt. Tropologicè velim ego, triplex baptisma, fluminis scilicet, flaminis, & sanguinis, in tribus ciuitatibus interpretari. Qui ad vnam harum accesserit, in tuto erit, nec peribit; quamquam originalis homicidij extiterit particeps. Non dissonat expositio textui ex loco, quia post transitum Iordanis, vbi baptizandus erat Dominus, deposcuntur. Sic Matthæi 4. ibi *& de trans-Iordanem*, ait D. Thomas, [A] significantur illi, qui per baptismum ad Christum veniũt; in Iordane enim fuit figuratus baptismus. Reparantur *in medio terræ*: ex quo de salute illa innuitur, quam *operatus est Deus*, item *in medio terræ*. psalm. 73. Æqualitas etiam baptismi, per æqualem distantiam vrbium, satis monstratur. Præsertim arrident illarum nomina. Prima trium harum ex Iosue c. 20. dicta est *Cedes*, idest *sanctitas*. Baptismo autem fluminis nominatim attribuitur sanctitas: dicente Augustino Tractatu 6. in Ioannem; *nam si pro diuersitate meritorum baptisma sanctum est*, &c. & ante, *vt quamuis multi ministri baptizaturi essent, siue iusti, siue iniusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi, super quem descendit columba*. Et D. Gregorius Nazianzenus Oratione in Sancta lumina: *vt per hæc*, inquit, *sanctificetur aqua Iordanis*. Sanctitas ergo baptismi fluminis, est primum asylum, ad quod fugitur. Secunda vrbs est *Sichem*: hæc interpretatur *humerus*: quidni stet pro baptismo sanguinis? Constat in humero signari fortitudinem: ex qua qui martyrium suffert, fert Christi Crucem, mortem quasi Caluarium petens baptizandus eo baptismate: de quo Dominus, Lucæ 12. *ba-*

[A] Matth. in fine.

ptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur! Vrbs tertia eſt Hebron, ideſt ſocietas, quæ certè in charitate relucet, qua quis ſacrum fontem nequiens adire, ſitit fieri membrum Chriſti, & communioni Eccleſiæ in ſanctam ſocietatem corporari. Quicumque reus homicidij, vt ſuprà, ad eiuſmodi aſyla confugerit, inſidias declinabit hoſtis, & ſpiritualiter viuet. Sunt autem Leuitarum ciuitates, quia ad
B 1.p.67. a. proprium officium ſacerdotis, pertinet baptizare. Vide Numeri 35. v. 28.

VERSVS VIII. *Cùm autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos &c.*

VERSVS IX. *Addes tibi tres alias Ciuitates.*

Dilatat Dominus terminos cordis noſtri, per charitatem: *cùm dilataſti cor meum*: ſicuti & corporaliter de D. Philippo Nerio legitur: *charitate Dei vulneratus languebat iugiter; tantoque cor eius æſtuabat ardore, vt cùm inter fines ſuos contineri non poſſet, illius ſinum confractis, atque elatis duabus coſtulis, mirabiliter Dominus ampliauerit.* Hoc, interiecta parentheſi, arguitur ex littera; ſequitur enim: *ſi tamen cuſtodieris &c. vt diligas Dominum Deum tuum.* Ad has ciuitates, non dicitur confugiendum eſſe ob homicidij crimen, ſed innominatæ ſtatuuntur. Hiſtorialiter nunquam determinatæ fuerunt; quod obſeruant Interpretes: & aperiunt cauſam, quoniam promiſſio ſub conditione ſeruatæ adamuſſim legis, non fuit implenda; ſcilicet de finibus Iudæorum extendendis extrà terminos Chananeæ, etiam vſque ad Euphratem. At audio rogantem: cur ergò hæc tanguntur? arcano certè intellectu, opportunè pro remedio tribulationis, non ſolùm ſupremæ illius ſub Antichriſto, ſed & cuiuſcumque. Prima ciuitas pro diligentibus Deum, ignota ijs qui *diligunt mundum, & ea quæ in ipſo ſunt*, contrà Ioannis monitum in prima c. 2. eſt plena diuinæ voluntati ſubiectio; ſic vt illius altiſſimæ ſapientiæ, & prouidentiæ, ſiue bonum, ſiue malum acciderit, nullo renſu, humiliter addicamur. Notiſſimus vrbis huius incola Sanctus fuit Iob, qui tot preſſus aduerſitatibus, ac miſerijs, non aliud vſurpare conſueſcebat, niſi *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit Nomen Domini benedictum. Deus noſter*, inquit Dauid, *refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra*; &c. Secunda ciuitas ſit Chriſti Domini paſſio. Threnorum 3. *dabo eis ſcutum cordis, laborem tuum.* D. Petrus in prima c. 4. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*: gloſſa *ſicut ipſe ſponte & nos ſponte: ſicut ipſe omnia tolerat, & nos toleremus.* D. Auguſtinus, & fertur in Opuſculo.
C op.41.l 7.c.2. [C] *Magna conſolatio membris ex capite*: & D. Bernardus; *videntes anguſtias Domini noſtri, leuius veſtras portabitis.* D. etiam Gregorius, [D] *ſi paſſio*
D op.41.l 5.31. *Domini ad memoriam reuocetur, nihil eſt adeò durum, quod non æquo animo toleretur.* Romanor. 8. *proprio filio non pepercit.* Hebræor. 12. *flagellat autem omnem filium quem recipit*, & priùs, *quis enim filius, quem non corripit Pater? ſi extrà diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & non filij eſtis.*
E Sup. c. 31. Vnde Auguſtinus, [E] *ſi exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Patiamur ergo perſecutiones forti animo, quia vt ai D. Petrus in 1. c. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigi eius: qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolu in ore eius.* Quare dicente Domino; *ſi me perſecut ſunt, & vos perſequentur*: iuuat pro eis ad meritum ſuſtinendis, ſympathico veluti quodam affectu, illud ad mortem vſque dulciter iterare Galat. 2. *Chriſto, confixus ſum Cruci.*

Tertia vrbs ad effugium, *vrbs eſt Ieruſalem Beata, dicta paſſio viſio, quæ conſtruitur in cœlis vi us ex lapidibus: vbi tunſionibus, preſſuris expolit lapides, ſuis coaptantur locis per manus artificis, diſ ponunturque permanſuri ſacris ædificijs.* Illò tan quam ad optimum ſecuritatis locum eſt euolandùm. Salomonia illa ſeptem Martyrum Mate octies martyr, ſingulos hortabatur *voce patri* fortiter, repleta ſapientia: erat ad cœleſtem patriam collimatio: meritò de patria voce refer tur. Septimo, quod in primis obiecit, fuit iſtiuſ modi, *peto te nate vt aſpicias ad Cælum*; multam mercedem, ſeu potius mercedis retributorem inſinuans; vt erigeretur & ipſe *in ſpem viuam* p Petri 1. Et quoniam ſeptimus erat, illud recole ret Iob c. 5. *in ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum*: ſcilicet [F] in ſe tribulationibus præſentis vitæ, quæ per ſex ætates diſtinguitur, & in ſeptima non tanget te malum. Iſaiæ 28. *non in perpetuum triturans tritura bit.* Pſalmo 26. *protexit me in abſcondito taberna culi ſui*; & pſal. 30. *abſcondes eos in abſcondito fa ciei tuæ à conturbatione hominum*; [G] tribulati, & opprobijs hominum vexati, mente intrantes a vultum Dei non turbantur. Hoc eſt, quod aiebat Apoſtolus; *in omnibus tribulationem patimur ſed non anguſtiamur.* Et loquitur [H] ad ſimilitudinem viatoris, qui quando non patet ei via qu exeat de aliquo arcto loco, anguſtiatur: qua dicat &c. nos licèt tribulemur in Mundo; qui tamen confidimus de Deo, & ſperamus in Chriſto, patet nobis via euaſionis, & auxilij à Deo & ideò non anguſtiamur. Quod Gregorius iten his verbis notat, *conſideratio præmij, minuit vim flagelli. In hac valle miſeriæ, Mater ſuccurrat filiæ* canit Eccleſia.

Dices, cur quæ hactenus expoſuimus tribulationum effugia, ciuitatum nomine, & ſignificatione cenſentur? Reſpondeo multiplici de cauſa, aliàs ex D. Thoma. [I] Priores tres prima Ciuitatis nemenclaturam obtinent; quia *Ciuitas* eſt, quaſi *ciuium vnitas*: per baptiſmum autem incorporantur Chriſto fideles, [L] fiuntque membra ipſius: iuxta illud Gal. 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Aſſumuntur etiam in vnitatem fidei; & in Eccleſia naſcuntur, ſeu potiùs renaſcuntur, quæ Ciuitas eſt Dei. Vnde ibidem in pſal. 45. Eccleſiam ex eo etiam Ciuitatem vocat, quòd habeat ſufficientiam per ſe: in vico enim non inueniuntur omnia neceſſaria vitæ humanæ, ſanis & infirmis; quemadmodum eſt in Eccleſia: quia quicquid neceſſarium eſt ad vitam ſpiritualem, in ea inuenitur; pſ. 64. *replebimur in bonis domus tuæ.* Et ecce quomodo in littera conſentit Moyſes dicens; *hæc erit lex homicidæ fugientis, cuius vita ſeruanda eſt*: & rurſùm; *confugiet, & viuet.*

Sed miſſis huiuſmodi; alio ex capite, Ciuitates poteſt dici deſignare, non turres & arces;

M Psal. 45. quia in Ciuitate [M] habitant quiescentes, in tabernaculo militantes. Ecclesia quæ hic habet pacem, scilicet ex Deo, & tamen patitur inquietem à Mundo, Io. 16. *in Mundo pressuram habebitis, in me autem pacem*; propter primum dicitur Ciuitas, propter secundum, Tabernaculum. Igitur cohærent, quæ hic scrutamur, & pro modulo elucidamus, cum dictis in calce capitis præcedentis, vt insurrectutis tot malis & turbinibus, plurima Ciuitatum quies astruatur. Et licèt vna sit quies: iuxtà illud Augustini, *omnia dura sunt, tù solus requies*: nihilominus, ad ipsius etiam innuendam plenitudinem, proponitur pluralitas Ciuitatum magnarum: est vrbium encomium, pluraliter enunciari: *Venetiæ, Parisij, Ierosolymæ*; eo quòd quasi collectæ sint plures in vnam: sic non fuerit absurdum, senis (qui numerus perfectus est) his Ciuitatibus ingentem securitatem spiritus, & magnitudinem quietis prænunciari. Et sane consequenter ad dicta, statim sequenti capite agitur de bello, & de pugna: vt miro modo, esset nobis indicio, de quiete fuisse prælibatum in Ciuitatis metaphora. Post quam, ad militandum, exiremus: ideoque inquit, *si exieris ad bellum*: Et vnde? certè è Ciuitatibus, vbi habitant quiescentes. Nisi enim significatio quietis huiusmodi intenderetur, opportuniùs videbatur assumi in securitatem lorus tabernaculi, tanquam sacer: quemadmodum
4
N op. 10. 2. 16. Romulus, vt historiæ tradunt, [N] in primordio sui regiminis fabrirauit asylum, quod templum paris nominauit, multis amplians gratijs: pro cuius Numine, & reuerentia, omnem sceleratum, qui ad ipsum confugeret, cuiuscunque status esset, reddebat immunem: & Alaricus, ex Orosio lib. 7. c. 39. Romam irrumpit, dato tamen præcepto priùs, vt si qui in Sancta loca, præcipuèque ad Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, confugissent Basilicas, hos in primis inuiolatos, securosque esse finerent. Sed in Ciuitate, vt dictum est, habitant quiescentes: ideò sunt Ciuitates asyla. In horum comprobationem, in proximo capite tangetur de Sacramento Confirmationis: ex quo spiritualiter fortiùs egrediamur ad pugnam. Comprobatio est ergo, de baptismo fuisse præmittendum.

VERSV eodem IX. *Et supradictarum trium vrbium numerum duplicabis*.

Postquam dixerat, *addes tibi tres alias Ciuitates*: nisi abstrusum quid vellet innuere, redundanter adderet Moyses, *numerum duplicabis*. Quare putauerim ego, eatenùs dici, quatenùs immò, oborta difficultate, mens possit elicere veræ interpretationis firmitatem. Itaque duplicari oportet mysticas Ciuitates, sic vt vnius cum altera emicet conuenientia. Et ecce Dei largitate, rem nos assecutos; siquidem Ciuitati primæ *Cedes* in qua intelleximus fluminis baptismum, optimè adnectitur diuinæ omni dispositioni humilis addictio, quò confugit qui Deum diligit: nàm cùm hæc subiectio, ex humilitate cordis ociatur, adduplicatur baptismo, qui præbet clarum specimen humilitatis; vel quia indirat mortem, ad quam vsque *semetipsum* Christus *humiliauit*, Philip. 2. Romanor. 2. *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*, nàm,
O 3. p. 66. 9. 5. vt ait D. Thomas, [O] commemoratur in baptismo mors Christi, in quantùm homo Christo commoritur, & in nouam vitam regeneratur: & Augustinus [P] *illa tertiò repetita immersio typum dominicæ exprimit sepulturæ*: vel quia, inclinatur caput sub aqua, aut sub ablutione. Quapropter & *Iordanis* vbi Christus baptizatus est, interpretatur *descensus*: Et cum [Q] dixit, *sic decet, nos implere omnem iustitiam*, exponitur de humilitate. P 3. p. 66 8. 1. Q Matth. 3.

Ciuitati secundæ, quæ *Sichem*, quæque stet pro baptismo sanguinis, perspectum est, secundam aliam adduplicari; in qua passio & mors Christi compassiuam reducitur in recordationem.

Tertia denique Ciuitas, quæ *Hebron*, idest *societas*, ad tertium aliud asylum habitudinem habet: cum in Cœlo, quò aspicitur in tribulatione, extet perfecta societas sanctorum ciuium, & insolubilis mutui amoris nexus: vbi, quod ait Augustinus Tract. 26. in Ioannem sub fine, *pax erit, & vnitas plena, atque perfecta*. Sic duplicantur inuicem Ciuitates. *Ad societatem ciuium supernorum perducat nos Rex Angelorum*, inquit Ecclesia: & in Canone; *partem aliquam & societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus*.

VERSVS XI. *Si quis autem odio habens proximum suum insidiatus fuerit vitæ eius*.

Non tàm præscribitur de delicto homicidij, quàm commissionis modus describitur: & quidem præsumitur esse occisio innocentis. Vnde videtur referri posse ad cædem, quam nihilominus acturus est Antichristus, Sanctorum fidelium. Sanè rum dictum satis fuisset, Numeri 35. de huiusmodi facinore, esset superuacaneum repetere, quando non lateret mysterium. Idcircò dicitur, *non misereberis eius*; vtpote quia odio crudeli insectatus Christianos, ipsis per varias vias mortem intulerit. Incapax ergo miserationis, per manum proximi morietur. Er quis est iste proximus? Lucæ 10. *Samaritanus*, qui consueuit facere misericordiam: Christus Dominus, qui *spiritu oris sui interficiet impium*. 2. Thess. 2. Mouet quæstionem S. Doctor super D. Paulum recolentem; *irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur*, 5
dicens [R] nunquid lex Dei, excludit misericordiam? Constat quòd non. Osee 6. *misericordiam volui & non sacrificium*. Respondeo; Dicendum est, quòd differunt misericordia, clementia, & venia: quia misericordia est quando homo, ex quadam passione cordis & animi mouetur ad remittendam pœnam: & hoc aliquando est contrà iustitiam, & illam prohibet. Venia autem est, quando propter aliquam vtilitatem publicam, remittit aliquid de pœna debita. Clementia est, quando non solùm de pœna aliquid, sed etiam de culpa remissiùs iudicat. Arbitror ego, cùm iudicat, minùs voluntariè commisisse culpam, indeque excusatur reus *non à toto*, sed fortè *à tanto*: Sic alibi; [S] multùm differt, an aliquis voluntariè, vel inuoluntariè alium lædat; voluntario debetur pœna, sed inuoluntario debetur venia. Aliàs, an possit Iudex licitè pœnam relaxare, vide. [T] R Hebr. 10. l. 1. S 2. 2. 68. 4. 1. T 2. 2. 67. 4.

VERSVS XIV. *Non assumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua &c.* 6

Licèt litteraliter possit accipi: de quo infra

c.27. tamen, quia in hoc vno, prospicere indemnitati proximi, non magnum est, placet, quod ait Hugo noster, interpretari etiam mysticè: ne regulæ viuendi, inquit, & Patrum præcedentium definitiones transmutentur. Et quoniam hanc eandem sententiam habemus Prouerb. 22. *ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*: iuuat audire Sanctum Doctorem in primo Commentario Apocalypsis, ibi, *statera in manu sua*; V Apoc. 6 Genesis inquit 49. *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos*: *Issachar* interpretatur *Dominum commemorans*: & significat doctorem Catholicum, qui semper accubat inter terminos, quos Patres posueruut, idest sequitur Sanctorum expositiones: statimque ad corroborandum dictum suum, fert ly Prouerb. *ne transgrediaris terminos antiquos* &c. Sic in 2. Petri c.3. ibi, *ne insipientium errore traducti*; idest, inquit, vltrà mensuram, seu metas & terminos fidei ducti: Prouerb. 22. *ne transgrediaris* &c. Sic 2. Machabæor. 6. *misit Rex* (Antiochus) *qui compelleret Iudæos, vt se transferrent, à patrijs & Dei legibus*. *Non transferes*, ait hic Dominus: etsi futurum sit, vt Antichristus quiuis compellat etiam crudeliter occidendo, qui veram fidem, quam fixerunt priores, noluerint abnegare. Ait relatus à X Apoc. 4 S. Doctore in 2 Commentario X D. Gregorius, *vna fuit fides veterum & nouorum Patrum*: quanquam gradatim A illuminati sint, quoad fidei articulos. A 21.1.7. & q. 172. 6.

VERSVS XV. *Non stabit testis vnus contrà aliquem*, &c.

Cùm de numero testium, paulo ante c.17. lex tradita sit, credendum est, iterari illius recordationem, non ad instruendum, quod iam factum est, sed pro excitamento ad confutandum, tanquam confutatio magna mendacis alicuius intendenda sit.

7 VERSVS XVI. *Si steterit testis mendax contra hominem; accusans eum præuaricationis*.

Accusator mendax præ manibus habetur. Et quis est iste? Diabolus & Satanas: hic Apocalypsis 12. dicitur *accusator fratrum nostrorum* &c. B Apoc. 12. Dicit glossa; B *officium diaboli est accusare*. Est etiam ipse mendax iuxta illud Ioannis 8. *ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo*: cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & Pater eius. Diabolus quippe C primò mendacium inuenit; cum scilicet mulieri mentitus est: *nequaquam moriemini*, Genes. 3. quod qualiter verum C Ioan. 8. 16. fuerit, rei euentus postmodùm comprobauit. Ad hunc innuendum antonomasticè mendacem non solum *falsus testis*, commemoratur, sed additur, *dixisse mendacium*: quod satis exprimebatur in ly *falsum testem*. Sed quomodo dicitur accusator? D nunquid vocat vel adducit coram D Apoc. 12. Com. vtroq. iudice? Respondetur; Diabolus dicitur accusare, potiùs facto, & desiderio, quàm verbo accusatorio; scilicet, quia homines accusabiles facit, per tentationes deijciendo; vel accusabiles facere laborat: vndè Haymo, *accusatio diaboli, nil aliud est, quàm ad malum præcipitatio: tunc accusat, quando dignos accusatione reddit; non loquendo exteriùs, sed interiùs ostendo*: hoc etiam modo exponit glossa. Veruntamen, si opportunum sibi videret, accusaret coram sanctis Angelis, & Deo, homines, vel verbo interiori, vel verbo exteriori in corpore assumpto. Sed quæritur; quare dicit singulariter *accusator*? Solutio; E E Apoc. 12. Com. 1. propter vnitatem intentionis omnium dæmonum: vel hoc refertur ad principem dæmonum, à quo mittuntur alij. Crediderim ergo ipse, voluisse Dominum, hæc de falso teste ac mendaci accusatore interseri; vt arcana intelligentia, subijceret fidelibus, primi mendacis & potissimi accusatoris, nimirum diaboli, vaferrimam indolem: ex quo ipsius tentamenta. nec non & Antichristi, qui erit princeps diaboli membrum, Impiorumque aliorum suggestiones ad peccandum præcauere doceremur: declinantes per dissensum accusationem, videlicèt, ne simus ob id accusabiles. Quod si contigerit per ipsum, aut ipsius membra re quoque falsò accusari, & de quouis facinore mendaciter grauari, suppetit ex sacro textu inde consolatio, quòd aliquando ante Dominum *in conspectu Sacerdotum & Iudicum*: hoc est in finali iudicio, quando sedebunt super sedes duodecim, iudicantes, *diligentissima erit perscrutatio*: vbi iustificatis, qui æstimabantur cupiebanturque accusabiles, palam fiet mendacium: & mendax omnis accipiet pro merito pœnam, factus reus culpæ, quam fratri suo studuit inurere. *Sic animam pro anima, oculum pro oculo* &c. vniuersam talionis pœnam lex exigit: in qua multiplici, quàm graue futurum sit Diaboli, Antichristi ac sectariorum supplicium, videtur signari: neque enim adeò coacernantur pœnæ, Leuitici 24. vbi de eo, *qui irrogauit maculam cuilibet ciuium suorum*, etiam decernitur,

CAPVT XX.

1 SI exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem
quàm tu habeas aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Domi-
nus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de Terra Aegypti. 2 Appropinquante
autem iam prælio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: 3 Audi Israel,
vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis: non pertimescat cor vestrum,
nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: 4 quia Dominus Deus vester in
medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. 5
Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis est homo, qui
ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam,
ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam. 6 Quis est homo qui plantauit vineam, I. Mac. 3. g. 56.
& necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & reuertatur

in domum suam: ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. 7 Quis
est homo, qui despondit vxorem, & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum
suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. 8 His dictis addent reli-
Iudic. 7. 8. 1. qua, & loquentur ad populum. Quis est homo formidolosus, & corde pauido? vadat,
& reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore
perterritus est. 9 Cumque siluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, vnus-
quisque suos ad bellandum cuneos præparabit. 10 Si quando accesseris ad expugnandam
ciuitatem, offeres ei primùm pacem. 11 Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus
populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. 12 Sin autem fœdus in re-
noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. 13 Cumque tradiderit Dominus
Deus tuus illam in manu tua, percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore
gladij, 14 absque mulieribus & infantibus, iumentis & cæteris, quæ in ciuitate sunt.
Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de spolijs hostium tuorum, quæ Domi-
nus Deus tuus dederit tibi. 15 Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ a te procul valde sunt,
& non sunt de his vrbibus, quas in possessionem accepturus es. 16 De his autem ciuitati-
bus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere: 17 sed interficies in ore gla-
dij, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum, & Heuæum,
& Iebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: 18 ne forte doceant vos facere
cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt dijs suis: & peccetis in Dominum Deum
vestrum. 19 Quando obsederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdede-
deris vt expugnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per
circuitum debes vastare regionem: quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellan-
tium contra te augere numerum. 20 Si qua autem ligna non sunt promifera, sed agrestia,
& in cæteros apta vsus, succide, & instrue machinas, donec capias ciuitatem quæ contra te
dimicat.

QVo studio sequantur, quæ Moyses exequitur in hoc capite, ad caput præcedens, liquebit ex dicendis mysticè ad versum octauum. Interim est

1 VERSVS I. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos: &c. non timebis*. Et paulo post: *nolite metuere, nolite cedere.*

Quatuor præcipua hic notanda sunt, quæ expenduntur in prima secundæ. [A] Conuenienter, inquit, præcepta tradidit, quantum etiam ad hostilem communicationem: nàm primò quidem instituit vt bellum instè iniretur: mandatur enim Deuteronomij 20. quòd, quando accederent ad expugnandam ciuitatem, offerrent ei primò pacem, (Ita versu 10.) Secundò instituit, vt fortiter bellum inceptum exequerentur, habentes de Deo fiduciam: & ad hoc meliùs obseruandum, instituit, quòd imminente prælio, Sacerdos eos confortaret, promittendo auxiliū Dei. Vbi notat D. Thomas p. 2. 100. 11. ad 3. dari præceptum de actu fortitudinis. (Ita versu 2. & sequentibus) Tertiò mandauit, vt impedimenta prælij remouerentur, remittendo quosdam ad domum, qui possent impedimenta præstare. (Ita versu 5. & infrà.) Quartò instituit, vt victoria moderatè vterentur, parcendo mulieribus, & paruulis; & etiam ligna fructifera regionis non incidendo.

A p. 2. 105. 3.

2 Circà quæ, audiamus eundem S. Doctorē, iterùm atque iterum necesse est. Et quidem nouus ædificator domus, aut plantator vineæ, vel desponsator vxoris [B] excludebatur à prælio, propter duo. Primò quia ea, quæ homo de nouo habet, vel statim paratus est ad habendum, magis solet amare, & per consequens eorum amissionem timere: vnde probabile erat, quòd ex tali amore, magis mortem timerent; & sic minùs fortes essent ad pugnandum. Secundò quia sicut Philosophus dicit in 2. Physicorum, infortunium videtur, quòd aliquis appropinquans ad aliquod bonum habendum, postea impediatur ab eo: & ideò, ne propinqui remanentes, magis contristarentur de morte talium, qui bonis sibi paratis potiti non fuerant, & etiam populus considerans hoc, horreret, huiusmodi homines à mortis periculis sunt sequestrati, per subtractionem à prælio. Timidi autem [C] remittebantur ad domum: non vt ipsi ex hoc commodum consequerentur; sed ne populus ex eorum præsentia incommodum pateretur; (ouis vna morbida ac infecta inficit seu corrumpit ouile) dum per eorum timorem, & fugam, etiam alij ad timendum & fugiendum prouocarentur. Alibi [D] recolens huius generis homines, qui lege diuina arcentur à prælio; nimirùm, qui ædificasset domum, & non fuisset vsus; qui plantasset nouam vineam; qui in proximo vxorem duxisset; ait, quoniam hæc tria rationem distrahunt à pugnante, & ex hoc efficitur minùs audax. Quartum genus est nimis timentium mortem, qui à Sacra Scriptura *formidolosi* vocantur. Vegetius autem in principio primi libri, inter artifices, quinque genera hominum dicit excludenda à castris: videlicet, *piscatores, aucupes, dulciarios*, idest qui delicijs intendunt; *Lygodes*, (mendoso in textu, *lenciones*) idest, qui molles sunt & flexibiles; & qui videntur intendere ad *gynæcea*, idest ad opera muliebria, vt sunt opera textrina, siue lanaria.

B loco cit. ad 5.

C ibidē.

D Op. 10. l. 4. c. 10.

De timore, de fortitudine in bello, & de præoptanda pace, plura bellè congeruntur [E] in Opusculo; sicut infirmi qui credunt se proximos morti, paratissimi volunt esse ad moriendum; sic milites pugnaturi, parati debent esse mori, cùm sint morti propinqui. Aiebat Seneca; *perniciosior est hostis fugientibus*. Multùm ira-

E Op. 41. l. 7. c. 1.

tus

tus fuit Iosue c. 7. videns populum Domini fugientem. *Domine Deus*, inquit, *quid dicam, videns Ierusalem hostibus suis terga vertentem?* Miles cùm armatur ad pugnam, cogitare debet, à quo habet fortitudinem; vt pugnando, ipsius gloriam quærat. Augustinus in Epistola; *Primum hoc cogita, quando armaris ad pugnam; quia virtus tua ipsa etiam corporalis, donum Dei est: si enim sic cogitabis de dono Dei, non facies contra Deum.* Spem & fiduciam debet habere miles in Deo, non pusillanimiter acturus, sed fortiter: viuere, vel mori paratus, exemplo illorum militum strenuissimorum, de quibus legitur 1. Machab. 4. *Videns Lysias suorum fugam, & Iudæorum audaciam; & quòd parati essent aut viuere, aut mori fortiter, abijt Antiochiam, &c.*

3 Præterea debet Princeps, & cœtus militum bellando pacem intendere: iuxtà illud Augustini in Epistola; *esto in bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas: beati enim pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Idem; *pugnantem hostem necessitas perimat, non voluntas.* Sicut bellanti, & resistenti violentia redditur; sic iam victo vel capto misericordia debetur; maximè in quo pacis perturbatio non timetur. Idem 19. de Ciuit. Dei; *constat pacem belli esse optabilem finem.* Deuteronomij 20. *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem.*

VERSVS XII. *Sin autem fœdus inire noluerit.*

VERSVS XIII. *Cùmque tradiderit, &c.*

4 F p.2.105 3.4. Circa Ciuitates hostium [F] quædam distinctio adhibebatur: quædam enim erant remotæ, non de numero illarum vrbium, quæ eis erant repromissæ; & in talibus vrbibus iã expugnatis, occidebantur masculi, qui pugnauerant contrà populum Dei; mulieribus autem, & infantibus parcebatur. Sed in ciuitatibus vicinis, quæ erant eis repromissæ, omnes mandabantur interfici, propter iniquitates eorum priores, ad quas puniendas, Dominus populum Israel diuinæ iustitiæ executorem mittebat: dicitur enim Deuteronomij 9. *quia illæ egerunt impiè, introeunte te, deletæ sunt.* Ligna autem fructifera mandabantur reseruari propter vtilitatem ipsius populi, cuius ditioni ciuitas, & eius territorium erat subijciendum:

G p.2.108 3.2. Ex hoc & similibus Sacræ Scripturæ locis, [G] in quibus dantur præcepta de hostium interfectione, credebant Iudæi, motum odij esse licitum: *audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*; Matth. 5. Sed lex ita statuit, propter iustitiam implendam, non propter odia exaturanda: ideò Dominus docet, vt ad inimicos dilectionem habeamus, & parati simus, si necesse fuerit, etiam benefacere: hæc enim præcepta secundùm præparationem animi sunt accipienda, vt Augustinus exponit.

H 22.108 ad 3. Quare autem etiam paruuli mandentur occidi, (quod aliàs dixi) [H] est à D. Thoma enucleatum in hæc verba: Paruuli diuino iudicio simul puniuntur temporaliter cum parentibus; tùm, quia sunt res parentum, & in eis etiam parentes puniuntur; tùm etiam quia hoc in eorum bonum cedit; ne, si reseruarentur, essent imitatores paternæ malitiæ; & sic grauiores pœnas mererentur. De quo vide alibi, vt in prim 2. q. 87. a. 8. & locis in margine.

Quærit autem Angelicus; [I] *Vtrum in le diuina, conuenienter præcepta fortitudinis tradantu* & hæc tangens obijcit secundò; præcepta affi matiua videntur esse potiora præceptis negat uis, quia affirmatiua includunt negatiua, se non è conuerso: inconuenienter ergo in lege d uina ponuntur præcepta fortitudinis solùm n gatiua, timorem prohibentia: & Respondei quòd lex in suis præceptis habet communem i structionem, ea verò quæ sunt agenda in pericu lis, non possunt ad aliquod commune bonum reduci, sicut ea quæ sunt vitanda; & ideò præc pta fortitudinis magis dantur negatiuè, qua affirmatiuè. Necesse autem fuit, (quod præmi tit ibidem ad 1.) vt in veteri lege populus i strueretur, qualiter pugnare deberet etiam co poraliter, pro terrena possessione acquirend quia, vt Augustinus dicit contrà Faustum, vet testamentum habebat temporalia promissa; n uum autem spiritualia & æterna. Hinc est, in n uo testamento instruendos fuisse homines, qu liter spiritualiter certando, ad possessionem v tæ æternæ peruenirent; secundùm illud Matth 12. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti ra unt illud, &c.* quia tamen homines ad spiritual bona tendentes, ab eis retrahi possunt per co poralia pericula; fuerunt etiam in lege diuina danda fortitudinis præcepta ad sustinenda fort ter temporalia mala, secundùm illud Matth 10. *nolite timere eos, qui occidunt corpus.*

Ex his, non est dubium, posse nos mystic quæ hic traduntur, exponere; & ideo sit

VERSVS VIII. *Quis est homo formidol sus, & corde pauido?*

Ad hunc, fertur glossa [L] huiusmodi: *doc non posse quemquam professionem contemplationi vel militiæ spiritualis accipere, qui adhuc nudari te renis opibus pertimescit.* Verum pressiùs in sententiarum rem hanc elucidat Licèt enim (quod tradit in prima secundæ) [M] Sacrament confirmationis, quod est Sacramentum plenitu dinis gratiæ, non corresponderit in veteri leg aliquod Sacramentum; quia nondum aduenera tempus plenitudinis. (*nihil enim ad perfectũ addu xit lex*, Heb. 7.) & prætereà nõ fuerit tunc necess institui simile Sacramentum, quod est ad hoc, v homo accipiat Spiritum Sanctum, [N] ad robu spiritualis pugnæ, vt fortiter, etiam inter ad uersarios sit, Christi fidem confiteatur; qui [O] in veteri lege nondum erat tempus *per stulti tiam prædicationis* propagandi cultum Dei; vnde talis pugna de confessione fidei, non multum erat necessaria: attamen erat etiam in veteri lege, distinctio caracteris confirmationis præfigurata, in distinctione timidorum à fortibus in bellis. Hæc D. Thomas: & præmiserat in corpore, quomodo in lege noua, tempore persecutionis, eligebantur aliqui, qui deberent in loco persecutionis, remanere, ad publicè nomen Christi confitendum; alijs occultè credentibus sicut patet, inquit, in legenda Beati Sebastiani. Satis ergo liquet, in præsenti capite tangi de Sacramento Confirmationis. Quare cùm caracter confirmationis, præsupponat characterem baptismi; [P] efficitur, vt sana interpretatione capitis præcedentis, deprehenderimus ba-

ptiſmi ſymbolum, in terna illa refugij Ciuitate. Et innoteſcit, quàm mirabiliter, etſi arcano ſtudio, præluſerit nouæ legis myſterijs Deuteronomium. Nectè illud Iudæ in Epiſtola, vbi deprecatur *ſupercertari ſemel traditæ Sanctæ fidei:* quatenùs certamini [a] interiori, quo captiuatur intellectus, oportet addere certamen exterius, quo confundatur hæreticus. [a] Q Iudę e. vaicu.

CAPVT XXI.

1 QVando inuentum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ho-
minis cadauer occiſi, & ignorabitur cędis reus, 2 egredientur maiores natu,
& iudices tui, & metientur a loco cadaueris ſingularum per circuitum ſpatia
ciuitatum: 3 & quam viciniorem ceteris eſſe perſpexerint, ſeniores ciuita-
tis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram ſci-
dit vomere, 4 & ducent eam ad vallem aſperam atque ſaxoſam, quæ numquam arata
eſt, nec ſementem recepit: & cædent in ea ceruices vitulæ: 5 ſuccedentque ſacerdotes fi-
lij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus, vt miniſtrent ei, & benedicant in nomine eius,
& ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum eſt, iudicetur.
6 Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntque manus ſuas ſuper vi-
tulam, quæ in valle percuſſa eſt, 7 & dicent: Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem
hunc, nec oculi viderunt: 8 propitius eſto populo tuo Iſrael, quem redemiſti Domine, &
ne reputes ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael. Et auferetur ab eis reatus ſan-
guinis: 9 tu autem alienus eris ab innocentis cruore qui fuſus eſt, cum feceris quod præce-
pit Dominus. 10 Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Do-
minus Deus tuus, in manu tua, captiuoſque duxeris, 11 & videris in numero captiuorum
mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem, 12 introduces eam
in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, 13 & deponet veſtem, in
qua capta eſt: ſedenſque in domo tua, flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe: & poſtea
intrabis ad eam, dormieſque cum illa, & erit vxor tua. 14 Si autem poſtea non ſederit
animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per poten-
tiam: quia humiliaſti eam. 15 Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram
odioſam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, 16 volueritque
1 Par 5 a. 1. ſubſtantiam inter filios ſuos diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, &
præferre filio odioſæ. 17 Sed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitque ei de his
quæ habuerit cuncta duplicia: iſte eſt enim principium liberorum eius, & huic debentur pri-
mogenita. 18 Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris,
aut matris imperium, & cęrcitus obedire contempſerit. 19 apprehendent eum, & ducent
ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, 20 dicentque ad eos: Filius noſter iſte
proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, &
luxuriæ atque conuiuijs. 21 Lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt aufe-
ratis malum de medio veſtri, & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat. 22 Quando pecca-
uerit homo quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo:
Gal. 3. b. 13. 23 non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur: quia maledictus à
Deo eſt qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis Terram tuam, quam Dominus
Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem.

1 VERSVS I. *Quando inuentum fuerit in terra, &c. hominis cadauer occiſi, &c.* In hoc capite de homicidio occulto, quo ritu expiandum: de femina captiua in vxorem ducenda: de filio odioſæ vxoris primogenito, non poſthabendo etiam ſi alter fuerit filius dilectæ in primogenitis: de filio qui euaſerit contumax lapidando: denique de cadaueribus ſuſpenſorum, eodem die ſepeliendis. Certè diſparatæ res iſtæ indicant aliquid, ex quo motus ſit Moyſes à Spiritu-ſancto, vt ſimul congererentur: aperta enim adeò materiæ incompactio, cogit pij lectoris animũ, vt nitatur, humili ſed ardenti ſtudio, pulſare & petere; donec diuinam hauriat intelligentiam: ex quo, quàm alta ſapientia, hæc nobis tradantur admirabundus ſuſcipiat. Sanè cùm paulo ante, de bello gerendo actum ſit: videbatur congruum, vt ſtatim adnecteretur de captiua muliere pulchra: cur de cadauere inuento, hiulca oratione interſeritur? Igitur, ne ieiuni abeamus; ſic aliquatenùs litteram exponemus, vt ſpiritu potiſſimùm immoremur. Vno verbo, mirificè inſtruimur, & edocemur, qualiter, quibus armis, Iudæos in ſua incredulitate, præcipuos fidei Chriſtianæ hoſtes aggrediamur: ne ſcilicèt Crux Chriſti ſit illis ſcandalo. Quibus etiam telis Antichriſti ipſius, de quo ſuprà, ſeductio confodi poteſt.

Itaque, *quando inuentum fuerit, &c. hominis cadauer occiſi.* Quocirca, S. Doctor; [a] Ratio litteralis iſtius mandati fuit, vt Rabbi Moyſes dicit; quia frequenter interfector eſt de ciuitate propinquiori: vnde occiſio vitulæ fiebat ad ex- [a] 1. 2. q. 105 a. 12.

ploran-

plorandum homicidium occultum: quod quidē fiebat per tria. Quorum vnum est, quòd seniores Ciuitatis iurabant, nihil se prætermisisse in custodia viarum. Aliud est, quia ille, cuius erat vitula, damnificabatur in occisione animalis: & si priùs manifestaretur homicidium, animal non occideretur. Tertium est, quia locus, in quo occidebatur vitula, remanebat incultus: & ideò ad euitandum vtrumque damnum, homines ciuitatis, de facili manifestarent homicidam, si scirent: & raro poterat esse, quin aliqua verba vel indicia, super hoc facta essent. Vel hoc fiebat ad terrorem, in detestationem homicidij. Per occisionem enim vitulæ, quæ est animal vtile, & fortitudine plenum, præcipuè antequam laboret sub iugo, significabatur, quòd quicumque homicidium fecisset, quamuis esset vtilis, & fortis, occidendus erat, & morte crudeli; quod ceruicis concisio significabat: & quòd tanquam vilis, & abiectus, à consortio hominum excludendus erat: quod significabatur per hoc, quod vitula occisa in loco aspero & inculto, relinquebatur in putredinem conuertenda. Mysticè autem per *vitulam de armento*, significatur caro Christi; *quæ non traxit iugum*, quia non fecit peccatum: *nec terram scidit vomere*, idest seditionis maculam non admisit. Per hoc etiam quòd in valle inculta occidebatur, significabatur despecta mors Christi, per quam purgantur omnia peccata; & diabolus esse homicidij auctor ostenditur.

3 Sapienter autem Angelicus litteram istam refert ad Christum, tangens, ex circunstantijs haberi. Et quidem, iugum pro peccato accipi, aliunde constat; vt 9. Isaiæ *iugum enim oneris eius*:
[B 1.Cor.6 1.3.] iugum [B] enim diaboli est ipsa iniquitas, quæ ligat ad malum, & ad malè faciendum. Item *non scidit* Christus *terram vomere*. Cum enim seditio sit studium diuisionis ciuitatis, vel regni vt pa-
[C 12.41.1] tet, [C] rectè per scissuram significatur. Sic nomen
[D 22.39.2] schismatis à scissura animorum [D] vocatum est: calumniabātur de hoc Christum dicentes impiè, *hunc inuenimus subuertentem plebem, & prohibentem tributa dari Cæsari*. Ex contextu autem liquet etiam, pro Christo denarrari cædem vitulæ: tùm quia, non sine causa, proximiores delicti loco asciscuntur, ad illius exequendam mortem: & iam sic accidit; siquidem Iudæi, *quorum*, vt dicitur Roman. 9. *erat adoptio, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa*, cæteris viciniores erant, in quantùm, facti notitiam, magis quā gentes, habebant quoad Christū: & tamen vitulam mysticam occiderunt: vnde & *seniores populi*, toties in Euangelio inducuntur, & perhibentur necis Domini operatores: tùm quia, quemadmodum hic legitur, *accedentque Sacerdotes filij Leui*; *Principes Sacerdotum* fuerunt aduersùm Iesum. Et iam quasi in admirationem tanti sceleris, & in improperiū, de eisdem legitur, (quod aliàs non fuerat necessum) dignitas, & assumptio ad tantum munus; *Accedentque Sacerdotes filij Leui; quos elegerit Dominus Deus tuus, vt ministrent ei, & benedicant nomini eius: & ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, iudicetur*. Ac si diceret, ij, quorum erat discernere de mundo, & immundo, de habente, & non habente peccatum, accesserunt nihilominus cœco furore ad vitulæ vnius mysticæ condemnationem. Et fortè non sine causa de redemptione subiungitur: *propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine*. Quia in hoc inuoluebatur opus redemptionis; Osee 13. *de manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos*.

Quæ cuncta si velimus ad expugnandam Iudaicam cœcitatem reuocare, sic iam possumus euaginato gladio præliari, de victoria, de triumpho effecti certiores. Messias, quem expectare debuit orbis, venturus erat, non ad delicias, ad voluptates captandas, aut impertiendas; (quod miseri carnales sibi præfingunt) sed ad expian-
dum præcipuè Adę lapsum, ad homicidium hu- 4
mani generis compensandum: quid enim prodesset homini terrenis locupletari bonis, secundùm carnem, & cœlesti gratiæ donis nudari secundùm spiritum? atqui ad emundandum plurimos à reatu peccati, sanguine opus est, & morte, vt præsefert littera, Hebr. 10. *impossibile est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*. Math. 26. *hic sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: non ergo debet esse scandalo, si in mortuum credimus: immò nullatenùs Messias est habendus, qui auro, & argento prædiues omnibus mederi poterit necessitatibus, præterquam peccato. Isaiæ 53. *ipse peccata multorum tulit*. Et Micheæ vltimo, *deponet iniquitates nostras; & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Certè homicidium cuius ignoratur reus, (nimirùm ad puniendum magis, cùm non sit in via sed in termino) patratum est. Diabolus *homicida erat ab initio*, Ioannis 8. & inuentum est occisi cadauer hominis, non solùm, quia mortem incurrit omnis homo, pròpter originale protoparentis peccatum; sed etiam quia anima per peccatum mortua est: vnde ait D. Isidorus l. 1. de summo Bono; *vita corporis anima: vita animæ Deus*: & S. Do-
ctor in Matthæum [E] ibi; *væ vobis, quia similes* [E Matt 23.]
estis sepulcris dealbatis; corpus peccatoris est sepulcrum, quia mortuum continet, quia anima per peccatum moritur. Cæditur autem vitula, ne populus reatu puniatur: & additur, *ne reputes sanguinem innocentem*: Quod quia litteraliter non constabat, poterat enim occisus fuisse impius, ad Adam retorqueri debet, qui in statu innocentiæ occisus est. Homicidium huiusmodi, quod suggerente dæmone, sui ipsius fecerat primus homo, obnoxios reddidit omnes; ideò prospicitur per vitulæ occisionem omnibus: & præterea etiam ad ostendendam originalē infectionem, à qua per gratiam mundamur, idonei deinceps ad præcepta implenda, in quo consummatiuè exuimus peccatum, clauditur versu 9. *Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris, quod præcepit Dominus. Sanguis sanguinem tetigit*, Osea 4. aliàs dictum est, per
sanguinem, [F] qui habet horrorem, & infectio- [F Apoc. 14. com. 2. ad finem.]
nem, estque signum mortis, significari peccatum.

5 VERSVS XI. *Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volnerisque habere vxorem.*

Quoniam hic agitur de ducenda vxore ex infidelibus, operæpretium est, considerare, fuisse sine dubio illicitum Iudæis contrahere cum infidelibus; maximè quando inesset periculum

sub-

subuersionis: cæterùm, non erat vetitum, quando huiusmodi ducendæ conuertebautur ad fidem: de quo videri potest S.Doctor: [G] & iam captiuam talem præsumit conuertendam fuisse, Vnde, si qua idololatriæ cultum dimittere vellet, & ad legis cultum sa transferre, poterat in matrimonium duci: sicut patet de Ruth, quam duxit Booz in vxorem; [H] & ideo captiua non aliter permittebatur in vxorem duci, nisi priùs *rasa cæsarie & circumcisis vnguibus, & deposita veste, in qua capta est: & fleret Patrem, & Matrem*: per quæ significatur idololatriæ perpetua abiectio;

G 4.39.1. 2. & ad Hæ nib.

H p. 2. 105 4. 6.

6 Quare autem cæremoniæ huiusmodi sint faciendæ trahi potest ex alia Angelici præceptoris doctrina: vbi quærit; [I] *Vtrum in cultu Dei possit esse aliquid superfluum*: eo vel maximè, quod hic de superfluitatibus agitur cæsariei atque vnguium: & hoc est proprium illegitimi atque superstitiosi cultus; de quo ibi tractat, & hic debet esse sermo. Licèt enim secundùm quantitatem absolutam, nihil possit esse superfluum in diuino cultu; quia nihil potest homo facere, quod non sit minus eo, quod Deo debet: tamen secundùm quantitatem proportionis, potest aliquid esse superfluum, quia scilicet nō est fini proportionatum. Finis autem diuini cultus est, vt homo Deo det gloriam, & ei se subijciat mente & corpore: & ideo quicquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc, quòd mens hominis Deo subijciatur, & etiam corpus per moderatam refrænationem concupiscentiarum, secundùm Dei, & Ecclesiæ ordinationem, & consuetudinem eorum, quibus homo conuiuit, non est superfluum in diuino cultu. Si autem aliquid sit, quod quantùm est de se, non pertinet ad Dei gloriam; neque ad hoc, quòd mens hominis feratur in Deum; aut ad hoc, quòd carnis concupiscentia inordinata refrænetur: aut etiam si sit præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem; (quæ secundùm Augustinum pro lege habenda est) totum hoc reputandum est superfluum, & superstitiosum: quia in exterioribus solum consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet. Et ecce quomodo Angelici doctrina, (etsi non ex instituto) etiam litteræ fert intelligentiam, vbi dicitur *deponet vestem, in qua capta est*: nàm superfluus præfatus cultus in exterioribus ita consistit, & in vnguibus turpitudo operum, in capillorum superfluitate, cogitatuum inanitas intelligi potest. Idcirco sequitur, *sedensque in domo sua flebit patrem, & matrem suam*: quod ad interiorem mentis reuocationem pertinere videtur: qua etiam parentum tenebras defleat, conuersa ad fidem.

I 12.93 2.

Perpulchram aliam expositionem de pulchra hac muliere adducit in psalmos: [K] vt scilicet intelligatur de Ecclesia, quæ vocata est à Christo, ex alieno populo, vel Iudæorum, vel Gentilium; quia secundùm Augustinum, nemo potest venire ad vitam nouam Christi, nisi pœniteat eum veteris vitæ, scilicet peccati: & propterea, inquit, puella captiuorum, Deuteronomij 21. debet radi, & plorare patrem, & matrem sicut mortuum; *& obliuisci populum suum, & domum patris sui*.

K ps. 44.

7 Atqui consequenter ad priùs dicta, de satisfactione aut redemptione homicidij, (quo fortissimè Iudæos impetimus) habemus super illud ad Galat. *secundùm hominem dico*, nobilem interpretationem: [M] ad conferendum de his quæ sunt fidei, possumus vti quacumque veritate cuiuscumque scientiæ; Deut. 21. *Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueris que habere in vxorem, introduces eam in domum tuam*: idest, si sapientia, & scientia sæcularis placuerit tibi, *introduces eam infra* terminos tuos: *quæ radet cæsariem* &c. idest, resecabit omnes sensus erroneos. Et inde est, quòd Apostolus in multis locis; in Epistolis suis, vtitur authoritatibus Gentilium: sicut est illud, 1. Cor. 15. *corrumpunt mores bonos colloquia mala*: & illud Tit. 1. *Cretenses malæ bestiæ*. Vbi glossa [N] *per hoc intelligitur, quòd Doctor Sacræ Scripturæ accipit testimonium veritatis, vbicumque inuenerit*; vnde etiam Actor. 17. *in ipso viuimus mouemur, & sumus*: *Nec propter hoc approbatur tota eorum doctrina, sed eligitur bonum; quia, verum à quocumque dicatur, est à Spiritu Sancto: & respuitur malum*: vnde dicitur Deuteronomij 21. in figura huius, quòd, *Si quis viderit puellam in numero captiuorum, debet præcidere vngues, & capillos; idest, superfluitates*. Hinc D. Hieronymus in Epistola ad Pammachium Monachum; [O] *Si adamaueris captiuam mulierem, scientiam scilicet sæcularem, & eius pulchritudine captus fueris, decalua eam, atque illecebras crinium, & ornamenta verborum, cùm remotis vnguibus seca, laua eam prophetali nitro, & tùnc requiescens cùm illa dicito, sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: & multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Israelites*.

M Ga. 1. l. 6.

N Tit c. 1. l. 1.

O ep. 13. c. 11.

VERSVS XV. *Si habuerit homo vxores duas*.

De pluralitate vxorum alibi dictum est: 8
nunc de præferendo primogenito, tametsi odiosæ filio, attexitur sermo. Quòd, si allegoriam teneamus, non est dubium ad Iudæam & Gentilitatem referri. Dicit enim Apostolus Romanor. 9. ex Osee, secundùm Septuaginta c. 2. *vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam dilectam*. Vbi littera nostra habet; *miserebor eius, quæ fuit absque misericordia; & dicam non populo meo, populus meus es*. Ex quo apparet, non fuisse Gentilitatem dilectam, sed odiosam. E contrà autem Isaiæ 5. Domus Israel dicitur *vinea Domini electa*: & hic in Deuteronomio c. 32. de Iacob, *incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*. Licèt autem secundùm temporis primitatem, filius dilectę, hoc est populus Synagogæ, primogenitus Dei videatur: attamen summopere considerandum est, non esse momenti alicuius quoad spiritum, primogenitum nasci secūdùm naturam: posthabitus est enim Esau Iacob Genes. 27. & c. 48. Israel *posuit manum dexteram super caput Ephraim minoris fratris; sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat; commutans manus*: studiosa commutatione crucem figurans: & reclamante Ioseph, *non ita conuenit Pater, quia hic est primogenitus*: adiecit Israel *Scio fili mi, scio* &c. *Sed frater eius minor, maior erit illo*. Sic primogenita, (iusta de causa) quæ erant Rubeni, *reputata sunt Ioseph*; vt patet Genesis 49. & 1. Paralipomenon 5.

Quamuis autem Iudæorum populus dicatur à Deo Exodi 4. primogenitus, *filius meus primogenitus Israel*: nihilominus, recolendum est, 9

hac

4.8.q.5. ad 2. hac in re [p] fuisse dilectissimum populum Israel pro tempore illo, comparatione illorum populorum, qui idolis seruiebant: non autem comparatione populi noui testamenti: de quo primę Petri 2. *vos estis gens sancta, populus acquisitionis*. Vel dicendum, secũdùm Apostolum Romanorũ 9. *non qui sunt secundùm carnem, sed qui ex promissione, hi computantur in semine*. Vnde populus noui testamenti non excluditur ab illo priuilegio amoris, ratione cuius, Israel primogenitus Dei dicebatur. Et quantùm ad huiusmodi præcedentiam veræ fidei, consentire videtur parabola Saluatoris Lucæ 15. de maiori seu seniori filio, & de adolescentiori. Vnde Augustinus, (in Catena aurea) *populus Israel est*: & Ambrosius, *adolescentiori autem filio, idest populo ex Gentibus, Israel tanquam maior frater beneficium paternæ benedictionis inuidit*. Quoniam ergo Iudæi, quibus (Actorum 13.) *oportebat primùm loqui verbum Dei*, repulerunt illud, conuersique sunt propterea Apostoli ad Gentes: esto seruauerint rationem primogeniti secundum carnem; quo pacto Cyrillus (item in Catena) ait; *quidam per seniorem filium dicunt significari Israel secundum carnem*: (nimirum in quantum propagati sunt Iudæi carnis origine, a Sanctis Patriarchis credentibus) *nihilominus, non solùm deciderunt à primogenitura, secundùm fidem, in quam subintrauerunt Gentes, sed etiam amiserunt rationem spiritualis filiationis, proindeque & ius hæreditatis*. Vnde alios sibi asciuit Deus in filios instar primogeniti. Et hoc est quod inducit Apostolus Romanor. 9. *Et erit in loco vbi dictum est eis; non plebs mea, vos. Ibi vocabuntur filij Dei viui*: quæ quidem est Authoritas Osee c.
Rom. 5. 1. in qua [q] eis repromittitur dignitas filiorum Dei: de qua Iudæi gloriabantur. Isaiæ 1. *filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me*. Deuteron. 33. *nonne ipse est Pater tuus?* Gentiles autem non solùm non dicebantur filij; quod pertinet ad eos qui ex amore Deo seruiunt, & *spiritu Dei aguntur* vt suprà c.8. dictum est; sed nec etiam digni erant, vt populus Dei dicerentur: quod pertinere poterat etiam ad eos, qui *spiritum seruitutis acceperant in timore*: vnde dicit; *& erit in loco*; idest, *in Iudæa*: *vbi dictum est eis*; scilicet, Gentilibus, à Iudæis, quasi ex persona Dei loquentibus; *non plebs mea, vos*: quia non reputabant eos populum Dei: *ibi*; idest, etiam apud Iudæos, credentes vocabuntur filij Dei. Vel *in loco*; idest, toto mundo &c. hæc D. Thomas. Et quid mirum, si consectarium sit, vt Iudæi æmulentur, & inuideant Gentibus? Iam hoc etiam prænunciatum est, Deuteronomij 32. *ipsi me prouocauerunt &c. & ego prouocabo eos, in eo qui non est populus, & in gente stulta, irritabo illos*: quod apud Apostolum Roman. 10. est in hæc verba; *Primus Moyses dicit; ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem; in iram vos mittam*. Et ecce quomodo his omnibus videtur fauere textus; nàm de huiusmodi primogenito dicit; *iste est principium liberorum eius*: quod catenùs Septuaginta & Noster ita transtulerunt, quatenùs filij sunt ad afflictionem, ad molestiam, & laborem parentum. Cæterum vox hebræa *on*, laborem, dolorem, mœrorem, & alia huiusmodi apud Maluendãm etiam Gen. 49. v. 3. significat: vnde Rachel vxor Iacob periclitans in partu, vocauit filium suum *Benoni, filium doloris mei*. Certè igitur mysterium tangitur in præsenti; quia primogenitus iste, nempe populus Gentium fide Christi per baptisma renatus, filius est vtique, *principium* doloris & mœroris: siquidem in eo parturiendo, & perducendo ad lucem gratiæ, *cœpit* Dominus *tædere, pauere, & mœstus esse*: & ipse ait Thren. 1. *attendite si est dolor similis, sicut dolor meus*. Hinc etiam Apostolus ad Galatas 4. *filioli, quos iterum parturio*; idest, [a] cum labore, & dolore, ad lucem fidei reduco. Et Ioannis 16. voluit hac similitudine vti, dicens, *mulier cum parit tristitiam habet. Regenerauit autem nos Deus, in spem viuam*, vt dicitur 1. Petri 1. ad vitam [b] spiritualem redimendo, qui primò genuit nos ad vitam naturalem creando.

Hæc autem credenda sunt à Spiritu-Sancto interseri: ne ansam indurationis haberent Iudæi superbo animo Gentes contemnendo, elati prærogatiua matris suæ Synagogæ. quondam dilectæ: etsi enim Gentilitas Deo esset odiosa, nihilominus parturira erat primogenitum populum; cui filius dilectæ non erat præferendus: & hoc expressit Dominus per Ioannem Matthæi 3. *Et ne valitis dicere intra vos; Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare semen Abrahæ*. [y] Per lapides possumus intelligere Gentiles; qui dicuntur lapides, quia duri; & quia lapides adorabant. Si Scripturas penetrarent intelligentia, non irent in perditionem miseri; vt pote qui fidem Gentium, ex eo quòd esset Synagoga dilecta, putant infirmare. Hoc ex loco, fallax eorum soluitur argumentum.

VERSVS XVIII. *Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat Patris aut matris imperium, &c.*

Docet, (cum Philosopho 10. Ethic. c. vltimo) qualiter principatus paternus [v] habet solùm admonendi potestatem, non autem habet vim coactiuam: & ideò hic recurri ad Principem. Vnde ex 1. etiam & 3. Politicorum didicimus, alium esse principatum Domini ad seruum, & Patris ad filium. Sapientiæ 11. *hos quidem tanquam Pater monens probasti: illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnasti*: & quòd, sermo paternus habet solùm admonitionem, non autem coactionem. De Imperio ergo paterno, [x] quod pertinet ad disciplinam morum, loquitur Moyses, iuxta id quod sequitur; *monita nostra audire contemnit*. Quamuis & verberare aliqualiter, & secundùm leuiores pœnas, quæ non inferant irreparabile damnum, liceat patrifamilias punire filium. [a] Filius autem huiusmodi malus, [b] non quia comedebat, & bibebat, occidebatur: sed propter contumaciam, & rebellionem morte puniebatur; quasi destructor ordinationis legis. Quomodo autem possit esse peccatum mortale, vacare comessationibus, explicatur loco proximè allegando ad Romanos. Et nota p. 2. 100. 11. ad 3. prohiberi hic actum gulæ per monitionem paternam, quia contrariatur bono domestico. Aptatur autem filius iste contumax in typum Iudaici populi Christum abnegantis: vtpote qui *durissimæ ceruicis* arguitur sæpius in lege: præcipuè supra c. 9. *cùm durissimæ ceruicis sis populus*. Et quod additur; *comessationibus vacat, & luxuriæ*, speciatim sonat, ipsum respuere lucem; eoquòd commessationes sunt conuiuia

nocturna: quod vt reflexè intelligi posset, adiecit, *& conuiuijs*: ex hoc quippe innotescit, vim fieri, de tempore nocturno. Quod Septuaginta & Chaldæa neglexerunt transferre: legentibus illis; *comessationibus vacans inebriatur*: ipso vero Targo; *edax est carnium & potator vini*. (Sic, *oculus adulteri obseruat caliginem*, Iob. 24.) Porrò diei gratiæ ignorantiam, hæc tenebrarum opera manifestè designant. Vnde Paulus Roman. 13. *nox præcessit*, inquit, *dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum*, &c. *non in comessationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus & impudicitijs*: quia, *nox præcessit*. Quocirca D. Thomas;

C Roman 13. l. 5.

[c] tertio modo potest intelligi, quòd comparetur nocti tempus præcedens Christi incarnationem; quia nondum erat manifestata, sed sub quadam caligine; 2. Petri 1. *habetis propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Isaiæ 21. *Custos quid de nocte?* Tempus autem ab incarnatione Christi comparatur diei, propter præsentiam spiritualis Solis, in mundo; Malachiæ vltimo, *vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ*. Nihil aliud est ergo dicere; *vacat comessationibus & luxurijs*, nisi, adhuc in nocte cæcitatis, & vmbrarum legalium, quæ sunt *vmbra futurorum*, Colossensium 2. immorari. Quid mirùm si filius iste *contumax & proteruus*, (*Deum, qui te genuit, dereliquisti*, infrà c. 32.) monita Christi & Ecclesiæ audire contemnens, moritur? Nec Ecclesia, nec Christus cogit ad credendum, quia, nemo potest credere inuitus: at, *qui non credit, iam iudicatus est*, Ioann. 3. Propterea nihil dicitur de ferendo iudicio; sed solummodo, *morietur* &c. Cùm tamen mox alio peccante, de iudicio fiat mentio: *quando homo peccauerit, quod morte plectendum est; & adiudicatus morti*, &c. Moritur autem contumax lapidibus obrutus; quoniam dura obstinatione deliquit: & *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur* Sap. 11. Sic D. Augustinus lapideos Iudæos vocat, quando Io. 8. *tulerunt lapides, vt iacerent in eum: tanta duritia lapidum, quò curreret nisi ad lapides?* vt apud Angelicum.

D Ioan. 8. l. 1.

[D] His ex scripturis colligant miseri, an præscius Moyses eos commonere voluerit.

VERSVS XXII. *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est: & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur; quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.*

11

Locus iste, si in superficie dumtaxat capiatur, scandalo potest esse Iudæis, occasionique calumniæ hæreticis, vt fertur in glossa. At si profundè penitiùsque introspiciatur, corda rapit & calamum in admirationem diuinæ sapientiæ, quæ ideo arcana sub litteræ velamine condidit, vt non nisi humillimè, ad illorum scrutationem fieret accessus. Certè nisi præcedentium intelligentiam fuerimus aliquatenùs assecuti, erit impossibile funditus, quò collimet Moysi oraculum, penetrare. Quòd, si de firmanda Christi Domini fide, consentiat lector, peragere præsens caput: dabit facilè manus, ad Christi mortem quod dicitur, sine dubio, spectare. Congerunt Authores plurima vocis illius *Killad*, *maledictus*, interpretamenta; & rediguntur in angustias nonnulli, de noxio an de innoxio, vt fuit Christus, sit exponendum. Ipse veruntamen neminem damnans, quæ diuturna meditatione Deo dante accepi (*non enim sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis* 2. Cor. 3.) iam promam.

In primis autem, præpollens debet esse nobis interpretatio Apostoli ad Galatas dicentis: *Christus factus est pro nobis maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis, qui pendet in ligno: vt Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu.* Quare, cùm contraponatur suscepta à Christo maledictio, benedictioni Abrahæ, non est dubium, de vocis significato, neque de allegoria ad Christum; qui *factus est pro nobis*, non solùm maledictus, *sed maledictum* in abstracto; [E] quasi dicat, factus est ipsa maledictio. Deinde sciendum est, locum istum Deuteronomij credi secundùm glossam (quod tangit D. Thomas) deprauatum [F] à Iudæis in infamiam Christi; ita vt additum sit ly *à Deo*: vt non solùm dicatur *maledictus qui pendet in ligno*; sed vlteriùs, *maledictus à Deo*. Et hæc glossa est ex Hieronymo; qui existimat, Diuum Paulum subticuisse ly *à Deo*, ne scandali pusillorum esset occasio. Verùm, quoniam in omni Deuteronomij traductione, quemadmodum & in hebræo, extat ly *à Deo*, haud placet alijs, sic de Iudæis opinari. Vnde & Augustinus l. 14. contra Faustum Manichæum non hoc quærit effugium; sed disputat, ac si ita veraciter extet. Quare, etsi Paulus non id expressisset, nihil obest: nec sanæ intelligentiæ deroget, ly *à Deo*, adhuc subintellectum.

E Galat. 3. l. 5.

F loco cit.

Quod vt seorsim fiat palam, existimandum est sine dubio, scelerati alicuius hominis digni morte per lignum, præsumi hanc pœnam: cæterùm non in eo sistitur; sed ex rerum denarratione, satis datur intelligi, respici ad Christum. Igitur prout superficietenùs habetur, erat genus illud mortis suspendio, infamiæ, probri, exosum præ cœteris alijs, & execrabile; cuius causam liberè qui voluerit excogitet; nàm multiplex potest esse, ex circunstantijs: proindè erat argumento, indignum valde esse, qui sic moreretur, societate & conuictu humano; ideoque vt illius detestabilis mentio & memoria, non diù duraret, honestos & frugi homines contaminatura, subducebatur cadauer eius ab oculis perquàm solicitè: sic vt in eadem die sepeliretur: vnde sequitur; *& nequaquam contaminabis terram tuam*: quod metonymicè videtur accipi posse, pro hominibus superstitibus in terra: vel per quandam Prolopopœiam; quasi insensibile habitationis nostræ elementum labem & infamiam contraheret, ex inspectione diuturna iniquorum eiusmodi. Sed hæc, etsi plurium sit expositio, extima est, nec pertingit ad Scripturæ medullam; quam sublatere, mysterij absconditi dignitas reposcebat. Præsignatur siquidem moriturus in ligno & innocens etsi maledictus. Necesse est autem animaduertere, quid sit maledictio: & quidem ex ipsa vocis institutione, *maledictus* dicitur [G] quasi *malo addictus*. Sed vlteriùs ex eodem Sancto Doctore in secunda secundæ, [H] maledicere est malum dicere: ad rem nostram, non detractoriè sicut detractores maledici dicuntur, sed ad id quod dicitur, per modum causæ, optando etiam, sed præcipuè faciendo vel imperando. Et hoc modo dicere principaliter competit Deo, qui omnia suo verbo fecit, secundùm illud ps. 32 & 148.

12

G Galat. 3. l. 4.

H 22. 2. 1.

& 148. *ipse dixit & facta sunt*. Consequenter autem competit hominibus, qui verbo suo alios mouent per impetium ad aliquid faciendum; & ad hoc instituta sunt verba imperatiui modi. Sic iudex licitè maledicit illum, cui præcipit iustam pœnam inferri; & sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando; & Prophetæ in scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam diuinæ iustitiæ: licèt huiusmodi imprecationes, possint etiam per modum prænunciationis intelligi. Verùm hoc malum quod iustè alicui imperatur, sub ratione boni seu iusti imperatur; & ita non est maledictio per se loquendo sed per accidens; quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum.

13 Ex hac tam profundè enucleata doctrina claret, quomodo etsi maledictus possit diei aliquis, eoquòd sit odio habitus, inuisus, ac infensus; (quod vt plurimùm propter grauem culpam vsurpat vulgus) nihilominus, ex vi vocis, vt visum est, sonat solummodo esse addictum siue subiectum malo: quòd malum, nisi sit æternum, quemadmodum dicetur Matthæi 25. *ite maledicti in ignem æternum*, non arguit personam maledictam esse exosam Deo, propter aliquam culpam: licèt arguere possit antecedenter fuisse culpatam. Potest inquam arguere, non semper arguit de facto, eum, qui malo est addictus, malum esse. Hinc ex D. Augustino apud S. Doctorem, [l] quinque modis flagella contingunt; vel vt iustis merita per patiétiam augeantur, vt Iob; vel ad custodiam virtutum, vt Paulo; *ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ qui me colaphizet*, 2. Cor. 12. vel ad corrigendum peccata, vt Mariæ lepra, Numeri 12. vel ad initium pœnæ, vt Herodi; qui Actor. 12. *consumptus à vermibus expirauit*: vel ad gloriam Dei manifestandam, vt cœco nato, Io. 9. Sic alibi; [L] homines in rebus & personis affligit, vel ex merito culpæ ipsorum; vel ad probationem iustorum, & exercitium patientiæ ipsorum. Quæ cuncta complexus commendat [M] disticho;

Iob probat, at Paulum inclinat, se se manifestat
In cœco, purgat Mariam, punit Herodem.

Hi certe omnes maledicti poterant dici: nec tamen erant omnes in culpa: immò dilecti potiùs aliqui Deo; vnde & legitur; *qui parcit virgæ odit filium*. Prou. 13. & Hebræor. 12. *quem enim diligit Dominus castigat*; iuxta illud Apoc. 3. *quos amo arguo & castigo*. Præterquam (sicut dicit Augustinus 14. contra Faustum) *peccatum maledictum est*: & per cònsequens mors, & pœnalitas ex peccato proueniens. Caro autem Christi mortalis fuit, *similitudinem habens carnis peccati*, Roman. 8 & propter hoc Moyses eum nominat maledictum. Sicut & Apostolus 2. ad Corinth. 5. nominat eum peccatum; *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: scilicet propter pœnam peccati. 3. p. q. 46. 4. 3.

14 Non est ergo quid trepidemus, audito referri ad Christum, *qui pependit in ligno*; *maledictus à Deo, qui pendet in ligno*; quia immò ex ipsomet litteræ tenore emergunt dilectionis diuinæ indicia: tùm quia vix exprimitur suspensi peccatum; cùm paulò ante de filio, plenissima delatione dicatur, *contumax proteruus*, &c. Quod tamen magis videbatur curandum circa suspensos, tanquam abiectiori & ignobiliori morte puniendos: tùm quia prouidet eis de cita sepultura: quando è contra de aliquibus impijs secùs accidit; vt de Iezabel 4. Regum 9. *comedent canes carnes Iezabel*; & Ieremiæ 22. *Sepultura asini* (Ioakim) *sepelietur*: in cuius odij vehementis signum, meditabatur perfidus ille Antiochus 2. Machab. 9. Iudæos nec sepultura se dignos habiturum. Fortè idcirco gloriabunda canit Ecclesia in Symbolo, *mortuus & sepultus est*. Præterea sobriè admodum de suspensi peccato, in præsentiarum scribitur. *Quando peccauerit homo*: immò ad verbum, *quando fuerit in viro peccatum*; vt legit Chaldæa: innuitur enim si penitiùs rem attingamus, suspensum futurum fuisse, qui non peccauerit, sed *in ipso fuerit peccatum*: & ideò sequitur Chaldæa, *quando fuerit in viro peccatum iudicij*: ac si dicat, *non re ipsa*, sed *iudicio*: quod & Noster quodammodo insinuat, *quando peccauerit homo, quod morte plectendum est*: atqui sic euenit in Christo; non enim *ipse* fuerat plectendus, sed *peccatum*: & ipse *adiudicatus est morti*, vt sequitur in textu: verùm non *iustè* dicitur *adiudicatus*, neque *dignus morte*: quod toties quasi inseparabile adijcitur alijs in locis; Leuitici 19. *iustè iudica proximo tuo*. 2. Regum 15. *& iustè iudicem*. Ieremiæ 11. *qui iudicas iustè*. Quod, præ cæteris, hic fuisset audendum, quando de tam graui, & ignominiosa morte agebatur. Sed sancti Prophetæ, inter quos Moyses, nec apicem sine mysterio scripsere. Adiudicandus erat vnus morti in ligno. Sanè *ish* Hebræa vox, quæ *virum* significat, valet etiam idem quod *vnus*: *expedit*, prophetauit Caiphas, *vt vnus moriatur homo*. Et valde considerandum est, non vsurpari in præsenti alteram vocem, quæ significet *hominem*, nempe *Adam*; quia hæc significat quidem *hominem*, sed, *plebeium*: *ish* verò, dicitur *vir*, & *homo nobilis*. Hic est *vir*, qui quamuis *non abiesit in consilio impiorum, & in via peccatorum non steterit*, Ps. 1. attamen ipse *peccata multorum tulit*; & ideo *cum sceleratis reputatus est*, vt præsciens euangelizauit Isaias. c. 53. ipseque in ps. 21. *verba*, inquit, *delictorum meorum*. Verè *verba*, quia non re ipsa *peccatum fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; qui cū malediceretur, non maledicebat*: (En adhuc quomodo factus est pro nobis maledictum) *tradebat autem iudicanti se iniustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, quod altè prompsit D. Petrus in prima sua Canonica c. 2. cui accinit Ieremias Thren. 4. dicens, *Christus Dominus captus est in peccatis nostris*: Hebraicè *Messiach Adonai*.

Verùm quoniam, non solùm *maledictus* dicitùr; sed & *maledictus à Deo*, (quod etiam Genesis 22. legit Angelicus) alia emicat ipsius innocentiæ manifestatio. Cùm enim quicumque morte damnati, ex doctrina superius allata, sint *maledicti à Deo*, hoc est, *malo subiecti, & addicti*: Cumque Isaiæ 45. habeatur; *ego Dominus, & non est alter Deus, formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum*: Amos 3. *si erit malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus*; & Ecclesiastici 11. *bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt*; quæ loca exponit [illegible] per [N] Sanctus Doctor de malo pœnæ; secundùm quod sua prouidentia disponit. Cum hæc, 15

in-

k. 36. 1. 1. & Io. .1.

3. 19. 1. 2.

M Apoc. Comm.

N p.p. 49. a. 1. p. 2. 79. 1. 4. de potentia q. 1. 6. 11. de malo 1 q. 10. 2. cont. G. c. 41. Io. 9. 1, 1. Io. 11. 1. 1. Isai. 45.

inquam, ita sint, cur non etiam de filio contumaci & proteruo, & sic de alijs in vniuersùm morte damnatis, minimè dicitur maledictos esse à Deo? aut si de alijs non, quare speciatim de suspenso in ligno? Ratus sum, (quod aiebam) id esse, ad astruendam, vnius suspensi inculpabilitatem & innocentiam. Sanè plerique subijciuntur malo, & proinde sunt maledicti, sed eorum maledictio, non tam debet dici à Deo, quã à se ipsis, & à peccato: cùm enim, vt docemur

o q.1.87. 1.

in prima secundæ, peccans triplicem pœnam o incurrat; vnam à se ipso, quæ est conscientiæ remorsus; aliam ab homine, tertiam à Deo: à se ipsis etiam & ab hominibus sunt maledicti: *perditio tua Israel*, Osee 13. *Deus mortem non fecit*, Sap. 1. *per peccatum mors intrauit in mundum*, Roman. 5. Vnde Matthæi 25. vbi de damnatis pœna æterna, non dicitur, *ite maledicti à Deo*, quemadmodum, *venite benedicti Patris mei*. Id quod

P Matth. 25.

obseruat Angelicus, p quia benedictio nostra à Deo est, maledictio autem à nobis; igitur satis constat, dùm hic de maledicto *à Deo* loquitur Scriptura, de exempto ab omni alia maledictione, allegoricè debere accipi, & posse. Hoc est, quod ait Petrus in sua prima, cap. 2. *Qui peccatum non fecit*, &c. & tamen vt ibidem dicitur, *passus est pro nobis*: & Apostolus, Rom. 8. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum*. Et ideo etiam per prophetam Isaiam Domino adscribitur mors Saluatoris, c. 53. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate*. Et si obijciatur, ex Iob c. 4. *Quis vnquam innocens perijt, aut quando recti deleti sunt?* & ex Augustino in 1. Rettactationum, *omnis pœna iusta est, & pro peccato aliquo impenditur*. Respondendum

Q 1.2. q.87. 8.

est ex D. Thoma, q esse quidem verum de pœna simpliciter, secundùm quod habet rationem pęnę: atqui nõ ita, secundùm quòd est satisfactoria, hæc enim est quodammodo voluntaria; & quia contingit, eos qui differunt in reatu pœnæ, esse vnum secundùm voluntatem, vnione amoris: inde est, quòd interdùm aliquis, qui non peccauit, pœnam voluntarius pro alio portat; sicut etiam in rebus humanis videmus, quòd aliquis in se transfert alterius debitum. Ita *in corpore*: & ad tertium, respondet quòd Christus pœnam sustinuit satisfactoriam, non pro suis, sed pro nostris peccatis. Tù necte quod ait Isaias vbi suprà, *iniquitates eorum ipse portabit*: & priùs, *posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum; vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*: denique, *ipse peccata multorum tulit*: iuxtà quod & Ioannes Baptista aiebat, *ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*. Et sic de maledicto pœnæ Sanctus Doctor exponens D. Pau-

R Gal. 3. l.5.

lum, ad Galatas inquit, r ipsa pœna est maledictio, scilicet quòd sic mortuus est: & est hoc modo verè *maledictus à Deo*, quia Deus ordinauit quòd hanc pœnam sustineret, vt nos liberaret. (Sic ex D. August. 3. p. 46. 4. 3. Nec ideò maior iniuria est, quia dixit, *maledictus est à Deo*, nisi enim Deus peccatum odisset, non ad eam pęnam suscipiendam atque tollendam filium suum mitteret. Confitere ergo maledictum suscepisse pro nobis quem confiteris mortuum esse pro nobis, vnde ad Gal. 3. *CHRISTVS nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. In textu D. Thomæ non est ly *iniuria*, sed *inuidia*: quod corruptè ratus sum poni, ideo emendaui.) Exinde *factus est maledictum* etiam culpæ; non quidem, quòd in eo peccatum esset aliquod, sed secundùm opinionem hominum, & præcipuè Iudæorum, qui reputabant eum peccatorem. Ioan. 18. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*. 1. Cor. 5. *eum qui non nouerat peccatum, fecit pro nobis peccatum*: Et in hoc sensu ait ipse Dominus, ps. 21. *Deus Deus meus*, &c. *longè à salute mea verba delictorum meorum*: Videtur autẽ declarari in se immunis à peccato, ex eò quòd inquit, *Christus factus pro nobis maledictum*: nam, vt patet, fieri est ex principio separato: sicut Arca fit ab Artifice. Sic in simili habet Angelicus ad Galatas 4. s *misit Deus filium suum factum ex muliere*. Roman. 1. *qui factus est ei ex semine Dauid*: quia quoad formationem corporis, principium illius non fuit coniunctum sed separatum; quoniam virtus Spiritus Sancti formauit illud: & quantùm ad hoc, non dicitur *natus ex muliere, sed factus*, quasi ex principio exteriori: Hæc D. Thomas. Quando maledictio est ex peccato, ipse qui peccat seipsum maledicit; (non sic maledictus ab alio & potest) illud promere; *En patior telis vulnera facta meis*: vnde, & in ps. 108. *& induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius: fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut Zona qua semper præcingitur*.

S Galat. 4. l.2.

Mitè autem adhuc superest obseruandum, 16
quare Dominus, curam specialem haberi voluerit, de sepeliendo cadauere pendentis in ligno: nisi prophetia sit de eo, quod acturus erat nobilis ille *decurio Ioseph ab Arimathæa, qui audacter accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu sepeliendum*. Certè Diuus Augustinus in Enchiridio c. 108. Sepulturæ officium Dei prouidentiam referre docet, cui placeat hæc pietas, propter fidem resurrectionis astruendam. Meritò etiam quies corporis tanquam somnus præcipitur, post quem expergiscimur, in eiusdem resurrectionis figuram: iuxtà illud Danielis 12. *qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt*. Quare cum nùnc primò occasione suspensi in ligno lex detur de sepultura; non est putandum historialiter solùm narrari, aut præcipi solùm, ne insepultum relinquerent: fortè enim motu proprio sepelijssent, neque de praxi in contrarium quidquam scitur: sed altiori mysterio, vt scilicet resurrectio Christi Domini præsignaretur; Ipse enim est *primitiæ dormientium*, 1. Cor. 15. *& primogenitus mortuorum*, Apocalyps. 1. quia ad vitam immortalem surrexit primus: de quo in tertia parte. T

T 3. p. 53. 3.

Quod ne gratis videamur prætexere, Sacræ paginæ textus profertur in medium: habet Noster, *non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur*. Septuaginta & alij transferunt; *non pernoctabit*: atqui si non debet permanere, non debet pernoctare: vt quid perperam adiectum est; *sed sepelietur eadem die?* Respondeo non esse inanem nec inutilem verborum appositionem: quoniam nisi addidisset; *sepelietur eadem die*, non fieret notum, vrgeri & de sepultura, & de diurno tempore, in quo esset ei danda. Ac si diceret; nedum moneo sepeliendum, *sed non pernoctabit*: priusquam nox superueniat, præcipio sepeliendum; quia is de quo prophetice loquor

man-

mansurus est *tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ*: vt ergo figura respondeat figurato, ante Solis occasum sepultura donetur, qui perpendit in ligno: *non pernoctabit: sed eadem die sepelietur*. Vtrum conueniens fuerit Christo sepeliri; 3. p. quæst. 51. a. 1.

17 Pro pleniori autem intelligentia, sciendum est, non sinè mysterio voluisse Dominum prædici in Iona qui fuit *tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti*, de sua resurrectione futura, vt pluries in Sancto Euangelio habetur, *tertia die*. Vbi enim ait Apostolus Roman. 13. *nox præcessit, dies* V Rom. 13. l. 3. *autem appropinquauit*, edisserit V tres noctes totidemque dies. Totum quippe tempus vitæ præsentis comparatur nocti, quam sequitur dies gloriæ; de quo etiam in primo suo sermone inducit illud Zachariæ 14. *erit dies vna, quæ nota est Domino*; & psalmi 83. *melior est dies vna in atrijs tuis*. Status etiam culpæ nocti comparatur: diei autem status gratiæ, vt clarè ibidem ostendit. Denique nocti comparatur tempus præcedens Christi incarnationem: sicuti & tempus ab incarnatione Christi comparatur diei, propter præsentiam spiritualis Solis in mundo; Malach. vltimo, *vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiæ*. Io. 9. *quamdiu in mundo sum, lux sum mundi*. Ecce etiam, qua de causa vltra illas, quas tangit X 3. p. 53. 1. alibi X Sanctus Doctor, fuisse credendus sit Dominus per Moysen solicitus, vt eadem die sepeliretur suspensus. Et iam *tertia die*, non post tertiam vel *post tres dies*, vt impij retulerunt Pilato, resurrexit: quia etiamsi nondum traduxisset Sanctos Patres ad empyreum, nihilominus iam illu- A 3. p. 52. 3. xerat eis dies gloriæ, quatenus (vt docet A) ipsa Christi præsentia pertinebat ad cumulum gloriæ. Quomodo autem verificetur trium die- B 3. p. 51. rum tempus, videatur præcipuè ibi. B

VERSVS XXIII. *Et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem*.

Arctari videtur contaminatio vitanda ad terram promissionis, vt innuatur locus passio- C 3. p. 46. 10. 1. nis. Conueniebat enim vt C pateretur in Ierusalem, vt sicut turpissimum genus mortis elegit; ita præ humilitate, in loco tam celebri, confusionem pati non recusaret. Sanè nisi lateret arcanum: cur quæso cauet Deus de terræ promissæ dumtaxat contaminatione? nunquid si extra suspensus quis esset, non curat?

Quamuis autem lex non extet iudæorum, vt pedes & manus damnatorum ligno infigantur: immò quamuis morte adeò ignominiosa, non liceret eis quemquam interficere, vt senti Chrysostomus relatus D ad illa verba, *nobis non licet interficere quemquam*: adumbratur tamen in morte suspensi pendentisque in ligno, & patibulo; & figuratur mirificè in tentatione Abrahæ *quando apparuit* E *aries hærens cornibus inter vepres*. Et fortè hic non expressè de Crucifixione agitur, quia per Principem Romanum, quando Lucæ 23. *adiudicauit Pilatus fieri petitionem eorum* factum est, vt crucifigeretur: Vnde & in præsenti, quamuis *adiudicatus morti* dicatur: *à quo* vel *à quibus* subticetur: (quod paulo ante non fit de filio proteruo) vt esset indicio, ab alijs quàm à Iudæis damnandum Cruce. Et tamen Prophetæ quemadmodum vocationem gentium ita crucifixionem Domini prænunciauerunt. Zachariæ 12. *& aspicient ad me quem confixerunt* Ioannis 19. Nec non in psal. 21. *foderunt manus meas & pedes meos*: quicquid translatio Chaldaica contrarium hebraicæ veritati, eo in loco transtulerit: dicens, vbi *foderunt*: *sicut leo*, legensque *obseruauerunt*.

Hæc quæ hactenus dicta sunt in capitis præsentis interpretationem, nisi vel inuitus probauerit Iudæus obstinatior, in graues redigetur angustias; nec facilè seriem sacri textus compactam comperiet: quando si ita exponatur, concinunt ac cohærent omnia: sic vt scandalo, quo infelices sibi ipsis confingunt de Christi morte, dignatus sit Dominus tot ante sæcula occurrere interiecta suspensi vnius morte, cui prouida dilectione, speciali iussu, de sepultura prospiceret: vnde erudirentur, si vellent, non horrere Dominum, eum, qui penderet in ligno; nec esse execratione aut blasphemijs dignum, ab homine euomitis, cuius maledictionem pœnalem vtique, sibi Dominus reseruauerat. *Maledictum* inquit, *à Deo*. Sicuti Threnor. 2. *repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ*: quod ad Chtistum refert Angelicus F ibi; *si offers munus tuum ad altare*. Blasphemant autem impij Dominum Iesum, illius immemores patientiæ, de qua D. Petrus in prima secundo capite inquit *qui cum malediceretur non maledicebat: cùm pateretur non comminabatur; tradebat autem iudicanti se iniustè; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum*. *Benedictum* ergo *lignum, per quod*, Sapientiæ 14. *fit iustitia; vt peccatis mortui*; (quod adiecit Petrus) *iustitiæ viuamus*. *Verè languores nostros ipse tulit* Isaiæ 53. *& dolores nostros ipse portauit; & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum*.

CAPVT XXII.

1 NOn videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces
fratri tuo, 2 etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in
domum tuam, & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. 3
Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: si inue-
neris eam, ne negligas quasi alienam. 4 Si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse
in via, non despicies, sed subleuabis cum eo. 5 Non induetur mulier veste virili, nec vir
vtetur veste fœminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. 6 Si ambulans per
viam, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis, vel ouis desuper incu-
bantem: non tenebis eam cum filijs, 7 sed abire patieris, captos tenens filios: vt benefit

tibi, & longo viuas tempore: 8 Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per
circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente.
9 Non seres vineam tuam altero semine, ne & sementis, quam seuisti, & quæ nascuntur
ex vinea, pariter sanctificentur. 10 Non arabis in boue simul & asino. 11 Non indueris
Nu.15.d. 38. vestimento, quod ex lana, linoque contextum est. 12 Funiculos in fimbrijs facies, per
quatuor angulos pallij tui, quo operieris. 13 Si duxerit vir vxorem, & postea odio ha-
buerit eam, 14 quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessi-
mum, & dixerit: Vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inueni virginem: 15 tol-
lent eam pater & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, qui in
porta sunt: 16 & dicet pater: Filiam meam dedi huic vxorem: quam quia odit, 17 im-
ponit ei nomen pessimum, vt dicat: Non inueni filiam tuam virginem: & ecce hæc sunt si-
gna virginitatis filiæ meæ: expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis: 18 appre-
hendentque senes vrbis illius virum, & verberabunt illum, 19 condemnantes insuper cen-
tum siclis argenti, quos dabit patri puellæ: quoniam diffamauit nomen pessimum super vir-
ginem Israel: habebitque eam vxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ
suæ. 20 Quod si verum est quod obijcit, & non est in puella inuenta virginitas: 21 eij-
cient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri ciuitatis illius, & morietur:
quoniam fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui, & auferes malum de me-
Leu 20.b. 11. dio tui. 22 Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, id est, adulter & adul-
tera: & auferes malum de Israel. 23 Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit
eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, 24 educes vtrumque ad portam ciuitatis
illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit, cum esset in ciuitate: vir, quia
humiliauit vxorem proximi sui, & auferes malum de medio tui. 25 Sin autem in agro re-
pererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse mo-
rietur solus: 26 puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit con-
tra fratrem suum & occidit animam eius, ita & puella perpessa est. 27 sola erat in agro:
Exo.22.c. 17. clamauit, & nullus affuit, qui liberaret eam: 28 Si inuenerit vir puellam virginem, quæ
non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit: 29
dabit qui dormiuit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxo-
rem, quia humiliauit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. 30 Non
accipiet homo vxorem patris sui, nec reuelabit operimentum eius.

1 VERSVS I. *Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis; sed reduces fratri tuo.*

Post nuperrimè in calce proximi capitis dicta, idem Sanctus Apostolus prouectissima Theologorum summitas, inquit, *eratis enim, sicut oues errantes*: meminetat de *ligno*; & statim ad *oues* diuertit. Nonne euidenter apparet, eodem spiritu & Moysen & Petrum locutos, quando & ipse Moyses vix de ligno, & de suspenso facta mentione, illico subdit, *de boue & oue errante?* Fit palam vtroque ex loco, qua de causa pependerit in ligno; nimirùm, ad ouem quærendam: quippe qui, *reliquerat nonaginta nouem in deserto*, Lucæ 15. & *venerat ad illam quæ perierat*. *Erraui* ait & Dauid, *sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum Domine* ps. 118. & Isaias c. 53. *omnes nos quasi oues errauimus; vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*. Et mirum est, quomodo licèt de hoc charitatis fraternæ officio, dictum sit Exodi 24. in hæc verba, *si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum*; in præsenti addatur, de *oue*; nimirùm, vt ad homines reducendos ad Deum, ferretur intelligentia: iuxta illud 2. Regum vltimo; *isti qui oues sunt quid fecerunt?* immò ad animas hominum, ex D. Petro dicente, *eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum*. *Pastorem* dicit; nec desunt Pastoris insignia in ligno, de quo canit Ecclesia; *transit Iacob hunc Iordanem, luctam gerens non inanem, crucis vsus baculo*. Additque & *Episcopum*: qui certè dicitur speculator à specula quæ dicitur locus editus & eminens, siue sit mons, siue turris, siue lapis, siue arbor. In quo satis, & Caluariæ Monti, & arbori Crucis alluditur: de qua Dominus ipse Io. 12. *& ego si exaltatus fuero à terra*.

2 Sed quoniam ante ouem errantem, de boue dicitur; *non videbis bouem* &c. eliciendum est, non venisse Dominum, vt acciperet personam, sed vt omnes reduceret, pusillos & magnos. Per *oues*, satis innotuit significari minores, ex illo Regum *isti qui oues sunt*: per *boues* autem maiores intelligit D. Gregorius Iob 1. *boues arabant*; vt recolit Sanctus Doctor. [A] Sanè Sapientiæ 6. *pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus*; & Ecclesiastici 5. *iustificas pusillum, & magnum similiter*. Et quia, vt dicit Apostolus, Galat. 3. *Christus factus est pro nobis maledictum; vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret*: vt verificaretur illud, ps. 113. *benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum maioribus*, tam de boue quàm de oue, in præsenti meminit. [illegible] ecce id ex textu proximo haberi. Subdit enim: *etiamsi, non est propinquus frater tuus, nec nosti eum*: quasi apertè diceret; acceptio personarum est, si propter consanguinitatem præferatur alteri alter: (sic explicat D. Thomas [B]) non ita eueniet in mystica bouis & ouis reparatione: Et si non fuerit *propinquus*, duces in domum tuam; vult quippè, *omnes homines saluos fieri, & ad agni-*

A 22.2.6

B 22.63.1 Rom.14.2.

tionem

tionem veritatis venire, 1. Tim. 2. Hoc est, quod ait Apostolus Roman. 10. *non enim est distinctio Iudæi & Græci*. Et Coloss. 3. *vbi non est masculus, & fœmina: Gentilis & Iudæus*, &c.

5 Et per ouem videtur significari populus Iudæorum, Psal. 94. *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*: sicuti per bouem gentilis: vt potè quia vagabatur sine iugo legis: Roman. 2. *gentes quæ legem non habent*: *tollite iugum meum super vos*, Matth. 11. De quo paulò ante tangit Apostolus dicens, *Iudæo primum & Græco; non enim est acceptio personarum apud Deum; quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt; & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*. Hos duxit in domum suam. Domus Christi, qui Hebræorum 2. *debuit per omnia fratribus similari*, (propterea hic dicitur iterum atque iterum *fratri tuo; fratris tui, frater tuus*) domus, inquam, Christi est Ecclesia. 1. Timot. 3. *vt scias quomodo oporteat te conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis*, non dicit *in caulam tuam*, in *præsepe tuum*, sed *in domum tuam*; vbi cohabitent & bos & ouis; quoniam vt ait Apostolus Ephesior. 2. *per ipsum habemus accessum ambo, in vno spiritu ad Patrem*. Isaiæ 54. *ecce accola veniet, qui non erat mecum; aduena quondam tuus adiungetur tibi*. Inquit autem, *duces in domum tuam*, siue in persona propria, Romanor. 15. *dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum*: siue per Apostolos; Matthæi vltimo; *euntes ergo docete omnes gentes*. *Et erunt* (Sequitur) *apud te donec quærat ea frater tuus*. Isaiæ 21. *Si quæritis, quærite*: perditur quippe à nobis & anima; Lucæ 9. *Quid autem proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat?*

VERSVS III. *Similiter facies de asino: & de vestimento, & de omni re fratris tui*.

4 Mirum est, præsumi non solùm bouem & ouem, sed & asinum errantes quandoque esse, & vlteriùs vestimentum, & alias res perdendas, seu potius perituras: *sicut ouis quæ perijt*: Et dùm inquit Dominus Matth. 6. *de vestimento quid soliciti estis?* nunc tantam curam habeat de huiusmodi recuperandis. Sed consectariò delitescit mysterium. Quamuis autem in typum gentium, & in alia significata possit esse asinus: hic cohærendo hactenus dictis, me iudice, stat pro carne & corpore, quod perierat, seu potiùs interierat, vt ex radice *Abad* legi posset: Ecclesiastici 33. *cibaria & virga, & onus asino*: ad quem sensum inducitur sententia hæc in primo Apocalypsis Commentario: [c] cibus ne deficiat; virga ne lasciuiat; onus vt proficiat. Romanor. 8. *corpus quidem mortuum est propter peccatum*, &c. *viuificabit mortalia corpora vestra*. Perijt etiam vestimentum, quando latrones Lucæ 10. hominem descendentem *ab Ierusalem, expoliauerunt; & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto*: tùnc vestem innocentiæ, gratiæ, charitatis, & donorum gratuitorum amisimus, cùm primi nostri parentes Genes. 3. *cognouerunt se esse nudos*. Dominus autem qui poterat, *& animam, & corpus perdere in gehennam*, Matthæi 10. *venit factus filius hominis, saluum facere quod perierat*, Marci 19. *& reformabit corpus humilitatis nostræ* Philipp. 3. *configuratum corpori claritatis suæ*. In quo etiam liquet, significari in præsenti per asinum *corpus humilitatis nostræ*; quia est asinus, vt ait Chrysostomus, præ cæteris penè iumentis, infirmum & ignobile: *oportet autem corruptibile hoc induere incorruptionem*, 1. Corinth. 15. ecce adhùc metaphoram vestimenti; *induere*: sicut & animæ congruit illud Euangelij, de veste nuptiali, Matth. 22. 5

C In Prologo & c. 15.

VERSVS IV. *Si videris asinum fratris tui, aut bouem cecidisse in via, non despicies, sed subleuabis cum eo*.

D. Bernardus; *cadit asina; & est qui subleuat: perit anima; & non est qui cogitet*. & D. Gregorius; *in præsenti enim vita, in via sumus, qua ad patriam pergimus*: Ecclesiastæ 4. *væ soli, quia cum ceciderit non habet subleuantem se*. 1. Cor. 9. *numquid de bobus cura est Deo? an propter hoc vtique hoc dicit?* Pro huius intelligentia sciendum ex S. Doctore, triplex [D] esse genus peccati; ex ignorantia, ex infirmitate, & ex malitia. Puto autem velle Dominum suos admonere Prædicatores, vt insudent animarum saluti, ad quam ipse venit; si fortè lapsas aliquando viderint in via; *non despicies*, inquit, in quo innuitur, aliquo in casu, locum esse contemptui: & ita, sana in Theologia, [E] est peccatum scandali contemnendum, cum ex malitia quis vult impactionem sui, atque ruinam: vt patet Matthæi 15. Igitur quia peccare ex malitia, [F] est ex electione, siuè ex industria, aut ex certa scientia: (quod est ex [G] proposito firmato aliquod malum facere:) ideò omittitur hic typus huiusmodi peccatoris, & solù fertur de Asino, & de Boue: quorù alter peccantibus ex ignorantia quadrat; est enim *asinus* præ cæteris, vt ait Chrysostomus, *irrationabilis* magis: alter, (cui fortitudo appropriatur) dum cadit, peccantes ex infirmitate designat: hi despiciendi non sunt: *subleuabis*, inquit, *cum eo*. Sed est mirabilis in vocula illa *cum eo* animaduersio; ly *cum* est associatiua particula: quid ergo intendit Scriptura dicens *subleuabis cum eo*? an non satis erat dicere; *subleuabis eum*? quemadmodum paulò ante, *reduces*, inquit, neque adiecit *cum eo*. Responsio est, agi de salute proximi lapsi, ad quem ex charitate & ex officio respectiuè tenemur: qui munus suum implet subleuat semetipsum *cum eo* ab onere, & à peccato, in quod contemnens necessitatem proximi incidisset. Id Apostolus attigerat 1. Timoth. 4. præmisso; *attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*; & post pauca; *hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt*. Et D. Iacobus in sua Canonica. *Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ* (Deus bone, quomodo deprehenditur Scriptura Sacra esse eodem Spiritus Sancti calamo conscripta! ecce de errante, & errante in via loquitur D. Iacabus, quasi hoc ex capite verba accepisset.) *saluabit animam eius à morte*. [H] Glossa; quidam codices habent, *animam suam*; idest, *illius qui facit eum conuerti*: & verè qui errantem corrigit, per hoc ampliora gaudia vitæ cœlestis sibi acquirit. Vel dicens *subleuabis cum eo*, lapsi cooperationem insinuat. Sicuti Actor. 9. legimus *dans autem illi manum erexit eam*, manum certè Tabitha quoque extendente. Sic Matth 9. *tenuit manum puellæ*: Sic Socrus Simonis *apprehensa manu*, Marci 1. Sic Lazarum vocat,

D p. 2. 79. 77. 78. & de ma 1 q. 1. a. 7. & infrà.

E 22. 43. 7.

F de malo q 3. a. 11.

G op. 18. c. 12.

H Iacobi 1.

Io. 11. at vult vt veniat; *Lazare veni foras*; & c. 5. languido, *vis sanus fieri?* exigens nimirum conatum liberi arbitrij: iuxta illud Augustini super Io. *non iustificabit te sine te*; De quo lepidè Opusc. 7. §. *fiat voluntas tua*.

6 At dices: peccantes ex ignorantia in typo asini, errantes ex infirmitate ex casu bonis subleuare præcipit: nunquid peccantes ex malitia despicit Deus? Respondeo, ex D. Ioanne, in prima c. vltimo. *Est peccatum ad mortem; non pro eo dico, vt oret quis*. Quocircà Sanctus Doctor; [I] si intelligatur peccatum ad mortem, id quod ex malitia committitur: sic non prohibetur, quin aliquis pro eo oret, sed non quicumque, quia non quicumque est tanti meriti, vt orando ei gratiam impetrare possit; quia sanatio talium, est quasi miraculosa: sicut si diceretur pro suscitatione mortui; *non dico, vt oret quis pro eo*, idest, quicumque, sed aliquis magni meriti apud Deum. Addiderim ipse: silentium vtrobique seruari: quasi suspenso animo hæreat lingua: nihil dicit Moyses de huiusmodi ex malitia cadentibus, immò corruentibus: *impij corruent in malum*, Prou. 24. Sic legimus Lucæ 12. *Si venerit in secunda vigilia; & si in tertia vigilia venerit, beati sunt serui illi*. De quarta vigilia, hoc est de postremo tempore vigilantibus, obstinatiorum proprio, subticetur. Paueat peccator huiusmodi, contremiscat: atqui non ideò desperet.

I De malo q. 1. a. 15. ad 3.

7 VERSVS V. *Non induetur mulier veste virili*.

Hæc & alia deinceps vetita, exponenda sunt priùs ad litteram. Quoniam enim Eccles. 19. *amictus corporis enunciat de homine*; [L] voluit Dominus, vt populus eius distingueretur ab alijs populis, non solùm signo circumcisionis, quod erat in carne, sed etiam certa habitus distinctione: vnde ad euitandum idolorum cultum ista prohibuit; siquidem in cultu Martis, mulieres vtebantur armis virorum; in cultu autem Veneris è conuerso, viri vtebantur vestibus mulierum. Alia etiam erat ratio; ad declinandam luxuriam; incentiuum est enim concupiscentiæ, quod mulier induatur veste virili, aut è conuerso, & occasionem libidini præstat. Præterea, [M] cultus exterior debet competere conditioni personæ, secundùm communem consuetudinem: & ideo de se vitiosum est, quòd mulier vtatur veste virili, aut è conuerso: & præcipuè, quia hoc potest esse causa lasciuiæ. Et specialiter prohibetur in lege, quia Gentiles tali mutatione habitus vtebantur ad idololatriæ superstitionem. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato, propter aliquam necessitatem: vel causa se occultandi ab hostibus; vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud huiusmodi. Alibi; [N] debent viri vestium suauitatem contemnere: potiùs conuenit vestis suauitas mulieribus, quàm viris; Deuteronomij 22. &c.

L p. 2. 102 6. 6.

M 22. 169 2. 3.

N op. 41. l. 5. c. 17.

8 VERSVS VI. *Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis desuper incubantem* &c.

Aliqui malefici [O] vtebantur matre ouis incubante, & pullis eius simul captis, ad fœcunditatem & fortunam circa nutritionem filiorum: & quia etiam in augurijs, reputabatur hoc esse fortunatum, quòd inueniretur mater incubans filijs. Prohibetur etiam hoc, ad euitandam speciem crudelitatis, [P] vt remoueatur animus à crudelitate in homines exercenda.

Op. 2. 102 86.

P loco cit. & 3 Cont. G. c. 112.

VERSVS VIII. *Cum ædificaueris domum, facies murum tecti per circuitum* &c.

Apud Palæstinos omnesque Asianos, pars domus sublimior, est sine tecto sub dio. Huic circumcirca, inducendi erant cancelli, seu murus cancellatus, qui deambulantibus in tecto seu solatio, pro lorica est seu *corona*, vt Septuaginta, ne quis per imprudentiam decideret. Ochozias 4. Regum 1. cecidit per huiusmodi cancellos cœnaculi sui. Quorsum hoc ad litteram præcipiatur delitesceret, nisi quòd charitatem ostentat ad proximum, qui tantùm abest, vt debeat tractari crudeliter, aut offendi, quin potiùs est omni studio à casualibus læsionibus præseruandus: at sustine, & mystica sensa miraberis.

VERSVS IX. *Non seres vineam tuam altero semine*. 9

VERSVS X. *Non arabis simul in boue & asino*.

Dicendum quòd omnes [Q] huiusmodi commistiones in agricultura sunt prohibitæ ad litteram, in detestationem idololatriæ; quia Ægyptij in venerationem stellarum, diuersas commistiones faciebant; & in seminibus, & in animalibus, & in vestibus, repræsentantes diuersas coniunctiones stellarum. Vel omnes huiusmodi commistiones variæ prohibentur, ad detestationem coitus contrà naturam. Fert autem in Opusculo, quod ad hæc habetur 16. q. 7. cap. in nouaactione: [R] Vbi dicitur, *in vno eodemque officio, non debet esse dispar professio: quod etiam in lege diuina prohibetur, dicente Moyse; non arabis simul in boue & asino; idest, homines diuersæ professionis, in vno officio simul non sociabis*: Et infrà; *nam cohærere, & coniungi non possunt, quibus & studia & vota sunt diuersa*.

Q p. 1. 102. 6. 9.

R op. 19. c. 1.

VERSVS XI. *Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est*.

Ob certam habitus Iudæorum [S] distinctionem: & quia Gentiles in cultu suorum Deorum, varijs vestibus, ex diuersis contextis vtebantur. 10
Et præterea in hoc omnis inordinata commistio coitus excluditur.

S p. 2. 102. 6. 6.

VERSVS XII. *Funiculos in fimbrijs facies per quatuor angulos pallij tui, quo operieris*.

Cùm de hoc actum sit Numeri 15. v. 38. quemadmodum & Leuitici 19. de non serendo agro diuerso semine, *veste, quæ ex duobus texta est, non indueris*: mysticè sine dubio, hìc iterato, adiectis alijs dicuntur. Quare deprehenditur, quomodo intendit Moyses, adamussim nouæ legis prædicatores diuini verbi instituere: vt quos inuenit Dominus errantes, reduxitque in viam salutis, viri apostolici, seruent, iuuent, & foueant; non enim, *minor est virtus, quàm quærere, parta tueri*. Benè autem præmittitur de charitatis Christianæ opere, quale est, ne frater temporalium bonorum iacturam subeat, quod ibi, *non videbis bouem fratris tui* &c. [T] obseruat Sanctus Doctor, (in quo à fortiori, de bono corporis, ac de bono virtutis mandatur) quia, *qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium*, vt ait Gregorius, *nullatenus suscipere debet*.

T 22. 1. 3. 1. de virtutib. q. 1. a. 2.

Idem S. Doctor figurali ratione exponens

præ-

Y p.2.108 a.6.

prætacta, inquit, Y prohibetur, quòd mulier non vſurpet ſibi doctrinam, vel alia virorum officia; (*non induetur* &c.) vel, ne vir declinet ad mollities mulierum. Et optimè quidem, dicente Apoſtolo primæ Timoth. 2. *docere mulieri non permitto*; & primæ Cor. 11. *vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illis*; Z ideſt, ad ignominiam ei reputatur apud plures homines; quia per hoc videtur muliebris eſſe: & Ezechielis 14. dicitur, *Sacerdotes comam non nutriant; ſed tondentes attondent capita ſua*. Similiter in auis nido, non debemus A tenere *matrem cum filijs*; quia in quibuſdam retinendi ſunt ſpirituales ſenſus, quaſi filij; & dimittenda eſt litteralis obſeruantia, quaſi mater: ſicut in omnibus cæremonijs legis. Cum dicitur etiam, *non ſeres vineam tuam altero ſemine*; B eſt ſpiritualiter intelligendum, quòd in Eccleſia, quæ eſt ſpiritualis vinea, non eſt ſeminanda aliena doctrina. Et ſimiliter, *ager* ideſt *Eccleſia*, non eſt ſeminandus diuerſo ſemine, ideſt catholica doctrina, & hæretica. Non eſt etiam, ſimul arandum in *boue*, & *aſino*: quia fatuus ſapienti in prædicatione non eſt ſociandus; quia vnus impedit alium. In veſtimento contexto C *ex lana & lino*, interdicitur coniunctio ſimplicitatis & innocentiæ, quæ figuratur per lanam; & ſubtilitatis, & malitiæ, quæ figuratur per linum. Ecce quomodo agnouit Sanctus Doctor, quonam collimarent eiuſmodi præcepta, ad inſtruendum nimirum, & prædicendum, qualiter doctrina fidei eſſet prædicanda.

Z 1.Cor. 11.3.

A p.2.102 a.3.

B p.2.102 a.9.

C loc. cit. ad 6.

11 Duo dumtaxat ex profeſſo non eſt interpretatus, quæ tamen eius ex doctrina enucleantur. Primum eſt illud: *Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum*. Hiſce metaphoris vtitur & Apoſtolus dicens 1. Cor. 3. *Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis; Dei ædificatio eſtis*. Domus noua, ſine dubio eſt Eccleſia: *hæc eſt enim domus Domini firmiter ædificata*: vnde & D. Petrus in prima c. 2. *& ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis*. Sic Ambroſius de Zacchæo; *& ideò Ieſum in interioris domus recepit hoſpitio*. Matth. 24. *Et qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua*: D. Hilarius; *tectum eſt domus faſtigium, & habitationis totius celſa perfectio: qui igitur in conſummatione domus ſuæ, ideſt in cordis ſui perfectione conſtiterit, regeneratione nouus, ſpiritu celſus, & diuini muneris abſolutione perfectus fuerit, non deſcendat cupiditate in humil ora rerum ſæcularium*. Hic per murum in circuitum cauetur perfectorum lapſus & ruina. Sanctus Leo Papa, *nemo de cordis ſui puritate confidat; cum ille peruigil hoſtis acrioribus pulſet inſidijs, quos maximè viderit abſtinere à peccatis*. *Venit* Iob 1. *ventus, & concuſſit quatuor angulos domus* D. Thomas Matth. 14. iſte ventus eſt impetus diabolicæ tentationis. *Muro inexpugnabili protectionis tuæ, cuſtodi nos Angele Dei*, ſeu *Domine*. Recolit S. Doctor ædificij morem, de quo ſupra D ad illa verba; *quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*: quia in aliquibus regionibus eſt, quòd tecta ſunt plana, & ibi poteſt fieri manifeſtatio omnibus. Myſticè ſuper tecta prædicat qui carnem ſibi ſubijciens alijs prædicat. Vbi autem ait Dominus, *quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*; exponit Hieronymus E comparatiuè; quia videlicet Chriſtus erudiebat eos in paruo Iudeæ loco, reſpectu totius mundi, in quo erat per Apoſtolorum prædicationem doctrina Chriſti publicanda. Liquet ergo, quid ſibi velit Scriptura, dum de altitudine ac amplitudine tecti eſt ſollicita: nimirùm, ſic alta prædicari, populumque ad audiendum ita eleuari, vt ſit vnuſquiſque in tuto, nec ruere queat: id obtinet circumiacens murus. Metaphora hæc de tecto vallando, ne cui ruere in præceps contingat, affinis eſt illi, quæ fertur Exodi 21. *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam*: vbi gloſſa Gregorij F *qui in ſacro eloquio iam alta intelligit, ſublimes ſenſus coram non capientibus per ſilentium tegat, ne per ſcandalum interius, aut fidelem paruulum, aut infidelem, qui credere potuiſſet, interimat*. Quocirca iuuat ibidem ex D. Thoma diſtinguere: quædam enim ſunt, quæ audita nulli nocent, ſicut ea quæ omnes ſcire tenentur, & talia non ſunt occultanda, ſed manifeſtè omnibus proponenda: quædam verò ſunt, quæ propoſita, manifeſtè auditoribus nocent: quod quidem contingit dupliciter: vno modo, ſi arcana fidei infidelibus fidem abhorrentibus denudentur; eis enim venient in deriſum: & propter hoc dicitur Matthæi 7. *Nolite Sanctum dare canibus*; & Dionyſius 2. cap. Cœleſtis Hierarchiæ: *audi ſanctè dicta, diuinus diuinorum in doctrina factus; & mentis occulto ſanctu circumabſcondens ab immunda multitudine, vt quam vniformia cuſtodi*. Secundo modo, ſi aliqua ſubtilia rudibus proponantur, ex quibus perfectè non apprehenſis materiam ſumunt errandi primæ Cor. 3. *non potui vobis loqui, tanquam ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam*. Hæc ergo ab eis quibus nocent occultanda ſunt. En quò intendit ly *murus per circuitum*, ly *tecti*: nimirum ad altitudinem verbi, & populi multitudinem vbique diffuſam ſignificandam: *circumabſcondens*, ait Dionyſius, *ab immunda multitudine*: Nihilominus, ne fortè quid ſaluti neceſſarium prætermittatur; ne præſertim excidat mandatorum Dei memoria; ſubiungitur verſu 12. *funiculos in fimbrijs facies, per quatuor angulos pallij tui, quo operieris*. Interlinearis habet; *in omnibus quæ agis, memor ſis mandatorum Dei*: de quo Numeri 15, v. 38. Verùm, *operiatur in ipſis*: ſeruet ipſe priùs legem, nec credat alios accendere frigidus.

D Matth. 10.

E 3. p. 42. a. 3. 1.

VERSVS XIII. *Si duxerit vir vxorem*.

Litteraliter optimè Hugo Eminentiſſimus noſter cuncta perſequitur. Atqui in littera non quieſcit animus; quippe, qui cupit ad medullam pertingere: non enim Moyſes, abrupto ita ſermone ad hæc deflexiſſet, niſi nexu aliquo cohærerent hactenùs dictis. De vxore, de adultera, de virgine, de ſponſa, de innocenter & culpabiliter grauatis: de vi, aut conſenſu humiliatis mulieribus, decernitur. Nonne ad ſponſam atque vxorem ſine macula lineandam cuncta collimant? quidni ergo allegoricè Eccleſiæ Chriſti Sponſæ puritas à calumnijs vindicetur? Simulque ſynagogæ nefas euincatur? Certè prouida diſpenſatione, ne *palparemus ſicut cæci parietem*. Iſaiæ 59. aperto eloquio, in proximo ſequenti capite, de arcendis ab Eccleſia Domini, multus eſt ſermo: argumento, in ænigmate, paulo ante de Eccleſia, ſub vxoris & ſponſæ titulis, di-

ctum fuisse. Superest, singillatim textus examinare, & ad rem sanè intelligere: quod donet Dominus.

12 Quantùm sapio, quantùm capio; secundùm formam iudicij, in quo, vt videre est, accusatio, defensio, & sententia proferuntur, intendit Spiritus Sanctus Sanctam Ecclesiam à pessimis diffamationibus expurgare: idque per modum disceptationis veluti coram Iudice: sic, vt ex vna parte gratis virum agat accusatorem iudaica perfidia: ex altera, Ecclesiæ tueatur innocentiam & puritatem Christiana pietas. Etiam in libro Iob Sacra doctrina traditur ex D. Thoma in Prologo ps. modo disputatiuo. Sanè Ieremiæ 3. Ezechielis 16. Et Osee 2. expresse fit mentio de desponsatione Synagogæ, quæ fuit vxor Domini, non concubina; quia sicut est vna fides antiquorum & modernorum, ita vna Ecclesia: vnde illi qui tempore Synagogæ Deo seruiebant, ad vnitatem Ecclesiæ, in qua Deo seruimus,
G 4.27 3. 3.1. pertinebant: hæc ex D. Thoma. [G] Ex his superbiens eadem Synagoga, quamquam iniussa, quasi vir sibi id mandasset, viri nomine cœpit Ecclesiam gentium calumniari: obijciens *ei nomen pessimum*, nimirum, non inuentam fuisse virginem. Ita in littera. Hoc est dictu; nos à Iudæis contemptui, & odio haberi; de impuritate fidei, morumque notari; nedùm in præsentiarum, sed actis sæculis, quando idololatriæ Gentes seruierunt. Itaq; non desinunt vsque hodie detrahere, scelus imponere: quamquam, quia re ipsa inculpata est Ecclesia, nonnisi *nomen* imponunt, vacuam scilicet vocis eruptionem: quod signanter crediderim dici: *obijciens*, inquit, *nomen pessimum: imponit ei nomen pessimum: diffamauit nomen pessimum super virginem Israel*. Quomodo obloquantur Iudæi de nobis, scit Deus. Atridet Ecclesia, falsò excogitatam, quam vir non probat vxoris diffamationem; prouidetque, vt Pater & Mater exhibeant in prudentum iudicio, signa & argumenta virginitatis: Igitur est

VERSVS XV. *Tollent eam Pater & Mater eius, & ferens secum signa virginitatis.*

13 Nunquid sistendum in cortice? Putant fortè in vsum fuisse, seruari linteamina in quibus concubuerant noui coniuges, tincta sanguine rupti hymenis siue vteri virginalis: non eo inficias: atqui durum mihi videtur, ad hæc respexisse Scripturam, nec aliud intendi. Nonne fraudulenter proferri poterant? Et qui negarat puellæ virginitatem, nequibat respuere isthæc signa? Certè, vt deduceretur veritas; opus & labor: Et ex se inefficax, virginatis eius, ostensio, Præterea quamdiu illita sanguine custodiebantur? Et si præmortua fuisset Mater, cuiusnam erat huiusmodi curam habere? Denique accusatoris seu diffamatoris erat probare iniustum crimen. Cur hic dumtaxat recurritur, vt expandant vestimentum, *sindonem*, inquit Chaldæa, Quandoque Scriptura, vt mysticè capiantur & reliqua, nonnihil interserit, quod secundùm humanam rationem non habet intelligentiam. Sic illud psalmi 71. *& dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum*. Vnde
H Prologo psalm. Sanctus Doctor in Prologo in psalmos [H] habet; Prophetiæ autem aliquando dicuntur de rebus, quæ tunc temporis erant, sed non principaliter dicuntur de eis, sed in quantùm figura sunt futurorum: Et ideo Spiritus Sanctus adordinauit, quòd quando talia dicuntur, inserantur quædam, quæ excedunt conditionem illius rei gestæ, vt animus eleuetur ad figuratum: sicut in Daniele multa dicuntur de Antiocho in figura Antichristi: vnde ibi quædam leguntur, quæ non sunt in eo completa, implebuntur autem in Antichristo. Sicut etiam aliqua de Regno Dauid & Salomonis leguntur, quæ non erant implenda in talium hominum Regno, sed impleta fuere in Regno Christi, in cuius figura dicta sunt. Sicut ps. 71. *Deus iudicium tuum* &c. qui est secundùm titulum de Regno Dauid, & Salomonis; & aliquid ponitur in eo quod excedit; scilicet, *orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna*: & iterum, *dominabitur à mari vsque ad mare* &c. quare, exponitur de Regno Salomonis, in quantùm est figura Regni Christi. Sic Diuus Hilarius ad illud Matthæi 24. *Et qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo*, ait, *secundùm humanam intelligentiam, rationem dicti factique non recipit*. Ipsemet idipsum dixerim, de hac sanguinea Virginitatis Ecclesiæ probatione. Apostolus 2. Cor. 11.
tanquam paranymphus [I] matrimonij inter nos I 2.Cor. 11.1.2.
& Christum ait, *despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo*. Ioann. 3. *qui habet sponsam sponsus est*. Ephes. 5. *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam*. Et quid sibi vult isthæc sanguinis comprobatio: an fortè ad effusionem sanguinis recurrendum? Actorum quippe 20. dicebat Paulus; *attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*. Haud reor hic eo de sanguine fieri verba: hoc quidem pretioso in sanguine, ac in fide passionis eius, facta sunt sponsalia; Osee 2. *desponsabo te mihi in fide*: vnde & in Cruce effudit aperto latere sanguinem & aquam; per quæ fundata est Ecclesia: sed de alio
sanguine est sermo; Christus etenim non est spon- 14
sus sanguinis dumtaxat; sed *sponsus sanguinum*. Sic Sephora Moysi vxor, Exodi 4. quod mirum est circumciso puero, conuersa ad eundem Moysen typum Christi Domini, vt ibi dictum est, in eas erupit voces; *sponsus sanguinum tù mihi es*. In quo
figuratur, [L] quòd Christus desponsauit sibi Ec- L 4.49.4. 4. Ioan.3. 15.
clesiam per incarnationem, & passionem. Sed quare sanguinum? Nihil prohibet, securitatem atque comprobationem matrimonij inter Christum, & Ecclesiam accipi ex effusione sanguinis Christi, & pariter ex effusione sanguinis, quem tot in martyribus, cùm primò Cœlesti sponso iuncta est, fudit Ecclesia; argumentum enim fortissimum veræ fidei, est millia millium vitam despexisse pro Christo: quoniam vis naturæ neutiquà tanta est, vt possit acerbissima tormentorum genera superare, & vincere cum minis blanditias, fidei confessione: detur enim apud profanos, hunc aut illum puta Curtium generosè pro patria mortem oppetijsse: Christiana Religio innumerabilium martyrum, inter quos pueri & puellæ, rubricata cruore, euasit dilecti, candidi & rubicundi condigna sponsa *desponsata in fide*, Osee 2. quod ait Apostolus Hebræorum 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam*, &c. *obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis*, &c. *alij distenti sunt, non suscipien-*

tes redemptionem vt meliorem inuenirent resurrectionem: alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt: & hi omnes testimonio fidei probati. Lydius ergo lapis, in quo deprehenditur verè esse Ecclesiam Dei sponsam, est huiusmodi agon fidei. Hinc Canticorum primo, ipsamet ait Ecclesia; *Nigra sum sed formosa, filiæ Ierusalem: sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*; vbi D. Thomas, in expositione nouissime euulganda, [M] inquit, Ecclesia primitiua turbationem patiebatur à gentibus, ideo erat nigra, attamen interiùs formosa erat; *sicut pelles Salomonis*, quæ fuerunt rubricatæ, ex quibus fecit Tabernaculum, sicut glossa tangit: vel ex quibus texit arcam Domini: in quo notatur formositas secundùm charitatem. Verum ex hoc etiam relucet rubricatio sanguinis de qua dixi, quia *fortis est vt mors dilectio*. Cæterum in alio Commentario, quod vulgò fertur inter opera D. Thomæ crediturque Haymonis c. 4. ad illa verba, *Emissiones tuæ malorum punicorum* [N] habetur; *Emissiones* ergo Ecclesiæ paradisus malorum punicorum fuerunt; quia primum locum post Apostolos in Ecclesia Martyres tenuerunt, per ipsam Domini passionem, quam ipsi patiendo, imitari studuerunt. Hæc *expandenda ergo sunt vestimenta coram senioribus Ciuitatis*, vt fiat palam, an incorrupta sit sponsa, nec priùs taminata. Et sanè meritò expandi dicuntur, dum innumerabilem extenduntur in numerum: Hieronymus in Epistola ad Heliodorum tradit, euolutis Romanorum Pontificum annalibus tot inuenisse, vt singulo quoque anni die, posset Ecclesia trium millium memorias & festa celebrare. Trecenta millia Martyrum Romæ occubuisse fert Maluenda lib. 3. de Antichristo c. 10. Alij vndecies millia millium supputant in Ecclesia. Non dedignatur Dominus expectare creaturæ iudicium qui venerat iudicandus, dum ait Isaiæ 5. *Nunc ergò habitatores Ierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam*.

M Cantic. 1.

N Cantic. 4.

VERSV eodem XV. *Tollentque eam Pater & Mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius*.

15 Quis est iste Pater nisi Abraham qui vt ait Apostolus, est *Pater credentium? Tentauit Deus Abraham*, Gen. 22. *tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offeres illum*, &c. Ait sanctus Beda; [O] *magna tentatio cùm filium iubetur occidere! magna fides, cum etiam de mortuo credebat se fem̃n posse suscipere*. Comprobauit igitur puritatem suæ fidei Abraham, fusurus suum in vnigenito sanguinem. Sed & Mater expandit cruentatum vestimentum; Mater, inquam, nimirum lex. D. Augustinus Serm. 20. de Sanctis, de Baptista inquit, *nobis Dominum Deum nostrum de quodam legis vtero proclamauit: ergo, quia Iudæi errauerunt ab vtero, idest à lege, qua Christo grauida erat, errauerunt a ventre*, &c. Itaque claret, legem in typum matris, benè posse aptari. Hæc etiam testimonium perhibet, sicut & Ioannes, qui vt ibidem ait, *in se prætulit formam legis: & venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine*: expandit & ipsa vestimentum, ostenditque signũ seu signa virginitatis sponsæ, in sanguine; nedùm, quia mactatis victimis veram fidem, In qua desponsamur Deo, protestabantur, sed quoniam effundebatur sanguis, qui maximè est necessarius ad vitam; [P] ratione cuius anima dicitur esse in sanguine; ad confitendum, à Deo nobis esse vitam. Sicuti ergo oblationibus hostiarum, holocausto Abrahæ, confutatur nota omnis, qua posset vxor Domini labefactari; ita ostensione indumenti sanguine aspersi, refellitur de pessimo nomine inculatio, qua vellet impius Ecclesiæ sponsæ Christi detrahere.

O Iacobi 2.

P p. 1. 2e 3. 8.

Expandent vestimentum. [Q] Vestimentum Christi sunt Sancti omnes. Et receperat intellectum metaphoræ ex D. Gregorio, qui 32. Moralium cap. 5. dicit [R] vestimenta Christi facta fuisse splendentia; *quia in supernæ claritatis culmine sancti omnes, ei, luce iustitiæ fulgentes adhærebunt; vestium enim nomine, iustos, quos sibi adiunget, significat*. Et tropi rationem assignat; [S] quia sicut homo ornatur ex speciosio vestimento, ita omnis decor sanctorum Angelorum, & Hominum redundat in ornatum Dei, in quantùm, ex hoc Dei Bonitas commendatur; permodum quo dicitur Isaiæ 49. *quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos qua si sponsa*. Et ecce quàm mirè Isaias connectit de vestimento, & de sponsa, nec non immediatè ante de Ecclesia, quæ dicitur, *congregatio iustorum*; ait enim: *leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his*, &c. De Ecclesia eadem, sub typo vestimenti, & sub nomine sponsæ loquitur: quare eùm & hic à Moyse de Ecclesia, de que eadem vt sponsa agatur, non est mirum, si ad vestimentum conuertit sermonem.

Q ps. 4

R 1. p. 4 3.

S Iob 4

VERSVS XVIII. *Apprehendentque senes vrbis illius virum, & verberabunt illum*.

Quomodo, ob pessimum nobis impositum nomen, (vocant nos Idumæos in odium, pernicaces Iudæi) flagellentur, videmus. Quamuis enim præscribatur plagarum modus infrà c. 25. *ita dumtaxat, vt quod. agenarium numerum non excedant*: hic confusè verberandus præcipitur. Quia flagella diuinæ iracundiæ, postquam sponte sibi fuere iudices dicentes, *sanguis eius super nos, & super filios nostros*, finem non habent. Arrogat sibi Dominus, iniuriam sponsæ; *qui vos spernit me spernit*, Lucæ 10. *Saule Saule cur me persequeris*, Act. 22. nihilominus *quadraginta vna minus accipient*; eoquod ante quadragenarium huius vitæ expletum cursum, *reliquiæ saluæ fient*, Roman. 9.

VERSVS XIX. *Condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit Patri puellæ*.

Vbi nos legimus Leuitici 5. de Ariete immaculato offerendo, qui emi potest, *duobus siclis iuxta pondus sanctuarij*; habent Septuaginta; *pretij argenti siclorum, siclo sancto*. Origenes apud Lauretum in sylua Allegoriarum inquit, *siclus sanctus, quo emendus est aries, syncerum fidem significare potest*. Tù necte illud Apostoli Eph. 3. *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Datur autem fides ad mensuram, iuxtà illud, *vnicuique*, Rom. 12. *sicut Deus diuisit mensuram fidei*. Denario ergo arctatur; & benè siclo argenti, quoniam argentum sonoreitatem habet: Fides autem annuncianda erat in vniuerso mũdo, Roman: 1. & in ps. *in omnem terram exiuit sonus eorum*. Præterquam, quemadmodum Soli aurum, 16

Marti

Marti ferrum & calybs, Saturno plumbum, Ioui stannum & electrum, Mercurio argentum viuũ, Veneri æs, ita Lunæ dicitur subesse argentum: (De vi astrorum in metalla Scotus in d. 14. ad finem.) Luna autem tanquam lucerna lucens in nocte, bene ad fidei subobscurum lumen in argento referri potest. Iudaica autem perfidia fidem omnem amisit, quæ ad fideles filios Abrahæ, tanquam ad Patris hæredes traducta est: ideò dat incusatot centum ficlos, idest fidem omnem. Matthæi 21. *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Quod quidem Regnum pro fide accipi potest, iuxta illud Diui Hieronymi, lib. 4. Comm. in Matth. in fine; *vt qui ante regnabat in cælis, per fidem credentium regnet in terris.* Quò facit Angelici Præceptoris doctrina; nàm [Y] regnum Dei dicitur id, per quod Deus regnat in nobis, & per quod ad regnum ipsius peruenimus. Deo autem coniungimur, & subdimur, per interiorem intellectum, & affectum. Et prædixerat, [V] ferens illud Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est*; in quantum homo credit, sperat, & diligit. Occasione autem calumniæ, nominisque pessimi, nobis, qui sumus desponsati viro vni, tangit Moyses indissolubilem Ecclesiæ cum Christo vnionem, dicens; *non poterit dimittere eam, omnibus diebus vitæ suæ.* Quòd tamen secundùm corticem litteræ non videbatur plausibile: quoniam iam odio habebat illam: vnde scandalum illud poterat oboriri propter quod, infrà c. 24. repudij libellus vxori dabatur.

Y Rom. 14.1.2.

V Roman 11.1.1.

VERSVS XX. *Quòd si verum est, quod obijcit, & non est in puella inuenta virginitas,* &c.

Ecce innuitur alia via disquiri de puellæ virginitate, præter indumenti ostensionem, nempe ex obiectis aduersùs puellam. Quare magis suadeor, illud potiùs ad mysticam intelligentiam, quàm ordine causæ proferri, vt dictum est. Moritur rea puella: non quia viro nupserit, cum esset corrupta: sed quoniam, vt inquit textus, *fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo Patris sui.* Et hòc ad incredulos Iudæos facit prout dicetur mox ad versum 23. vsque ad 27.

VERSVS XXII. *Si dormierit vir cum vxore alterius.*

Leuitici 20. v. 10. iam lex lata erat: moritur mœchus & adultera. Quadrat infidelium Iudæorum Synagogæ; de cuius fornicationibus, Ezechielis sextum decimum, per totum. Obstinatio autem eius in malo præsumitur, secùs Dominus suscepisset adhuc eam reuersam, vt palam Ieremiæ 3. pollicetur; *fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Corrupta autem fuit synagoga à Diabolo, per idololatriam, ideò cum illo perit æterna morte; Sponsum qui est Christus Dominus, semper declinans.

17 VERSVS XXIII. *Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in Ciuitate, & concubuerit cum ea.*

Possent disceptatione causæ obiectare Iudæi; eadem ratione fornicatas fuisse Gentes: quare si ob id reiecta est Iudæorum caterua, debuit & populus nationum, quem diabolus per idololatriam subiecit, à Deo damnari. Non est, Respondeo, sacro ex textu par ratio: non enim æquè violatur puella in Ciuitate, & in agro: quæ enim reperitur in agro, clamasse præsumi potest, *sed nullus affuit, qui liberaret eam*: propterea *nihil patietur, nec est rea mortis*; ita ex textu. *Si inuitam violari iusseris,* aiebat Lucia, *castitas mihi duplicabitur ad coronam*: at altera in Ciuitate humiliata deprehenditur nòn clamasse, *quia non clamauit, cùm esset in Ciuitate, lapidibus obruetur.* Inducit Moyses exemplum pro primæ excusatione de latrone, qui consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius, ita & puella perpessa est. Synagoga quæ in vnitatem fidei & Ecclesiæ desponsata erat, culpabiliùs deliquit, eo quòd clamare poterat cùm esset in Ciuitate. Erat populus Iudæorum in Ciuitate: ipsi de se aiebant, *nos autem populus eius.* Sicut autem introducit D. Augustinus dictum à Tullio [X] *populus est cœtus multitudinis, iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus.* Ciuitas autem ex D. Thoma [A] habet sufficientiam per se. In vico non inueniuntur omnia necessaria vitæ humanæ, sanis & infirmis. Ciuis etiam per Philosophum dicitur [B] simpliciter, qui potest agere ea quę sunt ciuium, puta dare consilium vel iudicium. Ad rem nostram, adderem ego, & *auxilium.* Gentes non ita in ciuitate erant, sed potiùs in agro, seu in villis. *Pagani* iuxtà Commentatorem Canticorum, qui hactenus creditus est D. Thomas [C] dicuntur à *villa*, quia *pagos* græcè, *villa* latinè; inde pagani dicti quia longè sunt à ciuitate Dei. Et Matthæi 27. ibi *Simonem Cirenæum venientem de villa: villa,* [D] *pagos* dicitur græcè: ille de *villa* venit, qui de *paganismo* venit: & significat gentilem populum, qui crucem Domini tulit. Emicat ergo ingens disparitas inter puellam corruptam in ciuitate, & corruptam in agro: & quænam? audi Paulum Romanor. 3. *Quid ergo amplius Iudæo est, &c. multùm per omnem modum: primò quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Ps. 75. *Notus in iudæa Deus.* ps. 147. *non fecit taliter omni nationi*, & infrà c. 9. *quorum adoptio est filiorum, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa; quorum Patres, ex quibus est Christus secundùm carnem*, & tamen fornicati sunt reatu certè maiori; primò enim, non crediderunt legislatori, ps. 105. *non crediderunt in verbo eius.* Secundò non crediderunt prophetis. Ezechielis, 2. *increduli, & subuersores sunt tecum.* Tertiò non crediderunt ipsi filio Io. 8. *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? meliùs erat eis*, 2. Petri 2. *non cognoscere viam iustitiæ, quàm post cognitam retrorsùm conuerti*: quod perpenditur à Diuo Thoma. [E] At *populus nationum*, ex D. Ambrosio l. 8. in Lucam signatus per Zacchæum statura pusillum, *non prophetas, non legem habens*: ascendisse videtur mihi arborem Sicomorum, vt esset occasio recogitandi, populum nationum repertum in agro: vbi de more arbores consitæ sunt. Puella his de causis in Ciuitate moritur: quæ in agro perpessa est, nihil patitur; quia ille *seruus*, Lucæ 12. *qui cognouit voluntatem Domini sui, &c. vapulabit multis; qui autem non cognouit, vapulabit paucis.* Rom. 2. *si autem tù Iudæus cognominaris & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius,* &c.

X p.1.105 2.

A p[.] 48.

B p.1.105 3.1.

C Cant.7

D. Matthæi 27.

E Rom. 1. 1.1.

VERSVS XXVIII. *Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cùm illa.*

18 Gentiles aliquot, sic ab omni lumine gratiæ Redemptoris, qui sponsus erat futurus, fuere alieni, vt meritò dicantur non habuisse sponsum; cùm alij non adeò obtenebrati, essent veluti puella desponsata vel Sibyllinis versibus reparatore præaudito. De primis potest illud accipi Roman. 2. *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt*. Qui quidem etsi desponsati non essent Deo; per fidem quam nec ænigmate receperant, traducendi erant in thalamum sponsi. Huc attinet, quod docet Angelicus dicens; [F] nunquid ergò illi ad quos non

F Rom. 10. l. 3.

peruenit (doctrina fidei) vtpotè si fuerunt nutriti in syluis, excusationem habent de peccato infidelitatis? Ad hoc dicendum, quòd secundùm sententiam Domini, quæ habetur Ioannis 17. illi qui loquentem Dominum per se, vel per eius discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei consequentur, vt scilicet iustificentur ab alijs peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel malò viuendo addiderunt: & pro his meritò damnantur. Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundùm suam misericordiam prouidisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio Act. 10. & Paulum Macedonibus, vt habetur Actor. 16. Sed tamen, hoc ipsum quòd aliqui faciunt quod in se est, conuertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est, mouente corda ipsorum ad bonum. Thren. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. De eodem Cornelio in calce Lectionis secundæ, ait: & ideo Cornelius, qui habuit cor inclinatum ad credendum, necesse habuit, vt ad eum mitteretur Petrus, qui sibi determinaret, quid esset credendum. Huiusmodi dixerim ego puellam quæ non habet sponsum; hoc est nunquam habuit fidem, per quam, & in qua, Osee 2. desponsamur Deo. Huic iunctus est opportunè per fidem Christus Dominus: *& Patri*, hoc est conditioni naturæ, vtpote, quia secundùm naturam adoleuerat, ps. 4. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedit quinquaginta siclos argenti*, hoc est, donum fidei, de quo suprà, nondum operibus consummatæ, & ideò non centum, sed quinquaginta. Vel quinquaginta: pro numero remissionis peccatorum, quæ in infidelitate commiserat, aut pro *Pentecoste* gratiarum, quatum plenitudo cum fide confertur nobis à Spiritu Sancto. Et quoniam, & isthæc puella in sponsam & vxorem Christi Domini asciscitur, qui coniunctionem cum Ecclesia, nunquam est soluturus, adiectum est in littera, de hac etiam, *non poterit dimittere eam, cunctis diebus vitæ suæ*.

VERSVS XXX. *Non accipiet homo vxorem Patris sui, nec reuelabit operimentum eius*.

Cùm de incesta libidine, multa prohibeantur Leuitici 20. quæri potest sine dubio, cur hic solummodo repetatur, quod ibi versu 11. *Qui dormierit cum nouerca, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo*? cur absque comminatione mortis solum monetur? Ibi toties dicitur, *non reuelabis turpitudinem*, hic, *non reuelabis operimentum*. Iam dictum est supra, pro *Patre*, intelligi posse *Abraham*, pro *Matre*, *legem*. Abraham autem qui primus mandatum de Circumcisione accepit, *ex operibus legis non est iustificatus*; quod assumit Apostolus: nàm illi vt exponit Angelicus, [G] non est reputata fides ad iusti- G Rom. l. 1.
tiam in circumcisione sed in præputio; nam Genesis 15. legitur, quòd *fides reputata est Abrahæ ad iustitiam*, Circumcisionem verò legitur accepisse Genesis 17. Ergo, aio ego, non *accipiet homo vxorem Patris sui*: nolit legalibus adhærere. Galat. 5. *si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit*. Lex & legalia erant operimentum Abrahæ; quorum potissimum erat carnalis circumcisio. Si quis circumcidi contendit, reuelat palam quæ decet operimentum; & vlterius, neglectis legis iam impletæ mysterijs, est solùm de mysteriorum operimentis solicitus. Quoniam autem, vt tradit Angelicus, [H] ante diuulgationem Euangelij, etsi legalia essent mortua, non erant mortifera, etsi conuersi ex Iudæis in legalibus spem ponerent; ideò nihil dicitur de morte illius, qui accipit Patris sui vxorem.

H Ad G. 5. l. 1. prima q. 103.

C A P V T X X I I I.

1 NOn intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, eccle-
siam Domini. 2 Non ingredietur manzer, hoc est, de scorto natus, in eccle-
siam Domini, vsque ad decimam generationem. 3 Ammonites, & Moabites
etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini, in æternum: 4 quia Neh. 13. 2.
noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egressi estis de Aegypto, & Nu. 22. 5.
quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, vt malediceret ti-
bi: & noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem eius in bene-
dictionem tuam, eo quòd diligeret te. 6 Non facies cum eis pacem; nec quæras eis bo-
na cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum. 7 Non abominaberis Idumæum, quia frater
tuus est: nec Aegyptium, quia aduena fuisti in terra eius. 8 Qui nati fuerint ex eis, tertia
generatione intrabunt in ecclesiam Domini. 9 Quando egressus fueris aduersùs hostes
tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. 10 Si fuerit inter vos homo, qui nocturno
pollutus sit somnio, egredietur extra castra, 11 & non reuertetur, priusquam ad vesperam
lauetur aqua: & post solis occasum regredietur in castra: 12 Habebis locum extra castra,
ad quem egrediaris ad requisita naturæ, 13 gerens paxillum in balteo; cumque sederis, fo-
dies per circuitum, & egesta humo operies, 14 quo releuatus es (Dominus enim Deus tuus
ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos) & sint castra tua sancta,

&c nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te. 15 Non trades seruum Domino suo:
qui ad te confugerit 16 habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum
requiescet: ne contristes eum. 17 Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de fi-
lijs Israel. 18 Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei
tui, quidquid illud est, quod voueris: quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum
tuum: 19 Non fænerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam
rem: 20 sed alieno. Fratri autem tuo absque vsura id, quo indiget, commodabis: vt be-
nedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in Terra, ad quam ingredieris possiden-
dam. 21 Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret
illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. 22 Si nolueris
polliceri, absque peccato eris. 23 Quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis,
& facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es. 24
Ingressus vineam proximi tui, comede vuas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas
tecum. 25 Si intraueris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres: falce autem
non metes.

VERSVS I. *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & absciso veretro Ecclesiam Domini.*

A p.2.105 8.1. Nullius generis [A] homines excludebantur ab his, quæ pertinent ad animæ salutem.
1 Exodi 12. *Si quis peregrinorum, in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum eius; & tunc ritè celebrabit, eritque simul sicut indigena terræ:* Sed in temporalibus, quantùm ad ea, quæ pertinebant ad communitatem populi, non statim quis admittebatur. Rationem huius tangit in corpore, paulòque post adducetur.

B ibi ad 2. Hoc quod est excludi ab Ecclesia, [B] litteraliter est excludi à Collegio populi: non quòd non possent ciuitatem cùm alijs inhabitare, quemadmodum viles personæ, pueri, & senes, quãuis non idonei, ad hoc quòd habeant potestatem in his, quæ pertinent ad commune; sed quia, non poterant agere, ea quæ sunt ciuium; puta dare consilium, vel iudicium in populo: ex quo ex Philosopho 3. politic. c. 3. quis est *simpliciter*, & non solùm *secundùm quid* ciuis. Spurij ergo (de quo versu 2.) propter originis vilitatem excludebantur. Et similiter Eunuchi, quibus non poterat competere honor, qui Patribus debebatur: & præcipuè in populo Iudæorum; in quo Dei cultus conseruabatur per carnis generationem. Nàm etiam apud Gentiles, qui multos filios genuerat, aliquo insigni honore donabatur, sicut Philosophus dicit in 2. Politicor. c. 7. Tamen quantùm ad ea, quæ ad gratiam Dei pertinebant, Eunuchi ab alijs non separabantur; sicut nec aduenæ, vt dictum est: dicitur enim Isaiæ 56. *non dicat filius aduenæ, qui adhæret Domino, dicens; separatione diuidet me Dominus à populo suo: & non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum.*

2 VERSVS II. *Non ingredietur Manzer, hoc est, de scorto natus in Ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationem.*

C 4.25.2. a.1. Aperit causam, quare spurij excludantur ab Ecclesia, memorata hac authoritate in 4. Sententiarum, [C] agendo de ordinandis; quia scilicet ordinati in quadam dignitate præ alijs constituuntur; ideò ex quadam honestate requiritur in eis claritas quædam, non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti: & quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideò de illegitimò toro nati, à susceptione Ordinum repelluntur, nisi cùm eis dispensetur: & tantò est difficilior dispensatio, quantò eorum origo est turpior.

VERSVS III. *Ammonites & Moabites, etiam post decimam generationem, non introibunt,* &c.

Isti perpetuo excludebantur, in detestationem [D] culpæ præteritæ, quemadmodum Amalecitæ: sicut enim punitur homo propter peccatum, quod commisit, vt alij videntes timeant, & peccare desistant; ita etiam propter aliquod peccatum, Gens vel Ciuitas potest puniri, vt alij à simili peccato abstineant. In corpore autem ait; quidam, sicut Ammonitæ & Moabitæ, quia hostiliter se ad eos habuerant, nunquam in consortium populi admittebantur. Amalecitæ autem, qui magis eis fuerant aduersati, & cum eis nullum cognationis habebant consortium, quasi hostes perpetui habebantur. Dicitur enim Exodi 17. *Bellum Dei erit contrà Amalec, à generatione in generationem.* D p.2. 105 3.ad 1.

Et si roges, an in huiusmodi, fuerit aliquando dispensatum? Respondeo cum eodem; [E] dispensatiuè aliquem in collegium populi fuisse admissum, propter aliquem virtutis actum; sicut Iudith. 14. dicitur, quòd *Achior Dux filiorum Ammon appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis eius.* Et similiter Ruth Moabitis, quæ mulier virtutis erat. Licèt posset dici, quòd illa prohibitio extendebatur ad viros, non ad mulieres, quibus non competit simpliciter esse ciues. In Matthæum autem, ibi; *genuit Obed ex Ruth,* [F] id obijciens, occurrit cùm Apostolo ad Galat. 5. *qui Spiritu ducuntur, non sunt sub lege:* vnde semper in lege magis debet obseruari intẽtio legislatoris, quàm verba legis: prohibuit autem Dominus, vt non intrarent Ecclesiam, quia inuenit in eis idololatriam, ne scilicet Iudæos pertraherent. Ruth autem conuersa iam reliquerat idololatriam, & ideò non erat subiecta prohibitioni. *Ruth* etiam significat *Ecclesiam* de Gentilibus natam. Hieronymus assignat rationem de Ruth, vt scilicet impleretur vaticinium Isaiæ 15. *emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti.* E loco citato. 3 F Matth. 1.

VERSVS VII. *Non abominaberis Idumæum &c. nec Ægyptium.*

Etiam apud quosdam Gentiles statutum erat, vt non reputarentur ciues, nisi qui ex auo

vel

vel atauo ciues existerent, vt Philosophus dicit in 3. Politicorum c. 1. & hoc ideò, quia si statim reciperentur ad tractandum ea quæ sunt populi, possent multa pericula contingere; dum extranei non habentes amorem adhuc firmatum ad bonum publicum, aliqua contrà populum attentarent: & ideò lex statuit, vt de quibusdam Gentibus habentibus aliquam affinitatem ad Iudæos: scilicet de Ægyptijs, apud quos nati fuerant & nutriti, & de Idumæis filijs Esau fratris Iacob, in tertiâ generatione reciperentur in con-
G p.1.105 3. sortium populi. Hæc. D. Thomas. [G]

4 VERSVS IX. *Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala.*

H op.41.1 7. 3. Milites pugnaturi [H] multùm cauere debent offensam Dei, tanquàm illi, qui multùm indigent gratia diuini adiutorij. Deut. 23. *Quan-*
I Prologo Coloss. *do*, &c. Et alibi. [I] in castris debet esse solicitudo ad vitanda mala. Deut. 23. *vt sint castra tua sancta, & nihil appareat in eis fœditatis.*

5 VERSVS XII. *Habebis locum extrà castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ.*

L 4.9.1.4. 3. Glossa refertur [L] quæ dicit, *corporalem munditiam diligit Deus.* Inquit autem Angelicus, eatenùs odisse Deum corporalem immunditiam, quatenus pertinet ad irreuerentiam Sacramenti; sicut è contrà pertinet ad reuerentiam corporalis munditia: quare etsi aliquis corporaliter sit immundus, dum ex deuotione mentis accedit, acceptus est. Ex quadam tamen reuerentia congruè & laudabiliter, (ex immunditia verbi gratia pollutionis nocturnæ) potest quis per illum diem abstinere à Sacramento Eucharistiæ. Si tamen immunditia esset perpetua, vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid huiusmodi, non debet Sacramenti salutaris impedire sumptionem; ne propter immunditiam corporis, perdatur fructus mentis. In veteri lege secus erat, quia aliqui polluti di-
M 3.p.80. 4. cebantur figuraliter: de quo vbi suprà. Et 3. p. [M]

VERSVS XV. *Non trades seruum Domino suo, qui ad te confugerit.*

Sicut animal aliquod, vt asinus aut bos, est possessio Domini, ita etiam seruus; sed de animalibus præcipitur capite 22. quod restituantur dominis suis, si errare inueniantur: inconuenienter ergo hic dicitur, *non trades*, &c.

N p. 2. 105. 4. ad 6. Hoc est D. Thomæ argumentum. [N] & Respondet, intelligi præsens mandatum de seruo, qui à domino quæritur ad occidendum, vel ad aliquod peccati ministerium: & hoc ipsum ex
O Philemonis c. vnico l.2. parte dicit ad Philemonem, [O] legem scilicet hanc intelligi quando Dominus quærit seruum ad mortem.

VERSVS XVII. *Non erit meretrix de filiabus Israel*, &c.

P 3 Cont. G. 122. & 2.2.154. 2. & 4.33.1. Qua ratione fornicatio simplex [P] secundû legem diuinam sit peccatum, ex hac etiam habetur authoritate. Vbi, & alibi [Q] animaduertit, corruptam esse litteram glossæ, quæ fertur, in
Q 2.2. citata. & de malo q. 15.a. 2.ad 11. hæc verba; *ad meretrices prohibet accedere*, quarû *est venialis turpitudo*. legi enim debet *venalis turpitudo*: quod est propriè meretricum.

6 VERSVS XVIII. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis.*
R 22.26.3 1. In veteri lege prohibebatur [R] oblatio de mercede prostibuli, propter immunditiam: in noua autem lege propter scandalum, ne videatur Ecclesia fauere peccato, si de lucro peccati oblationem accipiat. Quocircà in sequenti [S] ex- S 22.87 2.
ponit, quomodò dicantur aliqua malè acquisita, scilicet, quia acquiruntur ex turpi causa, sicut de meretricio & histrionatu, & alijs huiusmodi, quæ ad restitutionem non obligant: vnde de talibus est decimarum obligatio; tamen Ecclesia, non debet eas recipere, quamdiu sunt in peccato; ne videatur eorum peccatis communicare. Sed postquam pœnituerint, possunt ab eis, de his recipi decimæ. Quoad oblationem pretij canis; [T] canis secundùm legem reputabatur ani- T 22. 1. 2.
mal immundum: alia tamen animalia immunda redimebantur, & eorum pretium poterat offerri: secundùm illud Leuitici vltimo, *Si immundum animal est, redimet qui obtulerit*: Sed canis, nec offerebatur, nec redimebatur; tùm quia, idololatræ canibus vtebantur in sacrificijs idolorum; tùm etiam, quia significant rapacitatem; de qua non potest fieri oblatio. Sed hæc prohibitio cessat in noua lege. De huiusmodi etiam potest eleemosina fieri. [V] V 22.1 ad 2.

VERSVS XIX. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: sed alieno.*

Præsumendum est, vsuram pro pecunia mu- 7
tuata ab intrinseco peccatum esse: de quo videri potest D. Thomas pluribus in locis, præsertim è regione; [X] vnde & Dominus, vsuratum acce- X 22. 18. & 17.1.
ptionem prohibuit Lucæ 6. dicens, [A] *date mu-* A p 2. 3. 2.
tuum, nihil inde sperantes. Quapropter discutiendum relinquitur, quomodo hic ad fratres suos duntaxat arctetur vsurarum prohibitio. Qua de re, breuiter in prima secundæ [B] ait; accipere B p.2 1. 3.
vsuras ab alienis, non erat secundùm intentionem legis, sed ex quadam permissione, propter pronitatem Iudæorum ad auaritiam: & vt magis pacificè se haberent ad extraneos, à quibus lucrabantur. De hoc eodem in 2. 2. [C] Iudæis C 22.7 2.
prohibitum fuit recipere vsuram à fratribus suis, scilicet Iudæis: per quod datur intelligi, quòd accipere vsuram à quocumque homine est simpliciter malum; debemus enim omnem hominem habere quasi proximum, & vt fratrem; præcipuè in statu Euangelij, ad quod omnes vocantur: vnde in psal. 14. absolute dicitur; *qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, & Ezechielis 18. *qui vsuram non accepit.* Quòd autem ab extraneis vsuram acciperent, non fuit eis concessum, quasi licitum, sed permissum, ad maius malum vitandum; ne scilicet à Iudæis Deum colentibus vsuram acciperent, propter auaritiam cui dediti erant; vt habetur Isaiæ 56. Hoc ipsum constanter alibi tradit; [D] scilicet, fuisse permissum Iu- D in 4. 2. 1. 2 ad H nib. 3 3. 1.
dæis fœnerari extraneis, propter corruptionem concupiscibilis; ne fratribus suis fœnerarentur. In quo sensu autem diceretur permitti, haberi potest ex loco priori citato.

At obijcies cum eodem; [E] id quod permit- 8 E de malo q.13 4. ad 2 22.78.
titur tanquam malum, non repromittitur vt præmium iustitiæ; quod enim promittitur vt præmium, inducitur vt bonum, & desiderandum: sed dare mutuum ad vsuram, permittitur in lege Dei, vt præmium iustitiæ; dicitur enim Deuteronomij 28. *fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies*: ergo dare mutuum ad vsuram

non est peccatum mortale. Respondet, quòd *fœnerare* quandoque largè accipitur pro *mutuare*, vt patet Ecclesiastici 29. *multi verò non causa nequitiæ, non fœnerati sunt*, idest non *mutuauerunt*: mutuare autem pertinet ad eum, qui superabundat: & ideò quòd dicitur *fœnerabis*, intelligendum est, *mutuabis*: idest in tantùm afflues temporalibus bonis, vt possis alijs mutuare, & non indigeas ab aliquo mutuum accipere.

F 3. 37. 6. 3.

In tertio sententiarum, [F] aliter etiam occurrit, vt lex ista loquatur de Iudęis respectu aliarum nationum, quæ terram promissionis Iudæis diuinitus concessam detinebant: & ideò permissum fuit eis, vsuris, & quibuscumque exactionibus, extorquere ab iniustè possidentibus, quod eis iustè debebatur: sicut etiam dicitur de spoliatione Ægyptiorum, qua Iudæis mercedem laboris, quòd eis seruierant, subtraxerunt.

VERSVS XXII. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris.*

G 2. 2. q. 88. a. 2.

Ex hoc haberi potest cum D. Thoma, [G] qualis sit voti materia: vt scilicet sit de bono, quod neque cadat sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis; puta, quia sine eo non potest esse salus.

VERSVS XXIV. *Ingressus vineam proximi tui*, &c.

H 1. 2. q. 105. a. 2. ad 1.

9

Intendebat lex [H] homines assuefacere, vt facilè sibi inuicem bona sua communicarent; sicut & Apostolus 1. Timoth. 4. diuitibus mandat, facilè tribuere & communicare. Non autem facilè communicatiuus est, qui non sustinet, quòd proximus aliquid modicum de suo accipiat, absque magno sui detrimento: Et ideo lex ordinauit, vt liceret, intrantem in vineam proximi, racemos ibi comedere; non autem extrà deferre; ne ex hoc, daretur occasio grauis damni inferendi, ex quo pax perturbaretur: quæ inter disciplinatos non perturbatur, ex modicorum acceptione; Sed magis amicitia confirmatur; & assuefiunt homines ad aliquid facilè communicandum.

VERSVS XXV. *Si intraueris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres: falce autem non metes.*

I 2. 2. q. 67. a. 1.

Quæritur, vtrum [I] quis possit iustè iudicare eum, qui non est sibi subiectus? Et in *sed contra*: adducitur ad hæc Gregorius dicens; *falcem iudicij mittere non potest in eam rem, quæ alteri videtur esse commissa*. Prouerbio etiam decantatur: *non esse mittendam falcem in messem alienam*.

10

Hactenùs vix, ac ne vix quidem, litteræ intelligentiam transcendimus, sed in hac, haud quiescit animus: quoniam continuitas non apparet vlla legalium contextuum. Coaceruati certè videntur de excludendis ab Ecclesia inhibitiones; idque, quasi confusè ac inordinatè. Præterea post hos recensitos, ad castra, ad pugnam, ad impuritatem deuitandam, declinat oratio. Interfertur de seruo fugitiuo admonitio, largiter data illi optione habitandi hic aut illic, qui tamen in vna vrbium, quietem sit reperturus. Ad vsuræ etiam compescendam voraginem trāsitur. De voti natura & obseruantia disseritur. Denique in calce, de ingredientibus aliorum vineam & segetem, nihil exinde aspostaturis decernitur; etsi comedere liceat vuas, & spicas manu conterere. Quid ergo dissutum magis? Nunquid sanctissimi Protoprophetę Moysi, mēs adeò inconstans fuit in hisce præcipiendis, immo æternùm Sacrarum scripturarum monumento signandis, vt huc, & illuc absque omni ordine diuagaretur? Absit id suspicari; *quæ enim à Deo sunt*, Romanor. 13. *ordinata sunt*.

Igitur, quantùm assequi potest mentis meæ imbecillitas, post aliquam, nunquam satis, meditationem, ac exoptatam diuini luminis irradiationem, datum est mihi conijcere, neque perperam, & abs re, vt mea fert opinio, quorsum hæc omnia colliment: altamque subinde legis, & legislatoris sapientiam pro modulo deprehēdere. Iam præcedenti in capite de Ecclesia condenda, Christoque despondenda peregit Moyses. Par erat, vt de eadem ab omni labe emundanda, nonnihil ferret, *vt exhiberet* ipse (Christus,) Ephesior. 5. *sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed, vt sit sancta, & immaculata*. Et iam in textu simillimam verborum structuram habemus, versu 14. *& sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis; ne derelinquat te*: ac si diceret; quamuis sis sponsa & vxor, *propter quam relinquit homo Patrem & Matrem*: (quod *magnum est Sacramentum, in Christo & in Ecclesia*, Ephes. ibidem: Quò etiam videtur allusisse suprà dicens; *eò quòd diligeret te*: sicut præmiserat etiam Apostolus; *viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*) vide, ne aliqua ex parte, maculam labemue minimam contrahas.

Quoniam verò, nequit Ecclesia ab omni re mala, pro sanctitate acquirenda, & ablegandam fœditate, se custodire, vt præfertur in littera, nisi pugnando; nàm *caro concupiscit aduersùs Spiritum; Spiritus autem aduersùs carnem*: Galat. 5. ideò castrorum metaphoram, quo acuamur ad prælium, introducit, *militia enim est vita hominis super terram* Iob 7. Sanctus Doctor ad rem; [L] Ecclesia similitudinem habet castrorum; Genes. 32. *Castra Dei sunt hæc*. Subdit autem, in castris debet esse ordo ad ducem: & paulò ante; Prælati Ecclesiæ sunt duces: psalm. 67. *Principes Iuda duces eorum*. Et ecce, quàm mirè ad capitis initium regredimur; in quo de personarum delectu, explosis qui non sunt digni, mandatur.

L Prolo. go Coloss.

VERSVS I. *Non intrabit Eunuchus* &c.

Quis sit Eunuchus huiusmodi, innotuit ex 11

Isaia c. 56. nempe, *lignum aridum*. Tropologicè ex Theodoreto quæst. 25. & 26. reijcitur sterilitas animæ, & in *Mamzere*, malus fructus. Nunquid talis dux Ecclesiæ esse poterit; dicente Domino, *posui vos, vt eatis & fructum afferatis*? Caput, necesse est, influat in membra: & præterea, quia spirituali generatione propagandi erant Ecclesiæ fideles; iuxtà illud Apostoli; primæ Cor. 4. *in Christo Iesu per Euangelium, ego vos genui*: & ad Galat. 4. *filioli mei, quos iterum parturio*: absit vt sterile sit, & infœcundum; non intrabit Ecclesiam, ad munia præstanda maiorum; qualia erant, vt exposuimus ad litteram, dare consilium, vel iudicium in populo honore Patrum. His non præscribitur exclusionis tempus; quoniam ad litteram successionem habere nequeunt: sed in spiritu, *potens est de lapidibus, suscitare semen Abrahæ*, Matthæi c. 3. caruereque sterilitatis opprobrio, Sara, Anna, & Elisabeth;

primi

primi Regum c. 2. *donec sterilis peperit plurimos*. & Isaiæ 54. *Lauda sterilis, quæ non paris, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ, magis quàm eius, quæ habet virum*, dicit Dominus, & in ps. 112. *Qui habitare facit sterilem in domo, Matrem filiorum lætantem*. *Manzer, hoc est de scorto natus, vsque ad decimam generationem*, non ingreditur. In quo denario, decalogi obseruantia videtur tangi, qua debet, qui cupit sterilitatem exuere, pollere: siquidem perfectorum est, vt generent sibi simile, Matthæi 5. *estote ergo vos perfecti, sicuti & Pater vester*. Secùs de scorto est, quicquid operis venit ad lucem; eoquòd, qui *offendit in vno, factus est omnium reus*, Iacobi 2.

12 VERSVS III. *Ammonites & Moabites, &c.*

Non est opus, aliam explorare causam, quando dignatur Dominus, palam ipsam producere. *Noluerunt occurrere cum pane, & aqua, in via, quando egressi estis de Ægypto. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, sitiui* &c. Matthæi 25. *discedite à me*, &c. Item ex industria, maledici per Balaam, populum Dei concupierunt; Et iam hic recolitur; *quia conduxerunt contrà te Baal filium Beor, de Mesopotamia Syriæ, vt malediceret tibi*. Debent sine dubio Duces & Pastores pascere gregem, idque ex dilectione; Ioann. 21. *Simon diligis me, plus his? Cibabit eum Dominus pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum*, Ecclesi. 15. Amos 8. *emittam famem in terram; non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei*. Atqui parum est, non elargiri eleemosinas proximo spirituales: peius adnectitur; scilicet spirituale malum ex voto ipsi imprecari. Sanè cum quis ex intentione, actu suo inordinato, intendit per se alium trahere ad peccandum, est peccatum specialis speciei scandali actiual: vt docemur in Secunda Secundæ. [M] Sic peccauerunt Ammonitæ & Moabitæ, vt visum est Numeri 22. & 25. cum pertractus est populus, ad fornicandum cum filiabus Moab; Isti, si qui sunt, nusquam erunt idonei, vt tanquam duces ingrediantur Ecclesiam Dei; mala enim fama & scandalosa laborant: quare ipsis conuenit sententia illa Isaiæ 49. *venerunt structores tui destruentes te; & dissipantes à te exibunt*. Et c. 52. *Dominatores eius iniquè agunt; & iugiter, tota die nomen meum blasphematur*. Arceantur ergo vno verbo, qui scandalo fuere populo, ceu perpetuò inepti, etiam post decimam generationem, in æternum, quoniam quamuis resipuissent decem verborum obseruantia clari, adhuc nomen non bonum male oleret; 1. Timoth. 3. *oportet autem, & illum testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli*. Peccauerunt autem, ad litteram, in Spiritum Sanctum inuidentes proximorum saluti, ruinam eorundem ex industria moliendo: idcircò, quoniam *qui peccauerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, vt ait Dominus Matth. 12. adiectum est, *non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona, cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum*.

[M 62.43. 1.]

VERSVS VII. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est*.

13 *Edom* dictus est Esau frater Iacob: *rufus* scilicet, siue *terrenus* ob decoctionem rufam lenticularum, pro qua vendidit primogenituram fratri suo: Ab *Edom* dicta est regio, quæ priùs vocabatur *Seir*, Idumæa. Vim facit textus in fraternitate; *frater*, inquit, *tuus est*. Affinitas quippe firmat citius amorem ad populum, vt visum est; [N] ideò & supra c. 17. *non poteris alterius gentis hominem, Regem facere*, [O] *qui non sit frater tuus*. Quemadmodum autem tales Reges solent parum affici ad gentem, cui præficiuntur; & per consequens, non curare de eis: ita ex eodem S. Doctore, [P] cùm consanguinei Prælati Ecclesiarum sunt, æque digni ac alij, potest Prælatus absque personarum acceptione, licitè consanguineos suos præferre; quia saltem in hoc præeminent, quòd de ipsis magis confidere potest, vt vnanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent. Esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi. At non statim (animaduerte) Idumæus, hoc est terrenus, frater etiam, hoc est consanguineus, est assumendus; sed tertia generatione, (me iudice) cùm fulserit charitate: quæ tertia generatione Iacob dilecti emicat: nam *Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Iacob*; idest ex glossa [Q] fides spem, spes charitatem. Certè ad animæ santificationem successione quadam potissimè tres hi actus, fidei, spei, & charitatis, concurrunt; vt videre est apud D. Thomam. [R] Et quia de dilectione interrogauit Dominus Simonem Ioann. 21. *Simon diligis me plus his?* ideo tertia generatione intrare dicitur quis in Ecclesiam Dei: peccator enim dum talis non est assumendus. In typum peccatoris est Esau, ex quo Idumæus. Sic de Ægyptio. Perspectum est, Ægyptum pro Mundo accipi. Exodi 5. *dispersus est populus per omnem terram Aegypti, ad colligendas paleas*. Qui *Aegyptius* tropologicè est: hoc est, qui *implicat se negotijs sæcularibus*, idoneus non est: *nemo militans Deo*, ait Apostolus, 2. Timoth. 2. *implicat se* &c. Et 1. Cor. 7. *Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt Mundi*: Expectanda est ergo tertia generatio, perfectione numeri, charitatis indicans exactam perfectionem. Additur autem causa; *Quia aduena fuisti in terra eius*. Ne abominemur Ægyptium, considerando scilicet nosmetipsos. Galat. 6. *considerans te ipsum, ne & tu tenteris*.

[N p. 2. 105.1.] [O p. 2. 105.1.2.] [P 22.63.1 2.] [Q p.2.40 7. & q 65 4 & 66.6 3.] [R p.2 11 4.3. p.85 5.]

VERSVS IX. *Quando egressus fueris aduersùs hostes tuos in pugnam*.

D. Iacobus c. 4. his concinit dicens; *vnde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Galat. 5. *Caro concupiscit aduersùs spiritum; spiritus autem aduersùs carnem*. 14

VERSVS X. *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio*.

D. Paulus ibidem ad Galat. 5. statim subiecit; *manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*. En quomodo cohærent hæc literæ.

Immunditiam prætexit ex somnio, quo quis polluitur; vt innuat potissimum hostem, eum quo dimicandum est, esse carnem. Aiebat Boetius de consolatione, & fertur 2. Cor. 7. l. 2. *nulla pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus*. Matthæi 10. *inimici hominis domestici eius*. Micheæ 7. *ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui*, idest à carne, inquit S. Doctor. [S]

[S Rom.7. l.4.]

Porrò de polluto per somnium lex traditur; vt à fortiori, quam immunditiam ferat culpata pollutio innocescat. Immundus spiritale robur amittit; ideò exit castra.

VERSVS XII. *Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ.*

T p.2.100 a. 10. S. Doctor in prima secundæ [T] quærens,
15 *Vtrum fuerit aliqua rationabilis causa obseruantiarum cæremonialium*, obijcit argumento 10. paucis dicens; ridiculum etiam videtur esse præceptum, quod habetur Deuteronomij 23. vt egestiones humo operirent, fodientes in terra. Atqui nostro infortunio, dùm auidè desideratur, & quæritur, quidnam, ne derideant infideles, responderit ibi ad decimum, non inuenitur: transitur enim de responsione noni argumenti, ad vndecimum: nec ad decimum extat vlla responsio. Quare necesse est credere, exciderit oscitanter, transcribentium calamo: exindeque omissam fuisse similiter à typographis. Quod dolemus est, alibi aliàs huiusmodi non tetigisse Sanctum Doctorem quare cœcutimus omninò, quid ex sententia responderit: solùmque ex corpore articuli potest haberi generalis quædam cæremonialium obseruantiarum ratio; secundùm congruentiam ad diuinum cultum: & secundùm quòd figurant aliquid circa Christianorum vitam. Cęterùm non est abbreuiata manus Domini: quo filo deducatur ad hæc, præcedens textus mirificè fortè illustrabit. *Omnis enim scriptura* 2. Timoth. 3. *diuinitus inspirata vtilis est ad docendum* &c.

Igitur quoniam prædicitur immediatè ante, de polluto per somnium, vtique propter seminis resolutionem: & posset exinde oboriri quæstio, qua de causa pollutus ille dicatur, & immundus: vt discamus quæ sit spiritalis animæ immunditia, de immūditia corporali subnectitur cautio. Exponit autē Angelicus [V] quomodo cōtingat aliquid fieri immundum ad illa verba; *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam*; Ephes. 5. *omnis fornicator aut immundus*: quia scilicet homo per huiusmodi peccata carnalia maximè conuertitur, & trahitur ad id, quod est infrà ipsum; vnumquodque enim dicitur esse impurum, siue immundum, ex commistione vilioris; sicut argentum ex commistione plumbi. Deprimitur autem ratio ad terrena, ex vehementia delectationis in Venere, vt alibi dictum est; idcirco fit impura & polluitur. Ad hanc ostendēdam animæ impuritatem perquàm magnam, expediens fuit acu tangere de corporis immundo secessu: vt ex hoc argueretur ad illam: Et quidem tam puro stylo tamque honesta rei expressione, vt vna simul edoceamur, quæ puritas visu, verbo, & opere sit excolenda. D. Gregorius 31. Moralium c. 22. & ex eo Rupertus, purgandi alui modum, trahens ad mores: *portare*, inquit, *sub baltheo paxillum debemus, vt scilicet ad reprehendendos nos semper accincti, acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus; qui incessanter terram mentis nostræ, pænitentiæ dolore confodiat; & hoc quod à nobis fœdum erumpit, abscondat.*

V Rom. 1 v. 7.

16 Si autem percontetur quis vlterius, vndenā fit vt anima ex huiusmodi venereis polluatur? Quo fiat satis quærenti, recolere necessum est; quidnam ex primi parentis peccato in miseram omnem sobolem deriuatum sit. Traditur autem in prima parte, [X] quomodo *fecit Deus*, Ecclesiastes 7. *hominem rectum*, secundùm quòd ratio subdebatur Deo; rationi vires inferiores, & animæ corpus: prima autem subiectio erat causa secundæ & tertiæ: quamdiù enim ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur, vt Augustinus dicit: vnde idemmet Augustinus 13. de Ciuitate Dei, *postea quàm præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente diuina, de corporum suorum nuditate confusi sunt: senserunt enim motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ*. Sic alibi docet, [A] non potuisse hominem peccare in statu innocentiæ venialiter, antequam peccaret mortaliter; eoquòd erat infallibilis ordinis firmitas, vt semper inferius contineretur sub superiori, quandiù summum hominis contineretur sub Deo. Vno verbo emersit fomes peccati: qui vt traditur 3. p. [B] nihil aliud est, quàm *inordinata concupiscentia appetitus sensitiui; habitualis* tamen; quia actualis concupiscentia est motus peccati. Inquiritur, *Vtrum irascibilis & concupiscibilis nunc obediant rationi*: [C] & ad secundum, præmisso ex Aristotele, quòd in animali est contemplari & despoticum principatum & politicum; astruitur esse despoticus principatus, quo aliquis principatur seruis, qui non habent facultatem in aliquo resistendi imperio præcipientis, quia nihil sui habent. Principatus politicus & regalis dicitur, quo aliquis principatur liberis, qui etsi subdantur regimini præsidentis, tamen habent aliquid proprium, ex quo possint reniti præcipientis imperio. Sic igitur anima dominatur corpori despotico verè principatu; quia corporis membra in nullo resistere possunt imperio animæ; sed statim ad appetitum animæ mouetur manus & pes, & quodlibet membrum, quod natum est moueri voluntario motu: intellectus autem & ratio dicitur principari irascibili & concupiscibili, politico principatu, quia appetitus sensibilis habet aliquid proprium, vnde potest reniti imperio rationis. Certè, (addiderim ego) non ita in statu innocentiæ renitebatur: hoc est, quod aiebat Apostolus Roman. 7. *non enim quod volo bonum, hoc ago*. Excusso ergo per peccatum pleno rationis dominio, fit, vt homo ipse dicatur *venundatus sub peccato*, quasi [D] aliqualiter fit seruus peccati. Et priùs, *cum enim serui essetis peccati*; Ioan. 8. *Amen amen dico vobis; quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati*. Et Petrus in 2. c. 2. Luxuriam tangens; *cùm ipsi serui sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, huius & seruus est*. Quamquam autem omnes animæ potentiæ originali peccato sint infectæ, vis tamen generatiua, vis concupiscibilis, & sensus tactus, quia ad illum actum, per quem corruptio traducitur concurrunt, sunt cæteris potentijs magis infectæ. [E] Inde, nomen libidinis [F] importat inordinatam concupiscentiam, quæ non totaliter subditur rationi: & ait Augustinus in prima secundæ nuper allata, quòd infectio originalis culpæ maximè apparet in motu genitalium mēbrorum, qui rationi non subditur. Et ecce seruum, qui in littera dicitur fugisse à domino suo: *non trades Domino suo*; est enim inextinctus fomes peccati. Hic est ille seruus, de quo Prouer. 29. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, posteà sentiet*

X p.p.95. 1.

A p.2.89. 6.

B 3.p.27. 3.

C p.p.81. a.2.

17

D Rom. 7 v.2.

E p.2.83

F 3.p.27. 3.

18

tiet eum contumacem. Ecclesiastici 33. *Seruo ma-*
leuolo, tortura & compedes, idest corpori, opusc.
58. c. 15. quò facit dictum D. Thomæ Rom. 11.
l. 2. dicitur seruus amissus, quando sub cura, &
obedientia Domini refugit esse. Hinc D. August.
14. de Ciuit. Deij, capit. 16. *motus membrorum*
genitalium aliquando importunus est nullo poscen-
te: ex pœna scilicet peccati, quod ait D. Th. p.
2. 17. a. 9. ad 3. cum eodem Aug. vt anima suæ
inobedientiæ ad Deum, in illo præcipuè mem-
bro inobedientiam patiatur, per quod peccatum
originale ad posteros traducitur. Hic est seruus
qui nunquam tradetur domino suo; quia nun-
quam ad pristinam iustitiæ originalis subiectio-
nem fiet regressus. Hic est seruus, qui habitat
nobiscum in omni loco, qui ei placuerit; in-
G p.p. 81. 3. 2. quantùm, (hoc traditur in prima parte [G])ap-
petitus sensitiuus natus est moueri, non solùm
à cogitatiua, quam dirigit vniuersalis ratio, sed
etiam ab imaginatiua & sensu; vnde experimur
irascibilem, vel concupiscibilem rationi repu-
gnare, per hoc quòd sentimus, vel imaginamur
aliquod delectabile, quod ratio vetat, vel triste,
quod ratio non præcipit. Hoc est (me iudice)
habitaturum seruum *in loco, qui ei placuerit*; quia
vires sensitiuæ feruntur quò sibi libet, præue-
nientes rationem: ibi autem est appetitus, quo
fertur; iuxtà illud; *anima magis est vbi amat, quàm*
vbi animat. Hic est seruus, *qui in vna vrbium dun-*
taxat requiescet: quatenùs fomes (qui dicitur lex
carnis [H] siue membrorum) etsi in sanctis viris
H p 2. 91. 6. & 3. p. 27. 3. per actum rationis aliqualiter ligetur, nunquam
tamen in hac vita plenè tollitur. In Cœlesti er-
go Ierusalem, quæ dicta est *pacis visio*, omnimo-
da imperturbabilis, & virium, & mentis nostra
quies possidebitur. Subdit autem Moyses, &
quidem arcanæ sapientiæ stylo *ne contristes eum*:
ac si diceret, nullam exinde pœnam mediteris
inferendam seruo huic; quoniam fomes pecca-
tum non est, quod tanquam culpa contristari
mereatur aliqua pœna. Vbi sanctus Paulus Ro-
I Rom. 7. l. 3. & 2. d. 32. 2. man. 7. habet; *quod habitat in me peccatum*. [I] in-
telligitur fomes peccati; qui quidem pœna est
peccati originalis; in quantùm naturam infecit:
quam infectionem baptismus non remouet; sed
hoc erit in patria, quando natura perfectæ liber-
tati restituetur; hæc D. Thomas. Ecce, seruus
iste, *in vna vrbium requiescet*, ceu liber.
19 VERSVS XVII. *Non erit meretrix de fi-*
liabus Israel &c.

Potuisset obrepere in mentem alicui, stante
hac inordinata concupiscentia, licere ipsimet in-
dulgere, quacumque virorum atque mulierum
commistione. Absit, ait Dominus, puritatis Ec-
clesiæ suæ amator, qui Virginem castam, gau-
det sibi exhiberi: *non erit meretrix*: non enim for-
nicari fas est. De hoc alibi dictum est; potestque
videri D. Thomas in 2. 2. q. 154. 2. De alijs spe-
ciebus luxuriæ, prohibitio a fortiori est.

VERSVS XVIII. *Non offeres mercedem*
prostibuli.

Euincitur esse fornicationem simplicem ve-
titam iure diuino, quando abominabile est Do-
mino, mercedem prostibuli sibi offerri. Ad hoc
insinuandum, aduersùs gentilium cœcitatem, &
ad firmandum Ecclesiæ Sanctæ dogma, credide-
rim hic prohiberi.

VERSV eodem. *Nec pretium Canis*.

Siuè quòd immundum sit præ alijs animal:
siue quòd vagus, & in propatulo sit canis coitus,
ex quo à simili vituperetur scortatio: siuè quòd
in typum irascibilis veniat canis, qui læsus sta-
tim latrat & ringit: ex quo, furibundum fieri,
astruit S. Doctor, [L] esse veluti legem canis. L p. 2. 91. 6.

VERSVS XIX. *Non fænerabis fratri tuo*
ad vsuram &c.

Sanctus Propheta Dauid in psalmo 14. hau-
sisse videtur quæ cecinit, hoc ex loco. *Domine*,
inquit, *quis habitabit in tabernaculo tuo; aut quis*
requiescet in monte Sancto tuo? Ecce de tabernaculo
fieri mentionem; in quo [M] significatur status M ps. 14.
militantium, quia quandiù habuerunt bella & & p. 2. 108
labores, fuit tabernaculum: 2. Regum 7. *factum* 4. 2.
est, cum dedisset Dominus requiem Dauid ab vniuer-
sis inimicis suis, dixit ad Nathan. Vides quòd ego ha-
bitem in Domo cedrina, & Arca Dei posita est in me-
dio pellium. Postea fecit templum, quando habuit
pacem. Cohærent hæc paulo ante dictis in præ-
senti capite. Quoniam de castris, & de pugna
introducitur sermo; & exigitur, vt castra mun-
ditie polleant, exclusis immundis: & insuper,
Custodies te ab omni re mala. Quis ergo habitabit in
tabernaculo tuo? Quis tuis in castris? *Qui ingredi-*
tur sine macula. De hoc satis dictum est. Præte-
rea; *Qui operatur iustitiam. Qui pecuniam suum non*
dedit ad vsuram. Quàm bene! Postquam iniun-
cta est munditia hominis veluti in se; nàm p. Cor. N p. Cor.
6. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat*; [N] quia 6. l. 3.
scilicet eius peccatum in carne consummatur. (In
quo potest, reor, intelligi admonitio, ne quis
delinquat in se) transitur, ad præcauendum pec-
cata in ordine ad proximum: Et tandem rectà
manuducimur in ordine ad Deum, memorata
obseruantia voti &c. Itaque, inquit, *non fænera-*
bis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges nec
quamlibet aliam rem. Quasi tacitè illud profer-
ret Apostoli 1. ad Timotheum vltimo; *radix om-*
nium malorum cupiditas; [O] de quo, ex instituto O p. 2. 84. 1.
Angelicus. 20

Adiectum est autem: *sed alieno*. Quod qui-
dem, vt suprà dictum fuit, ex quadam permissio-
ne indultum est, eoquòd perquàm proni erant
Iudæi ad auaritiam. Indicatur autem in hoc,
corruptæ concupiscibilis pugna, cui aliquatenùs
parcitur: quemadmodum ait Apostolus 1. Cor.
7. *ego autem vobis parco*: quasi [P] dicat; consulo P p. Cor.
euitare coniugium, quod tamen concedo, par- 7 l. 5.
cendo infirmitati vestræ: & priùs tù nota; *reuer-*
timini in idipsum, ne tentet vos Satanas, *propter in*
continentiam vestrum: hoc autem dico secundùm in-
dulgentiam, non secundum imperium. Sic Magister
in 4. distinct. 26. inquit; *prima institutio matrimo-*
nij habuit præceptum, secundu indulgentiam: didici-
mus enim ab Apostolo, humano generi, propter vi-
tandam fornicationem, indultum esse coniugium. Et
sic D. Thomas astruit, [Q] esse etiam matrimo- Q 4. 26 q
nium in remedium contra peccatum, & concu- 2. 2. & dist
piscentiam. Et ecce ex hactenus dictis, concupi- 31 q. 1. 2
scentiæ acris pugna, tunc maxime hominibus pe- 1.
riculosa, cùm tempus gratiæ non erat; eratque
matrimonium dumtaxat in officium naturæ, non
Sacramentum; & legis Sacramenta, Galat. 4.
egena erant, & infirma elementa: egena, quia [R] R op. 5. de
gratiam non continebant, *& infirma*, quia gra- Ecclesiæ
tiam conferre non poterant: quoniam licèt signi- Sacramē
ficarent gratiam Christi, non eam causabant. Vi- tis.

de, quàm congruè, dum ad hæc de libidine & cupiditate flectendus erat diuinus sermo, præmissum est per Moysen de castris & de pugna. Nihilominus etiam in statu gratiæ locum habet [S] spirituale exercitium, vt videlicet contrà concupiscentiam, & alias passibilitates pugnans homo victoriæ coronam accipiat: vnde super illud Rom. 6. *vt destruatur corpus peccati*, dicit glossa; *Si post baptismum vixerit homo in carne, habet concupiscentiam cum qua pugnet, eamque adiuuante Deo superet: in cuius figuram, dicitur Iudicum 3. hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & posteà discerent filij eorum certare cùm hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Primæ Petri 2. *obsecro vos*, &c. *abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersùs animam.* Sed heù! dolebat Augustinus; *continua pugna, rara victoria.*

S 1. p. 69. 3.

VERSVS XXI. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret Dominus Deus tuus.*

21 Quorsum hic subnectatur de voto, & voti natura; non video, qui quærat: fortè quia nimis arduum visum est. Sed patet attentè consideranti, quæ possit esse connexio. Præterquamquod enim sanctum quoddam vsuræ specimen præfefertur in voto, quo aliquid Deo firma intentione promittitur, iuxtà quod ait Augustinus; *benignus exactor, & qui non crescat ex redditis; sed in se faciat crescere redditores*; adhùc alia cohærentia dignoscitur. Quandoquidem, cum præmissum fuisset de fræno concupiscentiæ carnis, & Mundi: *non erit meretrix; nec fœnerabis*: debuit statim tangi de voto; vt innotesceret, non permansuram Ecclesiam Dei in statu legis, quæ *nihil ad perfectum perduxit*, Hebr. 7. sed tempore gratiæ extollendam, sic vt de ijs, quæ sunt perfectionis, emittat vota. Sunt autem perfectionis instrumenta consilia Euangelica; quatenus ordinantur ad remouendum impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur: huiusmodi sunt diuitiæ & deliciæ carnis. In lege autem noua, quæ est lex libertatis, addita sunt consilia suprà præcepta; non autem in veteri lege, quæ erat lex seruitutis: hæc ex D. Thoma. [T] Ergo sine dubio, dùm de voto hic agitur, quod est suprà præceptum, (*si nolueris*, inquit, *polliceri, absque peccato eris*) ad Consilia futura potest referri. Vbi in psalmo 75. legitur, *vouete, & reddite*, dicit glossa; *vouere voluntati consulitur*: Quocirca subdit Angelicus, [V] Consilium non est nisi de meliori bono: & astruit melius esse obstringi voto ad consilia, quàm ea sine voto implere. Idem est ergo ac si diceretur in textu: etsi in castris Ecclesiæ appareat debilitas pro aliquo statu, ex inordinata sensibilis appetitus concupiscentia; tempus aliquando erit, (propterea primò fit temporis commemoratio; ibi, *non tardabis*; & rursùm, *Si moratus fueris*) cùm opportunum fuerit, voti amplecti materiam; hoc est, diuina Seruatoris consilia: ex quo fortiùs spirituali pugna dimicetur, & puriùs: expeditiores enim erunt milites, emersi è carnis illecebris, ac rerum temporalium excussa sarcina. Hoc etiam sanctam vsuram sapit; dicente Domino; *qui reliquerit vxorem aut agros, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, Matth. 19. & Marci 10.

T 1. 2. 108 a. 22. 184. 3.

V 22. 88. 6

22 VERSVS XXIV. *Ingressus vineam.* &c.

Ecce quomodo quasi innuitur, aliunde suppetere, ex quo viuere possit qui secutus Dominum, reliquerit omnia, & voto paupertatis etiam se obstrinxerit. Iam vidimus, [X] id esse mandatum, vt assuefierent ad aliquid facilè communicandum; & ad dilectionem mutuæ fraternitatis: ex qua procedit, vt homines sibi inuicem bona communicent. Videtur itaque Dominus Ecclesiæ suæ fundamenta detegere, nempe charitatem & pacem: Ephesiot. 3. *in charitate radicati*: & c. 4. *Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Ideo lex ordinauit [A] intrantem in vineam proximi racemos ibi comedere, non autem extra deferre; ne ex hoc daretur occasio grauis damni inferendi, ex quo pax perturbaretur; quæ inter disciplinatos non perturbatur, ex modicorum acceptione: sed magis amicitia confirmatur. Constat autem in symbolo vini & panis, iam Ecclesiæ sanctæ vnitatem adumbrari, dicente item Apostolo 1. Cor. 10. *vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane*, (si mauis) *& de vno calice participamus.* Quare cum vnitatis Ecclesiasticæ sit Eucharisticum Sacramentum, mirè vtraque materia hic tangitur, vt vnde substruitur Ecclesia fiat manifestum. *Panis*, inquit Paulus, *quem frangimus: franges spicas*, ait Moyses: parallela figurato figura.

X p. 2. 105 2. 2.

A p. 2. cit.

Quòd, si ad triumphantem inspiciatur Ecclesiam, ad cuius exemplar, est militans exemplata: *Vidi Ciuitatem sanctam Ierusalem nouam, descendentem de Cælo*: Apocalyps. 21. & Exodi 25. *inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, accinit D. Augustinus mirificè Tract. 26. in Ioannem; *Cum cibo & potu id appetant homines, vt neque esuriant neque sitiant: hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit; idest societas ipsa Sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut etiam ante nos, hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum, in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur: ex multis namque granis, vnus panis efficitur; & ex multis racemis vinum confluit.* Perhibetur à D. Thoma [B] Ecclesia esse spiritualiter ager & vinea: quare vtraque præsens metaphora bene Ecclesiæ arridet: quæ quidem, vt ait Gregorius hom. 19. in Euang. est vinea Cœlestis Patrisfamilias, *quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* De spicis autem fit sermo, & similiter de racemis, non de pane aut vino, quia Christus, qui est *panis viuus*, vt dicitur Ioannis 6, erat velut in spica [C] pro statu legis naturæ in fide Patrum; quod primæuam Ecclesiam demonstrat, vt dictum est. Extra Ecclesiam Sacramentum salutis non est: *foras*, inquit, *ne efferas tecum.* Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Duo sumo in botro; [D] vuam, scilicet corpus Domini in cibum; & ex vua lugo dulcem sanguinem in potum: Deuteron. 32. *vt sanguinem vuæ biberent meracissimum.* Et forte hac de causa, scilicet ad præfigurandum Christi Domini sanguinem, seu etiam Ecclesiam Dei, *quam*, Actorum 20. *acquisiuit sanguine suo*: præmissum est de racemis, antequam ad segetem, & spicas transiret oratio. Quod non percipientes Interpretes Septuaginta, rati sunt oppor-

B p. 1. 102. 6. 9.

C p. 2. 1. ad 12.

D op. 58. 19.

portu-

portuniùs de cibo anteuertendam lectionem: commemorata ab ipsis priùs segete, deinde vinea & vuis: quamuis hebraica veritas è conuerso nobiscum habeat. Quæ autem congerunt sancti Patres de discipulis vellentibus spicas, & manducantibus, vide suis in locis, Matthæi scilicet 12. & Lucæ 6.

CAPVT XXIV.

1 SI acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos Mat. 5 c.
eius propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, 32.19.a.7.
& dimittet eam de domo sua. 2 Cumque egressa alterum maritum duxerit, 3
& ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel Mar. 10. a.
certè mortuus fuerit: 4 non poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta 4.
est, & abominabilis facta est coram Domino: ne peccare facias Terram tuam, quam Do-
minus Deus tuus tradiderit tibi possidendam. 5 Cum acceperit homo nuper vxorem, non
procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis iniungetur publicæ, sed vacabit absque
culpa domi suæ, vt vno anno lætetur cum vxore sua. 6 Non accipies loco pignoris infe-
riorem, & superiorem molam, quia animam suam opposuit tibi. 7 Si deprehensus fuerit
homo solicitans fratrem suum de filijs Israel, & vendito eo acceperit pretium, interficietur,
& auferes malum de medio tui. 8 Obserua diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies
quæcumque docuerint te sacerdotes Leuitici generis iuxta id, quod præcepi eis, & imple
solicitè. 9 Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via cum egrederemini Nu. 12. c.
de Aegypto. 10 Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingre- 10.
dieris domum eius, vt pignus auferas: 11 sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habue-
rit. 12 sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, 13 sed statim reddes ei an-
te solis occasum: vt dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, & habeas iustitiam coram
Domino Deo tuo. 14 Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue ad- Leu 19. c.
uenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est, 15 sed eadem die reddes ei preti- 15.
um laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne cla- Tob 4. c. 15.
met contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. 16 Non occidentur patres pro
filijs, nec filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur. 17 Non peruertes 4. R. g. 1. b. 6.
iudicium aduenæ & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum. 18 Memento 2. Par. 25
quòd seruieris in Aegypto, & eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi, a. 4.
vt facias hanc rem. 19 Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reli- Eze. c. 18. d. 20.
queris, non reuerteris vt tollas illum: sed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patie-
ris, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. 20 Si fruges
collegeris oliuarum, quidquid remanserit in arboribus, non reuerteris vt colligas: sed re-
linques aduenæ, pupillo, ac viduæ. 21 Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges re-
manentes racemos, sed cedent in vsus aduenæ, pupilli, ac viduæ. 22 Memento quòd &
tu seruieris in Aegypto, & idcirco præcipio tibi vt facias hanc rem

1 VERSVS I. *Si acceperit homo vxorem, &c. Et non inuenerit gratiam ante oculos eius, &c. scribet libellum repudij, &c.*

Quare daretur libellus repudij, aperit Dominus Matthæi 19. *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere vxores vestras.* Actorum 7. *dura ceruice & incircumcisi cordibus: vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Ita ibi D. Thomas; [A] quia scilicet proni erant [B] ad occisionem earum, propter corruptionem irascibilis: [C] ne scilicet eas interficerent: [D] Iudæi autem [E] quædam quæ in lege erant tradita tanquàm permissiones, æstimabant esse per se iusta, scilicet repudium vxoris; & vsuras recipere ab extraneis: vnde dicebant Matthæi 19. *Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij?* [F] non mandauit, sed permisit. Immo indirectè prohibere voluit; quia Moyses voluit, quòd non dimitteretur, nisi daretur libellus repudij; & hoc magis pertinebat ad prohibitionem; quia libellus non fiebat, nisi per manum communem: vnde remittebat ad sapientes, vt viderent, si haberent causam, quare deberent dimittere eas. Hinc alibi ait; [G] vtique nolebat dimitti vxorem à viro, qui hanc interposuit moram, vt in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret: vt etiam ait Augustinus, interuenite ideò consilium scribarum, qui dissuaderent virum ab eo proposito.

Erat ergo hoc permissum, sicut pluribus in allegatis locis ait D. Thomas, quatenus [H] lex infirmitati ipsorum deferebat. Et hoc permisit Moyses, [I] non quòd audisset à Domino, sed ab inspiratione diuina, non tamen authoritate firmata. Sicut & Apostolus aliquãdo dicebat, quòd à Domino acceperat, 1. Cor. 11. aliquando ex industria sibi inspirata, 1. Cor. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Matthæi 5. *dictum est autem; quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij:* [L] non dicit à *quo*, vel à *quibus*: per hoc significans ipsos esse quasi alienos à Deo, quibus hoc dicebatur: &

A Matth. 19. & p. 2. 105. 4. ad 8.
B 3. Cont. G. c. 123.
C 4. 31. 2. 2. 2.
D 3. 87. 1. 6. 1.
E p 2. 108 2. 2.
F Matth. 19.
G p. 2. 105. 2. 4. 33. 2. 3.
H 3. 40. 1. 4. 3.
I Matthæi 19.
L Matth. 5.

hoc fuit, permissum à Moyse, non præceptum.

Permittebatur autem dimissio vxoris [M] in lege veteri, quia matrimonium erat dumtaxat in officium naturæ, non autem erat sacramentum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, quæ nondum erat facta. Sed dum toties perhibetur permissus libellus repudij, operæ pretium est, notari multiplicis generis permissionem. Primò enim dicitur [N] permitti aliquid, quando contrarium non præcipitur vt Apostolus dicit, 1. Cor. 7. *secundùm indulgentiam dico vobis*. Secundò per priuationem prohibitionis; & sic peccata venialia sunt permissa. Tertiò per priuationem impedimenti; & sic omnia mala quæ fiunt in præsenti, dicuntur aliquando etiam permissa, quia pœna non adhibetur. Suprà etiam, [O] varias percenset permissionis genera: concessionis licitæ; dispensationis; tolerantiæ; indulgentiæ, quando permittitur aliquid, cuius oppositum melius est; (sicut Apostoli secundas nuptias, 1. Corinth. 7. permiserunt, cum tamen melior esset continentia vidualis) & sustinentiæ; sicut Deus permittit mala fieri, vt eliciat bona. Alibi ita; [P] vnus modus permissionis, est per priuationem præceptionis; vt quando maius bonum non præcipitur, minus bonum permitti dicitur: sicut Apostolus non præcipiendo virginitatem, matrimonium permisit, primæ Cor. 7. Secundus per priuationem prohibitionis; sicut venialia dicuntur permissa, quia non sunt prohibita. Tertius per priuationem cohibitionis; & sic omnia peccata dicuntur permitti à Deo, in quantùm non impedit, cùm impedire posset. Quartus per priuationem punitionis; & sic libellus repudij permissus fuit: non quidem, propter aliquod maius bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de pluribus vxoribus habendis, sed propter maius malum cohibendum, scilicet vxoricidium, ad quod Iudæi proni erant, propter corruptionem irascibilis.

M p. 2. 102. s. 3. & 4 Han. 33. 3. ad 2, 2

N Matth. 19.

O Matth. 5.

P 4. 33. 2. 2. 2. & Han. 2. 3. 1.

3 Ex his suboritur quæstio, cuius generis esset permissio: nimirum talis, vt excusaret à peccato: vel talis vt solùm absolueret à quauis pœna legali. S. Doctor in 4. vtramque sustinet opinionem: dicit tamen; communiorem esse opinionem, vt non excusarentur à peccato qui vxores dimitterent, quamuis eximerentur à pœna secundùm leges infligenda. Loco prælegato in Matthæum, [Q] propendet, vt non fuerit peccatum ea ratione quam expenderat in 4. quia scilicet malè videretur prouisum Iudæis, si cum esset peccatum, non fuissent de illo admoniti, iuxtà quod Isaiæ 58. legimus, *annuncia populo meo peccata eorum*; Nec acquiescit responsioni, vt fuerit permissa dimissio vxoris, quatenus per legem non puniebatur, quod tetigerat in Quodlibito 2. a. 10. ad 1. subiungens, id habere locum in mundanis rebus: sicut videmus secundùm leges humanas, non puniri simplicem fornicationem: vnde si lex vetus solùm respexisset ad vitam præsentem, solutio esset bona: sed hoc non erat. Nihilominus ibi etiam Sanctus Doctor, non propriam prodit sententiam sed aliorum in hæc verba; *ideò dicunt alij*. Propriam ergo si velimus subolfacere, oportet alias ipsius authoritates rimari. Certè Matthæi 5. [R] tangens permissionem *tolerantiæ*, quando permittitur inter duo mala minus malum, ne fiat maius, libellum repudij commemorat; ne maius malum fieret, scilicet vxoricidium: dicente ibi Ambrosio, *melius est dimidi, quàm odio sanguinem fundi*. Præterea in prima secundæ: [S] permisit libellum repudij, non quia simpliciter iustum esset, sed propter duritiam Iudæorum. Item ad Corinthios, [T] vocat permissionem libelli, minus malum. Fortem ergò si Summam complesset, docturus erat, simpliciter peccasse Iudæos libellum scribentes. Sed pro resolutione præsupponendum, esse certè ab intrinseco malum, vxorem dimittere: iuxta quod, ait Dominus Matthæi 19. *ab initio autem non fuit sic*: & ante: *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet: propter hanc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit vxori suæ*. Itaque de iure diuino est inseparabilitas. Quare nisi manifestè constet de dispensatione, semper dimissio vxoris inuoluit peccatum. Tantùm autem abest, vt constet de diuina dispensatione, quin potius, contrarium deprehenditur; nec Deus se Authorem facit dispensationis. Sic Matthæi 5. extat solummodo; *dictum est autem, quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij*: Quæ phrasis etiam ad mala refertur: iuxtà quod sequitur. *Audistis quia dictum est, & odio habebis inimicum tuum*, & Ieremiæ 3. Noster transtulit: *vulgò dicitur; si dimiserit vir vxorem suam*.

Q Matth. 19.

R Matth. 5.

S p. 2. 105. 4. 8.

T p. Cor. 7. l. 1.

Deinde haud consonum videtur, vt ob irascibilis effrænem licentiam, dispensauerit Dominus, quod *ab initio non fuit*: non enim, ex solo statu naturæ corruptæ, eguit homo huiusmodi permissione; secùs semper fuisset permissum. Vt quid ergo Dominus iracundiæ culpabili personali adeò indulsisset, vt à culpa præcipites excusaret? Denique si velimus à peccato eximere dimittentes vxores suas repudio; par erit ratio de vsura quoque ad extraneos: contra quam toties clangunt Prophetæ.

Et si dicas, cur etiam *in sic dimittentes* vxorem, non detonabant Prophetæ? nunquid neglecti adeò erant à Deo, vt quæ sunt necessaria ad salutem, ignorarent? Respondeo, non omnino id vrgere, quamuis non despiciatur in 4. citato: quia ex tenore permissionis Mosaicæ, satis poterat haberi, licitum non esse repudium: item, ex maturitate consilij; qua indulgebatur: ac tandem satis admonebantur ex illo, *erunt duo in carne vna*. Sed scribæ & Pharisæi, vt in pluribus alijs, passionibus victi & occæcati, [V] quædam quæ in lege Moysi erant tradita vt permissiones, æstimabant esse per se iusta: scilicet repudium vxoris, & vsuras accipere ab extraneis. Ex quibus consectariò dicendum est, matrimonium dimissę sic per libellum non fuisse solutum, atque adeò, non licuisse dimissæ alterum maritum ducere. Et videtur fauere sacer textus, in quo, vt expendit Angelicus [X] exprimitur *nullo casu*, si alterum repudiata duxerit, posse ad priorem redire maritum, *quia polluta est & abominabilis facta est coram Domino*. Nihilominus ibi & in vtroque 4. Sententiarum, rem neque istam decernit: vt potè, quia nusquam adeò apertè damnabatur repudium reatus mortalis, quin posset contrarium defendi. Et ideo alibi, [A] quodammodo parificat repudium cum pluralitate vxorum, dicens; sicut in veteri lege ex dispensatione indultum videtur, vxores plures habere & concubinas, & vxoris repudium.

V p. 2. 108. 3. 2.

X Matth. 19.

A 3. Cont. G. c. 125.

4 B Matth. 5. Quidam dixere subinde; [A] quomodo in libello repudij scripta erat causa diuortij; dos, quam dabat ei maritus, & licentia nubendi alij. Quocirca in Sententijs opponit in *Sed Contra*: causæ repudij aut erant sufficientes aut non: si sufficientes, præcludebatur mulieri via ad secundas nuptias; quæ ei secundùm legem concedebantur: si autem insufficientes, ostendebatur iniustum repudium. Respondet autem, quòd causæ repudij in speciali, non scribebantur in libello sed in generali, vt ostenderetur iustum repudium. sed secundùm Iosephum, vt mulier habens libellum conscriptum de repudio, alteri posset nubere: aliàs enim ei traditus non fuisset: vnde secundùm eum, erat Scriptura talis: *promitto tibi quòd nunquam tecum conueniam*. Ita ex 4. [C] secundùm interlinearem, ideirco [D] *polluta & abominabilis* dicebatur illa, illius iudicio, qui quasi pollutam eam priùs dimisit: & sic non oportet, vt esset polluta simpliciter. Vel dicitur polluta, eo modo, quo immundus dicebatur qui mortuum tangebat, vel leprosum; non immunditia culpæ, sed cuiusdam irregularitatis legalis: vnde & Sacerdoti non licebat viduam & repudiatam ducere in vxorem. Vel etiam [E] interdicebatur reditus, ne proni essent ad dimittendum; & ne fortè postmodum dolo recipientes interficerent. *Ablata autem duritia* (ita Benedictus Papa vndecimus in Matthæum capit. 5.) *de corde fidelium, auferri debuit permissio de vxoribus dimittendis ob quamuis fœditatem, dato libello repudij*; præsertim ex dictis suprà num. 2. & iterum ad Rom. 7. l. 1. quia inseparabilitas matrimonij præcipuè causatur, in quantùm est Sacramentum coniunctionis indissolubilis Christi & Ecclesiæ; vel Verbi, & humanæ naturæ in persona Christi.

C 4.33.2. 5. D ibi a.2. 5. 5. E Ierem. 3.

VERSVS VI. *Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam &c.*

F a. 105 a. 4. Notat Angelicus [F] intentionem legis fuisse, vt assuescerent homines suis præceptis, sibi inuicem de facili in necessitatibus subuenire. Huiusmodi autem subuentionis facilitatem multipliciter instituit, &c. præcipuè, ne eum cui mutuum concederent, grauarent vel vsuris, vel etiam aliqua pignora omninò vitæ necessaria accipiendo. *Non accipies loco pignoris, inferiorem & superiorem molam.*

VERSVS X. *Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, &c.*

G loco cit. Ad hæc: non vult importunè [G] exigi. Domus est tutissimum vniuscuiusque receptaculum, vnde molestum homini est, vt in domo sua inuadatur: & ideò non concedit creditori, vt accipiat pignus, quod voluerit, sed magis debitori, vt det quo minùs indiguerit.

5 In his autem & huiusmodi quæ præsens caput complectitur, etsi aggerari videantur opportunè dilectionis proximi studia, ex quibus irascibilis exorbitantia coerceatur, ex qua libellus repudij: attamen nisi ad mysticam properemus intelligentiam, dispescuntur adeo mandata, vt ægre ferre possit animus sic coacervari.

Igitur, prælibemus oportet, repudium hocce, eatenus in loco isto introduci, quatenus

H 4.27.3. l. 1. Christo Domino quadrat, qui respuit iustis de causis Synagogam. Recolit Sanctus Doctor, [H] & Ieremiæ 3. & Ezechielis 16. & Osee 2. sermonem fieri de Synagogæ desponsatione, *iudicate*, inquit in Osee, *matrem vestram, quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius*. Et quia hic versu 5. post repudij legem, agitur de nupera acceptione vxoris; (*cùm acceperit homo nuper vxorem*) de Ecclesiæ ad Christum coniunctione, nil prohibet interpretari: vnde Apostolus Eph. 5. *viri diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam*. Repudiata est autem Synagoga propter fornicationem; [I] per quam specialiter idololatria & infidelitas designantur: licèt remota magis significatione etiam alia peccata dicantur spirituales fornicationes: Ieremiæ 3. *tu autem fornicata es cum amatoribus multis*; de quo in secunda secundæ, [L] *& tamen reuertere ad me, dicit Dominus*. Quod quamuis retorqueatur ad pœnitentes, qui [M] recurrunt ad Deum, tanquam vxor ad virum; adhuc videtur mihi referri posse ad ipsam Synagogam, quæ in vnitatem fidei asciscitur, vt fiat Ioann. 10. *ouile vnum & vnus pastor*. In Sacro textu habetur causa repudij propter aliquam fœditatem: [N] qualis erat infirmitas, vel aliqua notabilis macula in corpore: & in anima fornicatio, vel aliquid huiusmodi, quod in moribus inhonestatem facit. Alij arctant ad causas, quæ possunt impedire bonum prolis; puta in corpore sterilitas aut lepra, aut aliquid huiusmodi: in anima, praui mores, quos filij ex conuersatione ad ipsam imitarentur. Quędam alia glossa arctat, vt per fœditatem peccatum intelligatur. Sed peccatum glossa nominat non solùm in moribus animæ, sed etiam in corpore. Hæc apud D. Thomam: quas quidem fœditates, facile est in Synagoga deprehendere.

VERSVS V. *Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, &c. vt vno anno lætetur cum vxore sua.*

Ad aliam transijt Christus vxorem. D. Th. Genes. 48. In nuptiali connubio facta est translatio à Vasthi ad Hester, à Synagoga ad Ecclesiam: & de his inuenies figuras, in vxoribus Abrahæ, Iacob, & Helcanæ Patris Samuelis. Super illa Apocalypsis verba; *nuptiæ agni venerunt*: [O] Harum nuptiarum sponsalia fuerunt contracta in incarnatione: solemnitas fuit celebrata in resurrectione: traductio verò in thalamum, siue in torum, fit modo particulariter in retributione; sed vniuersaliter fiet in extrema consummatione. *Vno anno* ergo quid sonat? Audi Isaiam, cap. 61. *vt prædicarem annum placabilem Domino*; Haymo; *annum, idest omne tempus à natiuitate vsque ad diem iudicij*. In hoc anno non procedit Christus Dominus ad bellum; sed procedet eo transacto, cum venerit dies vltionis, de quo & ipse Isaias; qui & dixerat suprà c. 42. *non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium. Sede à dextris meis* (Ps. 109.) *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Respondet fortè huic prædictioni quod perhibetur de aduentu ipsius ad iudicium, vt scilicet expectetur tanquam dominus, *quando reuertatur à nuptijs*, Lucæ 12. Tunc *accipiet* (Sapientiæ 5.) *armaturam zelus ipsius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum: induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit*

cum illo Orbis terrarum contra insensatos. Interim lætatur cum vxore sua: *lætitia inenarrabili & glorificata*; de qua D. Petrus in prima c. 1. Alia littera cantum est suprà c. 20. v. 7. de homine, qui desponditt vxorem, ne bello intersit.

VERSVS VI. *Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam.*

Deus meus illumina tenebras meas, Ps. 17. Et quis est huiusmodi transitus? Non potest non mirari, nititurque detrectare Iudæus repudium hocce, idcirco ad fidei defensionem, à qua nemo nos auertat & seducat, statim de duplici mola attexitur sermo: eo vel maximè, quòd inde, quæ dicta sunt de sponso non belligero, edisseruntur. Iustitia quippè in causa est, cur synagogam dimiserit: miseratio est, ex qua Ecclesiam gentium desponderit. Profectò iustè repudiari contendit Dominus synagogam, dùm inquit Isaiæ 5. *Viri Iuda iudicate inter me, & vineam meam*; & Osee 2. *iudicate matrem vestram iudicate, quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius*. Similiter misericorditer Ecclesiæ iungitur, dicente Apostolo Rom. 15. *Gentes autem super misericordia, honorare Deum*, & c. 9. ex eodem Osee; *vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*. Misericordia siquidem peculiariùs gentes traxit; quia licet iustitia, & misericordia Dei appareat in conuersione Iudæorum & Gentium; aliqua ratio iustitiæ apparet in conuersione Iudæorum, quæ non apparet in conuersione gentium: sicut quòd saluati sunt propter promissiones Patribus factas. Vt duplex hoc Dei attributum in repudio vnius, & desponsatione alterius vxoris, rem ipsam à calumnijs Iudæorum vindicet, de duplici mola profert Moyses metaphoram. Quod quidem ex
Q opusc. 58 c. 55. Diuo Thoma alibi à simile quid pertractante colligitur. Exponit illud Isaiæ 47. *tolle molam, mole farinam*, in hæc verba: quasi diceret, fac in te molam spiritualem de duobus molaribus, considerando misericordiam Dei, ad emolliendam cordis tui duritiam: misericordiam quasi superiorem lapidem, qui nunc operatur & circuit, sed post hanc vitam operari cessabit; ps. 85. *misericordia tua magna est super me*. (Tu adde symbolum circuitionis, in eo quod dicitur in psalmo 58. *misericordia eius præueniet me*: & psal. 22. *& misericordia tua subsequetur me*.) Pergit D. Thomas: Item considerando iustitiam, quasi inferiorem lapidem, qui nunc iacet, & quiescit; sed post hanc vitam, eleuatur, operatur, & circuit. Ezech. 17. *iudicabo te iuxta vias tuas, non parcet oculus meus, nec miserebor*. Non dedignatur Sacra Scriptura huiusmodi metaphoras; sicut Amos 9. *Ecce ego mandabo, & concutiam domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro*. Duæ molæ istæ indicant per hanc interpretationem, quare vno anno non procedat sponsus ad bellum; quia scilicet *expectat Dominus vt misereatur nostri*, Isaiæ 30. Rom. 2. *diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam*, (granorum durities conteritur per molam, inquit loco citato) *& impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei*. Ad hæc non desunt aliæ meditationes Sanctorum Patrum; vbi enim

Matthæi 24. dicitur, *duæ molentes in mola, vna assumetur, & alia relinquetur*, ait S. Doctor: a Matth. 24.
lex vetus per molam designatur, quæ grauis, & ponderola est; Act. 15. *hoc est onus, quod nec nos, nec Patres nostri ferre potuimus*. Illi assumuntur, qui veterem legem cum noua recipiunt. D. Hieronymus; *In duabus quæ pariter molunt, vel synagogam intelligere debemus, vel Ecclesiam; quòd simul molere videantur in lege, & de eisdem scripturis sanctis farinam terere præceptorum Dei: vel etiam hæreses, quæ aut de vtroque Testamento, aut altero, videntur molere farinam doctrinarum suarum*. Hæc in Catena. Quæ quidem ad rem quoque faciunt, vt scilicet moneantur fideles, vtrumque Testamentum cariùs tenere, vnde sibi spiritalis vitæ trahunt alimenta. Væ illi, qui altero se priuaret; amissa enim statim fide, quæ vtrique innititur, vitam quoque amitteret, quia scriptum est, *iustus ex fide viuit*: quod innuitur in textu, *quia*, inquit, *animam suam opposuit tibi*.

Rogabis, quidnam mysterij lateat pigno-
ris tropo? Respondeo pluries in hoc capite de 7
pignore fieri mentionem, vt oppignoratam Dei fidem noscetemus: Rom. 3. *nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? absit*; fuit enim & vetus Testamentum, veluti quoddam pignus diuinum implendarum promissionum: Sed præcipuè, vt mens eleuaretur ad illud diuinum pignus; de quo Apostolus, 2. Cor. 1. *dedit pignus spiritus in cordibus nostris*: & iterum c. 5. *qui dedit nobis pignus spiritus*, & rursùm, Ephes. 1. *Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*, &c.

VERSVS VII. *Si deprehensus fuerit homo solicitans fratrem suum.*

Etsi ingentem animæ fidelis securitatem spemque cœlestis hæreditatis firmam fert Spiritus-sancti pignus pretiosum, quo tanquam clypeo adamantino muniamur; non est cur seductorum insidias non timeamus. De his pergit Moyses edicere: *si deprehensus fuerit homo solicitans fratrem suum, furans animam*, legunt Septuaginta, & Chaldæa, *venditurus*: cui, non exprimitur. Rom. 7. *venundatus sub peccato*. Isaiæ 50. *ecce in iniquitatibus vestris venditi estis*. & c. 52. *gratis venundati estis*.

VERSVS VIII. *Obserua diligenter, ne* 8
incurras plagam lepræ.

Iam apertiùs declarat cauendam subuersionem falsæ doctrinæ, quæ cantatissimo significato intelligitur per lepram: & propterea ad Sacerdotes Leuitici generis, monet confugiendum; *sed facies quæcumque docuerint te*.

VERSVS IX. *Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via, cum egrederemini de Ægypto.*

Memorat figuram lepræ in Maria sorore Moysi, qua scilicet percussa est in egressu de Ægypto. Sic in egressu de regno & tyrannide mystici Pharaonis, vide, ne inficiaris falso aliquo dogmate aut doctrina. Ibi locuta est Maria contra Moysen, propter vxorem eius Æthiopissam: sic propter primæ vxoris repudium, & desponsationem Ecclesiæ Gentium detrahunt, & obloquuntur Iudæi, meritò per mulierem, in qua minùs viget ratio & intelligentia, significati. Vide mirè his consona, quæ dicta sunt Numeri 12.

VER-

9 VERSVS X. *Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas.*

Possent Iudæi obijcere aduersùm Christianos; in primis de pignore, dicentes, nostra est *adoptio, gloria, testamentum, legislatio, obsequium, promissa: nos sumus Patres: ex nobis est Christus secundùm carnem*, Roman. 9. non ergo nobis dissentiri fas est in dogmate fidei. Occurritur, pignus esse in interioribus, in penetralibus, in corde: quod proinde nullius in potestate est auferre. Ieremiæ 31. *dabo legem meam, in visceribus eorum scribam eam*: vnde & Apostolus ad Rom. 2. *non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto, in carne est circumcisio; sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu, non littera.*

Iterum insurgit Iudæus peruicax aduersùm gentes, quæ Domino crediderunt, nota spiritualis paupertatis obiecta; quia nationes, (quod obseruat Origenes in Catena, Lucæ 4.) erant pauperes, nihil omninò possidentes, non Deum, non legem, non prophetas, non iustitiam, reliquasque virtutes. Fatemur paupertatem nostram, quemadmodùm ait D. Ambrosius l. 8. in Lucam; *Zacchæus statura pusillus: hoc est, nulla nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis, exiguus meritis, sicut populus nationum, non prophetas, non legem habebat.* Atquè recolimus quod ait Isaias c. 61. *Spiritus Domini super me, eoquòd vnxerit Dominus me; ad annunciandum mansuetis misit me*: siue *euangelizare pauperibus*, Lucæ 8. *misit me*; iuxta Septuaginta. Adhoc innuendum, magnam sibi curam esse de paupere ostendit Dominus, dùm inquit, versu sequenti 12. *si autem pauper est*; &c.

VERSVS XIV. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui siue aduenæ.*

Possent fortasse Iudæi Gentium detrahere fidei; quòd ipsi sint ciues; gentes autem aduenæ & hospites: de quibus & Apostolus Ephes. 2. *hospites Testamentorum, promissionis spem non habentes.* At licèt hæc ita fuerint, non propterea discernit Deus: quod D. Petrus in Actis c. 15. corroborat dicens: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes, verbum Euangelij, & credere &c. & nihil discreuit inter nos & illos.* De ijsdem ipsemet Paulus; *Iam non estis hospites & aduenæ.* Igitur, quemadmodum zelatur Dominus de reddenda mercede etiam aduenæ, ita tacitus pollicetur Gentibus laboris huius vitæ æternum præmium & pretium: *reddes*, inquit, *eis pretium laboris sui: laboris; non enim*, Roman. 2. *auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur: gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*: Idem Apostolus p. Cor. 5. *vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Apoc. 14. *vt requiescant à laboribus suis.*

§ Serm. infexagesima.

Perpendit S. Doctor, § Sanctos esse in septem continuis laboribus, pro quibus fructus æternæ gloriæ datur, Sap. 10. *reddidit iustis mercedem laborum suorum.* Et quidem *ante solis occasum*: tùm quia in ps. 18. ibi, *in custodiendis illis retributio multa*; T non dicit pro custodia; sed in custodiendis; quia ipsa custodia eorum est magna retributio, scilicet gloria cordis & mundi-

T ps. 18.

tia: 2. Cor. 1. *gloria nostra; hæc est testimonium conscientiæ nostræ*: tum quia teste Gregorio, *initium retributionis est in obitu securitas mentis.* Hoc tacitè pollicetur Deus *pretium laboris ante solis occasum*: Ecclesiastes c. 12. *memento Creatoris tui &c. antequam tenebrescat Sol & lumen.*

VERSVS XVI. *Non occidentur Patres pro filijs, nec filij pro Patribus; sed vnusquisque pro peccato suo morietur.*

Hoc ipsum habetur Ezechielis 18. *filius non portabit iniquitatem Patris; & Pater non portabit iniquitatem filij.* Quæ dicta sunt in proximis nuper contextibus, inuoluisse videntur, sicut tetigi, querelas veluti Iudæorum aduersùm felicem gentium sortem: ad quas habitudinem habent Iudæi quasi Patrum ad filios ps. 44. *pro Patribus tuis nati sunt tibi filij.* Ioan. 4. *salus ex Iudæis.* Vnde & Abrahæ promissum est Gen. 22. quòd in ipso *benedicerentur omnes cognationes terræ*, & c. 17. *appellaberis Abraham, quia Patrem multarum Gentium constitui te*, & Roman. 11. dicitur Gentilis *socius radicis*; Matth. 8. *multi venient ab oriente & occidente, & recumbent, cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno Cælorum.* Idem est ergo ac si diceret, ne confidatis nimis de vobis, quasi essetis gentium Patres; quia *vnusquisque pro peccato suo morietur*: nec miremini si qui filij censentur, vos præcedant, (Matthæi 21. *publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*) quia probus est quandoque filius; & Pater moritur in iniquitate, vt dicitur loco citato Ezechielis; *& omnes animæ Domini Dei sunt, vt anima Patris, ita anima filij: anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Sic Iudæi, qui fideles erant inuidia & ira æmulaturi iuxta vaticinium ipsius Moysi, infrà c. 32. Romanorumque 10. *ego ad æmulationem vos adducam, in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam*, valide ex hactenus dictis repelluntur, vnaque simul, si velint, illuminantur: ne dicant amplius nobis illud Osee 1. *non plebs mea vos*: quia non reputabant nos populum Dei, vt ait S. Doctor. V

VERSVS XVII. *Non peruertes iudicium aduenæ & pupilli, nec auferes pignoris loco, viduæ vestimentum.*

Magister Malpenda noster legit, *non extendes iudicium.* Quidam Iudæorum, vt commemorat Apostolus Roman. 3. non crediderunt. *Sed nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? absit: eorum damnatio iusta est.* Verumtamen Dei iudicium circà Iudæos extendere non debemus: hoc est etiam peruertere iudicium; extendendo scilicet ad omnes Iudæos, & ad omne tempus; siquidem ait D. Paulus; *Isaias clamat pro Israel: si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient.* Ex quo, triplici præfata mentione *aduenæ, pupilli, & viduæ*, ijdem Iudæi meritò significari videantur. Sunt *aduenæ*, quia venturi sunt ad veram fidem, & ad sanctam ciuitatem Ierusalem, quæ est Ecclesia. S. Doctor ad Ephesios; X hoc sunt hospites ad domum, quod aduenæ ad ciuitatem: & præterea; aduena est ille, qui habitat in terra aliena, nec intendit vlteriùs ire; peregrinus, qui est in via tendendi ad alium locum. Sunt etiam *pupilli*, secundum quod dolebat Ieremias Thren. 5. *pupilli facti sumus absque Patre; Matres nostræ quasi viduæ*; idest Synagogæ: A sed quod ait, non illi auferendum

vesti-

vestimentum, reor intelligi de veteri Testamento, quo se adhuc operit Synagoga, nec in infidelium incurrit ignominiam. Nondùm nuda est, quamuis ad comminationem illi dicatur Osee 2. *ne forte expoliem eam nudam*. D. Thomas ad illa verba, [B] *in vestitu deaurato*; est duplex vestimentum; vnum est doctrina duorum Testamentorũ; &c. Non ergo contemnenda est Synagoga, quoniam quotidie sunt qui ab illa ad Ecclesiam confugiunt; & in dies, aliquibus donat Deus suam gratiam, in fine reliquias omnes saluaturus. Dauid in Psalmo 145. *Dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam suscipiet*; & immediatè ante dixerat; *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos*. Vnde compediti videntur dici aduenæ, cœci pupilli, elisi vidua. Iudæi autem verè sunt compediti, ne properent tanquam aduenæ ad Ecclesiam, retibus, & luto diuitiarũm; de quibus, Iob 18. *immisit in rete pedes suos*; & Abacuc 2. *væ ei qui multiplicat non sua; vsquequo & aggrauat contra se densum lutum?* Quæ loca ad rem exponit Angelicus; primum quidem, in Opusculo [C]; secundum [D] in sermone. Similiter ijdem Iudæi sunt cœci tenebris ignorantiæ inuoluti, quasi pupilli sine institutore & magistro. Isaiæ 33. *vbi est doctor paruulorum?* Eccl. 7. *filij tibi sunt, erudi eos*. Matthæi 15. *cæci sunt, & duces cæcorum*. Denique per viduam synagogam significantur, tanquam elisi ad petram; offenderunt enim, ait Apostolus Roman. 9. *in lapidem offensionis*, sicut scriptum est (Isaiæ 8.) *ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali*.

B ps. 44.

C opusc. 4. 5. non furtum.
D Serm. Dom. 4. post 8. paschæ.

VERSVS XVIII: *Memento quòd seruieris in Ægypto, & eruerit te Dominus inde. Idcirco præcipio tibi, vt facias hanc rem*.

12 Rem, quæ sequitur scilicet, quemadmodum iteratò præcipit in extremo capitis, *vt facias hanc rem*. Itaque quoniam eruit te Dominus de Ægypto, debes relinquere oblitus manipulum; item reliquum oliuarum in arboribus dimittere; & remanentes racemos, in vsum aduenæ, pupilli, & viduæ. Certè summæ curæ sunt Domino, aduenæ, pupilli, & vidua; quando ter, non semel, commemoratis eisdem prouidet. Sed quæ rogo est colligatio, nisi dicamus, ad eum finem præcipi, de his beneficentiæ operibus, vt intelligatur agi de aduenis, de pupillo, & vidua, tanquam de Ægypto eruendis? Amos 3. *quomodo si eruat pastor de ore Leonis duo crura aut extremum auriculæ; sic eruentur filij Israel*; quod quidem licèt exponatur [E] de paucis, qui nunc difficulter, quasi cùm quadam violentia conuertuntur, tamen videtur mihi posse accipi, etiam de finali conuersione; quando *omnis Israel* extremo tempore *saluus fiet*, vt ibi ait Apostolus. Et iam reliquiarum Israel, quæ (Roman. 9.) *si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris*, teste etiam Isaia, *saluæ fient*; reliquiarum inquam Israel, similitudo expressior nequit esse, quàm relictarum frugum, oliuarum, & racemorum. Huc facit illud Micheæ cap. 7. *factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*; [F] quia *reliquiæ saluæ fient*. In hac tamen capitis huius allegoria significari etiam potest paucitas Iudæorum, iuxtà quod infrà c. 28. legimus *remanebitis pauci numero*, vt refert Angelicus super Isaiam, [G] ad id promens tergeminam eandem metaphoram, quam hic Moyses; *Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium eius spicas leget & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim; & relinquetur in eo sicut racemus; & sicut excussio oleæ duarum vel trium oliuarum in summitate rami; siue quatuor aut quinque in cacuminibus eius, fructus eius*. Hæc autem Iudæorum paucitas respectu multitudinis gentium trahitur [H] etiam ex loco illo Michææ: *racemos vindemiæ*: nam Iudæi etiam prædicante Domino, propter suam duritiam [I] paulatim conuertebantur ad fidem. In fine ergo, tempore messis conuertentur, & eruentur de mystico Ægypto infidelitatis & culpæ. At Dominus, *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem sui nominis venire*, ibidem per Micheam ait; *præcoquas ficus desiderauit anima mea*. Deus specialiter diligit illos [L] qui à iuuentute seruiunt ei.

E Rom. 11. l. 4.

F Rom. 9. l. 5.

G Isaiæ 17.

H Isaiæ 11.

I ioan. 4. l. 7.

L Ioan. 2. l. 5.

13 Puto autem, (quod tetigi) ideo de tempore messis, & sic de alijs opportunè vindemijs tradi præceptum; quoniam, cùm imminebit finis, reliquiæ conuertentur. Matthæi 13. *messis consummatio sæculi est*. Apocalyps. 14. *vindemia botros vineæ terræ*. Sed insuper aptè & de manipulo segetis, & de fruge oliuarum, & de racemis vineæ mandat relinquendis, in subsidium aduenarum, pupillorum, & viduæ; fortè non eo studio, vt ad ipsos perueniant relicta, quod ægrè fieri potuisse exploratum est, sed vt quibus vijs, reuocandi essent filij Israel, præfiguraret. Pane scilicet prædicationis verbi Dei, Roman. 10. *hoc est verbum fidei quod prædicamus*: Cuius penuria est veluti panis caritas, iuxta illud Amos 8. *non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini*. Et quoniam Iudæi ad prædicationem præsertim Henoch & Eliæ conuertentur: & de his dicitur Apocalyps. 11. *hi sunt duæ oliuæ*; quemadmodum Zachariæ 4. *quid sunt duæ oliuæ istæ?* meritò, quicquid remanserit in arboribus relinquitur aduenæ, pupillo, & viduæ. De ipsis ait S. Doctor; hi sunt duæ oliuæ, idest duæ arbores spirituales, vnctionem gratiæ perfectæ in se habentes, & alijs ministerialiter dantes &c. Tù adde, in oleo palam significari misericordiam: Deus autem *cuius vult miseretur* Roman. 9. Isaiæ 14. *miserebitur Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel*, &c. Desiderium autem salutis eorum allegoricè, quod habet Christus Dominus, postremo racemorum tropo significatur, dicente, loco citato, Michæa; *Væ mihi quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*. Vel eorum salutaris pœnitentia innuitur in vini materia: eoquòd Samaritanus Lucæ 10. *misericordia motus appropians*, semiuiuo illi, *alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum*: qua de re, in vinea [M] fidelis animæ, est vinum pœnitentiæ; & alibi, [N] est quædam bona compunctio, qua quis dolet de proprijs peccatis, secundùm illud ps. 59. *potasti nos vino compunctionis*. Vinum quippe [O] mordicat. Hinc quærens; *Vtrum oleum oliuæ sit conueniens materia Sacramenti extremæ vnctionis*, sic obijcit; Hoc Sacramentum est Spiritualis medicatio, sed spiritualis medicatio per vini appositionem significatur, sicut patet Lucæ 10. parabola de sauciato; ergo vinum esset conuenientior huius Sacramenti materia. [P] Respondet. Vinum sanat mordicando, oleum leniendo; & ideo curatio per vinum magis perti-

M Isaiæ 5.
N Roman. 11. l. 1.

O Io. 2. h 1. & Serm. in cõuers. S. Pauli.

P 4. 2. 1. q. 3. 1. 1.

net ad pœnitentiam. De hac Iudæorum pœnitentia, vbi nos Osee tertio, legimus; *post hac reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum* &c. Chaldæus habet; *post hac pœnitebunt* &c. Futuram ipsorum pœnitentiam bene significant racemi futuri in vinum: sicut in simili, ᵃ Christus qui est panis viuus, erat veluti in spica, pro statu legis naturæ, in fide Patrum; erat sicut simila, in doctrina legis & prophetarum; erat autem velut panis formatus post humanitatem assumptam. Ingeminatur autem: *memento quòd & tù fueris in Ægypto; & idcircò præcipio tibi, vt facias hanc rem*; tum ad inculcandum prædicationis officium; tùm ad extimulandum cor nostrum, vt commisereatur, quia & nos fuimus in Ægypto, hoc est *natura filij iræ* Ephes. 2. & Tit. 3. *eramus enim aliquando & nos insipientes, & increduli* &c.

ᵃ p. 2. 3.12.

Nisi velis, in oleo intelligere misericordiam, seueritatem iudicij in vino, vt exponitur etiam illud ᴿ sauciati Lucæ 10. quia prædicator quandoque terrere debet, quandoque allicere: vt super illud *tuba canerent* Apoc. 8. ait D. Thomas: ˢ quantùm ad incussionem timoris prædicatio dicitur tuba; quantùm ad amorem, ad quem prouocat, dicitur cantus. Nonnulla quæ præcepta sunt Exodi 22. & Leuitici 19. hic reuocantur: certè arcano aliquo sensu, quem hactenus scrutatus sum. Supernaturalem enim animarum prouidentiam in vitæ temporalis cura præfigurat Dominus.

R Matth. 25. 10.8.L. 6.

S Apoc. 8. Commét. 2.

C A P V T X X V.

1 SI fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices: quem iustum esse perspexe-
rint, illi iustitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis. 2
Sin autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis: prosternent, & coram se
facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus, 3 ita dumtaxat, vt qua- 2.Cor.11. 1.24.
dragenarium numerum non excedant: ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. 1. Cor.6. b 9
4 Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas: 5 Quando habitauerint fratres simul, 1. Tim.5. c 18.
& vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet
eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui: 6 & primogenitum ex ea filium nomine il- Mat.22.c. 24.
lius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel. 7 Sin autem noluerit accipere vxo- Mar.12. b.19
rem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit ma- Luc. 20.d. 28.
iores natu, dicetque. Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel: nec me in Ruth.4 b. 5.
coniugem sumere. 8 Statimque, accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit:
Nolo eam vxorem accipere: 9 accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calcea-
mentum de pede eius, spuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat
domum fratris sui. 10 Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati. 11 Si ha-
buerint inter se iurgium viri duo, & vnus contra alterum rixari cœperit, volensque vxor al-
terius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, & apprehenderit verenda
eius: 12 abscides manum illius, nec flecteris super eam vlla misericordia. 13 Non habe-
bis in sacculo diuersa pondera maius & minus: 14 nec erit in domo tua modius maior, &
minor. 15 pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: vt
multo viuas tempore super Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. 16 abomina-
tur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. 17 Me- Exo.17.c 3.
mento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Aegypto: 18 quomodo oc-
currerit tibi: & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame,
& labore confectus, & non timuerit Deum. 19 Cum ergo Dominus Deus tuus dederit ti-
bi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes in Terra, quam tibi pollicitus est:
delebis nomen eius sub cęlo. Caue ne obliuiscaris.

1 VERSVS IV. *Non ligabis os bouis terentis in area fruges.*

Sanctus Paulus in prima ad Corinth. idipsum habet in hæc verba; *non alligabis os boui trituranti*: idest non prohibebis prædicatorem viuere de Euangelio. Triturare enim est separare granum à palcis, quod facit prædicator abstrahendo animas à terrenis, discernendo virtutes à vitijs, separando vtilia à vanis: Ieremiæ 15. *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*. Hæc D. Thomas ᴬ quæ quidem cohærent optimè dictis; quemadmodum & de iudicio in hoc eodem capite tactum est. De huiusmodi alio in loco pertractans ᴮ inquit; Dominus vt populum Iudaicum ad crudelitatem pronum ad misericordiam reuocaret, voluit eos exercere ad misericordiam etiam circà bruta animalia, prohibens quædam circa animalia fieri, quæ ad crudelitatem quamdam pertinere videntur; & ideo prohibuit ne coqueretur hœdus in lacte matris, & quòd non alligaretur os boui trituranti, &c. Quamuis etiam dici possit, quòd hæc prohibita sunt eis, in detestationem idololatriæ; nam Ægyptij nefarium reputabant, vt boues triturantes de frugibus comederent. Figuralis autem ratio est; quia boui trituranti, idest prædicatori deferenti segetes doctrinæ, non sunt necessaria victus subtrahenda, vt Apostolus dicit

A p. Cor. 9.L.1.

B p.a. 102 8.8.

1. Cor. 9.

a **VERSVS V.** *Quando habitauerint fratres simul &c,*

Lex traditur de ducenda in vxorem relicta sine liberis à præmortuo fratre. Hanc memorans S. Doctor, c sustinet opportunè traditam,
c 4.42.3. p. 3. quando per propagationem carnis cultus religionis multiplicabatur: quod nunc locum non habet. Vt ille etiam D qui non potuit habere
D p. 2. 105.4. successionem secundùm carnis originem, saltem haberet per quandam adoptionem; & sic non totaliter memoria defuncti deleretur. Sicut
E loc. cit. ad 7. autem Chrysostomus dicit super Matthæum, E immitigabile malum erat mors apud Iudæos, qui omnia pro præsenti vita faciebant: Et ideò statutum fuit, vt defuncto filius nasceretur ex fratre: quod erat quædam mortis mitigatio. Non autem alius quàm frater vel propinquus iubebatur accipere vxorem defuncti, quia non ita crederetur qui ex tali coniunctione erat nasciturus, esse filius eius, qui obijt. Et iterum extraneus non ita habebat necessitatem statuere domum eius, qui obierat, sicut frater: cui etiam ex cognatione hoc facere iustum erat. Ex quo patet; quòd frater in accipiendo vxorem fratris sui, personam fratris sui defuncti fungebatur.

3 Mitè autem post hæc, reperio Genesis 38. vbi post occisionem Her, qui fuit primogenitus Iudæ, dixit Iudas ipse ad Onan filium quoque suum, *ingredere ad vxorem fratris tui & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo*: reperio inquam, enucleari ab Angelico legem hanc in hæc verba:
F Genes. 38. F Ex hoc patet, quædam cæremonialia fuisse per inspirationem diuinam à Patribus instituta & seruata. Ratio autem huius legis, triplex fuit. Prima scilicet, vt in hoc doceretur, quòd ex charitate fraterna, seu fraternitatis dilatatione, coniugium erat sumendum, & proles ex ipso quærenda. Secunda, secundùm Chrysostomum est, quia ante Christi resurrectionem, erat mors quasi desperatum, & inconsolabile damnum: & præcipuè quando quis non solùm in se, sed etiam in sua posteritate videbatur omninò extinctus: & ideò in huius consolationem fiebat, quòd vxor fratris defuncti, quæ sine prole maneret, à superstite fratre duceretur; sic, quòd filij fratri defuncto ascriberentur; vt sic quodammodo eius nomen in eis & memoria viueret. Tertia ratio est mystica, scilicet, ad figurandum, quòd Christo pro nobis mortuo, debemus prolem ex eius Ecclesia suscitare, potiùs quàm nomini nostro, & potiùs quàm soli nostræ vtilitati ociosè vacare. Postrema hæc D. Thomæ ratio, cohæret optimè suprà dictis de sponsa Christi Domini, quæ est Ecclesia: & capiti 23. *non intrabit Eunuchus &c. Ecclesiam Domini*. Secunda, pro pleniori intellectu, exigit vt explicetur, quomodo erat mors inconsolabile damnum; eo vel maximè quòd aliqui sint à prophetis in veteri Testamento suscitati; vt patet de filio Sareptano, de filio Sunamitis, & de homine ad tactum ossium Elisæi: 3. Regum 17. Regum 4. 4. & ibidem c. 13.
G 1. Cor. 15. l. 3. Sed audi tu D. Thomam, G qui ad illud Corinthiorum; *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*, id ipsum obijcit; & respondet: Ad hoc dicendum, quòd duplex est resurrectio; vna ad vitam mortalem; & ad istam Lazarus, & alij ante Christum suscitati sunt; alia ad vitam immortalem, & de hac loquitur hic Apostolus, Sic Romanorum 8. *Qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra*: non dicit H H Rom. 8. l. 2.
mortua, sed *mortalia*: quia in resurrectione, non solùm à corporibus vestris auferetur, quòd sint mortua, sed etiam quòd sint mortalia, idest potentia mori: quale fuit corpus Adam ante peccatum. Leue ergo erat solamen raro etiam euentura resuscitatio, ad iterum moriendum: cum potissimè à longè aspicerent. Hebræor. 11. *iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes*. Vnde & ibi Abraham commendatur, qui obtulit vnigenitum, *arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus*.

VERSVS VII. *Sin autem noluerit accipere vxorem fratris sui &c.* 4

Cùm suprà dixerit, *pro mensura delicti erit & plagarum modus*; ad litteram certè torquetur animus, quidnam sibi velit hæc vltio, conspuendi *in faciem* nolentis accipere in vxorem, quæ relicta erat fratris. Et iterum, quid indicet tolli *calceamentum de pede*; vocarique nomen illius in Israel; *Domus discalceati*. Matthæi 26. ibi, *Tunc exspuerunt*; I secundùm quòd habetur ex verbis, I Matth. 26.
istud fiebat in signum mandati Dei contempti; vnde Deut. 25. Si quis nolebat accipere vxorem fratris, conspuebant in faciem eius. Item, propter contemptionē mandati paterni: Sic de Maria sorore Moysi Numeri 12. *Si Pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi?* De calceamenti detractione, ipse litteraliter nihil scio, præter id quod legitur Ruth 4. *hic autem erat mos antiquitùs in Israel, inter propinquos, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat*; (de ducenda præmortui vxore) *vt esset firma concessio, soluebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo*. Accinit illud ps. 59. & 107. *in Idumæam extendam calceamentum meum*. Verùm spiritualem, adoptione filiorum, propagationem huiusmodi connubio reor fuisse signatam: idcirco, ab respuente detractum calceamentum: 1. Cor. 4. *in Christo Iesu, per Euangelium ego vos genui*: dicitur autem Ephes. 6. *calceati pedes in præparationem Euangelij pacis*: vt possint transire spineta & lutosa loca; & ne pungantur spinis concupiscentiæ, neue aliquo luto inquinentur, vt inquit Haymo præfatos in psalmos. Quare ad mystica sensa erit recurrendum; neque enim perperam hæc traduntur. Nisi dicamus, per discalceatum pedem, intelligi affectum illius indispositum ad fratrem suum præmortuum; quia mouetur anima affectibus, sicut corpus pedibus. Quod quidem lumen sparsit Angelicus Ephes. 6. ibi, *calceati pedes*, idest, inquit, affectus dispositi sint. L L Ephes. 6. l. 4.

VERSVS XIII. *Non habebis in sacculo diuersa pondera*.

Cum in venditione, triplex rei possit esse defectus: Vnus secundùm speciem, Isaiæ 1. *argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua*. Alius in qualitate, puta si quis animal infirmum vendat quasi sanum. Præterea in quantitate, sicut animaduertitur in secunda secundæ, M fraudem præcauet Dominus in M 2.2. 77. 2.
præsenti, solùm secundùm quantitatem: cùm tamen subdatur, auersari Dominum omnem iniustitiam, Prouerb. 20. *pondus & pondus, mensura*

sura & measura; vtrumque abominabile est apud Deum. Repetitur autem compendio, quod prædictum fuerat Leuitici 19. *nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera: iustus modius, æquusque sextarius*: Qua de causa; scrutabimur Deo dante.

VERSVS XVII. *Memento, quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Aegypto* &c. *delebis nomen eius sub Cœlo*.

5 Factum historicè Exodi 17. succinctè tangitur; *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Israel in Raphidim*. In præsenti, luculentior traditur iniuriæ notitia; *quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, occiderit, quando tu eras fame & labore confectus*. Ad litteram, si perquiratur causa, ob quam ita esset Amalec odibilis Deo, illa certè est, quam commemorat Scriptura etiam 1. Regum 15. *recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Aegypto*. Et ad calcem capitis; *sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus*: summa certè sæuitia, lassos & vacillantes aggressus: tunc (notat à Lapide) cum erat congregatus populus ad videndam gloriam Dei, qui dixerat, *ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb; percutiesque petram*. Refert Maluenda noster immanem Amalec malitiam, vt populum funditùs intenderet sua violentia exterminare, sicque veluti Dei solium destruere; ad illa verba Exodi 17. v. 16. *Quia manus Solij Domini*. Hugo etiam consentit, vt intenderet à Dei ductu retrahere ad se populum. Accedit, quòd vt obseruat Angelicus, [N] Amalecitæ magis quàm aliæ nationes Iudæis fuerant aduersati, & cum eis nullum cognationis (proximæ intellige quia Amalec nepos fuerat Esau, vt patet Genes. 36.) habebant consortium, ideò quasi hostes perpetui habebantur. Iustè ergo sic à Deo puniendi erant, tanquam paternæ malitiæ ex asse hæredes, vt mihi videtur. Et fortè, vt hoc firmiùs recolatur, præmittitur in hoc capite; *auersatur Dominus Deus omnem iniustitiam*. Sicut autem punitur [O] vnus homo propter peccatum, quod commisit, vt alij videntes timeant, & peccare desistant: ita etiam propter aliquod peccatum gens vel Ciuitas potest puniri, vt alij à simili peccato abstineant. Sed tu ne obliuiscaris illud Apostoli 1. Cor. 10. *omnia in figura contingebant illis*.

N p. 2. 105. 3.

O loc. cit. ad 2.

6 Iam igitur ad spiritum properemus. Cum in proximè præcedenti capite de messis tempore tactum sit; sitque *messis consummatio sæculi*; non est dubium, propè etiam in contextibus, futurum esse iudicium. Et ecce primo in limine offertur litteram; *Si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices*. Agitur de iudicio illo, de quo Apostolus Roman. 2. *in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*. Neque certè de re aliqua temporali, aut ciuili aliqua discrepantia disseritur, sed de personis; siquidem dicitur; *quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt*: Sapientiæ 5. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt*. Et idcircò Noster quasi subolfacto mysterio, non purè transtulit iustificari iustum, sed *iustitiæ palmam illi dabunt*: Apocalyps. 7. *Et palmæ in manibus eorum*. In quo ostenditur dignitas [P] quantùm ad insignia triumphorum, de diabolo, de carne, de mundo, de vitijs. Ecc. 3. *iustum & impium iudicabit Deus*.

P Apoc. 7. Commēt. 3.

VERSVS II. *Sin autem eum qui peccauit dignum viderint plagis: prosternent, & coram se facient verberari*.

Verberum tamen numerus non poterat excedere quadragenas percussiones. Vbi Apostolus habet, [Q] *à Iudæis quinquies, quadragenas, vna minùs accepi*; recolit consueuisse Iudæos, vt viderentur misericordes, citrà mandatum legis dimittere de numero prædicto, vt darent pauciores secundùm quòd eis videbatur: & quia odio habebant Paulum, vna tantùm omissa dederant triginta nouem. In Christum Iesum immoderatè sæuierunt: & ideò tanquam exlex *flagellauit Pilatus* ipse *Iesum*, Ioann. 19. per suos ministros. Et quid rogo hinc eruitur, nisi commune illud Theologorum proloquium; *Deus præmiat vltrà condignum, & punit citrà condignum*? de quo in 4. 46. 2. 2. Et meritò adijcitur, *non excedant*, quando ante indixerat, *pro mensura peccati erit & plagarum modus*. Quod etiam ad ostendendam inæqualitatem pœnarum inducit Angelicus, [R] addens illud Isaiæ 27. *in mensura contrà mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam*.

Q 2. Cor. 11. l. 5.

R 3 Cōt. G. c. 142.

VERSVS IV. *Non ligabis os bouis terentis in area fruges suas*.

Iam dictum est, id, ad quandam inferendam in animo miserationem in homines, esse præceptum in bestias. Et hoc quidem corroborat nuper præfata de puniendo citra condignum, ex quadam Domini misericordis clementia: Threnor. 3. *misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti*.

Sed licèt misericordiam res aliæ moneant, puta non coqui hœdum in lacte matris; non occidi auium matrem cum filijs; idcirco, hoc selegisse de area videtur exemplum, quoniam ad iudicij rationem attinet; siquidem, qui triturat, bonos à malis, quasi grana à paleis discernit: quod de prædicatoribus notat Sanctus Doctor; [S] quemadmodum aiebat Augustinus de quæstionib. Euang. in Matthæum c. 11. *illi, qui in eadem fide mali sunt, palea potiùs, quàm zizania reputantur; quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem*. Matthæi 13. *Simile est regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset* &c. *elegerunt bonos in vasa; malos autem foras miserunt: sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis*. Et c. 3. *cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili*. Matth. 25. *separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis; & statuet oues quidem a dextris, hœdos autem à sinistris*.

S 1. Cor. 9. l. 2.

Et si dicas: malè videtur exponi palea pro malis sub eadem fide: vtpotè ex quo sequitur non esse infideles iudicandos. Respondeo cum D. Gregorio, quem fert Angelicus; [T] in iudicio quatuor erunt ordines. Quidam qui non iudicabuntur, sed iudicabunt, & saluabuntur; scilicet Apostoli, & apostolici viri. Quidam qui iudicabuntur & saluabuntur, vt mediocriter boni: Quidam qui iudicabuntur & damnabuntur, vt

T Hebr. 10. l. 3. lo. 3. l. 4.

mali fideles. Quidam qui non iudicabuntur, vt omnes infideles: non iudicabuntur scilicet iudidiscussionis. Ioan. 3. *qui non credit, iam iudicatus est*: pl. 1. *non resurgent impij in iudicio*.

VERSVS V. *Quando habitauerint fratres simul &c.*

Heu! Prouerb. 28. *viri mali non cogitant iudicium*: & Sap. 12. *propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti*. Heu! defuturi non erant, qui non solùm iudicium non pauerent, sed & resurrectionem, & animæ immortalitatem negarent. Sectæ huius fuerunt Sadducæi, qui vt legimus Matthæi 22. *dicunt non esse resurrectionem*: Et, vt patet Actorum 23. prætereà *non esse Angelum, neque Spiritum*. Qui quidem error traxit originem, vt animaduertit Sanctus Thomas ᵛ à primis illis philosophantibus, qui nullas substantias incorporeas agnoscebant, ponentes vt primum principium, aliquod corporeum elementum: & in tantùm inualuit, vt vsque ad Iudæos Dei cultores perueniret, quorum Sadducæi dicebant non esse Angelum, neque spiritum. Hoc præuidens Dominus dignatus est in lege ipsa irradiationem suam effundere, qua tot de tenebris fideles emergere possint. Sadducæi ergo hùc immò appellebant suo falso dogmate, Matthæi citato 22. dicentes. *Magister: Moyses dixit; Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, vt suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres; & primus vxore ducta defunctus est; & non habens semen reliquit vxorem suam fratri suo: similiter secundus, & tertius vsque ad septimum. Nouissimè autem omnium; & mulier defuncta est. In resurrectione ergo cuius erit de septem vxor? omnes enim habuerunt eam. Respondens autem Iesus ait illis: erratis nescientes scripturas* &c. Qua in re, dùm illos arguit quòd nesciant scripturas, & errent, visum est mihi, de hac primò quam præ manibus habemus, quamque ipsi adduxerant, loqui Dominum: *omnis qui fallitur*, aiebat August. In lib. 83. quæst. (& fertur opusc. 15. c. 19. ad finem) *id in quo fallitur non intelligit*: quamuis clariorem ferat dicendo, *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quòd dictum est à Deo dicente vobis; Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed viuentium*. Postquam ergo impegerunt Sadducæi, immortalitatem inficiati, hanc in scripturam, videamus quomodo immo, mirè ad immortalitatem animæ astruendam, atque ad resurrectionem firmandam producta est.

ᵛ Opusc. 15. c. 1.

Sanè, vt vidimus, aduersùs immitigabile malum mortis, ne omninò se reputaret extinctum, qui sine prole obibat, lex data est: vnde & suscitandi verbo vsus est Moyses. Quare sine dubio, deprehenditur, quale esset morientis mariti desiderium, nempe perennare pro posse, etiam in veluti suo nomini adoptato filio. Hinc incorruptibilem animam nostram ostendens Angelicus Doctor, potest, inquit, ˣ huius rei accipi signum ex hoc, quòd vnumquodque naturaliter suo modo esse desiderat: desiderium autem in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem: sensus autem non cognoscit esse nisi sub *hic & nunc*: sed intellectus apprehendit esse absolutè, & secundùm omne tempus: vnde omne habens intellectum, naturaliter desiderat esse semper. Ecce in præsenti, quomodo id, edocente Domino, liquet: etsi enim qui moritur sine filio *hic & nunc*, hoc in mundo desinat esse; illud appetere dignoscitur secundùm omne tempus in filio, sibi ascribendo, & sic successiuè in posthuma sobole, ne nomen suum deleatur. Claudit Sanctus Doctor; naturale autem desiderium non potest esse inane; siue, desiderium naturæ non est frustrà: ergo omnis intellectualis substantia est incorruptibilis: Vel è contrà, aio ergo in Sadducæorum gregem, si moritur anima, frustrà de suscitando semine, & de superuiuendo in filijs, sunt homines cum Sacræ Scripturæ ductu soliciti.

ˣ p. p. 75. a. 2. Cor. 5. l. 1.

VERSVS VII. *Sin autem noluerit accipere vxorem*.

Si frater germanus, cui certè conseruationis domus ardentiùs esse debet desiderium, noluerit eam in vxorem accipere, præscribitur illi infligenda coram senioribus legalis pœna. *Tollet (mulier) calceamentum de pede eius, spuetque in faciem illius, & dicet. Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati*. Sed quæ isthæc pœna? *si pro mensura delicti, erit & plagarum modus*: vndenam, excogitatus est modus iste puniendi eum, qui respuit sui fratris vxorem? Certè nõ casu, non perperam conspuitur *in faciem* illius, tollitur *calceamentum*, & ipse vocatur *domus discalceati*. Quare talis ei affricatur nuncupatio, vt dicatur *domus discalceati*? Pro admirabili loci huius intelligentia, tanquã exploratũ habendum est, vindicem pœnam quodammodo prodere culpam, vt in eo, in quo quis subit vindictam, emicet in qua deliquerit causa. Oportet autem considerare, eum qui obstinato animo nolit vxorem fratris accipere, præsumi reum, vltra inobedientiam siue contemptum diuinæ legis, infidelitatis, tanquam non curet typum resurrectionis, atque etiam immortalitatis animæ, rectà fide seruare & custodire. Vnde expediens fuit pœnæ illi subijci, per quam delicti exprobratio in eum perennaret. Quod autem dicitur de calceamento, de cosputatione, & de domo discalceati; apprimè, quæ faciunt ad immortalem animum, concernit. 9

Sanctus Paulus in secundæ Cor. c. 5. *Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam. Si terrestris domus nostra*, idest corpus; mens namq; ita se habet ad corpus: sicut enim destructa domo, non destruitur homo eam inhabitans, sed manet; sic destructo corpore, non destruitur mens, seu anima rationalis, sed manet. Corpus ergo terrestre dicitur domus habitationis, idest in qua habitamus: Iob. 4. *qui habitant domos luteas*. Post hæc, pergit Apostolus: *nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes; si tamen vestiti, & non nudi inueniamur*. Transit itaque ad aliam metaphoram indumenti, quam habet corpus respectu animæ: & vtramque inducit opportunè; quia cœlestis gloria non est aliquid ab homine separatum, sed aliquid homini inhærens: & iterum, est aliquid continens, & excedens; eo quòd in ipsa gloria sancti habitant sicut in suo consolatorio; Matth. 25. *intra in gaudium Domini tui*. Quantùm ad primam considera-

A 2. Cor. 5.1.1. B ps. 44. C Apoc. 19. D p.p.75. 1. & a. 5.

fiderationem dicitur indumentum; quoad secundum dicitur domus. Hæc ex D. Thoma. [A] Sic & de incarnationis mysterio, similia perhibentur. Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Et Isaiæ 63. *quare rubrum est vestimentum tuum*: Quod ad corpus refertur [B]. Sicuti etiam commemoratur in Apocalypsin Comm. 2. [C] *vestitus erat veste aspersa sanguine*, idest carne, qua quasi operuit Diuinitatem; & Philip. 2. *habitu inuentus vt homo*. Ex his similitudinibus apparet, animam non esse corpus, quod ostenditur in prima parte; [D] neque constare ex materia & forma: sed esse à corpore distinctum quid, (loquor de nostra rationali) quia indumentum distinguitur certè ab induente. Et similiter habitare distinctionem inhabitantis, & in quo habitat, importat.

10 Ad tem autem, qui nolebat accipere vxorem fratris sui, nolebat fideliter pia mente ædificare domum, puto, fratris sui, in Cœlo, de qua suprà; Apostolus; *domum non manufactam habemus in cælis*, non credens animæ immortalitatem, subindè nec resurrectionem. Iste igitur faciebat suam & aliorum animam potius domũ luteam, quàm creatutam à luto diuersam habitanrem in corpore; meritò idcircò domus appellabatur: *vocabitur nomen illius in Israel domus*. Qui credit immortalitatem discernitur à domo lutea corporis, & inhabitans dicitur domum, non autem appellatur *domus*. Et prætereà dicendus erat *domus discalceati*: qui moriens (suo in falso dogmate) exuebatur quidem, exteriori corporis indumento; sed ipsi hoc indumentum, erat ignobilis rei indumentum, pedis videlicet (Sicut ex D. Ambr. *oculi stulti in calcaneo*) vnde discalceatur in vilis & ignominiosæ sententiæ suæ signum. Præterquàm cum terrena sapiat, & terrenæ materiæ cognatam animam iudicet, in pede illam habet moraliter, non verò in corpore, ideo discalceatur suo sensu moriens, non expoliatur. Quocirca Apostolus loc. cit. *nolumus*, inquit, *expoliari*, non dicit, *discalceari*. Innotescit etiam in hoc Sadducæi lapsus in pede; vtpotè, quia cum pedes sint instrumenta ad motum, in quo errauerit deprehenditur, faciendo scilicet animam subiectam motui & tempori, quod

E p.p. 75. 2.

corruptibilium est. Anima inquit Angelicus [E] manifestatur duplici opere, scilicet cognitionis & motus. Addo ipse; Sadducæus cognitionem negligit, motumque solummodo animaduertit: puniatur in pede, *tollet calceamentum de pede eius*. spuetque in faciem illius: postquam decorem, decusque faciei, *in quam inspirauit Dominus spiraculum vitæ*, Genes. 2. & in qua cognitionis sunt organa, sibi ipsi iniurius despexit. Hinc licuit, humana etiam ratione, erroris huius radicem euellere: & ideò fortè per mulierem hæc fiunt.

F 1.2.10. & 3.p.55. 5.1.

Per mulierem [F] ratio humana significatur: ad illa verba Ioan. 4. *& mulieri dicebant, iam non propter loquelam tuam credimus*: nàm debet homo credere ea quæ sunt fidei, non ptopter rationem humanam, sed propter authoritatem diuinam. Tu expende proportionem; quia vt dicitur Sap. 5. *homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum*. Eccles. 18. *cum consummauerit homo, tunc incipiet*.

11 VERSVS XI. *Si habuerint inter se iurgium viri duo.*

Debuit post pœnale falsi dogmatis improperium, quod erat immortalitatis animi nonnulla probatio, astrui consequenter & resurrectio, eademque vtroque in sexu; quamuis *non nubent, neque nubentur*, vt ait Dominus, Matthæi 22. eoquòd quidam dixerunt, non omnes resurrecturos, sed solùm viros: [G] contrà Augustinum, qui dicit, quòd sexus resurget; sexus autem non saluatur in homine solùm. Et Dominus hanc opinionem reijcit, dum ait, *non nubent neque nubentur*: qua datur intelligi, quòd vterque sexus erit: sed *non nubent*. De quo in 4. Sentent. dist. 44. quæst. 1. a. 3. 3. & 4. contra Gentes c. 88. Quocircà alio in loco: [H] quia corpus erit incorruptibile, & immortale, non erit vsus ciborum & venereorum. Eleuatur ergo mens Moysi ad mitè vtrumque enucleandum: quomodo scilicet erit resurrectio, & in sexu. Et quis ausit inficias ire, futuram resurrectionem in vero corpore, quando corporis integralem partem, cuiusmodi est manus, vult Deus, non humano iudicio, sed diuino puniri? Dixi iudicio diuino: *abscides* inquit *manum illius*, (mulieris quæ apprehendisset verenda viri) quia sibi soli seruat de pœna quicquam minuere, vel eam donare: *Nec flecteris super eam vlla misericordia*. Ex quo liquet, in extremo iudicio, quod Dei erit, vindictam sumendam esse de corpore, in quo quis deliquit, & de parte integrali etiam, qualis est manus; vt ab vna discamus omnes; neque enim impunè agendum est cum corpore, quando & ipsum corpus deliquit; peccatum enim actuale (quod ait D. Thomas) [I] quod est peccatum personæ, trahitur ad singula membra per aliquem actum personalem: quamuis actus peccati exercitus per aliquod membrum, puta per manum vel pedem, non habeat rationem culpæ, ex voluntate manus vel pedis, sed ex voluntate totius hominis, à qua &c. Et hæc est suprema ratio, quam profert S. Doctor, ad comprobandam corporum resurrectionem; quia [L] scilicet in hac vita, homines ex anima & corpore compositi peccant, vel rectè agunt: debetur igitur hominibus & secundùm animam, & secundùm corpus præmium vel pœna: manifestum est autem quòd in hac vita præmium vltimæ felicitatis consequi non possunt; ex ijs quæ in 3. sunt ostensa: multoties etiam peccata in hac vita non puniuntur, quinimmò vt dicitur Iob. 21. *impij viuunt, confortati sunt, sublimatique diuitijs*; necessarium igitur est ponere iteratam animæ ad corpus coniunctionem, vt homo in corpore & anima præmiari & puniri possit. Ad hoc tù recole, allegari illud Ieremiæ 17. *duplici contritione contere eos*, & Apocalypsis 18. *duplicate duplicia*, quod ad corporis & animæ pœnas, quas patientur damnati, [M] pluries refertur. Et hac de causa videtur in medium ferri delictum, in quo est peculiaris manus operantis deformitas, vt euincatur, non fore immune à pœna corpus humanum, quod fuit concors culpæ.

G Matth. 22. H op. 6. § carnis resur. I Rom. 5. l. 3. L 4 Cont. G. c. 79. M Isaiæ 40. & Apo 18. Com. 2.

Sed quoniam extraordinarius se se offert 12
casus, in quo audax & inuerecunda mulier, rixantem virum tueatur suum, alterius apprehendendo verenda; cogimur sine dubio credere, idcirco, etsi rarò sit occursurus, de illo agi, vt sublatentem aliquam scrutari liceat causam, ob quam inducitur. Videor autem mihi illa fortasse

assecutus, perpendendo facti huius circunstantias. Habent ad inuicem iurgium viri duo: & ad rixam se ingerit mulier. Certè ipsa, non ex intentione virum aggressa est, sed solummodo in viri sui adiutorium, *per accidens* fas est dicere, & *occasionaliter*. Huiusmodi fuit eius actio, quæ diuino permissu ad virilem sexum detorta est, vt in facto & masculus & fœmina introducatur. Ergo quod fit ex occasione, diuinam prouidentiam iustitiamque non fugit; immò à causa vniuersali, cuiusmodi est Deus, accuratè est animaduersum: nulla propterea facta mentione, de viris, aut de alterutro illorum fortè puniendo, vt in hanc traheremur considerationem. Quòd si ab actionibus ad agentes gradiamur; & quis non videt nos hinc doceri, non negligi à Domino vniuersorũ, creaturam pariter occasionatã? Quid rogo est mulier? Quid fœmina? *mas*, inquit Aristoteles 16. de animalibus, *occasionatus*. Quod etiam tradit in secundo de generatione animalium c. 3. Rem
N 2.20.2.1. hanc tractat Angelicus pluries. In 2. Sentent. [N] inquit: illud occasionatum dicitur, quod non est per se intentum, sed ex aliqua corruptione
O 4.44.1.3.1. vel defectu proueniens. In 4. [O] sexus muliebris est occasionaliter, & præter intentionem naturæ inductus, ex defectu virtutis formatiuæ in semine, quæ non potest perducere materiam concepti ad perfectionem virilem. Exactiùs in prima parte; [P] quòd fœmina generetur, hoc est pro-
P p. 92. a. 1. pter virtutis actiuæ debilitatem: & per respectum ad naturam particularem, fœmina est aliquid deficiens, & occasionatum, quia virtus actiua quæ est in semine maris, intendit producere sibi simile perfectum, secundùm masculinum sexum: sed per comparationem ad naturam vniuersalem, fœmina non est aliquid occasionatum, sed est de intentione naturæ, ad opus generationis ordinata. Subtiliter ergò commendat nobis Moyses ad prouidentiam Dei in resurrectione pertinere muliebrem sexum, emergentem quasi per accidens, quando muliebris actio per accidens quoque & occasionaliter patrata, non declinat iudicium Dei. Præterquàm cùm radicalis ratio, quare sit per se à natura vniuersali intenta mulier ex generatione liqueat, vt perpetuitas speciei saluetur, quod locis constat allatis; vnde est facta in *adiutorium* viri: fortè vt hoc intelligeremus, consurgit in præsenti casu, quamuis æquiuocè, in mariti adiutorium. Et quoniam in generationis detrimentum potest esse intentata per mulierem læsio sexus alterius, id cauet Dominus certa lege: vt ex speciali cura eorum, quæ ad opus generationis per se ordinauit, innotescat, vtrumque reparandum sexum in resurrectione. Secus non ita honestabitur, cur ad huiusmodi factum Scriptura Sacra deflexerit: & irreuocabiliter sententiam protulerit, *Da mihi*, aiebat Angelicus, *interpretandi subtilitatem*. Vide in 4. citato, an omnes resurrecturi sint in sexu virili, & alibi. [Q]

Q 4. cont. G. c. 88.

13 VERSVS XIII. *Non habebis in sacculo diuersa pondera* &c.

Quorsùm hæc adnectantur accipe. Secundùm opinionem Iudæorum, [R] lex vetus cohibebat manum non animum: nam circa prohibitionem adulterij & homicidij, [S] æstimabant solùm exteriorem actum prohiberi, non autem interiorem appetitum: quod magis credebant

R p. 2. 107. a. 2. & p. Machab. 6.
S p. 2. 108. 3. 1.

circa homicidium & adulterium, quàm circa furtum, vel falsum testimonium. Appetitum vindictæ [T] credebant esse licitum, propter præceptum datum de pœna talionis; quod quidem fuit datum, vt iustitia seruaretur, non vt homo vindictam quæreret. Motum cupiditatis æstimabant esse licitum, propter præcepta iudicialia, in quibus mandabatur restitutio rei ablatæ, etiam cùm aliqua additione: & hoc quidem lex mandauit propter iustitiam obseruandam, non vt daret cupiditati locum. Motum verò odij credebant esse licitum propter præcepta legis data de hostium interfectione: quod quidem lex statuit propter iustitiam implendam, non propter odia exaturanda. Remouit Dominus falsum ipsorum intellectum, vt constat in Euangelio, expenditque ibi D. Thomas. Quamquam non deessent in lege loca in quibus de interiori actu commonerentur, vt Exodi 20. *Non concupisces*; & Leuitici 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*. Ad rem autem nostram, de interiori iustitia, seu potiùs de occultè non facienda iniustitia præcepit Dominus: *non habebis in sacculo diuersa pondera*: quod est in sacculo, absconditum est. Prouerb. 20. *pondus & pondus; mensura & mensura; vtrumque abominabile est apud Deum*. Non fit mentio de sacculo, quemadmodum hic, quando rudi populo, ex dictis de corporis etiam exteriori pœnali retributione, potuisset esse persuasum, occulta animi iniudicata esse. Absit. *Non habebis*, inquit, *in sacculo diuersa pondera*: peccatum etiam mentale & occultum sub iudicio Dei erit: vnde vt ad iudicij tempus mens rapiatur, de non delinquendo in iustitia mandatur; eoquòd iustitia reuocat in memoriam iudicium; ps. 74 *ego iustitias iudicabo*. 1. Cor. 4. *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, idest [V] omnia cordis occulta. Sic ad idem refertur, quod subdit. *nec erit in domo tua modius maior & minor*. Quæ in domo sunt, occulta sunt. Aliàs mensuræ vsus exterior sacculum domumue haud desiderat. Sic latentior contingit fraus, quàm si defectus rei sit in specie aut qualitate: mittuntur idcirco fraudes aliæ, de quibus suprà.

T loc. cit. id a.
V p. Cor. 4. l. 1.

VERSVS XVII. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto.* 14

Mirum! postquam dixit *memento* &c. in fine adiecit iterum; *caue ne obliuiscaris*: quæ appendix in præcepto Decalogi non ponitur: quãuis habeatur, *memento vt diem sabbati sanctifices*. Ergone ita fuit inexpiabilis culpa Amalec? Amalec ex D. Thoma ponitur in præsenti pro diabolo. Ita in Sermone, [X] quem tanquam milites fortes, (Ephes. 6. *vt possitis stare aduersùs insidias diaboli*) debemus conatu omni superare: *delebis nomen eius sub cælo*: ibidem, *in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Et sanè quæ de Amalec dicuntur, diabolo quadrant; quippe, qui resistit in via: *in præsenti enim vita*, ait Gregorius, *quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus; maligni autem spiritus iter nostrum quasi latrunculi obsident*. Et pro summa inuidentiæ rabie; neque enim alia excogitari potest violenti aggressus & irruptionis causa, qua nos infestat, dum de Ægypto peccatorum egredimur. Vellent, inquit S. Doctor [A] cum sint inuidi, damnari eos qui saluantur. *Extremos* autem Christiani agmi-

X Serm. in Sexagesima.
A d. p. 64. 3.

nis

nis cæſurus eſt Diabolus; quia vſque ad finem mundi perſequens; tunc enim, vt ait D. Gregorius, & fertur in 2. Comm. Apocalyp. 20. [a] *antiquus hoſtis ſuis membris traditus, pauco quidem tempore, ſed multa contra nos laxabitur virtute*: *Et poſt hoc*, inquit Ioannes, *oportet illum ſolui modico tempore*. Tunc *labore*, aio ego *& fame* erit populus Chriſtianus *confectus*: poſt Antichriſti crudelem perſecutionem, & raram verbi Dei auditionem. *Et non timuerit Deum*. Hoc etiam Diaboli proprium: qui Iob. 41. *factus eſt, vt nullum timeret*. Neque Deum; timore ſcilicet cohibente à peccato, vt exponit Angelicus: [c] namque 2. Iacobi ſcriptum eſt, quòd *Dæmones credunt & contremiſcunt*. Et ecce cauſam, quare non illi parcitur; ſemper quippe peccat, nec timorem habet, quo cohibeatur à malo. *Si impius egerit*, Ezechielis 18. *pœnitentiam* &c. *omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt non recordabor*: ergo ſi locum non habet obliuio: *caue ne obliuiſcaris*: ſignum eſt Amalec eſſe impœnitentem, Diabolum eſſe inflexibilem: ſecus obliuiſceretur iniquitates eius Deus & homo. Ad inſinuandum ergo, quis Amalec iſte ſit tangitur de perpetua recordatione, quam ſola delet pœnitudo: *ſi pœnitentiam egerit, non recordabor*. Introducitur autem de Diabolo poſtquam de iudicio dictum eſt, ea ratione qua & Matthæi 25. poſt damnatorum ſententiam; *diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, adiectum etiam, *qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius*: de quibus pariter Sanctus Iudas *Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*.

a Apoc. 20.

c p.p.64. i.2.

C A P V T X X V I.

1 CVmque intraueris Terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus eſt poſſiden
dam, & obtinueris eam, atque habitaueris in ea: 2 tolles de cunctis frugibu
tuis primitias, & pones in cartallo, pergeſque ad locum, quem Dominus Deu
tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius; 3 accedeſque ad ſacerdotem, qui fuerit in
diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſu
ſum in Terram, pro qua iurauit patribus noſtris, vt daret eam nobis. 4 Suſcipienſque
ſacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui: 5 & loqueris in cor
ſpectu Domini Dei tui: Syrus perſequebatur patrem meum, qui deſcendit in Aegyptum
& ibi peregrinatus eſt in pauciſſimo numero: creuitque in gentem magnam ac robuſtam
& infinitæ multitudinis. 6 Afflixeruntque nos Aegyptij, & perſecuti ſunt imponente
onera grauiſſima: 7 & clamauimus ad Dominum Deum patrum noſtrorum: qui exaud
uit nos, & reſpexit humilitatem noſtram, & laborem, atque anguſtiam: 8 & eduxit nc
de Aegypto in manu forti, & brachio extento: in ingenti pauore, in ſignis atque porten
tis: 9 & introduxit ad locum iſtum, & tradidit nobis Terram lacte, & melle manantem
10 Et idcirco nunc offero primitias frugum Terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimit
tes eas in conſpectu Domini Dei tui, & adorato Domino Deo tuo. 11 Et epulaberis in
omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, & domui tuæ, tu & Leuites, & adue
na qui tecum eſt, 12 Quando compleueris decimam cunctarum frugum tuarum, anno de
cimarum tertio, dabis Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, & viduæ, vt comedant intra porta
tuas, & ſaturentur: 13 loquerisque in conſpectu Domini Dei tui: Abſtuli quod ſanctificatun
eſt de domo mea: & dedi illud Leuitæ, & aduenæ, & pupillo ac viduæ, ſicut iuſſiſti mihi
non præteriui mandata tua, nec ſum oblitus imperij tui. 14 Non comedi ex eis in luctu
meo, nec ſeparaui ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri
Obediui voci Domini Dei mei, & feci omnia ſicut præcepiſti mihi. 15 Reſpice de ſanctua
rio tuo, & de excelſo cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Iſrael, & Terræ, quam
dediſti nobis, ſicut iuraſti patribus noſtris, terræ lacte, & melle mananti. 16 Hodie Domi
nus Deus tuus præcepit tibi vt facias mandata hæc, atque iudicia: & cuſtodias, & impleas
ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. 17 Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus, &
ambules in vijs eius, & cuſtodias ceremonias illius, & mandata atque iudicia, & obedias
eius imperio. 18 & Dominus elegit te hodie vt ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt
tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius: 19 & faciat te excelſiorem cunctis gentibus, quas
creauit, in laudem, & nomen & gloriam ſuam: vt ſis populus ſanctus Domini Dei tui, ſicut
locutus eſt.

1 VERSVS I. *Cumque intraueris terram*, &c.

Præmiſſo de iudicio ac damnatione; par erat, vt quadam ſub vmbra, de cœleſtis regni adeptione, ſermo haberetur. Videtur autem in primis illud intendi, vt deprehendatur, quæ, qualiſque futura ſit poſt illam beatam ſortem, lætitiæ & gratiarum eruptio: dum interim quaſi capri fuerint damnati angore, ſilentio arguitur; ſicuti Matthæi 22. *ille obmutuit*. Galat. 4. *erumpe, & clama, quæ non parturis*. Iſaiæ 60. *Tunc dilatabitur & mirabitur cor*

A Gal. 5. 22. *tuum*; [A] scilicet lætitiam mentis extrà ostendês;
erumpe, idest lætitiam, quam interiùs habes,
manifesta exteriùs; *& clama*, voce laudis; Isaiæ
57. *clama ne cesses*. Posteà mirè tanguntur quæ
ad statum illum summæ felicitatis vndequaque
habitudinem habent, ex quibus tanquam maximè desiderandus extollitur.

Itaque, *cum intraueris terram*. De qua terra loquatur figuraliter, liquet ex subiectis non semel sed iterum, scilicet de terra lacte & melle manante. versu 9. & 15. *cum intraueritis*; *intra in gaudium Domini tui*, Matthæi 25. *Et obtinueris eam*: Matthæi item 25. *possidete regnum*. *Atque habitaueris in ea*: 2. Corinth. 5. *ædificationem ex Deo habemus, Domum non manufactam æternam in cœlis*.

VERSVS II. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias*.

B 22. 86. 4 in c. & ad 2. Primitiæ ex D. Thomæ doctrina [B] offerebantur ex speciali causa, scilicet in recognitionem diuini beneficij; quasi aliquis profiteatur se
2 à Deo fructus terræ percipere, & ideò se teneri ad
aliquid de huiusmodi Deo exhibendum: secundum illud 1. Paralipomenon vltimo; *quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Et quia Deo debemus exhibere id quod præcipuum est, ideò primitias quasi præcipuum aliquid de fructibus terræ, præceptum fuit Deo offerre. Et certè versu 10. ad frugum collectionem respicitur dicendo; *nunc offero primitias frugum terræ quas Dominus dedit mihi*: *quas* legit S. Doctor, non verò *quam*, vt in exemplaria irrepsit. Sed si velimus transferre singulariter, *quam Dominus dedit mihi*, referetur ad beneficium terræ promissionis: quemadmodum exprimitur versu 3. *profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram*, &c. Quocircà, vt astruatur nobis obligatio pariter primitiarum, subdit D. Thomas: sicut Iudæis speciali quodam beneficio terram promissionis contulit Deus, ita generali beneficio toti humano generi contulit terræ dominium. At ait ipse, supremum beneficiorum omnium est illius terræ possessio, de qua psaltes, in 26. *credo videre bona Domini in terra viuentium*, & Ieremiæ 2. *in terram Carmeli*. Quid ibi offeratur Deo, quę sint nobiliores primitiæ, habemus in Isaia c. 51, *gaudium & lætitia inuenietur in ea; gratiarum actio, & vox laudis*; Et cohæret dictis ab Apostolo Hebræor. 13. *per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, idest, fructum labiorum confitentium nomini eius*: Osee 14. *reddemus vitulos labiorum nostrorum*: istud [C] sacrificium laudis vocat *fructum*
C Hebr. 13. 15. *labiorum*, idest confessionem vocis; melius enim laudatur Deus ore, quàm occisione animalium. Nisi dicas cum Ieremia, offerri nos ipsos ibi Deo. *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius*. Deuteronomij 7. & 32. *pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*, Osee 9. *quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi Patres eorum*; Ipse etiam Christus Dominus est lignum vitæ Apoc. 22. *afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum*.

Quocircà fusiùs quàm in secundo, in primo
3 D Apoc. 22. Commi. [D] hæc habet; fructus quos affert lignum
vitæ ex altera parte vltra flumen, sunt duodecim fercula, quæ Iesus transiens ministrabit suis, in refectione vitæ æternæ; de quibus Lucæ 22. *ego dispono vobis*, idest diuersa pono, &c. Primus est sanitas sine ægritudine. ps. 146. *qui sanat contritos corde*, Isaiæ 25. *præcipitabit mortem in sempiternum*. Secundus est satietas sine defectu; ps. 16. *satiabor cum apparuerit gloria tua*. Tertius scientia sine dubitatione, 1. Cor. 13. *tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*. Quartus gaudium sine tristitia. Io. 16. *tristitia vestra vertetur in gaudium*. Quintus, est pax sine turbatione Isaiæ 22. *sedebit populus in pulchritudine pacis*. Sextus est securitas sine timore. ps. 90. *non timebis à timore nocturno*. Septimus, est impletio omnium desideriorum; ps. 102. *qui replet in bonis desiderium tuum*. Octauus de iustitiæ diuinæ impletione; ps. 57. *lætabitur iustus cum viderit vindictam*. Nonus est laus sine intermissione, ps. 83. *in sæcula sæculorum laudabunt te*. Decimus est quies sine labore; ps. 149. *lætabuntur in cubilibus suis*. Vndecimus, est lux sine tenebris. Apoc. 21. *Et ciuitas non eget sole*. Duodecimus est visio Dei sine medio, Isaiæ 33. *Regem in decore suo videbunt*. Siue ergo nos ipsos, siue præfatos terræ illius beatæ fructus offeramus Deo, recognoscendo statum illum æternæ felicitatis, tanquam summum Dei beneficium, primitias reddimus illi. Fructus qui est [E] adeptus habet rationem vltimi finis. Quocircà fusiùs in prima 2. q. 70. a. 1. E Gal. 5. 22. & p. 2. 70. 1. 1. Alio modo fructus hominis dicitur, quod homo adipiscitur; non autem omne id, quod adipiscitur homo, habet rationē fructus, sed id quod est vltimum delectationem habens; & secundùm hoc, fructus hominis dicitur vltimus hominis finis, quo debet frui. Alibi, [F] F Io. 4. 36. vna est collectio messis spiritualis respectu fructuum æternorum, scilicet congregatio fidelium in vitam æternam. Sapient. 3. *bonorum laborum gloriosus est fructus*. Gal. 6. *bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus*. Primitiæ vltra maturitatem & dignitatem, [G] sunt primæ tempore. G Rom. 8. 1. 5. 1. Cor. 15. 20. Tu audi Ecclesiasten c. 3. *Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit*. Ieremiæ 31. *omnis qui comederit vuam acerbam*: D. Gregorius; *Vua acerba est fructus ante tempus*; [H] H opusc. 58. 22. *quisquis enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat*.

VERSVS IV. *Suscipiensque sacerdos cartallum*.

Fruges, vt dictum est versu 2. ponendæ erant 4
in cartallo siue canistro. Canistrum ex materia lignea contexitur: quare non dicamus tangi pro rei opportunitate lignum Sanctum Crucis? Altare, inquit S. Doctor, [I] holocaustorum, in quo I 3. p. 46. 4. 1. sacrificia animalium offerebantur, erat factum de lignis, vt habetur Exodi 26. Sanctus Augustinus (ibidem) *humanum genus Arca lignea liberauit. De Ægypto Dei populo recedente, Moyses mare virga diuisit, & Pharaonem prostrauit, & populum Dei redemit. Idem Moyses lignum in aquam misit, & amaram aquam in dulcedinem commutauit. Ex lignea virga, de spirituali petra, salutaris vnda profertur. Et vt Amalec vinceretur, circà virgam Moyses expansis manibus extenditur. Et lex Dei Arca Testamenti creditur lignea, vt his omnibus ad lignum Crucis quasi per quosdam gradus veniatur*. Et quia in virtute passionis Christi: quæ in cruce consummata est, (Coloss. 1. *pacificans per sanguinem Crucis eius*) *habemus*, vt ait Apostolus Hebr. 10. *fiduciam in introitu Sanctorum*, scilicet cœlestium, vt in tertia parte, [M] ideo lignea materies in Ca- M 3. p. 4...

nistro,

nistro, seu cartallo, videtur tàm studiosè commemorari.

Præmissum est autem; *accedes ad sacerdotem qui fuerit in diebus illis*. Et quam ob causam appendix illa, *qui fuerit in diebus illis*? nonne satis erat dixisse, *accedes ad Sacerdotem*? crediderim insinuari Christum, qui est *sacerdos in æternum*: de quo Michæas c. 5. *egressus eius ab initio, à diebus æternitatis*. Hebræor. 13. *per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo*, idest *fructum labiorum confitentium nomini eius*.

5 VERSVS V. *Syrus persequebatur Patrem meum*.

Quis est iste Syrus? consentiunt esse Laban socerum Iacob; nam Mesopotamia, in qua Laban habitabat, est pars Syriæ. Patet autem quomodo malè se gesserit erga Iacob Genesis 31. Verùm non scrutantur Interpretes, cur nõ aperta significatione dicatur *Laban*, quod expressit Chaldæa: & similiter cur subticeatur nomen *Iacob*, qui aliàs Patris nomine raròd donatur: quamuis non eo inficias inter primos enumerari Patres: vnde & Samaritana Io. 4. dixit, *nunquid tu maior es Patre nostro Iacob*? Magno ergo mysterio hoc ænigmate & *Syrus* dicitur Laban, & Iacob *Pater*. Et augetur admiratio, quia non fuit persecutio Laban, causa vel occasio, quare ad litteram descenderit in Ægyptum: de quo Genesis 46. & 47. Do quidem manum, de ipso secundùm corticem in præsenti esse sermonem: ceterũ historialiter, non apparet connexio persecutionis Syri aduersùm Iacob: & peregrinationis huius in Ægypto, &c. Quapropter cum aliàs, verba quæ hic exprimuntur magni momenti (sint, vtpote quia ad cultum Dei pertinent, analogia quadam ad Sacramentorum nostrorum verba, vt expendit Angelicus) [N] non est existimandum perperam, sed accurata, mystica, & arcana significatione, proferri in conspectu Domini Dei. *Et loqueris in conspectu Domini Dei tui: Syrus persequebatur Patrem meum*. Et priùs; *profiteor*, &c.

N 5. p. 60. 6. 1.

Ratus sum autem, si ad præcedentia spectetur, adnecti hæc ad contestationem maiorem præstiti generi humano beneficij, & ad agnoscendum qualiter, vt ait Apostolus *eripuit nos Deus Pater* (Colossens. 1.) *de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ*. Iam & ibi præmittitur, quod est hic, de regni adeptione, *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*. Et ita vndequaque Ægyptus tenebrosa insinnatur, de qua & in littera, & innumeris alijs in locis Sacræ Scripturæ. Quæ quando leguntur tam crebrò, signanter sunt accipienda, vt sonent liberationem à seruitute peccati, & ereptionem de tyrannide mystici Pharaonis. Hac de causa, non est fixa Pharaonis mentio, cum de seruitute Ægyptiaca commemoratur: vnde Isaiæ 52. *in Ægyptum descendit populus meus in principio vt colonus esset ibi: & Assur absque vlla causa calumniatus est eum*. Pro quo supponere possit Assur, non conueniunt Authores. Quod si pro Rege stet Assyriorum, historialiter ad Ægyptum non spectat. Haymo præ alijs exponens Isaiam, *In Ægyptum*, inquit, *huius mundi, vbi tenebræ, mœror, atque afflictia; quod totum interpretatur Ægyptus: descendit populus meus, propria voluntate amator potiùs voluptatum, quàm Dei: in principio, idest exemplum descendendi habens primos parentes, à quibus peccati duxit originem: vt colonus esset ibi*, vnde psalmista; *heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: & Assur; idest Diabolus*. &c.

Iuxta hanc tropologiam quam tangit glossa, præsentis textus assequemur intelligentiam: nàm *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Persecutus est inquit Patrem meum: & quem? primum nostrum Parentem, qui antonomasticè Pater est omnium. Hinc Sapientiæ 10. *Hæc, illum, qui primus formatus est à Deo, Pater Orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit*. Adam ergo Patrem meum persecutus est Syrus. *Laban* apud Lauretum in Sylua potest esse in typum Diaboli. Sicuti Verbo *Iacob*; Iacob seruiens Laban designare potest populum Iudaicum seruiens Diabolo. Diabolus ergo persecutus est Patrem meum. Et *Syri* nomen consentit; quia apud eundem, *Syrus* interpretatur *sublimis*, & superbiam sonat: *in cœlum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti: ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo*; Isaiæ 14. vnde cum sit Diabolus ille de quo Iob 41. *omne sublime videt: ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ*; clare liquet, tangi de primi parentis lapsu, quem crudeliter persecutus est Diabolus, vt in superbiam erigeret: Ecclesiastici 10. *initium omnis peccati superbia*; de quo ex professo D. Thomas, in secunda Secundæ. [o]

VERSVS V. *Et ibi peregrinatus est in paucissimo numera*.

Peregrinamur a Domino ait Apostolus 2. Cor. 5. & Hebræorum 11. *confitentes, quia peregrini & hospites super terram*. *Sic in Ægyptum descendit*, vt ait Isaias *in principio*: quod fortè prompsit, vt innueret mysticam Ægyptum, in quam descendit in principio Adam, sua cum misera sobole. Et quidem *in pauco numero* quia nondum repleuerant terram: Genesis 1. *crescite & multiplicamini: Creuit autem in gentem magnam & robustam, & infinitæ multitudinis*, quia Genes. 6. *Cum cœpissent homines multiplicari: Gigantes erant super terram*.

VERSVS VI. *Afflixeruntque nos Ægyptij*.

Laboramus in præsenti sub multiplici onere. Primum est peccati grauitas; ps. 73. *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue* &c. Secundum; Dæmonum malignitas: *afflixerunt nos Ægyptij*, idest dæmones. [p]

VERSVS VII. *Et clamauerunt ad Dominum Deum* &c.

Dauid in ps. *exurge Domine in ira tua*: idest appare [q] in mundo, per incarnationem: & hoc *in ira tua*, idest vt punias dæmones; *Et exaltare in finibus inimicorum*; auferendo eorum possessionem: Lucæ 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superuenerit* &c. Vide de angustia spiritali eripiendum fuisse populum: ad quam exuperandam, in cassum vires naturæ gentis robustæ & innumeræ.

VERSVS VIII. *Eduxit nos de Ægypto in manu forti* &c.

Dauid in ps. 143. *emitte manum tuam de alto*; [a] idest Christum. In *brachio extento*: Christus secundùm humanam naturam est brachium, quo genus humanum est saluatum: Isaiæ 40. *in brachio suo congregabit agnos*: Lucæ 1. *fecit potentiam*

in

in brachio suo. psl. 43. *brachium eorum non saluauit eos; sed dextera tua, & brachium tuum*. Ita Prologo 3. ad Hannib. Ecclesia etiam canit: *veni ad saluandum nos in brachio extento*. *Qui expansis in Cruce manibus*, canit Ecclesia. *In ingenti pauore: expolians* Coloss. 2. *principatus & potestates*; [S] [S 3.p.52.5.] scilicet infernales, auferendo Abraham, Isaac & Iacob, & cæteros iustos, traduxit eos, idest longè ab hoc regno tenebtarum, ad Cœlum duxit. Recole illud Iacobi 2. *Dæmones credunt & contremiscunt*. Hinc D. Augustinus Serm. de passione; *Aspicientes eum impiæ ac tartareæ legiones, territæ ac trementes inquirere cœperunt* &c. Denique *in signis atque portentis*. Idem D. Augustinus l. 22. de Ciuit. Dei c. 5. & fertur à D. Thoma; [T] [T p. Cor. 15.l. 1.] *Ad ea quæ sunt fidei, aut sunt miracula facta, aut non: si sunt facta miracula, habeo propositum; quòd dignissima & certissima est: si non sunt facta, hoc est maximum miraculorum, quòd per quosdam paucos conuersi sunt ad fidem infinita multitudo hominum: per pauperes prædicantes paupertatem, diuites: per idiotas prædicantes ea, quæ rationem excedunt, conuersi sunt sapientes, & philosophi*. Et videtur mihi ad hanc insinuandam tropologiam, iterari de modo eductionis, quod prædictum iam fuerat c. 4. v. 34. & c. 7. v. 19. de *signis portentis*, &c.

VERSVS X. *Et idcircò nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus* &c.

Ly relatiuum *quam*: potiùs pluraliter est legendum, vt referatur ad fruges dicendo, *quas*: vt ex D. Thoma supra animaduerti. Noster Maluenda adstipulatur legens *fructum humi, quem*. [V p.2.70. 1.] Nomen fructus [V] à corporalibus ad spiritualia est translatum.

VERSV eodem; *Et dimittes eas in conspectu Domini*.

De conspectu Domini: de faciebus Domini: & de prosternendo se (quod transfert Maluenda) coram illo, monetur fidelis: quæ cuncta apertam Dei visionem figurant. Apocalyps. 4. *procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum: & mittebant coronas suas ante thronum*. Hic similiter *dimittes eas* &c. Per quod signatur, Deo [X] attribui, &c. Tandem sequitur. [X Apoc. 4. Comm. 2.]

8

VERSVS XI. *Et epulaberis in omnibus bonis*.

Sinè, *lætaberis* (vt legunt) *in omnibus bonis: spiritualibus*, ait interlinearis. Quod quidem beatitudinem sonat, quæ est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, Exodi 33. *Ego ostendam omne bonum tibi*. Quare de carnalibus, luculentiùs supra c. 12. Fruendum est ergo de bonis, *quæ Dominus Deus dederit tibi*, inquit, *& domui tuæ*. Domus nostra Corpus est: Apostolus 2. Corinth. 5. *Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur*. Tu inquit *epulaberis*, seu *lætaberis, & Leuites, & aduena qui tecum est*. Quis iste aduena, nisi de quo Isaias c. 14. *adiungetur aduena ad eos?* & c. 54. *Ecce accola veniet qui non erat tecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi?* Vbi animaduerto tres introduci, Iudæum & aduenam, sed medium Leuiten. *Leuites*, idest, *copulatus*, vel *assumptus*, ex D. Ambrosio in Sylua Laureti, dici potest Christus, secundùm quòd Verbum assumpsit humanam naturam, & in ea nos redemit. Iam si *Leuites* interpretatur *minister*, arridet & Apostolus, qui Roman. 15. dicit *Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*: Sed ipse vlteriùs *euangelizauit pacem* (Ephes. 2.) *his qui longe fuerant*: & si non in persona propria, [A] tamen per Apostolos suos: Et ideo sequitur, *per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem*. Sic *fecit vtraque vnum*. Sic intrauit *in gloriam suam*, Lucæ 24. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*, Io. 10. *per me si quis introierit*. Sic in Cruce expansis manibus moritur, secundum Chrysostomum, *vt altera manu veterē populum, altera eos qui ex Gentibus sunt trahat*. [A Ephes. 2.l.5.]

9

VERSVS XII. *Quando compleueris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio*.

Perfectionem operum nostrarum per trinam decimam frugum quis ambigat significari? Sic D. Thomas; [B] qui dat decimam, quæ est perfectionis signum, (eo quòd denarius est quodammodo numerus perfectus, quasi primus limes numerorum, vltra quem numeri non procedunt, sed reiterantur ab vno) nouem sibi partibus reseruatis, protestatur quasi in quodam signo, ad se pertinere imperfectionem; perfectionem verò quæ erat futura per Christum, esse expectandam à Deo. [B 22.87.1] Cùm *compleueris* ergo; ac si diceret, cùm perfectionis complementum attigeris (Nã triplices erant decimæ, vt recolit idem Sanctus Doctor ibi argumento 4. De quibus Numeri 18. & Deuteronomij 14.) *in tertio anno*? Tunc completa sunt opera, quia meriti noui tempus vltra non est, sed retributio pro meritis. In quodam Sermone fertur [C] illud Esther c. 1. *Tertio igitur anno imperij sui fecit* (Assuerus) *grande conuiuium*: [C Rom. 1 post. Pentecoste] Et exponitur de Conuiuio Cœlestis beatitudinis. Is. 25. *faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc Conuiuium pinguiũ* &c. In primo Apo. Comm. [D] idem recolens ait; Tertio anno imperij sui fecit grande Conuiuium Assuerus cunctis Principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Prouinciarum coram se, vt ostenderet diuitias gloriæ Regni sui. [D Apoc. 19.] Principes, dicit Angelos; pueros, Prophetas; fortissimos Persarum, Martyres; Medorum inclytos, Confessores; Præfectos Prouinciarum, Apostolos. Tertio anno hæc fiunt; [E] quia non primo nec secundo anno Rex iste, qui significat Christum, idest non ante legem, vel sub lege, sed tertio, idest tempore gratiæ facit conuiuium &c. [E op. 58. c. 29.]

VERSV eodem; *Dabis Leuitæ & aduenæ & pupillo & viduæ*. 10

Quomodo fiat hæc bonorum communicatio, & consummatorum meritorum fruitio, accipi potest ex eodem; [F] societas beatorum erit maximè delectabilis, quia quilibet habebit omnia bona cum omnibus beatis; nam quilibet diliget alium, sicut se ipsum; ideò gaudebit de bono alterius, sicut de suo: quo fit, vt tantùm augeatur lætitia & gaudium vnius, quantùm est gaudium omnium: ps. 86. *sicut lætantium omnium, habitatio est in te*. [F opusc. 15.] Et alibi; [G] quando cum multis gaudetur, in singulis vberius est gaudium; quia feruere faciunt, & inflammantur ex alterutro. [G p. 2. 38. 3.] Nam [H] ex glossa, in communi gaudio, maius fit gaudium singulorum. [H Hebr. 11. l. 8.] Et quis scit, ad hanc innuendam radicem communicationis, quæ est ex charitate, per quam Sancti copulantur & hic & in patria: præmittitur, *dabis Leuitæ*: deinde

sequi-

sequitur, *aduena, pupillo, & vidua*. *Leuites* enim vt dictum est, interpretatur *copulatus*. Sanè legimus Genesis 29. quomodo cùm tertiò concepisset Lia, eructauit ea verba; *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus; eoquòd, pepererim ei tres filios; & idcirco appellauit nomen eius Leui*. Vnde missis alijs locis, [l] *Leui*, inquit, interpretatur *additus*: & charitas opus operi, & virtuti virtutem addit donec perficiatur. [l Apoc.7. Comm.1.]

VERSVS XIII. *Non præterivi mandata tua, nec sum oblitus*.

12 In hoc quod ait, *nec sum oblitus*, inuoluitur charitatis præfatæ contestatio: secùs enim facilè obliuio irrepit, iuxtà quod tradit Angelicus; [L] oportet vt homo affectum habeat ad ea, quæ vult memorari; quia quantò aliquid magis fuerit impressum animo, tanto minus elabitur. Et fortè ad eundem insinuandum affectum, simili phrase Scriptura alibi vtitur, vt Hebræor. 13. *beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci*: (Beneficentia ex 22. q. 31. a. 1. est actus charitatis) ps. 9. *non est oblitus clamorem pauperum*: cùm tamen [M] paupertas faciat obliuionem; Prouerb. 19. *fratres hominis pauperis oderunt eum*; Sed etsi paupertas in obliuionem pertrahat, quoniam pusillus & exiguus est pauper: non ita res magnas consueuimus obliuisci, hinc ait; ea quæ magna [N] æstimamus, magis memoriæ insigimus. Charitas autem magnum quid est, dicente Apostolo 1. Cor. 13. *Tria hæc; maior autem horum est charitas*. Bene autem nostra littera habet, *nec sum oblitus imperij sui*; quando [O] charitas alijs virtutibus imperat. [L 22. 49. 1. 2.] [M ps. 9.] [N p. 2. 47. a. 1.] [O 22. 23. 4. 2.]

VERSVS XIV. *Non comedi ex eis in luctu meo, nec separaui ea in qualibet immunditia, nec expendi ex eis quidquam in re funebri*.

12 Secundùm eandem allegoriam operum nostrorum ad fruges, tangitur, quæ sint Deo accepta. *Non in luctu*: quia 2. Cor. 9. *hilarem datorem diligit Deus*. *Non in qualibet immunditia*. Lucæ 11. *Si oculus tuus*, idest intentio, *nequam fuerit*, [P] *totum corpus tenebrosum erit*, idest congeries bonorum operum tuorum tenebrosa erit. *Bonum*, tù recole, *ex integra causa, malum ex quocumque defectu*. *Nec in re funebri*. Hebræor. 9. *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, scilicet à [Q] peccatis, quæ tollunt Deum ab anima: cuius vita est per vnionem charitatis. Si quis furetur, vt pascat pauperem, ait S. Doctor Opusc. citato, est quidem recta intentio, sed deest rectitudo debitæ voluntatis; vnde nullum malum bona intentione factum excusatur; Rom. 3. *qui dicunt faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est*. Si quis ita operetur, me iudice, expendit aliquid boni *in re funebri*: sicut cùm è contra dat eleemosinam ad inanem gloriam. Huiusmodi fruges, non sunt opera quæ nos sequantur ad Patriam: *Opera enim illorum sequuntur illos*. *Vbi non erit amplius luctus, & mors vltra non erit* Apoc. 21. Et ibidem; *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*: quæ sunt recensita in præsenti. Requiritur enim, vt obediatur voci Domini secundùm substantiam operum; & prætereà, vt fiant omnia, sicut præcipit Dominus, vt patet in littera; non neglecta circumstantia aliqua boni operis. [P opusc. 4. 5.] [Q Hebr. 9. l. 3.]

VERSVS XV. *Respice de Sanctuario tuo &c. & benedic populo tuo Israel, & terræ: &c.*

Sanctus Paulus Hebræor. 6. *terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam &c. accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem*. Iam in proximo capite de maledictionibus. Et idem ad rem etiam Ephes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Cælestibus in Christo*: Spirituali [R] scilicet, quantùm ad animam, & quantùm ad corpus: tùnc enim erit corpus spirituale 1. Cor. 15. *seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale*. [R Eph. 1. l. 1.]

VERSVS XVI. *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, vt facias mandata hæc, &c. ex toto corde tuo, ex tota anima tua*.

Per Cor intelligitur intentio: anima in Scriptura frequenter accipitur pro voluntate. Ita ex Opusculo vbi suprà. [S] Videtur mihi omitti 13 ly *ex tota fortitudine tua*: quod ponitur suprà Deut. 6. quia illustratur ex his duobus, *ex corde*, & *ex anima*: hoc est, ex intentione & voluntate; quod paulo ante dictum fuerat de Sanctificatis Domino, *non in luctu, non in immunditia, nec in re funebri*. Vbi enim voluntas bona est, & intentio recta, talia, vt vidimus, sunt: secùs, si alterum horum desit. [S Op. 4. 5.]

VERSVS XVII. *Dominus elegit te hodie &c. vt ambules & custodias*. 14

Quod fit ex electione, libere fit. 1. Timot. 1. *lex iusto non est posita, sed iniustis*, &c. lex enim iustis [T] non imponitur sicut onus; quia habitus eorum interior inclinat eos ad id ad quod lex; & ideo non est onus eis; Rom. 2. *ipsi sibi sunt lex*. 2. Cor. 9. *non ex tristitia aut ex necessitate*. Exodi 36. *omnis voluntarius & prono animo offerat Domino*. Omnis remunerator remunerat ea quæ sunt [V] remuneratione digna; hæc autem sunt solùm actus virtutum: in actibus autem virtutum duo sunt, scilicet species actus, & modus agendi, qui est ex parte agentis. Licèt autem apud homines, qui non vident nisi *ea quæ parent*, sufficiat quòd quis operetur actum virtutis, secundùm ipsam speciem actus, puta actum iustitiæ; tamen apud Deum, qui *intuetur cor*, non sufficit, nisi etiam secundùm debitum modum operetur, scilicet delectabiliter & cum gaudio. Tu adde, quod suprà, *non ex necessitate*: vnde aiebat Augustinus; *Bonum quod facitis, non benè facitis, si inuitè facitis*. [T 1. T. 1. l. 3] [V 2. C. 9. l. 1.]

VERSVS XVIII. *Et Dominus elegit te hodie*. 15

Mox adiecit, *vt sis populus sanctus*; quod concordat cum Paulo Ephes. cit. c. 1. *elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate*. Et hoc fecit [X] non nostris meritis, sed in charitate sua. Quàm opportunè subiecit hoc Moyses, ne fortè nobis quicquam quasi nobis attribueremus! sumus enim ex eodem Apostolo c. 2. *ipsius factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus*. *Est enim creare*, [A] *aliquid ex nihilo facere*: vnde quando aliquis iustificatur sine meritis præcedentibus, dici potest creatus, quasi ex nihilo factus. Fertur etiam illud Ioannis 15. *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: [B] primordialiter. *Vt ne quis glorietur*, ait Apostolus: sicut hic claudit Moyses: *in laudem, & nomen, & gloriam suam*. Rom. 9. *vt ostenderet diui-* [X Eph. 1. l. 1.] [A Eph. 2. l. 3.] [B ps. 17.]

tias

tias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. In ly *excelsiorem*, quod repromittitur c. 28. celsitudo honoris [C] per sanctum Doctorem intelligitur: quod spiritualiter acceptum Dominus item pollicetur Io. 12. *honorificabit eum Pater meus*. Et in hoc quod ait, *elegit te hodie*, nihil prohibet æternam Dei electionem & prædestinationem suspicere, iuxta quod similiter in ps. 2. *ego hodie genui te*, hodie scilicet æternitatis. [D] Et sic ly *elegit* est excellenter separare. In quo reprobatio videtur mihi implicitè tangi. Quemadmodum expressiùs qui suprà Apostolus Rom. 9. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ*, &c. Et iàm iàm de maledictis ac de maledictionibus, in proximo agitur.

C p. 4. 108 1. 4.

D Io. 8. 1. 8.

CAPVT XXVII.

1 PRæcepit autem Moyses, & seniores Israel populo dicentes: Custodite omne
mandatum, quod præcipio vobis hodie. 2 Cumque transieritis Iordanem in
Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce
leuigabis eos, 3 vt possis in eis scribere omnia verba legis huius, Iordane transmisso: vt
introeas Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte, & melle manantem,
sicut iurauit patribus tuis. 4 Quando ergo transieritis Iordanem, erigite lapides, quos ego
hodie præcipio vobis in monte Hebal, & læuigabis eos calce: 5 & ædificabis ibi altare
Domino Deo tuo, de lapidibus, quos ferrum non tetigit, 6 & de saxis informibus & im-
politis: & offeres super eo holocausta Domino Deo tuo, 7 & immolabis hostias pacificas,
comedesque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo, 8 Et scribes super lapides om-
nia verba legis huius planè, & lucidè. 9 Dixeruntque Moyses, & sacerdotes Leuitici ge-
neris ad omnem Israelem: Attende, & audi Israel: Hodie factus es populus Domini Dei
tui: 10 audies vocem eius, & facies mandata atque iustitias, quas ego præcipio tibi. 11
Præcepitque Moyses populo in die illo, dicens: 12 Hi stabunt ad benedicendum populo
super montem Garizim, Iordane transmisso: Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Ioseph, &
Beniamin: 13 Et è regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad,
& Aser, & Zabulon, Dan, & Nephtali. 14 Et pronunciabunt Leuitæ, dicentque ad om-
nes viros Israel excelsa voce: 15 Maledictus homo, qui facit sculptile, & conflatile, abo-
minationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito, & responde-
bit omnis populus, & dicet: Amen. 16 Maledictus qui non honorat patrem suum, & ma-
trem: & dicet omnis populus: Amen. 17 Maledictus qui transfert terminos proximi sui, &
dicet omnis populus: Amen. 18 Maledictus qui errare facit cæcum in itinere, & dicet
omnis populus: Amen. 19 Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ,
& dicet omnis populus: Amen. 20 Maledictus qui dormit cum vxore patris sui, & reue-
lat operimentum lectuli eius, & dicet omnis populus: Amen. 21 Maledictus qui dormit
cum omni iumento, & dicet omnis populus: Amen. 22 Maledictus qui dormit cum so-
rore sua, filia patris sui, vel matris suæ, & dicet omnis populus: Amen: 23 Maledictus
qui dormit cum socru sua, & dicet omnis populus: Amen. 24 Maledictus qui clam per-
cusserit, proximum suum, & dicet omnis populus: Amen. 25 Maledictus qui accipit mu-
nera, vt percutiat animam sanguinis innocentis, & dicet omnis populus: Amen. 26 Ma-
ledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit, & dicet omnis
populus: Amen.

Ex. d. 20. 25. Iosf. 8. f. 31

Dan 9. c. 11.

1 VERSVS I. *Præcepit autem Moyses, & Seniores Israel*, &c.

Qnoniam paulo ante; in ænigmate dictum est de cœlestis gloriæ adeptione; qua via illuc perueniatur in hisce contextibus docet, custodia scilicet mandatorum Dei. *Vt possis in eis scribere omnia verba legis huius*: & statim; *vt introeas terram*, &c. Quod vno verbo collegit Dominus Matthæi 19. *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*.

VERSV II. *Eriges ingentes lapides*.

Legis obseruandæ viam similiter aperit, & facilitatem, Iordane transmisso; scilicet, postquam fideles baptisma susceperint. *Ingentes lapides*, iubet erigi, qui certè magnum sunt onus. In lapidibus scripta fuit primo lex, excreuerant legis tabulæ in ingens onus, quia obseruaturus eam, in dies fiebat infirmior. Roman. 8. *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem*. Inualuit [A] morbus non legis sed naturæ vitio. Sic primò Medicus conuincit ægrotum, vt eum congruentiùs sanet. [B] Vt ita cognita infirmitate (ibi 3. p.) clamaret ad medicum & gratiæ quæreret remedium. Actor. 15. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*: & postea; *nihil vltrà imponere vobis oneris*. Cæterùm, tempus gratiæ futurum erat, quando erigendi erant lapides illi *ingentes*: & ab vnoquoque erigendi; *eriges*, inquit, in singulari, *ingentes lapides*: cum posteà ad litteram, non abs re, pluraliter dicatur, *erigite lapides*; non

A 1. p. 1. 4. 5.

B Titi r. 1. 1.

adie-

adiecto ly *ingentes*. Mirum quippe; cum dicuntur *ingentes* sunt ab vno erigendi: cùm à pluribus sunt erigendi, non curat eos dicere *ingentes*: argumento quòd in noua lege ferre vnusquisque posset iugum & onus iam factum leue: Matthæi 11. *iugum meum suaue est, & onus meum leue*. De numero lapidum istorum nihil expressum. Putant aliqui duodecim fuisse; quemadmodum aliàs Exodi 24. *ædificauit Moyses altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus*. Sed forte tacetur, vt possit pia mens liberè meditari, duos etiam fuisse; quia *in duobus mandatis* Matthæi 22. *Diliges Dominum Deum tuum* &c. *& diliges proximum tuum sicut te ipsum, vniuersa lex pendet & prophetæ*; Isaiæ 10. *consummatio abbreuiata inundabit iustitiam*. Et Roman. 9. *verbum consummans & abbreuians in æquitate*.

2 Suauitas isthæc legis, pariter & oneris, leuitas, innotescere nobis videtur, ex quo, inquit
læuigabis eos calce; Instituit ex professo S. Thomas Quæstionem, Núm lex noua sit grauior
C p.2.107 4. quàm vetus? Et simpliciter [c] decernit illam
fuisse grauiorem: ferensque illud p. Io: 5. *mandata eius grauia non sunt*, allegat Augustinum dicentem, quòd non sunt grauia amanti, sed non
D ibi ad 2 & 2. Cor. 4.l.2. amanti: & iterum, [D] *omnia grauia, sæua, & immania, facilia, & propè nulla facit amor*. Præterquam iuxta illud Apostoli. Rom. 7. *condelector legi Dei secundùm interiorem hominem*, inquit,
E Rom.7 l. [a] secundùm rationem & mentem: per quod ostenditur, quòd lex rationi consentiat; nullus enim delectatur, nisi in eo quod est sibi conueniens. Præfatum autem amorem indicare videtur Spiritus Sanctus in ly *calce læuigabis*; Quocirca Sanctus Doctor de cæmento loquens. [F]
F Ephes.2 l.5. charitas est quasi cæmentum conglutinans singulos sibi inuicem, & omnes simul Christo.

3 VERSV IV. *Erigite lapides in monte Hebal*.

Hebal interpretatur *aceruus vetustatis*. Quid prohibet legem veterem, quæ tot coaceruauit præcepta significari? lex autem noua ex D. Tho-
G p.2.107 3. ma [G] in lege veteri continetur. Meritò ergo in monte *Hebal* eriguntur hi lapides. Nouum quip-
H Hebr. 8.l.2. pe testamentum [H] consummat & perficit vetus: quod ait Apostolus ex Ieremiæ 31. *Et consummabo super domum Israel, & super domum Iuda Testamentum nouum* &c. *dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas*: idest super cognitionem scribam charitatem. Secundùm interlinearem, lapides designant sanctos. Potest autem adnecti illud 2. Cor. 3. *Epistola estis Christi, scripta non atramento sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis*: sicut lex vetus. [I] vt exclu-
I 2.Cor.3. l.1. dat duritiem: sicut Iudæi act. 7. *dura ceruice*; *sed in tabulis cordis carnalibus*, idest in cordibus latis ex charitate (ly *tabulis*) *& carnalibus*, idest mollibus ex affectu implendi & intelligendi. Ezech. 36. *auferam à vobis cor lapideum*. Ad exclusionem duritiei videtur mihi in lapidibus obtectis calce scribi legem, non in duro saxo vel marmore.

VERSVS V. *Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo*.

Altare (alias dictum est etiam) hic videtur figurare Christum Dominum. [L] *Habemus altare*
L Hebr. 13.l.2. Hebræor. 13. & paulo post; *per ipsum ergo offeramus hostiam laudis*: ab ipso enim, & per ipsum preces nostras offerimus. Lapis & petra Christus pluries dicitur: vt Isaiæ 8. & 1. Petri 2. & p. Cor. 10. *petra autem erat Christus*. Et quia, vt ait Apostolus Rom. 8. *lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit à lege peccati & mortis*, ideo opportunè de altari nouo præcipitur. Et tanquam liberaris à peccato, nihil iniungitur de sacrificijs pro peccato, sed de pacificis hostijs, & de holocaustis, vt transferunt septuaginta, & Chaldæa. Ipse quippe fuit *legifer noster* vt ait Isaias, c. 33.

Et quoniam Christus Dominus lapis est ille Danielis 2. *qui abscissus est sine manibus*; & ab Apostolo dicitur *tabernaculum non manufactum*, quia [M] natus est de Virgine sine opere humano; ideo in præsenti, vt opinor, iubetur fieri Altare *de lapidibus, quos ferrum non tetigit, integris*, vt Septuaginta vertunt & Chaldæa, quòd *Matris integritatem*, vt dicitur in Collecta, *non minuerit sed sacrarit*: signanter etiam quos ferrum non tetigerit, quia comes ferri rubigo longè debuit abesse. Per rubiginem ex D. Thoma super illud Prouerb. 25. *aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum*, [N] potest intelligi immunditiæ impuritas; & alibi, [O] fomes & peccatum originis. A quibus cunctis, cum futurus esset Christus immunis, amandatur idcircò ferrum.

Cum quo tamen stat, vt, quemadmodum Exodi 20. ibi, *Quòd si Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus; si enim leuaueris cultum super eo, polluetur*, dictum est; eatenùs dentur huiusmodi præcepta, quatenùs sint in idolatriæ detestationem; eoquòd [P] Gentiles idolis construebant altaria ornata. Et figuraliter, ne Gentilium doctrina prouocans ad lasciuiam, iuxta Christum admittatur.

VERSVS XII. *Hi stabunt ad benedicendum populo super Montem Garizim Iordane transmisso*.

Vt supra c. 11. prælibauimus, specimen quoddam iudicij præsefertur: in quo audietur *venite benedicti*, & *ite maledicti*. Obseruant autem, ex latere benedictionis esse filios seu capita filiorum Iacob ex liberis vxoribus. In quo potest significari, qualiter ij qui sunt sub seruitute peccati, maledictioni proximi sunt. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, Ioan. 8. & è contra de liberis libertate gratiæ, item Io. 8. *Si vos filius liberauerit verè liberi estis*. Gal. 4. *iam non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit*.

At dices, Ancillarum scilicet Balæ & Zelphæ, non fuerunt nisi filij quatuor: primæ quidem Dan & Nephtali, Zelphæ verò Gad & Aser; cur ergo duo filij liberæ, Liæ nimirùm Ruben & Zabulon, cum ancillarum filijs permiscentur? Respondeo ex D. Thomæ doctrina, qui Ioannis 8. tangens [Q] libertatem gratiæ, qualis est carere criminibus, dicit eam esse imperfectam; quia Caro concupiscit aduersus Spiritum, vt non ea quæ volumus faciamus Rom. 7. Libertas gloriæ perfecta erit; Rom. 8. *ipsa creatura liberabitur à seruitute*: & hoc, quia nihil erit ibi inclinans ad malum &c. Fortè ergo ad hanc libertatis imperfectionem innuendam, duo filij liberæ, Liæ tamen quæ lippis est oculis, mistim ponuntur cùm ancillaribus filijs, quasi nota aliqua seruitutis inusti. Et quoniam passionum vis quandoque indirectè trahit voluntatem, in qua est libertas,

vt

vt patet in prima 2. q. 77. & passionum origo in viribus concupiscibili & irascibili præextat; ideò Ruben & Zabulon interseruntur, tanquam non plenæ libertatis filij. Ruben quidem in typum concupiscibilis, vtpotè qui *maculauit* Genes. 49. *stratum Patris sui*; eoquòd dormiuit cum Bala, Genes. 35. Zabulon autem in figuram irascibilis; eoquòd interpretatur *habitaculum fortitudinis*, quæ in irascibili subiectatur.

Dices 2. Cur ex qua parte est Altare, sunt maledictiones?

Respondeo, quod ait Tirinus, esse partem sinistram: ijs autem qui a sinistris erunt Matthæi 25. dicet Dominus, *discedite à me, maledicti*. *Hebal* etiam concernit *vetustatem*, peccatique vetustas est in causa maledictionis. E conuerso *Garizim* importat *diuisionem*: diuiditur autem & separatur bonum a malo, reijciendo; Ierem. 15. *Si separaueris pretiosum à vili*; Matth. 25. *sicut pastor segregat oues ab hædis*. Et benè duodenario numero sunt hinc & hinc; per quod Vniuersitas iudicantium significatur; *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim* &c. Sicut ex Ruperto l. 2. c. 5. qui hæc ad iudicium finale refert, fas est inferre. Vbi Danielis 8. dixit Gabriel; *ego ostendam tibi quæ futura sunt in nouissimo maledictionis*: ait S. Doctor, [B] idest in vltimo tempore desolationis, quæ indicatur Deuteronomij 27. transgressoribus legis. [B Danie. 1.]

Dices denique, cur benedicti non succlamantur hac Sacra in pagina, dicendo *Amen*? cùm tamen præmittatur, *hi stabunt ad benedicendum*.

Respondeo intelligi, ex aduersis maledictis. Atqui non quiescit animus, cur non exprimatur. Præterquam non meretur benedici, v. g. qui non transfert terminos proximi sui; sicut *maledictus est qui eos transfert*, hic v. 17. quia non satis est declinare à malo, sed oportet facere bonum, vt benedictio nobis detur; *esuriui*, &c. *& dedistis mihi manducare*. Igitur dicendum est, sine dubio promsisse Iosue benedictionem etiam, vt patet Iosue 8. Sed nullus solemniter benedictus in lege scripto firmatur; tùm quia, *benedixit nos Deus Pater in omni benedictione spirituali, in Cælestibus in Christo*: [t] in spe in præsenti, sed in futuro benedicet in re: & ponitur præteritum pro futuro propter certitudinem; tùm quia, vt ait idem Apostolus, [T] *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*. Et attendendum quòd Apostolus non dicit *quicumque seruant opera legis, sub maledicto sunt*, quia hoc est falsum pro tempore legis; sed dicit, *quicumque ex operibus legis* &c. idest quicumque in operibus legis confidunt, & putant se iustificari per ea, sub maledicto sunt. Aliud enim est, esse in operibus legis; & aliud est seruare legem; nam hoc est, legem implere; & qui eam implet non est sub maledicto: esse verò in operibus legis, est in eis confidere, & spem ponere. Hæc D. Thomas. Et si obijcias; hoc esse verum de operibus cæremonialibus, de quibus secundum glossam loquitur Apostolus; non verò de moralibus: vnde cùm hic tradatur series moralium bonorum operum, & non obseruantibus imprecentur de Hebal maledictiones, videtur debuisse ferri etiam catalogus eorundem operum, obseruantibus ad benedictionem. [t Ephes. 1.1.] [T Gal. 3. 4.]

Respondeo ex eodem, posse intelligi Apostolum, etiam de operibus moralibus; opera enim non sunt causa quòd aliquis sit iustus apud Deum, sed potius sunt executiones & manifestationes iustitiæ; nam nullus per opera iustificatur apud Deum, sed per habitum fidei, non quidem acquisitum, sed infusum: Et ideò *quicumque ex operibus* iustificari quærunt, *sub maledicto sunt*, quia per ea, peccata non remouentur; nec aliquis quoad Deum iustificatur; sed per habitum fidei charitate informatum; Hebræor. 11. *hi omnes testimonio fidei* &c. Quæ autem dicit D. Thomas ad rem nostram faciunt: Non dicuntur solemniter benedicti, quia ex operibus, tanquam ex radice non est benedictio, siue gratiæ siue gloriæ; sed è contra ex benedictione Dei, sunt opera. Ne ergo laberemur errore, non cantantur benedicti qui legem implerent: benedicti inquam *simpliciter*, & *absolutè*; quamquam benedictiones aliquot, temporalium cortice, coaceruentur in capite proximo 28. Iuuat etiam enunciari ab hominibus maledictos; non verò benedictos; quia maledictio est à nobis. Sic notat [V] diuersam esse damnatorum sententiam Matthæi 25. ab ea quæ electorum: non enim dicit, *ite maledicti Patris mei*, sicut prædixerat, *venite benedicti Patris mei*, sed *ite* dumtaxat *maledicti*; (sic loquitur etiam Apostolus Hebræor. 6. *terra* &c. *generans herbam opportunam* &c. *accipit benedictionem à Deo; proferens autem spinas* &c. *reproba est, & maledicto proxima*) quia maledictio est à nobis, benedictio autem à Deo est. Osee 13. *perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum*. [V Matth. 25.]

VERSVS XV. *Maledictus homo qui facit sculptile*. 6

Duodenario numero crimina maledictoa clamant homines, vt hoc vniuersitatis numero, cętera huiusmodi quoque comprehendantur: quæ quidem ad finalem etiam perducunt maledictionem. Quæ sint isthæc crimina, seu potiùs qualia, deprehenditur ex Sacro textu, quando clàm patrari perhibentur; v. 15. *ponetque illud in abscondito*; versu 24. *maledictus qui clam percusserit proximum*: & 25: *maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis*: quæ enim in abscondito & clam fiunt, ex malitia fiunt. Quod autem ex malitia fit, non est ex ignorantia aut ex passione; & ideò sic alia interseruntur; vt neque ignorantia, neque passio habeat locum: vt singillatim patebit. Agere enim, ait D. Thomas, [X] aliquid ex ignorantia, vel ex passione, diminuit rationem iniuriæ, & est quodammodo prouocatiuum misericordiæ & veniæ. Quare dum hìc audimus proferri maledictiones, & succlamari ab vniuerso populo, absque vlla miseratione, *Amen*, necesse est dicere, scelera percensita præsumi ex malitia, ex contemptu, ex industria, non ex ignorantia aut passione. Peccare autem ex malitia, est [A] peccare in Spiritum Sanctum: quod quidem est potiùs [B] irremissibile, vt ibidem docemur: quamquam non præcludatur via remittendi & sanandi Omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculosè sanantur. Matthæi 12. *non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*: ergo, aio ego, non est mirum, si hic maledicti dicuntur, & in hoc, æterna etiam præfiguretur maledictio. [X p. 2. 47. 2.] [A 12. 14. 1.] [B loc. cit. a. 3.]

Nunquid non facit sculptile ex malitia, qui in abscondito ponit illud? Nunquid non peccat ex contemptu, qui non honorat Patrem & Matrem, quibus scit honorem ex natura deberi? Malachiæ 1. *filius honorat Patrem &c. Si ergo Pater ego sum, vbi honor meus?* Parentes [C] sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus est vniuersale principium: & sic est quædam affinitas huius præcepti, ad præcepta primæ tabulæ. Ecce vides, quare attexatur de inhonoratione parentum, postquam de cultu sculptilium dictum est. Nunquid qui transfert terminos proximi sui, non peccat ex industria? nunquid ignorat qui sint? Nunquid qui errare facit cœcum in itinere ex malitia non peccat? nunquid cœcus est etiam ipse seu ignorans? Nunquid qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli & viduæ, ignorantiæ excusationem valet prætexere? Nunquid qui cum vxore patris sui delinquit, passione excusabitur? Natura id horreamus nos docet; siquidem [D] in quibusdam animalibus abhorret filius cognoscere matrem carnaliter, quandiu manet apud ipsum cognitio Matris, & reuerentia quædam ad ipsam, vt recitat Philosophus de Camelo & Equo. Hac de causa crediderim subdi statim de concubitu cùm iumento. Nunquid passione trahetur quis ad sororem suam, ad socrum suam? cur non ad vxorem accedit? Hæc quoad passionem concupiscibilis. Nunquid qui clàm percusserit proximum, nunquid mandatarius, ex irascibilis impetu rem patrat? Certè & hæc ex malitia fiunt; idcirco maledictus vterque. Maledictus tandem qui non permanserit in sermonibus legis. Aiebat D. Augustinus, & fertur à Diuo Thoma in Ioannem. [E] *Qui habet in memoria & seruat in vita; qui habet in sermonibus & seruat in moribus; qui habet audiendo, & seruat perseuerando, ipse est qui diligit me.* Qui non permanet, non perseuerat, subiungo ego. D. Bernardus, *scias Diabolum soli semper perseuerantiæ insidiari, quam solam nouit coronari.* Et Apostolus [F] *omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium:* *vnus* tantùm, in cursu spirituali, scilicet perseuerans.

C 12.122. 5.

D 4.40.1. 3.3.

E Io.14.l. 5.

F 1.Cor.9 l.5.

7 Animaduerte circa ly *Amen* quod in Isaiam docet. [G] *Amen* est hebræum, & quandoque est verbum; idest *fiat*: Deuteronomij 27. *Et dicet omnis populus, Amen.* Quandoque *aduerbium*, idest *verè*; Ioan.6. *Amen amen dico vobis*. Quandoque nomen, idest *Veritas*. Apoc.3. hæc dicit *Amen*. (Quod pariter eo in loco tradit) Quandoque est græcum; idest *sine defectu*; ab *a*, quod est *sine*; & *men* quod est *defectus*. Romanor. 9. *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen*.

G Isaiæ 25.

8 Quod attinet ad maledictiones quæ suprà; habes [H] quomodo, cùm maledicere sit malum dicere, & contingat dici, imperando id quod est materialiter malum, sub ratione alicuius boni; puta cùm ex imperio alicuius, prouenit alicui malum pœnæ propter iustitiam, fit vt hoc modo sit licitum: & sic transgressores legis maledicuntur, idest pœnæ secundùm iustitiam deputantur. Si autem imperando dicat quis malum alterius iniustè; puta propter odium & vindictam: talis maledictio est illicita; Exodi 21. *qui maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur*. Optando etiam

H Rom. 12.l.1.

pariter fit licitum, cùm sub ratione boni desideratur, puta vt per aduersitatem perueniat quis ad spiritualem profectum; Iob.5. *Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.* Si verò hoc homo faciat propter odium, vel vindictam, est omninò illicitum; Et sic 1. Regum 17. *maledixit Philistæus Dauid in dijs suis*. Alibi etiam [I] explicans, quomodo in Sacra Scriptura inducantur multæ malorum imprecationes, vnum modum astruit præ alijs, qui hic videtur habere locum; conformando scilicet voluntatem suam diuinæ iustitiæ, circa damnationem perseuerantium in peccato.

I 12.83.8. 1.

9 Superest circa caput præsens, considerari quinam sint potissimum maledicti; non enim discrepat collectio isthæc, ab ijs quos Ioannes in Apocalypsi c.21. & 22. excludit à Regno. *Timidis, inquit, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne.* Et iterum; *foris canes & venefici, impudici, & homicidæ, & idolis seruientes.* Et quidem idololatræ sunt hic maledicti; vt patet. *Increduli*, in secundo loco, sub typo non honorandi Patrem & Matrem: Quod attineri videtur ad incarnationis mysterium, in quo *regenerauit nos Deus in spem viuam*, vt dicitur primæ Petri 1. Et in quo tanquam Mater pientissima misertus est Dominus nostri. Quocirca Ieremias c. 3. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Et Isaias 49. *nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* Quoad tertiò maledictos; *qui transferunt terminos proximi sui*; quid mysticè signetur tactum est supra c. 19. v. 14. Sed ad litteram possunt dici *canes*, qui aliorum possessionibus inuident. Pro inuidis exponit ly *canes* in 1. Apoc. Comment. Certè qui aliena cupit vsurpare, latrat & mordet. *maledictus qui errare facit cæcum in itinere*, is est qui *veneficus* dicitur: nam apud eundem in 2. Comm. *venefici* sunt malorum persuasores. Et iam in metaphora illa cœci, idipsum docuerat, dicens significari, [L] qui inducit aliquem ad malum & in errorem. *maledictus qui peruertit iudicium aduenæ pupilli & viduæ: sunt* Ioanni, *mendaces* qui scilicet (ait in eodem 2.) relicta veritate proximum suum fraudulenter decipiunt. *Foris impudici & homicidæ*, iam audiuntur in sequentibus, qui malediceuntur. *Maledictus* denique *qui non permanet in sermonibus legis, nec eos opere perficit*; quia in fine illius 21. capitis, claudi-tur, *non intrabit in eam aliquid eo inquinatum*: quod ad interiora refertur; *neque faciens abominationem*: exterius scilicet operando: *faciens* inquit *abominationem & mẽdacium*. Apparet autem fieri mendacium, ab eo qui non permanet *in sermonibus legis, nec eos opere perficit*, ex illo Apostoli Rom.2. *si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est*; quia quamuis in manifesto iudæus sit, non, in abscondito, iudæus est. Sũt autem præuaricatores in Deum in se ipsos & in proximum hic percensiti: quemadmodum ad hoc triplex peccati genus, reuocantur quæ dixit in Apocalypsi Ioannes, vt ibi [M] videre est apud D. Thomam. In Deum constat quoad sculptilia, &c. In semetipsum, quoad carnalia; nàm *qui fornicatur* 1. Cor.6. *in corpus suum peccat*. In proximum plura liquent.

L 1.Cor.8 l.1. Galat. 5.l.2.

M Apoc. 21. Com. 2.

CAPVT XXVIII.

1 SI autem audieris vocem Domini Dei tui vt facias, atque custodias omnia mandata
eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cun-
ctis gentibus, quæ versantur in terra. 2 Venientque super te vniuersæ benedi-
ctiones istæ, & apprehendent te: si tamen præcepta eius audieris. 3 Benedictus tu inciui-
tate, & benedictus in agro. 4 Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructus-
que iumentorum tuorum greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. 5 Benedi-
cta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. 6 Benedictus eris tu ingrediens, & egrediens.
7 Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo:
per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. 8 Emittet Dominus
benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum: benedicetque
tibi in terra, quam acceperis: 9 Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iu-
rauit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in vijs eius. 10 Vide-
buntque omnes terrarum populi, quòd nomen Domini inuocatum sit super te, & timebunt
te. 11 Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum
tuorum, fructu terræ tuæ, quam iurauit Dominus patribus tuis vt daret tibi. 12 Aperiet
Dominus thesaurum suum optimum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo:
benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fęnerabis gentibus multis, & ipse à nul-
lo fęnus accipies. 13 Constituet te Dominus in caput, & non in caudam, & eris semper su-
pra, & non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi ho-
die, & custodieris, & feceris, 14 ac non declinaueris ab eis, nec ad dexteram, nec ad si-
Leu. 16. b. nistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos. 15 Quòd si audire nolueris
14.; Tre. 2. f. vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, & ceremonias quas
17. Malac. 2. ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te.
a. 2. 16 Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. 17 Maledictum horreum tuum, & ma-
Baruc. 2. ledictæ reliquiæ tuæ. 18 Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta bo-
d. 10. um tuorum, & greges ouium tuarum. 19 Maledictus eris ingrediens, & maledictus egre-
diens. 20 Mittet Dominus super te famem, & esuriem, & increpationem in omnia opera
tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinuentiones tuas pes-
simas, in quibus reliquisti me. 21 Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat
te de terra, ad quam ingredieris possidendam. 22 Percutiat te Dominus egestate, febri,
& frigore, ardore & æstu, & aere corrupto, ac rubigine, & persequatur donec pereas. 23
Sit cælum, quod supra te est, æneum; & terra, quam calcas, ferrea. 24 Det Dominus
imbrem terræ tuæ puluerem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris. 25
Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, per vnam viam egrediaris contra eos, &
per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ, 26 sitque cadauer tuum in escam
cunctis volatilibus cæli, & bestiis terræ, & non sit qui abigat. 27 Percutiat te Dominus vl-
cere Aegypti, & partem corporis, per quam stercora egerūtur, vt scabie quoque & prurigi-
ne: ita vt curari nequeas. 28 Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate ac furore men-
tis, 29 & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.
Omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet
te. 30 Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea.
Plantes vineam, & non vindemies eam. 31 Bos tuus immoletur coram te, & non come-
das ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oues tuæ dentur ini-
micis tuis, & non sit qui te adiuuet. 32 Filij tui, & filiæ tuæ tradantur alteri populo, vi-
dentibus oculis tuis, & deficientibus ad conspectum eorum tota die, & non sit fortitudo in
manu tua. 33 Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras,
& sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus, 34 & stupens ad terrorem
eorum, quæ videbunt oculi tui. 35 Percutiat te Dominus vlcere pessimo in genibus, & in
suris, sanarique non possis à planta pedis vsque ad verticem tuum. 36 Ducet te Dominus,
& regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu, & patres tui: &
seruies ibi dijs alienis, ligno, & lapidi. 37 Et eris perditus in prouerbium, ac fabulam om-
Mic. 6. d. 15. nibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. 38 Sementem multam iacies in terram,
Aggæi 1. b. 6. & modicum congregabis: quia locustæ deuorabunt omnia. 39 Vineam plantabis, & fo-
dies: & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus. 40
Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo; quia defluent, & peribunt.

41 Filios generabis, & filias, & non frueris eis: quoniam ducentur in captiuitatem. 42
Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo consumet. 43 Aduena, qui tecum versatur
in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior. 44 Ip-
se fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam. 45 Et ve-
nient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas:
quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec seruasti mandata eius & ceremonias, quas
præcepit tibi. 46 Et erunt in te signa, atque prodigia, & in semine tuo vsque in sempiter-
num: 47 eo quòd non seruieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter re-
rum omnium abundantiam: 48 seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fa-
me, & siti, & nuditate, & omni penuria, & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam,
donec te conterat. 49 Adducet Dominus super te Gentem de longinquo & de extremis
terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non
possis: 50 Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli, 51 &
deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges Terræ tuæ: donec intereas, & non relin-
quat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ouium: donec te disperdat,
52 & conterat in cunctis vrbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in qui- Baru. 2. 2.
bus habebas fiduciam in omni Terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni Terra tua,
quam dabit tibi Dominus Deus tuus: 53 & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum Tren. 4. b. 10.
tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in angustia, & vastitate
qua opprimet te hostis tuus. 54 Homo delicatus in te, & luxuriosus valde, inuidebit
fratri suo, & vxori, quæ cubat in sinu suo, 55 ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas
comedet: eo quòd nihil aliud habeat in obsidione, & penuria, qua vastauerint te inimici
tui intra omnes portas tuas. 56 Tenera mulier, & delicata, quæ super terram ingredi non
valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem, & teneritudinem nimiam, inuidebit
viro suo, qui cubat in sinu eius, super filij, & filiæ carnibus, 57 & illuuie secundarum, quæ
egrediuntur de medio feminum eius, & super liberis, qui eadem hora nati sunt: comedent
enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione, & vastitate, qua opprimet
te inimicus tuus intra portas tuas. 58 Nisi custodieris, & feceris omnia verba legis huius,
quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen eius gloriosum, & terribile, hoc est,
Dominum Deum tuum: 59 augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas ma
gnas, & perseuerantes, infirmitates pessimas, & perpetuas: 60 & conuertet in te omnes
afflictiones Aegypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi: 61 Insuper vniuersos languores,
& plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis huius, inducet Dominus super te, donec
te conterat: 62 & remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitu-
dine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. 63 Et sicut ante lætatus est Dominus
super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos, atque
subuertens, vt auferamini de Terra ad quam ingrediëris possidendam. 64 Disperget te
Dominus in omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius: & seruies ibi dijs alie-
nis, quos & tu ignoras, & patres tui, lignis, & lapidibus. 65 In gentibus quoque illis
non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor paui-
dum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. 66 Et erit vita tua quasi pen-
dens ante te. Timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ. 67 Mane dices: Quis mihi det
vesperum? & vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis,
& propter ea, quæ tuis videbis oculis. 68 Reducet te Dominus classibus in Aegyptum per
viam, de qua dixit tibi, vt eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in seruos, &
ancillas, & non erit qui emat.

1 VERSVS II. *Venientque super te vniuersæ benedictiones.*

Etsi verè Iosue primò benedixerit populo Israel, vt patet Iosue 8. nihilominùs nobis non commendantur scripto benedicti primò, sed maledicti, causa quæ tacta est suprà, quia nondum venerat, in quo benedicerentur omnes Gentes: Postquàm autem *apparuit humanitas, & benignitas Saluatoris nostri Dei*, à benedictis exordium sumitur; vnde Matthæi 23. ibi, *væ qui dicitis*: quia [A] venerat, vt solueret maledicta legis, ideo primò datæ sunt superiùs benedictiones; *beati pauperes, beati mites*: circà verò finem suæ doctrinæ, dat maledictionem. Est autem recolendum, populo illi fuisse factas promissiones temporales, quia [B] populus carnalis, præsentis vitæ promissis inhærebat; & [C] quia paruulus erat; & ideò erat instruendus gratiosè sub pedagogo, sicut paruulus: sed tamen in illis paruis munusculis, populum illum paruum decentibus, figurabantur magna bona. Quod ex Augustino hausit, dicente contra Faustum l. 4. c. 2. *in illis temporalibus promissis, figuræ fuerunt futurorum spiritualium, quæ implentur in nobis*: ita p. 2. vbi suprà: *& illorum non tantùm lingua, sed & vita prophetica fuit*. Ad quod facit quod ait Dominus Matthæi 5. *beati pauperes spiritu*; [D] secundùm Hieronymum in abdicatione

A Matth. 23.

B p. 2. 114 10. 1.

C Ephes. 6. 1. b. Rom. 9. 1. 1.

D Matth. 5.

ne rerum temporalium: & dicit *spiritu*, quia quidam pauperes necessitate sunt; sed non debetur illis beatitudo, nisi animo sint parati, & pauperes voluntate. Et nota, quòd Moyses (hic versu 1. & 3.) primò promisit diuitias; & ideò vt distinguat Dominus legem veterem à noua, primò ponit beatitudinem in contemptu diuitiarum, Istis promittitur regnum cœlorum: in quo notatur non solum altitudo honoris, sed affluentia diuitiarum, Iacobi 2. *nonnè Deus elegit*
E p.2.108 3.4. *pauperes in hoc mundo, diuites in fide?* Sicut [E] illis repromisit Deus celsitudinem honoris, & abundantiam diuitiarum: *faciet te excelsiorem cunctis gentibus*, quantùm ad primum (versu 1.) & (versu 11.) *abundare faciet te omnibus bonis*, quantùm ad secundum.

2 Quoniam autem benedictiones plures atque maledictiones congeruntur, operæ pretium est, ad rei huius illustrationem, integrum transferre articulum D. Thomæ [F] in quo quætit,
F 22.76.2 *Vtrum liceat creaturam irrationalem maledicere*. Benedictio enim, vel maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui potest aliquid benè, vel malè contingere. Creaturis autem irrationalibus bonum, vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam sunt. Ordinantur autem ad eam multipliciter: vno quidem modo, per modum subuentionis, in quantùm scilicet ex creaturis irrationalibus subuenitur humanæ necessitati. Et hoc modo Dominus homini dixit Genes. 3. *maledicta terra in opere tuo*; vt scilicet per eius sterilitatem homo puniretur. Et ita etiam intelligitur, quod habetur Deuteronomij 28. *benedicta horrea tua*; & infrà, *maledictum horreum tuum*. Sic etiam Dauid maledixit montes Gelboe, secundùm Gregorii expositionem. Alio modo creatura irrationalis ordinatur ad rationalem, per modum significationis: & sic Dominus maledixit ficulneam in significationem Iudææ. (Matthæi 21.) Tertiò modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem, per modum continentis, scilicet temporis vel loci: & sic maledixit Iob diei natiuitatis suæ, (cap. 3.) propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates. Et propter hoc etiam potest intelligi Dauid maledixisse mõtibus Gelboe, vt legitur 2. Regum 1. scilicet propter cædem populi, quæ in eis contigerat. Maledicere autem rebus irrationalibus, in quantùm sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ; maledicere autem eis secundùm se consideratis, est otiosum & vanum, & per consequens, illicitum.

3 Prælibandum est autem, antequam spiritualiter nonnulla huius capitis exponantur, plura propheticè prænunciari à Moyse, quæ dum impleta in prophetis legimus, argumento sunt, admodum cordi fuisse, potissimum Isaiæ & Ieremiæ huiusmodi terrificas predictiones. Vbi enim Isaias ait c. 26. *salutes non fecimus in terra; ideò non ceciderunt habitatores terræ*: inquit Angelicus,
G Isaiæ 26. [G] referri ad versum hic 7. *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersùm te, corruentes* &c. vnde insinuatur quare non corruerint, seu non ceciderint hostes; quia *iustitiam*, ait, *non fecimus*. Sic c. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subyciam ante faciem eius Gentes & dorsa Regum vertam*. Quod in idem recidit cum præsenti littera; *per septem vias fugient à facie tua*; vt tangitur [H] à D. Thoma. Similiter vbi versu 51. habemus; *deuoret fructum iumentorum tuorum, & fruges terræ tuæ*, concinit Isaias [I] dicens; *regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur, sicut in vastitate hostili*; siue iuxta Moysen, *donec intereas*. Sic commemoratur Isaiæ 19. ad illa verba, *tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium*; quod hic dicitur versu 48. *seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame & siti* &c. *& ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te conterat*. [L] Et iterum, quod comminatur Moyses v. 32. *fily tui, & filiæ tuæ tradentur alteri populo*; [M] non omittit idem Isaias dicens; *Et de filys tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent* &c.

H Isaiæ 45. I Isaiæ c. 1. L Isaiæ 19. M Isaiæ 19.

Ieremias etiam c. 5. [N] illud huius capitis v. 49. *adducet Dominus super te gentem de longinquo*, repetit in hæc verba, *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, Domus Israel, ait Dominus, gentem robustam gentem antiquam; gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur*: quod subnectit Moyses dicendo, *cuius linguam intelligere non possis*. Item dum Threnorum 1. ait, *facti sunt hostes eius in capite*, [O] consentit præsenti versui; *ipse erit in caput, & tu eris in caudam*: quia Chaldæi fuere quasi principantes ipsis. Et destructionem prænunciatam hic, perhibet impletam, [P] dicens c. 2. fecit Dominus quæ cogitauit: compleuit sermonem suum, quē præceperat à diebus antiquis; (hoc benè potest intelligi de Deuteronomio) *destruxit & non pepercit*. Et priùs ait Moyses; v. 30. *Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea*: [Q] respondetque Ieremias; *mulieres in Sion humiliauerunt*: corrumpendo scilicet eas. Præterea versu 50. *Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli*: & Ieremias; [R] *Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt*, quasi equuleo, ad manifestãdum diuitias hostibus. Et denique versu 65. *In gentibus illis non quiesces; nec erit requies vestigio pedis tui*. [S] Quod & Ieremias; *lassis non dabatur requies*. Ad versum quoque 36. *Ducet te Dominus & regem tuum, quem constitueris super te, in gentem quam ignoras tu & Patres tui*, aspexit Ieremias ipse c. 34. *Et Sedechiam Regem Iuda, & Principes eius dabo in manus inimicorum suorum*, &c. [T]

N Ierem. 5. O Thren. 1. P Thren. 2. Q Thren. 5. R Thren. 5. S loc. cit. T Ierem. 14.

Hæc omnia ad memoriam reuocat Sanctus Doctor: qui prætereà in psalmum 43. [V] ad illa verba, *& in gentibus dispersisti nos*: Iudæis inquit ad litteram sic accidisse, qui dispersi sunt in omnem ventum: Nectit D. Thomas illud Ieremiæ 49. v. 32. *& dispergam eos in omnem ventum*, nostro contextui v. 25. *Et dispergaris per omnia regna terræ*.

V ps. 43.

Similiter etiam cohæret ex eodem contextui 44. *ipse erit in caput, tu eris in caudam*, illud Matthæi 20. [X] *erunt nouissimi primi, & primi nouissimi*: quod ad Gentiles non est dubium posse referri. Et alibi, expressiùs, [A] *ille erit in caput, & tu eris in caudam*: implebitur, quando finaliter *omnis Israel saluus fiet, cùm plenitudo gentium intrauerit*.

X Matth. 20. A Rom 11.l.2.

Sparsim etiam alijs in locis excurrit in aliquorum contextuum expositionem moralem. Puta in Opusculo [B] supplicia & plagas tangens, quibus plectuntur à Deo, indignè Eucharistiam

B op. 58. 18.

sumen-

sumentes; inquit, de secunda plaga Deuteronomij 28. (versus est 18. & infrà) *maledictus fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum*, &c. in quibus intelligitur sterilitas terræ, siue caristia temporalium. Præterea, vbi versu 22. legitur, *percutiat te Dominus egestate, febri, & frigore, ardore & æstu, & aere corrupto ac rubigine;* [C] habet significari acediam, quæ prouenit ex melancholia. Item versu 23. *Sit Cælum quod suprà te est æneum, & terra quam calcas ferrea,* [D] interpretatur de obduratione, seu etiam pertinaci excusatione. Versum 32. expendit etiam [E] dicens, ex hoc haberi quomodo aggrauentur iniuriæ: eoquòd inferuntur personis nobis coniunctis: vnde ait hic poni ad exaggerandum. Item nectit [F] comparationem versus 43. *aduena qui tecum moratur in te, ascendet super te,* illi quam efficit Saluator dicens, *non inueni tantam fidem in Israel*: scilicet per comparationem illius gentilis. Denique in Sermone quodam [G] astruens seruiendum esse Deo, ex triplici, inquit, necessitate; primò quia, qui noluerit seruire Deo, seruituti suorum hostium subijcietur. Secundò bonorum omnium penuriam patietur. Tertiò quia sub multiplici miseria, penitùs conteretur. De his tribus inquit, Deuteronomij 28. (versu 47.) *eoquòd non seruieris Domino Deo tuo in gaudio,* cordisque lætitia, *propter rerum abundantiam, serues inimico tuo, quem immittet Dominus tibi*: ecce primum: *in fame & siti, & nuditate, & omnium penuria bonorum;* ecce secundum: *& imponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec conterat te;* ecce tertium.

C Serm. Dom. 21.
D Danielis 2.
E 22.65.4
F Matth. 8.
G Serm. Dom. 15.

4 Post hæc opportunè euocatur animus ad contemplandam pro modulo benedictionum, maledictionumque seriem; neque enim perperam percensentur, & coaceruantur: Sed eò collimant, vt liceat tantillum delibare *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt*: præsertim, quia vt ex D. Dionysio memoratur [H] *mysteria futuræ retributionis & miseriæ nobis ad plenum non reuelantur*. Paucioribus autem se expedit in benedictionibus, quia ineffabiliora sunt beatorum gaudia, quàm sit malorum damnatio: maledictiones tamen acriores deprehenduntur, vt perterriti caueamus, & scientes præmiandos nos esse *vltra condignum*, dum vltio est *citrà*, ad inenarrabilem illam felicitatem suspiremus. Etsi autem tempus non esset in veteri lege recensendi aliquos benedictos, qui tales futuri non erant nisi in Christo, nihilominus reseruatæ in re benedictiones benè poterant ænigmaticè insinuari.

H 4. Sent. in fine.

Itaque in hoc capite indubium est cœlestem patriæ benedictionem describi: ideo enim, inquit etiam *vniuersæ benedictiones*: ad quarum plenitudinem & exuperantiam aspiciens Noster transtulit *apprehendent te*: vbi dixerunt Septuaginta & Chaldæa, *venient*. Phrasis est Sanctæ Ecclesiæ, quæ dicit *in Secreta* similiter, & *brauium nos apprehendat*, non autem *apprehendamus brauium*: cùm enim bonum superexcedit, non capitur sed capit, iuxtà illud, *intra in gaudium Domini tui*, ex D. enim Augustino [I] *totum gaudium non intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium*. Et videtur beatorum Domicilium promitti, dum præmittitur, *faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum*, Matth. 25.

I Op. 6.4. 15.

VERSVS III. *Benedictus tù in Ciuitate, & benedictus in agro.*

Hoc ipsum è conuerso dicitur de malis, versu 16. *maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro*. Recolo huc quod ait D. Augustinus; [L] *Duas ciuitates faciunt duo amores; nam amor Dei vsque ad contemptum sui, scilicet hominis amantis, facit Ciuitatem Ierusalem cœlestem: amor verò sui, vsque ad contemptum Dei, facit Ciuitatem Babylonis*. Spiritualiter esse intelligendas has Ciuitates, liquet; quia si literam sequamur, potiùs benedicendus erat vnusquisque in domo sua: ps. *benedixit domui Israel; benedixit domui Iacob*. Et ideò maledictiones amplificans ait versu 52. *& conterat te in cunctis vrbibus*: iam non dicit singulariter *in Ciuitate*: ergo vt confusè confusam malorum multitudinem in inferno innuat, *maledictus*, inquit, *eris in Ciuitate*: è contra verò prout sonat *ciuium vnitatem*: *iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei*, Sanctorum designat societatem. Vtrobique autem additur *in agro*: per quem significatur mundus iste. Sic Matthæi 13. [M] ibi, *simile est Regnum Cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo*; idest in mundo: mundus dicitur ager, in quo sunt boni & mali: quem Dominus per creationem edidit ps. 49. *pulchritudo agri mecum est*. Et hoc ideò quia in vtraque vita, benedictionibus Dei, & maledictionibus, respectiuè sunt iusti, & impij subiecti: *maledicti qui declinant à mandatis tuis* ps. 118. Prou. 10. *benedictio Domini super caput iusti*.

L Ephes. 2.4.6.
M Matt. 13. Ephe. 2.l.5.

VERSVS IV. *Benedictus fructus ventris tui.*

Etsi sonent hæc verba, benedici filios: tamen non est iste sensus, quem intendit Spiritus Sanctus; tùm quia, non rarò ex optimis parentibus sunt filij pessimi; tùm quia abstinet, certè aliqua de causa, à voce *filij*, vel *filiæ*; quod non fit infrà versu 32. *filij tui & filiæ tuæ* &c. Quare necesse est scrutari quidnam *ventris* nomine in Scriptura significetur. Legimus Ieremiæ c. 4. *ventrem meum, ventrem meum doleo*. D. Thomas in ps. [N] refertur ad sensualitatem. Et alibi in 2. Comm. [O] sensualitas enim mollis est, & infirma; sicut venter est mollior pars corporis. Appetitus sensitiuus est huiusmodi sensualitas, diuiditurque [P] in duas potentias, quæ sunt species appetitus sensitiui, scilicet in irascibilem & concupiscibilem. *Benedictus* ergo *fructus ventris tui*, per me nihil aliud significat, nisi retribuendum esse in Cœlesti gloria fructibus etiam virium nostrarum appetitiuarum. Iam vidimus [Q] nomen *fructus* à corporalibus ad spiritualia esse translatum; Matthæi 12. *ex fructibus arbor cognoscitur*, idest ex operibus suis homo, vt ibi exponitur, à sanctis. Vt autem traditur [R] in eadem prima secundæ; Irascibilis & Concupiscibilis secundùm quòd sunt rationales per participationem, sunt subiectum virtutis: proinde spiritualiter fructificant. *Benedici* autem videtur idem esse ac *bono addici*, quemadmodum suprà c. 21. quid sit maledici expositum est. *Benedictus* ergo *fructus ventris tui*, idest remunerationem recipies etiam secundùm merita, quæ ex viribus sensibilibus contraxisti. Sanè quod attinet ad irascibilem, cuius est propulsare contraria, facit 5

N ps. 30.
O Apoc. 10.
P p.p. 81 a.2.
Q p.2.70 1.
R p.2.56. 4.

illud Matthæi 19. *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes* &c. Apoc. 3. *Qui vicerit dabo illi sedere in throno*. Prou.20. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*. In typum concupiscibilis, quæ item mercedem benedictionis æternæ recipiet, sunt quæ cuncta pollicetur Dominus bona, Lucæ 22. *vt edatis & bibatis*. Matthæi 6. *thesaurizate vobis thesauros in Cœlo*. Matthæi 25. *possidete regnum*; de quibus quoque in prima
S p.1.q.7. 1. secundæ, [S] quomodo sunt metaphoricè intelligenda. Vnde dicente Ioanne in sua Canonica,
T Epist. Io. 2. [T] *vt mercedem plenam accipiatis*, inquit; hæc impletio erit in tribus, quantùm ad animam. Rationabilis implebitur limpidissima cognitione. Irascibilis, sublimitate gloriæ & honoris. Concupiscibilis, iucundissima & vera delectatione.
6 Et si dicas, de rationali cur hactenus dictum non est? Respondeo, satis fuisse insinuatam rationabilis partis benedictionem, ijs in verbis, *benedictus tù in Ciuitate*. Sanè *iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*. Nunquid ergo perperam iterum atque iterum apposuit Spiritus Sanctus prænomen illus *tù, benedictus tù* in ciuitate; *benedictus tù* (ità hebræa) *in agro*? Non vtique; sed magno mysterio, quia vnumquodque videtur esse, quod est in se principale ex Philosopho 9. Ethic. c. 4. sicut quod facit Rector Ciuitatis,
V p.p.75. a.1. dicitur Ciuitas facere, vt docet [V] exponens illud 2. Cor. 4. *licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intùs est renouatur de die in diem*. Sic in simili Apostolus; *Ego autem carnalis*
X Rom.7. 1.1. *sum*; [X] ly ego pro ratione hominis intelligitur, quæ est principale in homine: vnde videtur vnusquisque homo esse sua ratio, vel suus intellectus, sicut ciuitas videtur esse Rector Ciuitatis; ita, vt quod ille facit, ciuitas facere videatur. Quod repetens ad sequentia; *condelector legi Dei secundùm interiorem hominem*, idest [A] secundùm ra-
A Rom.7 1.4. tionem & mentem: non quòd anima sit effigiata secundùm formam hominis, vt Tertullianus posuerat; vel quòd ipsa sola sit homo, vt Plato posuit, quòd homo est anima vtens corpore, sed quia, quod est principalius in homine, dicitur homo. *Benedictus* tù ergo, idest pars principalior, mens, seu ratio: Deinde, *fructus ventris tui*. Venter etiam apud D. Thomam ps. 21. ponitur pro affectu: *factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei*: idest, affectus.

Et fructus terræ tuæ. Habemus Ecclesiastici 33. *Et omnes homines de solo, & de terra, vnde creatus est Adam*. Quare videtur in ly *terræ tuæ* significari merita corporis, quod ex terra compactum est. Corpus autem etiam benedictionis remunerationem recipiet; quia 1. Cor. 15. *seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria*, &c.

VERSVS idem. *Fructusque iumentorum tuorum*.

7 Iam descendit ad partes corporis conflati ex terra, scilicet ad membra & potentias exteriores, quorum est etiam proferre fructum; Rom. 6. *Sicut enim exhibuistis membra vestra* &c. *ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ* &c. *Nunc verò habetis fructum vestrum in sanctificationem*. *Iumentorum* autem nomine potentiæ & membra corporea accipi possunt; vtpote quæ more iumenti omnino ducuntur despotico rationis dominatu, seruorum instar: *Seruire*, inquit, *immunditiæ & iniquitati*: & iterum, *seruire iustitiæ in sanctificationem*. Corpus quippe ad nutum obedit animæ absque contradictione: & ideò ait Philosophus 1. Politicorum, quod anima regit corpus despotico, vires autem principatu politico.
[B] Et D. Augustinus 8. Confessionum c. 9. *impe* B p.1. q6. a.1.
rat animus, [C] *vt moueatur manus; & tanta est fa-*
cultas, vt vix à seruitio discernatur imperium. Tù C p.1.17. 9.
recole illud Eccl.33. *cibaria & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo*. Et posteà; *seruo maleuolo tortura & compedes*.

VERSV eodem; *Greges armentorum tuorum: Et caulæ ouium tuarum*.

Non satis fuit Sancto Moysi, nos edocere 8
de benedictionis præmio, nobis vndequaque reddendo, nisi radix promeritæ benedictionis indicaretur, in operibus. Sanè versu 9. apertè tangitur hoc dicendo; *Emittet Dominus benedictionem super omnia opera manuum tuarum*. Et v. 12. *benedicetque cunctis operibus manuum tuarum*. Merces quippe, vt air S. Doctor, [D] non debe- D opusc. 19.c.7.
tur potestati, vel authoritati, vel habitui, sed actui; quia solis actibus meremur: 2. Timoth. 2. *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*. Et ibi inducit Philosophum in 1. Ethic. dicentem; *sicut in olimpiadibus, non optimi, & fortissimi coronantur, sed agonizantes*. Ad hanc ergo operis sedulitatem & fortitudinem innuendam, crediderim de gregibus armentorum attexi orationem iuxtà quod Prouerb. 14. *Vbi autem plurima segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis*. Boues quippe arant, trahunt, triturant; 1. Cor. 9. *ne claudas os boui trituranti*. Sequitur. *Et caulæ ouium tuarum*. Mirum, quomodo ad caulas flectat, cum non ita fecerit de præsepibus: quæ propria sunt armentorum: *& non erit armentum in præsepibus*, Habacuc. 3. Et Prou. citato 4. *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est*. Dû sunt in caulis, non deprehenduntur in ouibus, quæ meritum redolent: ibi hyemis tempore, nondum lanarum prouentus, nondum agnorum lactisque affluentia: ibi nullius obedientiæ aut patientiæ specimen; quæ notat D. Thomas [E] in ouibus. Potius in caulis in- E Matth. 25.
fructuosè morantur, quiescunt & dormiunt. Nunquid hæc, quæ cessationem sonant operis benedictione potientur? Ità sanè. Nedum vigilia, sed & *somnus sanctorum operosus est*, ex Amb. mereturque à Deo mercedem æternæ benedictionis. Hinc Sanctus Doctor; [F] quia etiam ipsa cessatio ab operatione, puta somnus, vel F p.2.3.a. 4.
occupatio aliqua naturalis ad operationem ordinatur, operatio quasi videtur esse continua. 9
Et alibi; [G] motus liberi arbitrij, qui præcedit G De Ver. q.28. a.3. ad 7.
in vigilante, non potest facere vt actus dormientis sit meritorius vel demeritorius, secundùm se consideratus; potest tamen facere, quòd habeat aliquam rationem bonitatis vel malitiæ, in quantùm virtus actus vigilantis relinquitur in operibus dormientium; sicut virtus causæ relinquitur in effectu: Et inde est, quòd virtuosi nanciscuntur in dormiendo meliora theoremata, præ alijs non virtuosis, vt dicitur in 1. Ethic. Er inde est etiam, quòd nocturna pollutio interdùm culpabilis imputatur. Er sic etiam Salomon in vigilando, potuit se disponere ad sapientiam accipiendam in dormiendo (de hoc tu vide 3. Regum 3.) Et ecce innotescere, quare de caulis

ouium

ouium per quandam metonymiam dicatur esse benedicendas. Secùs, si in cortice litteræ stemus, non apparet quæ sit vniuersorum benedictio; non enim omnes affluunt armentis & ouibus, sed dumtaxat diuites. At coram Deo in collectione operum bonorum potest pauperrimus in mundo, ditissimus esse.

VERSVS V. *Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tua.*

10 Simili metaphora Eccles. 25. dicitur; *quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?* & Saluator Matthæi 6. *thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Et Apostolus non absimiliter Galat. 6. *quæ enim seminauerit homo, hæc & metet*, & 2. Cor. 9. *qui seminat in benedictionibus,* H 2. Cor. 9. l. 1. *de benedictionibus & metet;* [H] scilicet Dei largam retributionem. Abundáter omnes metent quantùm ad præmium substantiale, quia omnes affluent; & nullus ibi parcè metet. *Benedictæ reliquiæ tuæ.* Ipse pro reliquijs intelligo, quæ meritorum cumulum quasi posthumè augent. Iusti enim sic iecerunt interdum bonorum operum fundamenta, vt etiam post illorum mortem, solicitudinis illorum fructus in superstitibus germinauerint. Non erunt reliquiæ huiusmodi sine benedictionis diuinæ præmio. Pro cuius plenio- I 5. p. 59. 5. ri notitia, sciendum est, [I] in multiplici genere reliquias hominis attendi, secundùm quas post iudicium præsentis temporis, generale aliud erit iudicium: prostremò enim tunc id, quod ad vnumquenque hominem pertinet quocumque modo, perfectè & manifestè iudicabitur: licèt namque per mortem vita hominis temporalis terminetur secundùm se, remanet tamen ex futuris secundùm quid dependens: Et præcipuè quantùm ad effectum suorum operum: sicut ex deceptione Arij & aliorum seductorum, pullulat infidelitas vsque ad finem mundi: & vsque tunc proficiet fides ex prædicatione Apostolorum. Istæ videntur mihi *benedictæ reliquiæ: & maledictæ*, respectiuè, quod dicitur versu 17.

VERSVS VI. *Maledictus eris, tù ingrediens, & egrediens.*

11 Et quò ingrediens? & vnde egrediens? Vbi Christus Dominus Ioann. 10. *Per me, si quis introierit saluabitur; & ingredietur, & egredietur:* post allas expositiones fertur quarto loco ex libro de spiritu & littera, (qui Augustino attribuitur, cuius tamen non est) *ingredientur* scilicet ad contemplandam Diuinitatem Christi, & *egredientur* sancti, ad eius humanitatem considerandam: & in vtroque *pascua inuenient*. Quod quidem repe- L opusc. 60. a. 2. tit in opusc. [L] dicens, ex Augustino (vt fert,) propterea Deus factus est homo, vt hominem totum in se beatificaret: tota hominis conuersio ad ipsum esset: & tota dilectio esset in ipso: cum à sensu carnis, videretur per carnem, & à sensu mentis per Diuinitatis contemplationem, & hoc totum bonum hominis esset, vt siue *ingrederetur*, siue *egrederetur*, *pascua* in factore suo inueniret: foris in carne saluatoris: intùs in Diuinitate Creatoris. Et iterum Ioann. 17. [M] ac etiam ad M Io. 17. l. 1. N Ephes. 4. l. 5. Ephes. [N] *ingredietur*, scilicet in contemplatione Diuinitatis: *& egredietur*, scilicet in contemplatione humanitatis. Quod è contrà suo modo de damnatis: pro quorum persona dicitur versu 19. *maledictus eris ingrediens; & maledictus eris* O 4. 48. 1. a. 4. *egrediens*: in 4. Sentent. [O] docet; quia sicut amici gloria est delectabilis; ita gloria & potestas eius qui odio habetur, maximè contristat: & ideò, sicut visio gloriæ humanitatis Christi erit iustis in præmium, ita inimicis Christi erit in supplicium: Isaiæ 26. *videant & confundantur zelantes populi, & ignis*, scilicet inuidiæ, *hostes tuos deuoret*. Non quòd damnati ipsam Diuinitatem, possint videre; quia hoc non posset esse sine illorum gaudio, [P] nec possent [Q] illam non amare. (Ex quo Apostolus 2. Thessal. 1. illos daturos, inquit, *pœnas in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius:* [R] scilicet remotos, Iob 13. *non veniet in conspectu eius omnis hypocrita*). Sed eo modo, quo explicat D. Thomas ipse in Quodlib. [S] Videre gloriam beatorum dupliciter contingit: vno modo, vt capiatur quid ipsa sit, & qualis & quanta; & sic nullus potest videre gloriam, nisi qui est in gloria: superat enim & desiderium & intellectum eorum, qui non sunt in ea: hoc enim est *manna absconditum, & nomen nouum scriptum in calculo, quod nemo nouit, nisi qui accipit*; vt habetur Apocalyps. 2. Alio modo contingit videre gloriam beatorum, vt videantur ipsi beati esse in quadam gloria inenarrabili, & excedente intellectum. Et sic damnati ante diem iudicij vident gloriam Sanctorum, non autem post diem iudicij; quia tùnc erunt penitùs à consortio Sanctorum alienati, vt qui ad summum iam miseriæ peruenerunt: & ideo nec etiam Sanctorum consortio digni habebuntur; nam videns, aliquod cōsortium habet cum eo quod videt. Ti adde Isaiæ 26. *tollatur impius, ne videat gloriam Dei*. Ibidem autem ad 2. ait: Damnati in inferuc existentes, post diem iudicij memores erunt gloriæ Sanctorum, quam ante iudicium, & in iudicio viderunt; & sic cognoscent eos esse in maxima gloria, quamuis non videant ipsos beatos, nec eorum gloriam: & ita inuidia torquebuntur. Quod etiam tradit ex littera Magistri in 4. sentent. [T] & adducit illud Sapientiæ 5. de impijs *videntes turbabuntur timore horribili*. Me ergo iudice, sic potest exponi ly *maledictus ingrediens*, hoc est ad semetipsum suumque miserrimum statum conuersus, experietur damnatus maledictionis execrationem: & *maledictus egrediens*: quatenùs vel recordatione imperceptibilis gloriæ, (*quasi abstractinè de an est*) veluti extra inferni loca feretur: quod & erit in pœnam. Sicut & de beatis dicitur Isaiæ 66. *egredientur & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt*: intelligentia scilicet, vt ait glossa: [V] quia, erit beatis de visione suppliciorum damnatorum [X] iucundatio; cohærenter ad ps. 57. *lætabitur iustus cum viderit vindictam*. Quoad damnatos autem adhuc sustine vsque ad versum 66.

VERSVS VII. *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersùm te, corruentes in conspectu tuo.*

Videtur hic Spiritus-Sanctus tangere aureolas, quæ sunt speciales quædam coronæ secundùm priuilegiatas victorias in tribus pugnis. Ex victoria in pugna contra carnem, est aureola quæ debetur virginitati. Ex pugna contra deuictum mundum, aureola martyribus. Et post victoriam contra Diabolum, qua aliquis hostem non solùm à se, sed à cordibus aliorum remouet per prædicationem & doctrinam, Doctoribus & Prædicatoribus etiam debetur aureola. Vide

A 4.49. & 1.& 5. in 4. [a] Dicebat D. Augustinus Tract. 124. in Ioann. *Duas vitas sibi diuinitus prædicatas & commendatas nouit Ecclesia, vna in labore; altera in requie: vna declinat à malo & facit bonum; altera nullum habet à quo declinet malum, & magnum habet, quo perfruatur bonum: vna cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat*. Illinc, vt dicitur Isaiæ 35. & 51. *fugiet dolor & gemitus*: Facit etiam quod habetur Prouerb. 1. *qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato*. Sequitur Sacer textus. *Per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua*. Cum enim facies erit irradiata lumine gloriæ, fugient hostilia euncta, per septem vias: quod referri posset ad quatuor dotes corporis, & tres animæ; quia dotes corporis ad hoc ordinantur, vt corpus perfectè animæ subijciatur: & anima videns, comprehendens, & fruens Deo, incapax efficitur perturbationis cuiuscumque hostilis: quæ per *vnam viam*, idest per peccatum vnius, nos continuè infestant: *caro, mundus, dæmonia diuersa mouent prælia: incursu tot phantasmatum, turbatur cordis Sabbatum*. Quomodo è contra accidat maledictis, dicetur v. 25.

VERSVS VIII. *Emittet Dominus benedictionem*, &c.

13 Ecclesiastici 21. habetur; *benedictio Dei mercedem iusti festinat*. Ergo vt *festinemus* (Hebræor. 4.) *ingredi in illam requiem*; vtque Dominum agnoscamus æternæ benedictionis Authorem; quomodo in hac vita præparemur ad illam, aperit Moyses. Itaque, *emittet Dominus benedictionem super cellaria tua*. In penu & cellarijs recluduntur quæ in dies nos alant: Sic spiritualiter, cum nutriatur & impinguetur anima bonis operibus; ex Deo super illa benedictionem esse innotescit. Ecclesiastes c. 7. *Vade ergo, & comede in latitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum; quia Deo placent opera tua*. Et quoniam non erat alicui cœlum apertum, quantumcumque iustè operaretur & viueret cum Domini benedictione, nisi post Christum, qui nos, (Galat. 3.) *redemit de maledicto legis*, & *ascendit* in cœlum, Micheæ 2. *iter pandens*; ideo de populi Christiani sanctitate subiungitur, iuxta promissa: *sicut iurauit tibi*. Et tunc *nomen Domini inuocatum est super nos*, vel ex hoc quòd Christiani vocamur. Tunc (quod sequitur) *abundare nos fecit Dominus omnibus bonis*. Et quis ambigit tangi tempus gratiæ? quando Apoc. 1. legitur, *& vox illius tanquam vox aquarum multarum* [B] idest abundantiæ gratiarum.

B Apoc. 1 Comm. 2.

VERSVS XI. *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui*.

Si corticem solummodo delibemus, non apparet desiderabilem esse benedictionem, abundare filijs; vnde & Dominus qui cætera bona Iob duplicauit, non item filios, vt patet cap. 42. nam si duplicatis cæteris rebus, etiam numerus filiorum esset duplicatus, [C] non videretur fortuna domus augmentata fuisse: quia eandem quantitatem in bonis eius vnusquisque filiorum habuisset, quàm priùs. Ergo spiritualiter, vt suprà, accipienda hæc sunt. Et dum subdit; *fructu terra tua, quam iurauit Dominus Patribus tuis, vt daret tibi*, innuit cœlestem illam terram, cuius sunt fructus nostrarum operationum. In semine

C Iob 42.

scilicet, sunt fructus Paradisi opera bona: Ecc. 24. *flores mei fructus honoris & honestatis*. In quantùm enim opera nostra, [D] sunt effectus quidam Spiritus-Sancti in nobis operantis, habent rationem fructus; sed in quantum ordinant ad finem vitæ æternæ, sic magis habent rationem florum. Et alibi; [E] nihil prohibet in temporalibus, & in spiritualibus, quin illud quod est fructus respectu præcedentium, sit etiam semen respectu sequentium. Vnde, aio ego, sunt in virtute, fructus beatæ illius terræ promissionis.

D p. 2. 70. 1. 1.

E Io. 4. l. 4

VERSVS XII. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum*. 14

De hoc orauit Moyses Numeri 20. v. 6. & cum illo Aaron. Ad Christum Dominum vidimus ibi allegoriam: in quo *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, Coloss. 2. nisi aliter thesaurum Diuinitatis optimum, intelligamus ipsam naturam diuinam, *cuius prout est in se dicitur gratia* apud Theologos *participatio*. Et in vtraque acceptione cœlum *depluit pluuiam terræ nostræ*: ps. 142. *anima mea sicut terra. In tempore suo*; quia tempus gratiæ nondum aduenerat. De Christo Domino ait Apostolus p. Cor. 15. *secundus homo de Cœlo cœlestis*. Et iterum Dauid, *pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*, ps. 67. Matth. 6. *thesaurizate vobis thesauros in cœlo*.

VERSV eodem XII. *Fœnerabis gentibus multis; & ipse à nullo fœnus accipies*.

Quod abundantiam & exuperantiam diuitiarum sonat, spiritualiter acceptum, est sufficientia, qua homini sufficiet Deus etiam in hac vita: & sic sublimitas honoris, qua exaltatur homo vsque ad coniunctionem cum Deo, per id quod sequitur, *constituet te Dominus in caput* &c. potest significari: quemadmodum aliàs similia interpretatur [F] Diuus Thomas. Huc facit quod ait Apostolus p. Cor. 1. *quia in omnibus diuites facti estis in illo*: & iterum in Epistola 2. c. 8. *propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis*: vt illius paupertate [G] in temporalibus, vos effetis diuites in spiritualibus. De Dextera, & sinistra, nonnihil videas Numeri 20.

F p. 2. 4. 7. 1.

G 2. Cor. 8. l. 2.

VERSVS XV. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui*, &c. *maledictus*, &c.

15 Benedictionum abundantia ex tot maledictionum euasione elucescit magis. Sunt autem coacernatæ huiusmodi maledictiones, ad indicandam finalis execrationis grauitatem, quam & præsignant perpetuò & portendunt. Hinc versu 59. apertiùs ait, *augebit Dominus plagas tuas & plagas seminis tui, plagas magnas & perseuerantes, plagas pessimas & perpetuas*: & statim adhuc; *& adhærebunt tibi*. Quod etiam præsagiri videtur versu 23. *sit cœlum, quod supra te est, æneum, & terra quam calcas ferrea*. Matth. 25. *ite maledicti*: *quasi autonomasticè*: vnde huc referri videtur.

VERSVS XVII. *Maledictum horreum tuum; & maledicta reliquiæ tuæ*.

Suprà cum de benedictionibus ageret, præmisit de armentis, antequam de horreis, quæ armentorum repleantur opera. Nunc minùs ordinatè recenset: vel vt ostendat, vnde maledictionem merentur impiorum opera: quia scilicet destituuntur debito ordine ad finem; vel quia in inferno nullus ordo: ex quo, quasi tumultuariò exinde etiam congestæ sunt huiusmo-

di

di maledictiones, secundùm litteræ superficiem: quamuis re ipsa ordinatissimè latæ.

VERSVS XVIII. *Maledictus fructus ventris tui &c.*

De iumentis tacet: fortè vt indicet, iam præintelligi, quādo quis maledictionibus fit obnoxius, ps. 48. *homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

VERSVS XX. *Mittet Dominus super te*
16 *famem & esuriem.*

Isaiæ 65. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis*: desperata spiritali animæ satietate, quæ in cœlesti gaudio potissimùm completis desiderijs consistit. Psalmo 16. *satiabor cùm apparuerit gloria*. Hinc idem Isaias, c. 25. *faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ. Et increpationem in opera tua.* Credo huiusmodi increpationem in se ipsos exprimere impios; Sap. 5. *Ergo errauimus a via veritatis; & iustitiæ lumen non luxit nobis; & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Et post pauca: *quid nobis profuit superbia aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra*, &c. & de perditione impiorum, quæ futura est in iudicio, disertis verbis interpretatur hunc textum D. Thomas in Serm. Dom. 20. nectens ly *perdet te velociter* cum eo quod habetur p. Thessal. 5. *repentinus eis superueniet interitus.*

VERSVS II. *Adiungat tibi Dominus pestilentiam.*

Comparticipationem pœnæ videtur innuere, postquam fuit vnus malorum omnium in culpa consensus: iuxtà quod de mystico Diaboli corpore Iob 41. dicitur. *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus: & ne spiraculum quidem incedit per eas: Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Hoc est pestilentiæ lue infici. Vt vnius pœna redundet in culpæ consortes: quemadmodum & de bonorum gaudio dictum est: quo fit sine dubio, vt fiat longè maior.

VERSVS XV. *Tradat te Dominus &c. per vnam viam egrediaris, & per septem fugias.*
16 Multiplex hæc ab hostibus fuga non habet omnem litteraliter intelligentiam; postquam enim quis corruit ante hostes suos, locus fugæ non est. Quare timorem præualidum damnatorum significat. Sap. 5. *videntes turbabuntur timore horribili.* Quomodo autem in damnatis sit timor, difficilè apparet; quia apprehensio mali
H 1.p.q. 67. & opusc. 60. 12. futuri omnino certi non inducit ex Aristotele [H] timorem. Sed Sanctus Doctor alibi rem enucleat dicens; In damnatis erit successio pœnarum: & sic remanet ibi ratio futuri, quod est obiectum timoris, tamen non erit in eis propriè timor: nam timor nunquam est sine aliqua spe euasionis, quæ omninò in damnatis non erit: vnde nec timor nisi communiter loquendo, secundùm quòd quælibet expectatio mali futuri dicitur timor. Ita in
I p.2. 67.4 2. prima secundæ. [I] Sed post hæc, in 2. Apoc. Comm. cum D. Greg. docet, quomodo cùm in in-
L Apoc. 18. ferno dominetur [L] ordo diuinæ iustitię non naturæ, vna cum ineuasione malorum, mala horribiliter timebunt. Puluere ergo sepulti: *Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem.* Igne exusti: *De cælo descendat super te cinis. Egestate, febri, & frigore, ardore & æstu, & aere corrupto ac rubigine* percussi; (Quæ cuncta paulo ante edicuntur, suntque infernalium vicissitudinum vmbræ, Iob 24. *ad nimium calorem transeat ab aquis niuium*) ceu percutiendi miserrimè pauebunt: nec erit respirium, corrupto aere, quod recreet: nec finis spes aliqua, quando *rubigo* etiam est emersura. In calce cap. *cordis tui formidinem*. Et quia ex peccato, in irascibili sequitur timiditas, contra quam est fortitudo ex 3. dist. 34. quæst. 1. a. 4. ideò legitur versu 32. *& non sit fortitudo in manu tua.* Et c. 32. v. 25. *foris vastabit eos gladius, & intus pauor.* De quo & ibi nonnihil.

VERSVS XXVI. *Sitque cadauer tuum in escam cunctis volatilibus, & bestijs terræ: & non sit qui abigat.*

Quid sit cadauer istud, habes in 4. Sentent. 17
in calce libri. [M] Super illa verba Isaiæ 66. *Egredientur & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt.* Per cadauera verò vt Augustinus dicit de ciuitate Dei, significatur euidens corporum pœna: quamuis cadauer nisi caro exanimis, non soleat nuncupari: illa verò animata erunt corpora; alioquin nulla poterunt sentire tormenta. Nisi quia fortè mortuorum erunt corpora; idest eorum, qui in secundam cadent mortem: ideò non absurde hæc cadauera dici possunt. Quis autem non videat, à cadendo appellata esse cadauera? Volatilia vt mihi videtur, significant dæmones. Dominus Lucæ 8. cum parabolam prompsisset; *aliud cecidit secus viam, & volucres cæli comederunt illud*; ipsam edisserens ait; *Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum.*

M 4. sent. hinc in exposit. litteræ.

Per bestias item sanctis Patribus compertum est, intelligi dæmones. Sunt bestiæ ob feritatem, impetum, & violentiam, & quia ab ordine rationis omnino elongati: *bestijs terræ*; illius terræ tenebrosæ, de qua Iob 10. *antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Ps. 73. *ne tradas bestijs animas confitentes tibi: Et non sit qui abigat*, inquit littera: quod tormentorum perennitatem designat. Quocirca Magister relatus à D. Thoma in 4. dist. 21. quæst. 1. a. 1. *illos habebunt tortores in pœnis, quos habuerunt incentores in culpa*, & Apoc. 14. Comm. 1. Quidam dicunt, quòd Dæmones qui fuerunt incitatores
reproborum in culpa, erunt tunc tortores in 18
pæna. Quod probis in Purgatorio non accidere probat in 4. vbi suprà, quia Dæmonum extitere victores.

VERSVS XXVII. *Percutiat te Dominus vlcere Ægypti; & partem corporis, per quam stercora egeruntur; scabie quoque, & prurigine, ita vt curari nequeas.*

Septuaginta legũt; *vlcere Ægyptiorũ in natibus.* Chaldęa; *percutiet te Dominus vlcere pessimo Ægyptiorum, & hæmorroidis, & scabie & prurigine sicca.* Quocirca, missis quę ad litterā linguæ peritiores elucidant, non est dubium ad plagam respici Ægyptiorum, de qua Exodi 9. *erunt in hominibus & iumentis vlcera, & vesicæ turgentes*, &c. Mirum autem primo intuitu vnicuique videbitur, cur hic pressiùs pudibunda hæc pœna infligi dicatur? quando tanta styli puritas vbique seruatur. Conati sunt Iudæi, vt sibi visum est, temerè quidem, vel in marginibus rem istam castiùs redde-

re. Cæterùm quemadmodum fine vlla turpitudine dictum eſt ab Apoſtolo, Philipp. 3. *propter Ieſum Chriſtum Dominum meum, omnia detrimentum feci, & arbitror, vt ſtercora*: Et ſimiliter denarratur Tobiæ 2. quomodo ex nido hirundinum dormienti Tobiæ, *calida ſtercora* ſuper oculos eius inciderunt, factuſque eſt cœcus: Et ptimi etiam Regum, 5. non abſimilis pœna Philiſthijm, dum eos *percuſſit in ſecretiori parte natium*: quod memoratur in pſal. 77. *& percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit eis*: ita & in præſenti. Quocircà iuuat recolere, quidnam ſtercorum fœditate ſignari poſſit. Sanè quod ad caſum Tobiæ attinet, ait S. Doctor, [N] excœcatus eſt Tobias calidis ſtercoribus: ſic ardens amor ad temporalia, quæ Apoſtolus arbitratus eſt ſtercora, oculos cordis excœcat. Et alibi, [O] ſtercora hirundinum præcalida, ſunt temporalia, quæ ſancti tanquam ſtercora relinquunt; vnde ad Philippenſes, &c. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, Sap. c. 11. Vt ergo oſtendatur, ex quo ad rem noſtram puniantur, podicem tangit pœna, vnde immò ſtercora egeruntur; quia in ſtercoribus mundi huius, hoc eſt in conuerſione inordinata ad temporalia deliquerunt. Et quia Theologis tritum eſt, duplicem in inferno eſſe pœnam, *damni* ſcilicet, & *ſenſus*; iſtaque conuerſioni ad commutabile bonum reſpondet, ſicut illa auerſioni à Summo Bono; ideò qui ſtercora mundi huius prædilexerunt, ſtercoraria ſede puniuntur. In quo adhuc poſſet intelligi futura ſempiternaque vltio: futura quidem, quia quod poſterius eſt, futurum eſt: *percuſſit inimicos ſuos in poſteriora*: ſempiterna verò, dum ſequitur; *opprobrium ſempiternum dedit illis*: quem pſalmi locum in Sermone [P] fert D. Thomas, ad comprobandum æternum eis futurum ſupplicium.

N op. 41. l. 5. 10.
O 2. Pe. ui 2.
P Serm. Dom. 18. Euang.

VERSVS XXVIII. *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate ac furore mentis.*

19 Illicitam temporalium cupiditatem conſequitur cæcitas, Sic D. Auguſtinus Opuſc. vbi ſuprà; *ſpargis pœnales cæcitates*, (Deum alloquitur) *ſuper illicitas cupiditates*. Amentia etiam & furor damnatos peruadit, ex pœnarum videlicet acerbitate; ſi enim (quod refert improbans D. Thomas) [Q] arbitrari ſunt quidam, degentes in purgatorio in pœnis abſorptos, vt neſciant ſe per pœnas purgari, ſed putent ſe eſſe damnatos: quid de ipſis damnatis credendum eſt, qui dabunt 2. Theſſal. 1. *pœnas æternas in interitu*? & [R] erunt ſicut ſemper morientes, licèt nunquam mortui vel morituri; pſ: 48. *mors depaſcet eos*. D. Auguſtinus aliàs relatus [S] *cùm anima in pœnis viuit æternis, mors eſt potius æterna, quàm vita*. Tradit alibi [T] qualiter ipſa triſtitia quandoque rationem aufert; ſicut patet in ijs qui propter dolorem in melancholiam, vel in maniam incidūt. Ecce amentiam: Ecce cœcitatem: Ecce furorem. Sic Apocalypſ. 18. *& omnis ars non inuenietur in ea amplius*: quia probabile eſt, Philoſophos non habituros ſcientiam in inferno: nam vſus rationis quantùm ad huiuſmodi tollitur per ægritudinem temporalem, vel pœnam: multò fortiùs per illas inferni. ita Comment. 2. Certè legimus Eccleſiaſtes 9. *Quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos*.

Q 4. 21. 1. 3. 4.
R opuſc. 6. § 15. 2. Theſſ. 1. l. 2.
S Math. 33.
T p. 2. 37. 4. 3.

VERSVS XXIX. *Et palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris.*

20 Poſtquam de conuerſione inordinata ad tēporalia bona dictum eſt; ex qua plectuntur pœna ſenſus; pergit diuinus Moyſes ad conſiderationem auerſionis; quia inquit, *palpes in meridie*: ſi enim *pro menſura peccati erit plagarum modus*, ſupra c. 25. oportet vt contra lucem peccauerit qui luminis beneficio priuatur. In lumen autem peccatur, dum ab eo oculos noſtros auertimus, quia *oculis ægris odioſa lux*: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*: ipſe *inhabitat lucem inacceſſibilem*. 1. Timoth. 6. ab hoc Patre luminum, ab hac luce auertit ſe, qui peccat mortaliter: *qui malè agit odit lucem*. Ioann. 3. Immò qui peccant ex malitia, Iob 24. *rebelles ſunt lumini*, vt ibidem exponit [V] quia, (ita in contra Gentes) [X] cum in poteſtate liberi arbitrij ſit impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni, &c. Sicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos clauſit. Et adducit illam Iob ſententiam, *rebelles fuerunt lumini*. Vnde in Sermone præfato; tenebris, inquit, infernalibus excœcabit eos; iuxta illud Nahum 1. *inimicos eius perſequentur tenebræ*. Sequitur; *& non dirigas vias tuas*: Sic etiā additur in Iob; *neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas illius*. Pergit; *omnique tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris violentia*. Tenebrarum tempus opportunitatem ad hæc præbet: ſicut pariter in eodem c. Iob, *per noctem verò erit quaſi fur: perfodit in tenebris domos*, &c.

V Iob 24.
X 3. cont. Gē. 159

VERSVS XXX. *Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea.*

Multiplici quæ ſubnectitur metaphora, ius quoddam amiſſarum rerum prætexitur: ex quarum priuatione, certè grauiſſima damni innoteſcit pœna. Hinc ſequitur; *domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam*. Sic vſque àd verſum 33. exaggerantur intolerabilis priuationis cauſæ, in carioribus cuiuſque generis rebus, etiam in filijs, & filiabus: ex quibus præ maxima triſtitia ſtupeſcat, *& ſtupeas*, ait, *ad terrorem eorum quæ viderunt oculi tui*. Ex demeriti quippe ſui conſideratione terror inerit ipſis, eo quòd à tanta ſibi exhibita felicitate auerſi fuerint.

VERSVS XXXV. *Percutiat te Dominus vlcere peſſimo in genibus, & in ſuris, ſanarique non poſſis, à planta pedis*, &c.

21 Quomodo ſtatus damnatorum ſit extra viam cum iam ſint in termino, videtur hiſce verbis ſignificari; infirmis enim cruribus, totoque inſanabili corpore, quis auſit, quis poſſit in via ponere greſſus ſuos? Eccleſiaſtes 9. *quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas*; quia tunc [A] nihil poterit homo à Deo promereri. De quo videantur Doctores in p. 2. q. 114. a. 1. *Vtrum ad merendum, requiratur, vt qui meretur ſit in via*. Et hoc eſt quod aiebat Lucæ 16. Abraham: *Et in his omnibus inter nos & vos Chaos magnum firmatum eſt; vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint: neque inde huc tranſmeare*. Sic Matthæi 22. *ligatis manibus*; [B] ne ſcilicet proficiant. Et huc facit quod ait Iob c. 19. ſemi-

A Apoc. 18. Com. 2.
B Iſaiæ 5.

semitam meam circumsepsit, & transire non possum: intellectum ex D. Thoma in 4. dist. 45. quæst. 2. a. 1. eoquòd post mortem non sint homines viatores.

VERSVS XXXVI. *Ducet te Dominus, & Regem tuum.*

22 Rex iste, me iudice, nihil aliud est, quàm mortale peccatum, dicente Apostolo ad Roman. 6. *non ergo regnet peccatum:* & paulo post; *peccatum enim vobis non dominabitur.* Qua de re D. Thomas; [C] non dixit; *non sit; sed non regnet:* regnat autem peccatum in carne, quando primò in corde regnat concupiscentia consentiendo, &c. Et priùs in opusculo alio; [D] quia Regis est subditos disponere & gubernare, illud in homine regere dicitur, secundùm quod cætera disponuntur: vnde Apostolus monet; *non regnet* &c. Notandum est autem, quod docemur ex illo Ezechielis 32. *descenderunt ad infernum cum armis suis;* [E] vitia spiritualia in damnatis consummari: & ideo descendunt *cum armis,* [F] idest cum affectionibus prauis. Quomodo autem peccata dicantur arma exponit [G] ad Romanos; quia per consuetudinem peccati in nobis conualescit eius Dominium. *In Gentem quam ignoras tu & Patres tui.* Arbitror innui horribiles facies dæmonum, quos à damnatis videndos tangit Angelicus in Genesim; [H] Et apertiùs in Apocalyps. Comment. 2. ferens illud Sapientiæ 17. *& personæ tristes illic apparentes pauorem illis præstabunt:* [I] ex quo Bernardus in suis meditationibus: *Nihil ibi videtur nisi vermis, & teterrima monstra dæmoniorum. Et seruies ibi Dijs alienis:* Dæmonibus certè: *ligno & lapidi;* quia tenaces erunt iniquitatis; siquidem [L] damnati blasphemant Deum mente, & voce. Vnde legimus in Apocalypsis 16. *æstuauerunt æstu magno, & blasphemauerunt nomen Domini.*

C op. 4. 5. non desiderabit vxorem proximi tui.
D Op. 2. parte 2. c. 9
E Quodl. 8. 17.
F Quodl. 3. 24.
G Rom. 6 l. 3.
H Gen. c. 3.
I Apo 15. in principio.
L 12. 13. 4

VERSVS XXXVIII. *Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis.*

23 Propter hoc & sequentia, videtur esse damnatus *in prouerbium ac fabulam,* vt præmissum est versu 37. simili quadam ratione, atque Lucæ 14. *ne omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes; quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere.* Quod autem hic dicitur repetit Aggæus c. 1. *seminastis multum & intulistis parum.* Qua de re si consulamus Diui Hieronymi sensum; audiemus intelligi de ijs operibus, quæ in statu peccati, etsi bona & iusta peccator efficit: quæ [M] quidem remunerationem recipere non possunt, nisi temporalem; quare addo ego, pro quanto seminetur, parum refertur; quia æterna retributio non eis debetur. 1. Cor. 13. *si distribuero in cibos pauperum* &c. *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et iam contextus, qui sequuntur, indicant consimilibus ex operibus rubigine consumptis (*omnes arbores tuas, & fruges terræ tuæ rubigo consumet*) non fore, vt quis sit *sublimior,* quia dignitatem, seu condignitatem ad gloriæ sublimitatem non habent: neque diuitem quemquam fruges huiusmodi efficiunt, vt queat alicui fœnerare. *Aduena* potius, *qui secum versatur in terra,* sed aduena est in Cœlo, quò sua cuncta dirigit, *erit sublimior, in caput, fœnerabit* &c. Et caulam tandem ærumnarum aperit dicens, versu 47. *eoquòd non seruieris Domino Deo tuo, in gaudio cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam:* de qua lætitia ps. 50. *redde mihi lætitiam, in gaudio Spiritus Sancti,* 1. Thessal. 1. de qua etiam abundantia, Prouerb. 1. *abundantia perfructur, timore malorum sublato.* Sic contempta *libertate gloriæ filiorum Dei,* Roman. 8. cœlestique opulentia neglecta, quid poterat, nisi seruitus, nisi fames, nisi sitis, nisi nuditas; nisi penuria omnis expectari, ab infensissimo & implacabili hoste, nimirùm à Diabolo, pœnarum inferni ministro? ideo sequitur versus 48. *Serujes inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame & siti* &c. quod est, in omnium, (etiam eorum quæ videntur necessitatis) carentia: & sub omnibus malis, quia carere bono quoddam malum est, sicut ex 5. Ethicor. carere malo, quoddam bonum est.

M 1. 9. 89 6. 5.

VERSVS XXXXIX. *Adducet Dominus super te gentem de longinquo,* &c.

Quæ sit gens ista, litteraliter colligunt ex
adiecto: *in similitudinem Aquilæ volantis,* nectentes 24
illud, Threnor. 4. *Velociores fuerunt persecutores nostri Aquilis Cœli.* Et 4. capite Prophetiæ; *velociores aquilis equi illius:* sicque ad Chaldæos, ad Nabuchodonosorem torquent vaticinium: quem nominatim Ezechiel etiam Aquilæ comparat c. 17. Nec desunt qui putent, Moysen ad Romanos allusisse, Aquilis suis notissimos. Datis his omnibus: medullam degustare velim, eiusdem qui supra mystici sensus tenore. Quænam gens est ista tumultuariò irrumpens, cuius *linguam,* aut *vocem,* vt Septuaginta reddunt, nequeant intelligere? Nùm Chaldæorum, aut Romanorum idioma adeò ignotum fuerat futurum? Præterea gens ista *procacissima* perhibetur & impudens, *quæ non deferat seni* aut paruulo: nunquid mulieribus deferet? Item quomodo *adducet de extremis terræ finibus?* Nunquid Chaldæa gens aut Romanorum, in angulis extremis terræ? Cogimur ergo eleuatis oculis mentis, aliud damnatorum malitiæ tormentum, sub Aquilæ similitudinem considerare; vermem nimirum conscientiæ, de quo Iudith 16. *dabit ignem, & vermes in carne eorum:* & Isaias c. 66. *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Qui quidem vermis sic exponitur, [N] vt sit remorsus conscientiæ interiùs animam corrodens. Quique largiùs explicatur in Opusc. [O] per hanc obiectionem. Si voluntas malorum post mortem obstinatè firmatur in malo, semper appetent vt optimum, quod priùs appetierunt; non ergo dolebunt se peccasse. Respondet autem, in hæc verba. Sciendum quòd damnati ad vltimam miseriam, ea quæ appetierant vt optima, habere post mortem non poterunt; non enim ibi dabitur luxuriosis facultas luxuriandi, aut iratis, aut inuidis facultas offendendi, & impediendi alios: & idem est de singulis vitijs. Cognoscent autem eos, qui secundùm virtutem vixerunt, obtinere quod appetierant, vt optimum: Dolent ergo mali quia peccata commiserunt: non propter hoc, quia peccata eis displiceant, quia etiam tunc mallent peccata illa committere, si facultas daretur, quàm Deum habere: sed propter hoc, quòd illud quod elegerunt habere non possunt; & illud quod respuerunt potuissent habere. Sic igitur & voluntas eorum perpetuò manebit obstinata in malo, & tamen grauissimè dolebunt de culpa commissa: & hic dolor vocatur remor-

N Quod 7. a. 13.
O op. 24 175.

sus

sus conscientiæ, qui metaphoricè in Scripturis vermis nominatur. Isaiæ vltimo; *vermis eorum* &c. Sic in prima 2. q. 85. a. 2. ad 3. in damnatis manet naturalis inclinatio ad virtutem: alioquin, non esset in eis remorsus conscientiæ: sed quòd non reducatur in actum, contingit quia deest gratia, secundum diuinam iustitiam. Metaphoricè itaque est vermis in Inferno, vt etiam alibi [P] docet. Non ergo inconueniens est Aquilæ deuorantis tropo eundem hic opportunè ad litteram significari. *De longinquo & de extremis terræ*, volat huiusmodi vorax Aquila; eoquòd ex recordatione antiqua scelerum, quæ quisque commisit dum viueret, tollitur. Non defert gens ista procax seni aut paruulo, hoc est, nullum non angit & lancinat. Aquilæ autem pernicitatem comprobant, quæ transierunt temporalia bona; post quæ tàm anxiè dum viuerent ferebantur: & ex quo dolent Sapientiæ 3. *Dicentes intrà se pœnitentiam agentes & præ angustia spiritus gementes. Transierunt omnia illa tanquam vmbra; & tanquam nuncius præcurrens; & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam; aut tanquam auis, quæ transuolat in aere; aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum.* Ex his liquet, quàm bellè Aquilis, & auibus possit conscientiæ remorsus comparari. Infra c. 32. *deuorabunt eos aues morsu amarissimo.* Gentis huius linguam vel vocem non intelligunt damnati; quia non audiunt, non exaudiunt, non acquiescunt, excitamentis illius pœnitudinis. Radix hebræa *Samang* hæc fert, & prætereà, *obsequi, obedire.* Gens huiusmodi *deuoret* inquit *fructum iumentorum tuorum, & fruges terræ tuæ*: quia bonorum amissorum mordax reminiscentia, omnem amaricat dulcedinem & delectationem vitæ præteritæ: fructus quia reficit delectabiliter, fructus dicitur; ex D. Ambrosio lib. de Paradiso c. 13. vt patet in prima 2. q. 70. a. 1. *Deuorabunt* ergo *aues, morsu amarissimo.*

P opusc. 10 a. 41. 4. Cont. G. 90.

VERSVS LI. *Et non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum* &c.

25 Iam via his & sequentibus paratur, ad explicandam extremam rerum omnium caritatem, ex qua horrenda fames. Apocalyps. 18. *In vna die venient plagæ eius, mors, luctus, & fames*: idest [Q] consolationis & omnis boni defectus. Sic in Sermone quodam [R] astruens tres damnatorum pœnas, continuam in anima tristitiam, continuam in corde inediam, & in vtroque æternitatem, id colligit ex illo Isaiæ nuper allato; *vermis eorum non morietur*; quod notat dolorem in anima: ignis, ardorem in corde: inextinguibilitas, æternitatem.

Q Apoc. 18. Com. 1.
R Serm. Dom. 4. post Pent.

VERSVS LII. *Et conterat in cunctis vrbibus tuis.*

In eodem Apocalypsis c. 18. *Et plangent super illam Reges terræ*, glossa; *idest Principes sæculi*: in quo inquit S. Doctor, significatur dolor quem habebunt diuites huius mundi; scilicet conscientiam remordentem eos de malis quæ fecerunt, & de bonis, quæ omiserunt. In diuitibus ergo, vt video, acrior rabidiorque fames illa infernalis declaratur. Quid mirum si conuertatur Moyses ad typos vrbium & murorum sublimium, in quibus habebant fiduciam? Prouerb. 10. *substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius.* Sap. 5. *quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Et consequenter ad hæc introducuntur personæ deliciosæ. Deliciosi enim dicuntur [S] qui non possunt sustinere aliquos labores, nec aliquid quod voluptatem diminuat. Deut. 28. *tenera mulier & delicata* &c.

S 22. 118. 2.

VERSVS LIV. *Homo delicatus in te, & luxuriosus valde inuidebit fratri suo, & vxori.*

Iam ad inuidiæ tormentum, quo maius Sicula quondam tyrannis non adinuenit, accedit Moyses; ad inuidiæ cruciatus præualidæ, etiam in delicato viro, & in aliàs dulci muliere; vtpote quæ in Inferno sedem suam habet. Sapient. 2. *inuidia Diaboli mors intrauit in mundum*: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. Certè fame periens inediaque tabescens inuidi faciem prodit; vnde Boetius de Scholarium Disciplina c. 4. *inuidia proprij authoris consumptiua est.* Diram & execrabilem famen præfefert littera, quando vorantur filiorum carnes, & in inuidentiam apertè fames erumpit. In quo autem ferueat inuidia, concernitur ipsa in narratione, in qua pluries, sinus & requies palam memorantur: versu 54. *& vxori quæ cubat in sinu suo*; versu 56. *inuidebit viro, qui cubat in sinu eius.* Immo etiam ad *secundinas*, non horret sacer textus deflectere: Vbi Septuaginta; *Et intestino suo egredienti per femina sua*, siue vt Noster, *de medio feminum eius.* Secundæ sunt membrana illa, qua obuolutus partus ex vtero prodit, sunt ergo veluti lectus, in quo quieuit. Et vt inuidentia emicet cum fame crudelior, quietem proprij nati, *de medio feminum eius* mirè tangit. Quæ cuncta vno verbo Lucas Euangelista c. 16. dicens de diuite illo; *eleuans autem oculos suos*, (hìc Chaldæa & Septuaginta; *inuidebit oculo suo*) *vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.* Ænigmate ergo quies æterna *per sinum* significatur: & hæc inuidorū mente voluitur sic, & reuoluitur, vt nec natis, nec proprijs natis, nec recenter natis, suis ex visceribus, parcat. Quocirca S. Doctor in Quodlib. [T] quærens de damnatorum inuidia, inquit; in eis perfecta inuidia est, ad quam pertinet dolere de bono alterius, quod ipse non habet: & sic etiam velle omnes pati malum, quod ipse patitur: liberari enim à malo quoddam bonum est. Quæ quidem inuidia in aliquibus etiam in hac vita, tantùm inualescit, vt suis propinquissimis etiam inuideant, de bonis quæ non habent ipsi, vnde multò ampliùs damnati inuidia stimulante, vellent suos propinquos cum omnibus alijs esse damnatos; Et dolebunt si sciant aliquos esse saluatos. Sic in Inferno [V] gaudent de pœnis inimicorum suorum, & tamen de ipso gaudio magis dolent: & præcipuè si præstiterunt eis damnationis causam. Recole tù illud Sapientiæ 16. *vera & iusta iudicia tua.* 26

T Quodl. 8. 17.
V Quodl. 3. 24.

VERSVS LXII. *Et remanebitis pauci numero, qui priùs eratis sicut astra Cæli præ multitudine.*

Paulò ante apertiùs, cùm plagarum præmissarum augmenta comminaretur, indicauit de inferorum pœnis se loqui. Dolor autem animæ separatæ patientis, [X] pertinens ad statum futuræ damnationis, excedit omne malum huius vitæ: sicut sanctorum gloria excedit omne bonum præsentis vitæ. Quid mirum si supprimatur hìc qualitas plagarum, solumque dicatur confusa quadam ratione, *augebit Dominus plagas* 27

X 1. p. 46. 6. 3.

suas

tuas plagas magnas, &c. *Insuper & vniuersos languores & plagas, quæ non sunt scripta in volumine legis huius*. Remansuros autem paucos numero adiecit, qui prius erant *sicut astra Cæli*. Vt vidimus Genesis 22. versu 17. multitudo prolis sanctæ, designatur per astra: mali significantur per arenam. Ex quibus infero, stellas in prædestinatorum esse figuram. 1. Cor. 15. *stella enim à stella differt in claritate*. Et Danielis 12. *quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Dum inquit ergo *remanebitis pauci numero*; ecquid aliud videtur dicere, nisi cum Apostolo 1. Cor. 10. *qui se existimat stare, videat ne cadat*? Et Apocalyps. 3. *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*? In quibus omnibus timor incutitur de futuræ gloriæ amissione, & de gehennæ incursione, nisi omnia legis præcepta custodiamus: vide D. Petrus in sua 2. c. 1. *magis satagite, vt per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Secùs damnatio nos manet. Et quoniam, inquit, *remanebitis pauci numero*, arctum prædestinatorum indicat. Quocirca D. Thomas Roman. 12. Lect. 2. super illa verba; *ita multi, vnum corpus sumus*: quamuis sint pauci per comparationem ad infructuosam multitudinem damnatorum secundùm illud Matthæi 7. *arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam*; tamen absolutè loquendo sunt multi; Lucæ 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos*. Sic 1. Corinth. 11. Lect. 6. expendens illud Matthæi 26. & Marci 14. *Qui pro multis effundetur*, exponit quoad efficaciam; in quibus habet effectum passio Christi. Aliàs certè, vt dicitur 2. Cor. 5. *pro omnibus mortuus est Christus*. Et Ioann. primæ secundo; *ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi*. Quodquidem impiè Cornelij Iansenij damnabat sententia, Catholico Innocentij dogmate nuper explosa. Quibus tamen nihil obstantibus, stat, vt pauci sint vt suprà, siue pauciores qui saluantur, itidem ex 1. p. q. 23. a. 7. ad 3. nàm, *lata & spatiosa est via*, vt ibidem Matth. 7. *quæ ducit ad perditionem; & multi sunt qui intrant per eam*; quamuis priùs essent, vt ait, *sicut astra Cæli*: nàm sano sensu delentur plerique hominum de libro vitæ, de quo 1. p. q. 24. a. 8.

VERSVS LXV. *In Gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis*.

Requiem æternæ felicitatis qui legem non obseruat haud possidebit. Qui illam obtinent, in possessionis perpetuæ signum, requiem habent vestigio pedis. Hebræor. 4. *festinemus ergo ingredi in illam requiem*. Constat autem spiritaliter intelligi textum præsentem: nàm in superficie verborum, vel coacta quies erit etiam transgressoris vestigio, quippe qui suprà versu 35. *percutiendus erat insanabiliter in suris & genibus*: Et iam subiungitur hic; *Dabit enim tibi Dominus cor pauidum & deficientes oculos* &c.

VERSVS LXVI. *Et erit vita tua quasi pendens ante te, & non credes vitæ tuæ*.

28 Iob 24. similis extat phrasis: *Cum steterit non credet vitæ suæ*: idest [A] non erit de vita sua securus: Sicuti in eodem Iob cap. 7. *Si dormiero, quando consurgam? Et rursùm expectabo vesperam, & replebor doloribus*. Sic in præsenti: *mane dices, quis mihi det vesperum?* & *vespere, quis mihi det mane?* Et sanè in eo capite de pœnis inferni loquitur dicens, *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium; & vsque ad inferos peccatum illius*. Quomodo erunt damnati quasi semper morientes nunquam morituri: quomodo in eis locum habet timor inter ipsum mœrorem & tristitiam, satis enucleatum est. Cęterùm Sancti Patres plerique per vitam intelligunt hîc Christum in Cruce appensum: Et duplici in loco [B] consentit D. Thomas in 1. Apocalyps. Commentario. Iuuat id probare, ex eo quòd in cumulum pœnarum omnium & suppliciorum, agnitio contempti salutaris videtur esse: Qua dolenter cruciabuntur, memores vnde exciderint: illud miserrimè vsurpantes; *quot mercenarij in domo Patris mei abundant panibus; ego autem hîc fame pereo*. Lucæ 15. *Quanto magis putatis* (Hebræor. 10.) *deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? Scimus enim qui dixit; mihi vindicta; & ego retribuam: Et iterum; quia iudicabit Dominus populum suum*. Cohæret ergo accerbitati suppliciorum, filij Dei conculcatio; neque propterea *credent vitæ suæ*, nisi quia *credent & contremiscent*, instar Dæmonum Iacobi 2. non fide, quæ per dilectionem operatur. Inquit D. Gregorius, & fertur in opusc. 60. [C] quòd Christus inimicis suis (in die iudicij) sit demonstraturus vulnera, vt conuincens eos, veritas dicat: *Ecce hominem, quem crucifixistis: videte vulnera quæ infixistis: agnoscite latus quod pupugistis; quoniam & per vos, & propter vos apertum est: & intrare noluistis*. Nonne hoc est habere vitam qui Christus est; *ego sum via, veritas, & vita, ante se*? Infra c. 30. de Deo: *ipse est enim vita tua*.

A Iob 24.

B Apoc. c. 1. & c. ... non lo... ge ab ... tio.

C opusc. 60. a. 1.

VERSVS LXVIII. *Reducet te Dominus classibus in Ægyptum*.

29 Legimus Isaiæ 23. versu 1. & 14. *Vlulate naues maris*. Apocalypsis 8. *Tertia pars nauium interijt*. Vbi D. Thomas; [D] idest illorum qui alios gubernabant, & portabant: & quorum motu, alij mouebantur; vt erant Principes, & huiusmodi aliorum Rectores; *interijt*, idest mortua est spiritualiter, vt priùs. Quàm bellè Interpres diuinæ mentis similitudinis proprietatem assequitur! Deinde addit ex glossa; *tertia pars* est reproborum; & aduocat Isaiæ præfatum locum. In psalmum autem; [a] per naues, quæ ad negociandum vadunt, significatur cupiditas: & sicut naues fluctuant in mari, ita diuites fluctuant in mundo; Isaiæ 23. *Vlulate* &c. En quomodo mirè signatur per classes, quomodo damnationis, sicut *omnium malorum, radix* 1. Timot. 6. *est cupiditas*. En quomodo iusto Dei iudicio reducuntur peccatores sub Diaboli potestate in Ægyptum mysticè: vendendi inimicis infernalibus *in seruos & ancillas*, quod attexitur in calce. Et quod horribiliter extat in clausula: *venderis*, seu (quod legunt Septuaginta & Chaldæa) *vendemini in seruos & ancillas*, additurque *inimicis*: *& non erit qui emat*. Dictum est supra Exodi 21. num. 2. quomodo seruitutis pœna in lege non erat perpetua; & qualiter tractabantur suauiter, quasi liberi. Non sic cùm inimicis vendendi fuissent, vt hic prænunciatur, nàm vt iumenta seruitus simpliciter seruos habet, vt Genes. 3. num. 17. visum est. Grauissimum autem æstimabatur iugum: vnde per modum fugæ duntaxat præeligebatur Esther. 7. *atque vtinam in seruos & famulas venderemur*;

D Apoc. 8. Com. & pl. 47

remur;

remur : esset tolerabile malum : & gemens tacerem sunt qui ferant huc miseriam Iudæorum sub Tito, cũ exhiberentur vendendi triginta & vno argenteis, nec esset qui emeret. At ipse hic reor effectiuam venditionem prædici, tanquam vindictæ quid summum : præcipuè mystica allegoria, in Dæmonum inimicorum mancipia ; Isaiæ 52. *gratis venundati estis* : Haymo ; *sub peccato*. Et vbi Roman. 7. ait Apostolus; *ego autem carnalis sum, venundatus, sub peccato* ; idem Auctor ; *primus homo accepta dulcedine vetiti pomi, vendidit semetipsum diabolo in seruum, cùm liber esset : & omnis qui concupiscentia carnali delectatur, & dulcedine peccati fruitur, diabolo & peccato se vendit, cui se supponit*. Et D. Thomas opusc. 58. c. 23. debito mortis æternæ grauari astruens animam, illud assumit, *venundatus sub peccato*. Quamdiù autem sumus in via, (quamquàm *qui facit peccatum seruus sit peccati*, Ioann. 8. quia vt dicitur 2. Petri 2. *à quo quis superatus est, eius & seruus est*) nondum addicti sumus irreparabiliter iugo diaboli; quia toties sacramentorum ope, *non corruptibilibus auro vel argento*, primæ Petri c. 1. *sed pretioso sanguine Christi redempti sumus* : at post vitæ huius curricula, si maledictioni finali subijciamur, stipulata est venditio Principibus tenebrarum : non est vltra locus pœnitentiæ, aut spes libertatis, nec erit vnquam : *non erit*, inquit, *qui emat* : Non quasi remansuri sint liberi, ementium deficientia ; sic enim non tam grauis foret pęna exhiberi vendendos, & re non vendi : sed *non erit qui emat*, idest qui redimat venditos : quo sensu primæ Corinth. 6. legimus ; *empti estis pretio magno* c. 7. *pretio empti estis* ; & Apoc. 14. *qui empti sunt de terra*, idest redempti. Clamat concors Ecclesia, *in inferno nulla est redemptio*. De æternæ pęnæ reatu prima secundæ, Quæst. 87. a. 3. alijsque in locis : sufficiat hæc delibasse ; quibus contextus plures consentiunt, vt mox num. 31. expendemus.

30 In appendicem, nonnulla obseruanda sunt : Inprimis quidem ; *classibus* reducendos prauos in tenebrosam illam inferni *Ægyptum* : fortè ad innuendum eos flatu Domini expellendos ; de quo Isaiæ 40. *spiritus Domini sufflauit in eo* : & 2. Thessal. 2. *quem Dominus interficiet spiritu oris sui*. Velocitas etiam qua ad infernum rapientur significatur ; quia flante vento vehementi, momento iter multum conficitur : impij autem *in puncto ad inferna descendunt*, Iob. 21. supra versu 20. *& perdat velociter*. Præterea, cum de vendendis etiam mulieribus in ancillas dicatur, argumento est, præfata omnia ad litteram non esse accipienda ; eoquod mulieribus litteraliter ægrè possunt aptari ; puta versu 25. *per vnam viam egrediaris & per septem fugias*. Verùm de perditione in Infernum fieri sermonem præcipuè hoc in capite, constat ex eo quod Abraham diuiti in Inferno degenti Lucæ 16. respondit. Dixerat diues ; *rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis ; ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum : & ait illi Abraham : habent Moysen & Prophetas : audiant illos*. At ille dixit ; *non, Pater Abraham : sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi : si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. Nunc ipse requiro ; & vbinam Moyses de infernalibus tormentis loquitur nisi hoc in capite? Inter Prophetas si vnus proferretur Dauid, sufficeret. At vltra tactos ; occasione expositionis ; recolo Danielem c. 12. *euigilabunt, alij in vitam æternam alij in opprobrium, vt videant semper*. Et Isaiam 8. *Non erit eis matutina lux. Et transibit per eam : corruet, & esuriet : & cum esurierit irascetur : & maledicet Regi suo, & Deo suo : & suspiciet sursùm, & ad terram intuebitur : & ecce tribulatio, & tenebræ, dissolutio & angustia, & caligo persequens. Et non poterit auolare de angustia sua*. Quem locum ad rem [F] fert Sanctus Doctor in primo Apocalyp. Comm. cui concordat Sophonias c. 1. *Dies tribulationis & angustiæ : dies calamitatis & miseriæ : dies tenebrarum & caliginis : dies nebulæ & turbinis*.

F Apoc. c. 1. ad hue.

31 Superest summo studio perpendere, qualiter miserrimi illius status perhibetur æternitas. Et quidem pluribus maledictionum clausulis satis. *Cœlum* enim versu 23. *æneum* stabilitur ; *& terra ferrea* : quemadmodum *ferreum* dicitur *iugum* versu 48. versu 26. *Et non sit qui abigat* (bestias &c.) versu 27. *ita vt curari nequeas*, versu 29. *nec habeas qui liberet te*, versu 33. *& sis semper calumniam sustinens ; & oppressus cunctis diebus*, versu 46. *vsque in sempiternum*. Versum 59. iam tetigimus suprà ; *plagas perseuerantes, & infirmitates perpetuas*. Denique in calce post pauoris & formidinis perennis cumulum definitiuè profertur ; *& non erit qui emat*. Futurum impetrans sibile sonat ly *non erit*. Sic Ecclesiastes 11. *si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Ibi venderis, & non erit qui emat*. Hanc ipsam pœnarum æternitatem videtur innuere versus 67. *manè dices, quis mihi det vesperum ? & vespere, quis mihi det manè ?* sicut Apocalyps. 20. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Nihilominus ; vt docet Angelicus, [G] Damnati non patientur æqualem pęnam, licèt sit idem ignis, quia actiuum agit in patiente disposito ; & ideo agens agit secundùm dispositionem patientis : vnde secundùm quòd differenter dispositi sunt ad pęnam, secundùm diuersa demerita torquentur, etiam ab eodem instrumento, igne, vel alio : sicut sol manens vnus diuersas res, calefacit, & exurit. Sic in 1. 2. quæst. 73. a. 2. quærens *Vtrum omnia peccata sint paria*, & abnuens, memorat hæreticorum errorem ponentium, omnes pęnas inferni pares esse. Et præterea in 4. Sentent. [H] peccata mortalia dimissa semel, cum contingit eum cui dimissa sunt damnari, non punientur sine fine in inferno : sed expiata illa pęna, minuetur accidentaliter pęnalis inferni status. Quæ doctrina trahi videtur ex Augustino, quem fert 3. parte : in hæc verba. [I] *Qui recedit à Christo ; & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem vadit ? sed non in id, quod remissum est, recidit, nec pro originali peccato damnabitur*.

G Apoc. 14 in fine Comm. 2.

32

H 4. 22. 1. 1. 5.

I 3. p. 88. 1.

33 Vt denique appareat, quàm idem sit tota in Sacra Scriptura Spiritus Sancti calamus : animaduerte septem pœnas inferni notari à S. Doctore, [L] super illud Apoc. 15. *Angelos septem, habentes septem plagas nouissimas*. Vna est inquit, carentia diuinæ visionis Isaiæ 26. secundùm aliam litteram : *tollatur impius ne videat gloriam Dei* (Tu hanc obserua versu 28. & 29. *percutiat te Dominus cęcitate ; & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris*.) Secunda anxietas vermis ; Isaiæ vltimo, *vermis &c.* (tu hanc habes in aqui-

L Apoc. 15. Com. 2.

læ deuorantis volatu versu 49.) Tertia est ardor ignis; Matthæi 3. *paleas autem comburet igni*. (tù huius Symbolum habes versu 22. *in ardore & æstu*) Quarta, vehementia frigoris, Iob 24. *ad calorem nimirum* &c. (ibidem legis; *febri, & frigore*.) Quinta, horror caliginis. (eodem ex versu 28. *percutiat te Dominus cæcitate*). Sexta, fœtor intolerabilis, Isaiæ 32. *de cadaueribus eorum ascendet fœtor* (versu 26. *sitque cadauer tuum in escam* &c.) Septima, societas abominabilis, quod significatur Sapientiæ 17. *Personæ tristes* &c. (iam id accepimus ex versu 36. *in gentem quam ignoras* &c.)

Inquit autem c. 18. [M] tota pœna ideò Beato Ioanni ostensa est, vt caueamus diuinam offensam, ne contingat incurrere tantam pœnam. Id ipsum & hic, dixerim ego, idcircò sic exaggerari. Gregorius 9. Moralium; *quid prodest ista prænosse; si non contingat euadere?* Nota autem, quomodo vt præmium recipiamus à Domino, & è contrà, vt pœnam deuitemus, inculcatur legis obseruantia, respiciendo tempus gratiæ; quia, vt docet D. Thomas Apocalyps. 15. Comm. 2. dupliciter est loqui de lege, vel quantùm ad moralia, vel quantum ad cæremonialia: & quidem quantùm ad moralia obseruanda est lex simpliciter: Matthæi 19. *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Quantum ad figuralia, & cæremonialia, licèt non sint seruanda quoad litteram, quia vmbra cessat, præsente veritate; secundùm spiritum, scilicet quantùm ad spirituale signatum, seruanda sunt; quia illa sunt facienda, quæ pro figurali signantur implenda à nobis præter veritatem credendorum, quam Christus exhibuit in se ipso, & sic loquitur glossa. Vnde Rom. 3. *legem ergo destruimus per fidem? absit.*

M Apoc. 18. in fine.

CAPVT XXIX.

1 HAec sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi, vt feriret cum filijs
Israel in Terra Moab: præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb. 2
Vocauitque Moyses omnem Israel, & dixit ad eos: Vos vidistis vniuersa, Exo.19. 4.
quæ fecit Dominus coram vobis in Terra Aegypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vni-
uersæque terræ illius, 3 tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, porten-
taque ingentia, 4 & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & au-
res, quæ possunt audire, vsque in præsentem diem. 5 Adduxit vos quadraginta annis Sup 8. 4.
per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum
vetustate consumpta sunt. 6 Panem non comedistis, vinum, & siceram non bibistis: vt
sciretis, quia ego sum Dominus Deus vester. 7 Et venistis ad hunc locum: egressusque Sup. 3. 1.
est Sehon Rex Hesebon, & Og Rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus
eos, 8 & tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben, & Gad, & dimi-
diæ tribui Manasse. 9 Custodite ergo verba pacti huius, & implete ea: vt intelligatis vni-
uersa, quæ facitis. 10 Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes ve-
stri, & tribus, ac maiores natu, atque doctores, omnis populus Israel, 11 liberi & vxores
vestræ, & aduena, qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, & his,
qui comportant aquas: 12 vt transeas in fœdere Domini Dei tui, & in iureiurando quod
hodie Dominus Deus tuus percutit tecum: 13 vt suscitet te sibi in populum, & ipse sit
Deus tuus sicut locutus est tibi, & sicut iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob.
14 Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo, 15 sed cunctis præ-
sentibus, & absentibus. 16 Vos enim nostis quomodo habitauerimus in Terra Aegypti,
& quomodo transierimus per medium nationum, quas transeuntes, 17 vidistis abomina-
tiones & sordes, id est, idola eorum, lignum & lapidem, argentum, & aurum, quæ co-
lebant. 18 Ne fortè sit inter vos vir, aut mulier, familia, aut tribus, cuius cor auersum
est hodie à Domino Deo nostro, vt vadat, & seruiat dijs illarum Gentium: & sit inter
vos radix germinans fel, & amaritudinem. 19 Cumque audierit verba iuramenti huius,
benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei:
& absumat ebria sitientem, 20 & Dominus non ignoscat ei: sed tunc, quam maxime
furor eius fumet, & zelus contra hominem illum, & sedeant super eum omnia maledicta,
quæ scripta sunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen eius sub cælo, 21 & consu-
mat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel iuxta maledictiones, quæ in libris le-
gis huius, ac fœderis continentur. 22 Dicetque sequens generatio, & filij qui nascentur
deinceps, & peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas Terræ illius, & infirmi-
tates quibus eam afflixerit Dominus, 23 sulphure, & salis ardore comburens, ita vt vltra
non seratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum subuersionis Sodomæ, & Go-
morrhæ, Adamæ, & Seboim, quas subuertit Dominus in ira, & furore suo. 24 Et dicent Gen. 19.
omnes Gentes: Quare sic fecit Dominus Terræ huic? quæ est hæc ira furoris eius immensa? 24.
25 Et respondebunt: quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eo- 3. Reg. 9. b. 8. Ier. 22. b. 8.
rum, quando eduxit eos de Terra Aegypti: 26 & seruierunt dijs alienis, & adorauerunt

Mmm 2 eos;

eos, quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi: 27 idcirco iratus est furor Domini contra Terram istam, vt induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine scripta sunt; 28 & eiecit eos de terra sua in ira, & in furore, & in indignatione maxima, proiecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur. 29 Abscondita, Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt, nobis, & filijs nostris vsque in sempiternum, vt faciamus vniuersa verba legis huius.

1 VERSVS I. *Hæc sunt verba fœderis*, &c.

Quoniam præcedenti in capite, tot fulminat Dominus maledictiones, tandemque æternam, ac irreparabilem damnationem, in eos qui noluerint audire vocem Domini, quoad mandata, cæremonias, &c. & hoc quod est finaliter perdi hominem quem creauit, nescienti iustum iudicium Dei, graue nimis posset videri; contendit Moyses Dei partes tutari, sic vt vno verbo, sonet caput præsens, quod ait Osee c. 13. *perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Si ergò dicant *omnes Gentes* (quod extat versu 24.) *quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris eius immensa? respondebunt: quia dereliquerunt pactum Domini*, &c. (de hoc pacto præagitur in hoc ipso capite) *idcirco*, &c. *& eiecit eos de terra sua; in ira & in furore, & in indignatione maxima*. S. Thomas ad Psalm. 37. *Domine ne in furore tuo arguas me*, inquit [A] *furor Dei ardet in inferno*. Ex quo ergo excandescit ira Dei in *furorem*, atque *indignationem maximam* ex textu, atque *immensam*, satis constat de damnationis sententia verba fieri. Et propterea in inferni typum, de *igne*, de *sulphure*, de *combustione*, de que *perpetua sterilitate Sodomæ & Gomorrhæ*, v. 23. introducitur; dicente etiam Dauid in ps. 10. *ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Et idem iudicium finale tangitur, quando cuncta iudicia Dei complebuntur, dum omnes gentes dicturas, inquit, *quare sic fecit Dominus terræ huic*, &c. (cohæret quod ait Apostolus sub eadem terræ metaphora Hebræorum 6. terra sæpe venientem super se bibens imbrem & generans herbam opportunam accipit benedictioné à Deo; proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima.) Sanè Matthæi 25. *cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, congregabuntur ante eum omnes gentes*. Secùs vltio de aliquibus sumpta, vix ad omnium notitiam quit peruenire.

A op. 58. 25.

Reuertamur ergo ad initium. *Hæc sunt verba fœderis*: non noui quidem fœderis, secùndùm quod animaduertit D. Augustinus apud Hugonem, sed innouati, & alio in loco conditi. Nisi mauis figuraliter ad nouum nouæ legis pactum respici: quia vndecumque micant tropologiæ; & in Iudæorum duritiem potest intelligi lata hæc animaduersio. Verùm figurali ab intelligentia non recedẽdo fœdus eatenus esse potest nouum, quatenùs Dominus sui cognitionem primò excæcatis inuexit; vnde & lex data est, *ne obscuratum* vltrà esset *insipiens cor eorum*; de quo Roman. 1. Et deinde ad sequendum quem nouerat; atque vt possent promissa assequi, se virium, & auxiliorum datorem, veluti oppigneratum firmauit. Hoc est quod præfertur in littera: vt illud videatur Dominus dicere Isaiæ 5. *quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei?*

VERSVS II. *Vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti, Pharaoni, & omnibus seruis eius*.

Quasi dicat, demersus est Pharao cum suis in mari rubro. Ezechielis 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij?*

VERSVS III. *Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia*. 2

Quæ fecerit Dominus ad reuocandum Pharaonem patet in Exodo. Certè per Deum non stetit, quin emollesceret, sed induratum est Cor Pharaonis. Ad ipsum si quis cogitationem conuerterit, non mirabitur quosdam damnari. Huc autem collimat præsens rei huius denarratio; quia non agitur de eductione populi de Ægypto, sed de toties intentata salute Pharaonis: vt innotescat (Sap. 1.) *quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*: & paulò post. *impij manibus & verbis accerserunt illam*; quia [B] malum pœnæ primordialiter ex merito nostri peccati contingit: malum autem culpæ, non est à Deo tanquam ab actore, sed à nobis ipsis, in quantùm scilicet à Deo recedimus. Iob 10. *Deus non porriget manum malignis*.

B 22.19.1 3.

VERSVS V. *Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra*, &c.

Cùm suprà c. 8. huiusmodi diuinæ largitatis beneficia recolantur: *afflixit te penuria, & dedi tibi manna*, &c. *vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus*; certè non ad simplicem recordationem hic iterum proferuntur, sed arcana alia de causa, quæ tamen ex rerum serie clarescit. Contendit, vt visum est, Dominus, non posse quempiã causari, nisi se ipsum incuset, si damnationem incurrat; propterea, sceleratissimo Pharaoni & suis summa clementia, etsi infructuosè, insudasse. Nunc vt descendat ad peculiaria, ex quibus claret qualiter *vult omnes homines saluos fieri*, 1. Tim. 2. attexit de vestimentis, & calceamentis: & alia exinceps. Ad duo quippe, vt præsto sit nobis Deus, indigemus, perueniendi gratia ad terram promissam: nimirum, vt faciamus bonum perenni ad Deum profectu, non deficientes; atque secundo loco, vt malum fugiamus. *Declina*, psalm. 36. *à malo & fac bonum*. Siue vt opera virtutum edamus; & vitiorum hostes vincamus. De primo ait Apostolus Ephes. 2. *ipsius enim sumus factura, creati in operibus bonis, vt in illis ambulemus*, & ad Galat. 6. *bonum autem facientes non deficiamus*. De secundo, idem Ephes. 6. *propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare: state ergo succincti lumbos vestros*, &c. *vt possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Nunc ad rem, rogo; quidnam ad hæc omnia designanda tropologica quadam maiestate, poterat conuenientius excogitari, quàm dicendo, *non esse attrita vestimenta, calceamenta non esse vetustate consumpta*; 3

sæuos-

ſæ uosque percuſſos aggreſſores *Og*, *& Sehon?* Sanè, indumenta militum erant : vnde Ioſue 5. *Omnis populus, qui egreſſus eſt de Ægyto generis maſculini, vniuerſi bellatores viri*, &c. *Veſtimenta non ſunt attrita.* Per veſtimenta quæ ad ornatum ſunt, ex D. Thoma [C] ſignantur fides, gratia, Innocentia baptiſmalis, & aliæ virtutes. Anima verò [D] virtutibus & gratijs ornatur; *ſpecioſis induere veſtibus*, Iob 40. & Iſaiæ 61. *induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.* Capite verò citato ad Epheſios; [E] eſt autem triplex genus ſpiritualium armorum, ad ſimilitudinem corporalium; quorum quædam ſunt ſimilia indumento ad tegendum; quædam verò ad protegendum; & quædam ad impugnandum. Iuſtitia dicitur lorica, quia ſicut lorica tegit mēbra, ita iuſtitia virtutes omnes. In eo autem quòd addit Apoſtolus, *& calceati pedes*, indicat paratos debere eſſe pedes ad diuina negocia, & myſteria annuncianda. Hæc ex D. Thoma. Ex quibus fas eſt in præſenti, germanam trahere quoque intelligentiam de veſtimentis item, & calceamentis; vt ſcilicet, *in operibus bonis*, Epheſ. 2. *ambulemus*. Et quoniam ait Dominus Matthæi 15. *miſereor turbæ*, &c. & dimittere *eos ieiunos* nolo, *ne deficiant in via*; ideo coherenter admodum eſt

[C Apoc. 3 & 16. Cō. 2.] [D Prologo Tertij ad Hann.] [E Epheſ. 6. l. 4.]

VERSVS VI. *Panem non comediſtis; vinum et ſiceram non bibiſtis.*

Ac ſi diceret, robur proficiendi atque perſe-
4 uerandi in via, mihi acceptum oportet referri;
neque enim naturali aliqua virtute, poteſt quiſquam præcingi, proſequi, aut fortiter conſummare iter ſalutis, niſi me vires largiente, *vt ſciretis, quia ego ſum Dominus*, (hic) qui do *velle et perficere*, (Philipp. 2.) qui do *omnibus affluenter*, (Iacobi 1.) qui do *laſſo virtutem* (Iſaiæ 40.) & hilaritatem ad operandum; Pſ. 103. *vinum lætificet cor hominis; et panis cor hominis confirmet.*

Profectò nihil aliud videtur intendi, breui hoc diuinorum beneficiorum relatu: neque enim in laudando *Man*, aut in aquæ diuinitus emanatæ immoratur commendatione: ſed tangit ſolummodo, ipſorum in omnibus inopiam, cui gratis ſuccurrerat: ex quibus ſciatur, ſi quoſdam perire contingat, Deo non imputari. Qui immò, victoribus, etiam in hoc mundo præmia etſi non conſummatè, largitur: vnde textus, *tulimus terram eorum, ac tradidimus poſſidendam Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe*: quia boni, etſi in hac vita (vt ait D. Thomas,) [F] non habeant corporalia præmia, nunquam tamen deficiunt à ſpiritualibus, etiam in hac vita; ſecundùm illud Matthæi 9. & Marci 9. *centuplum accipietis etiam in hoc ſæculo.* Et quidem nomina præſenti annuunt interpretationi. Nam *Ruben* Geneſis 49. dicitur *prior in donis*: ſi menſuram tamen teneat vt ibi Angelicus. [G] *Gad, accinctus*: ideſt armis & balteo militari præliabitur. *Manaſſe* etiam ſonat *obliuionem*, quia [H] qui obliuiſcitur temporalia (Philipp. 3. *quæ quidem retrò ſunt, obliuiſcens*) propinquus eſt perfectioni. Videatur ſupra c. 3. & Numeri c. 32.

[F p. 2. 69. a. 2.] [G Geneſ. 49.] [H Apoc. 7 Comm. 2.]

VERSVS IX. *Cuſtodite ergo verba pacti huius, & implete ea, vt intelligas vniuerſa quæ facitis.*

5 Simile quid dixit Saluator Ioannis 7. *Si quis*
voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, Vtrum ex Deo ſit: an ego à me ipſo loquar. Sanè, vt patet ſuprà c. 4. *obſeruabitis, & implebitis opere: hæc eſt enim veſtra ſapientia, & intellectus* Benè autem, vt intelligantur, præexigitur mandatorum obſeruantia; *quia in maleuolam animam*, Sapientiæ 1. *non introibit ſapientia*, eo quòd [I] ſapientiæ illuſtrationem præcedit iuſtificatio. Quocirca, dum quæritur, *Vtrum ſapientia poſſit eſſe ſine gratia*, [L] *& cum peccato mortali*: Reſpondetur negatiuè; quia ſapientia, quæ eſt donum Spiritus ſancti, facit rectitudinem iudicij circa res diuinas, ex quadam connaturalitate, ſiue vnione ad diuina, quæ eſt per charitatem. Hinc S. Doctor: [M] cum iudicium ad ſapientem pertineat, ſecundùm duplicem modum iudicandi, ſapientia accipitur. Contingit enim aliquem iudicare vno modo, per modum inclinationis; ſicut qui habet habitū virtutis, rectè iudicat de his quæ ſunt ſecundùm virtutem agenda: vnde & in 10. Ethicorùm dicitur, quòd *virtuoſus eſt menſura, & regula actuum humanorum*. Alio modo per modum cognitionis, ſicut aliquis inſtructus in ſcientia morali, poſſet iudicare de actibus virtutis, etiamſi virtutem non haberet. Primus igitur modus iudicandi de rebus diuinis, pertinet ad ſapientiam, quæ ponitur donum Spiritus-Sancti; ſecundùm illud 1. Cor. 2. *ſpiritualis homo iudicat omnia*: & Dionyſ. dicit 2. cap. de diuinis nominibus *Ierotheus doctus eſt, non ſolum diſcens, ſed & patiens diuina.* Huc tu recole cum eodem [N] illud Bernardi; *Diſcat quantum vult: ego ſapientem non dicam dum non timebit, nec diliget Deum.* Sic 1. Cor. [O] citato; hoc ipſum confirmans; eadem, inquit, ratio eſt de ſano, & infirmo circa iudicium ſaporum, & de debili & forti circà iudicium ponderum. Sic etiam vbi Iſaiæ 7. habetur, *niſi credideritis non permanebitis*; & ſecundùm aliam litteram, *non intelligetis*, docet [P] quomodo fides importat ſolùm aſſenſum ad ea quæ proponuntur; ſed intellectus importat perceptionem veritatis, quæ non poteſt eſſe circa finem, niſi in eo qui habet gratiam gratum facientem. Ideò Dominus mentis obtenebrationem in vitæ prauitatem refundit, Ioan 3. *Lux venit in Mundum; & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucē, erāt enim eorum mala opera.* 2. 2. q. 49. art. 1. ad 3. amiſſio charitatis eſt via ad amittendam fidem. Praxis id probat: non ait, qui peccat, ſed *amiſſio*, quaſi contemptu. Propter hæc puto, ſic fieri in ſacro textu mentionem de operibus exequendis ad intelligenda myſteria; quia *cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapiētiam*, Eccleſ. 22. Et ideò verſu 4. dicit; *non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſſint audire, vſque in præſentem diem.* Suſtinuit autem Scriptura adijcere; *cuſtodite & implete, vt intelligatis*; quia interponendo, de veſtimentis, de calceamentis, de alimonia de victoria, deprehenderetur, omnia iſta operis profectum portendere, quando mox de implendis diuinis præceptis commonebamur. Quamuis dici queat, in hiſce ad naturam ſpectantibus beneficijs, extare diuinæ ſupernaturalis Prouidentiæ typum, qua in altiorem finem rationales dirigit creaturas, quatenus *vult omnes homines ſaluos fieri*, (1. Timot. 2.) *quia per bona opera certam noſtram facimus vocationem & electionem*, 2. Petri 1.

[I 3. p. 44] [L 22. 45] [M p. p. 1 3. & Corint. lect. 3.] [N Ser 18. e2 E ſtola. O p C 2. l. 1.] [P 22. 8. 3.]

VERSV XI. *Exceptis lignorum cæsoribus, & his qui comportant aquas.*

6 Legunt Septuaginta, *à lignorum cæsoribus, vsque ad comportantes aquam*; & similiter Chaldæa: arridet, pro Spiritu: aliàs vt quid fieret huiusmodi reductio ad hos? quasi inter duo extrema cæteri clauderentur? secundùm quosdam etiam ly *excepit*, sonat *præter*; ita vt non interessent: & alij potius putant fieri sensum inclusiuum non secùs dixerim ego, atque Matthæi 14. legitur: *manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis.* Igitur videntur duo hæc hominum genera, *cæsorum, & comportantium aquam*, in clausula memorari, vt, quibus magis incumbit labor & onus diuini custodiendi fęderis, innotescat. Cohæret interpretatio præmissis; non enim perperam inquit v. 10. *vos statis hodie cuncti* &c. *Principes vestri, & Tribus: ac Maiores natu atque Doctores.* Hi sunt qui cædere debent ligna & aquam comportare. D. Augustinus in serm. 256. de Tempore; *Si Domus Dei nos ipsi; nos in hoc sæculo ædificamur, ædificatio habet laborem. Quod hic fiebat quando ista surgebant; hoc fit modo cùm congregantur credentes in Christum; credendo enim quasi de syluis, & montibus ligna & lapides præciduntur: cum vero cathechizantur baptizantur, formantur; tanquam inter manus fabrorum, & opificum dolantur, collimantur, complanantur. Veruntamen domum Dei non faciunt, nisi quando charitate compagmantur.* Sic de Diuo Ioanne Euangelista canit Ecclesia: *quasi vnus de Paradisi fluminibus Euangelista Ioannes, verbi Dei gratiam in toto terrarum Orbe diffudit*, & Sanctus Maximus in Homilia 59. quæ est secunda de S. Eusebio, *Quidquid igitur in hac Sancta plebe potest esse virtutis & gratiæ, de hoc quasi lucidissimo fonte, omnium riuulorum hæc puritas emanauit.* Isti, vt ipse reor, sunt aquarum comportatores: qui præ alijs pacto se Deo obstrinxerunt de aliorum salutis cura. Quamquam minores etiam, vnusquisque pro sui conditione, Deo sint obærati.

VERSVS XVIII. *Ne forte sit inter vos vir, aut mulier,* &c. *& sit inter vos radix germinans, fel & amaritudinem.*

7 Sic legunt etiam Septuaginta: licèt Chaldęa (qua meditatione, viderint) transtulerit in hæc verba, *ne forte sit in vobis vir cogitans peccata aut superbiam.* Comes fellis sine dubio est amaritudo. Cæterum fel [Q] ex D. Thoma vocatur principium motus iræ. Iracundorum autem ex Philosopho 4. Ethicor. amari quidam dicuntur, quorum ira difficilè soluitur. Notat autem ad hæc, qualiter etsi tàm amari, quàm difficiles siue graues, habeant iram diuturnam, attamen alia & alia de causa: nam amari habent irã ob permanentiam tristitiæ, quam inter viscera tenent clausam; & quia non prorumpunt ad exteriora tristitiæ signa, non possunt persuaderi ab alijs, nec ex se ipsis recedunt ab ira, nisi prout diuturnitate temporis aboletur tristitia; & sic deficit ira. Sed in difficilibus est ira diuturna propter vehemens desiderium vindictæ: & ideo tempore non digeritur, sed per solam punitionem quiescit; Hæc D. Thomas, [R] Qui in corpore articuli item ait, iram nimis in amaris perseuerare, quia causa iræ, scilicet iniuria illata, nimis remanet in memoria: vnde ex hoc homo diuturnam tristitiam concipit. Absit ergo, vt aliquando sit ergà nos Deus ob offensas amarus: *sicut in alijs nationibus* (2. Machab. 6.) *patienter expectat, vt eas cùm iudicij dies aduenerit in plenitudine peccatorum puniat*: absit, vt iram suam non prodat: absit, vt inter viscera teneat clausam: finalis enim animaduersio ebullit intùs, vt aliquando erumpat. Et ecce quomodo huiusmodi occultam priùs, sed suo tempore impetu se se extollentem iram sacra littera innuit: dùm sequitur versu 20. *& tunc quàm maximè furor eius fumet.* Quod argumento est latentis eo in loco ignis. *& zelus contrà hominem illum.* Zelus [S] est amor sponsi, Prouerb. 9. *zelus & furor viri.* Recogito autem ego, consuescere sponsum veluti simulare, atque dissimulare delictum sponsę, donec recidiuè lapsam deprehendat in crimine.

Q p.2.46. 8.

R 2.2.158 5.

S Hebr. 10.l.3.

VERSV XX. *Sed tunc quàm maximè furor eius fumet.*

Vide mirabile Scripturæ sacræ studium: 8
præmittit de amaritudine, quæ diu latet in corde; & tamen subdit, *tunc furor eius fumet.* Tunc? & quando? occultum est. Obserno aduerbium illud *tunc* vsurpari quoties de finali retributione pro meritis sermo est. Matthæi 22. *tunc dixit Rex ministris; ligatis manibus, & pedibus mittite cũ in tenebras exteriores.* Et c. 25. *Tunc dicet & his qui à sinistris erunt.* Igitur vno verbo de punitione in inferno textus hic loquitur. *Altissimus est enim patiens redditor*, Eccles. 5.

Quare autem hanc damnationem quis incurrat, aperit antecedenter versu 19. *Cumque audierit verba iuramenti huius*, &c. *benedicat sibi in corde suo dicens. Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei.* Inter alios videntur perhiberi damnandi, qui diuinæ reconciliationis gratia abutuntur; & fisi temerè misericordia, ansam prauè viuendi arripiunt. Ecclesiastici 5. *ne dicas; miseratio Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* In præsenti simile quid, *pax erit mihi.* Primæ Thess. 5. *cum dixerint, pax, & securitas, repentinus eis superueniet interitus.* Isti sunt periculosi qui fabricant super patientiam Dei, Ps. 128. *suprà dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suã, Dominus iustus concidet ceruices peccatorũ.* D. Thomas in opusc. [T] id exponit de Diuina patientia. Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te expectat? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Amarus clausam tenet iram: sic thesaurus. Eccles. 15. *nemini dedit spatium peccandi.* Iob 24. *dedit ei Deus locum pœnitentiæ; & ille abutitur eo in superbiam.*

T opusc. 60.2.18.

VERSVS XIX. *Et absumat ebria sitientem.*

Perdifficilem notant & permolestum hunc
locum: vnde & plurimas excogitarunt interpre- 9
tationes. Ipse, missis omnibus, ea sum in sententia; vt eiusmodi prouerbio, & sceleris grauitas, & damnationis meritum exaggeretur. *ebria absumit sitientem*: quando fidelis, qui tot Dei gratijs & beneficijs quæ nouit, quæque fatetur, onustus (*visitasti terram & inebriasti eam*, Psal. 64.) discordi vita, scandalo est infideli. Siue ad Hebræos referatur, pro statu legis, siue ad Christum
stum colentes in lege gratiæ, dum donorum Dei 1
pressit exuperantia, & tamen fidei professionem

deni-

denigrat opera, sitiens quicumque fuerit extra, miserè perit; quia ridet legem, quam ore solùm probari, non corde aut opere videt. Sic quoad vitæ mores; vnde Prouerb. 25. *Fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadens coram impio*, & priùs; *aqua frigida animæ sitienti; & nuncius bonus de terra longinqua*. D. Chrysostomus hom. 7. in Ioan. *iampridem infideles doctrinam suam damnassent, & nostram approbassent, nisi vita nostra retraherentur: dicunt enim; vbi est fides catholica, quam credunt? vbi præcepta pietatis & castitatis, quæ discunt? Euangelia legunt, & sunt impudici: Apostolos audiunt, & inebriantur: Christum sequuntur, & rapiunt: vitam improbam agunt, & legem probam se habere dicunt.*

V 1.Cor. 10 l.3. hinc. Ly *vena corrupta*, inquit S. Thomas, [V] insinuat imitationem malorum. Præcedens autem sententia videtur præsenti litteræ concors esse, & pariter expositioni, dum legimus; *aqua frigida animæ sitienti*: ebibit quippe anima sitiens auidè, refrigescente charitate, per imitamentum frigidas maiorum operationes: euaditque *iustus cadens coram impio* nuncius quidem bonus, pura vocali euangelicæ legis, quæ bonus nuncius est, commendatione. *De terra longinqua*. Cor quandam similitudinem habet cum terra, vt patet in parabola de semine, Lucæ 8. *Qui autem secùs viam; hi sunt qui audiunt: deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.* Cor istorum *terra est longinqua*: iuxta illud Isaiæ 29. ex Domino Matthæi 15. *populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me.*

10 Quàm benè de comportantibus aquam paulò ante specialis mentio facta est! Et propterea aiebat Paulus 1. ad Timoth. 3. de Episcopo; *oportet autem, & illum testimonium habere bonum ab his qui foris sunt.* [V] Vbi adnectit D. Thomas [X] (X 1.Tim. 3.l.2.) illud Coloss. 4. *in sapientia ambulate ad eos qui foris sunt*. Et 1. Petri 2. *Conuersationem vestram inter gentes, habentes bonam*. Tù illud etiam recole 1. Thessalonic. 4. *vt & honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt*: addit D. Thomas, quia conuersatio totius congregationis iudicatur ex Prælato: vnde subdit D. Petrus, *vt in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis*. Hoc totum videtur indicari in sacro textu: introducitur enim percontatio, *quare sic fecit Dominus terræ huic?* Et post aliqua, tandem adiectum est; *seruierunt dijs alienis, quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi*. Postremum hoc, aliter; *& non distribuit illis*, apud Septuaginta: Chaldæa; *& quæ non possunt benefacere eis*. Noster; *& quibus non fuerant attributi*: Ac si diceret: hæc est ingens damnationis periculosæ causa; labi & relabi aliquos in peccata, *quibus non fuerant attributi*, idest, non credebantur eis dediti, sed alieni omninò. Huiusmodi grauia, grauiora sunt ratione personarum & status; Hinc D. Paulus Hebræor. 10. docet, fidelem *grauiora mereri supplicia*, ex hoc quòd peccando *filium Dei conculcat* per contemptum: vnde & Dominus conqueritur Ieremiæ 11. *quid est quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa?* & c. 23. In prophetis Hierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij: & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerterentur vnusquisque à malitia sua. Quas authoritates sic expendit Angelicus [A] quærens Vtrùm Religiosus, eodem genere peccati grauiùs peccet, quàm sæcularis. (A 22. 1 10.) Fideles apud infideles; Religiosi apud sæculares; maiores apud minores, non erant ea in opinione, vt essent *attributi* dijs alienis. Hoc est peccatum scandali: quod acerrimè punitur a Domino.

11 Quamuis autem hæc omnia indiscriminatim, ad delinquentes status cuiuscumque, in proximi spirituale detrimentum, referri possint: vnde vbi noster transtulit pressè, *& absumat ebria sitientem*, legunt Septuaginta; *vt non simul perdat peccator innocentem*: & Chaldæa; *vt addantur ei peccata ignorantiæ, peccatis superbiæ*: in quantùm, si à quouis incurritur damnationis periculum, certè ab his, de quibus ait Dominus; *væ homini illi, per quem scandalum venit*, Matthæi 18. *expedit illi, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*: quemadmodum & obstinati per Pharaonem qui suprà atque per illius asseclas significati. Nihilominus specialiter congruè exponi fas est litteram, de Iudæorum Christo non credentium perfidia: qui idololatriæ nota laborant, etsi Deum colant; quatenus nec Trinum & Vnum, nec Incarnatum adorant: æquiparantur enim colentibus falsos Deos, quando Deum verum de Deo vero blasphemant. Ipsi typo Pharaonis indurati sunt: absumunt tanquam ebrij sitientes; quia maiorum inter eos (2. Cor. 3.) *obtusi sunt sensus*: & inde alij perduntur: vel quia, dum, *non fecit taliter omni nationi* ps. 147. *quorum* (Rom. 9.) *adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa*: diuinis fauoribus & beneficijs fuerunt quasi inebriati; idest vsque ad excessum donati; & tamen sua ceruicis durissimæ obstinatione, plurimos veritatis siticulosos perire sunt in causa. Sic cùm in versu 22. habemus; *dicetque sequens generatio, & filij* &c. de nouæ legis fidelibus, de quibus Dominus; *non præteribit generatio hæc*, potest intelligi: vnde *præsentibus & absentibus*, vt patet v. 15. ferit fœdus, & iuramenta confirmat. Certè vbi Dominus Matthæi 24. habet, *non præteribit generatio hæc*, Chrysost. exponit de generatione fidelium Christi, vt apud D. Th. p. 2. q. 106. 4. *Sequens ergo generatio & filij*, causam perditionis iudæorum quærentes, (versus 24. *& dicent omnes Gentes; quare sic fecit Dominus terræ huic?*) audiunt diuinum responsum; *Quia dereliquerunt pactum Domini*; &c. Quod pactum derelinquunt modo Iudæi, quia figuratum in veteri Testamento respuunt: eum tamen, satis hic de alio fœdere arcana significatione fiat sermo: Versu 1. *hæc sunt verba fœderis*, & c. præter illud fœdus, quod cum eis pepigit &c.

IV Dices, cum de idolorum cultu hic agatur, quomodo eo in delicto claudi possunt malè viuentes, prauisque moribus populum, qui pusillus est, scandalizantes? Respondeo ex Diuo Thoma [B] ibi; *intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei*. (B Ephes. 5.l.3.) Nota quòd vocat hic auaritiam idololatriam, quoniam idololatria est, quando honor soli Deo debitus impenditur creaturæ: Nunc autem Deo dupliciter honor debetur, scilicet vt in eo finem nostrum constituamus; & vt in eo fiduciam no-

ſtram finaliter ponamus: ergo qui hunc in creaturis ponit, reus eſt idololatriæ. Hoc autem facit auarus, qui finem ſuum in re creata ponit; & etiam totam ſuam fiduciam. Oſee 8. *argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent*. (Ecce hìc v. 16. argentum & aurum commemorari) Pergit D. Thomas; Cùm in alijs peccatis ponat homo finem ſuum in creatura, cui amore inhæret, quare etiam in illis non dicitur peccator idololatra? Reſpondet: idololatrare eſt aliquid exteriùs indebitè colere: Nunc autem in alijs peccatis ponitur finis in interioribus quaſi in propria exaltatione; Sed qui ponit finem in diuitijs, ponit in eis finem, vt in re exteriori, ſicut idololatra. Clauditque, huiuſmodi auaros per ſe, & realiter non eſſe idololatras, quia ſit talis eorum finis; ſed per accidens. Ad rem noſtram ſi idololatria in exteriori vt dictum eſt elucet: iam de exterioribus & in præſenti, intelligenda eſt Scriptura. Scandaloſa ſemper exteriora ſunt: quare qui in ea fertur contemnens ſalutem proximi, idololatriam ſine dubio ſapit: & tanquam alienos Deos colens plectitur.

VERSVS XXIX. *Abſcondita Domino Deo noſtro: quæ manifeſta ſunt nobis* &c.

Laborant, vt huius etiam intelligentiam aſſequantur. Ipſe, cum agatur de damnatione, & de gloria in hiſce capitibus, ratus ſum perhiberi meritò abſcondita, quoniam *nouit Dominus qui ſunt eius*: Ioan. 10. *cognoſco meas*. *Nouit Dominus* (quod ait Auguſtinus) *qui permaneant ad gehennam, qui permaneant ad coronam*. Sibi ſimpliciter ſeruat hæc abſcondita Dominus: quia *neſcit homo*, Eccleſiaſtes 9. *an amore, vel odio dignus ſit. Quare iſtum trahat, & illum non trahat*, quis norit? Tangitur hìc de prædeſtinatione & reprobatione. Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, niſi diuinam voluntatem, [c] vt ait D. Thomas. Ieremiæ 23. *quis affuit in Conſilio Domini?* Sic aliàs in Secreta; *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum*. Poteſt etiam quoad vltionem malorum, afferri quod ſequitur infrà c. 32. v. 34. *nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* & v. 35. *mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore* &c. *Manifeſta ſunt* tamen *nobis*, (quod habemus in littera,) *vt faciamus*: quia noſtrum eſt ſatagere pro ſalute, neque curioſiùs veſtigare diuina. Ad impellendum autem ſegnes vt operentur, *ſecundum quid*, & in communi *manifeſta ſunt nobis, & filijs noſtris*, quia conſueuit Deus præmonere, vt fugiamus *à facie gladij* Iob. 19. & pſ. 59. *dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus*. Sic Matthæi 3. præmonebat Baptiſta; *ſecuris ad radicem poſita eſt*: vbi Chryſoſtomus; *ſed ſi poſita eſt, quare non præcidit? vt videntes ad radicem ſuam poſitam eſſe ſecurim, timeant, & faciant fructum; ergo denunciatio iræ eſt ſecuris poſitio*. Terrenorum nimius amor figi radicem profundiùs eſt in cauſa: hoc dolet Ieremias c. 12. *plantaſti eos, & radicem miſerunt*. *Qui terram diligit*, Auguſtini ſenſu, *terra eſt*: *idcirco* (vt hìc verſu 27.) *iratus eſt furor Domini contra terram iſtam, vt induceret ſuper eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine ſcripta ſunt*.

C p p. 13. a. 1.

CAPVT XXX.

1 CVm ergo venerint ſuper te omnes ſermones iſti, benedictio, ſiue maledictio,
quam propoſui in conſpectu tuo: & ductus pænitudine cordis tui in vniuerſis gen-
tibus, in quas diſperſerit te Dominus Deus tuus, 2 & reuerſus fueris ad eum,
& obedieris eius imperijs, ſicut ego hodie præcipio tibi, cum filijs tuis, in toto corde tuo, &
in tota anima tua: 3 reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, ac miſerebitur tui, &
e Mat. 1. f 29. rurſum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante diſperſit. 4 Si ad cardines cæli
fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, 5 & aſſumet, atque introducet in
Terram, quam poſſederunt patres tui, & obtinebis eam: & benedicens tibi, maioris nume-
ri te eſſe faciet, quàm fuerunt patres tui. 6 Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum,
& cor ſeminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua,
vt poſſis viuere: 7 Omnes autem maledictiones has conuertet ſuper inimicos tuos, & eos,
qui oderunt te, & perſequuntur. 8 Tu autem reuerteris, & audies vocem Domini Dei tui:
facieſque vniuerſa mandata, quæ ego præcipio tibi hodie: 9 & abundare te faciet Domi-
nus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in ſobole vteri tui, & in fructu iumen-
torum tuorum, in vbertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate. Reuertetur enim Do-
minus, vt gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gauiſus eſt in patribus tuis: 10 ſi tamen
audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta eius, & ceremonias, quæ in hac
lege conſcripta ſunt: & reuertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota
anima tua. 11 Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque pro-
Ro. 10. b. 6. cul poſitum, 12 nec in cælo ſitum, vt poſſis dicere: Quis noſtrum valet ad cælum aſcen-
dere, vt deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? 13 Neque trans
mare poſitum: vt cauſeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos
vſque deferre: vt poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? 14 Sed iuxta te eſt
ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. 15 Conſidera, quòd hodie pro-
poſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum: 16 vt
diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & cuſtodias mandata illius, ac cere-

monias atque iudicia: & viuas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in Terra, ad quam
ingredieris possidendam. 17 Si autem auersum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque
errore deceptus adoraueris deos alienos, & seruieris eis: 18 prædico tibi hodie, quòd
pereas, & paruo tempore moreris in Terra, ad quam, Iordane transmisso, ingredieris pos-
sidendam 19 Testes inuoco hodie cælum, & terram, quòd proposuerim vobis vitam &
mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen
tuum: 20 & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas (ipse
est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum,) vt habites in terra, pro qua iurauit Domi-
nus patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob, vt daret eam illis.

VERSUS I. *Cum ergo venerint super te omnes sermones isti.*

Comminationem imminentium maledictionum, vnumquemque euasurum, si ad cordis pœnitudinem confugiat, pollicetur hoc in capite Dominus. Et quoniam Iudæos potissimùm spectant quæ dicta sunt, ne fortè in desperationis barathrum corruant, ipsos per firmam temporalium spem reuocare contendit: ijs posteà adiectis, ex quibus ad altiora feratur mens, & intelligat, quomodo spiritaliter resipiscere possint; & post incredulitatem ad veram fidem consurgere. Quod in plurimis magna ex parte impletum sic denarratur, vt durioribus reliquis, in exhortationem cedat simul & increpationem; optione veluti data & vitæ & mortis; quia *neminem ad virtutem compellit Deus*; & quia *nemo potest credere, nisi volens*.

VERSUS III. *Reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, ac miserebitur tui; & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. &c.*

2 Huiusmodi textus tenor sparsim in Prophetis extat. Isaiæ 11. v. 12. c. 14. v. 1. & c. 43. v. 5. & 6. Ieremiæ 23. v. 3. Ieremiæ 32. v. 37. Ezechielis 34. v. 12. & infrà c. 37. v. 21. c. 39. v. 25. Quibus è locis concipit carnalis Iudæus inanem quandam fiduciam, de temporaliter excutienda, quam diù ferunt, subiectione; ac de regressu, & reparando Regno in Ierusalem; vt tangitur summariè ab eruditissimo Maluenda nostro lib. 11. cap. 1. impressionis Romæ. Non imus inficias, temporalem è Babylone liberationem, ad litteram aliquibus in locis promitti; sicuti expressè ipsorum demerita Ieremiæ 34. panduntur in hæc verba; *Dedisti eis terram hanc, quam iurasti Patribus eorum &c. Et ingressi sunt, & possederunt eam, & non obedierunt voci tuæ, & in lege tua non ambulauerunt: omnia quæ mandasti eis vt facerent, non fecerunt; & euenerunt eis omnia mala hæc. Ecce munitiones extructæ sunt, aduersùm Ciuitatem vt capiatur; & Vrbs data est in manus Chaldæorum.* Et paulò post; *Ecce ego tradam Ciuitatem istam in manus Chaldæorum, & in manus Regis Babylonis; & capient eam* &c. Et post aliqua; *Ecce ego congregabo eos de vniuersis terris, ad quas eieci eos; in furore meo, & in ira mea, & indignatione grandi, & reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter.* Sic vltrà decem tribus, quæ ductæ sunt in captiuitatem, à populis per omnes plagas mundi tanquam exules dispersi sunt: & has, secundùm Haymonem, Isaias c. 11. appellat residuum. Verùm etsi res ita se habeat secundùm Historiam: quoniam tempore Cyri, primo ipsius anno soluta est captiuitas, quæ redijt cum Zorobabel & Iesu Sacerdote magno, alijsque Ducibus, vt patet Esdræ 1. ad Vrben instaurandam & Templũ: nihilominus ad anagogiã solidè præbori aditum, non est qui possit ambigere: modo velit contextus Prophetarum expendere, in quibus etiam apertiùs de liberatione à potestate Diaboli, & de adeptione cœlestis gloriæ, quæ est vera promissionis terra, pluries eo sub ænigmate Deus loquitur. Sic vbi Ezechiel. c. 34. ait, *in pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis*, & c. passim apud D. Thomam, de cœlesti gloria, [a] atque etiã de gratia (quas certè decuit propheticè tangi) sermo est, & arrident contextus, ibi, & hic. v. 9. Alibi [b] similitudinẽ declarat dicens, quia viror æternitatis immarcescibilis repromittitur. Consentit ibi contextus, quia v. 23. dicitur, *& suscitabo super eas Pastorem vnum*: qui, vt constat, Christus est Dominus, qui de se inquit, *ego sum Pastor bonus*, Ioan. 10. Sic vbi Ezechielis 36. versu 25. *& effundam super vos aquam mundam*, [c] pluries de sacro baptismate habet interpretationem. Et Ezechielis 37. v. 23. *Et Rex vnus erit omnibus imperans*; de Christo sine dubio intelligitur; [d] *& non erunt vltra, duæ gentes*; Generatio scilicet ex Iacob & Esau: de quibus Genes. 25. *duæ gentes sunt in vtero tuo*: vnde Roman. 9. *quos & vocauit nos, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus.*

A Matth. 13. & Io. 10. 1 a.
B Apoc. 21. Com. 2. ibi iaspide.
C 3. p. 69. 1. p. 12 & 48. Hebr. 10. 1 2.
D Ephes. 2. 1. 5.

Regrediendo autem ad litteram præsentẽ; pro certo contendimus, de reuocatione ad mysticam Ierusalem, quæ est Ecclesia, loqui Spiritum-Sanctum per Moysen: ait enim, *rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit*: quod ait etiam Ioannes Euangelista c. 11. *sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* (*Ecclesia est congregatio iustorum.*) *& assumet atque introducet in terram*, &c. Sanè si sola superficies esset spectanda; oportuisset priùs dici, quod extat versu 18. *prædico tibi hodie quod pereas, & paruo tempore moreris in terra, ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam*: Post ingressum enim sunt dispersi, & deinde reuocati: quare liberationem pollicetur antequam eiectionem comminatus sit? nisi quia tali litteræ inuersione, innotescere voluit, quòd præcipuum erat expectandum, nimirùm reduci mysticè in patriam cœlestem, siue in Sanctam Ecclesiam.

In hanc quippe inuecti sunt post dispersionem, *à quatuor plagis terræ*, vt ait Isaias cap. 11. 3
Tradunt enim historiæ, inquit ibi Haymo, quia ex omnibus locis, vbi Iudæi ante fuerant dispersi, in illa festiuitate aliqui redijssent ad propriũ solum: sicut & Lucas commemorat: *erant autem in Ierusalem viri Religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.* Hinc D. Iacobus c. 1. suæ Canonicæ: *Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione salutem.* Quocircà recolendum est plures Iudæorum ve-

ram fidem ab initio suscepisse: vt patet Actorum 21. quando idem Apostolus Iacobus dixit Paulo: *vide frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt*: vbi Græca; *quot myriades sunt Iudæorum, qui*, &c. Myrias continet decem millia. Vnde & Sanctus Beda, relatus in Catena Lucæ 1. ibi, *suscepit Israel; potest etiam ad Israel carnaliter hoc adaptari: cum ex eo infiniti crediderunt*. Quamuis, vt iudicat D. Thomas, comparatione pereuntium, [E] conuersorum numerus minor sit. Qua in re notandum est ex eodem Sancto Doctore in 2. Apoc. Comment. post medium, graue quid.

E Rom. 10. l. 1. 2. Cor. 3. l. 3.

F Apoc. 5

4 Quæritur inquit [F] communiter de Iudæis circa præmissa: quare scilicet Deus Iudæos primò ad se traxit, ante legem & sub lege: gentiles autem in infidelitate reliquit: posteà verò paucis Iudæis conuersis tempore gratiæ, per se & per Apostolos, respectu eorum, qui permanserunt infideles, reliquit Iudæos, & facti sunt obstinati: gentiles autem priùs idola colentes conuertit. Respondetur: Licèt aliqua super hæc verè dici possent; tamen meliùs dicitur, huius rationem plenam & claram apud Deũ esse occultam: in talibus enim occulta sunt sua iudicia, tamen iustissima; quia nihil sine ratione iustissima facit; vnde dicit Beatus Gregorius: *Incomprehensibilitas diuini iudicij, humanæ mentis oculis non valet penetrari, quare primum Iudæa credidit, gentilitate omni in perfidia gentilitatis remanente: postmodum verò ad fidem, gentilium corda mollita sunt, & Iudæorum infidelitas obdurata. Quis consiliarius eius fuit?* Isaiæ 40. Iob. 9. *quis dicere potest, cur ita facis?* Apostolus hac de re loquens, Rom. 11. *O altitudo diuitiarum*, &c. cui accinit dicens; *iudicia Dei magis sunt veneranda, quàm discutienda*.

5 At hinc fortassè insurget Iudæus: habemus hic, *maioris numeri te esse faciet, quàm fuerunt Patres tui*: ergò hactenus prophetia hæc non est adimpleta: ergò meritò spem adhuc habeo demea à præsenti captiuitate, redemptione. Respondeo; in paucis illis, perditorum comparatione, qui ad Christum conuersi sunt, verificari dictum Moysi, eoquòd euaserunt gentilibus vniti in maximam multitudinem: hæc quippe vnio pluries à Prophetis prædicta est: præsertim ab Isaia c. 54. *Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi*; vt expendit [G] Angelicus. Christus enim est *pax nostra qui fecit vtraque vnum*. Et hoc est quod Isaias ait, c. 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion, lapidem angularem*. *Angularis* dicitur, ait Sanctus, propter vtriusque coniunctionem; nam vt in angulo duo parietes vniuntur, sic in Christo populus Iudæorum, & Gentium vniti sunt. Matthæi 21. *nunquam legistis; lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Ioannis 10. *& fiet vnum ouile, & vnus Pastor*. Et Lectione 5. illud Ezechielis recolit c. 47. *& Rex vnus erit omnibus imperans*. Qui locus huiusmodi est. *Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam: & faciam eos in gentem vnam in terra, in montibus Israel: et Rex vnus erit omnibus imperans: et non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna*, &c. *et pastor vnus erit omnium eorum*. De quo & supra. Iam tu cogita quomodo Abraham etiam constitutus est Genes. 17. *Pater multarum gentium*. Tunc vltra: Gentes ad circumcisionis præceptum non tenebantur, quia traditum est Abrahæ & semini suo, Ergò nisi stultè dicatur velle Dominum ritus diuersos sub vno Rege, sub vno Pastore, necesse est, sic circumcisionem fuisse in omnibus fidelibus habituram locum, vt spiritu esset circumcisio non littera (Quod toties Apostolus prædicat) quæ mysticè facta est per Christum. Et ad hoc innuendum, videtur adiectum esse versu 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor suum, et cor seminis tui, ut diligas*, &c. iuxta quod & Ieremias c. 4. *Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum*, & c. 9. *omnes gentes habent præputium: omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde*. Et hic c. 10. v. 16. *circumcidite præputium cordis vestri*.

G Ephes. 2. l. 5. & 6.

Hùc facit quod obseruat Maluenda lib. 8. de 6
Antichristo c. 1. consueuisse Christiauis, primis temporibus, Iudæorum nomen addici, nimirùm, quia erant veluti cognatæ Religionis homines, & ab illis in fide propagari, vt Orosius lib. 7. c. 6. ac Sanctus Beda in 18. Actor. notarunt. Solitos etiam Paganos, Christianos Iudæos appellare, quòd ex Iudæa traxissent originem; libris iudaicis, idest veteris instrumenti vterentur; Christus Iudæus esset & Apostoli; & Religio in multis consimilis, in confesso est apud omnes, vt notant Genebrardus lib. 2. Cronograph. pag. 220. Baron. Tom. 1. Annal. anno 98. c. 4. & alij, ac obseruauit etiam Sanctus Seuerus l. 2. Sacræ Historiæ: & est perspicuum exemplum apud Dionem in Domitiano; qui agens de ipso Domitiano damnante Flauium Clementem, & Flauiam Domitillam, ait; *illato ambobus crimine atheoticos; cuius rei causa, multi qui in mores Iudæorum transierant, damnati sunt: quorum pars occisa est; pars spoliata facultatibus*. Hæc ipse. At eos omnes fuisse Christianos, quos Iudæos Dio vocauit, non est dubium. Hùc facit etiam quod ait Apostolus Roman. 2. *non enim, qui in manifesto Iudæus est; neque quæ in manifesto, in carne est circumcisio: Sed qui in abscondito Iudæus est; & circumcisio cordis in spiritu*: & c. 3. *quid enim si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit?* Vide Maluendam lib. 11. suprà c. 2. & 17. vbi disquirit de numero Iudæorum, qui supremo tempore ad veram fidem colligendi sunt in Ecclesia: quò facere videtur illud Osee 3. *quia dies multos sedebunt filij Israel, sine Rege, & sine Principe; & sine sacrificio, sine altari, & sine Ephod, & sine theraphim. Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ab bonum eius in nouissimo dierum*. Vbi Chaldæus; *Et post hæc pœnitebunt, & quærent cultum Domini Dei sui, & obedient Messiæ filio Dauidis Regi suo. Certè reliquiæ saluæ fient*. Romanor. 9.

VERSVS VII. *Omnes autem maledictiones has conuertet super inimicos tuos, & eos qui oderunt te, & persequuntur*. 7

Si litteram sequamur, iam claret ex Isaiæ c. 45. quomodo super Chaldæos congestæ sint maledictiones. *Dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam*. Quando scilicet Babyloniam occupauit transferens monarchiam

ad

H Op. 20. l.1.c.7. ad Medos, de quo D. Th. opusc. 20. [H] Sed mysticè etiam hoc potest & debet exponi, iuxtà illud Isaiæ 14. *contriuit Dominus baculum impiorum.* Quod quidem intelligitur de dæmonibus, quorum vexationes in patria Cœlesti non vltrà patiemur. [I] Et quia conuersa anima ad Deum, [L] triumphat de illis, omnia mala quæ in nos moliuntur dæmones, eos angent. Sic potest ergo textus hic explicari: & iam de Cœlestis Regni adeptione sunt quæ sequuntur hic versu 9. *Et abundare te faciet Dominus Deus* &c. & paulo post; *Et in rerum omnium largitate*: quæ cuncta beatitudinem sonant, quæ est *status felix omnium bonorum aggregatione perfectus*. Et tunc gaudere dicitur Dominus Deus, sicut Ieremiæ 32. *lætabor super eis cum benè eis fecero*; idest acceptabo bona eorum, ait ibi D. Thomas; ps. 103. *sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis*.

I Serm. Dom. 4. in quadr. L Serm. Epiphan.

VERSVS XI. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum.*

M Serm. Dom. 3. post Epiphan. D. Thomas in Sermone [M] accipit hoc de præcepto charitatis: quod quidem immediatè antè; *& reuertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua*: & expressiùs v.6. *vt diligas Dominum Deum tuum*. Inexcusabilitas ergò ostenditur hisce verbis; nullus enim, siue pauper siue diues, nec quisquam alius potest excusare se ab illius impletione per impotentiam. Certè, aio ego, ab abstinentia, ab auditione Sacri potest quis impediri; à dilectione nunquam.

VERSVS XII. *Nec in Cælo situm* &c.

8 VERSVS XIII. *Neque trans mare positum*. &c.

Charitatem, à qua lex pendet & prophetæ, inculcat, ceu quæ vna est via liberationis mysticæ consummatæ: hoc est ad cœlestis terram promissionis; *quam præparauit Deus ijs qui diligunt illum*, 1. Corinth. 2. Mirum est autem qualiter sic amplificetur oratio, *nec est in Cælo, neque trans mare positum: sed iuxtà te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo*. Nunquid non satis erat hæc dixisse *in ore tuo* &c. absque exaggeratione illa, *non est in Cælo situm, neque trans mare?* Vt huius intelligentiam assequamur, qua intendit Spiritus-Sanctus propheticè fugam omnem præuertere, qua futurum erat, vt Iudæa incredula se se à dilectione Dei, qui adeo *dilexit mundum, vt filium daret*, Ioann. 3. eximeret: necesse est adeamus D. Paulum, qui Roman. 10. ait, *Quæ autem ex fide est iustitia sic dicit: ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in Cælum? idest Christum deducere: aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? prope est verbum in ore tuo. Hoc est verbum fidei quod prædicamus*. Ecce quomodo, de Cœlo & de mari, (nàm abyssus est profundum aquarum) attexit Paulus sermonem; & videtur hoc ex loco accepisse; iuxtà quod subiungit, allegando Scripturam: *propè est verbum in ore tuo*. Vbi D. Thomas; non est inconueniens, [N] si quod Moyses dixit de mandato legis, hoc Apostolus attribuit Christo, quia Christus est Verbum Dei, in quo sunt omnia Dei mandata: Et ostendit quod sit illud verbum de quo Moyses loquitur dicens, *hoc est verbum fidei, quod prædicamus* 2. Timoth. 4. *prædica verbum*. Ieremiæ 23. *qui habet sermonem meum, loquatur sermonem verè*. Audito ergo (sic suppleuerim ego) ab Iudæis verbo seu mandato fidei in Christum Dominum, perfidi nolunt acquiescere: Et cùm audiunt descendisse de Cœlo, & esse in Cœlo secundùm naturam diuinam, descendisse ad Inferos, abnuunt dicentes, *quis ascendet in Cælum? aut quis descendet in abyssum?* occurrimus nos dicentes: mandatum hoc, verbum hoc fidei, incentiuum hoc fidelis prouocatissimæ dilectionis, *non est in Cælo situm, neque trans mare*. Inquit D. Thomas: ne soliciteris, quòd tibi desit verbum fidei iustificantis, quia ipse descendens de Cœlo, & resurgens ab inferis, impressit verbum fidei *in ore tuo, & in corde tuo*. Quod autem dicit *propè*, vel *iuxtà*, potest referri ad hoc, quod verba fidei, etsi sint supra rationem, Ecc. 3. *plurima suprà sensum reuelata sunt tibi*; non tamen sunt contra rationem; quia veritas non potest esse veritati contraria ps. 92. *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Iuuat hic quæstionem primam 3. p. de conuenientia Incarnationis perlegere: vt inde liqueat, an sit *Verbum hoc in ore*, quo rationabiliter mente & labijs illud teneamus, & fateamur, non secus ac Iosue 1. *non recedet volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo, diebus ac noctibus*: sitque corde, vt tanto amori amoris pensa soluamus. *Trans mare* autem quid est, nisi post passionem? *veni in altitudinem maris*, ps. 68.

N Rom. 10. l. 1.

VERSVS XVI. *Vt diligas Dominum Deum tuum*.

Iterum inculcat dilectionem, quia hæc est lex amoris *qui non diligit manet in morte*, 1. Ioan. 3. Supra v. 6. *diligas, vt possis viuere*. Versu 15. *considera quòd hodie proposuerim in cõspectu tuo vitam, & bonum* &c.

VERSVS XVIII. *Prædico tibi hodie, quòd pereas; & paruo tempore moreris in terra* &c.

Si ergo non fuerit cor auersum, & audiat, quod inhibet versu præcedente; (*fides ex auditu*) si credas, moraberis non paruo tempore, sed æternùm in terræ illius beatæ possessione: quare auersis æternam possessionem terræ adimit.

VERSVS XIX. *Testes inuoco cælum & terram*.

Meritò, quia *ascendit in Cælum, qui descendit de Cælo*, Ioann. 3. *& descendit in inferiores partes terræ*, Ephes. 4. Iterum autem repetit proposuisse *vitam & mortem, benedictionem, & maledictionem*; vt caueat vnusquisque; quia *positus est Christus* Lucæ 2. ex Simeone *in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel. Elige ergo vitam*. Dulcis & cara exhortatio! cuiusnam? Dei vtique: *Vt & tu viuas, & semen tuum*. In quo, promissio facta ad Patres *Abraham & semini eius*, inde menti succurrat: vnde & in calce subditur: *in terra, pro qua iurauit Patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob vt daret eam illis*. 9

VERSVS XX. *Et diligas Dominum tuum* &c. *ipse enim est vita tua*.

Sensus est, [O] Deum esse vitam animæ, per modum causæ efficientis: qui gratiam infundit in animæ, qua formaliter spirituali viuimus vita; sicut & formaliter, [P] est vita corporis. D. Isidorus lib. 1. de summo Bono; *vita corporis anima, vita animæ Deus: & sicut corpus mortuum est sine anima; ita anima sine Deo*: Apocalypsis 3. *nomen*

O p. 1. 10 1 2.

P 21. 23 1 2.

habes

habes quòd viuas & mortuus es. Et sic opera facta in peccato mortali, dicuntur ab Apostolo Hebræor. 6. mortua: *fundamentum pænitentiæ ab operibus mortuis*, sicuti c. 9. *emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis*: quia, vt in priori loco notat Angelicus Lect. 1. res dicitur viua quando habet officium propriæ virtutis, à quo, cum deficit, dicitur mortua: cum scilicet deficiunt ab ordine ad beatitudinem. Nihilominus, ipse libenter hunc referrem textum, ad illud c. 28. v. 66. *Et erit vita tua quasi pendens ante te*, vt Crucifixi imaginem; per quem à mortalitate corporis, (*viuificabit mortalia corpora vestra* Roman. 8.) & ab æterna morte animæ liberamur, semper habeamus ob oculos. Ex hoc postremo exemplari, colligeret non occæcatus Iudæus, in quo sibi *longitudinē dierum* polliceretur: vt Sapientiam, (*Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* 1. Cor. 1.) aliquando agnoscerent: *cuius in dextera*, Prouerb. 3. *est longitudo dierum. Quid verò per dexteram*, ait D. Gregorius, hom. 21. in Euang. *nisi perpetua vita designatur? Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum*: nonne in idem recidit cum eo quod ait Dominus Ioann. 10. *ego veni, vt vitam habeant, et abundantiùs habeant?* scilicet vitam iustitiæ: & vitam æternam, vt ibidem [q] explicat D. Thomas: siue vt alibi, [r] vitam gratiæ, & vitam gloriæ.

q Io. 10. 1. 2.
r Ephes. 1. Lect. 2. & 2. Tim. 1. Lect. 3.

CAPVT XXXI.

Sup. 3. d. 21. 1 ABijt itaque Moyses, & locutus est omnia verba hæc ad vniuersum Israel, 2 &
Nu. 27. c. 13. dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum vltra egredi, &
Nu. 31. c. 24. ingredi, præsertim cum & Dominus dixerit mihi: Non transibis Iordanem
istum. 3 Dominus ergo Deus tuus transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, & possidebis eas: & Iosue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus. 4 Fa-
cietque Dominus eis sicut fecit Sehon, & Og regibus Amorrhæorum, & terræ eorum, de-
lebitque eos. 5 Cum ergo & hos tradiderit vobis, similiter facietis eis sicut præcepi vobis.
Sup. 7. a. 2. 6 Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paueatis ad conspectum eorum: quia
Iof. 1. b. 6. Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te. 7 Vocauit-
3 Reg. 2. a. 2. que Moyses Iosue, & dixit ei coram omni Israel: Confortare, & esto robustus: tu enim
introduces populum istum in Terram, quam daturum se patribus eorum iurauit Dominus,
& tu eam sorte diuides. 8 Et Dominus, qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimit-
tet, nec derelinquet te: noli timere, nec paueas. 9 Scripsit itaque Moyses legem hanc, &
tradidit eam sacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fęderis Domini, & cunctis senio-
ribus Israel. 10 Præcepitque eis, dicens: post septem annos, anno remissionis, in solem-
nitate tabernaculorum, 11 conuenientibus cunctis ex Israel, vt appareant in conspectu
Domini Dei tui in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Israel,
audientibus eis, 12 & in vnum omni populo congregato, tam viris, quàm mulieribus, par-
uulis, & aduenis, qui sunt intra portas tuas: vt audientes discant, & timeant Dominum
Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis huius, 13 filij quoque
eorum, qui nunc ignorant: vt audire possint, & timeant Dominum Deum suum cunctis die-
bus, quibus versantur in Terra, ad quam vos, Iordane transmisso, pergitis obtinendam.
14 Et ait Dominus ad Moysen: Ecce prope sunt dies mortis tuæ: voca Iosue, & statue in
tabernaculo testimonij, vt præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses, & Iosue, & steterunt in
tabernaculo testimonij: 15 apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in in-
troitu tabernaculi. 16 Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis,
& populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in Terra, ad quam ingreditur, vt
habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fędus, quod pepigi cum eo. 17 Et ira-
scetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum, & abscondam faciem meam
ab eo, & erit in deuorationem: inuenient eum omnia mala, & afflictiones, ita vt dicat in
illo die: Verè quia non est Deus mecum, inuenerunt me hæc mala. 18 Ego autem ab-
scondam, & celabo faciem meam in die illo propter omnia mala, quæ fecit, quia secutus
est deos alienos. 19 Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel: vt
memoriter teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Is-
rael: 20 introducam enim eū in Terram pro, qua iuraui patribus eius, lacte, & melle manan-
tem. Cumque comederint, & saturati, crassique fuerint, auertentur ad deos alienos, &
seruient eis: detrahentque mihi, & irritum facient pactum meum. 21 Postquam inuenerint
eum mala multa, & afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla
delebit obliuio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes eius, quæ facturus sit hodie, ante-
quam introducam eum in Terram, quam ei pollicitus sum. 22 Scripsit ergo Moyses canti-
cum, & docuit filios Israel. 23 Præcepitque Dominus Iosue filio Nun, & ait: Confortare,
& esto robustus: tu enim introduces filios Israel in Terram, quam pollicitus sum, & ego ero

te-

tecum. 24 Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque compleuit: 25 præcepit Leuitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: 26 Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri, vt sit ibi contra te in testimonium. 27 Ego enim scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam. Adhuc viuente me, & ingrediente vobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum: quanto magis cũ mortuus fuero? 28 Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atque doctores, & loquar audientibus eis sermones istos, & inuocabo contra eos cælum, & terram. 29 Noui enim quòd post mortem meam iniquè agetis, & declinabitis cito de via, quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, vt irritetis eum per opera manuum vestrarum. 30 Locutus est ergo Moyses, audiente vniuerso cætu Israel verba carminis huius, & ad finem vsque compleuit.

VERSVS I, *Abijt itaque Moyses* &c. VERSVS II. *Centum viginti annorum sum hodie.*

Postquam *Deuteronomij* decursa est lex, siue *lex Euangelij*, vt glossa apud Hugonem; subducitur Moyses ab onere perducendi populum, sufficiturque *Iosue*, vel nomine, *Iesu* Christi in figuram: *Salutare* siquidem nostrum in promissam hæreditatem cœlestem, nos erat introducturum, quippe qui tanquam *Pontifex magnus* (Hebræor. 4.) *penetrauit Cælos*. Idcirco quia debuit cessare lex in Euangelio, nec vltra lex potest: hanc Ipse Moyses significans, *centum & viginti annorum se* perhibet; vt grandæua senilique ex ætate, clareat senuisse; immò veluti bis senuisse, si senectus sexagesimo incipit anno, quod ait D. Thomas. [A] *Quod autem antiquatur & senescit*, ex Apostolo, Hebræor. 8. *prope interitum est*: dicente ergo Domino, ibidem ad Hebræos *consummabo testamentum nouum*, designat cessationem [B] veteris: propriè autem, nihil antiquatur, nisi quod subiacet tempori, quæ autem subiacent tempori, cessant in tempore; oportet ergo illud vetus cessare. Leu: 26. *nouis superuenientibus vetera proijcietis*. Quoniam autem *nihil ad perfectum adduxit lex* c. 7. propterea dicitur; *non transibis Iordanem istum*: ac si diceretur, transitum aliarum aquarum per varia baptismata fecisti, Hebræor. 9. *in varijs baptismatibus*, scilicet varijs [C] lotionibus in lege præceptis: sicut cum Sacerdotes lauabantur in aqua, & de aqua purificationis in mundatione leprosi vel polluti. Cæterùm, *istum* demonstratiuè *Iordanem* non transibis, nec baptismate nouæ legis ablueris, impos ad illius significatum complendum. Baptismus [D] Iudæorum in lege præceptus erat solùm figuralis: baptismus autem Christi habet efficaciam mundandi à peccato, & gratiam conferendi. Transitus autem Iordanis præfigurauit [E] baptismum, quantùm ad hoc quod aperit ianuam regni cœlestis, qui est principalior eius effectus. Quid mirum si Moyses non transeat? si citra est lex?

[A loco quodam in Apostolum]
[B Hebr. 8. l. 3.]
[C Hebr. 9. l. 2.]
[D 3. p. 39. 4. 2.]
[E 3. p. 39. 7. 1. & 69. 2.]

VERSVS III. *Dominus ergo Deus tuus transibit ante te.*

Quàm verè prophetauit Moyses! Matthæi 3. *venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo*. Instituit S. Doctor articulum: [F] *Vtrum Christus debuerit in Iordane baptizari*: & respondet: Dicendum quòd fluuius Iordanis fuit per quem filij Israel, in terram promissionis intrauerunt: hoc autem habet baptismus Christi, speciale præ omnibus *baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis*, vt dicitur Hebr. 9. etiã de cibis & potibus, quòd introducit in Regnum Dei, quod per terram promissionis significatur: vnde dicitur Ioann. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Et ideò conueniens fuit, vt Christus in Iordane baptizaretur.

[F 3. p. 39. 4.]

VERSV eodem III. *Et Iosue iste transibit ante te.*

Dominus perhibetur trãsiturus ante Israel. Quod quidem post longam supplicationem obtinuerat Moyses Exodi 33. *præcipis, vt educam populum istum, & non indicas mihi, quem missurus es mecum*. Iam autem dixerat Dominus *mittam præcursorem tui Angelum*: comminatusque fuerat; *non enim ascendam tecum*: Adiecit Moyses; *si non tu ipse præcedas; ne educas nos de loco isto*. Dixit autem Dominus ad Moysen; *Et verbum istud, quod locutus es, faciam*. Nunc aio ipse, si transit ante populum Israel Dominus: quomodo eadem phrasi de Iosue dicitur, *iste transibit ante te*? Nunquid Iosue Dominus est? Ita sanè, præfigurato Incarnationis mysterio: vnde hic versu 6. *Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus*: & versu 7. ad Iosue; *tu enim introduces populum istum in terram*, &c. & versu 8. *Et Dominus, qui ductor est vester, ipse erit tecum*: non dixit, *mittet*, nec *derelinquet*. Sic versu 23. *& ego ero tecum*, hic autem verborum tenor hypostaticam sonat vnionem; quemadmodum illam expressit D. Petrus Actorum 10. *quoniam*, inquit, *Deus erat cum illo*. Prouerb. 3. *post hæc, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Isaiæ 52. *ego ipse qui loquebar ecce adsum*. Constat etiam ex communi Sanctorum Patrum proloquio & Ecclesiæ dogmate, quoniam, *quod semel assumpsit nunquam dimisit*. Nisi hæc ad eum sensum velimus accipere, quo Saluator ipse dixit Ioann. 8. *qui me misit mecum est, & non reliquit me solum*; scilicet per essentiæ vnitatem Io. 14. [G] *ego in Patre, & Pater in me est*: & per amoris coniunctionem, Io. 5. *Pater diligit filium*. Diuersa sanè intelligentia, atque dicatur è contra versu 17. *derelinquam eum*; (populum) quod sonat subtractionem protectionis; quia ipse prius dereliquit Dominum v. 16. vnde dicturus perhibetur populus ibidem v. 17. *Verè quia non est Deus mecum, inuenerunt me hæc mala*. Consentio tamen cum dicitur aliàs Iosue 1. vers. 5. *non dimittam nec derelinquam te*, idem sonare, ac *habeas fiduciam diuini auxilij*, vt exponit Angelicus [H] super Apostolum, qui suppresso loco ait. *Deus dixit, non te deseram, neque derelinquam*: quod, Iosue c. 1. deprehendit esse scriptum D. Thomas: vnde potest retorqueri ad Iosue tan-

[G Io. 8. l. ...]
[H Hebr. 13. l. 1.]

quam ad purum hominem; in cuius rei signum
ibidem Iosue primo præmittitur; *sicut fui cum*
Moyse, ita ero tecum: determinat enim quo pacto
sit secum mansurus. In hoc autem capite, sim-
pliciter dicitur, *ipse erit tecum*, absque vlla coar-
ctatione.

VERSVS IV. *Facietque Dominus eis si-*
cut fecit Sehon & Og, &c.

Ita sup. c. 3. v. 21. Dictum est Num. 26. de istis in
typū Diaboli. Victus est autē Diabolus per pas-
sionem & mortem Christi: sed peccatorum collu-
uies, in cuius figuram sunt Hethæi Pherezęi Ie-
busæi, &c. vt tactum est suprà c. 7. solùm per ba-
ptismum exterminatur: vnde Augustinus in ser-
mone quodam de Epiphania; *ex quo Christus a-*
quis immergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.
Sicut autem vicit Dominus diabolum, sic & pec-
cata: sed de his victoriam obtinemus deinde,
quia baptismum non posuit sub præcepto, nisi
post passionem & resurrectionem Matthæi vlti-
mo; *euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos*,
I 3. p. 66. a &c. vt docet Angelicus. [I]

VERSV X. *Post septem annos, anno re-*
missionis in solemnitate tabernaculorum.

3 Annus remissionis seu iubilæi, non est nisi
tempus illius, *qui tollit peccata mundi*. Audien-
dum erat Euangelium. Ioannis 11. *Iesus moritu-*
rus erat pro gente; & non tantum pro gente, sed vt
filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.
Meritò ergò hic dicitur: *& in vnum populo con-*
gregato. Festum Scenophegiæ siue tabernaculo-
lorum erat ad commemorandum beneficium di-
L p. 2. 102 4. ad 10. uinæ protectionis [L] & deductionis per desertū,
vbi in tabernaculis habitauerunt. Et hoc per se-
ptem dies: Octauo autem die, celebrabatur aliud
festum, scilicet cœtus, atque collectæ, &c. & si-
gnificabatur adunatio populi, & pax præstita in
terra promissionis: & figuraliter per festum ta-
bernaculorum peregrinatio in hoc mundo, in
quo ambulatur in virtutibus proficiendo. Per
festum autem cœtus atque collectæ congregatio
fidelium in Regno cœlorum. Hæc D. Thomas.
Ex quibus claret ad quid ordinaretur festum ta-
bernaculorum: & sic legis huius iniuncta obser-
uantia, nempe ad patriæ cœlestis adeptionem,
2. Cor. 4. *quòd si opertum est Euangelium, in ijs qui*
pereunt est opertum. Et ad Ephesios 1. *Euangelium*
M p. 2. 102. 3. 4. *salutis vestræ*; Et præterea [M] D. Th. Festo taber-
naculorum succedit festum consecrationis Eccle-
siæ.

VERSVS XIV. *Ecce propè sunt dies mor-*
tis tuæ.

N Galat. 4. l. 8. S. Doctor ad illa verba, [N] *quia multi filij de-*
serta magis quàm eius, quæ habet virum. Huius,
4 inquit, scilicet Ecclesiæ gentium, sunt *multi filij*,
idest plures; *magis quàm eius*, scilicet synagogæ,
quæ habet virum, scilicet Moysen. Facit autem
præsens textus ad indicandam cessationem legis
Mosaicæ, iuxtà quod ait Apostolus ad rem Rom.
7. *Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro, alli-*
gata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, solu-
ta est à lege viri.

VERSV XIV. *Voca Iosue, & state in*
Tabernaculo testimonij.

Quam benè inquit *state* in plurali, quoniā ait
Dominus Ioannis 5. *Si crederetis Moysi, credere-*
O p. 2. 107. 2. *tis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit*. Vocat
autem Moyses Iosue; quia [O] lex noua legem
veterem implet. Iterum opportunè iunguntur
Moyses & Iosue; quia legalia, Christo etiam in
hac mortali vita viuente, poterant obseruari,
nondum enim erant mortua; sed immò etiam
iuxtà Augustinum post Christi passionem im-
mediatè, nondum Euangelio promulgato, etsi
essent mortua, non erant mortifera: de quo D.
Thomas pluribus locis, præsertim [P] ad Ga- P Galat. 2. l. 3.
latas.

VERSV eodem. *Vt præcipiam ei*.

Quid Iosue præceperit Dominus, hic non
exprimitur: nisi quòd versu 23, legimus; *Confor-* 5
tare & esto robustus; tù enim introduces filios Israel
&c. Et hoc ipsum Iosue 1. *Ecce præcipio tibi, con-*
fortare, & esto robustus. Dominus Ioannis 10.
cum dixisset; *potestatem habeo ponendi animam*
meam &c. adiecit; *hoc mandatum accepi à Patre*
meo: Et cap. 14. pergens ad mortem; *sicut man-*
datum dedit mihi Pater, sic facio. Christus quip-
pe passus est, vt tradit Sanctus Doctor, [Q] ex Q 3. p. 47. a. 2.
obedientia: ideo inquit, *vt præcipiam ei*: vnde &
Apost. Philipp. 2. *factus est obediens Patri vsque ad*
mortem. Quia tamen (ita ibi ad 2.) in morte
Christi lex vetus consummata est, potest intelli-
gi, quòd patiendo, omnia veteris legis præce-
pta impleuit (quod fusè docet.) Quis scit? for-
te hac de causa, vix legimus, quid præceptum
sit Iosue: sed quasi suppresso iussu, & ob prom-
ptitudinem & voluntatem Christi, & ob colle-
ctionem omnium mandatorum, solùm dicitur
vt præcipiam ei: plenissimè scilicet in omnibus
obedituro. Matthæi 26. *fiat voluntas tua*. Notat
autem [R] mandatum dedisse Patrem Christo, R Io. 14. l. 8.
non tanquam filio Dei, qui cum sit Verbum, est
etiam mandatum Patris, sed *filio hominis*; in
quantùm animæ eius inspirauit, necessarium
esse saluti humanæ, vt Christus in humana natu-
ra moreretur. Et hinc ipse arbitror, cùm *præci-*
piam ei, hoc in loco dicitur, innui secundùm hu-
manam naturam: vnde versu 23. tangitur de hu-
mana generatione ferendo cuius sit filius: *præce-*
pitque Dominus Iosue filio Nun. Cur rogo, versu
7. non attexitur de ipsius patre? quod conue-
nientius visum fuisset, eum primò nominabatur
hic Iosue. *Sed generationem eius quis enarrabit*? ait
Isaias. Cum de Christo bifariam possimus loqui,
& secundùm generationem diuinam; & de in-
carnatione: secundùm illam, caligine obuolui-
mur; secundùm humanam generatio Matthæi 1.
percurritur. Propterea vt mihi videtur versu 7.
adiectum est; *tù forte eam diuides*; quia secundùm
quod Deus, dat nobis Christus hæreditatem:
qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumi-
ne Coloss. 1. Secundùm quod homo non ita: *se-*
dere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est
meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre
meo. Et eadem animaduertentia dici potest; pri-
mò de fortitudine Diuinitatis v. 7. deinde versu
23. de robore secundùm humanitatem, fieri ver-
ba. Versu 7. legimus; *Confortare, & esto robustus*.
Iob. 9. de Deo; *Si fortitudo quæritur, robustissimus*
est. Lucæ 11. *Si autem fortior eo superuenerit*; psl. 23
Dominus fortis & potens; & rursùm, psal. 67. *qui*
educit vinctos in fortitudine. Et ps. 92. *indutus est*
Dominus fortitudinem. Et hæc quoad diuinitatem.
Quoad vnitam humanitatem, non est dubium
fuisse in Christo Domino dona Spiritus-Sancti
[S] vt patet in 3. p. inter quæ donum fortitudinis; S 3. p. 7. 5.

sicut Isaiæ 11. In cuius explicationem facit, quod
T 2. Cor. 5. l. 2. obseruat ex Philosopho, T in actu fortitudinis non requiri gaudium ad perfectionem virtutis, sicut in alijs virtutibus, sed solùm non tristitiam. Vbi autem Apostolus Hebræor. 12. ait, *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta*, dicit Haymo; *hoc est, pro nihilo reputata verecundia, quoniam sine erubescentia, & vere cundia, illud opprobrium sustinuit; gaudium namque maximum fuit illi, quod pro nobis est passus; vt voluntatem Dei Patris impleret*. Quod quidem ad magnam patientiam refert S. Doctor in opusc.
V op. 6.§. 6. V Sed ad illa verba, ex Exodi c. 12. Ioannis 19.
X Io.19.l. 5. *os non comminuetis ex eo*; datur inquit X intelligi, quòd fortitudo veri agni, & incontaminati Iesu Christi nullo modo erat commouenda per passionem: vnde ibi Io. 14. *surgite eamus*, inducit
A Io.14.l. 8. illud Iob. 39. A *audacter in occursum pergit armatis*. Et hoc etiam in natura corporali enituit; quia
B 1. p. 47. 1. 2. B vt ostenderet, quòd passio illata sibi per violentiam, eius animam non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conseruauit: vt etiam in extremis positus, *voce magna* clamaret. Et sic eius voluntate, natura corporalis consecuata est in suo vigore, vsque ad extremum. *Confortare* ergò benè dicitur (Lucæ 22. *Angelus de Cœlo confortans eum*) *& esto robustus*.

VERSVS XVI. *Populus iste consurgens fornicabitur*, &c.

Ipse, quod dicitur in hoc & sequentibus cõtextibus, non possum non referre in Iudæorùm cœcitatem, qui irritum faciunt fœdus, iuitum in lege cum Domino. Et iam cœcitas innuitur, dum ait qui Pater est luminum, *abscondam faciem meam ab eis*, & hic; *semper contentiosè egistis contrà Dominum, quantò magis cum mortuus fuero*; quod nectit Angelicus Rom. 10. l. 3. ijs verbis; *tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi*. Postquam mortuus est mystice Moyses; postquam figuræ terminatæ sunt, idololatria peccat, Deum verum negando: Isaiæ 26. *ignis hostes tuos deuoret*, hic inquit, *erit in deuorationem*. Sunt quippe Iudæi increduli proximè ignibus inferni expositi. Et ore proprio nunc dicunt quod legitur v. 17. *verè quia non est Deus mecum, inuenerunt me hac mala*. Et equidem tempore Iosue, hoc est post Christi Iesu aduentum, iniquè agunt, vt dicitur versu 29. *noui enim quod post mortem meam iniquè agetis; & declinabitis citò de via: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini*. Sed quomodo cohæret littera, paulò ante? *citò* inquit *declinabitis*; nunc de extremo tempore inducit, *citò* quippe fecerunt mala persecuti Christianos: & nihilominus extremo tempore; quia Hebræor. 1. *nouissimè locutus est nobis in filio*. & 1. Ioann. 1. *nouissima hora est*. Quam Hebræorum 10. dicit, *modicum aliquantulumque* breue enim est omne tempus comparatum æternitati, vt ibi D. Thomas Lect. 4. ferens illud ps. 89. *mille anni ante oculos tuos, tanquam dies externa, quæ præterijt*; & Apocalypsis vltimo, *ecce venio citò*.

VERSVS XX. *Cumque comederint et saturati, crassique fuerint*,

Hoc Iudæis quadrat; cùm degeret apud eos Saluator. Quocirca Sanctus Leo Papa sermone 8. de passione: *Discute diligentiùs Præses, quid de Domini Iesu operibus, notum sit; quid de potestas compertum: cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis donauit eloquium, febres abegit, dolores resoluit, dæmones eiecit, mortuos viuificauit*. At ipsi, addo ego, tot beneficijs ingrati recalcitrarunt: vt illud verificari queat infra c. 32. *incrassatus est dilectus, et recalcitrauit, incrassatus impinguatus, dilatatus*. Isaiæ 5. *quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei?*

VERSVS XIX. *Nunc ergo itaque scribite vobis canticum*.

Canticum C est mentis exultatio in vocem C Isaiæ 54.
prorupta, ex iucunditatis magnitudine. Vel 7
Canticum D est laus gaudiosa. Certum canti- D Apoc 15. Com
cum in Apocalypsi commemoratur. *Vidi* c. 15. *eos qui vicerunt bestiam*. &c. *habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moysi serui Dei*. D. Thomas eo in loco affert glossam, cum exultatione adimplentes canticum Moysi, idest legem veterem, in qua, vt dictum est, Moyses Deo cantauit, idest Deum laudauit, & laudare docuit. Et cohæret; quia sequitur, *& Canticum agni*, idest laudantes Deum, gaudentes iuxtà documentum nouæ legis, quæ est canticum Christi pro hominibus immolati. Tangit ibidem de Cantico Moysi, Exodi 15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est; equum & ascensorem proiecit in mare*. Nihilominus mihi haud absurdum videtur, ad præsens transferre canticum; in quo item de diuina iustitia, quemadmodum & de misericordia, figuraliter canitur: quod exequi fas est cum exultatione, qua *Lætabitur iustus cum viderit vindictam: exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites*, &c. psal. 149. & hoc pro *testimonio* & responsione, postquam populus Israel incurrerit tot *mala, et afflictiones*, vt dicitur v. 21.

VERSVS XXVI. *Tollite librum istum, et ponite eum in latere Arcæ*.

Quidam putant extrà Arcam, vbi esset, & 8
vrna aurea plena manna, & virga Aaron, quæ fronduerat: rati, ita constare ex 3. Reg. 8. v. 9. nêpe nihil aliud in ipsa interiore Arca fuisse, nisi duas tabulas lapideas. Textus in lib. Regum ita loquitur: *in Arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ*. Sed respondet Angelicus verum id esse ex principali intentione, E quia ad hoc fuit E Hebr. 9. l. 1.
Arca principaliter facta, vt patet Exodi 25. Sanè animaduertò D. Paulum ibi dicere; *et Arcam testamenti, in qua vrna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti*. De quo dictum est Exodi 25. Et videtur textus libri Regum fauere Diui Thomæ expositioni, dum sequitur, *quas posuerunt Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filijs Israel, cum egrederentur de terra Ægypti*. Quare & cum hic dicitur de libro; *ponite eum in latere Arcæ*; intùs crediderim fuisse repositum, non ab extra, seu ad latus eiusdem Arcæ.

Missa autem litterâ, recolendum est ex cap. allegato Exodi, Christum significari per Arcã. Quid mirum si iubeat Dominus librum legis typicè nouæ collocari *in latere Arcæ*? Lex noua est in latere Christi, quia est lex amoris. Arca etiam ibidem stat pro Ecclesia; *in latere* Ecclesiæ lex Euangelij locata est; Ieremiæ 31. *dabo legem meam, in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*: de, quo in prima 2. F Dicit autem D. F p. 2. l. 1.
Thomas in opusc. G aperto latere Christi, aper- G op. 6. 6.

ta est ianua Paradisi. Rectè ergo cùm agitur de introducendo fideli in terram promissam, præcipitur reponi librum legis *in latere*: vt vna simul promulgaretur lex Euangelij, & cœli ianua esset aperta. Meritò etiam dicitur Moyses legisse, & quidem congregatis etiam Doctoribus, verba carminis huius, hoc est cantici, quia vt Rabbini vocant, summarium est seu Compendium totius legis, *& ad finem vsque* complesse; quia ad finem simpliciter hominis, cuncta colli mant. Et sic ait D. Thomas in Procemio Danielis; finis vltimus & vniuersalis cuiuslibet Prophetiæ est, qui est totius Sacræ Scripturæ: nempe totale, & completum bonum rationalis creaturæ. Ecclesiastes 12. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.*

CAPVT XXXII.

1 AVdite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.
2 Concrescat, vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.
3 Quia nomen Domini inuocabo: date magnificentiam Deo nostro.
4 Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia: Deus fidelis, & absque vlla iniquitate, iustus, & rectus.
5 Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus: generatio praua, atque peruersa.
6 Hæccine reddis Domino popule stulte, & insipiens? nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?
Tob.8.b. 8. 7 Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.
8 Quando diuidebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam: constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.
9 Pars autem Domini, populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius.
10 Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis: circumduxit eum, & docuit: & custodiuit quasi pupillam oculi sui.
11 Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.
12 Dominus solus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.
13 Constituit eum super excelsam terram: vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.
14 Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan: & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum.
15 Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.
16 Prouocauerunt eum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.
17 Immolauerunt dæmonijs, & non Deo, dijs, quos ignorabant; noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.
18 Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.
19 Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt eum filij sui, & filiæ.
20 Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum: generatio enim peruersa est, & infideles filij.
21 Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis: &
Ro.10.d. d.19. ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.
22 Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque
Ier.15.c. 14. terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.
23 Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.
24 Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.
25 Foris vastabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.
26 Dixi: Vbinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.
27 Sed propter iram inimicorum distuli: ne fortè superbirent hostes eorum, & dicerent: manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.
28 Gens absque consilio est, & sine prudentia.

29 Vtinam saperent,& intelligerent,ac nouissima prouiderent.
30 Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? nonne ideo, quia Ier. 9. c.
Deus suus vendidit eos,& Dominus conclusit illos? 12.
31 Non enim est Deus vester vt dij eorum & inimici nostri sunt iudices.
32 De vinea Sodomorum,vinea eorum,& de suburbanis Gomorrhæ:vua eorum vua fellis,& botri amarissimi.
33 Fel draconum vinum eorum,& venenum aspidum insanabile.
34 Nonne hæc condita sunt apud me,& signata in thesauris meis?
35 Mea est vltio,& ego retribuam in tempore,vt labatur pes eorum: iuxta est dies perdi- Eccle. 28.
tionis,& adesse festinant tempora. a. 1.
36 Iudicabit Dominus populum suum,& in seruis suis miserebitur:videbit quòd infirmata Ro. 12. d.
sit manus,& clausi quoque defecerunt,residuique consumpti sunt. 19. Heb. 10. f. 30.
37 Et dicet: Vbi sunt dij eorum,in quibus habebant fiduciam? Iere. 2. f. 28.
38 De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: surgant, & 1. Reg. 2.
opitulentur vobis,& in necessitate vos protegant. a 6.
39 Videte,quòd ego sim solus,& non sit alius Deus præter me:ego occidam,& ego viuere Tob. 13.
faciam:percutiam,& ego sanabo,& non est,qui de manu mea possit eruere. a. 2. Sap. 16. b. 13.
40 Leuabo ad cælum manum meam,& dicam:Viuo ego in æternum. Iob. 10. b.
41 Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltio- 7.
nem hostibus meis,& his qui oderunt me retribuam.
42 Inebriabo sagittas meas sanguine,& gladius meus deuorabit carnes, de cruore occisorum,& de captiuitate,nudati inimicorum capitis.
43 Laudate gentes populum eius,quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur: & vindi- 1. Mac. 2.
ctam retribuet in hostes eorum,& propitius erit terræ populi sui. 7. b. 8.
44 Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba cantici huius in auribus populi, ipse
& Iosue filius Nun. 45 Compleuitque omnes sermones istos,loquens ad vniuersum Israel.
46 & dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie: vt
mandetis ea filijs vestris custodire, & facere, & implere vniuersa, quæ scripta sunt legis
huius: 47 quia non incassum præcepta sunt vobis, sed vt singulis in eis viuerent: quæ facientes longo perseueretis tempore in Terra, ad quam, Iordane transmisso, ingredimini
possidendam. 48 Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die,dicens: 49 Ascende
in montem istum Abarim, idest,transituum, in montem Nebo, qui est in Terra Moab contra Iericho: & vide Terram Chanaan, quam ego tradam filijs Israel obtinendam, & mo-
rere in monte. 50 Quem conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron Nu 27. c.
frater tuus in monte Hor,& appositus populis suis: 51 quia præuaricati estis contra me 13. & 20. d. 26.
in medio filiorum Israel ad Aquas contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis Nu 20 a.
me inter filios Israel. 52 E contra videbis terram,& non ingredieris in eam, quam ego da- 4. & 27. c.
bo filijs Israel. 14.

1 VERSVS I. *Audite cæli quæ loquor, audiat terra*, &c.

Iam incipit pangere Canticum altitonans Moyses, iuxta quod iusserat Dominus proximo capite v. 19. *nunc itaque scribite vobis canticum istud*: vnde hic v. 44. *venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba cantici huius*, &c. Mirum autem videri potest, cum ex S. Doctore, Canticum [A] sit mentis exultatio in vocem prorupta, ex iucunditatis magnitudine, quomodo scatendo comminationibus, terrore, & vltione, iucunditatem siue exultationem portendat. Atqui occurrit psaltes, vt dictum est, *lætabitur iustus cùm viderit vindictam*. Et prætereà idcircò locum habet exultatio, quia palàm de subingressu gentium prophetat, versu scilicet 21. *prouocabo eos, in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos*. Legimus Apocalypsis 15. *Et cantantes Canticum Moysi serui Dei, & Canticum Agni: idest*, ait glossa, [B] *cum gaudio adimplentes legem veterem, in qua Moyses Deo cantauit, idest Deum laudauit: & canticum Agni idest Euangelium*. Refert ibi Angelicus spectasse Ioannem ad Canticum Exodi, c. 15. postquam submersus est Pharao. Cæterùm non abs re fuerit, opinari de præsenti cantico dici, quando subditur in Apocalypsi; *iustæ & veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?* & similia verba hic etiam feruntur. *Date magnificentiam Deo nostro: omnes viæ eius iudicia: Deus fidelis, iustus & rectus*. De hoc Cantico capite præcedenti v. 19. *docete filios Israel, vt memoriter teneant, & ore decantent*. Sanè cum *Canticum*, ibidem, sit *laus gloriosa*, vtrobique, & in transitu per mare rubrum, & in triumphali hostium Dei excidio, occasio emergit gloriandi in Domino, qui *conterit multos & innumerabiles, & stare facit alios pro eis*. Iob 34.

A Isaiæ 54.

B Apoc. 15. Com. vtroq.

Audite cæli quæ loquor, &c.

Similiter ait Isaias c. 1. *Audite cæli, et auribus percipe terra*. Vbi exponitur multiplex ratio, quare insensibiles inuocentur nonnunquam creaturæ: & dicuntur à Moyses [C] inuocari in testes obligationis ad præceptum: Veruntamen absque alia interpretatione ait ipse Moyses paulo ante v. 28. *& inuocabo contrà eos cælum, & ter-*

C Isaiæ 1.

ram, vt c. 30. v. 19. *testes inuoco hodie cælum, & terram*. Psalmo etiam 49. habemus, *aduocauit cælum desursùm, & terram discernere populum suum*. Metonymia pariter quadam, adiecit S. Doctor, per cęlos, Angelos accipi posse, quemadmodum & pro hominibus, terram. Et vide ad cęlos conuerti Moysen, *audite cæli*: non sic ad terram, audi terra: sed *audiat terra*: *audiat terra*, ceu rudis verborum sonum, *audiat terra verba oris mei*: at cęli audiant etiam, *quæ loquor*, norunt enim diuinitùs irradiati cęlites, quod terrigenæ ignorãt. Sublimia autem sine dubio panduntur; dùm ad cęlos vsque directa est oratio.

VERSVS II. *Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.*

3 Sacra istbæc doctrina pluuiæ primò, statimque rori comparatur. De Sanctis Isaiæ 60. *qui sunt isti, qui vt nubes volant?* sunt [D] [D Apoc. 1 Com. 1] nubes volantes per contemplationem, pluentes per prædicationem, protegentes ab ira Dei per suam intercessionem, coruscantes per bonam operationem. De Diuis Apostolis Petro & Paulo canit in Sequentia chorus: *Hi sunt nubes coruscantes terram cordis irrigantes, nunc rore, nunc pluuia*. Suaui quippe lapsu seu stillicidio, æstiuo tempore irrorantur gramina, in typum charitate flagrantium serpentiumque, graminis in morem, *de virtute in virtutem*. Hyeme descendit pluuia, frigidos vtcumque tempestiuè fęcundans: ad ambos doctrina Cantici attinet; dum fide & spe vireant. Quosdam etiam modice pro captu vel stillas haurire decet: quosdam arenti ore patulos copiosum doctrinæ sacræ imbrem recipere. Deerit nihilominus millies humana capacitas, priusquam desinat esse aliquando irriguum cęlum; Diuina siquidem magnificentia in dies clarescit, cum vel ipsius nomen corde inuocatur: vnde sequitur: *quia nomen Domini inuocabo, date magnificentiam Deo nostro*.

Vt vberrimos ergo hos latices delibemus, moneo paucis quæ multa eaque magna & mirifica perstringit Moyses. Nimirùm, quoniam sicuti Ecclesiastici 23. *Domino Deo antequàm crearentur, omnia sunt agnita*; ita cætera etiam mala præscit. Prænunciantur in genere, vt sint qui caueant. Elapso capite v. 16. *populus iste consurgens fornicabitur post Deos alienos, in terra ad quam ingreditur, vt habitet in ea*, &c. *& irascetur furor meus contra eum in die illa* &c. *Cumque comederint, & saturati, crassique fuerint* &c. Itaque eorum defectio prænotatur: improperantur præstita beneficia: nonnullius pœnæ promulgatur inflictio: aliarum comminatio, & suspensio ad nouissimum tempus: denique finalis commemoratur retributio: præmissa priùs Gentium vocatione. Hæc Summa capitis, seu Cantici, quod ante mortem lætus cecinit Moyses, videns futuram Mundi saluationem.

VERSVS III. *Quia nomen Domini inuocabo, date magnificentiam Deo nostro*.

Ioannis 12. docemur hanc ad rem ijs verbis, [E Io. 12. l. 5.] *Pater clarifica nomen tuum*: vbi per [E] *nomen* possumus intelligere etiam ipsum filium; nomen enim à notitia dicitur, quasi notamen: vnde nomen est quo manifestatur res: filius autem manifestat Patrem: & de hoc nomine dicitur Isaiæ 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo*. En quomodo haberi potest quasi suspirio, moriturus Moyses Christum inuocaret: cuius vt acceleraret aduentum cæteros ad collaudandam Dei bonitatem excitat dicens; *Date magnificentiam Deo nostro*. Idem est bonitas Dei, & magnitudo; quia *in ijs, quæ non mole magna sunt, idem est maius esse quod melius*, [F] secundum Augustinum de Trinitate. [F psalmo 11.]

VERSVS IV. *Dei perfecta sunt opera.*

4 Illustrat Apostolus Hebr. 7. textum hunc, dùm inquit, *nihil ad perfectum adduxit lex*. Igitur perfectionem legis nouæ suspicit Moyses. Licèt enim lex vetus perfecta [G] fuerit secundùm tem- [G p. 2. q. 98. a. 1.] pus, sicut dicitur aliquis puer perfectus; non tamen *simpliciter*, sed *secundùm quid*, iuxta temporis conditionem: ad Galatas 3. *lex pædagogus noster fuit in Christo*: ac si diceret; præcepta illius fuere sicut data pueris, perfecta solùm ad conditionem eorum, quibus dabantur. Si tamen non obsit rerum cursus; *simpliciter*, *Dei perfecta sunt opera*. Quo ex capite astruitur, [H] non fuisse [H p. p. 61. 3.] creatos Angelos ante Mundum corporeum; quia nulla pars est perfecta à suo toto separata. Videant Iudæi, quorsum hæc promat Moyses; nisi vt indicet, quod ait Apostolus Hebræorum 10. de suis sacrificijs, *vt essent parabola temporis instantis, iuxta quam, munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem; solummodo in cibis & in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis*. Repetamus ergo, *Dei perfecta sunt opera*, idest perficientur. Lucæ 12. *quomodo coarctor, vsque dum perficiatur*. Hinc D. Th. Hebręorum 8. *& consummabo* &c. *testamentum nouum*, ex Ieremiæ 31. inquit Lect. 2. quod sonat ad perfectionem noui testamenti quantùm ad eruditionem vitæ, quæ non extenditur solùm ad generalem iustitiæ eruditionem, sed ad perfectam; Matthæi 5. *nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum*. Item in nouo testamento est veritas figurarum; & ideò consummat & perficit vetus.

VERSV eodem. *Et omnes viæ eius iudicia*.

5 Consimile habemus Danielis 3. *viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera*: nec non Apocalyps. 15. *iusta & veræ sunt viæ tuæ*. Quare cùm hoc loci [I] exponatur, vt iudicia sint quibus Deus [I Apoc. 15 Comm. 1] bonos eligit, & malos reprobat: quibus hos flagellat humiliatque in præsenti, & alios exaltat: & præterea ex opusc. 41. l. 5. c. 48. *iudicium sit examinata sententia*: non abs re fuerit credere, idcircò hæc primo in limine proferri, vt præoccupatione quadam, figatur cordi, Deum nulli esse iniurium, suis in vijs: hoc est suis in operationibus, (ita ibidem commentario vtroque) *quibus* ad homines veluti venit, modò misericors, modo iustus. Et eò tendit littera, vt aduersùm Hebræorum querelas, seu potius blasphemias diuinam firmet æquitatem, si quando durum ipsis videretur excidisse, Gentesque subintrasse, quas certè introductas ostendit dum ait n. 43. *Laudate gentes populum eius*. Cum hoc præmisisset Apostolus Roman. 11. adiecit, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*! Psalm. 39. *iudicia tua abyssus multa*. Alibi docemur vias Dei [L] esse illius operationes, quibus ad nos venit, & nos ad eum, vt sunt [L loco cit. Comm. 2.]

præcepta, ſacramenta: & in Danielem ijs verbis, *viarum, & iudiciorum*, obſeruo tangi diuinam vltionem.

VERSV eodem. *Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate, iuſtus & rectus.*

Pſalmo etiam 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.* Hebræor. 10. *Fidelis enim eſt qui repromiſit.* Præuenit ergo Moyſes obiectionem, non ſecùs ac facit Apoſtolus Roman. 3. *Quid enim, ſi quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit? Abſit.* Et paulò poſt; *nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? Abſit*, pſ. 95. *iudicabit Orbem terræ in æquitate.* Iob. 34. *verè enim Deus non condemnabit fruſtrà, nec omnipotens ſubuertet iudicium.* Hæc ibi.

M Rom. 3. l. 1.

[M] Diuus Thomas: clara quidem cohærentia ad præſens caput: in quo de Iudæorum exploſione, ac tandem finali damnatione altus eſt ſermo. Abacuc 1. *mundi ſunt oculi tui Domine, & reſpicere ad iniquitatem non potes.*

6 VERSVS V. *Peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus.*

Legimus primi Regum 2. *ſi peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Quamuis ergo variè legerint Septuaginta, & Chaldæa: illi quidem; *peccauerunt non ei filij vituperabiles*; Iſta verò; *diſſipauerunt ſe ipſos, & non illum, filij qui ſeruierunt idolis*: planior attamen eſt intelligentia, vt ad facinus Iudæorum, quo Chriſti expetierunt mortem, referatur: tunc enim, ſi vnquam, *peccauerunt ei*, cùm inſonuerunt auribus eius, ſucclamantes, *crucifige, crucifige eum. Et non filij eius, in ſordibus*: *Genimina* namque fuerunt *viperarum*, Lucæ 3. *& non filij. Si ego Pater, vbi honor meus?* Malach. 1. *Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me* Ioan. 8. *In ſordibus* autem inquit, ad indicandam Iudæorum obſtinationem, iuxta quod Apocalypſ. 22. *qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*; *generatio*, vt ſequitur, *praua & peruerſa*; quemadmodum & Actor. 2. aiebat Petrus; *ſaluamini à generatione iſta praua.*

VERSVS VI. *Haccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens?*

Vocat *Dominum*, quem mox appellat *Patrem*, vt timorem incutiat. Malach. 1. *ſi ego Dominus, vbi timor meus?* ſicque vnà ſimul ingratitudinis notat. Ne miremur, ſi exinde ſubtracturus ſit Dominus eis beneficia, quando ex D. Bernardo eſt ingratitudo, *ventus vrens, ſiccans fontem pietatis, rorem miſericordiæ, flumenta gratiæ*; Ex quo ait v. 20. *abſcondam faciem meam ab eis, generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij.*

Popule ſtulte & inſipiens. Cur quæſo, veluti nugatoriè repetitur ly inſipiens, ſiue, vt Septuaginta transferunt, *non ſapiens*? ſtultitia enim opponitur propriè ſapientiæ, vt tradit Angelicus.

N 22. 2 6. 1.

[N] Sane, ſit, nec iudice, vt vel inuiti rapiamur ad conſiderationem exactam ſtultitiæ, vt in quo praua huiuſmodi generatio prædicitur defutura, innoteſcat. Stultus, inquit ibidem Sanctus Doctor, dicitur ex hoc quòd peruersè iudicat (*generatio praua atque peruerſa*, ait Moyſes) circa communem finem vitæ; & ideò propriè opponitur ſapientiæ, quæ facit rectum iudicium circa vniuerſalem cauſam: *ſtultorum*, idcirco, *infinitus eſt numerus*, Eccleſiaſtes 1.

VERSV eodem. *Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te?*

Ecce quomodo conſentariò ad præmiſſa, 7
interrogationis tropo, in quonam ſtultitia locum habeat aperit; vniuerſalis cauſæ iura prætendens. *Nunquid* &c. Verùm dum aſſeueratur Pater, multifariam perhibetur talis; nempe, *Pater qui poſſedit; Pater qui fecit; Pater qui creauit.* Deus [O] dicitur alicuius creaturæ Pater propter ſimilitudinem veſtigij tantùm, vt pote irrationalium creaturarum, ſecundùm illud Iob. 38. *Quis eſt pluuiæ Pater; aut quis genuit ſtillas roris?* Alicuius autem creaturæ ſcilicet rationalis, per ſimilitudinem imaginis; *nonne ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit* &c. Hæc D. Thomas. Quamuis attamen & poſſediſſe, & feciſſe, & creaſſe, ad ſimilitudinem naturalem imaginis referri poſſint; quatenus conſeruari, in ly *poſſedit*; propagari in ly *fecit*, (*fecitque ex vno*, Actor. 17., *omne genus hominum*) & produci ex nihilo, in ly *creauit*, accipitur: adhuc fas eſt retorquere ly *poſſedit* ad ſupernaturalis prouidentiæ rationem, iuxtà quod, per gratiam *nominamur & ſumus* 1. Io: 3. *filij Dei*; eiectoque foras *Principe mundi huius*, traxit nos Chriſtus. Sane vbi Apocalypſ. 15. legit Noſter, *iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ Rex ſæculorum*, commemorat [P] aliam litteram, quæ dicit *Rex ſanctorum*; ſibique obijciens, quoniam Deus ipſe eſt vniuerſaliter Dominus, & Rex omnium, etiam malorum; Eſther 13. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua* &c. Reſpondet eſſe quidem Deum, omnium vniuerſaliter Regem, per generalem dominationem; ad commendandam tamen eius bonitatem, quia non habet familiam niſi ſanctam, dicitur quandoque ſpecialiter *Rex ſanctorum*, ſiue *iuſtorum*, per familiarem dilectionem, & ſpecialem gubernationem, quia familiariter diligit iuſtos, & diligitur ab eis, & ſpecialiter eos gubernat, quia ſubijciunt ſe ipſius dominationi. Ecce quomodo exponi poteſt quod hic dicitur, *poſſedit te*. Et addiderim, preſſiùs tanquam *Pater*, eoquòd, vt alibi docet [Q] qui ſunt in collegio domus, reguntur ab vno, qui vocatur Paterfamilias; ſed qui ſunt in collegio ciuitatis, reguntur à Rege: In hoc autem figuraliter fuere inſipientes, quòd circa vniuerſalis cauſæ conſiderationem errauerunt, Meſſiam expectantes purum hominem, terreno Regno addictum, cum venturus eſſet, ne periret, quod fecerat, à ſe tanquam ad vniuerſalem ſalutis cauſam lapſos reducturus.

O p. p. 33. 3.

P Apoc. 15. Com. 2.

Q Epheſ. 2 l. 6.

VERSVS VII. *Memento dierum antiquorum: cogita generationes ſingulas.*

Pergit ſtultitiam eorum euincere documentis ſapientibus: ſicut etiam aiebat Dauid, *cogitaui* pſ. 76. *dies antiquos, & annos æternos in mente habui*: ad recolendum ſcilicet, quo ſtudio, paterna olim oſtendit viſcera generationibus cunctis, ſiue *per annos generationis generationum*, quod alij legunt: certè, vt clarebit, non niſi ad altiſſimam finalis, & vniuerſalis cauſæ affectiuam inferendam cognitionem. Quæ quoniam cognitio fidei lumini adnectitur, fideſque eſt per auditum, non per viſum, adijcit

VERSV eodem, *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.* 8

Tractatur expreſſè locus ille in materia fidei; [R] & ſonat, in veteri teſtamento per priores Patres ad poſteriores deueniſſe fidei cognitio-

R 22. 1. 7. 4.

nem.

nem. Defecisse ergo fide indicat Moyses, dum populum ad maiores remittit, certè disciplinæ causa. Pro Patre antonomasticè intelligitur Abraham Lucæ 3. *Patrem habemus Abraham*: Io: 4. *nunquid tù maior es Patre nostro Abraham? Interroga*, inquit, Moyses *Patrem tuum, & annunciabit tibi*; Isaiæ 51. *attendite ad Abraham Patrem vestrum*. Certè magna futura consueuere annunciari: vnde & Iacob Genesis 49. *congregamini*, inquit, *vt annunciem quæ ventura sunt vobis*. Abraham itaque interrogatus pia scrutatione, annunciat Christum: annunciat prædestinatos, cum audit, *numera stellas si potes*, reprobarum indolem, *in arena maris*, Gentium saluationem, innouato nomine ipsius, *appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium constitui te*; aliaque plura: quibus si nectas quæ enucleat Apostolus ad Galat. 4. *Abraham duos habuit filios, vnum de ancilla, & vnum de libera*: perspicuum fit, prædici Iudæorum carnalium eiectionem; *eijce ancillam, & filium eius, non enim erit hæres*. Quod luculentius in hoc Cantico denarratur. Sic possessurus nos tanquam Pater annunciatur Dominus, qui fecit & creauit nos, dicente Ieremia c. 3. *Patrem vocabis me*. Et cum ex c. 3. ad Ephes. S doceat Angelicus, Paternitatem esse tantùm in viuentibus, & cognoscentibus, atque ratione vitæ quæ datur, aliquem dici Patrem; non potest, non cantari Pater qui ait; *ego veni, vt vitam habeant*, nempe vitam gratiæ; *& abundantiùs habeant*, scilicet vitam gloriæ in Patria; Io: 10. vt ipsemet T explicat: cohærenter ad ea quæ tradiderat alibi, V astruens esse Deum Patrem nobis secundùm similitudinem gratiæ Rom. 8. *ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filij Dei*. Et etiam secundùm similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem possident; Rom. 5. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*.

S Ephes. 3. l. 4.

T Ephes. 3. l. 2. & 2. Timot. 1. l. 1.

V p. p. 33. 3.

VERSVS VIII. *Quando diuidebat Altissimus gentes*.

Subticuerat Moyses quidnam annunciatu-
9 rus esset Pater interrogatus, quidnam dicturi essent maiores: nihilominus innuere vult mox profundiùs, quò tendant monita. *Interroga Patrem tuum* &c. De gentium scilicet redemptione, quarum meminit. Palam quippe Prophetæ de ipsis loquuntur; sed promissiones gentibus, in lege factæ non sunt: hinc Roman. 15. *Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum; gentes autem super misericordia honorare Deum*. Nam Ephes. 3. *alijs generationibus, non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, esse Gentes cohæredes, & concorporales comparticipes promissionis in Christo Iesu per Euangelium*, hic versu 21. *In gente stulta irritabo illos*. Verùm quorsum commemoratur Mundi diuisio, illa scilicet ad litteram, vt exponunt, quæ accidit Geneseos 11. in Babylonica linguarum confusione? Cur non satis fuit magnificari diuinam prædilectionem, dicendo *pars autem Domini populus eius*: quemadmodum & in psalmo; *nos autem populus eius & oues pascuæ eius*? cur præmittitur de diuisione, quæ quidem pœnalis fuit ijs architectis superbiæ? Denique cur additur, hemistichium illud, *quando separabat filios Adam*? Alta petit Moyses verborum horum tenore, ideoque hic specialiter *Altissimum* Deum nuncupat. Sanè Apostolus Rom. 10. consideratis diuinis iudicijs, adiecit; *ò altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*! quoniam prætactum fuerat de gentium salute ad incredulitatem iudæorum. Sic in præsenti æternæ etiã prædestinationis insinuatur arcanum, nempe cum præintelligitur vniuersalis hominum discretio in electos & reprobos. Ecc. 7. *Alta profunditas quis inueniet eam?* Idcircò fortasse, non solùm dixit Moyses, *quando diuidebat Altissimus Gentes*, sed etiam, *quando separabat filios Adam, seu filios hominum*, (quod ait Chaldæa) vt omnium hominum ex complexu, indicaretur, quàm generalis, quàm vniuersa esset, quæ commemoratur separatio, & diuisio; cognata illi, quæ tandem fiet, cum *congregabuntur ante eum* pariter *omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hædis*. Verbo; prædestinationis atque præscientiæ occluduntur mysteria: sic tamen vt Osee illud non excidat, *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum*: Et ideo sequitur: *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*: ac si diceret, per me noluisti saluari, ex te damnaberis. Ad vltimam enim damnationis eorum pœnam iudicio finali, series litteræ ducat.

VERSV eodem. *Constituit terminos populorum iuxtà numerum filiorum Israel*.

Exponunt in superficie hoc sensu, vt tot & 10
tantos terræ fines destinarit tunc Dominus Chananæis, quot & quanti necessarij essent, ad omnes Israelitas excipiendos, cùm illuc trasmearent. Ita ex Oleastro. Haymo; *quia tot animas induxit Israel, idest Iacob, in terram Ægypti, scilicet Septuaginta; idest, tot sunt linguarum varietates, & secundùm linguas, populorum*. Atqui licèt hæc optimè probari possint, altiùs tamen cupit mens eleuari, cùm maximè *Altissimus* nuncupatur qui id fecit. Liceat igitur dum numeri habetur ratio, nimirùm, inquit, *iuxtà numerum filiorum Israel*, ad numerum prædestinatorum, litteram trahere; quia horum numerus, vt traditur in prima parte, non solùm per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis certus est Deo. En præfinitio, *iuxta numerum*, ad illius veluti præexigentiam. Non sic autem omninò est de numero reproborum, qui videntur esse præordinati à Deo in bonum electorum, quibus omnia comperantur in bonum. Legimus Prouerb. 11. *stultus seruiet sapienti*. Facit autem ad horum intelligentiam quod habetur à D. Thoma A de Prædestinatione; *Vtrum sit certa*. Cum enim opposuisset prima obiectione, ex illo Apocalyps. 3. *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, dicente Augustino, *quòd alius non est accepturus, nisi iste perdiderit*. Respondet in hæc verba; quod corona dicitur esse alicuius dupliciter: vno modo ex prædestinatione diuina, & sic nullus coronam suam amittit; alio modo, ex merito gratiæ; quod enim meremur quodammodo nostrum est: Et sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens: alius autem coronam amissam accipit, in quantum loco ipsius subrogatur, non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat, secundùm illud Iob 34. *conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*: sic enim in locum Angelorum cadentium, substituti sunt homines; & in locum Iudæorum Gentiles. Ita D. Thomas:

X p. p. 23. 7.

A p. p. 23. 6.

quo nil preclarius ad illustrãdam scripturę profunditatem, qua tangitur Chananæorum in sedibus, collocandos fuisse *filios Israel*, seu *filios Dei*,
B Hebt. 2 l. 2. secundùm aliam litteram vt fert Angelicus. [B] Quod quomodo absque æternæ prædestinationis illiusque certitudinis detrimento dicatur, videre est ad articulum præfatum, [C] & alibi. Non
C Apoc. 1 Cam. 2. inconuenit etiam alto hoc sermone præparari corda fidelium ad casus timorem: quod tangens Apostolus ait, [D] *Si aliqui ex ramis fracti sunt*,
D Rom. 1. l. 3. idest ex Iudæis, sunt diuisi; à fide Patrũ sunt assũpti in dignitatẽ illorum alij, &c. paulo post quippe sanctus Moyses, quomodo exciderint, doler.

VERSVS IX. *Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius.*

Quemadmodum nuper dixit vniuersaliter de malorum promerita explosione, sic descendit ad ipsos in specie Iudæos, vt condignam eorundem post tantam ingratitudinem euulget vindictam. Qua de causa, præstita in primis beneficia coaceruat dicens: inter cęteros fuisse delectos. *Pars autem Domini*, &c. Non dedignatur Dominus palam facere, quali in æstimatione habuerit populum, quasi more hominum esset pars eius, atque felicitas in sortem ei charior: *Felicitas cuiuslibet* [E] *est sua pars*. Sic ibi Propheta; *& Israel*
E Ierem. 10. *virga hæreditatis eius*. Cùm aliàs, è contrà legamus ps. 15. *Dominus part hæreditatis meæ*: & Thren. 3. *Pars mea Dominus*. Diuites [F] terram mensurant
F Psalm. 15. fune: & ideo portio dicitur quasi *funiculus* funis. Obseruandum est autem, quomodo Moyses, qui prius dixerat, *iuxtà numerum filiorum Israel*, statim relicto nomine *Israel*, nomen *Iacob* vsurpat. Cur enim? Respondeo, nomen *Israel*, vt recolit Angelicus [G] impositum fuisse Iacob ab
G Rom. 9 l. 2. Angelo, vt paret Genesis 32. sonat autem, vt ibidem ait, *rectum & videntem Deum* per fidem. Isaiæ 44. *Rectissimè quem elegi*. Io. 1. *ecce verus Israelita, in quo dolus non est*: *non enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij*. Sic Lucæ 19. ait Dominus de Zachæo; *eo quòd & ipse filius sit Abrahæ*. Quocirca Sanctus Beda; [H] *Filius Abrahæ Zachæus*
H in Catena aurea. *dicitur, non quia de eius stirpe genitus, sed quia eius est fidem imitatus*. Hæc ille. Sic Matth. 3. *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Quia ergo nomen *Israel* gratiam, rectitudinem, sanctitatem inuoluit, cum exaggerare intendit Domini largitatem in populum Iudæorum, naturæ primæuo nomine eos compellat, dum scribit; *Iacob funiculus hæreditatis eius*; vt non tàm ad litteram, quàm mysticè, ad totam hominum sobolem, post peccatum etiam primi Parentis, tot donis tot spiritaliter beneficijs auctam, retorqueatur scriptura, in qua sequitur

VERSVS X. *Inuenit eum in terra deserta &c.*

11 Vario verborum tenore paraphrasim potius reddunt quàm translationem Septuaginta & Chaldæa: illi quidem sic: *sufficientia dedit eis in deserto; in siti æstus in inaquoso*; hæc verò; *tribuit eis necessaria in terra deserta; & in loco sitienti, vbi non erat aqua*: pergitque; libero nimis loquutionis amphractu. Noster pressiùs, & quidem vnde emergit mysticus humani generis status, cum eiectus est Adam è Paradiso. Inuenit Deus hominem *in terra deserta*. Perierat ergo, si denuò inuentus est. Et vbi? *in terra deserta*, quæ *spinas & tribulos* ei germinaret. Nectc illud Apostoli Rom. 11. *tu autem, cum oleaster esses*, *idest arbor infructuosa*; [I] Ieremiæ 17. *erit enim quasi myricæ in* I Rom. 11 l. 3.
deserto. Symmachus, [L] *quasi lignum infructuosum in salitudine*. Certè spiritualiter dicitur Prouerb. L Ierem. 17.
24. *diligenter exerce agrum tuum*: sed Dominus, *sine me nihil potestis facere*. *In loco horroris*. D. Gregorius Hom. 2. in Euang. *Cæcus quippe est genus humanum, quod in Parente primo, à Paradisi gaudijs expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur*. Vnde in sermone Sancti Michaelis locus iste *horroris* pro inferno exponitur: cui scilicet adddicebamur. *Et vastæ solitudinis*. Solus erat, quia, vt ait Bernardus, *verè solus est, cum quo Deus non est*; instar illius vineæ de qua Isaias c. 5. *auferam sepem eius, & erit in direptionem*; (infelix vineæ status iniurijs expositæ cũctis) *diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam; non putabitur, & non fodietur; & ascendent vepres & spinæ; nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem*. *In loco solitudinis*, instar illius qui aiebat, *hominem non habeo: nec enim habebat sublenantem se, cùm cecidisset; væ soli*, Ecclesiastes 4. *Adam* quippe ex D. Ambrosio [M] *de Paradiso in desertum eiectus est*. M 3 p. 41 1.

VERSV eodem. *Circumduxit eum, & docuit &c.*

Quis scit, non sonet ly *circumduxit* perennitatem diuinæ assistentiæ, in circulis enim, sphæris & totis, perpetuitas est motus. *Nunquam destitit*, aiebat Gregorius, Hom. 19. *operarios mittere in vineam suam; ad quam excolendam, mane, hora tertia, sexta, nona, & vndecima operarios conduxit; quia, ab initio mundi &c. mane etenim mundi fuit ab Adam vsque ad Noë; hora tertia à Noe vsque ad Abraham; sexta quoque ab Abraham vsque ad Moysen; nona autem à Moyse vsque ad aduentum Domini; vndecima verò ab aduentu Domini vsque ad finem Mundi; Quia prius per Patres & postmodum per legis Doctores, & Prophetas: ad extremum, per Apostolos, erudiuit plebem suam*. Dic ergo, *circumduxit eum & docuit*, præterea quoniam *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Nisi dicamus, auxiliorum diuinorum signari copiam, tùm ex parte voluntatis, motionibus; tùm etiam ex parte intellectus, illustrationibus; sicque circumduxisse & docuisse. Post quæ tandem custodisse perhibetur Iacob, illiusque typo humanum genus cantatissimus Samaritanus; *Et custodiuit quasi pupillam oculi sui*. Non ergo arridet, isthæc interpretari solùm de ductu in Deserto; nàm fortè ad hoc insinuandum paulopost adiectum est, *Dominus solus, Dux eius fuit*: cùm tamen aliàs de litterali peregrinatione dicatur in psalmo: *Deduxisti sicut oues populum tuum, in manu Moysi & Aaron*.

VERSVS XI. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos.*

Prouocat, quia [N] nos regit secundùm modum nostrum: *disponens omnia suauiter*. Et fas sit 12
intueri, diuersarum rationum auxilia, quibus ad se nos Deus trahit, & pertrahit. Denique *portauit in humeris*, assumpta humanitate, quia cum N Matth. 21. ibi homini Regi.
inuenisset ouem perditam Lucæ 15. *imposuit in humeros suos* &c. Et hoc sonat etiam ly *expandit alas suas*, dicente Angelico [O] ibi, *sub vmbra alarum tuarum*: duæ alæ sunt duo brachia Christi O Opusc. 54.

exten-

P Isaiæ 40. extensa in Cruce: docenteque in Isaiam, [P] similitudine eiusmodi, notari solicitudinem de filijs.

VERSVS XII. *Dominus Solus Dux eius fuit.*

Vel quia licèt multi ministerialiter opitulentur, solus est Dominus qui dat *gratiam & gloriam*, vt ait Psaltes: iuxtà illud Augustini Tract. 6. in Ioan. *Petrus baptizet; hic est qui baptizat: Paulus baptizet; hic est qui baptizat.* Vel quia vt in Actis c. 4. *non est aliud nomen, in quo oporteat nos saluos fieri.* Vel denique ob id quod ait Leo Papa Sermone 1. de Natiuitate; *nisi esset verus Deus, non auferret reatum*; (siue, *non afferret remedium*) *nisi esset verus homo, non præberet exemplum*: vnde dicitur ab Apostolo primæ ad Timot. 2. *Vnus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus*:
Q 1 p. 26. 1. cùm [Q] solus Christus sit perfectus Dei & hominum mediator. Quod quoniam nulli poterat creaturæ competere, quamuis falsò reputaretur Deus; additur; *& non erat cum eo Deus alienus.* In quo innuitur, Deum verum perhiberi sic Ducem; Isaiæ 55. *Ducem ac præceptorem gentibus*; vt etiam esset nobiscum, vnde & vocatur *Emmanuel*; quod interpretatur *nobiscum Deus.*

13 VERSVS XII. *Constituit eum super excelsam terram &c.*

Ierusalem, inquit Haymo, *quæ in vertice est: Vt sugeret mel de petra: ad literam lapidosa est terra illa: abundat ibi mel, & inuenitur in arundinibus; oleumque de saxo; quia inter saxa, oleæ crescunt.* Ita ille. Quæ sequuntur: *Butyrum de armento &c.* videntur coaceruari ad vbertatem magnam terræ illius. Sic sanè vbi in Iob [R] legitur; *sed cùm lapidibus regionum pactum tuū*, adnectens hunc locum; *vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*, inquit Sanctus Doctor; signari potest abundantia bonorum quantùm ad fertilitatem; quasi dicat, etiam terræ lapidosæ & steriles tibi afferent fructum.

R Iob c. 5

VERSVS XV. *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit; &c.*

14 Sanctam solicitudinem pietatis, diuitiæ frequenter obruunt; vel etiam [S] minuunt. Et iterum: Ex diuitijs homo in superbiam erigitur [T] reputans se per eas sibi sufficere, & ex hoc contemnit Deum audacter, in diuitijs suis confidens. *Incrassatus est dilectus &c.*

S Iob. 1. l. 2. T Iob. 12. l. 1.

Verùm quamuis hæc historialiter subsecuta sint Iudæorum populo, cùm, exempli gratia, sub Ieroboam decem Tribus, & reliquæ sub Regibus Iuda deliquerunt, vt patet 4. Regum, nihilominus aliud, idque sublimius intendit in hisce Scriptura: nimirum Christiani populi per prophetiam attexere ingratitudinem. Et indicatur in clausula versus huius; dicendo, *recessit à Deo salutari suo*; propriè enim *Salutare* nostrum *Iesus* est. Itaque ex Haymone, Constituit *super excelsam terram*, mysticè *Ecclesiam*: *vt comederet fructus*, etiam spirituales: *Butyrum, doctrina maiorum; lac, doctrina in minoribus: lac vobis potum dedi non escam*, 1. Corinth. 3. *cum adipe; hoc est, interiori deuotione; Agnorum, & Arietum: maiorum, & minorum, &c.*

V op. 58. 14. Consimili allegoria huc respiciens [V] ait, *vt sugeret mel de petra: Petra erat Christus* (1. Cor. 10.) & aliàs [X] insinuari, qualiter dulcedo mentis sæpe prouenit ex tribulatione, vt patet etiam in Beato Stephano: *lapides torrentis, illi dulces fuerunt.*

X Apoc. c. 2. Com. 3.

Sic ly *sanguinem vuæ meracissimum* aptat [A] mysterio Altaris. Et infra, [B] *cum medulla tritici*, idest vt comederet dulce Corpus Christi: *& sanguinem vuæ biberet meracissimum*; idest purum & calidum: purum ad maculam iniquitatis (supple tù *exufflandam*;) calidum in effectu; vinum quippè sanguis Christi est ad accendendum corda, dilectione Dei, & proximi. Sic alio in loco refert [C] ad sanguinem Christi scripturam hanc. Accedit etiam, Christum Dominum præfatorum omnium animalium typo significari; quia, vt in præcedentibus dictum est; *offerebatur Christus* [D] ex glossa *in vitulo propter virtutem Crucis*; *in agno propter innocentiam* (sic dicitur *Ouis* Isaiæ 53.) *in Ariete propter principatum*; *in hirco propter similitudinem carnis peccati*: vnde his cunctis, sic pluraliter commemoratis, plenitudo oblationis eius, multiplexq; beneficiorum spiritualium copia in futuro statu gratiæ mirè prætangebatur. Quo, nostra ingratitudo terræ Cœloque innotesceret; certè maxima, dicente Seneca lib. 3. de Beneficijs c. 1. *ingratus est qui dissimulat; ingratus qui non reddit: ingratissimus omnium qui oblitus est*, *signum siquidem est*, [E] *illum non sæpè de reddendo cogitasse, cui obrepsit obliuio.* Quæ tria ingratitudinis genera satis patent in littera; dùm legimus, *date magnificentiam Deo nostro*, ac si diceret, *ne torpeatis. Hæccine reddis Domino?* tandemque, *& oblitus es Domini Creatoris tui.* Ingratus huiusmodi est *impinguatus*: (*Pinguedo quædam est in homine* [F] *mala, per delectationes corporales*) qui tanquam talis calces elidit; *incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.*

A op. 58. 29 B ibi c. 10 C Serm. Dom. in Passione. D p. 1. 102. 3. ad 2. E 22. 107. 1. 2. F psal. 38.

VERSVS XIX. *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ.*

Prouocatus est Dominus ad iracundiam à filijs suis, inquit, & filiabus. In quo claret occasio idololatriæ iudaici populi: nempe carnali ex amore alienigenarum. Sicuti Num. 25. *Fornicati sunt Israelitæ cum Madianitis, & Beelphegor* colluere: vnde & tunc iratus dicitur Dominus: qui præceperat Exodi 34. vt recolitur 3. Regum 11. *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum*; Et ideo fortè, *filios* nuncupat *suos*, non item *filias*: Et statim notat impietatis, cum subdit; *generatio enim peruersa est, & infideles filij*: effecti scilicet infideles, libidinea ex familiaritate cum illis. 15

VERSVS XX. *Et ait, abscondam faciem meam ab eis.*

Abscondam faciem meam [G] idest subtraham gratiam. Et vbi Ieremiæ 18. dicit, *dorsum & non faciem ostendam eis*, [H] nectit vtramque scripturam, vt sonet diuini auxilij cessationem, ad modum hominis irati. *Et considerabo*, idest [L] *videbo*: nouissima eorum: sicut & idemmet Ieremias, addit; *in die perditionis eorum.*

G op. 58. 2. H Ier. 18 L Ibid. 18.

Licèt autem ly *nouissima*, exponi posset pro extremo indicio: cohæret magis sequentibus, vt ad nouissima tempora redemptionis flectatur, post quæ nihil nouum saluti nostræ conferens futurum est. Tùnc enim cœpit impleri, quod adiectum est

VERSV eodem; *Et ego prouocabo eos in*

eo, qui non est populus.
Gentilium vocationem apertè his verbis
M Rom. 11.l.2. prædici, sentit [M] Angelicus, exponens etiam
illud Apostoli, *vt illos æmulentur*; hoc est, *vt*
16 *Iudæi æmulentur Gentiles*; siue, *contra eos ex inui-*
dia turbentur, dum vident ad eos, eorum gloriam
translatam: *Illorum* quippe *delicto*, ait Paulus, *sa-*
lus est gentibus; scilicet *occasionaliter*. Antea autem
c.10. idem Apostolus inquit; *Primus Moyses dixit;*
ego ad æmulationem vos adducam in non gentem; in
gentem insipientem, in iram vos mittam. In quan-
N Rom. 10.l.3. tùm Moyses (D.Thomas [N]) primus inter alios
hoc dixit. Vbi littera nostra sic habet: *Ego prouo-*
cabo eos in eo, qui non est populus; & in gente stulta
irritabo illos. Dicitur autem gens insipiens (vel *stul-*
ta) quasi priuata vera sapientia, quæ in cogni-
tione, & cultu Dei consistit: talis enim fuit gen-
tilitas ante statum conuersionis. Quamuis etiam
conuersa dicatur *gens insipiens* secundùm opinio-
nem infidelium, 1. Cor. 3. *Si quis inter vos sapiens*
videtur esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.
Ad æmulationem, scilicet inuidiæ, qua Iudæi in-
uidebant Gentilibus conuersis, Galat.4. *æmulan-*
tur vos non benè. In iram vos mittam: qua contrà
gentiles Iudæi irascuntur: quia ex inuidia causa-
tur ira: vnde Iob 5. *virum stultum interficit iracun-*
dia, & paruulum occidit inuidia. Dicitur autem
Deus *in æmulationem* inducere, *& in iram mittere*;
non quidem in eis causando malitiam: sed sub-
trahendo gratiam: vel potiùs faciendo conuer-
sionem Gentium vnde Iudæi occasionem iræ, &
inuidiæ sumunt. Ecce quomodo hactenus dicta
à Sancto Doctore paucis in Sacro textu præsenti
comprehenduntur. *Abscondam faciem meam*, vt
expositum est; subtraham gratiam: *& prouocabo*
ac irritabo.

VERSVS XXII. *Ignis succensus est in*
furore meo. Et ardebit vsque ad inferni nouissima
&c.

Cœpit iam olim aduersus infideles Iudæos,
& sic in alios, ignis diuini furoris: & vsque ad ex-
tremam in inferno vindictam exardescet.

17 VERSV eodem. *Deuorabitque terram cum*
germine suo &c.
Denarrare incipit statum Inferni, quo tan-
dem ob scelerum impœnitentiam trudendi sunt
nedum increduli Iudæi, sed malè, cum infideli-
bus cunctis, viuentes Christiani. *Deuorabitque*
terram. Cùm Dominus dixisset; *vos estis sal ter-*
ræ: adiecit Ecclesiæ lumen Augustinus: *neque ista*
terra accipienda est, quam pedibus corporeis calca-
mus, sed homines qui in terra habitant; vel etiam
peccatores, Sic Genesis 3. *terram comedes*, figurari
peccatores deprehendimus. *Cum germine*. Ignis,
qui Prouerb. 30. *nunquam dicit sufficit, deuorabit*
terram: quia Ecclesiastes 9. *nec opus, nec ratio, nec*
sapientia, nec scientia erunt apud Inferos: vnde &
monemur: *quodcumque potest facere manus tua*
instanter operare. Flamma comburens montes, ps.
82. quoniam Sap. 6. non *verebitur magnitudi-*
nem cuiusquam: pusillum enim, & magnum ipse fe-
cit.

VERSVS XXIV. *Consumentur fame, &*
deuorabunt eos aues morsu amarissimo, &c.

De fame exponitur [O] infernali; quæ erit
O Apoc. 18. Com. 1. consolationis & omnis boni defectus. Et in
Commentario secundo, ibi *luctus & fames*, idest
P Comm. 2. [P] defectus consolationis quam solebat habere in
temporalibus. Videtur autem in fame huius-
modi, concupiscibilis pœna signari: in auibus
remorsus conscientiæ; Isaiæ 66. *vermis eorum non*
morietur; Iudith 15. *dabit ignem & vermes in car-*
nes eorum. Sap. 5. *pœnitentiam agentes*: quamuis
inutiliter, quia non [Q] propter odium mali, sed
propter dolorem pœnæ. *Morsu amarissimo*; quia Q op. 64. Vitam.
in hoc mundo [R] est quidem tribulatio magna; R Apoc. 2. Comm. 1. ibi in tribulat.
in purgatorio maior, in inferno maxima. Huc re-
fert textum præsentem. Attamen non foret dis-
sonum, ad irascibilis punitionem accommodare,
quia *erit fletus & stridor dentium*, vt Matt. 8. dici-
tur. *Cum furore trahentium super terram, atque ser-*
pentium, Chaldæa; *Draconum, qui reptant in pul-*
uere.

VERSVS XXV. *Foris vastabit eos gla-* 18
dius, & intus pauor.
Animam vnà cum corpore ostendit cruciā-
dam. Verum si ex Aristotele 2. Rhetoric. c. 5.
apprehensio mali futuri omninò certi (vt reco-
litur à D. Thoma [S] & dictum est suprà c. 28. v. S 3. p. 15. 7. & op. 60. 18.
25.) non inducit timorem, sed tristitiam, quo-
modo transuerberati districtę vltionis gladio ad-
huc pauebunt? Sed respondetur tangi difficulta-
tem istam duobus in locis; Apocalypsis in pri-
mis c. 18. ad illa verba, *stantes propter timorem*:
obijcit enim; quia timor est respectu futuri mali:
ipsi autem Reges mali tunc erunt actualiter in
tormentis, ergo debet dici, propter sensum tor-
mentorum, & non propter timorem. Deinde
addit: cùm iam incipit quis pati plenè quod ti-
mebat, dolor generatur, & timor cessat: ergo
cùm in Inferno sit plena passio pœnæ, non est ibi
timor sed dolor. Occurrit S. Doctor [T] dicens; T Apoc. 18. Com. 1.
Notandum quòd ad cumulum pœnæ ex ordine
diuinæ iustitiæ est in inferno dolor acerbissimæ
angustiæ, & timor cùm dolore: ex ipsa enim
acerbitate doloris siue afflictionis, quam in se, &
in alijs vident contingere, exinde ijs grauis ge-
neratur horror, & timor ipsius continuandæ af-
flictionis: huiusmodi autem timor durissimè cru-
ciat eos: timor ergo auget dolorem, non fugat
timorem. Vnde Beatus Gregorius in Gregoria-
no; *Dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fu-*
gat. Ad aliud quod obijcitur: timor est respectu
futuri mali. Dicendum, quòd hoc est verum se-
cundùm ordinem naturæ: ibi autem dominatur
ordo iustitiæ. Sic alibi scribit, [V] In damnatis V p. 2. 67. 4. 2.
erit successio pœnarum; & sic remanet ibi ratio
futuri, quod est obiectum timoris: tamen non
erit in eis propriè timor: nàm timor nunquam
est sine aliqua spe euasionis, quæ omnino in dam-
natis non erit: vnde nec timor, nisi communiter
loquendo, secundùm quod quælibet expectatio
mali futuri dicitur timor. *Foris ergo vastabit eos*
gladius, & intùs pauor. Quod quidem in illud ip-
sum recidit quod supra c. 28. *tradet te Dominus*
corruentem ante hostes tuos: per vnam viam egredia-
ris contrà eos, & per septem fugias. Ecce timo-
rem.

VERSV eodem. *Iuuenem simul ac virgi-*
nem, lactentem cùm homine sene.
Dictum est alibi punitionem diuinam quan-
doque extendi ad paruulos, in parentum tortu- 19
ram maiorem. Atqui pœna æterna puniri quem-
piam pro aliorum sceleribus, absit. Quomodo
igitur cum hactenus de Inferorum pœnis mysti-
cè dictum sit, mox etiam *lactentem* inuoluit, *cum*

bo-

homine sene? Legimus in Prouerbijs c. 1. *fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis*. Sed quot sint puerilia deuitanda moraliter loquendo, mirificè declarat Innocentissimus noster Sanctus Doctor; [X] octo enim inquit sunt puerilia euacuanda: quæ singillatim percurrit. Ipse hoc ex textu colligerem, cuius generis peccatores contingat damnari, nempe quos scandala perdunt, quę passim pusilli quasi lac exsugunt & hauriunt; nec tamen excusationem habent: neque enim maiorum praua exempla eximunt imitatores à culpa; quia Eccles. 15. *ante hominem, vita & mors: bonum & malum*, vt expenditur ad Galat. 6. [A] Vnde Malachiæ 2. *disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magistrum & discipulum*. Hoc est quod aiebat Hieronymus; *nihil esse remedij sed Maiorum ruinam ad Tartarum ducere. Væ mundo à scandalis*. Caput aliud ex quo ad gehennam non tàm currunt quàm corruunt, est luxuriæ peccatum, quod tot quondam absorpsit; nàm diluuium inductum fuit propter [B] peccata luxuriæ, præcedenti ex gula occasionata. Hinc Apostolus Hebr. 13. specialius (quod de vitijs alijs non lego) *fornicatores, & adulteros iudicabit Deus*; idest [C] condemnabit. Et 1. Cor. 6. *nolite errare: neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt*. Hinc Osee, *non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur; spiritus enim fornicationum in medio eorum*. Ecclesiasticus; *Homini fornicario omnis panis dulcis est: non fatigabitur transgrediens vsque ad finem*.

X op. 41. l. 5. c. 48.
A Galat. 6. l. 2.
B 22. 148. 3. 1.
C Serm. Dom. 1. post Epiphaniæ ex Euang.

Quod consonat eidem Apostolo, appellanti eiusmodi perditos, *filios diffidentiæ*; quia [D] quantùm est de se, minimè est confidendum, vt corrigantur: iuxta eundem 2. Cor. 12. *Timeo vt lugeam multos, ex ijs qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt*; nam Ecclesiastici 21. *Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, & ad se adijciet: audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum*: quia Osee 4. *fornicati sunt & non cessauerunt*. Est enim *incessabile delictum* 1. Petri 2. *quia computruerunt iumenta in stercore suo* Ioelis 1. Quod est [E] carnales quosque in luxurijs vitam finire. Id, me iudice, sonat quod dicitur; *iuuenem simul ac virginem*, siue *iuuenes simul ac puellas*, apud Chaldaicam; non enim perperam ly *simul* adiectum est, sed vt cohabitationem notet, quæ non *iuuenis* ac *virginis*; sed sponsi & sponsæ solummodo licita est. Sicut Ioelis 2. habetur; *egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo*. *Habitabit iuuenis cum virgine* Isaiæ 62. pro miraculo fit: quod glossa & Lyranus de Maria & Ioseph intelligunt.

D Gal. 3. l. 1.
E Serm. Dom. 10. post Trinit. ex Epist.

VERSVS XXVI. *Et dixi. Vbinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum*.

Vt quid Dominus eiusmodi interrogatio-
20 nem promat, operæ pretium est humiliter scrutari; non enim graui sine causa interseritur, cum sciamus quod canit psaltes; *si ascendero in Cœlū tu illic es; si descendero in Infernum, ades*. Illustrabunt autem hunc alia Scripturæ loca: in quibus de esse, seu potius de non esse Diaboli, & damnatorum altè fit sermo. Sanè Ezechielis 28. habetur; *nihil factus es; & non eris in perpetuum*. Hoc [F] intelligitur de non esse gratiæ; & de Diabolo secundùm glossam, Sic vbi Iob c. 18. dicitur; *habitent in tabernaculo eius, socij eius qui non est*; [G] exponitur de peccato; *socij eius qui non est*, idest peccati. Sed quemadmodum paulo ante, alibi [H] inquit; societas est Dæmonum; de quo Iob 18. *habitent &c. socij eius qui non est*, idest Dæmonis. Quocirca D. Gregorius [I] in lib. Moralium; *Diabolus dicitur non esse, quia à Summa Essentia recessit: & per hoc quotidie, excrescente defectu, tendit ad non esse, quoniam ab eo, qui verum est esse, cecidit*. Similiter peccatoribus aptatur, vt non sint. Io: 12. *omnia traham ad me ipsum*, idest [L] *homines* ex Augustino: *& peccatores non fuerunt tracti, ergo peccatores nihil sunt*. Et in Apocalypsi [M] ergo qui non trahitur ab eo nihil est; quia non est in conspectu eius; idest, in beneplacito Dei, ex quo in ps. 14. *ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*. [N] Immò minùs quàm nihil videtur esse; melius enim esset ei non esse, quàm malum esse, si in malitia perseueret. Denique ad Corinth. [O] qui carent gratia nihil sunt: hinc Augustinus; *peccatum nihil est; & nihil fiunt homines cum peccant*. Videtur autem huiusmodi locutionis traxisse occasionem ex verbis Apostoli; *si qua ergo in Christo noua creatura*; nàm creatio ex nihilo est. *Cor mundum crea in me D^eus* ps. 50. *Creati in operibus bonis*. Ephes. 2. Abstinendo tamen à scolis; *Vtrum propriè gratia creetur*: certum est dari ex nihilo meritorum. Primæ Cor. 13. *si charitatem non habuero, nihil sum*. Et hymnus; *sine tuo Numine, nihil est in homine*. Subtili quidem & spiritali quadam intelligentia, euadit qui sine Deo est, verè mortuus, verè nihil, destitutus supernaturali vero esse; vnde & nihil operari valet ad vitam. Est autem index ipsius esse operario; quia *vnumquodque est propter suam operationem*, 2. de cœlo. Porro ait Dominus; *sine me nihil potestis facere*. *Vbi* ergo *sunt*? ac si diceret, potius non sunt, quàm sint; quia si essent, alicubi enunciarentur esse: *vbinam sunt*?

F Apoc. 17. Comm. 8.
G 1. Cor. 15. & 2. Cor. 5. l. 4.
H P. Cor. Col. l. 5.
I In lib. 4. Boetij de Cōsol. pro. 8.
L in Serm. de Exalt. sanctæ cru. cis.
M Apoc. 8. Comm. 1.
N op. 41. l. 1. c. 9.
O 2. Cor. 5. l. 4.

Et præterea sic recesserunt ab esse, vt desie- 21
rint esse penitùs in memoria: *cessare faciam ex hominibus memoriam eorum*. Simile dictum est pluries in Scriptura, ps. 9. *periit memoria eorum cum sonitu*: & priùs; *nomen eorum delesti in æternum & in sæculum sæculi*: Quod [P] impij perpetuare nituntur; sed ipsi in perpetuum non inuenientur. Contrà; nomen Iudæ est in memoria. Dicendum quòd homines non intendunt nomen magnificare in malo, sed in bono: at nomen Iudæ manet in malo. Prouerb. 10. *nomen impiorum putrescet*. Hieronymus dicit, quòd quidam ignotus, vt in memoria esset, combussit templum. Et sic in malo remanet nomen malorum. Eccles. 6. *frustrà venit, & pergit ad tenebras: & obliuione delebitur nomen eius*. Sic è contrà, *memoria iusti cum laudibus*. Sed heu! quidnam significetur iam claret: nimirum æterna in pœnis derelictio: ille enim carceri perpetuo addictus est, cuius memoria non vltra est. *Memento* (aiebat de Cruce latro) *mei Domine*. Ecclesia quoque pro defunctis in gratia: *memento Domine famulorum*, &c. Vbi obliterata est alicuius memoria, quasi nō esset, aut nō esset curæ, extincta est spes redēptionis: *recordatur* Dominus, dum adhuc vita fruimur, *quoniam puluis sumus*. Ps. 102. At quamuis plurium sic recordetur: non ex horum recordatione, per quandam quasi reminiscentiam recordabitur damnatorum: *cessare faciet ex hominibus*

P ps. 9.

me-

memoriam eorum. Hoc pauens aiebat Ieremias: *quare in perpetuum obliuisceris nostri?* Thre. 5. & ps. 73. *& animas*, &c. *ne obliuiscaris in finem*.

Ad hoc facit, quod legimus Iob 18. *memoria illius pereat de terra*: vbi glossa apud D. Thomam 3. p. q. 8. 7. *de vnoquoque iniquo dicitur, vt ad caput, idest diabolum reuertatur*. & Apocalyp. 16. Comm. 2. Quæritur, inquit, *vtrum obliuio cadat in Deum*. Quod sic, videtur per hoc quod dicitur (ibi) *venit in memoriam apud Deum*. & Ezechielis 18. *omnium iniquitatum eius non recordabor*. Respondeo: Dupliciter dicitur obliuio, aut per exclusionem memoriæ, siue cognitionis interioris; sicut cum quis desinit scire quod prius nouerat: sic non potest esse obliuio in Deo, quia in eius cognitione non potest accidere vlla immutatio. Aut per exclusionem effectus exterioris: & hoc dupliciter; vel effectus misericordiæ; sicut potens aliquis posset dici oblitus seruum, à quo esset offensus, quamdiu nollet ei benefacere, licèt ostensæ memor esset: vel effectus iustitiæ; sicut si quis nollet punire eum, à quo iniuriam passus esset, posset talis dici oblitus eius peccatum. Per exclusionem ergo effectus misericordiæ Deus obliuiscitur malorum impœnitentium, quantùm ad collationem gloriæ. Ezech. 18. *omnes iustitia eius, quas fecerat, non recordabuntur*. Per exclusionem autem effectus iustitiæ, dicitur Deus obliuisci peccata eorum, qui verè pœnitent, quia non damnabit eos, si sic perseuerent. Ezech. 18. *omnium iniquitatum eius non recordabor*. Obliuio ergò propriè non cadit in Deum, quia priuat propriè memoriam, siue notitiam præcedentium: sed largè loquendo dicitur obliuisci, scilicet quantùm ad effectum: nam quantùm ad effectum misericordiæ dicitur obliuisci malorum, qui priùs boni fuerant: quantùm ad effectum iustitiæ dicitur obliuisci peccata pœnitentium, qui priùs peccauerant.

VERSVS XXVII. *Sed propter iram inimicorum distuli*, &c.

Ne occasionem sæuiendi & superbiendi arriperent ex iusta Dei vltione, & perduellis populi exterminio, distulit expectans an resipiscerent.
22 Isaiæ c. 4. *expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas*. Idcirco forte attexuit deinde vineæ metaphoram; *De vinea Sodomorum vinea eorum*. & c. 30. *expectat Dominus, vt misereatur vestri*. Superbit malus, cu deleto tu hoste suâ compler iram. Sed quousque expectauit, & distulit? vsquequo implerent mensuram Patrum suorum; de quo Matthæi 23. Impleuerunt occidendo Dominum. Apocalyp. 22. *qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc*. In Dei iudicio non statim soluitur pœna, donec totaliter exaggeretur, & veniat ad cumulum culpa: vnde occiderunt Prophetas, & nondum erat impleta culpa. Tandem sub Vespasiano, Tito, & Hadriano debitas luerunt pœnas, exterminati & excisi, bello fameque consumpti.

Q Matth. 21.

VERSVS XXVIII. *Gens absque consilio est & sine prudentia*.

Quoniam pluries fundendi erant ac cædendi ab hostibus, dignatur Dominus salubri monito gentem conuenire; quomodo stultè gloriati aliquando fuerint euentibus mundi huius insipienter fixi, neglecta nouissimorum contemplatione. Non est hic locus simpliciter mulctæ & præmij; contingit siquidem aliquando deprimi eos, qui finali iudicio sunt exaltandi. *Vt mam sapereent ac intelligerent*, quod scribendum erat Machabæor. 2. c. 6. *Non eam sicut in alijs nationibus, Dominus patienter expectat, vt eas cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat; ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos iudicet*. Valerius, *lento gradu ad vindictam procedit diuina clementia, & tarditatem supplicij grauitate compensat*. Inquit Angelicus ad hæc: R intellectus in moralibus & diuinis debet habere pro principio voluntatem Dei, quia si hanc habeat pro principio, sit prudens intellectus. Hoc est quod Gentibus clementer desideratur. Euincitur autem illarum mentis error ex eo quod sequitur.

R Ephes. 5. l. 6.

VERSVS XXX. *Quomodo persequatur vnus mille*, &c.

Ac si diceret, visum aliquando paucissimorum manu fugari plurimos: ecquis suaderi possit, id absque Dei permissu patratum esse? non equidem, sed quia tradidit *vendidit*, & *conclusit* suos iusto iudicio in manibus inimicorum. Quod contrà sperans fiducialiter Iudas aiebat 1. Machab. 3. *facile est concludi multos in manu paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cœli, liberare in multis, & in paucis*.

VERSVS XXXI. *Non enim Deus noster, vt Dij eorum*.

Falsa numina nullius potentiæ Omnipotentis in conspectu, ter nihil sunt: *operatur ipse omnia secundum consilium voluntatis suæ*, Ephes. 1. Quod pergit ostendere à versu 37. *Vbi sunt Dij eorum?* & infrà. Opportunè quidem, quando suprema malorum animaduersione commemorata, fas est ad inania simulacrorum, veluti insultando conuerti. Interim tamen *inimici nostri sunt iudices*; quia illorum nonnulli vel coactè fassi sunt, vnde esset nunc clades nunc victoria Iudæorum, iuxta scilicet veri Dei dispensationem: sicut legitur Iudith 5. *Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium*.

VERSVS XXXII. *De Vinea Sodomorum*, &c. *Vua eorum vua fellis*, &c.

Isaiæ 5. *Vinea enim Domini exercituũ domus Israel est, & viri Iuda germen eius delectabile*, &, *expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiã, & ecce clamor*, Iob 36. *causa tua quasi impij iudicata est*: qui locus de Christo Domino exponitur S pluries; & *iustitiam, & ecce clamor*: quis clamor? *tolle, tolle*, ait hic Haymo, *crucifige eum*. De hac vinea & Moyses loquitur: quæ perhibetur agnata vineæ Sodomorum; nam teste Rupert. 6. super Gen. 8. vt fertur in sylua Allegoriarum Lauretj; *Sodomitæ vallantes Domum Loth, typum gerunt Ierusalem, & Iudæorum qui oppresserunt Christum; & qua coniurauerunt maiores. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum*. Marci 5. *Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis*; ideo videntur poni maiores in *Sodomis*: minores autem in *suburbanis Gomorrhæ*. Vnde *Gomorrha* interpretatur *populus rebellis*. Sodomis etiam æquiparantur hoc in loco Iudæi, ob com-

23

S 3.p.49. 6.& q.59. 2.in 4.48. 2.1. op.2. 241. pl. 9. & Io.19. 1.

munem superbiam: *hæc fuit iniquitas Sodomæ*, Ezech. 16. *Superbia*, &c. Ipse autem ait, ps. 22. *circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me*: quò Leo Papa in Serm. *concurrentibus ad vnum scelus Iudæis, Iudæorumque Principibus, superbus taurorum tumor, & proterua vitulorum petulantia sæuiebat. Venient Romani* &c. Ecce superbiæ soboles prima, ambitio. Ita D. Thomas 1. Corinth. 13. lect. 2. est autem principalis superbiæ filia ambitio. Sic 3. p. quæst. 47. a. 5. sentit Principes Iudæorum aliqualiter coniecturasse de Christi Diuinitate: sed hæc coniecturalis cognitio obscurabatur in eis, ex inuidentia & cupiditate propriæ gloriæ.

VERSV eodem. *Vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi.*

Cohæret Euangelista testatus de Pilato; *sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum*. De inuidia Poeta quoque Metamorph. l. 2. *Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno*. En fructus vineæ Iudaicæ.

VERSVS XXXIII. *Fel Draconum vinum eorum: & venenum aspidum insanabile.*

Apocalypsis 16. *Date illi calicem vini indi-
gnationis iræ Dei*: idest [T] potum pœnæ mensura-
tæ, iuxta mensuram peccatorum. Loquitur au-
tem iuxta similitudinem hominis dantis alij po-
24 tum amarum. *Calicem*, inquam, *vini*, idest dam-
nationis inebriantis, & replentis sua amaritudi-
ne. Dicit autem *vini*, non *aquæ*; quia aqua non
inebriat: vinum totaliter replet; & etiam deijcit
hominem. Hæc D. Thomas: quæ rei nostræ sa-
tis accómodantur. Sic iuxta vuæ naturam, sup-
primitur vinum: iuxtà merita, retributio. Si-
cuti autem, *messis est consummatio sæculi*, Mat-
thæi 13. ita vindemiæ tempus finem videtur in-
dicere. *vindemia botros*, Apoc. 14. *Dracones* au-
tem & *Aspides* Dæmones sonant. Ps. *super Aspi-
dem & Basiliscum ambulabis*: & *conculcabis Leonem
& Draconem*. Isti propinabunt damnatis tor-
mentorum vinum.

[T] Apoc. 16. Com. 2.

VERSVS XXXIV. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?*

Sanctus Paulus aiebat simili tropo; *thesaurizas tibi iram* Roman. 2. *in die iræ & reuelationis iusti iudicij*. Consentit autem Interpretatio Chaldaica dicens: *Et conseruata in die iudicij in thesauris meis.*

VERSVS XXXV. *Mea est vltio; & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum.*

Alia littera; *mihi vindictam*. Ita Roman.
12. & Hebr. 10. Apostolus; scilicet [V] *seruate*.
Naum 1. *Deus æmulator, & vlciscens Dominus*.
Qua de re tractat Angelicus [X] alibi luculenter.
Vt labatur pes eorum: ad Iudæos sermo est per
Chaldaicam, quæ legit; *in tempore quo migrabunt
de terra sua*. Isaiæ 8. *in lapidem autem offensionis,
& in petram scandali duabus Domibus Israel: in la-
25 queum, & in ruinam habitantibus Ierusalem. Et of-
fendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, &
irretientur, & capientur*: Et paulo post; *& expe-
ctabo Dominum, qui abscondit faciem suam à Domo
Iacob: & præstolabor eum*. Ecce quomodo Pro-
pheta recolit quod hic dictum est; *abscondam fa-
ciem meam ab eis*. Et postea; *iuxta est dies perditio-
nis; & adesse festinant tempora*. Quæ verba præ-
stolantes aliquos signant, tùm Christi aduentum,

[V] Rom. 12. l. 3. Heb. 10. l. 3.
[X] 2. 2. 108 a. 1. & de malo q. 11. a. 1.

positi in ruinam, & resurrectionem multorum; Lucæ 2. tùm finale iudicium; Apoc. 6. *vsquequo Domine* (sanctus & verus) *non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum? Eoquòd lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Iuxtà est ergo dies perditionis*, [A] idest nouissimus dies: qui reuera citò erit; Ioelis 1. *A A A, quia prope est dies Domini. Breue est*, ex D. Gregorio, *quod clauditur fine.*

[A] Apoc. 11. Com. 1. ibi, apertũ est Cœlum.

VERSVS XXXVI. *Iudicabit Dominus populum suum: & in seruis suis miserebitur.*

Nihil apertius de finali vindicta Iudaici populi, olim populi sui: *Sed in seruis suis miserebitur*. Quia qui Dominum agnouerunt, *& quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Prouerb. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*. Sanè Actorum 2. *appositæ sunt in die illa animæ circa tria millia*: ex ijs [B] qui consenserunt in mortem Christi. Cap. 4. *& factus est numerus virorum quinque millia*. Et c. 21. Iacobus Apostolus, & alij seniores dixerunt Paulo; *Vide frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt*: vbi Græca; *quot myriades sunt Iudæorum, qui* &c. Myrias continet decem millia hominum. Cur autem [C] Iudæi non sint omnes conuersi, cùm tamen priùs gentiles essent inimici Deo: licèt aliqua super hæc verè dici possent, (quod suprà tactum est) tamen melius dicitur, huius rationem plenam, & claram apud Deum esse, & nobis occultam, in talibus enim occulta sunt sua iudicia; tamen iustissima; quia nihil sine ratione iustissima facit. Ita ibi ex Gregorio referente se ad illud Pauli Rom. 11. *O altitudo diuitiarum* &c. Isaiæ 6. *excæca cor populi huius.*

[B] Serm. de Crucifixione.
[C] Apo. 8 Comm. 1.

VERSVS eodem. *Videbit quòd infirmata sit manus* &c.

Aliter legunt Septuaginta & Chaldæa: illi quidem; *vidit enim eos dissolutos, & deficientes in captiuitate, & remissos*. Ista verò; *Quoniam manifestum est coram eo, quòd in tempore quo præualebit in eos plaga inimici, erunt instabiles, & derelicti*. At noster pressiùs vertens indicat consideranti, tetigisse Moysen quæ post Redemptoris Crucem obuentura erant Iudæis; nempe vt illorum robur lassesceret: obsessi in Ierusalem, seu clausi sub Tito & Vespasiano deficerent, *residuique consumerentur*, facti instabiles.

VERSVS XXXVIII. *De quorum victimis comedebant adipes.*

Idololatræ bibebant de sanguine victimarum, & comedebant adipes. Ita recolit [D] Sanctus Doctor. Quamuis autem Iudæi Christum negantes, non ideò Idololatræ extiterint positiuè; quia immo *idola penitus* per Messiæ aduentum *conterenda erant*, iuxta Isaiam cap. 2. tamen reatum Idololatriæ contraxerunt, quando in ipsum verum Deum, Dei filium non crediderunt. *Arguet*, inquit, *Spiritus Sanctus Mundum de peccato, quia non crediderunt in me*, Ioan. 16. *Et qui non credit iam iudicatus est*, Ioan. 3. Ad insinuandam ergo nouissimam eorum incredulitatem, antiquus idolorum cultus eis exprobratur.

[D] p. 2. q. 102. 3. 8.

Et præterea, cùm hæc ita tangantur, vt finalis totius Mundi exitus intelligatur: & damnationis primo sint in loco *infideles, qui*, vt ait Gregorius, [E] *non iudicabuntur & damnabuntur*, ideò hi commemorantur puniendi: quamuis malorum omnium impœnitentium massa damnanda sit. Suprà quam proinde quod sequitur,

[E] Hebr. 10. l. 1.

cadit;

cadit; & nonnulla prius dicta ad eos referuntur. Puta ly *de vinea Sodomorum, vinea eorum*. Multiplex est vinea [F] carnalis concupiscentiæ; & huius est primò vinum iræ; *fel Draconum* &c. Item Calix Diaboli [G] est luxuria carnis & mundi. Item est vinum [H] malum fraudulentæ deceptionis. Denique in Commentario secundo Apocalypsis, ibi *Vindemia botros* [I] *vineæ terræ*, idest huius Mundi, qui est vinea producens malas vuas scilicet peccatores, qui bibunt vinum Diaboli, quo inebriantur: de quo Deuter. 32. Contrà hos omnes omnisque generis malos, sequitur comminatoriè intimata damnatio.

F Isaiæ 5.
G op 58. 32.
H Ierem. 23.
I Apoc. 14.

VERSVS XXXIX. *Videte quòd ego sim solus*, &c.

Ad solum quippe Deum [L] pertinet iudicium mortis & vitæ: & sic non licet alicui occidere se ipsum.

L 22.65.5

VERSVS XXXX. *Leuabo ad Cœlum manum meam.*

Idest [M] filium meum. Leuauit Dominus manum ad quatuor: [N] primò ad offerendum sacrificium pro mundi expiatione ps. 140. *eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Secundò
25 ad dandam benedictionem, Lucæ vltimo: *eleuatis manibus benedixit eis*. Tertiò, ad potentiæ suæ ostensionem, Deuteronomij 32. (Danielis 5. *apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis*.) Quartò ad malorum percussionem, Ecc. 36. *alleua manum tuam super Gentes alienas*. &c. Pro tertia manus alleuatione, debemus eum timere.

M ps. 16.
N Serm. vltimo de facto Th. Apostolo

VERSVS XXXXI. *Si acuero vt fulgur, gladium meum.*

Gladius iste [O] est sententia iudiciaria. Sic vbi cap. 1. legimus: *& de ore eius gladius vtraque parte acutus*, ait, [P] quæ sicut gladius separabit malos à bonis, & eos æternaliter perimet. *Acutus*, quia acutissimè punget: *ex vtraque parte*: quia anima & corpore damnabuntur. Et ecce expressiùs in textu: *Et arripuerit iudicium manus mea*. Arripiet, quia *veniet tanquam fur*, 2. Petri 3. *adueniet autem dies domini, vt fur*. Apoc. 16. *ecce venio sicut fur*. *Sicut fulgur exit ab oriente* &c. *ita erit & aduentus filij hominis*, Matthæi 24.

O Apoc. 2. Comm.
P Apoc. 1. Comm. 2.

VERSVS XXXXII. *Inebriabo sagittas meas sanguine.*

Inebriare significat [Q] abundantiam. *Et gladius meus*. Nunc *gladius* [R] stat pro vltione. Iam paulo ante dixerat, *reddam vltionem hostibus meis*. Sanguis (alibi dictum est) tanquam sedes animæ, pro anima accipi potest: patientur autem in Inferno & anima & corpore. Extrema ergo vindicta desumenda est. Sed *nemo credit*, ter pronunciauit spiritus illius in visione apud Granatensem, in l. Duc. peccat. c. 7. *quàm iustè iudicet, & seuerè puniat*. Sumetur autem vindicta *de cruore occisorum*. Hoc est de peccatis: quia per sanguinem [S] peccatum signatur, ratione infectionis, ratione horroris, ratione signi mortis: quia peccatum turpiter inficit, horribile est, & signum est mortis spiritualis, immo & causa. Oseæ 4. *sanguis sanguinem tetigit*. Ita ad illa verba: *facta est tertia pars maris, sanguis*. *De cruore ergo occisorum* à Diabolo per peccatum: *quia ille homicida erat ab initio*, Ioa. 8. & hominem occidit vtraque morte. Ad historiam potest exponi [T] de gladio pestilentiæ, vel etiam Chaldæorum. Sed pergamus mysticè.

Q Isaiæ 34.
R Ier. 12.
S Apoc. 8 Com. 2.
T Ierem. 12.

VERSV eodem; *Et de captiuitate nudati inimicorum capitis.*

Sumpsit, sumpturus est, *qui viuit in æternùm* vindictam promeritam etiam de captiuitate, 26
quia *captiuam duxit captiuitatem*, vt Diabolus ex hoc torqueretur. Hinc D. Augustinus: *Possidebat Diabolus genus humanum*, &c. *deceptos captiuosque pertrahebat*. Ad rem autem videtur facere quod sequitur, *nudati inimicorum capitis*; idest Diaboli; qui vt astruitur in tertia Parte, [V] caput omnium malorum est. Iob 41. *ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ*. Vnde & D. Gregorius; [X] *corpus eius sunt omnes iniqui*. Est autem nudatum caput, quia expoliatum fuit gratuitis omnibus; Ezechielis 28. *omnis lapis pretiosus operimentum tuum*. Qui textus de virtutibus & officijs nouem [A] ordinum Angelorum exponitur. Septuaginta transtulerunt; *& captiuitate à capite Principum inimicorum*. Chaldæa, *vt auferam coronas de capite hostis & inimici*. Scribunt aliqui consueuisse olim victores, victis Domini mancipijs, capita in ludibrium decalcare. Et Prophetas non semel ob id comminari caluitium. At quamuis hoc memoret Haymo, quia scilicet captiui tondebantur, & vendebantur; nihilominus spiritualem præmittit intellectum dicens; *de captiuitate capitis, idest Diaboli, qui est caput inimicorum: capitis* dico *nudati, tunc omni potestate sua priuati*.

V 1 p 8.
X op. 58. 14.
A Serm. Pauli 8 D. Bernardi.

VERSVS XXXXIII. *Laudate Gentes populum eius.*

Illustratur apprimè littera hæc ex Apostolo: 27
cum enim, Roman. 10. allegasset illud, *ego ad æmulationem vos adducam*, &c. (non quidem immittendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, vt docet c. 11. l. 1. sanctissimus Doctor,) adiecit; *Dico ergo* (cap. 11.) *nunquid repulit Dominus Deus populum suum? absit*, *reliqui* (inquit Diuinum responsum) *septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal*. Sic mirificè Moyses; *Laudate*, inquit, *gentes populum eius*: ac si diceret; in miseranda hac catastrophe Iudæorum, non erit, (quod docet Apostolus eo loci ex D. Thoma) Iudæorum perditio vniuersalis; nam erit, plures ex eis inuenire veros Dei seruos, qui pro Iesu Christi nomine vitam profundent: & de illorum nece vindictam sumet. *Vindica sanguinem seruorum tuorum, qui effusus est*. Dumque ait, *propitius erit terræ populi sui*, opem futuræ saluationis Iudæorum in fine, aperit; quasi Patriarcharum merita non oblitus, cum quibus sub eodem cœlo vnione legis fuerunt. *Propitius erit terræ populi sui*. Quod Apostolus clariùs expressit dicens; *Si delibatio sancta est, & massa? Et si radix sancta est*, (ne quis desperet, nil carius) *& rami*. *Nam & si tu* (ò Gentilis) *ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam; quantò magis hi, qui secundùm suam naturam, inserentur suæ oliuæ?* idest reducentur [B] ad dignitatem Gentis suæ. Malach. vltimo, *Conuertet corda Patrum ad filios, & corda filiorum ad Patres eorum*. Nam Iudæi [C] æmulaturi erant Gentiles, in quantùm vbique, & nunc aliqui eorum particulariter conuertuntur ad fidem, imitantes fidem Gentium; & similiter *omnis Israel saluus fiet; cum plenitudo Gentium intrauerit*.

B Rom 11. l. 3.
C Rom 11. l. 2.

VERSVS XXXXIV. *Venit ergo & locutus est omnia verba Cantici huius in auribus po-*

puli, ipse & Iosue filius Nun.

Nescio quo pacto queat studiosius significari, latère hoc in Cantico alta Dei secreta; quādo *in auribus populi* perhibentur prolata. Ad aures quippe accedit qui arcanum tradit.

VERSVS XXXXIX. *Ascende in montem istum Abarim, &c. & morere in monte.*

28 *Eadem*, inquit sacer textus, *die*; Moysi mors indicitur: quare appellari solet canticum istud Cycnæum. Spiritum autem litteræ introspiciendo, inuenimus meritò tunc Moysi de morte fieri præceptum, quando mirabiliter plurima cantata sunt de noua lege; quia vetus quæ significata per Moysen, desitura erat. Quocirca tria tempora distinguntur per Augustinum, Ep. 19.
Ep.1.10; 4.ad 1. t. 2. [p] vnum quidem ante Christi passionem; in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua. Aliud post tempus Euangelij diuulgati; in quo legalia sunt mortua, & mortifera. Tertium autem est tempus medium, scilicet à passione Christi, vsque ad diuulgationem Euangelij: in quo legalia quidem fuerunt mortua; quia neque vim aliquam habebant; neque aliquis ea obseruare tenebatur: non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui conuersi erant ad Christum ex Iudæis, poterant illa legalia licitè obseruare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quòd ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi iustificare non posset. Sic ad huius doctrinæ normam, de Moyse legis typo; *Lex per Moysen data est.* Siquidem finem suum iam venisse testatur suprà c. 31. *Centum viginti annorum sum hodie*; qua in ætate mortuus est vt patet c. 34. Sed primo in loco nulla fit mentio de morte: in signum futuri temporis, quando nec mortua nec mortifera legalia forent. Deinde hoc in capite, præmandatur Moysi, vt moriatur, *& morere in monte.* Quod quadrat secundo tempori, post passionem, nondùm diuulgato Euangelio. *Sic in auribus populi* locutus fuerat Moyses *verba Cantici*: quod in auribus loquimur nondum diuulgatum omninò est. Tertiò moritur de facto cap. 34. & taliter moritur, vt sepeliatur, *& non cognoscat homo sepulchrum eius*: quasi nefas esset, posthac Moysen siue legem mediũ proferre. Sic lex transiuit, & ideo iubetur ascendere in monsem *Abarim* idest *transitum*: non sic Euangelorum, de quo Dominus, ait *verba mea non transibunt.* Similiter in *Montem Nebo* iubetur ascendere; qui est vnus è iugis *Abarim*, & interpretatur *conclusio*, vbi moriaur Moyses, quia adueniente Euangelio, datus est finis legi. Ita ex D. Hieronymo de Mansionibus. *Qui est in terra Moab.* Moab filius fuit Loth eiusque filiæ: & ex Augustino significare potest eos, qui lege abutuntur; Ita in sylua Allegoriarum: *contra Iericho*, quasi ex aduerso ad omnem aliam futuram vnquam mutationem, nam *Iericho Luna* interpretatur: Legi autem nouæ, cum omnibus modis perfecta sit, lex alia nulla succedet, vt docemur prima 2. [q] Nota tu quomodo iam dixe- Ep.1.Ios 4.
tat præmonstrando, *ascende in montem istum Abarim*: vnde sine dubio illum describit pro mysterio.

VERSVS LI. *Quia præuaricati estis contrà me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis.*

Quo in genere defecerint Moyses & Aaron
dictum est satis Numeri 20. & 27. In præsenti 39
pulsare potest animum quæstio, cur sic irremisibiliter hanc eis Deus decreuerit pœnam, vt terram promissam non ingrederētur, videtur enim tantis viris indulgendum fuisse; vel saltem commutandam prouidè, ne tantis capitibus priuarentur. Quodque mirum est Moyses & Aaron qui pro populo toties orarunt, veluti sui immemores, vel inexpiabile esset delictum, nec preculam fundunt: promptissimo quin potius animo Deo obtemperant, nec renisu aliquo, (quod portioni daretur inferiori) detrectant exclusi à terra illa mori. Quid vetitus illis ingressus, cum incredulitate ad aquas contradictionis? nuomodo punitio isthæc respondet culpæ? Occurro meo pro modulo difficultati, expendendo defecisse Moysen & Aaron fidentia, vt c. relato 20. Numeri visum est. Atqui fiducia est exacta proxima primæuaque dispositio, qua recipiendis à Deo donis præparemur; nominatimque ad ingressum cœli. Ephes. 3. *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius*; & Hebræor. 10. *habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine ipsius. Petra erat Christus* 1. Cor. 10. Aqua illa sanguinis fuit imago: Quid ni excluderentur à Regno, in & quidē indispensabiliter, in excludendorum figuram, in veritate?! *Ad aquas contradictionis.* Lucæ 2. dixit Propheta Simeon de Iesu: *in signum cui contradicetur.* Machab. 2. cap. 2. memoratur mons *iste in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem. A longe eas aspicientes* ait S. Paulus Heb. 11. Et de Moyse *maiores diuitias æstimans thesauro AEgyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* E contra, *videbis terram, & non ingredieris in eam, quam ego dabo filijs Israel* Reseruabatur ingressus ducatusque Iosue, Christi Iesu in typum; qui Micheæ 2. *ascendit pandens iter ante eos.*

CAPVT XXXIII.

1 HAec est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei, filijs Israel ante mortem suam.

2 Et ait: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera eius ignea lex.

Sap. 3. 2. 1. 3 Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius.

4 Legem præcepit nobis Moyses, hereditatem multitudinis Iacob.

5 Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel.
6 Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero.
7 Hæc est Iudæ benedictio: Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc
eum: manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduersarios eius erit.
8 Leui quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in ten-
tatione, & iudicasti ad Aquas contradictionis. 9 Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio
vos, & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum,
& pactum tuum seruauerunt. 10 Iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israel: ponent thy-
miama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum. 11 Benedic Domine fortitudini
eius, & opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum eius: & qui oderunt eum,
non consurgant.
12 Et Beniamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in tha-
lamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.
13 Ioseph quoque ait: De benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore, atque
abysso subiacente. 14 De pomis fructuum solis, ac lunæ: 15 de vertice antiquorum
montium, de pomis collium æternorum: 16 & de frugibus terræ, & de plenitudine eius. Exo. 3. a. 2.
Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Naza-
ræi inter fratres suos. 17 Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis
cornua illius: in ipsis ventilabit Gentes vsque ad terminos terræ: hæ sunt multitudines Ephra-
im, & hæc millia Manasse.
18 Et Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis. 19 Po-
pulos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iustitiæ. Qui inundationem maris
quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.
20 Et Gad: Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requieuit, cepitque brachium, &
verticem. 21 Et vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus: qui fuit
cum principibus populi, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel.
22 Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.
23 Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus
Domini: mare, & meridiem possidebit. 24 Aser quoque ait: Benedictus in filijs Aser, sit
placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. 25 Ferrum, & æs calceamentum eius.
Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua. 26 Non est Deus alius, vt Deus rectissimi:
ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes, 27 habitaculum eius
sursum, & subter brachia sempiterna; eijciet à facie tua inimicum, dicetque: Conterere.
28 Habitabit Israel confidenter, & solus. Oculus Iacob in terra frumenti, & vini, cælique
caligabunt rore.
29 Beatus es tu Israel: quis similis tui popule, qui saluaris in Domino? scutum auxilij tui,
& gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis. 2. Mac. 2. a. 4. Sup. 3. d. 26.

VERSVS I. *Hac est benedictio* &c.
Benedicit Sanctus Moyses instin-
ctu Numinis filijs Israel. Sed sicut ait
S. Doctor de Iacob Genesis 49. item
A Genes. 49. benedicente filijs suis: propriè [A] vadunt benedi-
ctiones istæ ad Spirituales successores eorum: ita
certè in præsenti. Quare tametsi vere multa ab
interpretibus quæ temporaliter fuerant euentu-
ra, huc ad litteræ intelligentiam reuocentur;
absit vt *Hominis Dei*, Moysis inquam, mens eò
præcipue aspexerit: absit, vt solicita esset Sacra
pagina terrena adamussim tangere: quando pro-
pe iam moriturus eloquitur; & versu 26. *ascen-
sor cæli decantatur Deus auxiliator*, vt sursùm sera-
1 mur. Vnde quasi in deplorationem Iacob, vt vi-
debimus v. 28. *oculus eius dicitur in terra*. Itaque
ad mysticum flectenda sunt omnia, vt Spiritui
seruiat littera: nàm sicut ait Augustinus *Seir est
mons Idumææ; vbi regnauit Esau*: vnde ad litteram
stare non potest, quod primo in limine habetur:
Et de Seir ortus est nobis: quamuis Idumæi ali-
quando fuerint subiecti Israelitis, vt notat An-
gelicus Rom. 9. l. 2. secundùm illud ps. 59. *in
Idumæam extendam* &c. Et propterea quia alto
dictamine hæc exarantur, diuersoque ab illis Ia-
cob, scopo promuntur benedictiones, non idem
seruatur ordo, vt patet; nam Beniamin hic quar-
tò commemoratur; Genesis verò benedictiones
audit nouissimus.

Vt igitur Domino largiente, planior fiat littera, & germanus deprehendatur sensus, dictorum nexu, operæ pretium est scrutari humiliter, quidnam sibi voluerit hic Deus per Moysen. Sanè postquam mirificè delectu quodam legalium, tetigerat nouam legem; fas erat, de ijs qui sub Euangelio victuri erant, quoad genera saltem nonnihil dicere: vt sic Ecclesiam describeret facet calamus, Corporisque mystici ipsius exordium metamque, diuino irradiante lumine, si qui pie studuissent, nosse possent. Hinc *ad filios Israel* diriguntur benedictiones: atqui non carnali propagatione ex Iacob, sed spiritali descendentes serie: quemadmodum ait Apostolus Rom. 9. *non qui filij carnis hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine*: & paulò ante; *non enim omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ*: Et ideò signanter v. 5. non tàm *Israel* quàm *Rectissimus* enunciatur, & v. 26. dicitur Deus, *Deus*

rectissimi: sicut Isaiæ 44. vt discernat inter filios carnis, & promissionis, similes Iacob fide & sanctitate: siue ex Iudæis siue ex Gentibus: ad quod item innuendum dicit v. 3. *dilexit populos*; vtriusque scilicet conditionis, dummodo floreant sanctitate, quam potens est ipse solus donare: ex quo sequitur; *omnes Sancti in manu illius sunt*, quia *potens est Deus de lapidibus istis, vt ait Veritas* Matth. 3. *suscitare filios Abrahæ*. Sic Augustinus: *populum nouum Christi gratia sanctificatum prænunciat*. Sed vt omnium capitis huius filum capiamus, est

2 VERSVS II. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis*.

In Exodi c. 19 descendisse dicitur Dominus super montem, non venisse de monte; immò illuc ascendit Moyses: quare firmatur quod tactum est, scilicet ad mysticum omnia referri. Quocirca etsi à plerisque credatur *Sinai* poni pro *Iudæis*, *Seir* pro *Gentibus*, cum *Seir* sit mons in finibus Idumæorum; quia de Iudæis & de Gentibus ortus est Dominus, de Booz & Ruth (Ruth 4.) quæ fuit Moabites: sicut & Isaias concinit c. 16. *emitte agnum Domine* &c. *de Petra Deserti*; Et sic videtur exponi posse illud capitis 63. *Quis est iste, qui venit de Edom?* vt stet sicut & *Seir* pro Esau, isque pro gentilitate non obstante: quod ex Iuda ortus sit Dominus noster, Heb. septimo: tamen vltrà dicta de Ruth, arridet quod canit Ecclesia, *de medio Gentium Saluator noster apparuit*; in quantùm respuentibus Iudæis Christum, conuersi sunt Apostoli ad Gentes, vt dicitur Act. 13. vnde postea *in vniuerso mundo* Coloss. 1. *verbum veritatis Euangelij fructificauit*; *missis discipulis ante faciem suam* Lucæ 10. Verùm quoniam vt ex

B Galat. 4 18. glossa fert Angelicus [B] *Sina* interpretatur *mandatum*; & ab Apostolo vetus lex vocatur *lex mandatorum*, libet ita exponere; De *Sina*, idest de lege veniet Dominus; (& fit præteritum pro futuro ob certitudinem) iuxtà quod Augustinus Serm. 20. de Sanctis ait de Baptista, *Dominum Deum nostrum de quodam legis vtero proclamauit: Iudæi errauerunt à ventre; hoc est à lege, quæ Christo grauida erat*. *De Sinai* ergo venit; quia qui legem traditam in Sina humiliter & intentè scrutatur, inde agnoscit Christum verè venisse. De *Seir* autem ortus est nobis. *Seir* idest *hispidus* siue *pilosus*. Sic dictus est Esau. Optimè ex Augustino etiam, significat peccatores. *Notandum est autem*, inquit Hieronymus l. 1. in Matthæum, *nullam Sanctarum assumi mulierum in genealogia Saluatoris, sed eas quas scriptura reprehendit; vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret: vnde in consequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Bethsabee vxor Vriæ*. Sanè sic etiam

C Rom. 1 1. Apostolus Rom. 1. *qui factus est ei ex semine Dauid*. Factum est autem [C] ad dandam spem veniæ peccatoribus, quia Dauid peccator fuit.

VERSV eodem: *Apparuit de monte Pharan*.

3 Neque *Sina*, neque *Seir*, quamuis insignes sint montes, montes vocantur. Seruatur sublime epitethon *Pharan*. *De monte Pharan*. Et quis est mons iste, nisi Virgo; quæ mons est supremæ sanctitatis, vt potè *præparatus* à Deo, teste Isaia, *in vertice montium*? Est autem Mons *Pharan*, idest vmbrosus, quia *Spiritus Sanctus superuenit in illa* (in monte excelso, non ita *veniturus* propriè vt *superuenitur*) *& virtus Altissimi obumbrauit ei*. Vbi Beda Sanctus: *concupiscentiæ in te non erit æstus*. Et Hugo noster Roman. 4. *secundum aliam litteram, refrigerabit te, quia fomes omnino in Beata Virgine fuit extinctus*. Quàm bellè post *Seir*, adiectum est *apparuit de Monte Pharan*; & vt emicet Virginis sanctitas præsè, ceu ex qua apparuit Christus: *cum eo* (inquit Moyses) *Sanctorum millia*. Sic & Angelus Sanctum compellat, *quod nascetur ex te Sanctum*. Sancti dicuntur Angeli, Danielis 4. *Et ecce vigil & sanctus de cælo descendit*: Cum Christo sanctorum Angelorum millia, quia homo Deus. Danielis 7. *millia millium ministrabant ei*. Hinc Matthæi 4. *& accesserunt Angeli & ministrabant ei*. Non dicit [D] *descenderunt*, quia semper cum eo erant, et si ad horam recesserant de eius voluntate: ad hoc vt Diabolus locum tentandi haberet: exhibebant enim ministerium in exterioribus, scilicet in miraculis; & alijs corporalibus, quæ fiunt mediantibus Angelis. Sic Abacuc c. 3. *Deus ab Austro veniet & Sanctus de monte Pharan*. Alibi [E] *Et cum eo sanctorum millia*; refertur ad iudicium diem. D Matth. 4. E Apoc. 1 Comm. 1.

VERSV II. *In dextera eius ignea lex*. 4

Ipse ex Isaia cap. 33. est *legifer noster*. Lex ergo noua ex ipso attendenda erat; nam legem primam Moyses habuit in manu; *lex per Moysen data est*. Io. 1. Sonat autem legem esse in [F] ipsius potestate; *lex ordinata per Angelos in manu mediatoris*. Galat. 3. Verùm cum Christus Dominus dicatur esse & *sedere ad dexteram Patris*, secundùm humanitatem; quatenùs est in potioribus bonis; dextera enim est potior pars hominis: est quippe in bonis paternis potioribus præ cæteris creaturis, idest in maiori beatitudine, & habens iudiciariam potestatem; vt [G] ex D. Thoma, meritò dicitur *lex esse in dextera eius*; *Regnum meũ non est de hoc mundo*; quia lex Euãgelij æterna promittit, Regnumque cœlorum. *Ignem veni mittere in terram*; Lucæ 12. Aliàs etiam *lex* dicitur *esse in dextera*, quia [H] prædicatio non valet nisi opere impleatur. Tu recole, quomodo *Cœpit Iesus facere & docere*, Act. 1. *Secundum opera eorum nolite facere*. Matth. 23. Et quia lex Euangelij est lex amoris; ad hoc insinuandum statim adiecit: *Dilexit populos*: excitans suo amore ad redamandum. Augustinus in lib. de Catechizandis rudibus c. 4. *quæ maior est causa aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? si amare pigebat, saltem redamare non pigeat*. *Dilexit* autem non solùm populum vnum, sed *populos*, tanquam reducturus omnes ad vnum ouile. Sic op. 2. Parte 2. c. 5. ad communem hominum dilectionem, hanc adducit D. Thomas auctoritatem. *Et omnes sancti in manu illius sunt*; ac si diceret, siue ex Iudæis siue ex Gentibus; iuxtà quod nos docet Petrus Actor. 10. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente; qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*. Sic ergo hisce verbis disponit Moyses Auditorum animos, vt si videant ex quouis genere sanctos, non mirentur, quemadmodum fecere illi Actorum allato in capite: de quibus legitur: *& obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro; quia & in Nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*. F Gal. 4. 7. G 3. p. q. 8. 1. & Colloss. 3. l. 1. opusc. 240. H Apoc. c. 8. Com. 1.

VERSVS III. *Et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius*.

Ne ergo superbiant Iudæi, dicentes; *Patrem habemus Abraham: quia de lapidibus potens est Deus suscitare semen Abrahæ*. Roman. 3. *An Iudæorum Deus tantum, nonne & Gentium? Immò & Gentium; quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Vbi
I Roman. 1.4. Diu. Thomas [I] ad illa verba: *Vbi est gloriatio tua*: Iudæorum gloriatio erat in lege. Hortatur ergo Moyses eos, ne glorientur. *Et qui appropinquant pedibus eius* &c. *Vbi humilitas, ibi sapientia*, Prouerb. 11.

VERSVS IV. *Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Iacob. Erit apud rectissimum Rex* &c.

6 Clariùs dici nequit dat enim filijs Iacob secundùm carnem hæreditario iure obseruantiam legis; nàm vt in eadem lectione ait S. Doctor. *Iudæorum Deus erat tantùm, per specialem cultum ab eis Deo exhibitum*. Erat tamen Deus omnium per commune Regimen vniuersorum, secundùm illud psalmi 46. *Rex omnis terræ Deus*. Et ecce quomodo mirè concinit textus: *Erit apud rectissimum Rex, congregatis Principibus populi cum tribubus Israel*. Rex scilicet verorum Israelitarum; *non enim* (Roman. 9.) *omnes qui ex Israel ij Israelitæ sunt, qui filij sunt promissionis æstimantur in semine*. Præsignatur profectò ouile *vnum, & vnus Pastor; congregatis principibus populi*, ait Moyses, *cum tribubus Israel*.

6 *Qui appropinquant pedibus eius*. Oportet illum humiliter consulere ad hanc accipiendam doctrinam. Isaiæ 55. *Ecce testem populi dedi eum: Ducem ac præceptorem Gentibus*. Ioelis 2. *Dedit vobis Doctorem Iustitiæ*. Ioann. 7. *mea doctrina non est mea*: ostenditur autem inexhaustum esse fontem doctrinæ, dùm quasi in participationem non totam, *accipient de doctrina*, inquit, *eius*. Cum tamen aliàs, *Sapientia nobilis sit professio, auarum dedignata possessorem*. Verùm doctrinā de associatione vtriusque populi, ad lapidem cāratissimum angularē, Gentium ac Iudæorum, nec non de tot alijs Christiana in lege præclaris qui auet, necesse est appropinquet *pedibus eius*, humili deprecatione, cogitans quid pro hominibus fecerit carnem suscipiens: inde enim innotescit, quanta fuerit in genus hominum diuina dilectio. Pro *pedibus* vulgatum est Sanctis Patribus accipi humanitatem; sicut Diuinitatem in Capite. *Caput Christi Deus* 1. Cor. 11. *Adorabimus in loco* ps. 131.
L Io. 20. l. 2. *vbi steterunt pedes eius*: pedes [L] scilicet humanitatis. Integram facit quæstionem [M] de Doctri-
M 3. p. 42. a. 1. na Christi Angelicus. Prædicauit Christus etiam per seipsum Iudæis: & quidē in Sacro-sancta humanitate. Debitus enim ordo exigebat, vt Iudæis qui Deo erant propinquiores, per fidem & cultum vnius Dei, prius doctrina Christi proponeretur, & per eos transmitteretur ad Gentes, ps. 33. *accedite ad eum & illuminamini*: ad hæc D. Thomas, scilicet per fidem, & charitatem. *Et qui appropinquant pedibus eius*; intelligi potest *pro pedibus* cœtus Apostolorum: dicente Isaia c. 26. *Ciuitatem sublimem humiliabit, & conculcabit eam pes pauperis, gressus egenorum*: pauperis, [N] sci-
N 3. p. 35. 7. 3. licet Christi: egenorum, idest Apostolorum Petri & Pauli.

VERSVS VI. *Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero*.

7 Septuaginta ita legunt. *Viuat Ruben, & non moriatur: & Simeon sit multus in numero*. Interpretatio Chaldaica ita: *Viuat Ruben in vita æterna: & non moriatur morte secunda. Et accipiant filij sui hæreditatem suam, iuxtà numerum eorum*. Quæ sanè varietas, & diuersa circumlocutio, ostēdit salebras litteræ. Rectè Noster & hebraismo congruenter (id quod animaduertit peritissimus Maluenda) transtulit *paruus*: non verò *multus in numero*. Sic Genesis 49. Ruben: *effusus est vt aqua: non crescas*. Sed obijci potest: Quomodo dicatur paruus numero Ruben: nàm Numeri 1. de Ruben recensentur quadraginta quinque millia quingenti. Non tot ex Ephraim Manasse & Beniamin. Præterea grauis vrget difficultas cur omittatur paulo post mentio de Simeone, qui aliàs cum Leui commemoratur ibi Gen. 4. *Simeon & Leui, vasa iniquitatis bellantia*. Cogimur relicta littera exoptare spiritum. Propheticè enim dictus est *paruus numero* Ruben primogenitus: quia tanquam talis stat in Iudæorum typum, siue Israelitarum ex Iacob secundum carnem. Exodi 4. *filius meus primogenitus Israel*. Excidit à primogenitura tempore gratiæ: vnde in Apocalypsi c. 7. *Ex tribu Iuda* &c. deinde *ex tribu Ruben*, factus est paruus numero. Quia vt ait Isaias c. 54. *multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum*; Quo D. Thomas: [O] Huius ergo desertæ, O Galat. 4. l. 8.
scilicet Ecclesiæ gentium sunt multi filij, idest plures, *magis quàm eius*, scilicet Synagogæ, *quæ habet virum*, scilicet Moysen: primi Regum 2. *sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est*. Et hoc, veniente sponso idest Christo, à quo deserta erat, non dilectione sed partu postposito. Stet ergo Ruben pro omni Iudæorum sobole, quæ gentium conuertendarum collatu, exigua erit. Nisi dicas populariter arcto futuram prædici numero Iudaicam nationem, quæ profuga inter alios hùc illùc abit, dùm ab Apostolis & Apostolicis viris per vniuersum saro fidei semine, mundus vbique gentium post Christum vadit, relictis in suo fœtore ceruicosioribus: qui tamen, post tot excidia non paruo in numero absolutè obsecuturi Antichristo coaceruabuntur: quicquid de nouem tribubus seu decem post Chaldæorum captiuitatem factum sit. De quo Maluenda, in prima impressione lib. 11. c. 17. & 18. Significari per Ruben Iudæos habes abundè in Sylua Allegoriarum. De Simeone autem, cur subticeatur à Moyse, paulò post.

VERSVS VII. *Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum* &c.

Pulchrè in eadem Allegoria ex Sanctis mul- 8
tis Patribus Iudas figura est Christi: qui equidem, vt ait Apostolus, de ea fuit tribu. Hebræor. 7. *manifestum est enim, quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster*. S. Doctor: Iudas à fratribus, [P] idest P Genes. 49.
ab Apostolis laudatus, & adoratus est, scilicet Christus. Facit ad rem illud psalmi 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: Audi Domine*, hic, *vocem Iudæ: & ad populum suum introduc eum*. Ibidem D. Thomas, ab inferis prædam traxit, & etiam ab infernali statu infidelium multam prædam electorum traxit, & trahet. Luc. 10. *misit eos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus: prædicatores enim suos*, ait Gregorius homil. 17. *Dominus sequitur. Hinc namque eisdem prædicatoribus Isaias dicit; parate viam Domini; rectas facite semitas Dei nostri*.

Ma-

Manus eius pugnabunt pro eo, idest opera eius, (ex Hugone) *& miracula. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur*; Marci 16. In Actis c. 11. *& erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conuersus est ad Dominum*. c. 13. *& nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus*. Est manus [Q] diuinæ liberalitatis ps. 103. *aperiente te manum tuam*: manus diuinæ correctionis. ps. 38. *à fortitudine manus tuæ, ego defeci in increpationibus*.

Q Ierem. 16.

VERSV eodem *Et adiutor illius contra aduersarios eius erit*.

De Christo in persona iàm dictum est. Hemistichium præsens videtur exponi posse de corpore eius, quod est Ecclesia; *Saule Saule cur me persequeris?* Contra aduersarios Christi, hoc est Ecclesiæ ipsemet adiutor eius erit. *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* Matth. 16. Lucæ 5. ex D. Ambrosio in libro 4. *Hæc est illa nauis, quæ secundùm Matthæum adhuc fluctuat, secundùm Lucam repletur piscibus; vt & principia Ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberãtis agnoscas. Non turbatur hæc nauis, in qua prudentia nauigat, abest perfidia, fides aspirat*. & Matthæi 14. ex D. August. Serm. 14. de Verbis Domini: *Quia insurgunt fluctus potest nauicula turbari; sed quia Christus orat non potest mergi. In his tentationibus erigitur Antenna, vt suspensa Arbori Crucem figuret. Hanc Christianus aspiciat, vt non deficiat*. Sanctus etiam Beda l. 2. c. 38. in Caput 6. Matthæi. *Vnde est* (Ecclesiæ) *vox eius inter vndas procellasque tentationum irruentium deprehensa, atque auxilium protectionis illius gemebundo clamore, quærentis: Vt quid Domine recessisti longe?* est enim vt nuper ait Moyses; *Adiutor illius contrà aduersarios eius*.

VERSVS VIII. *Leui quoque ait; Perfectio tuo & Doctrina tua*.

Ad Leuitas conuertit se, vt eis benedicat, tanquam figuraliter alloqui velit legis nouæ Ecclesiasticos; (alloquendo Deum) qui primum sine dubio perfectionis locum debent obtinere. *Perfectio tua*; idest à te Domine ad Leuitarum caput deriuata, Perfectio [R] status est triplex. Prima ordinis; Deuteronomij 33. Secunda Prælationis Lucæ 6. *Perfectus* ait *erit omnis, si sit sicut magister eius*. Tertia Religionis; infra c. 19. *si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Verùm non immeritò triplex huiusmodi perfectio hic etiam tangitur. Nam ad Aaron flectit oratio virum sanctum, qui quidem in *ordine* Leuitico summus fuit sacerdos: vnde habuit & *prælationis* insignia, *Tummim, & Vrim*, de quibus Exodi 28. v. 30. Denique claruit cum Leuitis tertia perfectione, dum dixit *Patri suo, & Matri suæ nescio vos, & fratribus suis ignoro vos: & nescierunt filios suos*. *Leui* interpretatur *additio*; quia præceptis vel sibi iniunctis, adduntur alia; sicut consilia, quæ sunt supererogationis. Apoc. 7. Comm. 2.

R Matth. 5. in fine.

Tangitur factum Exodi 32. Quando Do-
10 mino Deo imperante, indixit Moyses: *occidat vnusquisque fratrem, & amicum & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxtà sermonem Moysi, & ait Moyses; consecrastis manus vestras hodie Domino; vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio*. Ecce quomodo tùnc Moyses Leuitici ordinis benedictionem, quam nunc eis dat, meditabatur. Quocirca S. Doctor [S] cum D. Gregorio exponens illud Lucæ 14. *si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & vxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus* (hoc iterum metaphora gladij Matthæi 10. *non veni pacem mittere, sed gladium, veni enim separare hominem aduersus Patrem suum* &c. *qui amat Patrem aut matrem, plusquam me, non est me dignus*) dicit quòd parentes quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nescire debemus. Si enim parentes nostri nos prouocent ad peccandum, & abstrahant à cultu diuino, debemus quantùm ad hoc eos deserere, & odisse. Et hoc modo dicuntur Leuitę suos consanguineos ignorasse, quia idololatris secundùm mandatum Domini non pepercerunt. Assumpserat autem in argumento illud dici in laudem Leuitarum. Quod & scripserat Matthæi 10. ibi, *veni enim separare hominem aduersus Patrem suum* &c. subdens ex Exodo; *& occidat vnusquisque fratrem & amicum*: quod reputatum est, [T] ad laudem Leuitarum, vt habetur Deuteron. 33. præmiseratque; & in hoc communicat noua lex veteri: quia vbi retrahit Pater à Dei amore, non teneris obedire. Denique ad Corinthios [V] dicente Apostolo; *neminem nouimus secundùm carnem*, paraphrasim addit: non sequimur in aliquo carnalem affectum nec aliquid hoc modo reputamus: & memorat locum istum Deuteronomij.

S 22. 101. 4. 8.

T Matth. 10.

V 2. Cor. 5. l. 4. Apoc. 5. Com. 2. ibi cornua septem.

Quamuis ergo probandus fuerit summus 11
etiam Sacerdos in tentatione; (Exodi 17.) & iudicandus ad aquas Contradictionis, (Numeri 20.) vnde nota aliqua ipsius emerserit: nihilominus, ad illius commendationem calamum laxat: ea videtur mihi ratione, vt sacerdotibus, omnibusque clericalis militiæ, quantumuis labe nonnulla tactis honorificentiam præastruat: præscius futuri contemptus, ex demerito personarum, Ecclesiastici status: quando Osee 9. *erit sicut populus sic sacerdos*. Non ita *si custodirent*, vt hic dicitur, *eloquium Dei, & pactum seruarent* &c. Quod & Malachiæ 2. transgressoribus exprobratur: *vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum: propter quod, & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis*.

VERSVS eodem. *Ponent thymiama in furore tuo*. &c.

Placant Dominum suis sacrificijs facto de se ipsis holocausto (Religiosos aio) etsi declinent, deuientque nonnunquam ab instituto: vnde supportari eos oportet; *qui sine peccato est mittat*
lapides. Audi mundane Anselmũ lib. de Simil. c. 12
83. *Deus celeriùs indulget Monacho, qui se ei totum commisit, quàm laico dare nolenti vel sua pro his, quæ commisit*. *Benedic Domine* (pergit Moyses) *fortitudini eius*: grandis fortitudo cordis, nescire suos! *Percute dorsa inimicorum eius*. Meritò quidem; quia Zachariæ 2. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Quod Anacletus Epistola 2. ad Episcopos Italiæ de sacerdotibus intelligit, & habetur c. accusatio 152. q. 7. Tandem claudit. *Et qui oderunt eum non consurgant*: de spiritali morte ad vitam gratiæ. In pœnam quippe spreti sacerdotij iustè imprecatur Moyses, seu potiùs propheticè prænunciat, quid contemptores cleri meruerint, nimirùm derelictionem in peccatis, à quibus soluendi erant per sacerdotes: iuxtà

quod

quod Leuitici pluribus in locis legimus; *orabit sacerdos & dimittetur ei*. Et Christus Dominus consurgente Lazaro, dixit, *soluite eum*. Vbi S. Doctor [x] mortuus autem procedens adhuc ligatus, est confitens adhuc reus, vt autem soluantur peccata eius, ministris mandatur, vt soluant. Quare Sanctus Ciprianus Epist. 65. ad illud, *sic respondes Pontifici? Docuit*, inquit, *Sacerdotes veros legitimè honorari, dum circa falsos sacerdotes, ipse talis existit*. Et epist. 55. in act. 23. Cum Paulus dixisset *nesciebam, quia Pontifex est: Quãuis*, inquit, *Domino iàm Crucifixo, sacrilegi, & impij, & cruenti illi esse cœpissent; nec iam quicquam de sacerdotali honore, & auctoritate retinerent; tamen ipsum inane nomen, & vmbram quandam sacerdotis cogitans Paulus; nesciebam*, inquit, *fratres, quia Pontifex est*. Sanè 2. Machabæorum 3. legimus; *Igitur cum sancta Ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes, mala: fiebat, vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & Templum maximis muneribus illustrarent*. Quod è contrà ex Eusebio Emisseno, in Serm. 2. Dominicæ 11. post Pentecosten: *Qui enim narrauit mala ventura: Et quidem in hac die tua &c. & protinus Templum ingressus est, vt de illo vendentes, & ementes eijceret, profectò innotuit, quia ruina populi, maximè ex culpa sacerdotum fuit*. Thren. 1. *Quia vidit gentes ingressas Sanctuarium suum*. [A] *Gentes*; Sacerdotes verbo; sed gentiliter viuentes: de quibus præceperat Leuit. 22. *quòd homo etiam de stirpe Aaron in quo est macula*: siue vt ait textus, *in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ad vos* (Malach. c.) *ò Sacerdotes, qui despicitis nomen meum: & dixistis in quo despeximus nomen tuum? offertis super Altare meum, panem pollutum*: polluit enim [B] panem, idest Corpus Christi, qui indignè accedit ad Altare, & mensam Domini, si non scelerata voce, scelerato opere despicit, Ezechielis 22. *Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam; & inter pollutum & mundum non intellexerunt; & coinquinabar in medio eorum*. Hinc D. Hieronymus *Quid tibi cum fœminis qui ad Altare cum Deo fabularis? Dic sacerdos, dic Clerice, qualiter ijsdem labijs filium Dei oscularis, quibus osculatus es labia meretricis. Cum Iuda, osculo filium hominis tradis*. Lege, time, caue, tuam vitam, pœnas tuas, tuam ruinam.

X Ioan. 11. l. 6.
A Thren. 1.
B opusc. 58. c. 18.

13 Cur post memoratum Leui, Simeon taceatur quærunt. Ipse missis aliorum placitis, ea de causa crediderim omitti, quia ex Simeone fuerunt adinuentores sectæ Pharisæorum, vt tradit [C] Angelicus. Pharisæi dicebantur quasi à communi vita diuisi, propter suas obseruantias. [D] Phares diuisionem significat, quæ opponitur charitati. Quid mirum si negligatur de illis mentio in lege amoris? *Breuis est differentia* aicbat Augustinus *legis & Euangelij, timor & amor*. Diuisionem & schisma lex noua odit. D. Thomas in Genesin [E] Per Simeonem Doctores & Episcopi Ariani, vel alterius hæresis intelliguntur. Absint hi ab Ecclesia Dei, cuius speciem exhibent, qui hic in primis benedicuntur.

C Ioã. 11. 17. & Gen 19.
D Matth. 1.
E Genes. 19.

VERSVS XII. *Et Beniamin ait, Amantissimus Domini*.

14 Post Ecclesiastici ordinis denarrationem, accedit descriptionis descensus, contemplatiuorum quorundam, quorundam actiuorum in Ecclesia Dei. Primorum in typum Beniamin, *amantissimus Domini*. Sic Magdalena *dilexit multum*, quæ à Marthæ ministerio erat aliena; *quæ sedens secus pedes Domini audiebat verbum oris illius*, Lucæ 10. En quomodo hæc in præsenti leguntur: *habitabit confidenter in eo*; quasi *in thalamo tota die morabitur; & inter humeros illius requiescet*: in humeris fortitudo; *fortis autem est vt mors dilectio*, Cantic. 8. In vita actiua [F] quæ circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis, quàm in contemplatiua, quæ versatur circa vnum, idest circa veritatis contemplationem, &c. Et quia ipsam cessationem puta somni; vel occupationis alterius naturalis, ad operationem prædictam ordinat, quasi videtur operatio continua esse; *quasi in thalamo tota die morabitur*. Vbi Lucæ 17. ait Dominus. *Duo erunt in lecto; vnus assumetur, & alius relinquetur*, Scribit Angelicus, [G] accipi pro contemplatiuis. *Quidam* enim de contemplatiuis etiam damnabuntur, propter defectum perseuerantiæ. Et in opusculo; [H] lectum intelligas quietem contemplationis. Et quia, vt ait Gregorius ad illa verba Lucæ 10. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: contemplatiua* [I] *hic incipit, vt in cœlesti patria perficiatur*; non est mirum si dicat Moyses; *habitabit confidenter in eo; & inter humeros illius requiescet: nam factum est, vt moreretur Lazarus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ. Beniamin* interpretatur *filius dexteræ*. D. Gregorius. *Quid nam que per sinistram nisi vita præsens? quid verò per dexteram nisi perpetua vita designatur?* Claude cum D. Thoma [L] *Beniamin adolescentulus*, Ps. 67. *in mentis excessu*; qui desiderio quasi effrænatus, instar lupi rapacis prædam cœlestium ferculorum iugiter comedat, & spolia cœlestium thesaurorũ, non solùm sibi assumat, sed triumphator alijs distribuat. Beniamin contemplationis excessus.

F p. 2. 1 2 4.
G Apoc. Comm.
H opusc 41. l. 2. c.
I 21. 180 8.
L Genes. 49.

Facit ad hæc quod animaduertit ad Philip- 15
penses: [M] Leui, Iuda, & Beniamin semper fuere in cultu Dei; alij, tempore Ieroboam conuersi sunt ad idola: Et ideò tribus Beniamin priuilegiata erat, quia in fide, & dilectione vxoris; & in ea Templum. Fuit nouissimus Beniamin filius Rachel, quæ apud sanctos in typum contemplatiuæ est; vnde erat infœcunda, Genes. 30. Templum ad Diuinum contemplationem quis ambigit extrui? Beniamin etiam, [N] frater minimus appellatur *amantissimus Domini* ob humilitatem. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*; Eccles. 35.

M Philip. 3. l. p.
N op. 41. l. 2. c. 10.

VERSVS XIII. *Ioseph quoque ait*.

Post contemplatiuos in Beniamin, Actiuos in Ecclesia Dei designat in Ioseph. S. Thomas [O] ita de Ioseph: Ioseph gratiosissimus, benedi-
ctissimus, & præ cæteris Domino consecratus; 16
status scilicet Euangelicus in nouissimo tempore suscitandus, vt non super arenam temporalium, sed super petram solidam æternorum, pastorale Regnum Ecclesiæ statuatur. Qui curam habuit tam prouidam Ægypti bene stat actiuorum in typum, Genes. 49. de Ioseph; *inde Pastor egressus est*.

O Genes. 49.

VERSV eodem. *De benedictione Domini terra eius*.

Non solùm fructus prædicationis, sed & fundus à Domini benedictione est; quia *non sumus*

sufficien-

sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. 2.
Corinth. 3. *A, A, A; ecce nescio loqui*, Ieremiæ
1. *De pomis cœli: Et rore, atque abysso subiacente.*
17 Si cortici stemus literæ, haud est pomorum ferax
cœlum: quare de fructu mystico sanctæ prædicationis
in cœlum referendo, intelligi oportet.
De *rore, idest*, inquit Augustinus in glossa,
*de cœlesti prædicatione, qua fidelium corda rigantur,
& ad virtutum fructus virescunt.* Verùm ipse suauem
dulcemque prædicationis Euangelicæ modum
cœlestis præmij illicio, *in rore* placidissimè
fluente notauerim: *in abysso* autem, *subiacente
impetum concitati spiritus*, terrores minasque inferni,
quibus duriora emolliuntur corda, introspexerim.
Certè nonnisi vehementi fragosoque
assultu, protruduntur de subtus aquæ. Vbi Apocalyps.
8. dicitur, *præparauerunt se vt tuba canerent*;
P Apoc. 8 Comm. 2. rectè sic loquitur. [P] Quia etsi prædicatio
quandoque terrere debeat, tamen etiam debet
allicere ad amorem. Quantùm ad incussionem
timoris, officium prædicandi siue prædicatio dicitur
tuba: quantùm ad secundum vocatur prædicatio
cantus. Ioel. 2. *canite tuba in Sion.* Sic
ipse aio: quandoque ros suauissimo descensu,
quandoque fons, violenter sursùm erumpens,
quasi de abysso, qui sonat profunditatem aquarum,
describitur prædicatio.

VERSV eodem. *De pomis fructuum Solis
& Lunæ.*

18 Sol, in Allegoriarum sylua, significat peculiariter
nouum testamentum; 2. ad Cor. 4. *vt
non fulgeat illuminatio Euangelij gloria Christi.* Luna
è contra apud eumdem Lauretum, vetus testamentum.
D. Petrus 2. cap. 1. *habemus firmiorem
propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes,
quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco,
donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus
vestris.* Apostolus Roman. 13. *Nox præcessit, dies
autem appropinquauit.* Inter alias expositiones
Q Rom. 13. l. 3. ait S. Doctor, [Q] comparatur nocti tempus præcedens
Christi Incarnationem, quæ nondum
erat manifestata, sed sub quadam caligine. Vnde
sicut in nocte apparent vmbræ, ita etiam illo
tempore eminebant legalia, quæ sunt *vmbra futurorum*,
vt dicitur Coloss. 2. Tempus autem ab
Incarnatione comparatur diei, propter præsentiam
spiritualis Solis in mundo, de quo dicitur
Malach. vltimo. *Vobis timentibus nomen meum
orietur sol iustitiæ.* Sic Matthæi 4. ad illa verba;
terra Zabulon, &c. vidit lucem magnam: lux Iudæorum
non fuit magna; 2. Petri. 1. vt suprà: sed
ista (ex Christi aduentu) magna est sicut lux Solis.
Malach. 4. *orietur sol iustitiæ.* Vnde ipse Dominus
dicit Ioan. 9. *me oportet operari opera eius,
qui misit me, donec dies est.* Num scitè autem *Lunæ
& Solis* fiat mentio, liquet vtriusque testamēti
conditione; nam lex vetus obnoxia erat mutationi,
noua non item: vnde solis hæc, illa specimen
R p. 2. 103. 3. & q. 106. 4. ferebat lunæ. De quo vide in p. 2. [R] Colossens.
1. *audistis in verbo veritatis Euangelij, quod
peruenit ad vos, sicut in vniuerso mundo est, & fructificat.*
S Matth. 14. Ad rem fertur [S] illud Cant. 7. *omnia poma
noua & vetera seruaui tibi*; nam omnis *scriba
doctus in Regno cælorum similis est homini Patrisfamilias,
qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Sic
T Post. Dom. 4. Quadrag. in tertio sermone de mortuis, [T] ad illud Iob
48. *quasi naues poma portantes*; per poma significatæ
sunt virtutes & opera virtutum. Cant. 7.
omnia poma, &c. Et hoc propter eorum decorem,
propter odorem, propter refectionem: nam mira
delectatione reficitur anima, &c. Hinc Dominus
eadem metaphora Io. 4. lucratus Samariæ
mulierem prompsit discipulis, *ego cibum habeo
manducare quem vos nescitis. Meus cibus est, vt
faciam voluntatem eius qui misit me.* Hæc poma,
hi fructus, passim per æstiuos ex vinea Dei decerpuntur.
Ioseph mysticus de his à Deo, vtriusque
auctoritate testamenti, accepit initio humanæ
salutis benedictionem: Et ex his pomis,
nouis, & veteribus, nouum vetusque testamentum,
iuxta quorum testimonia satagendum est
operari, exponit suis in Canticis c. 7. D. Th.

VERSVS XV. *De vertice antiquorum
montium, de pomis collium æternorum.*

Puto hac montium & collium similitudine 19
indicari quod alias tradit Apostolus 1. Cor. 3.
*tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi non
escam.* Peccat Doctor [V] qui doctrinam subti- V Quodl. 5. a. 25.
lem, & altam proponit rudibus, qui non sunt
illius doctrinæ capaces, possuntque salutis detrimentum
incurrere. Sic Hebræorum 5. *Omnis
enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ;
paruulus enim est: perfectorum autem est solidus
cibus.*

Sed contra sic Angelicus: [X] quia Aposto- X Hebr. 5 l. 2.
lus superiùs multa valde difficilia tradidit eis,
scilicet de mysterio Trinitatis, & de Sacramento
Incarnationis, & multa alia ardua. Respondeo,
secundùm Augustinum, non esse intelligendum
quòd in doctrina fidei, alia sint tradenda
maioribus & perfectis, alia imperfectis: non
enim est inter eos ista differentia; eadem enim
vtrisque sunt tradenda: sed paruulis proponenda
sunt, sed non exponenda nec pertractanda,
quia intellectus eorum magis deficeret, quàm
eleuaretur; *Lac secundum glossam est, sicut Verbum
caro factum est*; nam cognoscere *Verbum Caro
factum est* per simplicem fidem, est satis facilè,
quia potest cadere in imaginatione, & aliqualiter
in sensu. Sed *Verbum apud Deum*, omnino
excedit omnē sensum, & nonnisi per rationem
potest & cum multa & maxima difficultate comprehendi.
Id ipse opinor intendi à Spiritu Sancto,
dum monet de montibus, præaltibus certè,
& de collibus qui assurgunt parum, fructuū
salutis siue pomorum futurum esse prouentum.
Multiplicem acceptionem vocis huius *æterni* fert
[A] in Dionysium, quandoque enim nomine Æui A de Diuinis Nomin. c. 10. l. 3.
vel æterni, signantur quæ sunt antiquissima, licèt
sint corruptibilia. De pomis collium æternorum,
Deuter. 33. Adde psal. 75. *à montibus
æternis.*

VERSVS XVI. *Et de frugibus terræ &
de plenitudine eius.*

Vltrà Solis & Lunæ fructus, *de frugibus quo- 20
que terræ.* Ioan. 3. *Si terrena dixi vobis & non credi-
tis, quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Etsi
autem fides rationibus necessarijs probari nequeat,
hoc enim sublimitati Dei derogaret, [B] B opusc. 1. c. 2. & 2. 2. q. 1. a. 10.
tamē nec ijs improbari potest; quia quod à summa
veritate procedit, falsum esse non valet: vnde
ad hoc debet tendere Christiani disputatoris
intentio, vt fidem defendat: quare Beatus Petrus
non dixit, *parati semper ad probationem*, sed
ad satisfactionem; vt scilicet rationabiliter ostendatur,
non esse falsum *quod fides catholica confitetur.*

tetur. Recole illud Cantic. 4. *mille clypei pendent ex ea*. *De frugibus terræ* videtur fuisse benedictio tradita D. Thomæ, cum libros contra Gentes mirè conscripsit; olim ad Græcos suo idiomate traductos, & nuper à Ciantes nostro Illustrissimo Hebraicè translatos. Deuteron. 21. *Cum videris in numero captiuorum mulierem pulchram*, &c. Plenitudo naturæ obsequatur gratiæ. Sic Apostolus Poesis aliquando testimonia inducit, quia sapientia vndecumque misit *ancillas suas vocare ad arcem*. Prouerb. 9.

VERSV eodem. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi*, &c.

21 Illustrat quæ subobscurè præmissa sunt: non enim terrenorum fructuum prænunciata est benedictio, quando Dei *qui apparuit in Rubo* decantatur. Neque super agros aut vincas, sed *super caput Ioseph*, ipso tanquam speciali ter Dei, *Nazaræo* nuncupato, de quo, Num. 6. Benedictio hæc est Ioseph in posteris spiritualibus, sed *super caput*, quia est benedictio præcipuè ad alijs instuēdum, quod capitis est. Et non cuiuscumque: benè autem *Nazaræi*, hoc est Deo consecrati: cuiusmodi fuere Apostoli, & post eos Apostolici viri, qui per Ioseph actuoso Pastorum munere designantur. Sed de Nazaræorum statu Numeri 6. Quæramus cur inter tot Dei apparitiones, ea quæ in rubo facta est commemoretur? Dico, vel quia inde afflictionem populi sui in Ægypto, & clamorem eius audisse se perhibet Deus, descensurumque vt liberet eum. Vel quia ad Reges impauidè, vt Moyses ad Pharaonem, ingressuri ex diuino nutu erāt Apostoli. Vel quia in signis & portentis triumphaturi. *Sermonem Domino confirmante sequentibus signis*. Marci 16. Propterea implorat ei benedictionem eius, *qui apparuit in rubo*, ex quo ad tam magna cœlestem contulit opem.

VERSVS XVII. *Quasi primogeniti Tauri pulchritudo eius*.

Quamquam Ioseph promeruerit primogenita Ruben, vt dicitur p. Paralipomenon 5. non tamen ad ipsum Ioseph, sed ad eum, qui apparuit in rubo, referēda mysticè hęc sunt. D. Augustinus In quæstionum calce super Deuteron. *Cum* (Moyses) *Ioseph benediceret, ait inter cætera, primogenitus tauri pulchritudo eius. Quod non ita legendum est, tanquam diceret primogenitus tauri: sed cum sit primogenitus, pulchritudo eius pulchritudo tauri est. Propter Crucis cornua, de Domino intelligitur figuratum*.

VERSV eodem. *Cornua Rhinocerotis, cornua illius*.

22 Vide quæ allegoricè de Christo Domino Numeri 23. & iam pluraliter *cornua* Crucis brachia indicant. Aries etiam, immolando iam prope Isaac, hærebat Cornibus. *Cornua* etiam nuncupantur, erectæ super malum in Naui Antennæ, quæ manifestè Crucem figurat. Bouis similitudine, ob virtutem & fortitudinem Crucis vidimus Christum signari. Sic Tauri fortiùs. Abacuc 3. *Ibi absondita est fortitudo eius: Cornua in manibus eius*. Per cornua etiam designatur Regia potestas. Lucæ 1. *& erexit cornu salutis*, &c. ita Apoc. 5. Com. 1. Videtur autem de pulchritudine fieri mentio; ne obrepat obliuio, *speciosum forma præ filijs hominum esse*, quamuis visuri eslemus *eum non habentem* in Cruce *speciem neque decorem*. Isaiæ 53.

VERSV eodem. *In ipsis ventilabit Gentes*.

Vt segreget frumentum à palea: lege glossam. *Quia in omnem terram exiuit sonus eorum: docete omnes gentes*. In quo libet et iam inuoluere Iudæos qui gentiliter vixerunt, quod mox explanans adiecit: *Hæ sunt multitudines Ephraim: & hæc millia Manasse*. Hieroboam fuit de tribu Ephraim: & sub eo ad Idololatriā conuersæ sunt tribus Israel. Quare pro Idololatris gentilibus hic stat Ephraim. Manasses autem qui fuit Ioseph primogenitus, sed cancellatis ab Iacob manibus primæuæ benedictionis ius amisit, dextera super Ephraim fratre minore cadente; Manasses inquam pro populo Iudæorum, qui numero quidem magno conuersi sunt ad fidem, sed non in termina multitudine, vt de Gentibus in Ephraim dictum est: ideo *millia Manasse*: *multitudines* inquit *Ephraim*. Sic ex glossa. *Ventilabit ergo gentes*. Cohæret Baptistæ Matth. 3. dicenti: *cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*.

VERSVS XVIII. *Lætare Zabulon in exitu tuo: & Issachar in tabernaculis tuis*.

Lætare Zabulon. Zabulon interpretatur *habitaculum fortitudinis*. [C] Certè Apostolis dicitur, *estote fortes in bello*: lætabantur autem, dùm *ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*: In exitu suo, quando Lucæ 9. *egressi circuibant per Castella euangelizantes*. *Issachar* interpretatur *merces*. Quam bellè & ista cohærent! Lucæ 6. *gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in Cælo*. Hoc est quod, ait *in tabernaculis tuis*, quia in huius mundi bello quæ merces eos maneret, prænouerant.

C Gen.4 Apoc.7. 23

VERSV eodem: *Populos vocabunt ad montem*.

Cùm inter tormenta tyrannorum sæuissima, Sancti Martyres Deo læti canerent laudes, infideles populos ad fidem, ad Ecclesiam, quæ montis typo intelligitur, vocabant. Sic passim leges in historijs. In monte quippe *Moria* ædificatum est primò Templum: Vnde ad Montem, ad Templum ad Ecclesiā: Sic quod sequitur mirè consonat: *ibi immolabunt victimas iustitiæ*, offerent se, sectatoresque suos Victimas virtutum. *Iustitia* enim, ait Ambrosius, *communis est virtus*. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia*. Ecclef. 4. *Inundationem maris, quasi lac sugent*. Apocalypf. 1. Ibi, *patientiam tuam*: [D] patientiam tangit proficientem ad Christi patientiam, qualis est tribulationem dulcem reputare; *quasi lac* &c. Et iterum: [E] boni repleti dulcedine spirituali vincunt amaritudinem mundi. *Et thesauros absconditos arenarum*. Ad litteram non latent in arena thesauri, *omne aurum in comparationem illius* [Sapientiæ] *arena est exigua*. Quomodo in vili thesaurus? Altè loquitur; aperitque causam permissionis tyrannorum. *Deus est adeò omnipotens & bonus, vt benefaciat etiam de malo*, ex Augustino: [F] neque laudaretur iustitia vindicans, & patientia sufferens, si non esset iniquitas. *Ex arena thesauri*. Quis scit, non innuat Spiritus-Sanctus thesaurum indeficientem

D Apoc.1 Comm.1.

E op. 58. 19.

F p.p.2.2. 2.2. & q. 48.1.1.

cientem

cientem Ecclesiæ vnde indulgentiæ ? Vnus est pro multis.

VERSVS XX. *Benedictus in latitudine Gad.* &c.

24 Præfati Zabulon & Issachar nuncupati, nunc *Gaditæ* dicuntur: *accincti* scilicet virtute, varieque tentandi cùm blandicijs tùm minis: siquidem, quod ait Beatus Damianus, *tyrannos horrebant blandos, subsannabant iratos*. *Gad* loc.cit. interpretatur *accinctus & tentatio*. *Gad* proinde, vt in Sylua Allegoriarum patet, pro præliantibus martyribus accipitur, Quid mirum si Gad sit *benedictus in latitudine*; charitatis scilicet, quia *maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Charitas autem dilatat corda, juxtà illud, *cum dilatasti cor meum*: [G] scilicet per donum gratiæ & charitatis. 2. Corinth.6.*Cor nostrum dilatatum est*. Tùnc dilatatur cor etiam, cum quis magna [H] appetit & desiderat, puta Cœlestia. Ex gaudio pariter sine ex *lætitia*, quasi sit *lætitia*, dilatatur. [I]

G ps.2.98. 1.3.

H 2. Cor. 6.l.3.

I ps.50.& de Verit. q.26.4.5.

VERSV eodem. *Quasi leo requieuit, cepitque brachium & verticem*.

Nota [L] quòd Excellentia fortitudinis est in leonibus præ siccitate nimia; nec habent medullam in ossibus. Et hæc contingunt ex magna inequalitate elementorum immixta: & ideò parùm viuunt. *Cepitque brachium & verticem*. Martyres *Sancti per fidem vicerunt Regna*. Hebr.11.*Brachium* hoc est potentiam Romanorum, & Græcorũ sapientiam,(sapientis est alios dirigere quasi Principis) subiugauerunt. *Conterens brachium, & Principem*; legunt Septuaginta.

L ps.17. lit.e.

Hinc D. Thomas [M] perpendens titulum Crucis scriptum hebraicè, græcè, & latinè, inquit, tres hæ linguæ præ cæteris eminebant: hebræa quidem, propter vnius Dei cultum; græca propter sapientiam; latina propter Romanorum potentiam: vnde hæ tres gentes sibi dignitatem vendicant in Cruce Christi, vt dicit Augustinus: in quo signatur, quòd per Crucem Christi subiugari debebant, & conuerti deuoti ad agnoscendum Regem qui in ea pependit.

M Ioan. 19.

VERSV eodem. *Et vidit principatum suum: quòd in parte sua Doctor esset repositus*.

25 Diuersimodè reddunt hunc locum Septuaginta, & Chaldæa. Hæc ita: *Et suscipiet in principio partem suam; quoniam ibi, in hæreditate sua Moyses scriba magnus, & Princeps Israel sepultus est: Et ipse egressus est, & ingressus est ante populum, iustitias* &c. Dicuntque, singularem fuisse prædictam Gaditarum excellentiam, quòd Doctor ipsius populi, puta Moyses, esset in parte sua repositus; quia *Nebo* vbi sepultus est Moyses, intrà terminos Gaditarum continetur. Sed quorsum hæc ad sui gloriam exarasset Moyses? Septuaginta; *& vidit principatum suum; quoniam illic diuisa est terra Principum congregatorum simul cùm Principibus populorum*. Ratus sum potius ad Christum Dominum aspexisse, de quo Ioelis 2. *dedit vobis Doctorem iustitiæ*; eximium scilicet & singularem. Sic Deuteronomij 18. dixerat, *Prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus*. Quæcumque ergo subierunt mala, quosque vicerunt Principes & Reges per Moysen Gaditæ mystici, triumpharunt, quia in ipsis pugnauit atque Christus, *aduersus quem astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum*: ps. 2. *qui fecit iustitiã Domini, & iudicium*. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras*. Obseruant autem ad *ly cepit brachium & verticem*: Leonem, prædæ quam cepit, brachium seu armum, simul & verticem seu caput, vno impetu, & vnguium impressione à reliquo corpore diuellere. Quòd si ita est, cogũtur in angustias hebræi perfidi, *chaari*, non *charù* legẽtes ps.22.*sicut leo manus meas & pedes meos*, ne dicant *foderunt*: neque enim Leo pedes aut manus, si sæuiat in hominem, inuadit.

VERSVS XXII. *Dan Catulus Leonis fluet largiter de Basan*.

Etiamsi aliàs possent hæc accomodari Christo Domino, vt patet in glossa; quod exequitur S.Doctor [N] dicens, *Dan* interpretatur *iudicium*; *Basan confusio*: & in passione fleuit Dominus largiter; quia peccatores adiudicati sunt confusioni. Nihilominus cohærentiùs ad prædicta, pro Antichristo accipi debent: vtpote qui iuxtà Doctores, de Tribu Dan erit. Vnum iuuat, mirari quomodo irrepserit calamo Commentatoris illius in Apocalypsi, quicumque fuerit, vt legeret scriberetque, non *fluet largiter*, sed *flens largiter*. Vox hebræa *Zanac* nuspiam alibi in Scriptura reperitur. Noster transtulit *fluet largiter*: communiter *saltabit*: Septuaginta, *prosiliet, exiliet, subsiliet*. Scio radicem ad hunc significandum sinxum esse *Zab*. Quis scit an fortè stet *Zanac* pro flere? 26

N Apoc. 5.Comm. 1.

Sistendo autem in probata translatione, dum *Basan* interpretatur *confusio*, optimè claret, vnde oriturus sit, nempe de Chaldaica Babylone: de quo Maluenda lib.2.c.15.& 16.*fluet largiter*; quia innumero stipatus agmine erumpet, & *de Basan* vbi erunt pascua vberrima; quia satiabitur pinguedine luxuriæ & omnium vitiorum: siue quia Leones Basan erant fortissimi; prædicitur tribus Dan fortissima, & bellicosissima literaliter, per quosdam apud Maluendam lib.2.c.12. de Antichristo. *Catulus Leonis*; id est *Diaboli*, ait interlinearis. *Basan re*, non *figura*, in Regione Amorrhæorum est vltrà Iordanem. Par autem erat, vt post decursam in serie capituli Ecclesiæ originem, & afflictiones, primas & subsequentes; ad supremam sub Antichristo cladem transiret Moyses.

VERSVS XXIII. *Nephtali abundantia perfruetur*.

Per Nephtali, ex interlineari, Chorus Apostolorum, qui de Nephtali, de Zabulon, & Issachar fuerunt. Psal.67.*Principes Iuda, duces eorum: Principes Zabulon, & Principes Nephtali*. Quod fert Haymo Isaiæ 9. quia Apostoli, maximè de his duabus tribubus sunt electi: quod recolit D. Thomas ex Hieronymo Matthæi 4. Hic autem potest exponi, (vt ibi) in quantùm Christus ea in regione primò Euangelium prædicauit; sed consecutiuè ad prædicta, Apostolicos tunc viros, plenos spiritu, Deique benedictionibus, (*primitias spiritus habentes* Romanor. 8.) sese absque timore vllo impio nebuloni obiecturos, *Mare & meridiem possidebit*, (relicta littera) *occidentem & meridiem* ait Maluenda; Sed glossa, *Iudæos*, & *Gentiles luce Euangelij feruentes*: reuocabunt enim, recolligent, & custodient à manu bestiæ fideles. 27

VERSVS XXIV. *Benedictus in filijs Aser* &c.

Aser,

Aser, panis pinguis. Certè panis in scriptu-
ris pro Sacra doctrina consueuit accipi. *Cibabit
illum Dominus pane vitæ & intellectus*, Eccles. 15.
Item *emittam famem in terram, non famem panis*
&c. *Sed audiendi verbum Dei*, Amos 8. *Erit pla-
cens fratribus suis Aser*; Quatenus *palato non sano
pœna est panis, qui sano est suauis*. Panis qui dat vi-
tam homini, accipitrem necat; *præordinatis* ergo
ad vitam æternam placebit Aser: hoc est Sancti
Prædicatores bonis erunt accepti, malis in pe-
iora corruentibus. Vel inquit *placebit fratribus*;
vt charitatem insinuet, quæ fraternitatis Chri-
stianæ vinculum est. Et idcirco *Nephtali*, non
solùm, sed & *Aser* inducitur; *quia duo sunt præce-
pta charitatis*; *& minùs quàm inter duos, charitas
haberi non potest*; *Sic binos ad prædicandum Domi-
nus misit*; *quia* (quod ait Gregorius) *qui charita-
tem erga alterum non habet, prædicationis officium
nullatenus suscipere debet*: *Tingat*, ait Moyses, *in
oleo pedem suum*. Glossa hùc fert illud *quàm specio-
si super montes, pedes Euangelizantis*! Pes pro affe-
ctu: Sic columba *ramum* detulit *virentis oliuæ*: Et
ille, *infudit vinum & oleum*, Lucæ 10. Vnguntur
Reges in signum clementiæ. Sunt ergo hæc in
misericordiæ, in dulcedinis typum.

VERSVS XXV. *Ferrum & æs calcea-
mentum eius*.

28 Quàm fortis fututus sit gressus Apostolico-
rum virorum, metaphoris hisce innotescit. Fer-
rum, ait glossa eadem, acumen quo penetrat ad-
uersaria; & ad hæc *prædicationis munimentum*.
Sic ære signari potest, ingressus audax, inuictus-
que incursus in hostem, infractus denique labor
prædicationis aduersus membrum potissimum
Diaboli Antichristum. Isaiæ 27. *qui ingrediuntur
impetu ad Iacob*.

VERSV eodem: *Sicut dies iuuentutis tuæ,
ita & senectus tua*.

Ratus sum eandem propheticè prædicari
constantiam, & animi robur in Sanctis extremi
temporis viris. Ad ly *iuuentutis tuæ*, ait glossa
interlinearis apposite ad meditationem meam:
In primordio fidei cum florerent virtute, miraculis
&c. *Sic erit in fine*. Apocalyps. 16. [O] Per septem
Angelos, septem ordines Prædicatorum intelli-
guntur, qui prædicabunt primò contra Iudæos,
qui Antichristum recipient: Secundò contra
gentiles, qui Christicolas affligent &c. Sic cap.
11. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt*; S.
Doctor, [P] idest prædicabunt: Glossa; *Elia & He-
noch*.

O Apoc. 6. Gom. — P ibi c. 11

Hoc ex textu alibi; [Q] in humanis negocijs
iuniores sunt vtiles, senes verò inutiles: sed in
diuinis virtus non tollitur propter senectutem:
immò aliquando magis roboratur. Sed hoc in-
telligendum est in ijs, qui in iuuentute sua in bo-
no exercitantur; vt Tullius dicit. Sed qui in iu-
uentute sua dant se inertiæ, non multùm, vel ni-
hil valent senes.

Q Io. 21. 4.

VERSVS XXVI. *Non est Deus, vt Deus
rectissimi: Ascensor Cœli Auxiliator suus*.

29 Quoniam, vt ait D. Hilarius, Antichristus
*Abominatio ex eo dicitur, quòd aduersus Deum ve-
niens, honorem sibi Dei vendicet: vt vbi Sanctorum
precibus, Deus inuocabatur, illic ab infidelibus su-
sceptus Dei honore venerabilis fit*: 2. Thessal. 2. *ita
vt in Templo Dei sedeat*: non fuerit mirum, sic ad
somniati huius numinis explosionem, subdatur
statim, *non est Deus, vt Deus rectissimi*. Quare
autem *Deus rectissimi* decantetur Dominus? for-
tè est, ad insinuandum, in quo fidelium tunc
clarere debeat victoria; nempe vt principij fi-
nisque fidei & Ecclesiæ indeclinans & indistra-
ctus sit tenor. *Rectum est* [R] *cuius medium non exit* R Iob. 1. 1. 2.
ab extremis. Cum actio iusti à suo principio, quod
est Dei voluntas, & fine illi intento non discre-
pet, *conuenienter iustis ascribitur rectitudo*. Tunc
qui non abducentur à Christo, principio fineque
salutis rectissimi erunt.

Ascensor cœli. Nectit [S] illud etiam ps. 36. S 3. p. 57. a. 1. & Io. 14. l. 1.
ascendit Deus in iubilatione, & ait; Authoritates
illæ propheticè dicuntur de Deo secūdùm quòd 30
erat incarnandus. Sed quorsum hic de Christi
Domini ascensione? Mirabilius nihil. Nimi-
rùm, vt de quo sub *Dan* nomine dicta sunt & di-
cenda, plenius rapiatur, & Antichristi exitio ip-
siusque tremendæ neci præcinatur. Postquam
enim Dæmoniaca superbia deget in Ierusalem;
vili morte [T] *interficietur in monte Oliueti*. Quod T Apoc. 6. ad finē Com. 2.
repetit [V] dicens; occidetur in monte Oliueti, V ibi c. 13.
in Papilione & in Solio suo; in illo loco, contra
quem Christus in cœlum ascendit. Quam con-
gruè ergò introducit præscius Moyses Christum
ascensorem in cœlum! *Magnificentia*, inquit, *eius
discurrunt nubes*. Psalm. 8. *eleuata est magnificen-
tia tua super cœlos*. *Et nubes suscepit eum ab oculis
eorum*. Actor. 1. *Habitaculum eius sursum*. Do-
minus Ioan. 2. *nemo ascendit in Cælum, nisi qui de-
scendit de cælo, filius hominis, qui est in cœlo*. *Et
subter brachia sempiterna*. Ps. 113. *Si ascendero in
cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades*.
Christus Dominus [X] secundùm effectum descē- X 3. p. 52. 2.
dit etiam in infernum damnatorum; quatenus
eos de sua malitia & incredulitate confutauit.
Dominus fortis, & potens, *subter habet brachia
sempiterna*; quia interminabili pœna, stante irre-
uocabili culpa, de eis vlciscetur.

VERSV XXVII. *Eijciet à facie tua inimi-
cum; dicetque conterere*.

Septuaginta *dicetque, pereas*. D. Hierony-
mus relatus à Sancto Doctore; [A] *Audietur vox* A Danielis 12.
de cœlo dicens, morieris, & statim fulminabitur. Et
in sequentibus [B] ad illa verba *consurget Michael*, B c. 12.
&c. *Michael interficiet eum*. Alibi, [C] interficie- C Apoc. 11. Com. 2.
tur à Domino siue per se, siue per Michaelem.
Danielis. 7. *Et vidi quòd interfecta esset bestia*.
Denique 2. Thess. 2. *Quem Dominus Iesus interfi-
ciet spiritu oris sui*: postquam dixit, spiritu Chri-
sti Domini, idest zelo, & amore in nos, subdit;
vel *spiritu oris sui*, idest mandato [D] suo; quia Mi- D Th. 2. 2. l. 2.
chael interfecturus est eum in monte Oliueti,
vnde Christus ascendit. Sic & Iulianus manu
Domini extinctus est. Et ecce vtramque optimè
stare lectionem textus huius: *Conterere*; siue *con
tere*, tù Michael Dei vindex. *Quis vt Deus*? Sic
interpretatur *Michael*. Dum ergo legimus; *non
est Deus, vt Deus rectissimi*, quid nisi *Michael* taci-
tè significatur adesse? nam, *Quoties miræ virtutis
aliquid agitur, Michael mitti perhibetur*.

VERSVS XXVIII. *Habitabit Israel con-
fidenter, & solus*.

Referri potest ad animę securitatem, quam
tot in ærumnis veri Israelitæ Dei gratia possìde-
bunt: recti scilicet in vijs Domini. Et *Solus*; quia
qui rectus non fuerit, nutabit, nam si fieri posset,
inducerentur in errorem etiam electi; Matthæi 24.

Israel etiam dicitur *præualens*, siue *dominans*. Genes. 32. *quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra hostes præualebis? Iustus quasi leo confidens absque terrore erit* Prou. 28. Eccles. 34. *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius*. Attamen quia Israel, secundùm sonum vocis effert *vir videns Deum*: non videtur absonum ad habitationem Cęlestem tollere mentem. *Habitabit*: Vbi? paulò ante, memoratum est *habitaculum sursum*. Apostolus, 2. Cor. 5. *scimus quòd si terrestris Domus nostra huius habitationis dissoluatur, Domum non manufactam habemus in Cælis*. *Confidenter*; dum Prouerb. 1. *absque terrore requiescet, & abũdantia perfruetur, malorum timore sublato*. Ad quod innuendum adiecit ly & *solus*: ne crassa intellectus apprehensione, ab humanis crederetur prouentura securitas. Ieremiæ 23. pariter, *Israel habitabit confidenter*.

VERSV eodem. *Oculus Iacob in terra frumenti & vini*.

31 *Iacob* interpretatur *calcaneus* vel *planta*. Signatur [E] populus carnaliter sapiens, & quiescens in carnalibus. Alibi; [F] lex vetus non faciebat stare sed curuabat ad terrena; ille enim dicitur stare, qui rectus est. Et hoc sola lex Christi facit. Fortè tamen hoc dicitur non solùm ad tacitam increpationem rudis carnalisque populi, reassumpto propterea nomine *Iacob*, nam *oculi stulti in calcaneo*; (*Iacob* quippe naturæ veluti nomen fuit; *Israel* gratiæ) sed etiam ad commonendos Iudęos, ne pingui mineruа hactenùs dicta reciperent; *hæc est enim Sapientia, & intellectus*, vt dictum est suprà c. 4. Felix Iudæorum dispersio, si quæcumque scripta sunt, alta profunditate & spiritu crederent scripta. *Cœlum ei caligans rore*; pergunt legere Septuaginta: dum ipsa in luce cœcutiunt. Et vbi serena in tranquillitate ros depluit, ipsi dum impleta sunt Patrum desideria, *rorante Cœli*, tenebriones caligant. Bene Leo Pontifex; *festiuitas*, inquit, *quæ illis conuersa est in noctem, nobis coruscet in lucem*.

E Ioan. 6 f. 1. F p. Cor. 15. l. 2.

VERSVS XXIX. *Beatus es tù Israel*; &c. *scutum auxilium tui*, &c.

32 Adgratulatur felicitati verorum Israelitarum. *Non est similis tui popule*. Supra c. 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis*, ait S. Doctor. *Qui saluaris in Domino*: *erexit cornu salutis nobis*. Luc. 1. Nõ in homine vel per hominẽ, *sed in Domino* saluamur. *Quare Saluator dictus est Mundi, nisi vt saluet Mundum?* Threnor. 3. *Dabo eis scutum cordis laborẽ tuum*. Et p. Petri 4. *Christo igitur passo in Carne, & vos eadem cogitatione armamini*. Augustinus, *magna consolatio membris ex capite*. Bernardus; *videntes angustias Domini, leuiùs vestras portabitis*. Gregorius; *si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est adeo durum quod non æquo animo toleretur*. Huc collimat ly *scutum* &c. pro tempore illo afflictionum. *Et gladius gloriæ tuæ*. Crux dicitur gladius gloriæ; [G] quia per ipsum acquisiuit nobis gloriam. Ezechielis 21. *gladius acutus, & limatus*. *Acutus* fuit, quia maximè pupugit & vulnerauit. Item fuit *limatus*, idest splendens fuit, eoquòd in ea pependit *splendor gloriæ* idest Dei Patris. Hebr. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ*. Adde Crucem dici gladium, quia separat fideles ab infidelibus. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*; 1 Cor. 1. *Quoniam Crux Christi* (idem Leo Papa) *eadem est, & credentium gloria, & non credentium pœna*.

G Serm. infra oct. Natiu.

VERSV eodem. *Negabunt te inimici tui; & tù eorum colla calcabis*.

Psalmus 109. adcinit; *Sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. 33
Inimici; non in charitate: in qua, & per quam est amicitia ad Deum: damnati omnes *negabunt te*; affectiuè perpetuò detrectantes subiectionem debitam Deo, *æstuauerunt æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei*, Apoc. 19. Damnati [H] blasphemant Deum mente & ore. At quantò reluctabuntur diuinæ iustitiæ, æternæque Potestati; tanto inuitè ac violentia quadam subijcientur: *Et tù eorum colla* &c. Quod calcatur comprimitur violentia; ita [I] ad Hebræos. Et hoc propriè designatur per *scabellum*. Illud autem [L] quod est sub pedibus, totaliter subijcitur, non autem illud quod est in manibus. Vbi ait Apostolus ad Corinth. *Donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*; [M] non solùm Diuinitati, sed & humanitati, quæ per pedes intelligitur, docemur fore subiectos. Idcirco vsus est Moyses, me iudice, verbo *calcabit*. *Deinde finis*, præmisit Apostolus. Sed intermino *calcabit* futuro. Finis hic Deuteronomij. Sequens caput Mantissa est.

H quodl. 14 & 22. 11. 4. I Hebr. 1. 6. L Matth. 22. in fine. M p. Cor. 15. 1. 3. & ad Hebr. c. 1. l. 6.

C A P V T   X X X I V.

1 ASscendit ergo Moyses de campestribus Moab super Montem Nebo, in verticem
Phasga contra Iericho: ostenditque ei Dominus omnem Terram Galaad vsque
Dan, 2 & vniuersum Nephtali, terramque Ephraim, & Manasse, & omnem
terram Iuda vsque ad mare nouissimum, 3 & australem partem, & latitudinem campi
Iericho ciuitatis palmarum vsque Segor. 4 Dixitque Dominus ad eum: Hæc est terra, pro
qua iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis
tuis, & non transibis ad illam. 5 Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab,
iubente Domino: 6 & sepeliuit eum in valle Terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem. 7 Moyses centum, & viginti annorum erat quando mortuus est: non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. 8
Fleueruntque eum filij Israel in campestribus Moab triginta diebus: & completi sunt dies
planctus lugentium Moysen: 9 Iosue verò filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia
Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filij Israel, feceruntque sicut præce-

Gen. 12. b 7. & 15. d. 18.

pit

pit Dominus Moyſi. 10 Et non ſurrexit vltra propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet
Dominus facie ad faciem, 11 in omnibus ſignis, atque portentis, quæ miſit per eum, vt
faceret in Terra Aegypti Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſæque terræ illius, 12 &
cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyſes coram vniuerſo Iſ-
rael.

VERSVS I. *Aſcendit ergo Moyſes* &c.

1 Hoc caput Ioſue, inquiunt, deſcripſit, licèt non totum; nam ferunt compleuiſſe Eſdram, qui diuino ſpiritu Bibliam à Chaldæis exuſtam reparauit. Sanè id tetigi in Geneſis Prologo; nam amiſſi fuere Sacri codices in expugnatione Babylonica, teſte Nicephoro lib. 4. c. 15. Euſebio lib. 5. c. 8. ac Athanaſio in Synopſi de diuina Scriptura, reſtitutique per Eſdram ſcribam velociſſimum. Hinc Hieronymus aduersùs Heluidium; *ſiue Moyſen*, inquit, *dicere volueris Auctorem Pentateuchi, ſiue Eſdram eiuſdem reſtauratorem operis, non recuſo*. Idemque ſentit Auguſtinus, de mirabilibus Sacræ Scripturæ lib. 2. ad finem: qui in Tomo 3.

VERSV eodem. *Oſtenditque ei Dominus omnem terram Galaad*.

Suaderi nequeo, deficere in recenſita ſic regione anagogen. *Galaad* interpretatur *aceruus teſtimonij*. Cùm agitur ergo de oſtenſione beatæ illius terræ, fidei certè ſpecimen erat exhibendum, quæ teſtimonio innititur Dei, pro mille ſupraque mille coaceruatis terrenis teſtibus: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*. Sic Cant. 4. ibi *aſcenderunt de monte Galaad*, interpretatur *Galaad, altitudinem teſtimonij ſcripturarum*. *Hi omnes* (Hebræor. 11.) *teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſiones, Deo pro nobis melius aliquid prouidente*.

VERSVS II. *Et Vniuerſum Nephtali*.

A Geneſ. 49. Lego D. Th. [A] ad illa verba Geneſeos *Nephtali dans eloquia pulchritudinis*, hoc dici propter Prophetas, qui manſerunt in monte Thabor. Quid aptius in typum gloriæ, dum ibi oſtenſa eſt apertè imago illius?

VERSV eodem. *Terramque Ephraim & Manaſſe*.

2 Dictum eſt cap. proximo, Gentium Iudæorumque populum per hos ſignati; vtrumque reducturus ad gloriam venit Dominus. Sequitur.
B Apoc. 7 *Et omnem terram Iuda*. Iudas [B] interpretatur *confeſſio*. Ponitur primo in loco cum agitur de ſignatis, quia confeſſio fidei ſiue peccati, præcedit. Ait quippe Dominus: *qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Matthæi 10.

VERSV III. *Et Auſtralem partem & latitudinem Campi Iericho Ciuitatis palmarum, vſque Segor*.

Per Auſtralem plagam ſignificari gloriam, in ſcripturis peruagatum eſt. *Deus ab Auſtro veniet*, Abacuc 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum ſiue ad Aquilonem, ibi erit*; Eccleſiaſtes 12. Fert Auſter [C] calorem, ſplendorem, pluuiarum abundantiam. C Ierem. 13. Quæ cuncta ſpiritaliter quadrant Regno Cœleſti. *In latitudinem Campi Iericho*: cohæret cum eo quod dicitur Exodi 3. *educam in terram bonam & ſpatioſam*. De hoc plura Deuteronomij 8. Nunc addiderim, ad magnitudinem premij atque mercedis trahi poſſe. Et propterea fortè, memorari Iericho *ciuitatem palmarum*. *Modo coronantur, & accipiunt palmam*: canit Eccleſia.

Rogabis quid ſentiendum de adiectis tanquam limitibus præfatorum locorum?

Reſpondeo profundè apponi ad plenam rerum de quibus agitur delineationem. 3 *Omnem terram Galaad vſque Dan*. Oſtendit Moyſi Dominus fide teneri, infallibili Dei teſtimonio terram promiſſam. *Dan* interpretatur *iudicium*. Fidei ergo reſpondet iudicium, in quantùm comitatur fidem ſapientia, quæ eſt donum Spiritus Sancti. Hæc [D] facit rectitudinem iudicij circa res diuinas, ex quadam connaturalitate, ſiue vnione ad diuina, quæ eſt per charitatem. D 2. 2. 45. 4. Quocircà: Vno modo iudicatur, per modum cognitionis; alio modo per [E] modum inclinationis, ſicut qui habet habitum virtutis rectè iudicat de his, quæ ſunt ſecundùm virtutem agenda. E p. p. q. 1. 6. 3. Eadem eſt ratio [F] de ſano & infirmo circà iudicium ponderum: Et virtuoſo & vitioſo circa agibilia, 1. Cor. 2. *Spiritualis, iudicat omnia*. F 1. Cor. 2. l. 3. Sic alibi: [G] fides importat ſolum aſſenſum ad ea quę proponuntur; ſed intellectus importat quandam perceptionem veritatis; quæ non poteſt eſſe circa finem, niſi in eo qui habet gratiam gratum facientem. G 22. 8. 5. 3. Sic Sapientiæ illuſtrationem [H] præcedit iuſtificatio. H 3 p. 4. 3.

Poſtquam circumlocutus eſt ænigmaticè, nàm *videmus per ſpeculum in ænigmate*, fidei naturam, poſtquam viſionis locum attigit, nempe *Nephtali*, necnon & poſſeſſores, *Ephraim, Manaſſe, Iuda*; quouſque protendatur viſio fidei correſpondens, patefacit, aitque *vſque ad mare nouiſſimum*. Per *mare nouiſſimum*, in allegoriarum Sylua intelligitur *Infernus*. Vide Ioelem c. 2. & Zachar cap. 14. vbi pro occidentali ſtat, non ineptè ad rem iſtam. Verùm Apocalypſ. 18. *Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum miſit in mare*, [I] ideſt in infernum profundiſſimum, & pœnis amatiſſimum. I Apo. 18. Com. 2. Ad hoc ſunt etiam vtiles impiorum [L] pœnæ perpetuò duraturæ, vt de ijs electi gaudeant, dum in his Dei iuſtitiam contemplantur, & cum hoc ſe euaſiſſe cognoſcunt; L 4. 46. 1. 2. 3. ad 4. vnde pſ. *lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*. Et Iſaiæ vltimo; *erunt*, ſcilicet impij, *vſque ad ſatietatem viſionis*, ſcilicet Sanctis, vt gloſſa dicit: Et hoc eſt quod Gregorius tradit, 4. Dialog. *Iniqui* &c. *ad aliquid ardebunt, ſcilicet vt iuſti omnes, & in Deo videāt gaudia, & in illis percipiant ſupplicia quæ euaſerunt: quatenùs tantò magis in æternùm, diuinæ gratiæ ſe debitores eſſe cognoſcant, quantò in æternū mala puniri conſpiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt*.

Supererat differentiam retributionis in Cœlo, iuxtà diuerſitatem meritorum nobis adumbrari: Et ecce *latitudinem Campi ciuitatis palmarum* ex vna parte; ex altera *Segor*, ideſt *parua*, oppidulum quoddam, *in Domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, Ioan. 14. *minimus* etiam dabitur in Regno Cœlorum, Matth. 5. licèt ſit idem denarius laborantium in vinea; hoc eſt eadem eſſentialis viſio, præmiumque ſubſtantiale: quod

tamen gradibus charitatis respondet; que vel latitudinem habet in gradibus intensionis, vel arcta est. Ad hæc 2. Machab. 2. *in Monte Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem.* 1. Petri c. 1. *in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam.*

VERSVS IV. *Hæc est terra.* &c.

Pro ea, inquit Dominus, *iuraui Abraham, Isaac, & Iacob*. Puto, missis alijs, hac de causa, tria hæc nomina Patriarcharum expendi, quia solent exponi pro *fide, spe*, & *charitate*, quæ per dilectionem operatur, vehitque ad Cœlum, vbi *nunquam excidit*. *Caminus eius in Ierusalem*, Isaiæ 31. Matthæi 1. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem*
M p. 2. 40. 7. & 61. 4. *genuit Iacob*. Glossa [M] *id est fides spem; spes charitatem.*

VERSV eodem. *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam.*

4 Hebræor. 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes.* Iob 39. *Inde* (Aquila) *contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt.* Oculos ipse reor *duos*, fidem alterum, alterum contemplationem; Apost. 2. Cor. 3. *non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur.* Nunc varijs obtutibus nonnihil diuinæ cognitionis assequimur, atque adeò *oculis*: At in patria *habemus vnum Doctorem*, inquit Augustinus, *quem semel vidisse, totum didicisse est.* Tunc *videbimus in lumine Dei*, ps. 35. *in lumine tuo videbimus lumen.* Apocalypf. 21. *claritas Dei illuminabit eam.* Per hoc lumen efficimur Deiformes, vt docet Angeli-
N p. 12. r. cus. [N] Et ideo tunc *oculo* Dei, potius quam *oculis* nostris videbimus; 1. Io. 3. *cum apparuerit similes ei erimus & videbimus eum sicuti est.* Vidit autem, ex glossa, *vel partem aliquam terræ omnis promissæ, vel totam in spiritu.*

Non transibis ad illam. Lex per Moysen in-
O Hebr. 7. l. 3. tellecta [O] non dabat consummationem Patriæ, quia non introducebat in vitam; & in huius signum ipse legislator non potuit intrare terram promissionis. Et vide, quomodo hic morituro iam iam Moysi hoc denegatur; certè non vltra ob culpam quam contraxerat *ad aquas contradictionis*, quæ expiata credenda est, & ob id subticetur; sed culpa originis; ex qua Adam cum misera sobole sua de Paradiso præclaudendo, & custodiendo exinceps, ciectus est,

VERSVS V. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab, iubente Domino.*

5 *Moab*, in Allegoriarum Sylua, significare potest etiam concupiscentiam, & etiam sensus carnales. Moyses seu lex ibi moritur, & additum est in *Moab*, Lex concupiscentiam non coercebat, vt patet Roman. 7. *Regnauit etiam mors ab Adam vsque ad Moysen*, vt dicitur Romanorum
P Rom. 9. l. 2. 5. [P] scilicet cum lex non esset. Quamuis ipse non abnuerim, dici vsque *ad Moysen*, inclusiuè; *lex enim* (c. 8.) *spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me a lege peccati & mortis: nàm quod impossibile erat legi* &c. Mortuus est autem Moyses; quia
Q loco cit. [Q] damnatio mortis est augmentata, lege adueniente.

Iubente Domino. Moritur Moyses non ægritudine aliqua aut extremo naturæ deliquio, sed iussu Domini, qui proinde tanquam addictissimus seruus lubentissimè acquieuit, Curam dignatur Dominus specialem de ipsius sepeliendo corpore in æuum contestari, dum scriptum est; *& sepeliuit eum*: ministerio procul dubio Angelorum signanter insinuato; eo quòd esset *Moyses dilectus Deo & hominibus*, Ecclesf. 45. Solus Dominus potuit sepelire legem synagogamque in illo; quoniam ipse Dominus legis, & *legifer noster*, Isaiæ 33. *qui non venit legem soluere, sed adimplere*; Matth. 5. Machabæorum 2. c. 2. habemus: *Inuenitur autem in descriptionibus Ieremiæ*, &c. *& veniens ibi Ieremias inuenit locum speluncæ; & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul qui sequebantur, vt notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire.* Est autem, subdit Angeli-
cus, [R] petra illa in eremi parte, inter duos mon- R 2. Machab. 2.
tes, inter quos iacent *sepulti Moyses & Aaron*. Ecce quomodo lex vna cum Moyse sepelitur; quia, vt ait glossa, *dispensatione diuina lex est finita, succedente gratia*. D. Hieronymus: *sepulchrum eius positum in valle describitur, contra domum idoli, quod propriè libidini consecratur.* Nihilominus, determinatè vbi nam nescitur.

VERSV VI. *Et non cognouit homo sepulchrum eius*, &c.

Sanctus Apostolus Iudas; *cum Michael*, inquit, *cum diabolo disputans altercaretur de Moysi*
corpore. Credibile est [S] quòd mortuo Moyse, S In Epist. Iudæ.
subtraxit Dominus, misso Angelo, corpus Moysi, ita vt nullus sciret eius sepulturam; ne Iudæi ad idololatriam proni, eum colerent vt Deum. Angelus ergo volebat occultari eius sepulturam, Diabolus manifestari. Et hæc contrarietas vocatur altercatio. Augustinus Tomo 3. lib. 1. de mirabilibus sacræ Scripturæ in fine; *duabus*, inquit, *causis, vt sapientes aiunt, mortis eius & sepulcri nemo conscius erat: quatenus illam faciem quæ consortio sermonis Domini rutilauerat, mortis mœrore repressam nullus videret; & ne sepulcrum eius, populus Israel, si cognouisset adoraret, sicut fecerunt de serpente: & ideò, vt plurimi putant, abstuleras secum virgam.* Tu, si allegoriam cupis prosequi, dic ad legalia semel mortua, neminem vlteriùs accedere denuò posse, aut debere.

VERSVS VII. *Moyses centum, & viginti annorum erat.*

Ætate grandæuus moritur: [T] quia enim T Genes. 5.
vita Moysi erat populo regendo necessaria, ita Deus disposuit. Tot inter lumina mirum, acie non palpitauerit Moyses; quia *mandatum* Prouerb. 6. *lucerna est, & lex lux*, dum ipsis Apostolis aiebat Christus Dominus: *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.*

Meritò paulo post, adiectum est: *non sur-*
rexit vltra Propheta in Israel sicut Moyses. De quo 6
Hebræorum 3. *Et Moyses quidem fidelis in tota domo eius, tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant.* Sic memorata fide ac spe Moysi cum sit *fides sperandarum substantia rerum*: ne charitas tanti viri sileatur, *nec dentes illius* sequitur *moti sunt*. D. Augustinus de doctrina Christiana l. 2. cap. 6. *Dentes Ecclesiæ sunt Sancti, qui non cessant præcidere homines ab erroribus.* Sic capiti Ecclesiæ Christique Vicario Petro dictum est Act. 10. *occide & manduca*. Quocirca Gre-
gorius; [V] *Christus per se & per suos semper studet* V opusc. 53. c. 14.
membra diaboli præscindere, & suis membris incorporare. Huc videtur alludere quod hic dicitur;

nec

X Ierem. 15. *nec dentes illius moti sunt*. Moyses & Samuel [x] quia fuerunt de populo soliciti, fuerunt efficaces in orando. Exodi 32. *aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*.

VERSVS VIII. *Fleueruntque filij Israel*, &c. *triginta diebus*.

Sic ad mortem Aaron Numeri 20. Causas multas, ex quibus etiam apud nos inualuerit vsus de die trigesima pro defunctis, colligit Gauantus Parte 1. Tit. 5. Ad rem magis videtur: quia in hac mensura ætatis Christi resurgemus omnes. Tunc omnis amandanda est mœstitia.

VERSVS X. *Et non surrexit*, &c.

De præeminentia Prophetiæ Moysi abunde satis Numeri 12. Duo dumtaxat seu potiùs tria adduntur. Primum [A] quia omnes qui fuerunt ante eum, Instruxerunt familias suas, per modum disciplinæ: Moyses autem fuit primus,
7 qui locutus est ex parte Domini dicens: *Hæc dicit Dominus*: Et non vni familiæ, sed toti populo. Deinde alij Prophetæ fecerunt specialia signa, ad speciales personas, & specialia negocia; ipse fecit signa ad conuersionem, & instructionem totius populi. Denique fuit eminentissimus quantùm ad audaciam: quia in sola virga descendit in Ægyptum, non solùm ad denunciandum verba Domini, sed ad flagellandam Ægyptum, & populum liberandum. Hoc est quod hic expenditur; *in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius. Et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia quæ fecit Moyses, coram vniuerso Israel*.

A de Verit. 12. a. 4. 1

In calce autem Capitis huius totiusque Pentateuchi, altam mirari decet sapientiam, qua postquam de Moyse, legis in typum nonnulla exarata sunt, ad personæ encomia deflectitur; signaque & portenta per ipsum patrata à Domino commemorantur: atqui tanto styli acumine, vt impeti nequeant tanquam falsa aut mendacia. Ex quo habitus Moyses indubitanter iustus, Deoque amicus, plenam ijs quæ scripsit lucretur fidem, nec ausit quisquam legi ipsius refragari.

Pro appendicis postremæ huius captu, insistendum est in eo quod dicitur, potiusque denunciatur; nimirum *vniuersa terra Pharaonis facta fuisse signa & portenta*; itemque *mirabilia magna coram vniuerso Israel*. Quærit Angelicus de Christi Domini doctrina [B] *Vtrum publicè docere debuerit?* Respondetque asserendo: *ego palam locutus sum mundo*, Ioan. 18. Sic Moyses non clàm mira fecit, quæ ad astruendam veri Dei fidem, doctrinamque de Deo veram disseminandam operatus est; sed *coram*. *Linguæ in signum sunt infidelibus* 1. Cor. 14. portenta linguis maius quid sunt: hæc Ægyptijs vniuersis: *vniuerso autem Israeli mirabilia magna*. Et in hos quidem stat vis miraculorum, quæ vera sunt. Quo circa ex D. Augustino; [C] *cum talia faciunt magi, qualia sancti, diuerso fine, & diuerso iure fiunt. Isti enim faciunt quærentes gloriam suam; illi quærentes gloriam Dei: & isti faciunt per quadam priuata commercia; illi autem publica administratione, & iussu Dei, cui cuncta subiecta sunt*. Et alibi; [D] dicuntur fieri miracula per priuatos contractus; quia quælibet virtus creaturæ in Vniuerso se habet, vt virtus alicuius priuatæ personæ in Ciuitate. Vnde cum magus aliquid facit per pactum initum cum dæmone, hoc fit quasi per quendam priuatum contractum: sed iustitia diuina est in toto Vniuerso, sicut lex publica in ciuitate; & ideo boni Christiani in quantùm per iustitiam diuinam miracula faciunt, dicuntur facere miracula per publicam iustitiam: mali autem Christiani per signa publicæ iustitiæ, sicut inuocando nomen Christi, vel exhibendo aliqua Sacramenta. Itaque ad hanc publicitatem subinnuendam, quæ miraculi Auctorem prodit, publica eorum patratio hic magnificatur. Itemque præmittitur; *quæ misit per eum, vt faceret*: neque enim eum, qui per signa mendacia seducit, mittit Dominus. In quo tacitè etiam docet, Moysen fuisse ministrum, ad Christi Seruatoris discrimen, qui vnus ex propria [E] potestate miracula faciebat: Lucæ 6. *Virtus de illo exibat & sanabat omnes*: nec alius quicumque talia opera fecit; quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente fecit: ipse autem non illis facientibus fecit. Signanter ergo Moysis tangit ad eum subiectionem, quæ aliàs notissima est: *Quæ misit per eum*; vt indicet futurum tempus, in quo ab aliquo, independenti virtute, miracula fierent. Probatur autem ex his Moyses *dilectus Deo* (Ecc. 45.) Deoque *fidelis* (Hebræor 3.) proinde fide dignus & honore; vt *amplioris gloriæ præ Moyse dignus ille sit habitus*, qui ait Ioann. 5. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Nam eo videtur collimare lex, quo & Euangelium: de quo Ioannes c. 20. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei; & vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius*. De quo quidem Iesu in figura Iosue hic legitur, *repletus est Spiritu Sapientiæ*: Immò vt dixerat Isaias, *requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus*. Cuius spiritus irradiatio, si qua me immeritum tetigit in scribendo, perducere dignetur in contemplando ad illum facie ad faciem Iesum videndum, in quo non vltrà *per speculum in ænigmate*, sed aperta visione mihi etiam indignissimo, innotescat *multiformis sapientia Dei*, qui est benedictus in Sæcula Sæculorum. Amen.

B 3. p. 41. 3.

C p. p. 114. a. 3.

D p. p. 110 4 a.

E 1 P 41. 4

Omnia & me ipsum fideliter ac humiliter ex corde subijcio infallibili crisi, & censuræ S. Rom. Ecclesiæ: addens cum Cyrillo l. 2. Thesaurorum: *Vt membra maneamus in capite nostro Apostolico Throno, Romanorum Pontifice; à quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debeamus; quoniam ipsius solùm est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, soluere, ligare*, loco illius qui ipsum ædificauit. Sic Ecclesia est *columna & firmamentum veritatis*; 2. Timot. 3.

IN AVREAM
D. THOMÆ AQVINATIS
EXPOSITIONEM IN CANTICA CANTICORVM.
F. INNOCENTII PENCINI VENETI
Sacræ Theologiæ Magiſtri Ordinis Prædicatorum
PRÆFATIO.

Miraberis (neque immeritò) mi lector , quòd *amatorias Theologias* (ſic Cantica appellat D. Dionyſius c. 4. de diuinis nominibus) videas Legi veteri inſertas; præſertim , cum lex timoris dicatur ab Auguſtino , non lex amoris : & iterum cur lucubrationi huic meæ adſui voluerim Sancti Thomæ Expoſitionem in Cantica , in qua nec iota meum . At ſpero , non abſonum dicas , quia ex Auguſtino ſimiliter , introducit timor charitatem, ſicut ſeta vel acus filum; nec operam carpas , ſi conſilij rationem mei amanter ac prudenter expenderis . Accidit , (quod in felicem mihi reputo ſortem) dum Bibliothecam , ſi non omnium celeberrimam , at copioſam ſanè Sanctorum Ioannis & Pauli Venetiarum Cœnobij mei natiui aliquando luſtrarem , vt curioſo quodam impulſu , ad claſſem declinarem librorum , qui ante calcographicam artem exiguo minimè numero , quemadmodum ipſam locupletarunt olim , ſic adhuc exornant . Huc illuc coniectis oculis , ecce exterior occurrit titulus ; Aurea D. Thomæ Aquinatis expoſitio in Cantica Canticorum. Credidi cum eam delibaſſem,ne fortè ſit ipſiſſima illa , quæ vbique ſolet , cum alijs Sancti Doctoris Operibus circumferri : ſed ecce pagellam primam intuitus , cerno mox diſcrepantes in limine ; eoquòd quæ eſt Impreſſa communiter, nullo præfixo exordio textum aggreditur ; hæc verò Proœmium præſert ſub hoc themate ; *ſonet vox tua in auribus meis* &c. & pergens vtramque legere deprehendo ab inuicem (quod inquiunt) toto Cœlo differre. Vetus comptiori elegantiori ſtylo dictata prodit ; noua ſimpliciori, ac puriori incedit greſſu . Vetus vario vagatur tramite ; noua ad vnum rectà filo vno collimat . Illa ſectionem materiæ , eiuſdemque ſubdiuiſiones non curat ; hæc adeò accuratè his intendit (mos D. Thomæ perpetuus) vt in minutula argumentum diſpeſcat , & medio in capite tertio , primam Cantici partem , ſtatuat explicere ; & ſic ante ſexti finem, finire ſecundam. Comprehenſionis , non modo intelligentiæ,ſorte argumentum . Quæ harum eſſet germanior tanti Doctoris,hæſit ab initio animus ; ſed mox certam ijt in ſententiam , vt abſque prioris repudio , eſſet poſterior legitima . Recogita erudite mi lector homogeneam Thomiſticæ phraſis vnitatem , omnigenæ literaturæ vbertatem, intelligentiæ profunditatem, explicandi facilitatem, verborum proprietatem,ſcribentis authoritatem ;obſerua familiarem dicendorum partitionem ; cuncta , doctrinam , eruditionem,ſapientiam , verſatile Sancti Doctoris ingenium redolere comperies . Non leue etiam eſt argumentum fidem rei aſtruens,quòd in Proœmio ſub finem habet,ſe quoddam manifeſtè probaſſe in Quæſtionibus ſuper primum Sententiarum . Conſtat igitur Authorem commentarijs illuſtraſſe ſententias . Quis ergo ille ? Quis alius præter Angelicum valuiſſet irretuſa mentis acie arcana tot, non dicam rimari , ſed penitiſſimè peruadere ac enucleare? tàm firmo allegoriæ ductu, vt cum Salomone ipſo hagiographo , non ſecùs ac aliquando cum Apoſtolo,ſacra contuliſſe ac digeſſiſſe myſteria videatur . Intueatur ſe Sancta Eccleſia , in ſpeculo hoc ſine macula mirificè lineatam ; nimirum ſecundùm varium , ſiue tergeminum ſui ſtatum , primitiuæ , modernæ ac finalis . Et quoniam Lunæ myſticè comparatur,dum aliquando pace & ſecuritate plenior grandeſcit , aliquando aduerſitatibus obſcu-

obscurata decrescit, neque respuat Sacro profanum epitheton triformis, dum triplici vultu effigiatur. Iris etiam non incongruè, epicta hic Ecclesia appellari posset; hactenùs papyraceis sub vmbris, rudi confectis plasmate delitescens, discolor terno aspectu, ab Didymeo Angelico illustrata: & sic munus mutuare ex nomine auderem, Nuncij videlicet, qui hanc apparuisse clarissimam Expositionem primus referrem: quinimmo tanquam meum quid in lucem proferrem, eo iure, quò Legistarum scito (de hoc 2.2.q.66. a. 5.) reperti in littore maris lapilli & gemmæ; ac thesauri ab antiquo tempore occulti, vtpote eufortunij dona, inuentoris fiunt. At id mihi arrogauerim, absit. Patiar me reparatorem dici aut restitutorem; non verè inuentorem. Multis ab hinc annis iam visa est; bis enim prodijt impressa. Audi in Cantica hanc ad rem Cornelium à Lapide. Inter Opera, inquit, Sancti Thomæ Aquinatis, extat commentarius in Canticum. Dubitant tamen viri docti, an hic commentarius sit ipsius; quia stylum eius non redolet; atque ex Cassiodoro & Beda videtur transumptus. Idem planè, ad verbum extat apud Haymonem, qui 450. annis antecessit D. Thomam. Quare commentarius Sancti Thomæ, quem sub mortem dictauit Monachis Fossæ nouæ, videtur fuisse alius ab hoc. Cor datũ laudo iudiciũ.) Quocirca diuersus planè ab hoc commentarius in Canticum nomine Sancti Thomæ prodijt seorsim impressus à Petro Galtero anno Domini 1545. soletque iungi commentario Caietani in Prouerbia & Ecclesiasten. Hic magis redolet stylum scholasticum S. Thomæ. Hæc Cornelius. Et quidem ad instantiam Ioannis Darbe impressus est, libello sub formula quam dicunt, *in octauo*; creditürque Lugduni. Apud Caietanum non licuit mihi huiusmodi opellam videre, quamquam apud plures quæsierim, quoniam prima impressio Caietani non passim est obuia. Cæterum quidem Venetijs sub oculis habui, in Insula & Bibliotheca nobili Sancti Georgij, transmissum, vt dixere, à Monte Cassino; & isthæc fuit occasio. Euulgauerant Patres illi, prima tunc vice collecta in vnum opera Sancti Brunonis: accidit autem quòd transmissa Venetias, atque à studiosis Monachis attentè perlecta Canticum Canticorum Diuo Thomæ communiter adscriptum & ipsa haberent: simulac id notarunt, queruli scripsere Cassinum, quòd neglectu nimio fuissent inter opera Sancti Brunonis recenseri illud, quod in Corpore D. Thomæ ceu proprium ponitur. Responderunt Cassinates continuò, qui communiter attribuitur D. Thomæ supposititium esse commentarium: quòd si genuinum auerent, se libellum hunc mittere. Ecce quomodo ex ipsorum excusatione fas fuit intueri præcusam, quam Amanuensis paulo ante sibi descripserat. Sed heu collatis vtrisque, mendis scatere reperi impressam, quibus nostra Dei gratia expurgata fuerat. Sed certè id non sine labore: scripta enim adest Venetijs antiquato iam caractere, obsoleta dictionum epitome, ita vt ægerrimè voces eruere vel exercitatus vix queat; corrupto non rarò etiam verborum sensu, illiberalis prisci illius scriptoris aut oscitatione aut inscitia; crebra verborum eclipsi media in periodo; adeò vt post diuturnam duntaxat ruminationem, post dierum impendium, comite solertis ingenij viro, de quo suprà ad lectorem, improbo studio, diuinatione veluti recognouerim. Non itaque immeritò, subesse nonnihil ex me, hoc in Opere dixerim, dum resarcitur persæpè quod illi defuerat, tùm dictionis tum orationis erratis. Vnum profero, à quo disce alia. In Proœmio trinomium Salomonem hagiographum facit, idque ex glossa, qui secundùm numerum nominum tres edidit libros: dictus est enim, inquit, *Salomon*, idest *pacificus*, & vt talis edidit librum Prouerbiorum, *Ecclesiastes*, idest, *concionator*, & sic librum Ecclesiastes, & *Idyda*, (sic scriptum erat) idest *dilectus*. Vocis huius ignarus glossam adiui, sperans ignorantiæ meæ tenebris occursum iri: atqui & ibi idem trisyllabum reperi *Idyda*: quod nec in Lexicis, neque in hebraicis Dictionarijs inueniebatur. Post multa, dum hebræas exquiro radices, ecce, *Iadda*, idem quod *volauit*; sed vt notant, posita litera *res* loco *daleth* deriuatur significatio dilecti; id quod etiam a radice *Dod*. Cæterum Septuaginta negligunt huiusmodi literæ mutationem; & 2. Regum 12. vbi Salomon dicitur *amabilis Domino*; eoquòd diligeret eum Dominus, legunt ad hebræos caracteres *Ieddidia*: vt pariter in psalmo 60. *vt liberentur dilecti tui*, effertur *Ieddidecha. Iah*, vnum est ex Dei nominibus mysticis, de quibus D. Hieronymus ad Marcellam. Vide quantùm referat, ineptè ac inscienter idiomatis omnino ignoti, ab imperitis scribi, & rescribi voces. Cuius & similium primæua causa fuisse credenda est, exemplarium necessitas ante typorum inuentum, pendens fidensque scribentiũ veracitati. Quid mirũ si lapsi sint hoc ex capite & sapientes; & inter hos, non semel fefellerit corruptus textus, at nulla culpæ labe, ipsum D. Thomam? Ter contigisse haud nos pudeat: nempe Iob 36. versu 32 vbi legitur *in manibus abscondit lucem*; complexè id ferebat codex Sancti Doctoris; vnde Ioannis Prologo in fine, atque cap. 1. lect. 3. exposuit *immanibus*, idest superbis. Sic fortè & in Iob eo loco: sed meo in Iob exemplari, extremum illius commentarij, ne id deprehenderetur, cuius

nescio arbitratu, abrasum est. Apocalypsis etiam c. 5. primo, me iudice, commentario ferens illud Deuteronomij 33. *fluet largiter de Basan*, legit *flens largiter*, &c. Denique in his Canticis, vbi cap. 6. habemus, *descendi in hortum nucum*, habuit sub oculis, *descendi in hortum meum*: quod quidem hodie adhuc, antiqua ex irreptione, in quibusdam Biblijs in margine licet spectari; cum tamen certè ex hebræo *nucum*, non *meum* transferri necesse sit. Hinc non abnuerim, expositionem datam Haymoni, recèns adscripta Brunoni, inter D. Thomæ opera communiter recensitam, meo in Pentateucho non semel allegatam, posse reuera & ipsam existimari Sancti Doctoris. In ea quippe legit, enucleat immò *in hortum nucum*: vnde non fuerit mirum illam Cistercien sibus comperto tandem scriptorum lapsu, extemplo absque præfatione aliqua moriturum dictasse ac emendasse. Nec aliquanto floridior auocet phrasis, quoniam ab extraneis etiam censoribus, disertus satis inculto illo sæculo est habitus: quamquam sicut barbariem, veneres & lepores dicendi longe amandauerit. Donet Dominus, vt si quæ latent alia, vt in Ezechielem (quod constat ex Commentario primo in Apocalyps. c.22. vbi id commemorat) si non omnino interciderunt, aliquando ex obliuionis sepulchro à Chao confusionis Bibliotecharum emergant, vt Dominicana Religio, cuius ipse est cantatissimum decus & gloria, quasi nouis præsidijs, aduersùm Dei, veritatis, morumque bonorum hostes, iterum atque iterum orthodoxam inconcussam muniat Ecclesiam, cuius infallibilia dogmata, lingua, calamo, sanguine toties sanxit. Vnum superest monearis candide lector, idque maiori pro certitudine, quòd sit opusculum hoc verè D. Thomæ: nimirum in marginibus toties quoties adnotasse me loca, in quibus aliàs sibi semper concors & constans easdem docuit, quas hic tradit doctrinas. Quod quidem satis euincit, identitatem intelligentiæ Auctoris, & calami. Sint peregrina duo exempla. Capite 3. exponit illud, *in lectulo meo* &c. aitque conscientiam esse lectulum, in quo Christus requiescit; quia stratum coangustatum est, quia non potest iacere nisi vnus, scilicet Christus vel diabolus, Isaiæ 28. *coangustatum est stratum*, *ita vt alter decidat*. Hoc ipsum autem fermè considerat in 2. 2. q. 122. a. 3. dicens; ita vt alter decidat, scilicet Deus verus vel falsus à corde hominis. Item ante finem capitis quarti loquens de temperantia inducit de insensibilitate, quæ temperantiæ opponitur per defectum: de qua quidem insensibilitate idem ex professo pertractat in 2.2. q. 142. Ex vngue Leonem. Non hæc in altera Canticorum expositione Haymoni attributa possunt passim animaduerti. Vale prosperè in æuum.

AV.

A V R E A
D. TH. AQVINATIS
EXPOSITIO IN CANTICA CANTICORVM.
P R O OE M I V M.

SOnet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. In principio cuiuslibet libri, quantum ad præsens spectat, duo sunt notanda: primò quis sit libri titulus: secundò quæ sunt causæ operis. Prædicta autem auctoritas, quæ legitur Cantic. 2. alitèr, & alitèr exposita, nobis vtrumque insinuat. Nam si verba prædictæ authoritatis sint sponsi ad sponsam, idest Christi ad Ecclesiam, tunc declarant nobis libri titulum. Si verò intelligantur de Christo dicta, manifestant nobis causas operis. Intitulatur autem liber iste, Cantica Canticorum, vt ex glossa haberi potest. Cantus tamen, qui in hoc libro docetur, non est corporalis, seu sensibilis, sed magis intellectualis; & secundùm spiritum. Dicimus enim, duo esse genera verborum, interiora, & exteriora, siue sensibilia, & intellectualia, vt patet per Aug. in secundo de Ciuitat. Dei, vbi ipsas cogitationes cordis locutiones appellat. Sicut ergo in locutionibus exterioribus secundùm melodiam, & proportionem prolatis resultat cantus sensibilis; ita in locutionibus interioribus, & etiam affectionibus secundùm proportionem, & ordinem debitum ad Deum directum, resultat quædam melodia spiritualis, & quidam cantus intelligibilis. Non enim sic debemus restringere nomen cantus, vt solum in sensibilibus vocibus esse habeat. Nam Boetius in musica sua ostendit musicam proportionem aliquo modo circa omnia esse, in quantum singula secundum melodiam per quandam proportionem sunt condita. Sicut & Aug. in 6. musicæ extendit numeros musicales ad actiones animæ. Nam secundum quinque numerorum genera, quæ ipse distinguit in secundo cap. dicti libri, idest secundùm numeros iudiciales, progressores, occursores, recordabiles, consensales, saluat actiones ipsius animæ: Immò ipsa vsitata locutio admittit, vt manifestè dicitur, canticum appellet, secundùm quem modum Geometræ loqui consueuerunt, vnde cum aliquid geometricè probare volunt, dicunt: sicut cantat talis propositio, si in illa propositione manifestè illud profertur. Quia ergo Deo omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & cogitationes, & affectiones voluntatis non discedunt à melodia, & à proportionibus, secundùm quas attenditur operatio virtuosa, quoddam canticum dici possunt. Tale est Canticum, quod hic cantatur. Quia exprimuntur debitæ affectiones, & cogitationes cuiuscunque animæ sanctæ; vel etiam totius Ecclesiæ, secundum quas intendit gustare diuinam dulcedinem, & habere sui sponsi consortium. Et si volumus secundum quandam adaptationem loqui, dicere possumus, Deum habere duas aures, vnam iræ, aliam pietatis. Secundùm aurem iræ audit clamorem, secundùm quem modum dixit ad Cain: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Genes. 4. Secundum aurem pietatis dicitur audire cantilenas, idest affectiones, cogitationes, orationes, desideria deuotarum mentium; & quia suaue est illi, scilicet Deo, audire tales cantus, & delectatur in animabus sanctis, sicut bonus Pater in bonis filijs: ideò inuitans animam sanctam, siue totam Ecclesiam ad sic cantandum, ait: sonet vox tua in auribus meis, Et subdit causam: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. His enim duabus causis appetitur cantus alicuius: primò propter se, videlicet quando cantus est dulcis, & suauis; Secundò ratione cantantis, vt si habeat decoram faciem: nam cui placet vultus cantantis, verisimile est, quod magis delectetur in cantu. Vtroque autem modo delectatur Christus & anima sancta, scilicet ratione ipsius cantus, videlicet propter bonitatem affectionum, & cogitationum; & ratione ipsius gratiæ: nam gratia Dei in essentia animæ existens ^ reddit animam bonam, & opera eius Deo grata. A p. s. 110.4. Patet ergo, quòd si verba prædicta sunt sponsi ad sponsam, designant titulum huius libri, qui dicitur Cantica Canticorum, quia excellenti modo hic talis melodia insinuatur; Consueuit enim genitiuus pluraliter appositus nominatiuo denotare excellentiam, vt Rex Regum, & Dominus Dominantium.

Sed si prædicta verba volumus exponere, vt sint verba Ecclesiæ loquentis ad Christum, designant nobis causas huius operis, licèt seriis littera contradicere videatur. Ex quo tamen à veritate fidei non discedit, non est talis expositio repellenda, quia in sacra pagina non solùm assignatur sensus litteralis, qui semper est continuus, sed etiam mysticus, quem non oportet esse continuum. Secundùm hoc ergo dicamus, quòd causa materialis, & efficiens notatur, cum dicitur; Sonet vox tua in au-

ribus meis; *Formalis, cum dicitur;* vox enim tua dulcis; *finalis, cum annectitur:* & facies tua decora: *Sponsus, & sponsa, idest Christus, & Ecclesia; siue Christus, & anima sancta, est materia huius libri, vt glossa tangit. Quòd si sponsa dicit sponso:* Sonet vox tua in auribus meis, *causam materialem habemus, & etiam efficientem, quia sponsus ipse qui est verus Deus, eum hoc, quòd est subiectum siue materia doctrinæ sacræ, est etiam principaliter causa efficiens huius scientiæ. De causa verò instrumentali non sit nobis curæ, quia huiusmodi causæ habentur respectu doctrinæ, sicut instrumenta, sicut penna scribentis, iuxta illud Ps.* 44 Lingua mea calamus scribæ *&c. Sicut ergo superstitiosum esset, cum quæreretur de anthore alicuius libri, quærere cum qua penna scriptus fuisset liber: ita quodammodo superstitiosum videtur, quòd aliquis sit multum sollicitus inquirere causas instrumentales Scripturę sacræ. Nam si constat de veritate, quòd liber sit à Spiritu sancto, non est magna cura adhibenda ad inueniendum Authorem alium. Quòd si tamen aliter videatur de hoc adhibenda cura, dicimus, quòd Salomon fuit talis causa huius libri: Qui, secundùm quòd glossa tangit, fuit trinomius, & secundùm numerum nomiuum tres edidit libros. Dictus enim fuit* Salomon, *idest pacificus;* Ieddidia, *idest dilectus; &* Ecclesiastes, *idest concionator. Secundùm enim quòd fuit pacificus, edidit librum Prouerbiorum: secundùm quòd fuit dilectus, edidit librum Canticorum: & secundùm quòd fuit concionator, edidit librum Ecclesiastes.*

Causa autem formalis habetur, cum subiungitur: Vox tua dulcis. *Consueuit enim distingui duplex forma, scilicet forma tractatus, quæ est modus agendi; & forma tractandi, quæ est ordinatio capitulorum ad inuicem. Modus autē agendi in alijs scientijs est approbatiuus impugnatiuus: in doctrina verò sacra, potissimè in canone, esse videtur inspiratiuus, idest reuelatiuus, & magis talis tractatus innititur reuelationi, quàm probationi. Modus autem in isto libro specialitèr videtur esse affectiuus, desideratiuus, & contemplatiuus. Vnde glossa tangit, quod modus huius libri est ostensiuus, quali desiderio mēbra capiti adhæreant, & ei placere contendant, & quali affectione sponsus Ecclesiā diligat; vnde modus agendi huius libri conuenienter notatur per huiusmodi dulcedinem, cum dicit:* Vox tua dulcis; *quia cōplacentia, affectio, & desiderium quandam dulcedinem amoris important. Ex hoc etiam potest haberi forma tractandi, quæ talis debet esse, qualem requirit modus agendi. Immò quia ipse ordo capitulorum ad inuicem, bene intellectus, animam demulcet, & delectat, non inconuenienter forma tractandi per dulcedinem intelligitur. Causa verò finalis habetur, cum subinfertur,* Facies tua decora. *Est igitur finis huius libri, vt glossa tangit, dilectio secundum quam sponsa delectatur; & cum hoc potissimè sit propter decorem faciei sponsi, conuenienter talis finis insinuatur, cum dicitur:* Facies tua decora.

Dubitaret fortè aliquis, cum in tota sacra pagina finis sit dilectio, quomodo differenter dilectio Dei sit finis huius libri, & totius doctrinæ sacræ. Et Vtrum propter hoc, quòd finis huius scientiæ est opus, an practica scientia dici possit.

Ad horum euidentiam est notandum, quòd sicut in tota physica naturali finis est cognoscere corpus mobile, in quantùm mobile; in libris autem partialibus huiusmodi finis contrahitur, sicut patet, quod in libro physicorum non intenditur cognitio corporis mobilis quocumque speciali modo, sed cognitio talis corporis simpliciter, non contrahendo ad hoc, vel ad illud; in libro verò de generatione intenditur talis cognitio, vt contrahitur corpus mobile ad formam; in libro verò de cælo ad situm, & sic in alijs libris, modo contracto intenditur cognitio talis corporis. Eodem modo in doctrina Ecclesiastica dilectio Dei in vniuersali sumpta intenditur quocumque modo manuducamur ad talem dilectionem: sed in partialibus libris specificatur talis intentio, vt in Genesi, prout ad eam deducimur considerando diuinam potentiam: quia ibi ostenditur, quomodo Deus cælum, & terram, & omnia de nullo produxit in esse: in hoc autem libro specialiter manuducimur ad diuinam dilectionem, considerando diuinam benignitatem, & meditando, quanta affectione Christus sponsam suam diligat, & quanto desiderio moueri debet anima sancta ad gustandum dulcedinem diuinā. Quæ si bene aduertimus, non inconuenienter finis huiusmodi libri assignatur dilectio Dei, licèt etiam hoc sit finis totius doctrinæ sacræ; speciali enim modo liber iste prouocat nos ad dilectionē Dei, & proximi.

Ad secundum quæsitum dicendū, quòd hæc scientia dicitur Dei dilectiua, vel affectiua, vt manifestè probauimus in quæstionibus super primum Sentētiarum; & si propter hoc aliquis velit eam appellare practicam, quia dilectio est quoddam opus, sententiam teneat, linguam corrigat. Nam scientia practica principaliter ordinatur ad opus exterius, ideo scientiæ politicæ practicæ nominātur, & polities, idest bonitas, dependet ex operibus nostris: nam secundùm Philosophum, quia bona facimus, boni sumus: & ex similibus actibus generātur similes habitus. Bonitas verò spiritualis, quia non dependet ex operibus exterioribus, immò ex habitu charitatis, & eius operibus; sacra pagina quæ ad talē bonitatem ordinatur, practica dici non debet. Sicut ergo scientia, quæ ordinatur ad speculationem, non dicitur practica, licèt speculari sit quoddam opus, sed suscipit nomen ex speculatione, & dicitur speculatiua; sic & Theologia, quæ ordinatur ad affectionem, siue dilectionem charitatis, quia huiusmodi opera non sunt exteriora, ab eis debet denominari specialiter theologia, & debet dici affectiua, vel dilectiua, & non practica. His visis, accedamus ad expositionem litteræ.

TRACTATVS PRIMVS,

SIVE PRIMA PARS TOTIVS LIBRI.

CAPVT I.

Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino, 2 fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. 3 Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te. 4 Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. 5 Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui. 6 Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. 7 Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum. 8 Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. 9 Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia. 10 Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. 11 Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. 12 Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. 13 Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. 14 Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. 15 Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus: 16 tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

O*sculetur me osculo oris sui.* Intentio principalis huius operis est exprimere mutua desideria inter sponsum, & sponsam, siue inter Christum, & Ecclesiam. Et quia secundùm alium, & alium statum, alia sunt desideria; ideò secundum diuersos status Ecclesiæ oportet nos hunc librum diuidere. Ecclesia enim potest tripliciter considerari: primò quantum ad statum primitiuum, scilicet quantũ ad statum rami fracti: nam Iudæi sunt excœcati, & gentiles sunt admissi, iuxta illud Rom. 11. *Tu quidem* (scilicet gentiles) *cum Oleaster esses, insertus es in illis*, idest ramis bonæ oliuæ, *& socius radicis, & pinguedinis bonæ oliuæ factus es.* Secundò rursum potest considerari quantum ad statũ vltimum, quando Iudæi omnes salui fient: quia tunc temporis si fuerit numerus filiorum Israel, sicut arena maris, residui salui fient. Et quia non est dare extrema sine medio, ideò præter statum primum, & vltimum est dare medium. Hos autem tres status quodammodo tangit Apost. ad Rom. 11. cum ait. *Quia cæcitas venit in Israel ex parte*, quantùm ad statum primitiuum: *donec plenitudo gentium intraret*, quantùm ad statum medium, secundùm quem Ecclesia proficit, & quasi vniuersaliter gentes sunt conuersæ. Et subdit, quod *tunc omnis Israel saluus erit*, quantùm ad statum vltimum, quando Iudæi plenè conuertentur ad Christum, quod erit in fine sæculi. Secundum hos tres status liber iste diuiditur in tres partes. Quia primò describuntur mutua desideria inter Christum & Ecclesiam, secundùm quòd Ecclesia fuit in statu primitiuo. Secundò describũtur talia desideria quantùm ad statum medium. Tertiò describuntur quantùm ad statum vltimum. Secunda pars est ibi; *en lectulum Salomonis, sexaginta*, &c. vltra medium tertij capituli. Tertia pars est ibi: *Descendi in hortum meum.*

Prima pars diuiditur in duas partes, secundum quod desideria primitiuæ ecclesiæ distingui possunt, scilicet quantùm ad adeptionem boni, & quantùm ad fugam mali. Primò ergo Salomon describit desideria sponsæ, idest ecclesiæ, siue animæ sanctæ, secundum quòd desiderat adipisci diuinas dulcedines, & sponsi sui Christi degustationes. Secundò ponit desideria eius, secundum quòd desiderat fugere exteriores tribulationes. Secunda ibi; *Nigra sum, sed formosa.* Prima diuiditur in duas, quia primò ponitur sponsæ desiderium: Secundo quia ad obtinendum quod desiderat, non potest per se sponsa sufficere, implorat diuinum auxilium. Secunda ibi: *Trahe me post te.* Prima pars diuiditur in tres partes: quia ponitur sponsæ desiderium; secundò subditur desiderij causa, siue ratio: Tertiò ex ratione assignata concludit sponsum suum naturaliter desideratum esse. Secunda ibi: *quia meliora.* Tertia ibi: *ideò adolescentulæ.* Est autem tale desiderium Ecclesiæ, quòd desiderat osculari osculo oris Dei, idest adipisci dulcedinem, & gratiam per ipsum. Debet ergo optatiuè legi ista littera. *Osculetur*, idest vtinam oscularetur me Deus Pater osculo oris sui: ita quod Deus Pater sit osculans, Filius sit os, & Spiritus sanctus sit osculum. Dicitur autẽ Filius os Patris, in quantùm est Verbum eius, & manifestatiuum ipsius. Spiritus autem Sanctus dicitur osculum, quia sicut in osculo procedit corporalis spiritus ab osculante per os,

Aliter legatur Nucum, vt infrà ibidem, circa finem 6. capit.

sic

B p.p.q.3. sic Spiritus sanctus procedit etiam à patre procedendo à Filio, cũ Filius hoc habeat à Patre, quòd spiret Spiritum sanctum. Ideò Aug. 16. de Trin. dicit, Spiritum sanctum principaliter procedere à Patre. Desiderat ergo gustare dulcedinem gratiæ, quæ appropriatur Spiritui sancto, participando eius dona, & suam gratiam. Deinde cum dicit: *quia meliora sunt vbera tua*; assignat causam, & rationem desiderij sui. Quod antequam exponamus, triplex nobis occurrit dubitatio litteralis. Primò quia videtur textus hic diffusus esse, cum prius Ecclesia locuta fuerit in persona tertia, dicens; *osculetur me*, &c. postea assignando causam, locuta est Deo in persona secunda, subdens: *quia meliora sunt vbera tua*. 2. etiam apparet textus diffusus, & inconueniens ratio: quia cum sponsa desideret osculum, si vellet assignare causam desiderij sui, deberet commendare labia, per quæ fit osculum, non vbera. 3. videtur inconueniens huiusmodi dictum; quia sponsæ consueuerunt habere vbera, non sponsi. Cum ergo in prædicta locutione sponsa loquatur ad sponsum, non videtur competens, quòd laudat vbera eius.

Respondeo dicendum, quòd primam dubitationem soluit glossa, dicens: quòd sponsa loquitur more amantis, qui propter feruorem dilectionis loquendo, ordinem non valet seruare, ideò aliquando loquitur in 3. persona, aliquando in 2. Possumus tamen aliter dicere: sponsam in primordio suæ locutionis loqui in 3. persona, quia non audet tantum Dominum in principio alloqui in 2. persona: sed petitione sancta cognoscens se talia desiderare non posse sine diuina gratia, iuxta illud 2. Corint. 3. *nõ quod sufficientes simus cogitare à nobis aliquid, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; ideò confisa de Dei auxilio, quæ priùs proposuerat sua desideria Deo in 3. persona dicens: *osculetur me osculo oris sui*: in dando rationem sui desiderij, alloquitur ipsum in 2. persona, subdens: *quia meliora sunt vbera tua* &c.

2. dubitatio etiam soluitur, quia secùndum Dionys. 1. de diu. nomin. Intelligibilia sunt incomprehensibilia à sensibus: ideò per vnum sensibile non expressè manifestatur intelligibile, sed multa sensibilia expressiùs intelligibile notificant. Vt ergo detur intelligi, osculum à sponsa quæsitum, non fuisse carnale, sed spirituale, in quo non solùm bonitas labiorum, sed etiam vberum, & multorum sensibilium perabundantius comprehendatur, in laudando prædictum osculum, laudat sponsa vbera, non labia.

3. dubitatio soluitur similiter à glossa, quia ideò tribuit sponsa sponso vbera, vt ostendat se figuratiuè loqui. Aliter etiam solui potest, quia non est simile de matrimonio carnali, & spirituali. Nam sicut in matrimonio carnali sponsa dat dotem sponso: in spirituali fit è conuerso, quia sponsus charismatibus dotat animam; Sic etiam in huiusmodi matrimonio vbera principaliùs competunt sponso. His visis, Notandum, quòd assignare rationem, & causam, quare aliquid sit desideratum, est ostendere illud esse bonum: quia secundùm Philosophũ In primo Ethic. & 1. Rhetoric. Bonum est quod omnia appetunt: Et quia bona spiritualia nobis innotescunt per corporalia, Ideò sponsa in ostendendo bonitatem osculi sponsi, per similem bonitatem diuinæ dulcedinis commendat eam tripliciter. Primò ex eo quòd reficit gustum, quod notatur cum dicitur; *Quia meliora sunt vbera tua vino*: 2. ex eo quòd reficit odoratum, quod habetur cum subiungitur; *Fragrantia vnguentis optimis*: 3. quia delectat tactum, quòd habetur cum dicitur: *Oleum effusum nomen tuum*.

Ad intelligentiam prædictorum notandum, quòd dulcedo, quam Ecclesia sponsa Christi desiderat adipisci, hauritur secundum contemplatiuam vitam. Vita autem contemplatiua, prout de ea locuti sunt philosophi, & sancti, non accipitur vniformiter: Nam philosophi finem contemplationis ponunt in sapere. Ideò in 10. Ethic. vbi determinatur de contemplatione, & felicitate, ostenditur operationem perfectam secùndum spiritualem contemplationem esse felicitatem: nam speculari secùndum sapientiam, idest secùndum metaphysicam, est summa felicitatis, quam posuerunt philosophi. Ideò Philosophus in 4. Ethic. volens talem felicitatem summè extollere, ostendit, eam esse maximè delectabilem, & quòd Philosophia videtur habere delectationes mirabiles, puritate & firmitate. Sed contemplatio, vt de ea loquuntur Theologi, magis consistit in sapore, [c] quàm in sapere: & magis consistit in dilectione, & dulcedine, quàm in sermone. C 2.2. q.45. a.2. Et si inuenitur aliquando studium litterarum pertinere ad contemplatiuam vitam secùndum theologos, hoc est, in quantùm per huiusmodi studium manuducimur in amorem Dei. Si quis ergo ad hoc studet, vt sciat, non vt ædificet, & in dilectione Dei proficiat, cognoscat se viuere vita contemplatiua secùndum philosophos, non secùndum Theologos. Si ergo de huiusmodi contemplatione secùndum sensibilia loqui volumus, per quandam adaptationem dicere possumus, vitam contemplatiuam philosophorum reficere auditum, & visum; spiritualem autem contemplationem theologorum reficere gustum, odoratum, & tactum. Nam licèt omnes sensus nobis ad cognitionem deseruiant, potissimè tamen auditus, & visus nobis famulantur ad scientiam. Nam secùndum Platonem, omne quod quis nouit, aut discens, aut inueniens nouit. Auditus ergo, qui est sensus disciplinabilis, vt dicitur 1. metaph. nobis deseruit ad scientiam, vt habetur per doctrinam, & vt sumus discentes. Visus verò, qui plures differentias nobis demonstrat, vt in eod. 1. Metaph. probatur, deseruit nobis ad scientiam, vt habetur per inuentionem, & vt inuenientes nouimus. Ideo contemplatio philosophica, quæ consistit in sapere, apparet, si considerentur prædicta, quia potissimè reficit auditum, & visum. Contemplatio verò spiritualis, quæ consistit in sapore, & secùndum quam est magis vita nostra, habet reficere gustum, odoratum, & tactum, quæ magis nobis deseruiunt ad necessitatem vitæ. Vnde cum beatitudo philosophorum consistat in intellectu; beatitudo verò spiritualis cõpletiuè, & consummatiuè consistat in Voluntate, [D] vt suo loco poterit declarari: (cum cogitationes mentis dicantur locutiones, & visiones, vt planè dicit Aug. in 9. de Trint. cap. 11. non tamen propriè dicantur gustationes, & odorationes, & tactus, quia talia magis videtur tenere se ex parte voluntatis) sa- D p.1.q. 3.& 4. 1.

tis

tis apparet benè esse dictum quod proposuimus; contemplationem philosophicam reficere auditum, & visum; spiritualem verò, gustum, odoratum, & tactum. Volens ergo sponsa commendare contemplationem spiritualem, non philosophicam, ait: *Meliora sunt vbera tua vino* &c. In quibus verbis tangit tria genera hominum existentium in Ecclesia, quos aliquo modo reficit diuina dulcedo. Nam in quantum vbera sponsi, idest Voluptas dulcedinis eius melior vino dicitur, idest omni sapore corporali, reficiuntur perfecti, qui talem dulcedinem nituntur gustare; prout verò huiusmodi, idest vbera, sunt *fragrantia vnguentis optimis*, idest omnibus odoribus sensibilibus, reficiuntur proficientes, qui ad talem dulcedinem mouentur per odoratum. Sed vt nomen Christi est *oleum effusum*, propter sui mollitiem, & pinguedinem delectans tactum super cætera, reficiuntur incipientes, qui se habent ad modum habentium solum tactum secundùm spiritualem vitam. Nam sicut tactus est illud, quo restringitur sensibilis vita in infirmo, quia alius secundum Philosophum modus viuendi est secundùm alios sensus, alius secundùm tactum, quia talis vita sine tactu remanere non potest; ita incipientes participant spiritualem vitam in infirmis, propter quod videntur habere solum tactum secundum talem vitam. Sed cum proficiût, sic ratione profectus, odoratum acquirunt secundum quod mouentur ad odorem dulcedinis. Cum verò perfecti sunt, plenè in Christo delectantur, & dulcedinem eius gustant. Deinde cum dicit; *ideò adolescentulæ*, infert ex dictis sponsum Christum vniuersaliter dilectum in Ecclesia: & continuatur sic textus. O Domine Iesu Christe, qui es in hominibus conformando te omnibus, perfectis, proficientibus, & incipientibus, omnibus secundum suum modum tuas dulcedines tribuens: quia omnibus sic te conformas, *ideò adolescentulæ*, idest incipientes, *dilexerunt te*. Vult ergo arguere sponsa per locum à minori: nam si adolescentulæ, idest incipientes, de quibus minus videtur, diligunt Christum: sequitur quod Christus in Ecclesia vniuersaliter sit dilectus. Et notandum, quod ista conclusio, *ideò adolescentulæ* &c. dupliciter potest continuari; primò secundum quòd sequitur ex omnibus supradictis, quemadmodum est expositum. Secundò secundum quòd sequitur ex immediatè suprapositis, vt quia nomen Christi est *oleum effusum*, idest reficit incipientes, vt est expositum; *ideò adolescentula*, per quas intelliguntur incipientes, *dilexerunt te*. Dicuntur autem adolescentulæ incipientes, vt patet per glossam dicentem; quòd *adolescentulæ* sunt non vetustæ per culpam, sed nouellæ per gratiam. Semper autem per locum à minori concludit, Christum esse vniuersaliter dilectum.

Trahe me post te. Postquam sponsa expressit suum desiderium, quo dulcedinem Christi adipisci volebat: videns per se ipsam non posse obtinere suum desiderium, in parte ista implorat diuinum auxilium. Et diuiditur pars ista in partes duas, quia in postulando tale auxilium 1. ponitur sponsæ petitio, 2. sponsi exauditio, ibi: *introduxit me Rex*. Circa primum duo facit, quia 1. sponsa implorat diuinum auxilium: 2. confitetur, ipsum esse suaue, & validum. Primum habetur, cum dicitur: *Trahe me post te*. 2. cum subditur: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Continuetur ergo sic. Domine Iesu Christe, video, quod ex me non possum ad te venire, nec tuam dulcedinem gustare, ideò tuum auxilium implorans rogo; *Trahe me post te*. Nam secùndum quòd Christus dicebat Io. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum*; & quia indiuisa sunt opera Trinitatis, vt dicit Aug. p. de Trinit. c. 3. & Damascen. lib. 3. c. 18. ideò si nullus accedit ad Christum sponsum, nisi Pater eum trahat: ita nullus accedit ad Christum sponsum, nisi Christus eum trahat. Bene ergo dicit sponsa, idest Ecclesia, sponso suo Christo: *Trahe me post te*. Deinde cum dicit: *Curremus in odorem*, sponsa confitetur, auxilium Christi esse suaue, & validum. Continuatur autem sic. Non ad insipientiam dico, *Trahe me post te*: quia tuus tractus est suauis, & validus. Quia si tu me traxeris, non solum mouebor qualitercunque, sed etiam curram *in odorem vnguentorum tuorum*: idest velocitèr mouebor, dummodo possim suauiter odorare virtutem, & dona tua. Notandum autem quod cum sponsa dicit, se cursuram ad tractum Christi, confitetur eius tractum non esse violentum, sed suauem; nam currere est voluntate moueri. Rursum confitetur, talem tractum esse fortem, quia in cursu notatur velocitas motus, quæ sine magna virtute esse non potest. Nec mirum, si Christus trahit suauiter, & fortiter, quia *Christus est Dei virtus, & Dei sapientia*, secundum Apost. 1. ad Corinth. 1. *& Sapientia*, vt legitur Sap. 8. *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*. Et notandum, quod sponsa, cum postulat se trahi, nominat se in singulari, dicens; *Trahe me post te*. Cum dicit huiusmodi tractui se obedire, nominat se in plurali, dicens: *Curremus* &c. cuius ratio est, quia Deus, quantum est de se, vno modo trahit, quia secundum Dionys. 4. de diu. nomin. sicut Sol non ratiocinans, neque præeligens immittit radios suos sensibiles; sic Deus immittit radios suos intelligibiles. Non tamen trahimur vno modo, quia licèt Deus vno modo se habeat ad omnia, non tamen se habent omnia vniformiter ad ipsum, quia eadem influentia diuersimodè recipitur in creaturis. Quomodo autem intelligendum sit dictum Dionysii, & quomodo Deus se habeat ad omnia vniformiter,[a] alibi declarauimus. E p p. 47. a. 1. Deinde cum dicit: *introduxit me Rex*, ponitur, quomodo sponsus exaudiat petitiones suæ sponsæ. Et circa hoc sponsa tria ostendit. Quia primo dicit, se ad dulcedinem, quam petierat, esse introductam: secundò bonum, quod desiderauerat, gaudet se esse adeptam: tertiò fatetur, se circa illud bonum non esse deceptam. Primum, cum dicitur: *introduxit me Rex in cellaria sua*. Secundum, cum annectitur: *Exultabimus, & lætabimur in te*. Tertium, cum subinfertur: *Memores vberum tuorum super vinum. Recti diligunt te*. Continuatur autem sic. Non in vanum petij diuinum auxilium, quia sponsus meus, qui est Christus, *Rex Regum, & Dominus dominantium*, respiciens humilem petitionem meam, *introduxit me in cellaria sua*; idest in dulcedinem suam, dando mihi gratiam suam. Dicitur autem gratia cellaria in plurali, quia ab ea fluunt, & deriuantur singulæ virtutes spirituales, perfi-

T p.2.110 3. cientes diuersas potentias,[T] & secūdum diuersas virtutes diuersarum potentiarum diuersimodè lætamur, & gaudemus in Domino: Et perfecti secundùm tales virtutes deriuatas à gratia, quodammodo potamus vina spiritualis lætitiæ de diuersis cellarijs. Deinde cum dicit: *Letabimur* &c. ostendit sponsam bonum, quod desiderabat, scilicet ipsum Deum, esse adeptam. Nam secundùm modum intelligendi, priùs perficimur secundùm gratiam diuinam, & postea perfecti per gratiam, adipiscimur ipsum, ad quem gratia nos ordinat; ideò introducti per gratiam in spiritualem lætitiam, *exultabimus, & lætabimur in te.* Notandum autem, quod vniuersaliter omnes homines appetunt beatitudinem: diuersificant autem in particulari; quia quidam ponunt felicitatem in venereis,[Y] quidam in diuitijs, & Y p.2.q.2 sic de alijs, in quibus non est vera beatitudo, quia non delectatur in ipso summo, & vero bono, sed in quadam participatione eius, in quantum omnia participant de pleno bono. Gratia verò diuina facit nos ponere felicitatem in summo, & vero bono, & non in alio; ideò signanter dicit; *Exultabimus, & lætabimur in te*, qui es summum, & verum bonum. Deinde cum dicit; *Memores vberum tuorum*, ostendit, se circa bonum, quod desiderauerat, non esse deceptam. Ad cuius euidentiam notandum, hanc esse differentiam inter sensibilia, & intellectualia bona, quòd sensibilia bona antequam habeantur, reputantur magna, habita autem vilescunt, vt potest haberi ab Aug. in lib. de doctr. Christ. & à Philos. in p. Ethic. propter quod quilibet inuenit se deceptum, cum adipiscitur sensibilia bona, quia non reputat ea tanta bona posteaquam habet, quanta credebat. Sed in intellectualibus bonis non sic se habet, quia habita, maiora reputantur, & potissima, & præcipuè summum bonum, quod Deus est. Causa autem, quare bona sensibilia per modicum tempus delectant, & quòd non inueniuntur tanta bona, sicut credebantur, assignari potest, quia huiusmodi bona non sunt delectabilia secundum se, & quòd delectent, hoc est ratione habentium appetitum corruptum; quia vnusquisque est talis, qualis finis videtur ei; vt dicitur in 3. Ethic. Et quia huiusmodi appetitus sequitur naturam vt transmutabilem, ideò facta mutatione in natura, quæ priùs erant delectabilia, postea non sunt. Vnde dicit Philos. p. Rhetoric. in tract. de disceptatione, quod transmutare est delectabile, quia in ipsa natura fit transmutatio. In bonis autem Dei, vel diuinis non sic se habet: nam talia bona secundum se sunt appetibilia, & ideò delectabilia secundum se, quia ea desideramus secundum illud, quod in nobis est supremum, & optimum. Vnde etiam desiderando ea, distrahimur ab huiusmodi varietatibus; propter quod talia adepta, nunquam habentur in fastidio, immò semper inueniuntur esse maiora bona, quàm crederentur ante, Continuetur ergo sic littera. Nos *memores vberum tuorum*, idest memores quod diximus de vberibus, quòd sunt meliora vino, non sumus decepti circa talem sententiam, quia *recti*, idest illi, qui rectè sapiunt, *diligunt te super vinum*. Vnde poterat dicere ista sponsa, postquam introducta erat in cellaria sponsi, & gustauerat dulcedinem eius, id quod dixit Regina Saba Regi Salomoni: quæ, vt habetur 2. Paralip. 9. cum audisset famam Salomonis, venit tentare eum, & cum locuta est ei quæcumque erant in corde suo; postquam exposuit ei Salomon omnia, quæ proposuerat, nec fuit verbum, quod posset Regem latere, videns sapientiam Salomonis, non erat præ stupore in ea spiritus: dixitque Regi: Verus est sermo, quem audieram in terra mea de virtutibus tuis. Notandum autem, quod sponsa priùs loquitur in singulari, dicens: *introduxit me*; postea in plurali, cum subdit: *exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum*, &c. Propter quod, eandem causam attingit, quam supra assignauimus. Potest tamen alia causa assignari, quia sponsa, quæ vnum petijt, multis modis, & multis communicatum, & communicandum inuenit; in quibus, & pro quibus gaudens dicit: *exultabimus, & lætabimur in te.*

Nigra sum, sed formosa. Postquam posita sunt desideria sponsæ, secundùm quæ desiderabat adipisci diuinam dulcedinem, siue diuina bona, hic ponuntur desideria eius, secundum quæ desiderabat fugere tribulationes, & mala. Ad intelligentiam autem dicendorum notandum, sponsam Christi esse Ecclesiam. Ecclesia autem dupliciter potest accipi. Primò pro tota aggregatione fidelium: secundò pro ipsis Prælatis. Quia quando aliquod nomen conuenit toti congregationi, tale nomen dicitur de superiori parte totius: sicut videmus, quòd hoc nomen, homo, est nomen totius coniuncti; quia tamen intellectiua pars in homine est superior, nuncupamus hominem etiam illam partem superiorem, quæ dicitur intellectiua, quia quæ facit homo secundum intellectum, dicitur facere per se ipsum. Propter quod Philos. in 9. Ethic. dicit,[X] homi- X p.p.75. 5. nem esse magis intellectum, quàm sensum. Sic etiam quia nomen Ecclesiæ dicitur de tota congregatione fidelium, Prælati, qui supremum gradum in Ecclesia tenent, dicuntur Ecclesia: & quod Prælati faciunt, dicitur Ecclesia facere, & Dominus de eo, qui noluit audire vnum, aut duos, aut tres, Matth. 18. ait; *Dic Ecclesiæ*, idest Prælato, secundum vnum modum exponendi. Sic ergo accipiendo Ecclesiam pro ipsis Prælatis, melius poterimus continuare seriem litteræ. Hoc viso, sciendum est, prælatos propter curam, quam habent, dupliciter turbari: Primò exteriùs propter illatas tribulationes: secundo interiùs per turbationes, quia interiores tribulationes aliquando mentem in tantum distrahunt, quod si post tribulationem quis ad mentem velit regredi, inueniat se non posse percipere illam dulcedinem, quam priùs perceperat. Salomon ergo in narrando ibi tribulationes Ecclesiæ, idest Prælatorum, duo facit. Quia primò exteriores tribulationes narrat: secundò interiores distractiones: ibi, *In lectulo meo quæsiui quem diligit anima mea*, in principio 3. Cap. Propter primum notandum, quod Ecclesia primitiua, de qua nunc agitur, vt patet ex textu, habebat quatuor genera tribulationum; & quantum ad duo conueniebat cùm Ecclesia moderna, quantum ad alia duo differebat. Nam Ecclesia moderna, siue Prælati temporis huius dupliciter turbantur: primò ex administratione filiorum, administrantes enim non facile est sine turbatione esse, vt habetur 2. Corinth.

11. Turbantur etiam ex insidiatione hæreticorum, quia adhuc hodie regnant multi falsi Christiani. Has autem duas tribulationes habebat primitiua Ecclesia. Nam Prælati tunc temporis habebant curam subditorum, & hæretici insidiabantur eis. Habebat etiam illa Ecclesia duo genera turbationum, quæ non habet ista; quia tunc temporis communiter Christiani, & maximè Prælati, impugnabantur à Iudæis, & gentibus, à quibus non impugnantur modo: non enim impugnantur à gentibus, quia plenitudo gentium iam intrauit Ecclesiam: nec impugnantur à Iudæis, quia non sunt illius authoritatis super Christianos, cuius erant tunc. Duo ergo facit Salomon: quia primò narrat turbationes primitiuæ Ecclesiæ, in quibus differebat ab ista: secundò illas etiam, in quibus conueniebat cum ista. Et hoc in principio secundi Cap. *Ego flos campi*. Prima pars diuiditur in duas partes; quia primò narrat sponsa huiusmodi turbationem: secundò petit Christi subuentionem, ibi: *Indica mihi, quem diligit anima mea*. Turbatio autem, quam habuit primitiua Ecclesia, differens à moderna, erat stimulatio gentium, & impugnatio Iudæorum, Ideò circa primum duo facit: quia primò instruitur Ecclesia, quomodo turbabatur ex gentilium stimulatione: secundò quomodo impugnabatur ex Iudæorum vexatione, ibi: *filij matris meæ*. Prima pars diuiditur in duas: quia primò ponitur gentilium impugnatio; secundò ex illa impugnatione subinfertur filiorum instructio, ibi: *Nolite me considerare*. Propter primum modum, notandum, quòd impugnatio Ecclesiæ facit ad eius pulchritudinem: ideò Ecclesia narrando turbationem, quam patiebatur à gentilibus, narrat etiam pulchritudinem suam. Continuetur ergo sic littera. O filiæ Ierusalem quarum curam habere debeo: Ego Ecclesia Mater vestra, *sum nigra sicut tabernacula Cedar; sed sum formosa sicut pelles Salomonis*. Cedar fuit secundus filius Ismaelis, vt dicitur Genes. 25. & fuit profugus super terram, sicut Ismael pater suus, cui dictum fuerat: *Manus tua contra omnes, & manus omnium contra te*. Ideò Cedar quasi habitus odio ab omnibus gentibus non morabatur inter gentes, sed morabatur extra in tentorijs, cuius tabernacula ratione pluuiæ denigrata erant. Sic Ecclesia despecta à gentilibus inter eos absque turbatione manere non poterat, vt glossa videtur tangere: in quo notatur turbatio, quam Ecclesia primitiua patiebatur à gentibus. Et licèt sic essem nigra propter turbationes illatas exteriùs, attamen interiùs formosa sum *sicut pelles Salomonis*, quæ fuerunt rubricatæ, ex quibus fecit tabernaculum, sicut glossa tangit, vel ex quibus texuit arcam Domini: in quo notatur formositas secundum charitatem. Deinde cum dicit; *Nolite me considerare* &c. postquam Ecclesia narrauit turbationem suam, nunc ex turbatione illata conuertit se ad instruendum filios suos, & confirmandum eos, dicens: ò filiæ Ierusalem *nolite me considerare, quod fusca sim, quia Sol*, idest Christus, *decolorauit me*, idest denigrauit me. Dicitur autem Christus denigrasse Ecclesiam primitiuam, quia fuit causa finalis suæ denigrationis, in quantum propter Christum dicitur denigrata, sentiendo turbationes illatas à gentibus. Intendit ergo Ecclesia instruere filios suos per talem rationem: quia intentio, & consideratio principalis non est ponenda in ijs, quæ sunt ad finem, sed in ipso fine: sed turbationes mundi sunt ea, per quæ venimus ad Christũ, Christus autẽ est finis noster; Cum ergo turbamur propter Christum, non debemus considerare, nec curare de ipsis turbationibus, sed tota intentio nostra debet poni in Christo, propter quem talia sustinemus. Deinde cum sequitur: *filij matris meæ* &c. ponitur illa pars, in qua, postquam Ecclesia narrauit turbationes gentium, narrat stimulationes Iudæorum Ad cuius euidentiam notandum est, quòd Iudæi persequendo Apostolos, & Christianos, qui erant in Ierusalem, fecerunt; quòd dicti Christiani conuerterent se ad gentes, iuxta illud Act. 13. *Ecce conuertimur ad gentes*; & conuertendo se ad gentes facti fuerunt custodes vinearum, idest gentium: propter quod saltem occasionaliter Iudæi Ecclesiam primitiuam custodem fecerunt in vineis gentium, expellendo eam de Ierusalem: propter quod Apostoli custodiendo gentes non custodierunt Ierusalem, quæ erat quasi vinea propria ipsorum. In numerando ergo Ecclesia turbationes Iudæorum, tria tangit. Primò narrat personas impugnantes eam, cum dicit: *Filij matris meæ*, idest Iudæi, *pugnauerunt contra me*: fuit enim synagoga quasi mater nostra, quia ab ea aliquo modo processit Ecclesia. Et quia Iudæi erant filij Synagogæ, ideò Ecclesia vocat eos filios matris suæ. Secũdò ponit turbationis excessum, cum subdit; *Posuerunt me custodem in vineis*: quia tantus fuit excessus turbationis, quòd Christiani non valentes stare in Ierusalem, conuerterunt se ad gẽtes, quarum facti sunt custodes. Tertiò ponit impugnationis effectum, cum subinfertur; *Vineam meam non custodiui*; quia ex hoc secutum est, vt relinquerent Ierusalem. Deinde cum dicit: *Indica mihi* &c. videns Ecclesia se habere tot turbationes, petit Christi auxilium, & subuentionem. Et diuiditur in partes duas: quia primò sponsæ petitio ponitur, siue quæstio: secundò subiungitur quæsiti ratio, ibi; *ne vagari incipiam* &c. Continuetur ergo sic. O mi sponse Domine Iesu Christe, *quem diligit anima mea*, tu vides me tot tribulationibus circumuentam; & quia sine te non possum eas fugere, ergo *indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie*. Volebat Ecclesia scire domum Christi, quia domus est, in qua pascimur, & requiescimus, & sciebat, Christum non esse vagabundum: immò quicumque ad domum suam iret, vt eum quæreret, & ad eum recurreret in suis tribulationibus, sciebat quòd eum semper inueniret paratum, & promptum, ideò dixit: *Indica mihi, vbi cubes in meridie* &c. Homines cubant in nocte; Christus autem in meridie cubat, & in plena luce, quia ipse est Deus verus, *& vera lux, & in eo tenebræ non sunt vlla*. Deinde cum dicit; *ne vagari incipiam* &c. assignat rationem quæsiti: nam ideò Ecclesia in suis tribulationibus recurrit ad Christum, ne vagari incipiat. Et ponit sodales Christi. Dicuntur autem sodales Christi hæretici, qui nolunt esse imitatores, sed socij, & sodales ipsius, in quantum propria docere cupiunt, & esse magistri, vt Christus fuit. Deinde cum dicit: *Si ignoras te* &c. ponitur Christi responsio. Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd sponsa increpanda erat dupliciter: primò quæstione, quam

fecerat, cum dixit: *Indica mihi, vbi pascas*; videbatur enim velle quærere Deum absentem, nam in se ipsa debebat eum quærere: quantùm etiam ad quæstionem, quam fecerat, increpanda erat de ignorantia: sed quantùm ad quæstionis rationem quodammodo increpanda erat de diffidentia; videbatur enim dubitare, ne Christus semper esset præsens, eam adjuuans, cum dicebat; *Ne vagari incipiam*. Diuiditur ergo hæc pars in duas: quia primò Christus increpat sponsam de ignorantia: secundò ne diffidat, narrat quæ mala eam sequerentur ex tali ignorantia. *Egredere, & abi*. Dicit ergo; *O pulcherrima inter omnes mulieres*, ideò quæris me absentem, & dicis, *vbi pascas, vbi cubes, si*, idest quia *ignoras te*; nam si te cognosceres, quæreres me in te ipsa. In tantùm quòd nominat Ecclesiam pulcherrimam, quia Deus quærendus est in anima, vt anima est imago eius. Et quia de tali ignorantia eam increpat, ideò appellat eam pulcherrimam, quia vt est imago Dei, pulcherrima est. Consequenter cum dicit: *Egredere, & abi*, narrat mala, quæ sequentur ipsam ex tali ignorantia: & dicit duo. Primum est cæcitas intellectus, secundum malitia affectus. Continuatur sic, Quia tu *pulcherrima inter mulieres sic te ignoras, egredere, & abi*, idest egredietis, & abibis, *post vestigia gregum*, idest dogmata, & exempla hæreticorum: nam de illis gregibus nunc loquitur, de quibus supra dixerat: *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, idest post hæreticos, vt dictum fuit: in quo notatur ignorantia intellectus. *Et pasce*, idest pasces, *hædos tuos*, idest carnalia desideria tua adimplebis.[H] Nam hœdus est animal fœtidum, in quo notantur carnales motus. Et hoc *iuxta tabernacula pastorum*, quia tu ibis post carnalia desideria, sicut & alij carnales vadunt, qui intelliguntur per pastores hœdorum. Deinde cum dicit: *Equitatui meo* &c. quia sponsa videbatur diffidere; ne diffidat, sed plenè confidat de Christo, narrat beneficia, quæ ei contulit. Et circa hoc duo facit. Primò narrat beneficium, quod ei contulit respectu inimicorum, quos suppeditauit: secundò beneficia, quæ ei contulit respectu maiorum bonorum, quæ acquisiuit, ibi: *Pulchræ sunt genæ tuæ*. Continuatur sic. O amica mea non diffidas, quia ego *assimilaui te equitatui meo*, idest populo Israelitico, qui fuit meus populus peculiaris, quem tanquam equum possidebam, & regebam. Illi ergo populo te assimilaui *in curribus Pharaonis*, quia sicut currus Pharaonis, & equites eius submersi sunt in mari rubro, vt habetur Exod. 14. ita dæmones te infestantes, qui intelliguntur per currus Pharaonis, ego conculcabo, & deprimam. Deinde cum dicit; *Pulchræ sunt genæ tuæ*, tangit bona, quæ ei contulit, cum quibus ad maiora proficere potuit; & enumerat tria bona maximè necessaria, quæ ei contulit. Primò Charitatem, secundo fidem, ibi: *Collum tuum*; tertiò spem, ibi: *Murænulas aureas*. Continuatur sic. Non solum de me debes confidere, quia tuos depressi inimicos, sed etiam quia contuli tibi multa bona ad merendum; dedi enim tibi virtutem Charitatis, qua me authorem, & factorem diligeres, de qua dicit; *Pulchræ sunt genæ tuæ*, idest affectiones tuæ, *sicut turturis*. Turtur est animal dilectiuum, & postquam perdidit socium, alium renuit; in quo notatur ardor Charitatis. Deinde cum dicitur *Collum tuum* &c. ostendit, quòd ei contulit fidem. Et continuatur sic. Non solùm dedi Charitatem, qua feci, quòd genæ tuæ essent sicut turturis; sed etiam contuli tibi fidem, qua feci, quòd *collum tuum*, idest fides tua, per quam mihi Capiti iungeris, sicut per collum caput iungitur corpori, esset *sicut monilia*, idest ornamentum non habens exteriorem amictum, quia purum, & solum Deum tenes in pectore. Deinde cum dicit, *Murænulas aureas*, ostendit, quòd ei contulit spem. Spes autem est respectu præmij æterni: huiusmodi autem præmium est duplex, videlicet essentiale, nimirum de bono increato, & accidentale, scilicet de bono creato. Et vtrumque tangit, dicens: *Nos faciemus tibi murænulas aureas*, idest infundemus tibi spem respectu præmij essentialis: nam præmium essentiale communi nomine dicitur Aurea,[I] sicut accidentale dicitur Aureola: huiusmodi Aurea, siue præmium essentiale dicitur murænula, quæ est catenula coniungens, ornamentum colli, intus diuersis coloribus colorata. Ergo præmium essentiale est vnus Deus. Attamen secundum diuersitatem meritorum de illo vno Deo non omnes habebunt par gaudium: quod declarat Dominus: Io. 13. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Huiusmodi autem murænula aurea erit *vermiculata argento*, propter additionem præmij accidentalis, quia sicut argentum deficit ab auro, sic præmium accidentale deficit à substantiali. Dicitur autem huiusmodi præmium accidentale vermiculatum propter diuersitatem eius, quia non idem præmium accidentale habebunt omnes. Notandum autem, quòd signanter, cum loquitur de spe præmij, dicit, *Faciemus*, quia spes respicit futurum tempus. Deinde cum dicit; *Dum esset Rex*, ponitur correptio sponsæ. Et quia dupliciter erat increpata; scilicet de ignorantia, & de diffidentia; ideò duo facit. Primò enim ostendit sponsa, se non diffidere, sed confidere: vnde quasi correpta de diffidentia, confitetur beneficia sibi facta. Secundò quasi correpta de ignorantia, confitetur se non debere Deum quærere absentem, sed præsentem. Secunda ibi: *Lectulus noster floridus*. Propter primum notandum, quòd secundùm philosophum 1. Ethic. Differentia est inter correptionē, & correctionē,[L] quia correptio est gratia patientis, vt bonus fiat: sed correctio, siue castigatio est gratia facientis, vt ius seruetur: ideò cum aliquis corripitur, si propter correptiones melioratur, & acquiescit corripienti, debet commendari, & laudari, vt in correptione sua maneat. Diuiditur ergo pars ista in partes duas: quia primò quantùm ad diffidentiam, ponitur sponsæ correptio: Secundò, eius commendatio, ibi: *Ecce tu pulchra es amica mea*. Correptio autem sponsæ quantùm ad diffidentiam consistit in beneficiorum recognitione, quia cōfitetur auxilia sibi facta. Huiusmodi autem auxilia, vt dictum fuit, fuerunt quatuor, quæ de Christo notabiliter prædicantur. Nam oppressio inimicorum potest appropriari Incarnationi: licèt enim per passionem princeps huius mūdi sit eiectus foras, hoc non fuit, nisi quia homo ille, qui patiebatur, Deus erat: & quia in incarnatione Deus factus fuit homo, ideò inimicorū

[H] Matth. 25.

[I] 4. dist. 49. q. 5. 1.

[L] 4. dist. 19. q. 2. 1.

oppressio non incongruè incarnationi attribuitur. Donum autem charitatis potest appropriari Passioni, quia *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt ponat animam suam quis pro amicis suis*. Donum autem fidei potest appropriari resurrectioni, quia Christo passo omnes Apostoli titubauerunt: ipse verò resurgens confirmauit eos in fide. *Qui post passionem suam prabuit semetipsum viuum, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*, vt dicitur Actor. 1. Spes autem potest appropriari Ascensioni, & Missioni Spiritus sancti: quia Christus ascendens misit Ecclesiæ suę Spiritum sanctum, quem accipientes habent pignus hæreditatis æternæ, propter quod solidata fuit spes respectu præmiorum æternorum. Quatuor ergò facit sponsa, secundùm quod quatuor beneficia confitetur. Nam primò confitetur Incarnationem, per quam inimici deprimuntur. Secundò Passionem, qua charitas Christi ostenditur. Tertiò Resurrectionem, per quam fides nostra confirmatur. Quartò, & vltimò confitetur Spiritus sancti Missionem, per quam spes nostra roboratur. Secunda ibi: *Fasciculus myrrhæ*. Tertia ibi: *Botrus cypri*. Quarta ibi: *in vineis Engaddi*. Dicit ergo: *Dum esset Rex in accubitu suo*, idest in sinu Patris, in quo quiescit: *Nardus mea*, idest humilitas mea. Nardus enim est herba modica, & odorifera; & significat humilitatem: quæ dedit odorem, quando Filius respiciens humilitatem Ecclesiæ suæ,[a] incarnatus est. Deinde cum

[a] 3. p. q. 1. a. 5.

dicit, *Fasciculus myrrhæ*, confitetur passionem, dicens: Dilectus meus est mihi *fasciculus myrrhæ*. Myrrha secundū glossam est arbor Arabiæ, altitudinis cubitorum quinque, cuius gutta est viridis, & amara; vnde significat passionem Christi. Hæc autem passio fuit *fasciculus myrrhæ*. Fasciculus dicitur quid congregatum, & est nomen diminutiuum: sic Christus per passionem reputabatur diminutus. Isa. 53. *Non erat species ei, neque decor*, & sequitur; *Vnde nec reputauimus eum*. Rursum in eo fuit congregatio, idest amaritudinis, propter multas passiones, & opprobria, quæ sustinuit: & ad litteram, datum fuit ei in passione myrrhatum vinum. Et quia tantum bonum Christus contulit sponsæ, quòd voluit pro ea pati, & mori; ideò sponsa hoc recognoscens, subdit, quòd talis dilectus suus *inter vbera commorabitur*, idest inter intellectum, & affectum: quia nihil vult sapere, quod ei displiceat; & nihil vult amare, quod ipse abhorreat. Deinde cum dicit, *Botrus Cypri*, idest valdè dulcis, & suauis, & iucundus. Cyprus enim est quædam insula, cuius botri, siue vuæ faciunt optimum vinum. Et quia *Vinum lætificat cor hominis*, ideò hic intelligitur Resurrectio, quia *viso Domino* post resurrectionem *gauisi sunt discipuli*. Io. 20. Deinde cum dicit, *in vineis Engaddi*, confitetur Spiritus sancti missionem. Continuetur sic. Tu dilectus meus non solum es *botrus Cypri*, lætificans animam per resurrectionem; sed etiam es mihi botrus *in vineis Engaddi*, idest botrus balsami, quia secundùm glossam in Engaddi sunt arbores balsami crescentes in modum vinearum; vnde significat missionem Spiritus sancti, quia dona Spiritus sancti suscipimus per vnctionem Chrismatis, quod conficitur ex balsamo, & oleo. Deinde cum dicitur, *Ecce tu pulchra*, ponitur sponsæ commendatio. Et diuiditur in partes duas. Quia primò Christus sponsam commendat: & quia totum bonum nostrum a Christo est, sponsa hoc recognoscens, secundò hanc commendationem ad Christum refert, & ordinat, ibi: *Ecce tu pulcher es*. Continuetur sic. Omnis pulchritudo tua ex eo est, quod acquiescis monitionibus meis. Et dicit bis: *Ecce tu pulchra*, vt ostendat eam pulchram & interiùs, & exteriùs, in opere, & intentione, ideò subdit: *Oculi tui columbarum*. Duo enim oculi sunt opus, & intentio. Columba enim est animal fecundum, & simplex. Tunc enim habemus oculos columbatum, quando opus nostrum est fecundum ratione bonitatis, & intentio nostra est simplex ratione rectitudinis. Deinde cum dicit: *Ecce tu pulcher*, &c. ordinat sponsa pulchritudinem suam in Christum. Continuetur sic. Tu dilecte mi dixisti mihi: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra*: quia nihil habeo, quod non acceperim à te; ideò nolo gloriari, quasi non acceperim. Confiteor, quòd omnis pulchritudo mea est à pulchritudine tua. Illa ergo duplex pulchritudo, quam dixisti esse in me, perampliùs, & perfectiùs refertur in te; propter quod *dilecte mi, ecce tu pulcher es, & decorus*. Deinde cum dicit, *Lectulus noster floridus*, ostendit sponsa, se esse correptam de ignorantia, & confitetur se debere habere Deum præsentem, & non absentem. Quæsierat enim sponsa à Christo, vbi pasceretur, vbi cubaret; propter quod dupliciter ignorabat. ideò duo facit: quia primò confitetur, quòd pascitur in se ipsa: secundò quòd cubat in se ipsa, ibi; *Tigna domorum nostrarum*. Continuatur sic. Dilecte mi, ego quasi ignorans quærebam, vbi pasceres; modò cognosco, quòd pascetis in me ipsa. Nam tu pascis inter flores, iuxta illud, quod habetur infra: cap. 2. *Qui pascitur inter lilia*, siue flores; & quia *lectulus noster floridus est*; ideò in meo lecto, idest in mea mente, siue in mea conscientia pasceris. Deinde cum dicit, *Tigna domorum nostrarum*, confitetur, quod cubat in se ipsa. Nam requies Christi est, vbi sunt dona, & virtutes Spiritus sancti. Continuetur sic. Non solum, mi dilecte, confiteor, quod tu pasceris in me, quia *lectulus noster floridus*; sed etiam cubas in me, quia *Ligna domorum nostrarum*, idest mentis, & conscientiæ nostræ, siue potentiarum nostrarum sunt *cedrina*, propter virtutes Spiritus sancti; & *laquearia cypressina*, propter eius dona. Tigna enim domus dicuntur ligna erecta in capite coniuncta; & significant virtutes Spiritus sancti, quæ sunt in diuersis potentijs: Coniunguntur tamen in capite, in quantum fluunt à diuina gratia, quæ est in essentia animę,[b] in qua potentiæ radicantur. Huiusmodi autem virtutes dicuntur cedrinæ propter incorruptibilitatem. Laquearia autem dicuntur ligna coniungentia ipsa tigna: vnde immediatiùs laquearia adhęrent lateribus, ex quibus tegitur domus, quàm faciant ipsa tigna: propter quod dicta sunt laquearia; vnde significant dona Spiritus, secundùm quæ monemur à Spiritu sancto: nam secundùm tales motus virtutes in nobis stant magis firmæ. Huiusmodi verò laquearia sunt cypressina propter odorem, quia spargunt odorem vsque ad Spiritum sanctum.

[b] Sp. 1. 110 a 4.

CAPVT II.

1 EGo flos campi, & lilium conuallium. 2 Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea
inter filias. 3 Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub
vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. 4
Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. 5 Fulcite me floribus, ſti-
pate me malis: quia amore langueo. 6 Læua eius ſub capite meo, & dextera illius am-
plexabitur me. 7 Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſque camporum,
ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit. 8 Vox dilecti mei,
ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles: 9 ſimilis eſt dilectus meus capreæ,
hinnuloque ceruorum: en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, pro-
ſpiciens per cancellos. 10 En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea,
columba mea, formoſa mea, & veni. 11 Iam enim hiems tranſijt, imber abijt, & re-
ceſſit. 12 Flores apparuerunt in terra noſtra: tempus putationis aduenit: vox turturis
audita eſt in terra noſtra. 13 ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odo-
rem ſuum. Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, 14 columba mea in foraminibus
petræ, in cauerna maceriæ: oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis:
vox enim tua dulcis, & facies tua decora: 15 Capite nobis vulpes paruulas, quæ de-
moliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit. 16 Dilectus meus mihi, & ego illi, qui
paſcitur inter lilia 17 donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere: ſimilis eſto,
dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether.

EGo flos campi, &c. Poſtquàm deſcriptæ ſunt turbationes, quas patiebatur Eccleſia primitiua, vt differebat à moderna, hic narrat turbationes, quas patiebatur, vt conueniebat cum ea. Huiuſmodi autem turbationes ſunt duæ, ſcilicet adminiſtratio filiorum, & inſidiatio hæreticorum. Diuiditur autem pars iſta in duas partes; quia primò ponitur inuitatio Chriſti, ſecundùm quod inuitat Eccleſiam ad flores producendum, ſiue procurandum: & ad hæreticos capiendum. Secundò ponitur famulatio ſponſæ, quæ eſt prompta ad Chriſto obediendum, ibi: *Dilectus meus mihi*. Prima diuiditur in duas partes; quia in prima Chriſtus inuitat Eccleſiam, vt procuret filios: ſecundò vt capiat hæreticos, ibi; *Capite vobis vulpeculas*. Prima in duas: quia primò inuitat Eccleſiam ad officium ſuſcipiendum: Secundò ad officium exequendum, ibi: *Vox dilecti mei*. Propter primum. Notandum, quod primò Chriſtus inuitat Eccleſiam ad miniſtrandum filijs, & habendam curam de eis. Secundò videns ſponſa, quòd non eſt bonum repellere monitionem ſui ſponſi, non reſpondet ſponſo, innuens ſe aſſentire monitionibus eius: ſed conuertit ſe ad filios, declarans quomodo intelligendum ſit ſuſceptum officium, ibi: *ſicut malus*. Tertiò Chriſtus huiuſmodi declarationem confirmat, ibi: *Adiuro vos*, &c. Prima pars diuiditur in partes tres, ſecundùm quod tripliciter inuitat Eccleſiam, vt miniſtret filijs, & eorum curam habeat. Nam primò inuitat Eccleſiam ratione exempli: ſecundò ratione præmij, ibi: *& lilium*: Tertiò ratione meriti, ibi: *ſicut lilium inter ſpinas*. Continuatur ſic. Tu amica mea turbaris per gentiles, *quia nigra es, ſicut tabernacula Cedar*: turbaris etiam per Iudæos, quia *Filij matris tuæ pugnauerunt contra te*. Sed vltra hoc oportet te tribulationes ſuſtinere propter adminiſtrationem filiorum, ad quod debes induci exemplo meo, quia ego ſum *flos campi*: non enim ſum flos anguli, ſed in campo exiſtens *poſui animam meam pro ouibus meis*: Sic & tu exemplo meo debes hoc facere. Deinde cum dicit, *& lilium conuallium*, oſtendit hoc idē ratione præmij. Continuatur ſic. Non ſolùm amica mea debes ponere animam tuam pro filijs tuis, habendo curam de eis, vt ſis *flos campi*, ſicut ego; ſed debes etiam hoc facere conſiderando, quia ego ſum *lilium conuallium*, ſiue decor, & præmium humilium. Ideò ſi te humiliaueris ad hoc faciendum, habebis à me mercedem, & premium. Deinde cū dicit, *ſicut lilium inter ſpinas*, oſtendit hoc idem ratione meriti. Eſt enim modus loquendi, quòd ſi aliquis vellet habere aliquem in amicum, & diceret eo audiente, ſi aliquis vult eſſe amicus meus, debet eſſe purus, ſicut aurum: ille autem ſi eſſet ſenſatus, iam intelligeret, quòd oporteret eum eſſe talem, ſi vellet eſſe amicus eius. Sic loquitur Chriſtus Eccleſiæ, cum ait: *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Ideò tu ſponſa ſi vis eſſe amica mea, oportet, quòd tu exponas te ſpinis, ideſt tribulationibus propter filios tuos, atque pungaris, ſiue affligaris propter huiuſmodi ſpinas, quia per hoc mereberis: in quo inuitat eam ad ſuſcipiendum officium ratione meriti. Deinde cum dicit: *ſicut malus inter ligna*, declarat Eccleſia filijs ſuis, qualiter habere ſe debeant in ſuſcepto officio. Vult enim oſtendere, quòd prius debet intendere ſibi, poſtea alijs. Et hoc oſtendit duplici ratione. Primò ex differentia vitæ actiuæ à contemplatiua: ſecundò ex ordine charitatis. Prima ratio talis eſt: Vita contemplatiua melior eſt, quàm vita actiua.[a] iuxta illud Domini, qui dixit, Mariam elegiſſe optimam partem. Luc. 10. quia elegerat vitam contemplatiuam, ſed ad maius bonum prius eſt intendendū: cum ergo Prælatus per vitam contemplatiuam magis intendat ſibi; per vitam verò actiuam magis videatur intendere ſocijs, prius debet inten- E 2.2:181 a.1.

dere

dere sibi, quàm socijs subditis. Secunda ratio sumitur ex ordine charitatis. Nam charitas ordinatè fertur in bonum: & quia quodlibet bonũ magis seruatur vbi est secundùm totum, quàm vbi est secundùm partem: ideò bonum nostrum magis seruatur in Deo, vbi est secundùm totum, quàm vbi est secundùm partem. Iterum. Quælibet res magis seruatur in se, quàm in suo simili; ideò magis debemus diligere Deum, quàm nos ipsos, & nos, quàm proximum. [F] Ergo Prælatus ex ordine charitatis priùs diligere debet, & intendere bonum sibi, quàm subditis. In ponendo autem istas rationes sic procedit, quia 1. proponit media, siue virtutes rationum. Secundò ipsis medijs arguit, ibi: *fulcite me floribus*. Prima pars diuiditur in duas partes, secundùm quod duo media proponit. Nam primò ponit medium ex dulcedine contemplationis: secundò ex ordine charitatis, ibi; *introduxit me Rex*. Est ergo medium primum, quòd sponsus est summè bonus: & quia ipsa *sedit sub vmbra illius*, scilicet sponsi sui, & gustauit de fructu eius, in quo sensit magnam dulcedinem; ideò ait: quod *sicut malus inter ligna syluarum*, idest syluestria; non quòd ipse sit syluestris, sed comparatione, sicut omnia sunt arida, & ipse solus viridis: sic omnia ligna sunt syluestria, & ipse solus domesticus, & summè bonus, & delectabilis, & desiderabilis. *Sic dilectus meus inter filios*, idest inter alios iustos est summè desiderabilis, quia cuncti sancti sunt quasi alieni à Deo in comparatione ad Christũ, quia non sunt filij naturales, vt ipse. Et quia talis est sponsus suus, ideò subdit: quòd *sub vmbra illius*, idest sponsi mei, quam vmbram desiderabam, *sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo*. Tunc enim verè sedemus sub vmbra Christi quando ardor libidinis nos non vrit. Et tunc fructus eius est dulcis gutturi nostro, quando relinquentes terrena, delectamur diuina gratia. Deinde cum dicit: *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, ponit secundùm medium ex ordine charitatis, dicens. *Rex*, idest Christus, *introduxit me in cellam vinariam*, idest in vbertatem spiritualis lætitiæ, quæ designatur per vinum: *& ordinauit in me charitatem*, idest contulit mihi charitatem ordinatam. Deinde cum dicit: *fulcite me floribus*, arguit ex medijs supradictis, quòd priùs debet Prælatus intendere sibi, quàm alijs. Et duo facit, secundùm quòd fuerunt media assignata. Primò ergò arguit ex primo medio; secundò ex secundo, ibi *Læua eius*, &c. Continuatur sic. Dictum fuit enim, quod dulcedo dilecti mei est valdè suauis, & ideò primò quærenda. Propter quòd, ò filiæ Ierusalem, antequam ego intendam vobis, *Fulcite me floribus, stipate me malis*, idest permittite, me esse fulcitam floribus, non impediendo delectationem meam, quam habeo de Christo, qui est flos. Et permittatis, me esse stipatam malis, non impediendo dulcedinem meam, quam habeo de dilecto meo, qui est malus. Et subdit causam: *quia amore langueo*. Notandum autem, quòd superiùs Christus nominatus est à singulari *flos*, & *malus*: hæc autem in plurali nominat ipsum, dicens; *Fulcite me floribus, stipate me malis*; quia bonitas, & dulcedo in Christo est vnica: cum autem deriuatur ad nos, multiplicatur, & diuersificatur secundùm diuersa dona gratiarum. Item notandũ, quòd aliquid dicitur quis facere ex eo quòd permittit illud, vel non impedit fieri: & isto modo loquitur Ecclesia filijs suis, quòd ornent eam floribus, & stipent eam malis, idest stipitibus malorum eam circundent, quia petit ab eis, quòd eam sic stipatam, & fulcitam permittant, non impediendo ipsam: cum ex suauitate odoris, siue ex dulcedine contemplationis debeat priùs intendere sibi, quàm alijs filijs. Deinde cum dicit: *Læua eius sub capite meo*, arguit hoc idem ex secundo medio. Et continuatur sic. Sicut ex dulcedine contemplationis, sic ex ordine charitatis priùs debeo mihi intendere per vitam contemplatiuam, quàm vobis per vitam actiuam. Ergo *læua eius*, idest sinistra Christi, quæ denotat vitam actiuam [G], erit *sub capite meo*, idest secundariò intenta: *Et dextera illius*, idest vita contemplatiua, per quam intendo mihi, *amplexabitur me*, idest erit super caput meum; quia erit ad quod primò intendam mihi: & postea vobis. Deinde cum dicit: *Adiuro vos, filiæ Ierusalem*, ponitur confirmatio prædictæ declarationis. Sic enim declarauerat sponsa susceptum officium, quia volebat priùs intendere sibi, & habere dexteram Christi super se: & posteà volebat intendere filijs, & habere sinistram sub capite: & nolebat, quòd filij impedirent eam à dulcedine contemplationis. Ideò Christus volens hoc confirmare, ait: *ò filiæ Ierusalem*, quibus sponsa mea præest, *adiuro*, idest obsecro, & rogo: nam licèt possim præcipere, volo rogare, *Vos per capreas, ceruosque camporum*, idest propter Prælatos, siue propter Ecclesiam, qui sunt capreæ quæ subtiliter vident quod expediat subditis: & sunt cerui camporum, qui debent sollicitè currere ad subditorum defectũ. Propter huiusmodi Prælatos, propter sponsam meam rogo vos; *ne suscitetis, neque euigilare faciatis* ipsam *dilectam* à somno contemplationis, *donec ipsa velit*: quia priùs debet intendere per se, & pro se, dulcedini diuinæ, & postea actionibus vestris. *Vox dilecti mei*. Postquã sponsus inuitauit Ecclesiam ad officium suscipiendum, vt susciperet curam filiorum, in parte ista inuitat ipsam ad tale officium exequendum. Et circa hoc duò facit: quia primò Christus ad tale officium exequendum Ecclesiam inuitat: secundò huiusmodi officium declarat, ibi; *Surge amica mea*. Prima diuiditur in tres partes, secundum quòd Christus tripliciter inuitat Ecclesiam ad dictum officium exequendum: quia primò inuitat eam ex parte sua: secundò ex parte auditorum, ibi: *En dilectus meus*: tertiò ex parte auxiliorum, ibi: *Vox turturis*. Circa primum: notandum quòd Prælatus in exequendo officium sibi commissum, quantum ad præsentia, tria debet facere. Nam primò ad supplendum subditorum defectum debet velociter currere; secundò ad talem defectum cognoscendum perspicaciter, & ardenter intendere; tertiò debet suos subditos diligenter instruere. Et quia hæc omnia facit Christus, ideò Prælatus ex parte ipsius Christi, & exemplo ipsius motus, debet circa subditos suos sic se habere. Posset ergo sic formari ratio. Omnis Christi actio est Prelatorum instructio; & licèt sit instructio omnium Christianorum, est tamen potissimè instructio Prælatorum: Sed Christus ad subueniendum filijs velociter cucurrit; eorum defectum perspicaciter, & ardenter perspexit, &

[F] 2.2-26. 1.3.& 4.

[G] Matth. 10. ibi vnus ad dexteram.

eos

eos fideliter instruxit: Ergo & tu Ecclesia, tu sponsa mea, tu Prælate, qui per sponsam, & Ecclesiam designaris, debes hoc facere. De hac autem ratione non ponitur nisi medium: ideò diuiditur pars ista in partes tres, secundùm quòd medium trahit. Nam primò ostenditur, quòd Christus ad subueniendum nobis velociter cucurrit: secundò quòd defectus nostros perspicaciter, & ardenter respexit, ibi: *similis est dilectus meus*: tertiò quòd nos fideliter, & vtiliter instruxit, ibi: *en ipse stat*. Dicit ergo primò: *Vox dilecti mei*, supple, auditur in me: ipsa enim audiebat in se ipsam vocem dilecti sui, iuxta illud: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Ps. 84. Et quia locutio interior quædam visio dici potest, vt dicit Aug. 19. de Trin. ideò si sponsa in se ipsa loquentem audit dilectum suum, aliquo modo videbat ipsum. Et videns ipsum, admirata de velocitate eius, & de sollicitudine ipsius, dicebat: *Ecce venit saliens in montibus, transiliens colles*, idest Angelos, Patriarchas, Reges, Prophetas, de quorum semine descendit Christus: in quo notatur magna, & sollicita velocitas Christi ad subueniendum nobis: qui transiens Angelos venit in mundum, descendens ex semine Patriarcharum, Regum & Prophetarum, vt nostro defectui subueniret. Quare autem Angeli montes, Patriarchæ & Reges colles dici possint, de facili patet, si considerentur altitudines Angelorum, Patriarcharum, & Regum. Deinde cum dicit: *Similis est dilectus meus*, ostenditur quomodo Christus defectus nostros ardenter, & perspicaciter intuetur. Et continuatur sic. Non solum audiui dilectum meum loquentem in me, & audiendo ipsum, vidi, quòd transiliuit Angelos, Patriarchas, & Reges, & venit ad nos; sed etiam vidi, quòd *dilectus meus similis est capreæ*, defectus nostros subtiliter intuendo; quia secundùm glossam Caprea subtiliter videt. Rursum similis est *hinnulo ceruorum*, defectus nostros subtiliter considerando; hinnulus enim secundùm glossam agiliter currit. Vnde potest designari excellentia amoris Christi; Nam per amorem ferimur quocumque ferimur, iuxta illud Aug. 11. confessionum. *Pes meus amor meus: eo feror quocumque feror*. Et si multus sit amor, per ipsum agiliter, & velociter ferimur. Deinde cum dicit; *En ipse stat*, ostenditur, quòd Christus nos fideliter, & vtiliter instruxit. Vnde adhuc verba ista sunt verba sponsæ videntis, quòd Christus *stat post parietem nostrum*, idest post carnem nostram, paratus ad nos docendum fideliter, & vtiliter: Et stans post parietem nostrum, est *respiciens per fenestras prospiciens per cancellos*, idest per dicta prophetarum, exponendo nobis illa; sunt enim dicta prophetarum magis ænigmatica, quàm ea, quæ scribuntur in lege; ideò talia dicta designantur *per cancellos*: dicta verò legalia, quæ sunt magis aperta, designantur *per fenestras*. Et tunc est supplenda ratio. Quia tu sponsa, videns me dilectum sic fecisse, & habuisse diligentem curam filiorum, mei exemplo mota, debes diligenter exequi officium tibi commissum, & non solùm ex parte mea, sed ex parte auditorum. Et circa hoc duo facit; quia primò ponitur blanda Christi inuitatio: secundò subiungitur etiam inuitationis ratio, ibi; *Iam enim hyems transijt*. Dicit enim sponsa; *En dilectus meus loquitur mihi*; & ait: *surge, propera amica mea*, propter charitatem, *columba mea* propter simplicitatem, *formosa mea*, propter imaginis diuinæ dignitatem; *propera* scilicet, *& veni*; exequendo officium tibi commissum, habendo curam filiorum tuorum. Deinde cum dicit; *Iam enim hyems transijt*, ponit rationem adhuc ex parte auditorum, & intendit talem rationem. Quando materia est disposita, tunc est operandum, & tunc est inducenda in eam forma debita: sed auditores, & filij tui sunt nunc dispositi ad obediendum motionibus tuis, ergo debes surgere, & properare, & exequi officium tibi commissum circa eos. De ista ratione ponit solum medium, ostendens, auditores esse dispositos. Et duo facit, secundùm quòd dispositio dupliciter potest accipi, & attendi. Nam primò ostendit, auditores esse dispositos ex contrariorum amotione; secundò expositorum inductione, ibi: *Flores apparuerunt*. Continuatur sic. Bene dico, quòd debes surgere, & ministrare filijs tuis, quia *hyems iam transijt*, idest congelatio infidelitatis, quæ intelligitur per hyemem secundum glossam, recessit à filijs tuis: propter quod filij tui habent dispositum affectum ad obediendum: *imber abijt, & recessit*; idest malitia intemperantiæ, & voluptuositas abijt, & recessit: propter quod filij tui habent dispositum affectum ad obediendum doctrinæ tuæ. Per imbrem enim, qui est humidus, intelligitur voluptuositas: quia sicut humidum vndique currit, & non bene terminatur in termino proprio: sic voluptuosi secundū quamlibet passionem currunt, & non bene terminantur iudicio rationis, quòd debet esse eorū frænum, & terminus. Deinde cum dicit; *flores apparuerunt*; ostendit, Auditores esse dispositos ex parte conditionum propositarum. Et continuatur sic. Bene dico, quod tu debes surgere, quia auditores, & filij tui non solū non sunt indispositi, quia parati sunt ad dimittendum, vel etiā dimiserunt conditiones contrarias: sed videmus etiam iam apparere in eis conditiones conuenientes, & cōgruas; vnde *flores*, idest initia bonorum operum, vt exponit glossa, *apparuerunt in terra nostra*, idest in filijs nostris, quos quasi terram debemus arare, & colere. *Tempus putationis aduenit*: quia sunt in prompta dispositione ad gaudium, vel ad germinandum. Et notandum, quod nos Dominus filios suos appellat terram suam: quia quod vni ex minimis fit, sibi reputat fore factum. In quo eius magna benignitas designatur. Deinde cum dicit, *Vox turturis*, adducit rationem ex parte multorum auxiliorum. Intendit autem talem rationem. Tunc homo debet surgere ad operandum, quando videt sibi adesse multa auxilia, per quæ potest consequi quod intendit; Et quia tu sponsa mea habes multa auxilia, te auxiliantia ad ministrandum filijs tuis; ideò debes surgere, & ministrare eis, exequendo officium tibi commissum. De ista autem ratione ponit solum vim medij, notans auxilia, quæ habet Ecclesia. Et circa hoc tria facit, secundum quod talia auxilia tria sunt: videlicet auxilium diuinum, & humanum; humanum duplex, scilicet gentilium, & Iudæorum: quia aliqui ex Iudæis conuersi erant, & ad adiuuandum Ecclesiam parati erant; & aliqui conuersi erant de gentilibus, ad hoc idem parati,

ti. Primò ergo narrat auxilium diuinum, cum dicit: *Vox turturis*, idest vox Spiritus Sancti, vt glossa exponit, *audita est in terra nostra*: nam ipse Spiritus sanctus *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vt dicitur Rom. 8. Et quia tantù auxilium habes, ideò non debes pigritari ad surgendum. Secundò cum dicit: *Ficus protulit* &c. ostendit hoc idem ex parte auxilij iudæorum: & continuatur sic. Benedico, quòd tu debes surgere, quia *ficus*, idest synagoga, quæ consueuit esse ficus propter dulcedinem diuini cultus, *protulit grossos suos*, idest protulit ficus suas, quæ licèt non sint maturæ omnino, sed sint grossæ, tamen prompti sunt, & parati ad te auxiliandum. Potest etiam hoc legi aliter, sed non mutatur; exponendo, proferre, proijcere, & abijcere. Sic synagoga protulit, idest proiecit grossos suos, idest immaturitatè ficuum suarum, quia iā non habet aliquas ficus maturas promptas ad auxiliandum. Possunt enim dici grossus & grossi fructus, quia properant in ficu ante maturitatem. Deinde cum dicit: *Vineæ florentes* &c. ostendit tertiò hoc idem ex parte gentilium: nam Ecclesia debet surgere, & exequi officium sibi commissum, quia *vineæ florentes dederunt odorem suum*, idest quia iam aliqui ex eis parati sunt ad te iuuandum. Nulla ergo tibi remanet excusatio, quare tu non debeas surgere, & habere diligentem curam filiorum. Deinde cum dicit: *Surge amica mea* &c. declarat Christus Ecclesiæ huiusmodi officium exequendum. Et duo facit: quia primo ostendit, ad quid Ecclesia debeat exequi officium sibi commissum, & ad quid debeat inducere filios suos. Secundo ostendit, quomodo filios suos ad illud inducere debeat, ibi: *Ostende mihi faciem tuam*. Dicit ergo. *Tu amica mea*, propter charitatem, *speciosa mea* propter cordis simplicitatem, *surge, & veni in foraminibus petræ*, [M] idest in vulnerious Christi, quia secundum Apost. 1. Corint. 10. *Petra autem erat Christus*. Tunc enim venimus *in foraminibus petræ*, quando auditores inducimur ad considerationem passionis Christi. Debet etiam Ecclesia venire *in cauerna maceriæ*, quia debet filios suos inducere ad veritatem fidei. Nam secundum glossam, maceria, [N] est congeries lapidum compositorum in muro sine cæmento: Sic fides nostra articulos, & sententias continet sine cæmento rationis: & ideò causam colligate non potest: Attamen omnes articuli colligantur in vnum, quia vel pertinent ad diuinitatem, vel ad humanitatem Christi; & diuinitas, & humanitas plenè fuerunt in vna hypostasi Christi. Ideò singulariter dicit; *in cauerna maceriæ*. Nam cauerna significat locum imum, & cauum, quia humiliter debemus suscipere veritatem fidei, & captinare intellectum nostrum in obsequium Christi. Propter quòd apparet, ad quid debeat Ecclesia suscipere cu[illegible] filiorum: quia ad duo: primò vt inducat eos ad meditandam passionem Christi: de qua dicit Chrysost. in quodam sermone de passione Christi, quòd Crux Christi est philosophia Christianorum: vt sic recolendo acerbitatem passionis Christi, non vadāt post lasciuias suas in quo notatur bonitas affectus. Secūdò debet eos inducere ad veritatem fidei, ne vadant post errores suos. In quo notatur bonitas intellectus. Deinde cum dicit: *ostende mihi faciem tuam*; ostendit, quomodo Ecclesia, siue Prælatus possit inducere filios suos ad ea, quæ dicta sunt. Ad cuius euidentiam notandum, quòd Prælatus dupliciter debet inducere subditos suos ad bonum, exemplo scilicet, & verbo, iuxta illud Act. 1. *Cœpit Iesus facere, & docere*, & in quantùm Prælatus dat bonum exemplum subditis suis, inducit eos ad bonum, & ad bonitatem affectus, siue *ad foramina petræ*, quia inducit eos, vt considerent passionem Christi, & non vadant post affectiones malas. Sic faciebat Apostolus 1. ad Corinth. 11. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. In quantum verò prædicat eis, inducit eos ad veritatem fidei, siue *ad cauernas maceriæ*, quia ostendit eis, quid nam credendum. Nam e[illegible] si verbo inducitur quis ad bonos mores: hoc est, in quantùm prædicatio præsupponit bonam vitam prædicantis, quia vt dicit Greg. *Cuius vita despicitur, necesse est, vt eius prædicatio contemnatur*. Vnde apparet, quòd ea, quæ dicuntur, consonant eis, quæ prius dixerat. Dicit Dominus ipsi Ecclesiæ, vel Prelato; *Ostende mihi faciem tuam*, idest, ostende filijs meis, quos tibi commisi, faciem tuam, idest bonum exemplum de te, bene viuendo. Dicitur autem ipsum bonum exemplum facies, quia sicut facies est in aperto, ita bona opera Prælatorum debent esse in aperto, vt inducant filios suos ad bonum, iuxta illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est*. Et addit: *Sonet vox tua in auribus meis*, idest, Filij mei tibi commissi audiant vocem prædicationis tuæ. Quod enim Ecclesia facit filijs suis commissis sibi, Christus reputat sibi factum. Addit autem causam eius, quod dixerat, dicens: *Vox enim tua dulcis*, quando proponis filijs meis verbum: *& facies tua decora*, quando tribuis eis bonum exemplum. Deinde cum dicit; *Capite nobis vulpes*, inuitat Christus Ecclesiam ad hæreticos extirpandos; & quatuor tangit. Nam primò dicit hæreticos capiendos, cum ait; *Capite nobis vulpes*, propter fraudulentiam, quia latenter insidiantur doctrinæ sanæ. Secundò assignat tempus captionis, cum ait, *paruulas*, quia quando hæretici incipiunt pullulare, & sunt paruuli, tunc sunt capiendi, idest sunt conuincendi per doctrinam sanam: quia postquam cōfirmati sunt in errore suo, non ita de facili conuertuntur. Vel sunt capiendi ad litteram, [O] quia sunt tollendi de medio, ne Ecclesiam destruant. Et ideò tertiò subdit captionis rationem, cum ait: *Quæ demoliuntur vineas*. Nam propterea capiendi sunt propter damna, quæ inferunt, quia Ecclesiam destruunt. Quartò addit commoditatem damnificandi, cum subdit: *Nam vinea nostra floruit*. Est enim hæc causa, quare hæretici habent commoditatem ad damnificandum, quia *vinea*, idest Ecclesia, est in flore: quod potissime verificabatur in Ecclesia primitiua, de qua Sapiens loquitur. Potest etiam verificari adhuc quantum ad eos, qui non sunt in fide solidati. Deinde cum dicit: *Dilectus meus mihi*, &c. postquam posita est multiplex Christi inuitatio, hic, vt dicelatur, ponitur Ecclesiæ famulatio. Et diuiditur pars ista in tres partes: quia primò ponitur Ecclesiæ famulatio: secundò subditur famulationis ratio, ibi: *qui pascitur inter lilia*; terriò ne Ecclesia in tali famulatu possit deficere, implo-

ratur

[M] opusc. 60.a.19

[N] Ephes. 2.c.d. 5.

[O] 2. c. 11.a 3.

ratur ab ea Christi subuentio, ibi: *Reuertere dilecte mi, similis esto*, &c. Continnetur sic. *Dilectus meus mihi*, supple, loquitur, vt meis filijs administrem: & vt hæreticos capiam. *Et ego illi*, supple, sum parata obedire: in quo notatur eius famulatio. Deinde cum dicit: *qui pascitur inter lilia*, assignat rationem suæ famulationis. Est enim Christo obediendum, quia obedientes ei sunt lilia, habentes candorem munditiæ. Continuatur ergo sic. Ideò sponso meo obedire volo, quia ipse est, *qui pascitur inter lilia*, idest inter mundas mentes sibi famulantes: propter quod, vt munda sim, sêper ipsi obedire volo, quia ipse semper quoque *pascitur inter lilia*, idest inter mundas mentes famulantes: *donec inclinentur vmbræ*, idest donec cesset ænigmatica cognitio, quæ est in hac vita: *& aspiret*, idest illucescat, *dies*, scilicet æternitatis: in quo designat, quòd qui semper desiderat mundus esse, semper debet Christo obedire: nam (supple, semper) *pascitur inter lilia*, & diligit mundas mentes, quamdiù durat præsens vita. Multò magis hoc vult in futura vita, ita quod ly, *donec*, ibi teneatur inclusiuè, non exclusiuè. [p]Deinde cum dicit: *Reuertere, similis esto*, &c. implorat Ecclesia Christi auxilium, & subuentionem, vt ei possit assiduè famulari. Et continuatur sic. Tu dilecte mi, qui habitas *super montes Bethel*, idest super Angelos, Bethel enim interpretatur domus Dei, vel habitaculum Dei, vnde montes Bethel significant eos, qui in domo Dei tenent altum gradum. Tu autem dilecte mi, qui es super eos, *reuertere*, idest si per aliquam negligentiam contingat me à te diuertere, Tu tamen reuertere ad me, me adiuuando, vt ad te redeam, & tecum maneam. Et *similis esto capreæ*, quæ habeat acutum visum, nostros defectus misericorditer aspiciendo; etiam *esto similis hinnulo ceruorum*, qui mouetur agiliter: ita Tu meis defectibus, ne vltra procedant, succurre velociter.

p Apoc. 5. ibi *quadrupes* & c. 15. in fine

Hebraice *Bether* Hieronymus *Bethel*.

CAPVT III.

1 IN lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. 2 Surgam, & circuibo ciuitatem; per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. 3 Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? 4 Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. 5 Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. 6 Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?

IN *lectulo meo per noctem*, &c. Sicut dictum est supra, Ecclesia respectu filiorum dupliciter turbatur; primò quantùm ad exteriores turbationes; secundò quantùm ad interiores distractiones. Finita parte illa, vbi egit de exterioribus tribulationibus, nunc determinat de interioribus distractionibus. Et diuiditur pars ista in tres partes. Quia primò ponitur huiusmodi distractio. Secundò subiungitur Christi compassio, ibi: *Adiuro vos*. Tertiò imponitur finis illi tractatui, in quo determinatur de primitiua Ecclesia; vnde subinfertur dictæ Ecclesiæ commendatio, ibi: *Quæ est ista*, &c. Distractio autem Ecclesiæ, siue Prælati sic esse habet, quia ipsæ exteriores solicitudines, quibus curam filiorum gerit, ita eam occupant, quod quando vult redire ad conscientiam, multoties inuenit se deficere ab illa dulcedine, quam priùs habebat: vnde quærit in lectulo suo Christum, & non inuenitur; & quandocumque hoc contingit ei, debet surgere, & eum quærere *per vicos, & plateas ciuitatis*, idest per omnia desideria, & opera, quæ fecit, & quæ concupiuit, vtrum aliquid concupierit, vel egerit, quod Christo displicuerit, propter quod sentiat se distractum in conscientia. Et cum hoc agit, *vigiles ciuitatis*, idest vanæ cogitationes, inueniunt ipsum: quas debet pertransire, quia in talibus cogitationibus non inuenitur Christus. Et talibus pertransitis, ipse inuenit Christum. Et quia hæc se habent per ordinê, ideò pars ista diuiditur in partes quatuor: quia primò ponitur ad conscientiam reuersio. Secundò ponitur Christi inquisitio, ibi: *Surgam, & circuibo*. Tertiò vanarum cogitationum occurrentium occupatio, ibi: *Inuenerunt me vigiles*, &c. Quartò Christi inuentio, ibi: *Paululum cum pertransissem eos*, &c. Continuetur sic. Ego prælatus, vel Ecclesia, post administrationem, & vitam actiuam, volens redire ad dulcedinem contemplationis, *in lectulo meo*, idest in conscientia mea, *quæsiui per noctem*, idest tempore congruo, videlicet tempore silentij, cuiusmodi est tempus noctis, illum, *quem diligit anima mea*. *Quæsiui illum, & non inueni*, quia inueni me distractum, & perturbatum in conscientia mea, propter exteriores occupationes. In quo habetur ad conscientiam reuersio, quomodo Prælatus post actionem redire ad conscientiam, vt ibi Christum inueniat. Deinde cum dicit; *surgam, & circuibo*, &c. ponitur sponsæ inquisitio ad inueniendum. Et continuatur sic. Rediens ad conscientiam meam, quæsiui Christum, & non inueni; vnde vt eum inueniam, adhuc quæram. *Surgam, & circuibo ciuitatem*, idest per attentam considerationem perquiram conscientiam meam; & *per vicos, & plateas*, idest per omnia dicta, desiderata, & facta, quæ ego dixi, & concupiui, vtrum aliquid egerim, quod displicuerit sibi, & sic faciendo Christum quæram, quem diligit anima mea. Nam si quis post actio-

nem

nem non potest redire ad dulcedinem contemplationis, debet cogitare, quòd fortè in aliquo deliquit, propter quod solitam dulcedinem non sentit. Et ideò debet ciuitatem, idest conscientiam totaliter scrutari, Notandum autem conscientiam esse lectulum, in quo Christus requiescit, quia stratum coangustatum est, quia non potest iacere, nisi vnus scilicet Christus, vel Diabolus, [a] Isaiæ 28. *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest*. Sed si consideremus conscientiam, & cor nostrum quantum ad genera peccatorum, quæ ibi esse possunt: sic est ciuitas distincta per vicos, & plateas, idest per delicta maiora, & per minora, Deinde cum dicit: *Quæsiui illum* &c. ponitur vanarum cogitationum occupatio. Continuetur sic. Ad conscientiam meam redij: Christum per plateas, & vicos quæsiui: *Quæsiui illum, & non inueni*. Et est causa quare: quia *vigiles ciuitatis*, idest vanæ cogitationes, *qui custodiunt ciuitatem, inuenerunt me*; ideò eis occupata, Christum non inueni, quia vix possumus dicere vnum *Pater noster*, quin vanæ cogitationes nos non inueniant, Quare tales cogitationes dicuntur vigiles ciuitatis, quia semper sunt paratæ ad capiendum, & occupandum nos, Sed quando tales vigiles, seu cogitationes occupant nos, debemus eas derelinquere, quia in talibus cogitationibus non inuenitur Christus. Ideò ironicè talibus vigilibus dicitur: *Numquid vidistis Christum, quem diligit anima mea?* Deinde cum dicit: *Paululum cum pertransissem eos* &c. ponitur primo Christi inuentio, Secundo eius apprehensio, ibi: *Tenui eum*, Continuetur sic. Ita inuenerunt me vanæ cogitationes, seu vigiles ciuitatis; *sed cum pertransissem eas*; scilicet derelinquendo, *inueni Christum, quem diligit anima mea*. Sciat enim quilibet, quòd si ad conscientiam suam redit, & eam diligenter inquirit, & vanas cogitationes dimittit, his peractis Christum inuenit. Deinde cum dicit, *Tenui eum*, ponitur Christi apprehensio. Et ostendit primò se apprehendisse fortiter, cum dicit: *Tenui eum*; quasi dicat: non qualitercunque recepi ipsum, sed fortiter apprehendi, tenendo ipsum. Secundò ostendit, quod eum apprehendit perseueranter, cum subdit: *nec dimittam*; quasi dicat: incessanter tenebo ipsum. Tertiò innuit, quod apprehendit vtiliter, cum subinfert: *donec introducam illum in domum Matris meæ* quantum ad maiores, *& in cubiculum genitricis meæ* quantum ad minores. Sic debet facere Ecclesia, quasi bona Mater, quòd postquam inuenit Christum, debet eum tenere, & non dimittere, donec introducat eum in corda filiorum maiorum, qui sunt domus Matris suæ, idest domus gratiæ, quia gratia est mater omnium, cum ab ea habeamus esse spirituale; dicuntur enim maiores filij Ecclesiæ domus gratiæ, quia plus habent de gratia, Sic etiam Ecclesia debet introducere Christum in corda filiorum minorum, qui dicuntur cubiculum genitricis, idest cubiculum gratiæ, quia minus habent de gratia; cubiculum enim est domuncula parua. Notandum autem, quòd Ecclesia non intendit Christum introducere in maiores, & in minores, quasi Christum non habeant, quia sic non essent domus, & habitaculum gratiæ: Sed vt ipsa in contemplatione gaudeat de donis gratiæ maiorum, atque minorum. Potest etiam intelligi, vt per talem introductionem aliqui fiant domus gratiæ, & sic maiores; & aliqui habitaculum, & sit minores, Deinde cum dicit, *adiuro vos*, ponitur Christi compassio: nam videns Christus Ecclesiam, siue Prælatum per exteriores occupationes aliquando distrahi, in conscientia ei compatiens, ait: *Adiuro vos*, idest obsecro, *filiæ Ierusalem*, quarum curam habet Prælatus, *per capreas, ceruosque camporum*, idest propter ipsos Prælatos, vt supra expositum est, *ne suscitetis* à somno contemplationis, *nec euigilare faciatis* à quiete dulcedinis *dilectam* Ecclesiam, donec ipsa velit, Notandum autem, bis adiurasse filias *Ierusalem*, ne euigilare faciant à somno contemplationis Ecclesiam matrem earum: dupliciter enim possunt errare subditi circa curam Prælati. Primò si crederent, quod Prælati primò deberent intendere eis, quam sibi; propter hoc dictum fuit primùm *adiuro*. Secundò si crederent, quod postquam Prælatus incepit intendere eis, [b] non deberet redire ad contemplationem intendendo sibi; & propter hoc Christus secundò filias Ierusalem adiurat, vt permittant matrem suam in contemplatione persistere. Deinde cum dicit, *Quæ est ista?* vult imponere finem huic tractatui, in quo describitur status primitiuæ Ecclesiæ, & quia laus est potissimè in fine canenda, ideò imponit finem tractatui in commendatione Ecclesiæ primitiuæ quintupliciter. Primò ab ascensu, est enim laudabile ascendere. Et quantum ad hoc admirans ait: *Quæ est ista, quæ ascendit?* Secundò commendat à loco ascensus, cum subdit, *per desertum*: nam si laudabile est ascendere qualitercumque, laudabilius tamen est ascendere *per desertum*, vbi sunt spinæ, & impeditiua, quia summæ laudis est bene conuersari in medio nationis prauæ, & peruersæ. Tertiò commendat eam à modo ascendendi, cum ait: *Sicut virgula fumi*; virgula enim fumi est agilis ad ascensum, licet sit nigra, & obscura: Sic Ecclesia primitiua obscura erat exteriùs, erat tamen agilis, & erecta interiùs. Quartò commendat eam à carnis mortificatione, cum ait: *ex aromatibus myrrhæ*: Myrrha enim amara est, & significat mortificationem carnis, vt dicit glossa. Fumus ergo, cui assimilatur Ecclesia, surgit *ex aromatibus myrrhæ*, quia Deo placere nititur cum carnis mortificatione. Ad Gal. 5. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*. Quintò commendat eam ab orationis deuotione, & virtutum plenitudine, cum dicit, *& thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij*, vt glossa exponit: ita vt odor thuris referatur ad orationem; vniuersitas verò pulueris aromatici ad plenitudinem virtutum.

[a] 2. 2. q. 2. a. 3.

[b] 2. 2 q. 182. a. 1 & 3.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS

SIVE

SECVNDA PARS TOTIVS LIBRI.

CAPITIS III. PARS ALTERA.

7 EN lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: 8 omnes
tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum
propter timores nocturnos. 9 Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani:
columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, 10 ascensum purpureum; media
charitate constrauit propter filias Ierusalem: 11 Egredimini & videte filiæ Sion regem
Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, &
in die lætitiæ cordis eius.

EN *lectulum Salomonis* &c. Finito tractatu, in quo tractatur de Ecclesia primitiua, hic incipit Tractatus, in quo tractatur de Ecclesia moderna. Et sicut in primo Tractatu primò describebatur Ecclesia primitiua, & postea finiebatur dictus tractatus in laudem Ecclesiæ, cum dicebatur: *quæ est ista, quæ ascendit?* sic in parte ista primò describitur status Ecclesiæ modernæ; secundò finitur tractatus in laudem ipsius, ibi: *quæ est ista, quæ progreditur?* Prima para diuiditur in partes duas, quia primò describitur præsens Ecclesia quantum ad eius diuersitatem, secundò quantùm ad eius veritatem, ibi: *Pulchra es amica mea*, circà principium sexti capituli. Prima pars diuiditur in duas, quia primò describitur status Ecclesiæ quantùm ad vitam contemplatiuam, secundò quantùm ad vitam actiuam, ibi: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Prima pars diuiditur in partes duas, quia primò describuntur ea, quæ requiruntur ad contemplationem: secundò videns Ecclesia per se ipsam non posse in ipsis persistere, implorat Christi subuentionem, ibi: *Veniat dilectus meus*, in principio quinti Capituli. Contemplatiua autem vita tria debet habere; nam primò debet conuerti ad Deum: secundò debet relinquere mundum: tertiò debet patienter sustinere tentationes. Ideò pars ista diuiditur in partes tres: quia primò ostenditur Ecclesiæ ad Christum conuersio, secundò quod ei conuenit mundi derelictio, ibi *Quàm pulchra es*, in principio quarti capituli; tertiò quod ei congruit tentationum toleratio, ibi: *quam pulchræ sunt mammæ tuæ*, vltra medietatem dicti Capituli. Propter primum notandum, quòd totum bonum, quod est in Ecclesia quantum ad incipientes, & proficientes, totum est à Christo: & ideò dignum est, vt conuertamur ad ipsum, à quo tanta bona habemus. Potest ergo sic formari ratio. Quilibet debet ad illum conuerti, à quo habet omnia sua bona; sed Ecclesia omnia sua bona habet à Christo, ergò ad ipsum debet conuerti. In ista ratione sic procedit: quia primò ostendit, Christum omnia sua bona contulisse Ecclesiæ propter filias Ierusalem: secundò ex hoc concludit, quòd ipsæ filiæ Sion conuertantur ad Christum, ibi: *Egredimini filiæ Sion, & videte*. Prima pars diuiditur in tres partes: quia primò ostenditur, esse à Christo bona incipientium; & hoc sub figura lectuli, ibi: *en lectulum*: secundò ostenditur, esse ab eo bona proficientium, & hoc sub figura ferculi, ibi: *ferculum fecit sibi*; tertiò ostenditur, esse ab eo bona perfectorum, & hoc sub metaphora reclinatorij aurei, ibi: *reclinatorium aureum*. Notandum autem, incipientes in Ecclesia potissimè indigere custodibus, ne diabolus, & malæ tentationes eos inuadant, & quasi imbecilles superent; propter quod apparet maxima benignitas Christi, & quòd ipse multùm diligit bonum incipientium, quando dignatur eis dare custodes. Et quia tria sunt genera huiusmodi custodientium, ideò diuiditur pars ista in partes tres: quia primò ostenditur, huiusmodi incipientes esse custoditos per annunciantes veritatem vitæ, secundò per annunciantes veritatem doctrinæ, ibi: *omnes tenentes gladios*; tertiò per annunciantes veritatem iustitiæ, ibi: *Vniuscuiusque ensis*. Continuatur sic. Primitiua Ecclesia multum vexata fuit, sed modernam Ecclesiam videmus esse in tranquillitate, quia *en* (pro ecce) ipsos, de quibus minus videtur, videmus esse *lectulum Salomonis*, quia in eis quiescit Christus: & huiusmodi lectum *ambiunt*, idest custodiunt *sexaginta fortes ex fortissimis Israel*, idest annunciantes veritatem vitæ: quia fortes, & non molles per tentationes debent esse qui volunt prædicare de moribus. Et notandum, quòd numerus istorum custodum scilicet numerus sexagenarius, bene competit officio, nam sexagenarius numerus constituitur ex senario ducto per denarium, per quod intelligitur veritas vitæ hoc modo, quia verè, & iustè viuimus, si per sex dies, quibus operari debemus, idest per totum tempus vitæ nostræ,[C] quod intelligitur per numerum senarium, qui est numerus perfectus,[D] obseruamus decem præcepta Decalogi. Signanter autem est notandum, quòd Salomon incipiens tractare de moderna Ecclesia, incipit à lectulo, idest à quiete, quia iam cessauit persecutio. Deinde cum dicit, *omnes tenentes*, ostendit, huiusmodi incipientes esse custoditos per annunciantes veritatem doctrinæ. Et continuatur sic. Huiusmodi fortes non solum sunt sexaginta secundùm quòd annunciant veritatem vitæ, sed omnes sunt ad bella doctissimi, *tenentes gladios* doctrinæ sacræ, iuxta illud ad Ephes. vlt. *& gladium spiritus, quod est verbum Dei*. Deinde cum dicit, *Vniuscuiusque ensis*, ostendit, quòd incipientes custodiun-

C Apoc. 14. ibi ra enim lorum.
D p.p. 1.

per

per eos, qui annunciant veritatem iustitiæ: nam non sufficit, quòd aliquis prædicet de moribus, annunciando veritatē vitæ; vel quòd prædicet de fide, annũciando veritatem doctrinę: sed oportet eum annunciare veritatem iustitiæ in se, vt faciat quod dicit, & credat quod docet, quia iustum est, vt aliquis talis sit in se, qualem prædicat alium debere esse: ideò Prędicatores, qui debent custodire lectulum Salomonis, siue incipientes, debent tenere ensem, non in ore tantùm, vt dicant, & non faciant; sed vniuscuiusque ensis debet esse super femur suum, constringendo femora sua, viuendo castè, & obseruando quæ prædicant. Addit autem causam, quare lectulum suum Christus vult sic custodiri, cum subdit, *propter timores nocturnos*, idest propter impugnationes diabolicas, & alias tentationes malas. Deinde cum dicit, *ferculum*, ostendit, bonum proficientium esse à Christo, Ad cuius euidentiam notandum, quòd incipientes dicuntur lectulus, quia in eis quiescit Christus; non tamen sunt ferculum, quia non ferunt Christum ad alios, generando ipsum in cordibus aliorum, Proficientes autem sunt ferculum, idest portatorium, quia Christum portant, & deferunt vsque ad alios. Tanguntur autem tria bona proficientium: quoniam primum sumitur in ordine ad Deum, quod notatur, cum dicitur: *ferculum fecit sibi Rex Salomon*, scilicet ordinatum ad se ipsum, qui est verus Deus: secundò tangitur bonum, quod habent proficientes in ordine ad se ipsos, cum subdit, *de lignis Libani*, idest de lignis albis, quia in se ipsis debent esse mundi: tertiò tangitur bonum, quod habent in ordine ad proximos, cum subdit: *columnas fecit argenteas*. Nam qui sunt proficientes, debent habere columnas argenteas, alios sustentando, & eis veritatem annunciando, quod notatur per argentum, quod est metallum sonorum. Deinde cum dicit, *Reclinatorium fecit aureum*, describit perfectos. Ad cuius euidentiam notandum, quòd ferculum dicitur, in quo aliquis portatur, & dicitur à fero fers, quia quiescenter fert. Reclinatorium autem est suprema pars huius sedis, in qua reclinatur, & quiescit caput sedentis. Vnde per reclinatorium designantur perfecti, qui tenent supremum gradum in Ecclesia. Bonum autem istorum describitur tripliciter. Primò quantùm ad situm, quem tenent, quia altum, & clarum, siue splendidum, quod notatur cum dicitur, *reclinatorium aureum*: secundò describitur quantùm ad viam, per quam ad talem situm ascendunt, cum dicitur, *ascensum eius purpureum*, purpura enim ex sanguine piscis conficitur, vnde glossa infrà cap. 8. ait, quòd murices ferro circumcisi lacrymas purpurei coloris emittunt, quibus collectis tinctura purpurei coloris efficitur: Vnde possunt signare passionem Christi ratione effusionis sanguinis: quæ passio est via deueniendi ad statum perfectum, quia incedentes per eam perfectionis statum acquirunt: tertiò describitur perfectorum bonum quantùm ad veritatem, per quam moti sunt ad talem situm, cum ait, *media charitate constrauit*: quia charitas est virtus media, per quam constratum, siue constitutum est huiusmodi reclinatorium, in quantum virtute eius perfecti ascendunt ad talem situm, Addit autem causam, quare huiusmodi ordo est in Ecclesia, cum ait, *propter filias Ierusalem*: quia propter nos Christus pati voluit, & Ecclesiam suam ordinauit, & diuersis perfectionibus dotauit. Deinde cum dicit, *Egredimini*, concluditur ex habitis, quod existentes in Ecclesia, & potissimè Prælati, debeant conuerti ad Christum: nam si tanta bona Christus contulit Ecclesiæ propter eos, qui sunt in Ecclesia, dignum est, existentes in Ecclesia conuerti ad ipsum, ideò ait: *ò filiæ Sion egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua*, idest conuertimini ad Christum, & considerate passionem eius, non tantùm in mente, sed etiam in mentis affectu: in qua *Mater sua* scilicet synagoga *coronauit eum diademate*, quia ad litteram coronauerunt Iudæi in passione Christum corona spinea; quæ licèt ex eorum præuaricatione Christo imposita fuerit ad confusionem, tamen secundùm veritatem titulus est referens maiestatis honorem, quia propter hoc *Deus exaltauit illum* &c. ideò affixus est titulus Cruci Io. 20. *Rex Iudæorum*, quod fuit *in die desponsationis illius*, idest Christi,* quia in passione sua iunxit sibi Ecclesiam, dans sanguinem suum in pretium, & introducens latronem in Paradisum Luc. 23. *Et in die lætitiæ cordis eius*, idest synagogæ, quia ad litteram Iudæi, & synagoga gaudebant, & lætabantur de passione Christi.

*Apoc. ibi nuptiæ.

CAPVT IV.

1 QVam pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque
eo, quod intrinsecus latet, Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt
de monte Galaad, 2 Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de
lauacro, omnes gemellis fetibus, & sterilis non est inter eas. 3 Sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet, 4 Sicut turris Dauid collum tuum,
quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium,
5 Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, 6. donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. 7
Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. 8 Veni de Libano sponsa mea,
veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de
cubilibus leonum, de montibus pardorum. 9 Vulnerasti cor meum soror mea sponsa,
vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui, 10 Quam pul-

chræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vn-
guentorum tuorum super omnia aromata. 11 Fauus distillans labia tua sponsa, mel &
lac sub lingua tua; & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. 12 Hortus conclusus,
soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. 13 Emissiones tuæ paradisus malo-
rum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, 14 nardus, & crocus, fistu-
la, & cinnamomum cũ vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguen-
tis. 15 Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. 16
Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.

Q*Vàm pulchra es amica mea?* Postquam ostensum est, quòd existentes in Ecclesia debent conuerti ad Christum, hic ostendit, quòd debent relinquere mundum; nec est propter hoc peruersio ordinis: quia licèt via generationis priùs sit relinquere mundum, quàm adhærere Deo: via tamen perfectionis, & complementi priùs est adhærere Deo. Ita in bono formalius est conuerti ad ipsum. Diuiditur autem hæc pars in partes tres, secundùm quòd tripliciter ostenditur, quòd Ecclesia debet relinquere mundum. Nam primò hoc ostenditur ex statu Ecclesiæ; secundò ex fine eius; tertiò ex dilectione, quam habet Christus ad ipsam. Secunda ibi, *Coronaberis de capite*: tertia ibi; *Vulnerasti cor meum*. In prima parte intendit talem rationem: ille cuius status requirit totalem pulchritudinẽ, debet se auertere ab immunditia, ne contrahat sordes, & derogetur suo statui: sed status Ecclesiæ requirit totalẽ pulchritudinẽ, ergo debet se auertere à mundo, vbi est immunditia, ne coinquinetur. In hac autem ratione sic procedit: quia primò ostendit, Ecclesiam quantùm ad omnia sua debere habere pulchritudinem. Secundò ex hoc infert, quòd status Ecclesiæ requirit pulchritudinem totalem, ibi: *Vadam ad montem myrrhæ*. Tertiò ostendit ex habitis, quod Ecclesia debet recedere à mundo, ibi: *Veni de Libano*. Propter primum notandum, quod in quolibet tria reperiuntur; scilicet subiectum, vel substantia, virtus, & operatio. In ostendendo verò statum Ecclesiæ quantùm ad omnia requirere pulchritudinem, tria facit: quia primò, hoc commendat, & ostendit de substantia; secundò de virtute, ibi, *oculi tui*; tertiò de operatione, ibi, *capilli tui*. Dicit ergo: *Quàm pulchra es amica mea* quantùm ad substãtiam interiorem, *quàm pulchra* quantùm ad exteriorem, quia in quolibet homine est duplex homo, exterior, & interior; duplex substantia, spiritualis, & corporalis. Primitiua autem Ecclesia fuit formosa interiùs, sed nigra exteriùs; vnde ad differentiam illius Ecclesiæ, moderna Ecclesia dicitur pulchra interiùs, & exteriùs, quia cessauerunt persecutiones gentilium, & Iudæorum. Deinde cum dicit, *oculi tui*, ostendit requirere pulchritudinem quantum ad virtutem, siue quantum ad potentias; vnde ait: *oculi tui*, idest intellectus, & affectiones sunt *columbarum*, habentes simplicitatem, & rectitudinem, vt columbæ, *absque eo quod intrinsecus latet*, idest absque actionibus intellectus, & affectus, quæ latent intrinsecus, quia non sunt transeuntes in exteriorem materiam: vult enim dicere, quod propter pulchritudinem actionum, de qua statim dicetur, habet Ecclesia pulchritudinem oculorum, idest potentiarum, vel virtutum; dicuntur enim potentiæ, vel virtutes animæ, vt intellectus, & affectus, oculi eius, quia oculus est illud, quo mediante tendimus in aliquid, vt in finem, quod fit per intellectum, & affectum: per intellectum, in quantum dirigit in finem: per affectum, in quantum inclinat in ipsum. Huiusmodi autem oculi verè sunt columbarum, quando intellectus est simplex, & rectus, idest sine plica erroris, & affectus sine plica malitiæ. Deinde cum dicit, *capilli tui*, ostendit, eam habere pulchritudinem quantum ad operationes. Et duo facit, quia primò ostendit hoc quantùm ad operationes affectus: Secundò quantùm ad operationes intellectus, ibi: *Dentes tui*. Dicit ergo: *Capilli tui*, idest affectiones tuæ, quæ dicuntur capilli, quia radicantur in suprema parte animæ, sunt *sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*. In quo tria tangit. Primò quod affectiones debent esse *greges*, quia debent esse congregatæ, non sparsæ, cuiusmodi sunt affectiones malorum, quæ quærunt bona sparsa, & particularia: Secundò debent esse *caprarum*, idest debent esse altæ, sicut capræ quærunt in alto pastum: Tertiò debent ascendere *de monte Galaad*, qui interpretatur aceruus testimonij, quia ad litteram moderna Ecclesia, & quælibet sancta anima, de qua nunc agitur, ascendit cogitationibus suis *in montem Galaad*, idest in aceruum testimonij, scilicet in exempla, quæ præcesserunt, & in altitudinem testimonij Scripturarum. Deinde cum dicit, *Dentes tui*, describit pulchritudinem actionum intellectualium, & facit quinque, secùndum quòd huiusmodi actiones quinque modis possunt accipi: quia primò ostendit, quales debent esse huiusmodi actiones, vt sunt in intellectu: Secundò quales debent esse, vt significentur per verba, ibi: *sicut vitta coccinea*: Tertiò vt implentur per opera, ibi: *sicut fragmen*: Quartò vt ordinantur ad confusionem aduersariorum, ibi: *sicut turris*: Quintò vt ordinantur ad documenta paruulorum, ibi: *Duo vbera tua*. Dicit ergo: *Dentes tui*, idest cogitationes intellectus, quæ dicuntur dentes, quia sicut per dentes frangitur quod est vnitum, ita homo per intellectum quod vno conceptu recipit, frangit alijs per plures conceptus; vnde Dionys. 15. cap. Cæl. Hierarch. dicit Angelos superiores dentes, quia quod intelligunt vno conceptu, diuidunt in inferiores per plures conceptus. Huiusmodi autem dentes, siue conceptus, esse debent *sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lauacro*, quia debent esse tonsi à lana terrena, & debent ascendere *de lauacro* propter munditiam. Et debent esse huiusmodi conceptus *cum gemellis fœtibus* propter consilia, & præcepta: & inter alias conditiones, non debent esse *steriles*, quia debent promereri aliquem fructum. Deinde cum dicit, *sicut vitta coccinea*, ostendit quale debet esse elo-

quium, exprimens huiusmodi cogitationes. Et tangit duo, secundum quod eloquium duo habere debet. Primo debet esse moderatum; & quantùm ad hoc dicit: *labia tua sicut vitta coccinea*; quia sicut vitta capillos tenet, sic eloquium moderatum tenet veram sententiam: hæc autem vitta debet esse *coccinea*, quia coccus habet colorem rubeum, & verba contemplatiua debent esse potissimè de passione Christi. Secundo eloquium debet esse ordinatum, & compositum; & quantùm ad hoc ait: *Eloquium tuum dulce*, iuxta illud Prouerb. 16. *Fauus mellis verba composita*. Deinde cum dicit, *sicut fragmen*, ostendit, quales debent esse operationes intellectus, vt adimplentur per opera: nam talia debent esse opera, quod respondeant interioribus affectionibus, & exterioribus, quia non debemus habere fictam sanctitatem; ideò ait: *Genæ tuæ*, idest opera tua, quæ sunt in aperto, sicut genæ, sunt *sicut fragmen mali punici*, idest: sicut malum punicum fractum, in fractura tale apparet, quale erat interiùs; sic opera nostra tales nos debent ostendere, quales sumus. Est autem malum punicum malum granatum, quod quando frangitur, apparent in eo grana rubea pluta: sic etiam ex vna charitate plura bona opera debent procedere. Et quia simul cum pulchritudine exteriori debet esse pulchritudo interior, ideò addit: *absque eo quod intrinsecus latet*. Deinde cum dicit, *sicut turris*, ostendit quales sunt huiusmodi conceptus, vt ordinantur ad resistendum aduersarijs, dicens: *Collum tuum*, idest doctrina tua, & boni conceptus tui; per quos vniris mihi capiti, sicut per collum caput vnitur corpori. Huiusmodi autem collum est *sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis*: quia sufficiens est ad repellendum omnes impugnationes aduersariorum, ideò addit, quod *mille clypei*, idest perfectus numerus authoritatum, *pendent ex ea, & omnis armatura fortium*; authoritatibus enim, N & articulis fidei munitur fides nostra, quasi per quosdam clypeos, notis lumine diuino, in quo est *omnis armatura fortium*, quia quicquid virtutis est in omni intellectu, perampliùs, & perfectiùs continetur in lumine diuino. Deinde cum dicit, *duo vbera tua*, determinat de operationibus intellectus, vt ordinantur ad instructionem paruulorum. Et tangit quatuor: nam actionea intellectus, siue doctrina primo debet esse proportionata auditoribus paruulis, ideò dicit, *duo vbera tua*, quia enim paruuli non possunt masticare dura, lugunt vbera, iuxta illud 1. Cor. 3. *Tanquam paruulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam*. Et dicit, *duo vbera*, propter duo testamenta; vel propter sensum litteralem, quem significant voces, & mysticum, quem significant res. Secundo hæc doctrina debet esse charitatiua, quia doctor debet docere ardenter, ideò subdit: *sicut duo hinnuli capreæ gemelli*: in quo designatur geminatio charitatis. Tertio docere debet regulariter, quia debet docere secundum ordinem Sacræ Scripturæ; ideò subditur: *qui pascuntur in lilijs*, idest in candore diuinarum scripturarum: quia secundum quod est in Sacris Scripturis, sic alios docere debemus. Quarto docere debet perseueranter, ideò addit: *donec inclinentur vmbræ*, idest donec cessent ænigmata, quod tempus est totius vitæ præsentis: *Et aspiret dies*, scilicet æternitatis, quod erit in futura vita, vbi non indigebimus ea doctrina, qua indigemus modò. Deinde cum dicit, *vadam ad montem myrrhæ*, concludit ex habitis, statum Ecclesiæ requirere talem pulchritudinem. Et continuatur sic. Dixi, ò Ecclesia, te esse pulchram secundum omnia tua, ideo *vadam ad mõtem myrrhæ*, idest ad te propter carnis mortificationem; *& ad collem thuris*, idest ad te, quæ es collis thuris, propter assiduam, & multiplicem orationem. Et supple, dicam; *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: nam si Ecclesia secundum omnia sua requirit pulchritudinem, pulchritudo sua debet esse totalis. Est autem diligenter notandum, quòd pulchritudo dicta de ipsa Ecclesia, non debet referri ad actualitatem, vt actu talis sit, sed ad statum; non quia talis debeat esse semper, sed quia proficere debet, propter quod oportet eam mundum relinquere. Deinde cum dicit, *veni de Libano*, infert ex habitis, quod debet relinquere mundum. Et continuatur sic. Habitum est, quod status tuus requirit totalem pulchritudinem, *sponsa mea*, ergo ne inficiatis à mundo, *veni de Libano*, idest veni de mundo; *veni de Libano, veni*. Dicit autem ter, *Veni*, propter fidem Trinitatis, ad quam alios inducere debet, vt dicit glossa: vel derelinqui mundus non potest, nisi Pater adducat sua potentia, & præsentia: *Eduxit Israel de medio eius, in manu potenti, & brachio extento*. Nisi Filius dirigat sua Sapientia. Sap. 10. *Eduxit illum sapientia*, idest primù hominem, ° cum omnibus saluãdis, à delicto suo, à quo nullus potest educi, nisi educatur de mundo. 1. Iac. *Qui voluerit amicus esse sæculi, inimicus Dei constituitur*. Nisi Spiritus Sanctus attrahat sua bonitate, & clementia. Isa. 63. *Spiritus Domini ductor eius fuit*. Vel ter dicit, *Veni*, quia sicut peccauimus cogitatione, locutione, & opere; ita his tribus ad Christum ire debemus. Dicitur autem Mundus Libanus, idest candidus, per contrarium, quia in eo non est candor; sicut lucus, quia caret luce, & piscina, quia caret piscibus: sic dicitur mundus, quia caret munditia. Deinde cum dicit, *coronaberis de capite*, adducit rationem ad hoc, sumptam ex fine. Et intendit talem rationem. Homo debet relinquere illud, quo relicto potest adipisci suam coronam, & suum finem; sed si tu relinquas mundũ, *coronaberis*, ergo debes mundum relinquere. De illa ratione non ponit plus, nisi quod si relinquat, coronabitur. Et vt intelligas verba eius. Notandum, quod mundus quintupliciter inficit. Primò inficit irascibilem per timiditatem: secundò inficit concupiscibilem per intemperantiam, & fœditatem: tertiò inficit voluntatem per iniustitiam: quartò intellectum practicum per falsitatem, & imprudentiam in dictis, & factis: quintò intellectum speculatiuum per infidelitatem. Ideò ait: *coronaberis de capite Amana*, idest de mundo: relinquendo timiditatem, quæ inficit irascibilem; *Amana* enim interpretatur coangustatus, & significat mundum, qui seipsum coangustat, & constringit. Iterum *coronaberis*, si veneris *de vertice Sanir*, idest de fœditate, & intemperantia, relinquendo ipsam; quia inficit concupiscibilem; nam *Sanir* secundum glossam idem est, quod fœdus. Item *coronaberis de vertice Hermon*, idest de iniustitia, relin-

N in exposit. Prologi 1. ß tent.

O.p.p. 97. 1 & s. 2. 83. 1.

quendo ipsam, quia inficit appetitum intellectiuum, siue voluntatem; interpretatur enim Hermon anathematizatio, siue diuisio à Deo, quod maximè fit per iniustitiam, & potissimè vt est vitium generale. Iterum *coronaberis*, si veneris *de cubilibus Leonum*, idest de improuidentia, vel imprudentia, quæ inficit rectam rationem agibilium, & inficit intellectum practicum: nam differt homo à bestijs ferocibus, quia est animal politicum, per mansuetudinem, quam non habent animalia ferocia, quæ intelliguntur per leones, qui non refrænant motus suos per prudentiam, sicut homo. Iterum *coronaberis de montibus Pardorum*, idest de infidelitate, quæ inficit intellectum speculatiuum: Hæretici enim, & infideles insidiantur vt Pardi; & supplendum est, relinquendo hoc perfectè, idest relinquendo mundum. Et quia non coronaberis, nisi ista relinquas; ideò debes perfectè mundum relinquere, vt coroneris. Deinde cum dicit, *Vulnerasti cor meum*, ponit tertiam rationem sumptam ex amore diuino; congruum enim est, vt amantes nos amemus: & quia Christus nos maximè diligit, debemus eum diligere. Cum ergo non possimus eius amori inhærere, nisi mundum relinquamus, debemus mundum relinquere. De ista ratione non ponit, nisi medium, videlicet quod Christus maximè nos diligit. Hoc est ergo, quod à te volo, *soror mea*, propter naturæ conformitatem, [†] *sponsa mea*, propter fidem: *vulnerasti cor meum*, sagitta amoris, *in vno oculorum tuorum*, idest in vnitate cogitationum tuarum, *& in vno crine colli tui*, idest in vnitate affectionum tuarum: nam per oculos, per quos conspicimus, debemus intelligere actiones intellectus, quæ tunc placent Deo, quando sunt iunctæ per fidem. Per capillos, vt supra dicebatur, debemus intelligere affectiones, quæ tunc placent Deo, cum sunt iunctæ per charitatem, & per alias perfectiones affectus. Et quia talem vnitatem habere non possumus, nisi mundum relinquamus, debemus mundum relinquere.

† Ephes. 5.1. Le. 5.

Quàm pulchra sunt mammæ tuæ! Superiùs ostensum est, Ecclesiam, præcipuè vt respicit statum contemplatiuorum, debere relinquere mundum, ne per ipsum contrahat fœditatem. Hic ostendit etiam debere sufferre tentationes, vt adipiscatur finem, & mereatur ampliorem bonitatem. Et intendit talem rationem. Quicumque potest de facili aliquas turbationes sufferre, si per eas potest consequi finem, & augmentum in bono, vt talia adipiscatur, debet sufferre libenter; sed Ecclesia potissimè vt respicit statum contemplatiuorum, potest de leui tentationes ferre, ergo cum per eas mereatur finem, & augeatur in bono, debet eas patienter sufferre. In hac ratione sic procedit. Primò ostendit quòd viri contemplatiui possunt omnes tentationes de facili vincere: secundò ex hoc concludit, quod vult eos permittere tentari, vt ex hoc adipiscantur finem, & gloriam, ibi: *surge Aquilo*. Prima pars diuiditur in duas: quia primò ostendit, viros contemplatiuos tentationes vincere: secundò ostendit, quod hoc possunt de facili, ibi: *Emissiones tuæ*. Prima pars diuiditur in duas: quia primò ostendit de quolibet genere tentationum, quod possunt ipsas vincere: secundò ex hoc concludit, quod vniuersaliter potest Ecclesia vt respicit statum contemplatiuorum, omnem tentationem superare, ibi: *Hortus conclusus, soror mea*. Prima pars diuiditur in tres partes, secundum quod tria sunt genera tentationum. Nam primo ostendit, Ecclesiam posse superare tentationes diaboli: secundò ostendit, vincere posse tentationes mundi, ibi: *Fauus distillans*. tertiò ostendit, eam posse superare tentationes carnis, ibi: *Et odor vestimentorum*. Circa primum notandum, quod diabolus dupliciter nos vincit: primò decipiendo nos, cum se transformat in Angelum lucis: & contra hoc valet doctrina, quam maximè habent viri contemplatiui, quia separati à mundo magis percipiunt diuinum influxum, nam Philosophus in libro de bonafortuna ostendit, aliquos simplices esse fortunatos, quia amoti à sensibilibus magis percipiunt vim substantiarũ separatarum, & Dei, sicut cæci non intenti visibilibus magis memorantur. Et quantum ad hoc ait: *O soror mea sponsa, quàm pulchræ sunt mammæ tuæ!* idest quàm pulchra est doctrina tua, quæ dicitur mammæ, & vbera, quia se contemperat secundùm proportionem auditorum, & ideò subdit: *pulchriora sunt vbera tua vino*, idest doctrina tua præualet doctrinæ philosophorum, quæ non temperat se proportioni audientium, sed continet se in quadam austeritate, & excellentia verbi cum ponderositate sententiæ: ideò huiusmodi doctrina dicitur vinum, non lac, quia caret dulcedine. Secundò vincit nos diabolus, si inueniat nos denudatos virtutibus, *& odor vnguentorum tuorum*, idest fama virtutum spiritualium, vt glossa exponit, *super omnia aromata*, idest superat omnem humanam scientiam; propter quod, supplendum est, non debes timere, ne diabolus te vincat decipiendo. Deinde cum dicit, *fauus distillans*, ostendit, Ecclesiam superare impugnationem mundanam, nam maximè mundum superamus, si (cum diuidatur inter fideles & infideles) fidelibus effundimus doctrinam, & eam celamus infidelibus, ne capiant nos in verbo, ideò ait: *fauus distillans labia tua*, quantùm ad fideles: *mel & lac sub lingua tua*, quantùm ad infideles, quibus non debes communicare dulcedinem doctrinæ sacræ, sed tenere eam sub lingua tua.

Deinde cum dicit, *odor vestimentorum tuorum*, idest odor charitatis tuæ: est enim caro quasi quoddam vestimentum animæ, cuius odor est *sicut odor thuris*; thus enim cum igne crematur, redolet, sicut caro contemplatiuorum, cum in tentationibus stimulatur, sed eas vincunt, cùm continentia redolent: & merentur. Ex quibus haberi potest, quod Ecclesia vt respicit in contemplatiuam, potest superare tentationes carnis. Deinde cum dicit, *hortus conclusus*, infert, quod omnes tentationes vniuersaliter potest superare. Et continuatur sic. Tu Ecclesia, vt ostensum est, superare potes omnes tentationes diaboli, mundi, & carnis, ergo tu es *hortus conclusus*, quia tentationes mundi, & carnis non possunt intrare ad ipsũ. Addit etiam, quod est *fons signatus*, quia etiam tentationes diaboli non possunt ad eam ingredi. Est ergo Ecclesia *hortus conclusus*, in quantum continet poma munda à spurcitijs carnis. Est iterum *hortus conclusus*, in quantùm conti-

nec

net poma vera, non sophisticata vanitatibus mundi; *est fons signatus*, in quantum continet aquas dulces, non amaricatas per versutias diaboli. Deinde cum dicit, *emissiones tuæ*, ostendit, Ecclesiam, vt respicit contemplatiuos, de facili posse superare tentationes singulas: [P 3.p.62. a.6.ad 1. & q.70.a. 4.] ᵖ nã minima gratia sufficit ad superandum omnes tentationes. Si igitur quis habeat gratiam superabundantem, de facili eas superabit. Gratia superabundans in hoc cognoscitur, in quantum alios inducit ad gratiam, nam perfectum est vnumquodque, cum potest sibi simile generare. Ostendere ergo, Ecclesiam de facili posse superare tentationes singulas, est ostendere, quod deriuationes gratiarum, prout fluunt ab Ecclesia ad suos filios, sunt sufficientes ad superandum tentationes singulas. Deriuantur enim dona gratiarum diuinarum à perfectioribus ad imperfectos; non quod perfecti ipsam gratiam causent, [Q p.2.q. 112.a.1.] ᵠ cum à solo Deo ipsa gratia causetur, sed quia per prædicationes, & bona opera, & exempla, perfecti ducunt imperfectos ad gratiam suscipiẽdam; & vlterius aliquando per suas orationes gratiam impetrant, & ministrando Sacramenta, aliquid efficiunt in illa; quo facto, nisi quis præbeat obicem, gratiam suscipit. Duo ergo facit: nam primo ostendit, quod per huiusmodi deriuationes potest quodlibet genus tentationis superare: Secundo ex hoc concludit, quod vniuersaliter omnes tentationes superare possit, ibi: *Fons hortorum*. Circa primum tria facit: primo ostendit, quod per tales deriuationes possunt superari tentationes mundi: Secundo quod diaboli, ibi: *Cypri cum Nardo*: Tertio quod carnis, ibi: *Myrrha, & Aloe*. Dicit ergo. *Emissiones tuæ*, idest dona gratiarum deriuata à te ad alios sunt *paradisus malorum punicorum*, idest illarum arborum, *cum pomorum fructibus*, idest cum fructibus dictarum arborum; fructus enim malorum punicorum habent corticem asperum, sed intus habent grana rubea, & significant doctrinam Ecclesiasticam, cuius sensus committitur ijs, qui sunt intra ipsam: exterioribus autem monstratur cortex tantum. Vnde pars ista respondet illi parti, vbi dicebatur supra; *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua*. Sicut ergo per illa verba ostendebatur, Ecclesiam posse superare impugnationes mundi, sic per ista habetur, quod per dona gratiarum deriuata ab Ecclesia ad filios, possunt illas superare. Deinde cum dicit, *Cypri cum Nardo*, ostendit, per tales emissiones posse superare diaboli tentationes. Legatur ergo sic. *Emissiones tuæ* non solum sunt *paradisus malorum*, sed etiam huiusmodi emissiones sunt emissiones *Cypri*: Cyprus enim secundum glossam arbor est aromatica habens semen candidum, & potest significare perfectionem intellectus speculatiui, quia huiusmodi intellectus est candidus, qui illuminatur lumine fidei, vel lumine intellectus agentis. Ex quo apparet, quod hoc nomen *Cyprus* est æquiuocum ad insulam, & arborem. Et huiusmodi emissiones sunt *Nardus*, Nardus enim est herba redolens, & calida, vnde potest significare perfectionem affectus, quia dat intelligere charitatem, vt dicit glossa. Huiusmodi emissiones non solum sunt *Nardus*, sed etiam *Crocus*, Crocus enim est aurei coloris, & potest significare prudentiam, cui deseruit eubulia, ad quam pertinet dare consilium lucidum, & mundum: ʳ prudentia autem est in intellectu [R 2,2.47. a 2.] practico, vnde significat perfectionem intellectus practici: sunt etiam huiusmodi emissiones *fistula, & cinnamomum*, per quæ designantur perfectiones irascibilis, & concupiscibilis, nam cinnamomum habet virtutem suam extra in cortice, & significat perfectionem irascibilis, quæ perficitur fortitudine, quæ consistit in aggrediendo: * Casia autem habet bonitatem suam [* Idem quod fistula.] interiùs, & significat perfectionem concupiscibilis, quæ perficitur per temperantiam, cuius bonitas videtur consistere intrinsecus, quia bonitas magis est in retrahendo, quàm in aggrediendo, habet enim quodammodo modum contrarium fortitudini. Et inde est, quòd insensibilitas, quæ dicit defectum, ˢ minùs opponitur [S 2.2.q. 142,1.] temperantiæ in intemperantia: Et audacia, quæ dicit excessum, minùs opponitur fortitudini, quàm timiditas, vt dicitur 2. Ethic. Et huiusmodi emissiones sunt *cum vniuersis lignis Libani*, idest cum omnibus alijs perfectionibus, designatis per ligna Libani, ratione candoris, & munditiæ. Et qui habet perfectum intellectum speculatiuum, & practicum, & irascibilem, & concupiscibilem, & alias perfectiones debitas, potest resistere diabolo. Ideò per hæc dicta etiam intelligitur, quod emissiones sponsæ possunt superare diabolicas tentationes; vnde ista pars cõcordat cum illa parte superiùs, quòd vbera sponsæ erant *pulchriora vino*, quæ respiciunt intellectum: *Et odor vnguentorum* erat *super omnia aromata*, ratione virtutum respicientium potentias alias. Verùm etiam per illa, scilicet Cyprum, & Nardum, possumus intelligere perfectiones potentiarum, per quas superamus diabolum. Deinde cum dicit, *Myrrha, & Aloe*, ostendit, quomodo per tales emissiones superamus tentationes carnis, quia sunt *myrrha, & aloe*, idest conseruant à putrefactione, & hoc *cum omnibus primis vnguentis*, idest cum omnibus vnguentis præcipuis conseruantibus à putrefactione: Myrrha enim à putrefactione conseruat, vt dicit glossa; & Aloe etiam hoc facit, licèt non tantùm, vt in glossa dicitur. Et etiam vnguenta præcipua habent hoc efficere. Et quia vitando tentationes, potissimè seruamur à corruptione, ideò per hoc datur intelligi, quod per deriuationes prædictas superantur tentationes carnis. Deinde cum dicit, *Fons hortorum*, concludit, quod vniuersaliter tentationes omnium superantur, ideò ait; quod huiusmodi emissiones sunt *fons hortorum*, in quantum valent ad producendum fructus *malorum punicorum*, resistendo tentationibus mundi. Sunt etiam *puteus aquarum viuentium*, quia aquæ, quas continent, non possunt mortificari per tentationes diaboli. Et huiusmodi aquæ sunt, *quæ fluunt impetu de Libano*, idest de candore, quia non maculantur immunditia carnis. Deinde cum dicit, *Surge Aquilo*, concludit Christus, quod vult permittere tentari sponsam, vt ex hoc mereatur finem, & gloriam. Continuatur ergo sic. Tu sponsa potes sustinere omnes tentationes, & potes eas sustinere de facili, cum ipsæ deriuationes, & dona gratiarum deriuata ad alios hoc possint; ideò *surge Aquilo, & veni Auster*, idest volo permittere, quod surgant diuersa genera tentationum,

& perfient, idest stimulent, *hortum meum*, idest sponsam meam; *& fluent aromata illius*, quia per tales stimulationes tu mereberis, & redolebis congruo modo. Aquilo enim est ventus frigidus, Auster verò est ventus calidus; & significant omnia genera tentationum, & omnia, quæ possunt inclinare ad malum, quia quicunque malè agit, vel hoc facit ex timore infrigidante, vel ex amore malè inflammante.

CAPVT V.

1 VEniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.
Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aro-
matibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum la-
cte meo; comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. 2 Ego dormio, & cor
meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, colum-
ba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis no-
ctium. 3 Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomo-
do inquinabo illos? 4 Dilectus meus misit manum suam per foramem, & venter meus in-
tremuit ad tactum eius: 5 Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt
myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. 6 Pessulum ostij mei aperui dilecto
meo, at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt locutus est: quæ-
siui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi. 7 Inuenerunt me custodes,
qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum
mihi custodes murorum. 8 Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt
nuncietis ei, quia amore langueo. 9 Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima
mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? 10 Dilectus meus
candidus, & rubicundus, electus ex millibus. 11 Caput eius aurum optimum, Comæ
eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. 12 Oculi eius sicut columbæ super riuu-
los aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima 13 Genæ illius si-
cut areolæ aromatum consitæ a pigmentarijs. Labia eius lilia distillantia myrrham primam.
14 Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis: Venter eius eburneus, distinctus
sapphiris. 15 Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.
Species eius vt Libani, electus vt cedri. 16 Guttur illius suauissimum, & totus deside-
rabilis: talis est dilectus meus, & Ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem. 17 Quo abijt
dilectus tuus ò pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum
tecum?

V*Eniat dilectus meus* &c. Quoniam videt sponsa per se ipsam non posse ad sponsum conuerti, & mundum relinquere, & tentationes tolerare; ideò conuertit se ad illum, petens eius auxilium, & subuentionem. Diuiditur autem hæc pars in duas, quia primo ponitur sponsæ petitio: secundo subiungitur Christi responsio, ibi, *veni in hortum meum*. Continuatur autem sic. Sponsus meus me hortatur, vt conuertar ad ipsum, relinquendo mundum, & sustineam tentationes, & quod hoc de facili possum; sed vt video, innixa meo auxilio, nullo modo sum potens ad talia. Et si dicit, me posse de facili, recognosco hoc verum esse per eius auxilium; ideò rogo, vt *veniat dilectus meus in hortum suum*, idest veniat in me, quæ sum hortus eius, *& comedat*, idest beneuola receptione recipiat, *fructum pomorum suorum*, quia cognosco, & cum gratiarum actione confiteor, quòd fructum, quem ego facio; poma, quæ produco, bonarum cogitationum, affectionum, orationum, & operum, à me ipsa non facio, sed eius auxilio; ideò non sunt mea, sed sua, Deinde cum dicit, *veni in hortum meum*, ponitur Christi responsio. Duo autem notanda posuit sponsa in petitione sua: Primum quòd auxilium à Christo petebat: Secundùm quòd bona sua ab ipso recognoscebat. Christus autem respondēdo sponsæ suæ, tria facit, Primo ostendit, quòd petitionem præuenit: Secundo, bona sponsæ à se esse, consentit, ibi: *messui myrrham meam*. Tertio eam ad securè contemplandum inducit, ibi: *Comedite amici*. Et continuatur sic. Tu sponsa mea petis à me auxilium, vt veniam ad te, quæ es hortus conclusus: petitionem tuam iam præueni. Et hoc est, quod ait: *soror mea sponsa, veni in hortum meum*, ita vt ly *veni*, sit temporis præteriti; vnde est sensus: Ego iam *veni in hortum meum*, præueniendo petitionem tuam, paratus ad auxilium tuum. Posset autem legi, quòd ly *veni* sit imperatiui modi; sed quia non bene continuaretur præcedentibus, ideò de tali sensu non est nobis ad præsens cura. Deinde cum dicit, *messui myrrham*, ostendit Christus, quomodo assentit, bona sponsæ esse à se ipso: vnde continuatur sic. Tu sponsa mea times, ne deficias in certaminibus; ne timeas, quia ego *messui*, idest secaui, vel recollegi, *myrrham meam*, idest te, quæ es myrrha mea propter carnis mortificationem, secundùm quam potes tentationes vitare; & hoc *cum aromatibus meis*, quia (vt tactum fuit) sustinendo tentationes, ex te fluebant aromata, prout merebaris finem, & gloriam: dicitur enim Christus metere myrrham cum aro-

matibus.

matibus, in quantùm ſponſa hoc facit vincendo tentationes auxilio ſuo: in quo Chriſtus aſſentit, quòd hoc bonum, quod eſt tentationes vincere, ſponſa non habet à ſe ipſa, ſed à Chriſto. Poſtea ſubdit: *Comedi fauum cum melle meo*, ideſt feci quòd conuerteteris ad me, ſecundùm quam conuerſionem guſtas contemplationis dulcedinem: *Bibi vinum meum cum lacte meo*, ideſt feci, quòd tu biberes *vinum cum lacte meo*, quòd relinqueres mundum, quem relinquendo biberes vinum, propter ſpiritualem lætitiam: & biberes lac, propter candorem, & munditiam. Ex quo apparet, Chriſtum confiteri, ſponſam non ſolùm habere ab ipſo, quòd tentationes vincit, ſed etiam habere ab ipſo, quòd conuertitur ad ipſum, & relinquit mundum. Et notandum, quòd quia cau-

F p.p.105 a.5. ſa prima plus eſt influens in ſuum cauſatum, [F] quàm cauſa ſecunda; ſi ſponſa metit myrrham, vincendo tentationes, & comedit fauum cùm melle, conuertendo ſe ad Deum, & bibit vinum cum lacte, relinquendo mundum: ſi hoc facit, inuocato auxilio Chriſti, qui eſt caput Eccleſiæ, & principium, peramplius, & perfectius dicitur Chriſtus hoc facere. Deinde cum dicit, *comedite*, hortatur Eccleſiam ad ſecurè contemplandum, ideò ait, vos *amici* mei, quia ego ſemper ſum vobiſcum, abſque trepidatione *comedite* ſpiritualem dulcedinem, *bibite* vinum ſpiritualis lætitiæ, & *inebriamini chariſſimi* ebrietate ſpiritus, in contemplationis dulcedine perſiſtendo. Notandum autem, quòd Chriſtus priùs locutus eſt Eccleſiæ in ſingulari, cum dixit: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa*; nunc autem loquitur ei in plurali, dicens: *comedite amici*. *Cuius* ratio eſt, quià licèt Eccleſia in comparatione ad Chriſtum, cuius eſt ſponſa, ſit vna, quia vnius ſponſi debet eſſe vna ſponſa; tamen quia dulcedo Chriſti non vniformiter recipitur in tota Eccleſia, quia dulcedo contemplationis aliquando in vno cauſatur ex

G 2.2,180 4. maieſtate, [G] aliquando in alio ex pietate, in alio ex ſapientiæ profunditate, propter hoc dicitur Eccleſia in plurali comedere, & bibere.

Ego dormio &c. Poſtquam deſcriptus eſt ſtatus Eccleſiæ modernæ quantùm ad contemplationem, hic deſcribitur quantùm ad actionem, ſiue quantùm ad filiorum miniſtrationem. Et notandum, Chriſtum ſic hortari Eccleſiam ad contemplandum, quòd tamen eam inuitat ad filijs miniſtrandum. Et ideò dixit: *comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi*. In quo hortatur Eccleſiam ad contemplationem. Hic autem tanquam bonus ſponſus, habens curam filiorum, eam inuitat ad miniſtrandum filijs. Et diuiditur pars iſta in duas, quia primò ponitur Eccleſiæ contemplatio; ſecundò ſubiungitur Chriſti exhortatio, ſecundùm quam inuitat Eccleſiam ſurgere ad actionem, ibi: *vox dilecti mei*. Contemplatio autem Eccleſiæ deſignatur, cum dicitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Viri enim cõtemplatiui dicuntur dormire, [H] quia quieſcunt

H Io. 11. lect. 3. & Rom. 13. b1. à ſenſibilibus, & exterioribus; tamen ſecundùm cor vigilant, quia magis ſunt apti ad percipiendum intrinſecus inſpirationes, & diuinos influxus, quia (vt ſuperiùs tactum eſt) ſicut cæci non intenti viſibilibus, meliùs memorantur; ſic viri contemplatiui, non intenti exterioribus, magis percipiunt interiores inſpirationes. Deinde cum dicit, *Vox dilecti mei*, ponitur Chriſti inuitatio.

Et diuiditur pars iſta in partes duas, quia primò ponitur huiuſmodi inuitatio, ſecundò ponitur ſponſæ excuſatio, ibi: *Expoliaui me*. Circa primum duo facit, quia primò ponitur prædicta inuitatio, ſecundò ſubiungitur inuitationis ratio, ibi: *Caput meum*. Continuatur ſic. Me exiſtente in contemplatione, audita eſt in me *Vox dilecti mei*, ideſt vox Chriſti, *pulſantis*, & dicentis: ò *ſoror mea*, propter naturæ conformitatem, *amica mea*, propter charitatem, *columba mea*, propter cordis ſimplicitatem, ſurge à ſtatu contemplationis, *aperi mihi*, prædicando filijs meis, aperiendo corda eorum, vt poſſim intrare ad eos. Notandum autem, quòd Eccleſia per vitam actiuam, exercendo prædicationis officium, dupliciter aperit Chriſto: primò in ipſis fidelibus, quia *Quod vni ex minimis meis feciſtis*, dicit Chriſtus, *mihi feciſtis*. Rurſum etiam ipſi Chriſto aperimus, quando per prædicationem cor alicuius aperitur, per quam apertionem ipſe Chriſtus intrat ad illum. Deinde cum dicit, *quia caput meum*, aſſignat rationem dictæ inuitationis. Rogo ſponſa mea, vt mihi aperias, prædicando fidei veritatem, & morum honeſtatem, *quia caput meum*, ideſt intellectus meus, *plenum eſt rore* infidelitatis, *& cincinni mei*, ideſt capilli, ſiue affectiones meæ ſunt plenæ *guttis noctium*, ideſt frigiditate, & obſcuritate peccatorum, quæ per noctes intelligũtur ratione priuationis, [I] quæ eſt I p.2. 72. 1.

eſſentialis cuiuslibet malitiæ, & quia *qui male agit, odit lucem*. Notandum autem, quòd intellectus poteſt dici caput, & voluntas poteſt dici caput, ratione dominij; ſecundùm quem modum qui dominatur alijs, caput eorum eſſe dicitur, quia voluntas in Regno animæ dominari videtur, quia cæteræ potentiæ exeunt in actiones ſuas ſecundùm imperium Voluntatis, & ſic voluntas dicitur Caput. Si verò conſideremus caput, prout in eo viget cognitio, & ſenſus; quia cætera membra diriguntur in actiones ſuas per caput, cum dirigere ſit rationis: ſic ratio, & intellectus merentur nomen capitis; propter quòd non eſt inconueniens, quòd per caput intelligatur intellectus, & per capillos radicatos in capite deſignentur affectiones radicatæ in voluntate, vnde non ſolùm intellectus, ſed etiam Voluntas poteſt dici caput. Deinde cum dicit, *expoliaui me tunica*, ponitur ſponſæ excuſatio. Et diuiditur pars iſta in partes tres, quia primò ponitur huiuſmodi excuſatio, ſecundò ſubiungitur Chriſti attractio, ibi: *Dilectus meus*; tertiò per huiuſmodi attractionem ponitur ſponſæ famulatio, ibi *ſurrexi, vt aperirem*. Continuatur autem ſic. Tu dilecte mi inuitas me, vt habeam curam filiorum, & à ſtatu contemplationis, propter quam dimiſi temporalia, redeam ad ſtatum actionis, ſecundùm quam de temporalibus curam habueram; ſed ego *expoliaui me tunica mea*, ideſt dimiſi iſta temporalia, *quomodo induam illam?* ideſt quomodo reuertar ad habendam iterum curam temporalium? quaſi dicat: Graue eſt mihi, *laui pedes meos*, ideſt affectiones meas, [L] quæ dicuntur L Ioa. 13. Lect.2.

pedes, quia per eas venitur ad te: huiuſmodi affectiones laui, quia non ſolùm dimiſi temporalia, ſed etiam dimiſi voluntatem habendi ea, *quomodo inquinabo illos?* ideſt quomodo inquinabo pedes meos, ideſt affectiones meas, volendo iterum curam temporalium? Deinde cum dicit,

Dilectus meus, ponitur Christi attractio: nam licèt sponsa se excusaret, tamen tanta fuit potentia Christi, quòd virtute sua eam attraxit, voluntatem suam inclinando, vt vellet habere curam filiorum. Continuatur sic. Ego sponsa me excusabam, ne redirem ad actiuam vitam, sed *Dilectus meus* Christus, qui est potentiæ infinitæ, *misit manum suam per foramen*, idest intellectum, vel affectum, quia intellectus, vel etiam affectus sunt quasi quædam foramina, & rimulæ, per quas ad nos Christus ingreditur. *Et ad tactum eius*, idest ad istam immissionem virtutis, secundùm quam me Christus tetigit, *venter meus*, idest mollior pars in me *intremuit*, idest præ timore obstupuit, non audens renuere quod sponsus vult; quasi dicat: tanta fuit virtus Christi, quod non solùm fortiores partes animæ fuerunt paratæ ad obediendum Christo, sed etiam debiliores. Deinde dicit, *surrexi vt aperirem dilecto*, quia vt dictum est, tanta fuit virtus Christi, quod totam sponsam conuertit ad suam voluntatem, ideò hic ponitur sponsæ confessio, & officij, ad quod inuitata fuit, deuota susceptio, scilicet curæ filiorum. Et quia, vt superiùs tangebatur, ex administratione filiorum circa exteriora fit distractio in mente, ideò duo facit: quia primò ponitur sponsæ famulatio, secundò additur mentis distractio, ibi: *Pessulum ostij mei*. Continuatur sic. Ita sponsus attraxit me, vnde non vòlens, vel valens resistere ei, *surrexi* à contemplatione, *vt aperirem dilecto meo* per prædicationem; & non solùm aperui ei prædicando verbo, sed etiam prædicando exemplo, ideò subditur: *Manus meæ*, idest operationes meæ, *stillauerunt myrrham*, idest carnis mortificationem, quæ per myrrham intelligitur, vt superiùs dictum est, in quantum aliquando exemplo mearum operationum moti egerunt pœnitentiã, [M] mortificando carnem suam, quia
Matt. pſ. 44. sic alios debemus inducere ad pœnitentiam, quod etiam nobis pœnitentiam seruare debemus. Ideò subdit: *& digiti mei pleni myrrha probatissima*; quasi dicat: *Manus meæ stillauerunt myrrham*, quia alij quasdam stillas, quasdam guttas perceperunt pœnitentiæ meæ, portando in carne sua; sed *digiti mei*, idest diuersæ operationes meæ, quæ dicuntur digiti propter discretionem, vt glossa tangit, remanserunt *pleni myrrha probatissima*, quia excellentiorem pœnitentiam in corpore meo portaui, quàm alijs ostenderem. Deinde cum dicit, *Pessulum ostij mei*, narrat sponsa mentis suæ distractionem. Et notandum, quod quando homo est in mente distractus, & non potest gustare illam dulcediñe, quam priùs sentit, debet reuerti ad intima cordis sui, inquirendo Christum, discutiendo cogitationes, & affectiones. Et quia in tali inquisitione, & discussione occupatur homo aliquando vanis, & varijs cogitationibus, quæ dicuntur *vigiles ciuitatis*, debet huiusmodi vanas cogitationes abijcere, & Christum diligenter inquirere. Et si non potest ipsum per se ipsum inuenire, debet aliorum auxilium exposcere. Secundùm hunc ordinem pars ista diuiditur in partes quatuor: quia primò ponitur mentis distractio; secundò additur duplex Christi inquisitio, ibi: *Anima mea*; tertiò innuitur vanarum cogitationum occupatio, ibi: *Inuenerunt*; quartò ponitur suffragij quæsitio, ibi: *Adiuro vos*. Continuatur sic. Ego sponsa, postquam aperueram ostium alijs prædicando, & intenta fueram circa aliorum profectum, volui intendere profectui meo, redeundo ad statum contemplationis, propter quod *aperui dilecto meo*, idest Christo, *pessulum ostij mei*. Pessulum dicimus vectem, cum quo ostium clauditur, & potest hoc significare curam temporalium, quam debet prælatus ad tempus remouere à se, vt possit redire ad contemplationem, aperiendo ostium suum Christo. Verùm quia propter temporalium curam, vt plurimum prælatus distrahitur secundùm mentem, & Christum non inuenit, ait: *At ille*, idest Christus, *declinauerat, atque transierat*, quia distracta in mente non inueni sponsum meum Christum, vt volebam. Deinde cum dicit, *Anima mea*, ponitur Christi inquisitio. Notandum autem, quod cum à statu actionis quis ad contemplationem redit, si Christum non inuenit, vt vult, inter cætera, quæ stimulant ipsum, vt Christum quærat, est memoria præteritæ dulcedinis: nam cum homo sentit, se aliquando in oratione gustasse dulcedinem; si postea ad orationem rediens non potest tantam sentire dulcedinem, quantam priùs, ex memoria talis dulcedinis stimulatur ad discutiendum tales suas cogitationes, & affectiones, vtrum secundùm eas displicuerit Christo, vt possit inuenire causam, quare nunc non possit sentire illam dulcedinem, quam priùs senserat. Ideò ait: *Anima mea liquefacta est*, propter dulcedinem contemplationis, *vt dilectus locutus est*, idest quando dilectus in oratione loquebatur mihi, vt ego sibi. Et quia talem liquefactionem modò non sentio, rediens ad conscientiam, Christum *non inueni*. Vnde memorata dictæ dulcedinis, *quæsiui* Christum discutiendo cogitationes intellectus, *& non inueni illum*. *Vocaui* eum per desideria affectus, *& non respondit mihi*. Deinde cum dicit, *inuenerunt me*, postquam narrauit Christi inquisitionem, & non inuentionem, narrat variarum cogitationum occupationem. Ad cuius euidentiam notandum, Ecclesiam primitiuam habuisse aliquo modo maiores turbationes, & aliquo modo minores, quàm modernam: nam quantùm ad persecutionem plus turbata est illa, quàm ista, quia modo cessauerunt sæuitiæ Tyrannorum; sed quantùm ad distractionem plus turbatur ista, quàm illa, quia modo Ecclesia maximis diuitijs est dotata, ideò plus distrahitur interiùs propter curam temporalium, quàm distracta fuerit primitiua Ecclesia. Ideò superiùs quando narratur distractio Ecclesiæ primitiuæ, simpliciter dicebatur, quòd *in lectulo suo quæsiuit Christum*; hic autem dictum est: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo*, quia ad litteram curæ temporalium faciunt quoddam obstaculum, & pessulum in ostio mentis, quod oportet amouere, si Christum inuenire volumus. Rursum ibi dicebatur, *Quæsiui illum, & non inueni*: hic autem dicitur: quòd sponsus *declinauit, atque transiuit*; & quòd *quæsiuit, & non inuenit*; *vocauit eum, & non respondit*. In quo ostendit se Ecclesia moderna esse magis elongatam à Christo, quàm fuerit primitiua. Tertiò ibi dicebatur simpliciter, quod *inuenerunt* sponsam *vigiles, qui custodiebant ciuitatem*; hic autem dicitur; *Inuenerunt me custodes*,

qui circuunt ciuitatem, idest inuenerunt me variæ cogitationes; & huiusmodi variæ cogitationes *percusserunt me, vulnerauerunt me, & tulerunt pallium meum*: huiusmodi cogitationes, quæ sunt *custodes murorum*. In quo ostendit se moderna Ecclesia magis inuolui vanis cogitationibus, quàm fuerit primitiua: Quod etiam designatur, quia primitiua Ecclesia per se ipsam inueniebat, vnde dicebat: *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*: hic autem Ecclesia moderna, vt possit Christum inuenire, exposcit auxilium filiorum, cum dicit: *Adiuro vos filiæ Ierusalem*. Notandum autem quod cogitationes, sine *vigiles ciuitatis* nos percutiunt, quandò eis damus aditum; nos vulnerant, quando in eis delectamur; sed nobis accipiunt pallium, expoliando nos virtutibus, & donis, quando eis consentimus. Deinde cum dicit, *Adiuro vos*, sponsa, vt possit inuenire Christum, exposcit auxilium filiarum: hæc autem petitio est ad profectum Ecclesiæ, & ad profectum filiarum; ad profectum Ecclesiæ, in quantùm propter preces filiarum sponsus aliqua bona largitur Ecclesiæ; ad profectum filiarum est, quia propter adiurationem matris mouentur filiæ, vt ardentiùs Christum quærant. Ideò duo facit, quia primò ponitur huiusmodi adiuratio, secundò adiungitur ardentior filiarum inquisitio, ibi: *Qualis est dilectus tuus*. Continuatur sic. *O filia Ierusalem*, quia propter vos causam vestram suscepi, & quia cum distracta conscientia quæsiui Christum sponsum meum, & non inueni, ideò *Adiuro vos*, idest obsecro vos, *si inueneritis dilectum meum*, quia forte in orationibus vestris loquitur vobis, quia non estis tantùm intentæ exterioribus, qui non loquitur mihi eo quod sum magis intenta vobis: si ergo contingat hoc, rogo, *vt nunciatis ei, quia amore langueo*, idest propter amorem deficio, volo in amorem eius rapi, & dulcedinem contemplationis eius sentire, & non valeo, sed deficio.

Qualis est dilectus tuus, &c. in parte ista ponitur filiarum ardens inquisitio. Et diuiditur pars ista in duas: quia primò filiæ Ierusalem inquirunt à matre sua, idest ab Ecclesia, qualis sit Christus sponsus eius, vt cognoscant eius bonitatem: secundò quærunt, vbi sit, vt habeant eius societatem, ibi; *Quo abijt dilectus tuus?* Habent autem se hæ duæ quæstiones per ordinem: quia prius est cognoscere, quale aliquid sit, vt cognoscens eius bonitatem, eam desideret, & eius desiderio motus, secundò quærat, vbi sit eius bonitas, vt eam adipisci valeat. Prima pars diuiditur in partes tres: quia primo quærit, qualis sit Christus secundum diuinitatem; secundo, qualis sit secundum humanitatem, ibi: *Qualis est dilectus tuus*; tertio assignat rationem quæstionum factarum, ibi: *quia sic adiurasti nos*. Continuatur sic. *O pulcherrima mulierum* sponsa Christi, *qualis est dilectus tuus ex dilecto*, nam Pater non est *dilectus ex dilecto*, quia à nullo; Spiritus Sanctus est dilectus ex dilectis, quia à pluribus, vt à Patre, & Filio; solus autem Filius est *dilectus ex dilecto*. Deinde cum dicit, *qualis est dilectus tuus*, quærit, qualis est Christus secundum humanitatem, vnde addit ibi, *ex dilecto*, quia sicut nascendo secundum diuinam naturam est sine matre, sic quodammodo nascendo secundum humanam naturam est sine Patre: nam cum Filius debeat esse similis Patri in natura, cum nullus homo fuerit Pater eius, dicere possumus, aliquo modo Christum, secundum quòd homo, non habuisse Patrem. Deinde cum dicit, *Sic adiurasti nos*, assignat causam dictarum quæstionum. Continuatur sic. Ideò quærimus, qualis sit dilectus tuus, vel sponsus secundum diuinitatem, & qualis sit secundum humanitatem, quia tu mouisti desiderium nostrum adhoc, *quia sic adiurasti nos*, idest sic nos obsecrasti. Deinde cum dicit, *Dilectus meus candidus*, ponitur sponsæ responsio: in qua facit quatuor, quia primo ostendit, qualis sit Christus secundum diuinitatem; secundo, qualis sit secundum humanitatem, ibi: *Caput eius aureum*; tertio qualis sit secundum vtrumque, ibi: *Species eius vt Libani*; quarto epilogat dicta, ibi: *Talis est dilectus meus*. Declarat ergo primo, qualis sit Christus secundum diuinitatem: Christus enim secundum diuinitatem tripliciter potest considerari, vel declarari. Primo in comparatione ad Patrem, secundo in comparatione ad Spiritum Sanctum, tertio in comparatione ad nos. Prout autem comparatur ad Patrem, est genitus ab eo, & procedit per modum intellectus, & dicitur lux, & candor; & quantum adhoc ait: *Dilectus meus candidus*. Prout verò comparatur ad Spiritum Sanctum, sic spirat ignem amoris; & quantum adhoc subdit: *& rubicundus* amore charitatis, & amoris procedentis ab ipso. Prout verò comparatur ad nos, ipse est filius naturalis, nos autem adoptiui; ideò subdit: *Electus ex millibus*. Deinde cum dicit, *caput eius*, ostendit, qualis sit Christus secundum humanitatem, & duo facit: quia primo ostendit, qualis sit Christus in se; secundo qualis sit in suis membris, ibi: *Coma eius*. Christus autem secundum humanitatē est caput nostrum, quia caput debet esse eiusdem naturæ cum membris, quod non competit Christo secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem: hoc autem caput est *aurum optimum*, quia contagione peccati non fuit maculatum, nam in omnes secundum communem legem nascentes transit originale peccatum, præterquam in ipsum, qui non communi lege concupiscentiæ, sed de Virgine Spiritu Sancto conceptus est, & natus. Deinde cum dicit, *Coma eius*, declarat, qualis sit Christus secundum membra eius. Membra autem Christi dupliciter possunt diuidi, scilicet secundum materiam doctrinæ, & vitæ. Duo ergo facit: nam primo declarat membra Christi ratione doctrinæ, secundo ratione diuersitatis vitæ, ibi: *Manus illius*. Differentia autem doctrinæ in membris Christi est quadruplex: quia primo sunt Apostoli; secundo Prophetæ, qui magis procul viderunt Christum, quàm Apostoli; tertio sunt Doctores, qui accipientes dicta Apostolorum, & Prophetarum docent; quarto & vltimò sunt Prædicatores, qui vt audiunt à Doctoribus, sic referunt populo. Quatuor ergo facit: quia primo declarat, quales sunt Apostoli, ibi; *Coma eius*. Secundo quales sunt Prophetæ, ibi: *Oculi eius*. Tertio quales sunt Doctores, ibi: *Genæ illius*. Quartò quales sunt Prædicatores, ibi: *Labia eius*. Dicit ergo primo: *Coma eius*, idest Apostoli, (qui dicuntur *Coma*, vel capilli, quia immediatè adhæserunt Christo capiti) *qua-*

V s p q. 8. 1. & Ephes. 1. 1. 8

si elata

si elatæ palmarum, quia erectæ sunt superiùs huiusmodi comæ, idest Apostoli, sicut palmæ, vnde sunt ad modum *elatæ palmarum*. Vel *elatæ palmarum* sunt quædam arbores ad modum palmarum, & sunt aromaticæ, & significant Apostolos propter odorem bonæ famæ, vnde alia translatio (vt dicit glossa) habet: *Crines eius abietes*, ita quòd per abietes intelligamus arbores aromaticas, non illas, vnde ædificia fiunt. Et addit, quod huiusmodi comæ sunt *nigræ quasi coruus*: quod potest esse dictum ratione persecutionis, quam passa fuit Ecclesia tempore Apostolorum. Deinde cum dicit, *oculi eius*, ostendit, quales sunt Prophetæ, qui dicuntur *oculi* ratione visionis, iuxta illud 1. Reg. 9. *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns*. Hi autem *oculi* sunt *sicut columbæ super riuulos aquarum* propter ænigmaticam cognitionem: nam sicut columbæ iuxta fluenta aquarum vident in aquis speciem Accipitris venientis; sic Prophetæ in aquis (quia per ænigmata) videbant insidias diaboli, & præcauendas populo annunciabant. Addit autem, quod hæ columbæ sunt *lotæ lacte* propter munditiam: nam licèt cognitio Prophetarum esset ænigmatica, erat tamen munda ab omni cogitatione erroris. Et subdit: *& resident iuxta fluenta plenissima* ratione reuelationis: quod enim viderunt Prophetæ, habuerunt per inspirationem diuinam, ex quo sunt fluenta plenissima scripturarum. Deinde cum dicit, *Genæ illius*, ostendit, quales sunt Doctores, qui sunt *genæ* masticantes cibum doctrinæ. Hæ autem *genæ* sunt *sicut areolæ*, idest paruæ areæ, *aromatum*, quia in Doctoribus, quasi in quibusdam paruis areis, scripturarum aromata triturantur, & confringuntur, in quantum Doctores ea, quæ sunt in Sacro Canone quasi in magna area, docent alios secundum modum eis proportionarum. Et huiusmodi paruæ areæ sunt *consitæ*, idest constitutæ, & ordinatæ *à pigmentarijs*, idest à Prophetis, & Apostolis, à quibus accipientes doctrinam, alios docent. Dicuntur autem Apostoli, & Prophetæ *pigmentarij* ratione plenitudinis scientiarum. Deinde cum dicit, *Labia eius*, ostendit, quales sunt Prædicatores, qui sunt *labia* referentia quæ à Doctoribus audierunt: hæc autem *labia* sunt *distillantia myrrham*, idest prædicantia voluntariam paupertatem, vel voluntariam pœnitentiam, quæ dicitur myrrha ratione amaritudinis: Et dicit *myrrham primam*, quia ad litteram ex arbusta myrrhæ fluit quædam gutta, vel quidam liquor sponte, & huiusmodi liquor dicitur *prima myrrha*, & significat pœnitentiam voluntariam: & postquam desistit talis liquor fluere à dicta arbusta, inciditur, & fluit inde ratione incisionis alius liquor, qui dicitur myrrha secunda, quæ non est adeò electa. Deinde cum dicit, *Manus illius*, declarat membra Christi, vt distinguuntur secundum varietatem vitæ, quod est tripliciter. Quia quidam sunt actiui, quidam contemplatiui, quidam verò habent vtramque vitam, vt Prælati. Ideò tria facit. Primo describit actiuos; secundo contemplatiuos, ibi: *Venter eius*; tertio Prælatos, ibi: *Crura illius*. Dicit ergo primo *Manus illius*, idest actiui, qui dicuntur manus, quia hæ sunt principale instrumentum ad agendum, vel operandum: & *tornatiles*, ad operandum faciliter bona, rotundum enim est facilè mobile; & sunt *aureæ*, quia non sufficit vt ea fiant, quæ sunt de genere bonorum, nisi fiant ex habitu charitatis, quæ designatur per aurum, quod habet colorem rubeũ, [x] & ignitum. Rursum hæ *manus* sunt *plenæ hyacinthis* propter rectam intentionem, quæ requiritur ad quodlibet opus bonum: Hyacinthus enim est lapis pretiosus habens colorem cælestem, & significat rectitudinem intentionis, quia sursum ad Cælum Trinitatis debemus intentionem nostram erigere in quolibet bono opere. Deinde cum dicit, *Venter eius*, ostendit, quales sunt contemplatiui, dicens: *Venter eius*, idest contemplatiui, qui sunt venter plenus spirituali cibo, quia ipsi potissimè replentur spirituali dulcedine: hic autem *venter* est *eburneus* ratione munditiæ, quia ipsi maximè sunt separati à terrenis coinquinationibus hominum: Et huiusmodi venter est *distinctus*, idest artificiatus, cælatus, vel discretus *sapphyris* propter diuinam adhæsionem. Sapphyrus enim est lapis pretiosus habens colorem cælestem, sicut hyacinthus: quod maximè, & potissimè competit contemplatiuis: igitur maximè adhærent supremo cibo. Deinde cum dicit, *Crura illius*, declarat, quales sunt Prælati, dicens: *Crura illius*, idest Prælati, qui dicuntur *crura*, quia alios portant; & hæc *crura* sunt *columnæ* propter rectitudinem, sunt *marmoreæ* propter firmitatem, *quæ fundatæ sunt super bases aureas* propter charitatem; Vnde si inueniantur Prælati carentes istis, magis sunt crura diaboli, quàm crura Christi. Deinde cum dicit, *species eius*, ostendit, qualis sit Christus secundùm humanitatem, & diuinitatem simul. Et tangit tria, quæ competunt ei secundùm vtramque naturam. Et primum est speciositas, nam in quantùm homo est speciosus, iuxta illud Psalm. 44. *speciosus forma præ filijs hominum*. In quantùm Deus, est speciosus, quia est *splendor gloriæ*, Hebræor. primo: & quia est vera Sapientia, de qua Sapientiæ septimo: *est speciosior sole, & super omnem stellarum dispositionem*. Secundum, quod competit ei, est incorruptibilitas, & hoc etiam vt est homo, iuxta illud Psalm. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: Et in quantùm Deus etiam, vt est vera Sapientia Sap. 6. *Clara est & nunquam marcescit sapientia*: tertium quòd competit ei secundùm humanitatem, & diuinitatem, est dulcedo, & suauitas, quia homo in cælestem Patriam *ingredietur* contemplando diuinitatem, [a] *& egredietur* contemplando Christi humanitatem, & vtrobique *pascua inueniet*, idest plenam suauitate refectionem. Hæc autem tria tanguntur in parte ista nam speciositas tangitur, cum dicitur, *species eius vt Libani*, idest pulchritudo eius clara, & lucida. Incorruptibilitas, cum subiungitur, *Electus vt Cedri*; Cedrus enim dicitur arbor imputribilis. Suauitas autem manifestatur, cum subinfertur, *Guttur illius suauissimum*, idest dulcedo eius suauissima; ideò additur, quòd est *totus desiderabilis* secundùm humanitatem, & diuinitatem: & concludit. *Talis est dilectus meus*, ad se attrahens amorem meum: *& ipse est amicus meus*, impertiens mihi amorem suum.

[x] 1. Cor. 3. Lect. 2.

[a] Ioan. 10 Lect. 2.

Quò abijt dilectus tuus &c. Postquàm quæsierunt filiæ Ierusalem, qualis esset dilectus Ecclesiæ, vt eum agnoscerent, hic quærunt, vbi sit, vt eius habeant societatem. Diuiditur autem

hæc

hæc pars in duas: quia primò ponitur dicta quæstio; secundò subiungitur sponsæ responsio, ibi: *Dilectus meus descendit*. Circa primum notandum, quòd Christus secundùm diuinitatem abit, & eleuatur à nobis; secundùm verò humanitatem descendit, & declinat ad nos. In prima ergo parte tria tanguntur: quia primò quæritur, vbi sit Christus secundùm diuinitatem; secundò vbi sit secundùm humanitatem, cum dicit: *quò declinauit dilectus tuus?* tertiò assignatur vtriusque ratio, cum subinfertur: *& quæremus eum tecum*; quasi dicat: ob hoc volumus scire, vbi sit, vt habeamus eius societatem.

CAPVT VI.

1 Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. 2 Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 3 Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata. 4 Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. 5 Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. 6 Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. 7 Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. 8 Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam. 9 Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?

DEinde cum dicit, *Dilectus meus*, ponitur sponsæ responsio. Ad cuius euidentiam notandum, quod *vbi* cuiuslibet rei acceptum propriè, non competit ei secundùm naturam, in quantùm huiusmodi: nam natura, vt natura est, non habet *vbi*, nec quod sit in loco. Sed si *vbi* accipiatur largè, sic *vbi* cuiuslibet naturæ sunt propria principia diffinientia ipsam, dicuntur enim talia ipsum *vbi* naturæ, quia sicut nihil est de re extra suum *vbi*, sic nihil est de re extra sua principia. Et non solùm accipiendo propriè, sed etiam largè, ipse Christus secundùm diuinitatem, non clauditur ab aliquo *vbi*, quia natura eius diuina est infinita, nullis limitibus circumscripta: secundùm humanitatem verò competit sibi, cum eius humanitas sit finita, & intra principia suæ speciei sit clausa. Et ideò non respondet Sponsa ad quæstionem illam: *Quò abijt dilectus tuus?* vbi quæritur de diuinitate. Sed respondet ad illam, qua dicitur: *Quò declinauit*, vel quò descendit, *dilectus tuus?* vbi quærebatur de eius humanitate. In dando autem suam responsionem tria facit: quia primò dat suam responsionem; secundò subiungit responsionis rationem, ibi: *vt pascatur*. tertiò ostendit, se ad Christum habere veram dilectionem, ibi: *ego dilecto meo*. Continuatur sic. Vos filiæ Ierusalem quæsiuistis à me, *quò abijt dilectus meus*: quæsiuistis etiam à me, *quò descendit*. Ad primam quæstionem non respondeo, quia non possum: Ad secundam quæstionem respondens, dico, quòd *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum*, idest descendit in Ecclesiam, quæ est hortus suus, *ad areolam*, idest ad B. Virginem, quæ est area plena aromatibus virtutum, & donorum, assumendo carnem in ipsa, secundùm quam carnem conuersatus est mecum, quæ sum hortus, & Ecclesia sua. Deinde cum dicit, *vt ibi pascatur in hortis*, idest vt delectetur in bonis operibus nostris, vt dicit glossa, nos ad bonum promouendo: *& lilia colligat*, idest electos ad suum beneplacitum congregando. Deinde cum dicit, *Ego dilecto meo*, ostendit, se veram dilectionem habere ad Christum, dicens: *Ego dilecto meo*, scilicet locum receptionis ego præparo in me, vt glossa supplet: *& dilectus meus mihi* præparat apud se locum receptionis meæ, vt ille, *qui pascitur inter lilia*, idest inter munda desideria, sit in me, & ego in eo. In quo ostendit, se ad Christum veram habere dilectionem, & Christum veram ad eam, quia, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. 1. Io. 4. Deinde cum dicit, *Pulchra es amica mea*, determinat de Ecclesiæ vnitate, vel remouet quandam quæstionem, quæ posset oriri ex prædictis: Dictum est enim, in Ecclesia esse diuersos status, quia aliqui sunt incipientes, aliqui proficientes, aliqui perfecti. Rursum dictum est, quòd ad vnum & eundem statum multa requiruntur, quia secundùm quemlibet statum est dare aliqualem pulchritudinem substantiæ, virtutis, & operationis: Et in operationibus maximè est dare multiplicem diuersitatem. Et quia tanta diuersitas est in Ecclesia, vult Christus ostendere, suam sponsam esse vnam, cuius vnitas propter talem diuersitatem non tollitur. Et duo facit, quia primò repetit ea, quæ in Ecclesia videntur facere diuersitatem: secundò ostendit, hoc non impedire Ecclesiæ vnitatem, ibi: *Vna est columba mea*. Prima pars diuiditur in duas, secundùm quod duo videntur impedire Ecclesiæ vnitatem: videlicet diuersitas eorum, quæ requiruntur ad quemlibet statum; secundò diuersitas ipsorum statuum, ibi: *sexaginta sunt Reginæ*. Prima pars diuiditur in partes tres, secundùm quod ad quemlibet statum tria requiruntur, scilicet pulchritudo substantiæ, virtutis, & operationis. Et hæc omnia quodammodo sunt tacta superiùs: ideò reiterare illa, est quodammodo repetere quæ superiùs fuerunt tacta. Primò ergo narrat pulchritudinem, quam requirit Ecclesia quantùm ad substantiam; secundò quantû

ad virtutem, ibi: *Terribilis vt castrorum*; tertiò quantùm ad operationem, ibi: *capilli*. Dicit ergo. *Pulchra es amica mea*, quantum ad substantiam exteriorem; *suauis, & decora, sicut Ierusalem*: idest sicut Ecclesia primitiua, quantum ad substantiam interiorem, quia illa Ecclesia *formosa*, & pulchra erat interiùs, licèt *nigra* esset exteriùs propter persecutionem: nunc autem cessauit persecutio, & idcircò exteriùs es pulchra. Deinde cum dicit, *terribilis vt castrorum*, &c. ostendit eam habere pulchritudinem quantum ad virtutem: & quia pulchritudo est per diuinas inspirationes, ideò dicit, tollendas esse rationes, quod facit ibi: *Auerte oculos tuos*. Dicit ergo, quod Ecclesia propter magnitudinem, & excellentem pulchritudinem est terribilis, *terribilis vt castrorum acies ordinata*, quæ aduersarios non timet propter potentiam, quam habet ex diuino auxilio, & eius inspiratione. Deinde cum dicit, *auerte oculos tuos*, idest tolle rationes, secundum quas vis me inquirere, quia ipsi oculi, idest rationes tuæ, *me auolare fecerunt*, eo quòd deficiunt ipsæ rationes ab inquisitione mea: quod concordat cum eo, quod habetur in Psalmo: *accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Quia quando Deum per rationes naturales inuestigare volumus, tanto magis recedit à nobis. Bonæ autem sunt rationes * ad fidem defendendam; ad fidem autem probandam sunt tollendæ. Quod ergo sumus terribiles ad fidem astruendam, & defendendam, per sapientiam diuinam, & miracula, hoc habemus ex gratia, & inspiratione diuina præcipuè.

2. 2. q. 1. 5. & q. 2. a. 10.

Deinde cum dicit, *capilli tui*, narrat primò pulchritudinem, quam habet ex operationibus affectus; secundò quam habet ex operationibus intellectus, ibi: *sicut cortex*. Dicit ergo, *capilli tui*, idest affectiones tuæ, *sicut grex caprarum, quæ apparuerunt*, vel descenderunt, *de Galaad*. Exponatur sicut superiùs est expositum. Deinde cum dicit, *Dentes tui*, narrat pulchritudinem ex parte operationum intellectuarum, dicens: *Dentes tui* sunt *sicut greges ouium*, supple, tonsarum, *quæ ascenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis*. Hoc etiam expositum est superiùs. Deinde cum dicit, *genæ tuæ*, idest operationes exteriores; sunt *sicut cortex mali punici* continens grana rubea, idest feruorem charitatis, *absque occultis tuis*, idest *absque eo quod intrinsecus latet*: quia non solùm es pulchra quantùm ad exteriora, sed etiam quantum ad interiora. Deinde cum dicit, *sexaginta sunt Reginæ*, narrat diuersitatem Ecclesiæ ex parte status. Status autem diuersitatis potest multipliciter accipi. Primò ex diuersitate perfectionis, & sic distinguitur: quia quidam sunt incipientes, quidam proficientes, quidam perfecti. Vel ex parte vitæ, quia quidam sunt actiui, quidam contemplatiui: vel ex parte fructus, quia quidam faciunt fructum centesimum, vt Virgines; quidam sexagesimũ,* vt viduæ; quidam trigesimum, vt coniugati. Et hanc diuersitatem describit, ideò ait, *Reginæ*, idest virgines, quæ optimè se rexerunt, *sunt sexaginta*, idest sunt in numero paruo, & excellenti. Sexaginta, cum hoc quòd est numerus paruus, est tamen numerus superabundans, quia partes eius aliquotæ simul sumptæ reddunt plus quàm totum, & designant statum virginalem, quia comparatæ sunt paruæ, & in fructu excellunt alios. *Concubinæ* autem, idest viduæ, quæ dicuntur concubinæ, quia habuerunt aliquando virum alium, quàm Christum, *sunt octogınta*, qui est numerus maior quantitate sexaginta, & minor virtute, quia non est numerus ita superabundãs, si considerentur eius partes aliquotæ; & designat statum vidualem, in quo sunt plures, quàm in statu virginali, sed non faciunt tantum fructum: *& adolescentularum*, idest imperfectorum, siue in statu coniugali, *non est numerus*, quia tales quantitate excellunt alios; sed virtute deficiunt ab eis. Potest autem per ea, quæ dicta sunt, diuersitas Ecclesiæ aliter assignari: sed de hoc nihil ad præsens, quia discontinuat orationem. Deinde cum dicit, *vna est columba*, ostendit, ista non impedire Ecclesiæ vnitatem, & duo facit, secundùm quòd duo narrata sunt, quæ videntur impedire huiusmodi vnitatem. Primò enim ostendit, quod huiusmodi vnitas non impeditur ex diuersitate eorum, quæ requiruntur ad quemlibet statum; secundò quod impedit eam diuersitas status, ibi: *viderunt eam*. Propter primum notandum, quod Ecclesia vniuersalis est quadrupliciter vnita; Primo in fide, quia vna est fides omnium. Secundò in charitate, quia vnum vinculum amoris omnes, qui sunt in Ecclesia, connectit. Tertiò in gratia, quæ potest dici mater nostra, quia ab ea habemus esse spirituale. Quartò vnitur Ecclesia in fine, quia omnes tendimus ad cælestem Ierusalem, quæ potest dici genitrix nostra, quia eam imitari debemus, vt filiæ imitantur genitricem suam. Continuetur sic. Habitum est, quòd tanta diuersitas est in Ecclesia, quia in quolibet statu in tota vniuersali Ecclesia est dare pulchritudinem substantiæ, virtutis, & operationis: & est dare tantam diuersitatem operum; non tamen propter hoc tollitur Ecclesiæ vnitas, quia omnia ista vniuntur per fidem, vniuntur in charitate, in gratia, in fine. Et si per hoc vniuntur ea, quæ sunt diuersarum personarum, multo magis vniuntur substantia, virtus, & operatio, quæ ad vnam personam pertinere possunt. Et hoc est, quod ait: *vna est columba mea* propter fidei vnitatem, quæ designatur in columba, quæ est animal simplex, & sine plica erroris: & etiam quia simpliciter assentimus his, quæ sunt fidei, cum eis non assentiamus propter fidei discursum, & subditur: *vna est perfecta mea* propter charitatem, quia charitas est vinculum perfectionis. Et addit: *Vna est matris suæ* ratione gratiæ, à qua sicut à matre habemus esse spirituale. *Electa genitrici suæ* propter vnitatem finis, quia substantiam nostram, virtutem, & operationem, & totum, quod in nobis est, secundùm mensuram fidei, & ordinem charitatis, & perfectionem gratiæ, ordinare debemus ad illam cælestem Ierusalem, quam quasi genitricem imitari debemus. Deinde cum dicit, *viderunt eam*; postquam ostendit vnitatem Ecclesiæ non impediri propter diuersitatem substantiæ, virtutis, & operationum occurrentium ad quemlibet statum, & existentium in qualibet persona, & in quolibet membro Ecclesiæ; hic ostendit, huiusmodi vnitatem non impediri propter diuersitatem statuum, vel etiam personarum, & hoc sic. Nam extra Ecclesiam in nullo statu est salus, nec aliqua persona sal-

* 1. dist. 34, 1. 5. & 1 cor. 7. 1. 5. & 8.

uatur,

uetur, nisi intra vnitatem Ecclesiæ: ideò *Reginæ, & concubinæ, filiæ*, vel adolescentulæ, & omnes, qui sunt in Ecclesia, cuiuslibet status, cuiuscunque conditionis existant, in tantum saluantur, in quantum *laudant*, & approbant, *& beatissimam prædicant* vnam catholicam Ecclesiam, fide & charitate vnitam: & ideò licèt diuersi status sint, * vna tamen est Ecclesia, in qua omnes isti status saluantur. Hoc est ergo, quod ait: *filiæ*, vel adolescentulæ, *viderunt eam*, idest viderunt Ecclesiam, fide & charitate vnitam, *& beatissimam prædicauerunt*, approbando huiusmodi vnitatem; sic etiam *Reginæ, & concubinæ laudauerunt eam*, idest vnitatem eius. Per filias autem, & concubinas, & Reginas intelliguntur diuersi status Ecclesiæ, requirentes diuersitatem personarum, vt superius fuit expositum. Deinde cum dicit, *quæ est ista*, finit tractatum Ecclesiæ modernæ in laudem eius, dicens: *quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens*: Nam Ecclesia primitiua *ascendebat per desertum sicut virgula fumi* propter persecutiones Tyrannorum: Ecclesia verò moderna *progreditur quasi aurora consurgens*, quia cessauit persecutio, & appropinquauit dies. Et hæc Ecclesia, * est *pulchra vt Luna*, propter fidem; quia quæ per fidem cognoscimus, videmus quasi in lumine Lunæ, quia ea non clarè apprehendimus. Est *electa vt sol*, ratione spei, secundum quam eleuatur ad desiderium cælestis Ierusalem, quæ ratione claritatis potest dici sol. Est *terribilis vt castrorum acies ordinata*, propter charitatem, quam habentes terremus diabolum, quia vnitatem, & pacem tenemus in terris, & Deo humiliter subiecti sumus; quod ipse tenuit tenere in Cœlis.

* Op. 6. §. 12. & pl. 21. s. t. iit. O.

* psal. 10. lit. A.

TRACTATVS TERTIVS

SIVE

TERTIA, ET VLTIMA PARS

CAPITIS VI. PARS ALTERA.

10 DEscendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si
floruisset vinea, & germinassent mala punica. 11 Nesciui: anima mea con-
turbauit me propter quadrigas Aminadab. 12 Reuertere reuertere Sulamitis:
reuertere, reuertere, vt intueamur te.

DEscendi in hortum meum &c. * Vt dictũ est superiùs, totus iste Liber diuiditur in partes tres, secundùm tres status Ecclesiæ. Executis duabus partibus, restat exequi de tertia, scilicet de statu vltimo Ecclesiæ: Quia in primò statu fracti fuerunt rami, quia Iudæi communiter deseruerunt Christum: in secundo statu, vt in moderna Ecclesia, est plenitudo gentium: sed in tertio statu, vt in vltimis sæculis, omnis Israel saluus erit, vt superius tactum est. Determinare ergo de vltimo statu Ecclesiæ, est determinare de conuersione Iudæorum, vel synagogæ. Diuiditur autem hæc pars in duas partes: quia primò determinatur de conuersione synagogæ: secundò inuitatur Ecclesia, vt curam habeat de synagoga iàm conuersa, ibi: *sub arbore malo*. Prima pars diuiditur in duas: nam sicut determinabatur de statu Ecclesiæ primitiuæ, quòd primò describebatur status eius, & posteà finiebatur tractatus ille in laudem eius, cum dicebatur: *quæ est ista, quæ ascendit per desertum*? & similiter cum tractabatur de Ecclesia moderna, primò describebatur status eius, & postea terminabatur in eius laudem, vbi dictum est: *quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens*? sic modò primò describitur conuersio synagogæ: secundò terminatur iste tractatus de conuersione ipsius in laudem eius; *quæ est ista, quæ descendit de deserto*? Prima pars diuiditur in tres partes, quia primò Christus ad cognoscendam suam incarnationem synagogam excitat; secundò synagoga excitata per Christum, per ignorantiam se excusat, ibi: *Nesciui*; tertiò Christus synagogam, ignorantiam cognoscentem, ad misericordiam reuocat, ibi: *Reuertere, reuertere*. Circa primum notandum, quòd sicut terminato statu Ecclesiæ primitiuæ, incipiebatur status modernæ Ecclesiæ à quiete, cum dicebatur, *En lectulum Salomonis*, vt daretur intelligi, quòd iam cessauerat persecutio: sic modò cum determinatur de conuersione Iudæorum, incipitur tractatus à descensu, cum dicitur: *Descendi in hortum meum*; quia speciali modo Christus descendit propter Iudæos, iuxta illud: *Non sum missus, nisi ad oues* &c. Continuetur sic. O synagoga, tu toties petisti, vt descenderem, & saluarem te: certè ego *descendi in hortum meum*, idest in Ecclesiam meam, vel etiam in te, quę *eras* hortus meus, assumendo carnem: Et hoc feci, *vt* oculo misericordiæ *viderem poma conuallium*, idest eos qui sunt in infimo statu; *& inspicerem, si floruisset vinea*, idest si floruissent cõtemplatiui, qui dicũtur flores vineæ propter odorem bonarum orationum; *& viderem, si germinassent mala punica*: idest Prælati, qui dicuntur mala punica, quia vtramque vitam habere debent, * contemplatiuam, & actiuam. Ideò autem designantur per mala punica, quia hæc habent interiùs grana rubea, designantia feruorem vitæ contemplatiuæ, exteriùs verò habent corticem asperum, designantem turbationem vitæ actiuæ. Sic ergo descendi, vt omnem statum inspicerem, & te secundùm statum

* Licèt cõmunius cum Hebraico legatur, *nucum*, legitur tamẽ & *meum*, vt constat ex margine aliquarum impressionũ id quod ex litera tum similitudine contigit.

* a. 2. q. 185. a. 2. ad 1.

omnium adunarem; nisi præbuisses obicem. Deinde cum dicit, *Nescivi*, Synagoga per ignorantiam se excusat. Et continuatur sic. Tu Domine mi, Saluator meus, dicis, te descendisse, & carnem assumpsisse, vt me iuuares: *nescivi*, idest ignoraui, quòd tu esses ille, qui venturus erat; nunquam enim te crucifixissem, si te Dominum gloriæ credidissem. Causa autem, quia excæcata fui, extitit, quia *Anima mea*, * idest animalitas, & sensualitas mea: siue plebs mea, *conturbauit me*, non assentiendo monitionibus tuis; & hoc *propter quadrigas Aminadab*, idest propter scribas, & pharisæos persuadentes plebi, vt non crederent tibi, sed te crucifigerent. Scribæ autem, & Pharisæi dicebantur quadrigæ, quia populum portabant, & ducebant; & hæ *quadrigæ Aminadab*, quod interpretatur *populus meus spontaneus*, quia secundùm voluntatem eorum populum ducebant. Deinde cum dicit, *Reuertere, reuertere*, Christus ad se synagogam reuocat; & duo facit: quia primò ponitur huiusmodi reuocatio, secundò subiungitur reuocationis ratio, ibi: *Quid videbis in Sunamite?* Continuatur sic. Ex quo Tu synagoga, vel *Sunamitis*, captiuitatem miseriæ, & cæcitatis tuæ recognoscis, & sic vides animalitatem tuam, *reuertere*, relinquendo cæcitatem intellectus: *reuertere Sunamitis*, relinquendo animalitatem & prauitatem affectus; *reuertere*, adhærendo veritati; *reuertere* intendendo bonitati; & hoc, *vt intueamur te* oculo misericordiæ, miserendo tui.

* 2. 2. q. 44. 5.

CAPVT VII.

* translatio D. Hieronym. habet in hoc capite Sunamite feminam ista canalibus: & hanc sequitur D. Thomas.

1 QVid videbis in * Sulamite, nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui
in calceamentis, filia Principis! Iuncturæ * femorum tuorum, sicut monilia,
quæ fabricata sunt manu artificis. 2 Vmbilicus tuus crater tornatilis, num-
quam indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs. 3 Duo
vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. 4 Collum tuum sicut turris eburnea. Ocu-
li tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris
Libani, quæ respicit contra Damascum. 5 Caput tuum vt Carmelus: & comæ capitis
tui, sicut purpura regis vincta * canalibus. 6 Quàm pulchra es, & quàm decora charissima,
in delicijs! 7 Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. 8 Dixi: Ascendam
in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor
oris tui sicut malorum. 9 Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad
potandum, labijsque, & dentibus illius ad ruminandum. 10 Ego dilecto meo, & ad me
conuersio eius. 11 Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. 12
Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea. 13 Mandragoræ dederunt odorem. In portis
nostris omnia poma: noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.

DEinde cum dicit, *quid videbis*, assignat huiusmodi conuersionis rationem. Et intendit talem rationem. Quilibet debet conuerti ad illum, à quo habet totum bonum suum, & totam pulchritudinem suam; sed præmissum est, quòd tu synagoga à me Christo debes habere totam pulchritudinem tuam, ergo ad Christum conuerti debes. In hac ratione sic procedit: quia narratur primò synagogæ pulchritudo præuisa à Deo: secundò ostenditur, quòd huiusmodi pulchritudinem debet consequi synagoga per Christum, ibi: *Dixi ascendam in palmam*: tertiò synagoga his dictis assentit, ibi: *Dignum dilecto meo*: quartò ad Christum se conuertit, ibi: *Ego dilecto meo*. Circa primum duo facit: quia primò narrat pulchritudinem synagogæ in speciali, & diffusè: secundò repetit eius pulchritudinem in generali, & succinctè, ibi, *quàm pulchra*. In narrando autem pulchritudinem synagogæ in speciali, ostendit, ipsam pulcherrimam esse quantùm ad omnia sua: nam sicut pulchritudo animæ consistit in perfectione virtutum, & donorum, quæ ornant concupiscibilem, & irascibilem, intellectum practicum & speculatiuum; & voluntatem; sic synagogæ talis pulchritudo præuisa erat, quam debebat consequi per Christum. Et quia huiusmodi perfectiones, quædam respiciunt potentias alligatas organo, quædam non alligatas; ideò pars ista, vbi determinabatur de huiusmodi pulchritudine, diuiditur in duas partes: quia primo determinat de pulchritudine dicta per comparationem ad perfectiones potentiarum organo alligatarum, ibi: *Duo vbera tua*. Potentiæ autem alligatæ sunt duæ, scilicet irascibilis, & concupiscibilis. Primo ergo ait de pulchritudine, prout respicit concupiscibilem, ibi: *Iunctura feminum tuorum*. Irascibilis autem potentiæ perfectio est fortitudo, secùndum quam resistimus aduersarijs, & aggredimur eos. Primo ergo determinat de fortitudine, seu de perfectione irascibilis, * in quantum aduersario resistimus; secundo in quantum ipsum inuadimus, & victoriam obtinemus, ibi: *quam pulchri sunt*. Continuatur sic. Synagoga enim est Sunamitis, idest captiua captiuitate miseriæ; sed si consideremus eam secundum pulchritudinem à Deo sibi præuisam, sic est tota pulchra: nam pulchra est quantum ad Irascibilem, in quantum præuisa est ei perfectio Irascibilis, per quam possit aduersarijs resistere; ideò ait: *Quid videbis in Sunamite*, propter rationem tactam, *nisi choros castrorum?* idest munitiones fortes, per quas possit resistere aduersarijs, quasi dicat, nihil debe-

* 2. 2. q. 123. a. 6. & 6.

Dei-

Deinde cum dicit, *quàm pulchri sunt gressus tui*, ostendit, eam posse aduersarium inuadere, & superare. Et continuatur sic. Non solum præuisum est, quod tu Synagoga possis aduersarijs resistere, sed etiam quod possis ipsos inuadere, & superare; ideò, ô *filia Principis*, idest ô Synagoga, quæ præuisa es esse filia mea, qui sum Princeps regum terræ, *quàm pulchri sunt gressus tui*, idest quàm pulchri sunt processus, & operationes tuæ, secundum quas aduersarium aggrederis, & inuadis: non sunt nudæ, sed sunt ordinatæ, & calceatæ,* idest informatæ charitate, quæ totum corpus nostrum, & omnia nostra vestit, & ornat, in quantum est forma, & perfectio omnium virtutum, & omnium operationum nostrarum, cum quælibet operatio sumat perfectionem à charitate: & ideò prout operationes nostræ dicuntur gressus, calceat eas charitas; prout verò sunt operationes manuum, charitas eas chirotecat, vt liceat secundum metaphoram sic loqui. Deinde cum dicit, *Iuncturæ feminum tuorum*, determinat de pulchritudine eius, vt respicit concupiscibilem. Circa autem Concupiscibilem tripliciter contingit peccare: nam quidam sunt molles, quidam incontinentes, quidam intemperati. Molles sunt illi, qui modica tentatione vincuntur. Incontinentes sunt illi, qui non modica tentatione vincuntur, sed multis tentationibus stimulati cadunt; vnde molles nesciunt pugnam, quia scilicet non pugnauerunt, quod ipsum nomen designat: incontinentes autem pugnam experiuntur, sed pugna deuicti se non continent, nam si nullam pugnam experirentur, non essent incontinentes, tamen non esset cum quo certarent. Intemperati autem sunt illi, qui iam acquisierunt habitum inclinantem ad venerea: ideò talibus est delectabile malè agere, & peccant ex electione, vnde *lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Hæc autem omnia patere possunt ex 7. Ethicorum. Et quia toties multiplicatur vnum oppositorum, quoties multiplicatur & reliquum; sicut contingit tripliciter circa concupiscibilem errare, ita contingit tripliciter benefacere: nam quidam homines sunt perseuerantes, quidam continentes, quidam temperati. Perseuerantes sunt illi, qui tentantur, nec cadunt; vnde sunt contrarij mollibus, qui sine tentationibus cadunt. Continentes sunt illi, qui molestati persistunt, nec cadunt; & hi sunt contrarij incontinentibus. Temperati autem sunt, quibus delectabile est bene facere, habent enim appetitum castificatum, & sunt perfecti per habitum inclinantem ad bonum. In narrando autem pulchritudinem, & perfectionem Synagogæ præuisam à Deo ex parte concupiscibilis, tria facit: quia primo narrat, vt respicit temperantiam contra intemperantiam; secundo vt respicit continentiam contra incontinentiam, ibi: *Vmbilicus tuus*; tertio vt respicit perseuerantiam contra mollitiem, ibi: *Venter tuus*. Continuatur sic. O Synagoga, non solum est tibi pulchritudo quantùm ad irascibilem, sed etiam quantum ad concupiscibilem, quia secundum præuisionem diuinam, *iuncturæ feminum tuorum* sunt *sicut monilia*, quia sunt clausa femina tua, & nullo modo aperta: & hæc monilia *sunt fabricata manu artificis*, idest manu mea, qui sum ille faber, & artifex, qui *fabricatus sum auroram, & solem*. Cum ergo secundum actus venereos aperiantur, femina mulieris, ostenditur synagogæ præuisam perfectam castitatem, cum dicitur, femina sua esse sicut monilia, quæ sunt ornamenta, quibus diuisa clauduntur; & quia perfecta castitas designatur per temperantiam per ea, quæ dicta sunt. Notandum autem, quod dicit, *iuncturæ feminum*, quia hoc femur femoris est virorum, sed hoc femen feminis est mulierum: quia synagoga induit personam mulierem, & personam sponsæ; ideò dicit, *iuncturæ feminum*, & non femorum. Iterum notandum, quod ait, *sicut monilia*: monile autem est fibula, quam mulieres portant ad pectus, & claudunt vestimenta ante pectus: in quo datur intelligi, quod castitas, à qua commendatur synagoga, non solùm nescit apertionem carnis, sed etiam nescit diuisionem cordis; nam perfecta castitas requirit integritatem carnis, & mentis. Iterum notandum, quòd huiusmodi monilia *fabricata sunt manu artificis*, idest manu Dei, quia temperantia, à qua laudatur, non acquisita est, sed infusa. Deinde cum dicit, *vmbilicus tuus*, commendat eam à continentia. Vmbilicus enim est illud, vbi viget luxuria in mulieribus, sicut dicit Gregorius, quod luxuria* viris est in lumbis, feminis autem in vmbilico. Hic autem *vmbilicus* synagogæ secundum præuisionem diuinam est *crater tornatilis* propter rectam voluntatem, *nunquam indigens poculis*, idest nunquã carens poculis doctrinæ sacræ, propter intellectus perspicacitatẽ. Incontinens enim propter incontinentiam duo mala contrahit, cõtrahit nãque malitiam affectus; vnde non est *crater tornatilis*, quia non est agilis ad bonam operationem: vel non est *crater tornatilis*, quia non habet rectam intentionem, cum non agat propter æternam vitam, quæ per craterem tornatilem significatur, in quo ratione rotunditatis nõ est principium, nec finis. Contrahit etiam cæcitatem intellectus, nam propter passiones obcæcatus non obseruat leges bonas, nec documẽta doctrinæ sacræ. Deinde cum dicit, *venter tuus*, commendat eam à perseuerantia. Venter enim est pars mollior mulieris, sed secundum præuisionem diuinam venter synagogæ carebit mollitie, & habebit vim persistentis, & sustentantis, vnde secundùm talem præuisionem *venter* synagogæ erit *aceruus tritici*, tritico enim alij roborantur, & sustentantur. In quo datur intelligi, quòd secundùm præuisionem diuinam synagoga debet adipisci tantam perseuerantiam, vel tantam persistentiam, quòd non solùm ipsa non cadet, sed etiam alios sustentabit, ne cadant. Quod ad litteram fiet in finibus sæculorum, quando Israel vniuersaliter conuertetur ad Christum, quia multi tunc erunt firmiores in fide, & moribus. Et hæc venter erit *vallatus lilijs* propter munditiam, qui per perseuerantiam oppositam mollitiei, vitatur carnis spurcitia.

Duo vbera tua, &c. Postquam narrata fuit pulchritudo, quam Deus præuidit synagogæ quantùm ad potentias organo alligatas, hic in parte ista narratur pulchritudo præuisa ei quantùm ad potentias organo non alligatas. Hæ autem potentiæ sunt duæ, scilicet Intellectus, & Affectus: & intellectus diuiditur in speculatiuum, & practicum. Tria ergo facit: quia primò nar-

* 2. 2. q. 23. 8.

* Iob 40. Lect. 1.

rat pulchritudinem, vt respicit intellectum speculatiuum: secundò vt respicit intellectum practicum, ibi: *oculi tui*; tertiò vt respicit appetitum intellectiuum, ibi: *caput tuum*. Prima pars diuiditur in duas, quia in intellectu speculatiuo sunt scientia, & fides. Primò ergo narrat pulchritudinem, vt respicit scientiam, & doctrinam: secundò vt respicit fidem, ibi: *collum tuum*. Legitur sic littera. Secundùm præuisionem diuinam *duo vbera tua*, idest scientia, & doctrina, quæ dicuntur duo vbera propter duo testamenta continentia quasi vbera lac, idest dulcedinem doctrinæ: hæc autem vbera, vel eius scientia, & doctrina, sunt *sicut duo hinnuli capreæ gemelli*, hinnuli enim sunt agiles, & capreæ acutè vident; & designant doctrinam sacram, secundùm quam & de facili inuenimus, quid sit verum, & videmus acutè, & subtiliter iudicamus ipsam veritatem. Et hi *duo hinnuli capreæ* dicuntur duo propter duplicem sensum, litteralem, & mysticum: Et sunt *gemelli*, quia hi duo sensus semper se se vident, & concomitantur, cum in qualibet parte doctrinæ sacræ hi duo sensus aliqualiter assignari possint. Deinde cum dicit, *Collum tuum*, narrat pulchritudinem sibi præuisam ex parte fidei, dicens: *Collum tuum*, idest fides præuisa tibi, quæ dicitur collum, *quia per eam debes vniri mihi capiti, sicut per collum caput vnitur corpori. [* 1.p.q.8. a.1.2.] Hoc autem collum, siue fides, est *sicut turris* ratione defensionis; nam licèt fides non possit probari, potest tamen defendi. Et hæc *turris est eburnea*, idest clara, & solida, non habens admistionem erroris. Deinde cum dicit, *oculi tui*, commendat ipsam quantùm ad intellectum practicum. Ad intellectum verò practicum, quantùm ad præsens, duo pertinere videntur. Primum est diiudicare, nam & prudentia, quæ etiam bonorum morum videtur esse iudicatiua, & præceptiua, est vt in subiecto * in intellectu practico. [* 2. 2.47 a.] Secundum, quod pertinet adhuc intellectum practicum, est discernere spiritus, & potissimè prout per huiusmodi suggerũtur nobis contraria bonorum morum, quia non debemus omni spiritui credere, sed probare spiritus, an ex Deo sint. Duo ergo facit: Primò commendat quantùm ad doctrinam morum: secundò quantùm ad discretionem spirituum, ibi: *Nasus tuus*. Dicit ergo. *Oculi tui*, idest cogitationes tuæ, per quas iudicas mores bonos à malis, sunt *sicut piscinæ in Hesebon*, Hesebon enim dicitur fuisse quædam ciuitas Sehon Regis vltra Iordanem, quam ceperunt filij Israel, in cuius porta erant piscinæ, quibus potabatur multitudo populi. Talis est doctrina morum in Ecclesia, quia ea multitudo populi, idest, omnes Christiani veri potantur, ad quam inuitantur omnes Io. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*. Et Isaias; *omnes sitientes venite ad aquas*. Vnde subditur, quòd hæ piscinæ *sunt in porta filiæ multitudinis*, idest in porta plena multitudinis: filius enim, vel filia in scriptura sacra aliquando plenitudinem significat, *iuxta illud Isaiæ 5. *Vinea facta est dilecto in cornu filio olei*, idest in cornu abundanti, & pleno olei; & etiam ipsum vsitatum eloquium habet hoc, dicitur enim aliquis filius denariorum, si denarijs abundat. [*1 Thes. 5.1.1.] Deinde cum dicit, *Nasus tuus*, commendat eam à discretione spirituum, dicens: *Nasus tuus*, idest discretio tua, per quam discernis bonos spiritus à malis, est *sicut turris Libani*, idest turris clara, non deturpata deceptionibus diaboli: & hæc turris *respicit contra Damascum*, idest contra diabolum, qui sitiens sanguinem nostrum, *tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret*: 1. Petr. 5. Deinde cum dicit, *Caput tuum*, commendat eam quantùm ad appetitum intellectiuum, in quo duo considerare possumus, scilicet potentiam, & actum. Dupliciter ergo commendat eam; primò quantùm ad ipsam voluntatem; secundo quantùm ad actus eius, ibi: *Et coma capitis*. Dicit ergo. *Caput tuum*, idest Voluntas, quæ potest dici caput, vt superiùs ostensum est, est *vt Carmelus*, qui est mons altus, quia non tendit in terrena, sed in cælestia; Carmelus enim interpretatur scientia circumcisionis, quia debemus assuefacere nos ad habẽdum appetitum circumcisum à terrenis. Deinde cum dicit, *Et coma capitis*, commendat eam ab actibus ipsius voluntatis, dicens: *Coma capitis tui*, idest actus, & affectiones tuæ, quæ radicantur in Voluntate, cui competit nomen capitis, vt dictum est, sunt *sicut purpura Regis iuncta canalibus*, quia semper sunt coniunctæ passionibus Christi; purpura enim tingitur de sanguine piscis, quia conchæ maris, vt dictum est superiùs, & glossa tangit, ferro circumcisæ lacrymas purpurei coloris emittunt: & hæc purpura potest significare carnem Christi, quæ fuit rubricata sanguine eius. Et fortè ad litteram quando purpura tingitur, ponitur in canalibus, per quos deriuatur sanguis ille ad ipsam purpuram; propter hoc quandiu purpura iuncta est canalibus, non est verisimile, quòd colorem possit amittere, cum per talem coniunctionem illum colorem acquirat. Debent ergo affectiones nostræ esse *sicut purpura Regis*, propter memoriam passionis Christi: & debent esse *iunctæ canalibus*, quia illam rubricationem, & pulchritudinem, quam acquirunt ex memoria passionis Christi, nunquam debent amittere.

Deinde cum dicit, *quàm pulchra es*, repetit in generali, & succinctè quæ in speciali tetigerat. Omnis enim pulchritudo assignata, ad tria potest reduci: quia vel pertinet ad contemplationem, vel actionem, vel instructionem. Tria ergo facit: quia primò commendat eam quantùm ad vitam contemplatiuam; secundò quantum ad actiuam, ibi: *statura tua*; tertiò quantùm ad instructionem, & doctrinam, ibi: *& vbera tua*. Dicit ergo. Tu synagoga secundùm præuisionem meam *charissima* in delicijs, in dulcedine contemplationis; *quàm pulchra es* exteriùs, *& quàm decora* interiùs. Vel *quàm pulchra es* quantùm ad potentias organo alligatas, *& quàm decora* quantùm ad non alligatas. Deinde cum dicit, *statura tua*, commendat eam quantùm ad vitam actiuam, dicens: *statura tua*, idest vita actiua, secundùm quam stas, & non inclinaris ad illicita, *assimilata est palmæ*, idest certamini, quia talis vita semper videtur esse in bello, idest in motu, vnde designatur per Martham, quæ sollicita erat, & turbabatur circa plurima. Deinde cum dicit, *& vbera tua*, commendat eam quantùm ad doctrinam, vel quantùm ad instructionem, dicens: *& vbera tua*, idest doctrina tua (supple, sunt assimilata) *botris*, quia sicut in botris, est vinum in promptu, vt proferat pocula scripturarum.

De

Deinde cum dicit, *Ascendam in palmam*, sequitur illa pars, in qua postquam narrauit pulchritudinem præuisam synagogæ, ostendit, quòd per Christum debet illam pulchritudinem adipisci. Iterum autem notandum, quòd pulchritudo assignata, & narrata de synagoga, non est intelligenda secundùm actualem existentiam, cum illa verba sint ad ipsam synagogam nondum plenè conuersam; sed intelligenda secundùm præuisionem diuinam, scilicet quòd præuisum est à Deo, quòd ipsa per Christum debet habere talem pulchritudinem, & ideo debet ad ipsum conuerti. Continuatur sic: ò synagoga, præuisa est tibi pulchritudo prædicta, sed eam debes adipisci per me; nam ego *dixi*: *Ascendam in palmam*,* idest in Crucem, quæ dicitur palma rationè victoriæ; vel ad litteram, vt glossa videtur tangere, Crux dicitur palma, quia pars eius de palma, *& apprehendam fructus eius*, idest fructus Crucis. Et exponit, qui sint huiusmodi fructus, dicens: Erunt *vbera tua sicut botri vineæ*, idest fructus vnus erit, quòd vbera tua, idest doctrina tua, erit botrus vineæ: & hoc propter pulchritudinem, quam Deus præuidit synagogæ ex instructione, vel doctrina; & erit fructus Crucis ex ascensu meo in Crucem, fructus odoris; vnde sequitur: *sicut odor malorum* propter bonitatem famæ, quæ respicit conuersationem, & vitam actiuam. Et etiam propter ascensum in Crucem, *Guttur tuum*, idest dulcedo contemplationis tuæ, erit *sicut vinum optimum*, propter copiam spiritualis lætitiæ. Ex quo apparet maximè, quòd per ascendentem Christum in Crucem, Synagoga debet adipisci pulchritudinem quantùm ad doctrinam, & quantùm ad vitam actiuam, & quantùm ad contemplatiuam; & quia tota pulchritudo sibi præuisa respicit aliquod dictorum trium, clarè patet, quod concludere dicebamus, quòd synagoga totã pulchritudinem sibi præuisam à Deo adipisci debet per Christum.

* op. 58. 21. & in ser. S. Andreæ.

Deinde cum dicit, *Dignum dilecto meo*, ponitur confessio synagogæ, secundùm quam consentit, pulchritudinem prædictam se debere adipisci per Christum. Et continuatur sic. Tu Domine Iesu Christe dicis, quòd per passionem tuam, & per ascensum in Crucem debeo consequi dictam pulchritudinem: confiteor, quòd vinũ illud, idest passio illa, per quã debeo consequi prædicta, est *dignum*, idest cõgruũ est, & cõpetens *dilecto meo ad potandum*, quia nullius alterius passio esset sufficiens ad impetrandam mihi tantam pulchritudinem, nisi passio tua, & passio membrorum tuorum, in quantum passio illorum agit in virtute passionis tuæ; ideò addit, quòd huiusmodi vinum est dignum *ad ruminandum labijs*, *& dentibus illius*, idest labijs, & dentibus Christi, quia per passionem membrorum Christi, Ecclesia adepta est multam pulchritudinem, quæ pulchritudo extendet se vsque ad Synagogam, quando in fine temporum conuertetur ad Christum. Quod autem passio Christi possit dici potus, patet per id, quod dicitur Matth. 26. *Pater mi*, *si non potest hic calix transire nisi bibam illum*, *fiat voluntas tua*. Notandum autem, quod Christus dicitur potasse passionem; sed membra Christi, videlicet dentes, & labia, vt Apostoli, & alij Sancti, passionem Christi ruminauerunt, quia secundum rationem etiam superiorem non adeò acceptabant passionem, vt Christus, eo quòd aliquo modo facilius fuit Christo pati, quàm alijs Sanctis: Et ideò dicitur Christus suam passionem potasse, alij verò Sancti dicuntur ruminasse, vt videtur tangere glossa. Deinde cum dicit, *ego dilecto meo*, ponitur conuersio Synagogæ: Et diuiditur pars ista in duas, quia primo *Synagoga* cognoscens, tantam pulchritudinem se debere adipisci per Christum, se conuertit ad ipsum: secundo ad hoc petit subuentionem, & auxilium, ibi: *Veni dilecte mi*. Notandum autem, quod ad continuationem textus oportet partem illam ab illo loco, *Quid videbis in Sunamite*, vsque ad locum illum, *Dixi ascendam*, exponere de pulchritudine, quam Deus præuidit Synagogæ, & alia postea exponere, vt dictum est. Sed in exponendo dicta verba de pulchritudine præuisa Synagogæ, vtrum debeat exponi de pulchritudine quantum ad irascibilem, & concupiscibilem, vt tangebatur; vel quantum ad omnia membra Synagogæ, vt per oculos intelligantur prædicatores, per caput verò prælati, vel alio modo, dummodo littera sit adaptata, non variat continuationem: & quod dictum est de expositione huius partis, intelligendum est de multis expositionibus superiùs assignatis. Nos autem secùndum modulum intelligentiæ nobis diuinitus datum, adaptationes apertiores fecimus, & aliquas factas recitamus, vt nobis visum est secùndum totalem litteræ seriem expedire. Continuatur autem sic littera. *Ego* Synagoga video, quod non possum consequi pulchritudinem mihi à Deo præuisam, nisi per Christum: ideò *Dilecto meo*, idest ad dilectum meum, me conuerto, *& rogo* quòd *ad me sit conuersio eius*. Deinde cum dicit, *Veni dilecte*, postquam Synagoga ad Christum se conuertit, eius auxilium, & subuentionem petit. Et duo facit: quia primo petit subuentionem; secundo recognoscit, & confitetur eius Incarnationem, ibi: *Quis mihi det, te fratrem meum*. Circa primum tria facit: quia primo petit Christi subuentionem; secundo ponit subuentionis specificationem, ibi: *Videamus, si florute*; Tertio ad dictam subuentionem suscipiendam ostendit Iudæorum dispositionem, illic: *Ibi dabo tibi vbera mea*. In petendo autem subuentionem Christi tria facit. Primo petit, quod Christus ei subueniat proportionaliter; secundo quod ei subueniat perseuetanter, ibi: *Commoremur in villis*; Tertio quod ei subueniat sollicitè, & ardenter, ibi: *Mane surgamus*. Continuatur sic. Per te, dilecte, oportet me consequi pulchritudinẽ tuã: ideò *dilecte mi veni*, auxiliando mihi, *& egrediamur in agrum*,* idest ad Iudæos, qui sunt ager incultus. Et hoc dico, quia Iudæi adhuc paruuli in fide non possunt ingredi ad te, & ascendere; & sic oportet, quod tu egrediaris condescendendo eis: in quo petit auxilium proportionaliter. Deinde cum dicit, *Commoremur in villis*, petit huiusmodi auxilium perseueranter. Continuatur sic. Non sufficit, dilecte mi, quòd *egrediamur in agrum*, idest in ipsos Iudæos proportionaliter ad adiuuandum, sed oportet, quod *commoremur in villis*, idest in Iudæis, qui sunt villæ, & quasi campestres, & ideò non cultæ; vnde oportet, quod commoremur in eis, eosdem perseuerantes adiuuando. Deinde cum dicit, *Mane surgamus*, petit, huiusmodi auxilium sibi fieri sollicitè, & arden-

* Matt. 24 ibi duo erunt in agro.

ardenter; vnde ait: *Surgamus mane*, idest tempestiuè, non pigritemur, sed ardenter, & sollicitè *surgamus ad vineas*, idest ad Iudæos iuuando eos, qui prius fuerunt vinea tua, & adhuc redire volunt, vt vinea tua sint. Deinde cum dicit, *Videamus si floruit*, specificat auxilium, & subuentionem. Ad cuius euidentiam notandum, quòd bonitas nostra, quantùm ad præsens spectat, videtur consistere in tribus: videlicet in bonis cogitationibus, quæ se tenent ex parte intellectus; & in bonis affectionibus, quæ se tenent ex parte affectus; & in operationibus, quæ se tenent ex parte effectus. Bonitas cogitationum, quæ per flores intelliguntur, ex bona voluntate dependet; similiter & affectionum, quia cogitationes, & affectiones, quas homo habet, sine voluntate recta non placent, & sunt flores sine fructu: similiter operationes exteriores sine bona voluntate non conualescunt, & sunt fructus inutiles, quia merito carent;* nihil enim est meritorium, nisi secundum quod à voluntate procedit. Operationes autem exteriores per mala punica designantur, in quibus sunt grana multiplicata; nam quod intellectu percipitur interius, exterius per diuersitatem operum designatur, & aliquando quod simpliciter est in corde, multipliciter multiplicatur in opere, & explicatur. In specificando ergo Christi auxilium tria tangit: nam primo petit, quod Christus ei subueniat mouendo corda Iudæorum ad bene cogitandum, ideò ait: *Videamus* oculo misericordiæ, scilicet ego, & tu cooperando multipliciter, *si floruit vinea*, idest si intellectus proferet cogitationes bonas. Secundo petit, quod moueat affectum ad bene volendum, ideò subdit: *Videamus, si flores fructus parturiunt*, idest si per bonas cogitationes producuntur bonæ affectiones, quia te auxiliante necesse est hoc fieri. Tertio petit, quòd Christus moueat Iudæos ad bene operandum exteriùs, ideò ait: *Videamus, si floruerunt mala punica*, idest bonæ operationes, quod te auxiliante fit. Nil autem obstat, quod per fructus bonæ affectiones, & bona opera designentur, quia fructus sunt ad cibum, & bonis affectionibus cibamur, sicut dicitur Eccles. 15. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus*. Et bonis similiter operationibus cibamur, iuxta illud Psalm. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*. Rectè etiam bonæ cogitationes sunt flores, qui præcedunt fructus bonarum affectionum, & operationum. Rursum hæc tria possunt comparari ad præmium; & sic cum prædicta omnia, scilicet cogitationes, & affectiones, & operationes præcedant,* possunt dici flores præmij, quod dicitur fructus iuxta illud Psalm. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris*. Quòd autem operationes singulariter possint dici flores, ex eo apparet, quòd primum procedens ab arbore cum odore sunt flores: odorem autem bonæ famæ ad ædificationem aliorum homo habet ex bonitate operationum, non cogitationum, vel affectionum, quæ non apparent. Rectè ergo per flores malorum punicorum designantur bonæ operationes, quæ debent esse cum successiuo incremento, vel profectu, vt sunt mala punica florentia, quia alia sunt in actu, alia in partu, alia in re, alia in flore.

* p. 2. q. 21 a. 1. & 2.

* p. 2. q. 70. 1. & Ioa. 4. l. 4.

Deinde cum dicit, *Ibi dabo tibi*; postquam petijt auxilium, & in quo auxiliaretur Iudæis in speciali scilicet ad bene cogitandum, bene volendum, & bene operandum; hic ostendit, Iudæos esse dispositos ad tale auxilium recipiendum. Et tria facit, secundum quòd triplex auxilium nominauit. Primo ostendit, eos esse dispositos ex parte intellectus; Secundo ex parte affectus, ibi: *Mandragoræ*; Tertio ex parte exteriorum operum, ibi: *Omnia poma dilecte mi*. Continuatur sic. Ideò peto, dilecte mi, quod tu venias in vineam meam, quia *ibi dabo tibi vbera mea*, idest Iudæos meos, (hoc est, charissimos, propter Patres), qui dicuntur vbera propter dispositionem ad suscipiendum lac doctrinæ tuæ: nam sicut vbera propriè sunt receptaculum lactis, sic ipsi propter dispositione intellectus erunt propriè receptaculum doctrinæ tuæ, quæ est lac ratione candoris, & nutritiuæ virtutis, vbi nullus est error admissus. Deinde cum dicit, *Mandragoræ*, ostendit eos dispositos ex parte affectus, siue voluntates; vnde continuatur sic, Non solùm, dilecte mi, Iudæi sunt dispositi ex parte intellectus, sed etiam ex parte affectus: nam *Mandragoræ*, idest Iudæi, *dederunt odorem* suum propter bonitatem desideriorum, & propter dispositionem affectus: *dederunt*, dico, *odorem*; & hoc *in portis nostris*, idest in introitu ad nos, quia volunt conuerti, & intrare ad nos; ad te principaliter, & ad me Ecclesiam ex consequenti, in quantùm per me, sicut per matrem, deriuanda sunt dona gratiarum, vel sacramenta, à te ad illos. Notandum autem, quòd Mandragora est herba, cuius radix habet membra quasi hominis, non tamen caput, vnde significat Iudæos, quia nunc sine capite sunt, sed in fine ad prædicationem, & odorem Ecclesiæ spirabunt & ipsi desideria, vt iungantur Christo capiti. Deinde cum dicit, *omnia poma*, ostendit, Iudæos esse dispositos quantùm ad bonitatem exteriorum operum, vnde ait; ô *dilecte mi*, ego *seruaui tibi*, idest tuæ prouidentiæ credidi, *omnia poma noua*, scilicet quando essent colligenda, & quando conseruanda, vnde addit: *& vetera*; quasi dicat: sola prouidentia gratiæ tuæ habet quando colligi debent Iudæi, & quomodo conseruari: qui dono tuæ gratiæ collecti, erunt *poma noua*, *& vetera*, quia secundùm testimonia noui, & veteris testamenti satagent operari.

CAPVT VIII. ET VLTIMVM.

1 QVis mihi de te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te
foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat? 2 Apprehendam te, &
ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino
condito, & muſtum malorum granatorum meorum. 3 Læua eius ſub capite
meo, & dextera illius amplexabitur me. 4 Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne
ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. 5 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit
de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi
corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. 6 Pone me vt ſignaculum ſuper cor
tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut in-
fernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum. 7 Aquæ multæ non
potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem
ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam, 8 Soror noſtra parua,
& vbera non habet: quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt? 9 Si mu-
rus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud
tabulis cedrinis. 10 Ego murus: & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo
quaſi pacem reperiens. 11 Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſto-
dibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos. 12 Vinea mea coram me eſt. Mille tui pa-
cifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius. 13 Quæ habitas in hortis, amici auſculant: fac
me audire vocem tuam. 14 Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum
ſuper montes aromatum.

QVis mihi det te fratrem meum, &c. Hic ſynagoga recognoſcit, & confitetur Chriſti incarnationem. Et quatuor facit. Primò ob fiduciam de Chriſto propter carnem aſſumptam petit ab ipſo doctrinæ eius percipere veritatem. Secundò poſtulat dulcedinis eius guſtare ſuauitatem, ibi: *vt inueniam te*. Tertiò vt poſſit vitare opprobrium, quod priſcis temporibus paſſa fuerat propter cæcitatem, ibi: *& iam me nemo deſpiciat*. Quartò deſiderat Chriſtum tenere propter filiorum vtilitatem, ibi: *apprehendam te*. Continuatur ſic. Vt me doceres, mihi frater factus es; ideò *quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ?* id eſt exponentem mihi legem, & ſcripturam ſacram, quæ eſt quaſi mater mea: ille enim, qui ſugit lac, quod latet in vbere, exteriùs trahit; & hoc fecit Chriſtus, qui lac, & dulcedinem, quæ latebat in lege diuina, traxit exteriùs in apertum, iuxta Luc. *interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis*. Habere ergo Chriſtum ſugentem vbera legis, eſt habere ipſum doctorem, & magiſtrum legis. Notandum autem, quòd licèt nos omnes poſſimus vocare Chriſtum fratrem * noſtrum ratione humanitatis aſſumptæ, ſpecialiter tamen ſynagoga poteſt ipſum fratrem appellare, quia de Iudæis natus eſt. Deinde cum dicit, *vt inueniam te*, petit ſynagoga guſtare Chriſti ſuauitatem. Continuatur ſic. Domine Ieſu Chriſte, non ſolùm peto te, vt ſugentem vbera matris docendo me, ſed peto *vt inueniam te ſolum foris*, id eſt non clauſum in lege, neque latentem in ſinu Patris, ſed *foris* in humana natura, ſecundum quam es frater meus, *& ſic te* cognoſcendo, & diligendo, *deoſculer te*, percipiendo à te dulcedinis ſuauitatem. Deinde cum dicit, *& iam me nemo*, petit vitare opprobrium, quod paſſa eſt lapſis temporibus propter cæcitatem, vnde ait: *& iam me nemo deſpiciat*; quaſi dicat: vſque nunc decepta fui; quaſi cæca, eo quòd Redemptorem meum te non cognoui; ſed *iam*, quia te cognoſco, peto, quòd *nemo me deſpiciat*, improperando priſtinam cæcitatem. Deinde cum dicit, *apprehendam te*, oſtendit, ſe velle tenere Chriſtum propter filiorum vtilitatem. Diuiditur autem hæc pars in quatuor. Primò ſynagoga iſtam vtilitatem inſinuat; ſecundò qualis ſit iſta vtilitas, manifeſtat, illic: *ibi me docebis*: tertiò quia ex hoc videbatur ſynagoga ſuſcepiſſe curam filiorum, qualiter ſit cura habenda, declarat, ibi: *Læua eius ſub capite meo*; quartò, & vltimò ponit dictum Chriſti, quo huiuſmodi declarationem approbat, ibi: *adiuro vos filiæ*. Continuatur ſic. Non ſolùm, dilecte mi, volo te habere, vt te deoſculer percipiendo tuā ſuauitatem, ſed etiam volo te habere ad filiorū meorum vtilitatem; vnde peto, vt permittas, quòd *apprehendam te*, *& ſic ducam te in domum matris meæ*, id eſt in corda illorum, qui plus ſciūt de lege: quam legem reputo quaſi matrem, cuius mandata quaſi matris ſeruare debeo: *&* etiā ducam te *in cubiculum genitricis meæ*, id eſt in corda filiorum, qui minus ſciunt de lege, quam reputo matrem, & genitricem meam. Domus autem eſt amplioris ſpatij cubiculo; vnde corda filiorum, qui peramplius, & perfectius ſciunt de lege, domus legis, vel matris ſynagogæ eſt: Illi autem ſunt cubiculum legis, vel genitricis ſynagogæ, qui minus ſciunt de lege. Poſſet etiā ſecundùm aliam adaptationem intelligi, quòd illi, qui plus ſciunt de lege, ſint cubiculum, quia ſciunt clauſa, & obſcura legis: per domum autem, qui minus ſciunt de lege, videlicet qui ſciunt ſolùm ea, quæ ſunt in aperto, & quæ quilibet de facili videre poteſt. Sed de hoc non eſt vis, quia continuationem non variat. Deinde cum dicit, *ibi me docebis*, oſtendit, qualis ſit iſta vtilitas

* 3 ſent. 4 1.2.1.& Rom. 8.1.6.

litas filiorum, si in corda eorum introducatur Christus. Et assignat triplicem vtilitatem. Prima est illuminatio intellectus; secunda inflammatio affectus, tertia bonitas operum, vel promotio effectus. Illuminatio intellectus ostenditur, cum dicitur, *ibi me docebis*, si te introduxero in corda filiorum meorum, illuminando intellectum eorum, quia aliter doceri non possunt: quòd enim fit filijs suis, synagoga quasi bona mater reputat sibi factum; & ideò dicit; *ibi me docebis*. Inflammationem autem affectus tangit, cum dicit: *& dabo tibi poculum*, idest post talem illuminationem intellectus, filij mei grati dabunt tibi poculum, idest affectum inflammatum, & desiderium,* *ex vino condito*, idest ex abundantia lætitiæ spiritualis, vel ex dulcedine gratiæ, & suauitate contemplationis. Bonitatem verò operum tangit, cum dicit: *& mustum malorum granatorum meorum*, idest opera exteriora, quæ dicuntur mustum, quia sicut tale mustum exprimitur de granis malorum granatorum, sic opera exteriora bona de puro corde, & charitate perfecta. Cor autem potest dici malum granatum, quia continet ipsas affectiones, quasi grana parua rubricata, & decorata per charitatem: hoc tibi dabo Christe munus acceptum. Hæ sunt igitur vtilitates, propter quas desidero, ô Christe mi, te venire in corda filiorum meorum, scilicet vt illumines intellectum eorum, inflammes affectum, multiplices effectum. Deinde cum dicit, *Læua eius sub capite meo*, quia ex eo, quòd petietat synagoga tenere Christum ad vtilitatem filiorum, videbatur certè ipsorum filiorum habere curam; hic declarat, quomodo hæc cura sit intelligenda. Hæc autem declaratio in hoc consistit, quòd synagoga, vel Ecclesia, vel Prælatus, qui per dicta intelligi possunt, priùs debet intendere sibi per vitam contemplatiuã, * & postea subditis per actiuam, ideò ait synagoga, Ecclesia, vel Prælatus; *læua eius*, idest sinistra Christi, per quam intelligitur vita actiua, erit *sub capite meo*, idest secundariò intenta; *& dextera illius*, idest vita contemplatiua, per quam intendo mihi, *amplexabitur me*, idest erit super me, & cooperiet me, quia primò intendam mihi, postea vobis. Deinde cum dicit, *Adiuro vos*, confirmat Christus quòd synagoga declarauerat, dicens: *Filiæ Ierusalem, adiuro vos*, idest obsecro vos, *ne suscitetis* à quiete, *neque euigilare faciatis* à somno contemplationis *dilectam* meam, idest synagogam matrem vestram, quæ mihi est dilecta, quia ad me conuersa, *donec ipsa velit*, cum priùs debeat intendere sibi, postea vobis.

Ioan. 2. Lect. 1. — *2. 2. q. 181. a. 1. & c.*

Deinde cum dicit, *Quæ est ista*, sequitur illa pars, in qua finitur tractatus de conuersione, & est finis in laude eius. Quam quadrupliciter commendat. Primò ab ascensu, nam ascendere ad Deum est laudabile, & etiam mirabile; ideò admiratiuè ait: *Quæ est ista, quæ ascendit?* secundò commendat eam à loco ascensionis, vnde ascendit, cum ait, *de deserto*, idest de spinis tribulationum, & de tribulis afflictionum: nam in primitiua Ecclesia fuerunt magnæ persecutiones, & maiores erunt in vltima: idcircò quando laudauit Ecclesiam modernam, non laudauit eam quasi ascendentem de deserto, vel per desertum, sed quasi autotam consurgentem: tertiò commendatur Ecclesia vltima ab ornatu, cum dicitur, *delicijs affluens*, idest ornata bonis desiderijs, & operibus, vt glossa videtur exponere: quartò & vltimò commendatur à modo ascendendi, cum dicitur, *innixa super dilectum suum*, idest super Christum, cuius virtute ascendit: propter quòd commendabilis est ipsa Ecclesia, quia magna gloria est sequi Dominum suum, sed maior inniti ei, quia maioris charitatis est signum, sicut de B. Ioanne Euangelista dicitur, quòd recubuit supra pectus Domini.

Sub arbore malo suscitaui te. Superiùs determinatum est de conuersione synagogæ: in parte ista inuitatur Ecclesia ad habendam curam, & ad præbendum auxilium synagogæ iam conuersæ. Et diuiditur hæc pars in tres partes Primò Christus reducit ad memoriam Ecclesiæ suum beneficium, & subuentionem: secundò ex hoc rependi sibi petit perpetuam dilectionem, ibi: *Pone me vt signaculum*: tertiò ex ipsa dilectione, quam Ecclesia tenetur habere ad Christum, inuitat ipsam ad synagogam iuuandam, ibi: *soror nostra parua*: Reducit ergo Christus ad memoriam Ecclesiæ gentium beneficium, quòd sibi contulit, dicens; *sub arbore malo*, idest sub Cruce, quæ dicitur arbor malus, vel quia ad litteram fuit de malo; vel quia arbor Crucis fuit fructifera, sicut arbor, quæ dicitur malus. Sub Cruce ergo, vel sub tali arbore *suscitaui te*; erat enim Ecclesia gentium mortua, sed suscipiendo beneficium Crucis reuixit. Dat autem modum, quomodo suscitauit Ecclesiam gentium, dicens; *Ibi* scilicet *sub arbore malo*, siue sub Cruce, *corrupta est mater tua*, idest idololatria, quam sequebaris, vt matrem, secundùm quàm eras cæca: *ibi violata est genitrix tua*, idest ablata est à te malitia tua, quam imitabatis, vt genitricem, secundùm quã etas deprauata in affectu. Deinde cum dicit, *Pone me*, petit perpetuam dilectionem, & duo facit. Primò exposcit prædictam dilectionem: secundò ad hoc inducit multiplicem rationem, ibi; *quia fortis est*. Continuatur sic. Tu Ecclesia gentium suscitata es à me per passionem Crucis, quia per talem passionem ego remoui errorem idololatriæ à tuo intellectu, & malitiam à tuo affectu, ergo quia tantum bonum contuli tibi, *pone me, vt signaculum, super cor tuum*, diligendo me perpetuò, non volendo aliquid mihi contrarium, nec debeã operari aliquid, quòd mihi displiceat: ita quòd per signaculum cordis debemus intelligere impressam dilectionem, per quam vnum fiat anima cum Deo, ei inseparabiliter adhærendo: & per signaculum brachij bonam operationem exteriorem, quia brachium est extra. Deinde cùm dicit, *quia fortis est, vt mors dilectio*, assignat eius, quòd dixerat, multiplicem rationem. Ad cuius euidentiam notandum, quòd vna ratio, propter quam debemus Deo perpetuam dilectionem, sumitur ex beneficijs nobis collatis: & hanc tetigit supra, cum dixit: *sub arbore malo suscitaui te*. Alia ratio sumitur ex ipsa dilectione: nam quia Deus nos dilexit, congruum est, quòd & nos eum diligamus. Habuit autem Christi dilectio ad nos quatuor conditiones, secundùm quas sumi possunt quatuor rationes, propter quas debemus ei perpetuam dilectionem. Prima ratio sumitur ex dilectionis eius immensitate; secunda ex dilectionis eius vtilitate, ibi: *Lampades eius*; tertia ex dilectionis eius

firmi-

firmitate, vel stabilitate, ibi: *Aquæ multæ non potuerunt*; quarta ex dilectionis eius pretiositate, ibi: *si dederit homo*. Prima ratio talis est. Quilibet debet perpetuam dilectionem illi, qui diligit eum in immensum, & supra modum; sed Ego Christus, ò Ecclesia, dilexi te in immensum, ergo mihi debes, vt grata sis, perpetuam dilectionem. De hac ratione ponit solum medium, scilicet quòd Christus valdè Ecclesiam dilexit. Vnde continuatur sic littera. O Ecclesia, de iure debes me ponere vt signaculum super cor tuum, & super brachium tuum, vt perpetuò me diligas, & nihil contra me opereris, quia *dilectio*, quam habui ad te, est & fuit excellens, & immensa, *est* enim *fortis, vt mors*, quæ ad litteram tanta fuit, quòd, sicut mors separauit animam à corpore, quando mori volui pro amore tuo, vt viuas: etiam *æmulatio*, idest excessus amoris, quem habui ad te, fuit *dura sicut infernus*; quia dolores, quos amore tui sustinui, similes fuerunt doloribus inferni; nam dolori meo non potuerunt dolores super terram comparari, iuxta illud, quod habetur Threnorum 1. *ò vos omnes, qui transitis per viā, venite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus*.

Deinde cum dicit, *Lampades eius*, adducit ad hoc secundam rationem, quæ talis est. Quilibet debet amorem perpetuum ei, de cuius amore consecutus est magnam vtilitatem; sed tu Ecclesia de amore, quem habui, & habeo ad te, consecuta es magnam vtilitatem, ergo &c. De hac ratione ponit solum medium. Continuetur sic. Bene dico, quòd debes perpetuò me diligere, quia *lampades eius*, idest dilectionis, quam habeo, & habui, sunt valdè vtiles; sunt enim *lampades ignis*, quæ purgauerunt tuum intellectum, & inflammauerunt tuum affectum ad omne bonum, atque (supple, lampades) *flammarum*, in quantum illuminauerunt tuum intellectum ad omne verum necessarium: ex dilectione enim, quam Christus habuit ad nos, consequimur perfectionem intellectus, & affectus; quibus in hac vita hominibus nihil est vtilius. Deinde cum dicit, *Aquæ multæ*, adducit adhoc tertiam rationem, quæ talis est. Quilibet debet perpetuam dilectionem illi, qui diligit eum perpetuò, & perseueranter; sed Ego, ò Ecclesia, dilexi te perpetuò, & perseueranter, ergo &c. De hac ratione ponit solum medium. Continuetur sic littera O Ecclesia, de iure debes me diligere perpetuò, & perseueranter, quia perpetuò, & perseueranter te dilexi: quod apparet, quia *Aquæ multæ*: idest tribulationes multæ, quantum ad quantitatem numerosam, & quantum ad magnitudinem pœnosam, *non potuerunt extinguere charitatem; nec flumina*, quantùm ad impetuositatem, *obruent illam*, scilicet charitatem, qua te dilexi, & diligo. Deinde cum dicit, *si dederit homo*, ponit adhoc quartam rationem, quæ talis est. Quilibet debet amorem perpetuum illi, qui diligit eum amore caro, & pretioso: Tali amore, O Ecclesia, ego dilexi te, ergo &c. De hac ratione ponit solum medium. Continuetur sic littera, ò Ecclesia, de iure debes me diligere perpetuò, quia amore valdè caro, & pretioso dilexi te; fuit enim amor meus adeò pretiosus, quòd *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione*, quam habui, & habeo ad te, non poterit æquo pondere adæquari pretio dilectionis: immò si bene considerabit, *quasi nihil despiciet*, & computabit *eam* substantiam, respectu dilectionis meæ, cui nihil terrenum potest comparari, cum incomparabiliter excedat. Deinde cum dicit, *soror nostra parua*, ex dilectione, quam Ecclesia debet habere ad Christum, Christus inuitat eam, vt subueniat synagogæ iam conuersæ. Notandum autem, quòd non sine causa Christus assignauit tot rationes ad ostendendum, quòd Ecclesia debet eum valde diligere: nam si ex tali dilectione Christus intendit inducere Ecclesiam, quòd amore sui in vltimis sæculis subueniat synagogæ conuersæ, quia tunc erit magna persecutio; non fuit superfluum assignare rationes prædictas. Diuiditur autem pars hæc in partes tres: quia primò ponitur Christi inuitatio; secundò subiungitur prædictæ inuitationis specificatio, ibi: *si murus est*; tertiò additur Ecclesiæ responsio, ibi: *Ego murus*. Intendit autem in inuitando talem rationem. Quicumque diligit multum aliquem,* debet amore illius subuenire omnibus illis, qui habent affinitatem, & coniunctionem ad illum; sed tu Ecclesia debes mihi magnum amorem, vt ostensum est, ergo debes subuenire synagogæ, quæ mihi attinet, & est mihi coniuncta, quia est soror mea. Et debet subuentio operosiùs fieri, quanto indigentia plus requirit. Et sic erit de synagoga in fine temporum: propter quòd dicit: *soror nostra*, mea affinitate carnali, tua spirituali, quia ad eandem gratiam coeligenda; & sic debes charitate moueri, quia mihi coniuncta, & coniungenda tibi. Ad hoc etiam moueri debes ex eius indigentia, quia *parua*, idest de nouo conuersa, & ideò indiget confirmatione: *& vbera non habet*, idest doctores non habet de se, nec habere potest extra te, propter quod indiget tua instructione, vt per te nutriatur lacte doctrinæ. Huic inuitationi consentiens Ecclesia de auxilio synagogæ ferendo, doceri petit à sponso, & Magistro, dicens: *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est* de sui erroris correptione? quasi dicat: quod auxilium fiet ei? Deinde cum dicit, *si murus est*, respondet Christus quæstioni, & specificat, quod auxilium synagogæ debeat impendi. Ad cuius euidentiam est notandum, quòd sicut in esse naturæ prius aliquid accipit quòd possit subsistere in forma acquisita, & hoc primò competit rei à principio suæ generationis; & postea accipit, quòd secundum formam illam possit sibi simile producere, quod ei non competit, nisi quando est iam perfecta, quia vnumquodque tunc est perfectum, quando potest sibi simile generare: sic in esse spirituali priùs accipit homo, quòd stet in dono sibi cælitus infuso, & tunc dicitur murus, quia habet quòd stet, non quòd alios adducat; & postea quando est perfectus secundum donum illud accipit quòd alios manuducat ad Christum, & tunc dicitur ostium, quia alios ad Christum potest introducere. Hoc viso, continuetur sic littera. Tu Ecclesia interrogas, & vis à me doceri, quod auxilium debeat synagogæ dari: hoc specifico, & dico, quòd *si est murus*, idest in esse spirituali nondum perfecta, quia non habet vnde alios ad me introducere possit, sed tantum vt stet; vt firmiùs, & constantius perseueret, *ædificemus*, ego scilicet principaliter, & tu secundariò mihi cooperando, *super eum*, idest dictum

* 2. 2. q. 25. a. 1. & q. 25. a. 8

mu-

murum, *propugnacula argentea*, idest sententias diuini eloquij firmas, & lucidas, sicut argentum est firmum, & lucidum, quibus fide, & dilectione corda firmantur, iuxta illud Psalm. *Confirma me in verbis tuis*: Quibus vitantur hæreticorum, & dæmoniorum tentationes. *Si* autem, idest si non est murus, sed *ostium est*, idest si ita iam perfecta est synagoga, vt possint per eam alij ad me introduci, *compingamus illud tabulis cedrinis*, idest ita ornemus sanctorum testimonijs, & exemplis, vt decore conuersationis, & bono odore famæ alij faciliùs per tale ostium inducantur venire ad me. Deinde cum dicit, *Ego murus*, ponitur Ecclesiæ responsio, & diuiditur hæc pars in duas partes. Primò Ecclesia in sua responsione fatetur se paratam, & promptam ad subueniendum synagogæ. Secundò consurgens synagoga in amorem Ecclesiæ, confitetur, eam à Christo esse deriuatam, & ab illo esse custoditam, & conseruatam, ibi, *ex quo facta sum*. Continuatur sic. Ego Ecclesia inuitata à te, Domine Iesu Christe, de subueniendo synagogæ, siue sit murus, siue sit ostium, dico, quòd amore tui sum parata subuenire synagogæ, non solùm, in quantùm est ostium, idest in quantùm habet esse perfectum, quia hoc non esset magnum, sed leue; immò secundùm quod est murus, idest secundùm quod habet esse imperfectum, parata sum non solum ædificare propugnacula argentea bonorum diuinorum, sed etiam dare me ipsam murum ad confirmationem suam, iuxta illud secundæ ad Corinth. 12. *Ego ipse impendam, & superimpendar pro animabus vestris*. Hoc est ergo, quod ait: *Ego* pro synagoga confirmanda volo esse *murus*, idest dare me ipsam, *&* ex hoc *vbera mea*, idest doctrina mea, *erunt sicut turris*, quia per omnia impensa clarior, & altior, & efficacior ad defendendum apparebit doctrina. Deinde cum dicit, *ex quo facta sum coram eo*, videns synagoga dilectionem Ecclesiæ ad ipsam, quia ex amore Dei parata erat pro sua confirmatione dare se ipsam, consurgit in amorem eius; & quæ priùs appellabat Ecclesiam Gentium adulteram & à Deo alienam, confitetur nunc esse veram sponsam Christi, & ab eo deriuatam, custoditam, & conseruatam. Diuiditur autem hæc pars in duas partes; quia primò ponitur synagogæ de Ecclesia talis confessio: secundò, ne videatur imperfecta dicta synagogæ confessio, ponitur Christi suppletio, ibi: *Vinea mea*. Prima diuiditur in duas. Primò synagoga confitetur Ecclesiam à Christo deriuatam: secundò confitetur eam à Christo deriuatam, custoditam, & conseruatam, ibi: *Tradidit eam*. Prima pars continuatur sic. Ego synagoga olim ex odio, quod habui ad te, non cognoscens, nec reputans, eum esse verum Deum, sui excæcata in intellectu, ex quo etiam Ecclesiam odio habui, non credens eam veram vineam Christi: sed *ex quo facta sum coram eo*, idest Christo, *quasi*, (expressiuè dictum * idest pro certo) *pacem reperiens* per illuminationem fidei, & remissionem peccatorum, corrigo errorem meum, & culpam meam; & quòd Ecclesia est vera sponsa Christi, confiteor, pro cuius amore parata est exponere se totam, vt pro me salutem, quæ est in Christo, possit consequi. Vnde verè ore, & corde confiteor, quòd ipsa est vera sponsa Christi. Et *vinea fuit pacifico*, idest Christo, qui

* Ioan. 1. Lect. 8 ibi quasi Vnigeniti.

pacem attulit mundo, *in ea*, supple, *fide*, *quæ habet populos*, idest in fide catholica, quod idem est, quod vniuersalis, idest populorum multorum. Notandum etiam, quòd non dicit, In ea fide, quam habent populi, sed *quæ habet populos*, quia quodlibet donum diuinum magis habet nos quàm nos habeamus ipsum, In quantùm huiusmodi dona respectu bonorum operum sunt principaliora * quàm liberum nostrum arbitrium. Deinde cum dicit, *Tradidit eam*, ostendit, Ecclesiam à Deo custoditam, & conseruatam, dicens. Bene dico, quòd Ecclesia fuit vinea ipsi Christo, quia Christus *tradidit eam custodibus*, idest Angelis, Apostolis, & Prælatis, quorum quilibet Prælatus *vir*, idest habens vires in operando in ista vinea, corde fideli *affert* (supple, Christo) *mille argenteos*, idest totum tribuit Christo, quod sequitur *de fructu eius*, siue sit temporale, siue sit spirituale. Deinde cum dicit, *Vinea mea*, quia malè ab aliquibus prædicta confessio posset intelligi, Christus in hac parte supplet confessionem synagogæ. Et circa hoc duo facit. Primò supplet dictam confessionem: secundò ex dilectione, quam habet synagoga ad Ecclesiam, inuitat Ecclesiam ad subuentionem synagogæ, ibi: *Quæ habitas in hortis*. Dupliciter autem poßet alicui videri defectus in prædicta synagogæ confessione: primò in custodiæ assignatione, quia dixerat, quòd Christus *tradidit eam custodibus*, posset aliquis intelligere, Christum eam dereliquisse. Ad hoc excludendum supplet Christus: *Vinea mea coram me est*; quasi dicat; sic tradidi Ecclesiam meam custodiendam alijs, quòd etiam per me ipsum immediatè habui curam eius; cum sim verus Deus, omnia immediatè conseruans: secundò in fructus assignatione, quia dixerat, *Vir affert pro fructu eius mille argenteos*, cum in Ecclesia nomine viri possint actiui intelligi, posset ex hoc videri alicui, quòd soli actiui in Ecclesia fructificarent; ideò Christus supplet hanc confessionem, ostendens, quòd etiam contemplatiui in Ecclesia fructificant; ideò subdit: ò Ecclesia, *Pacifici tui*, idest contemplatiui, qui dicuntur pacifici, quia sunt ab implicationibus sæcularibus, quæ turbant, abstracti: isti inquam tales sunt *mille*, idest perfecto fructu respondentes: sic dictum est supra, quòd *vir affert pro fructu eius mille argenteos*, & *mille* sunt *pacifici*, idest contemplatiui, numero & fructu perfecti. Sed quia ad perfectionem vitæ oportet non solùm habere vitam contemplatiuam, sed etiam actiuam ad curam aliorum (& tamen maius est meritum in contemplatione, quàm in actione) ideò postquam dixit, *mille tui pacifici*, subdit: *& ducenti his*, *qui custodiunt fructus eius*, idest merita Ecclesiæ, vbi maior numerus geminatur, scilicet centenarius (qui etiam geminatus ad vltimum numerorum limitem, qui est mille, non peruenit) quia licèt vita contemplatiua * sit meriti amplioris, tamen actiua simul & contemplatiua meretur pluribus modis; Vnde super illud, *Ducenti* &c. dicit gloss. interlinearis: Duplex meretur præmium qui & se tuetur, & alios lucratur. Deinde cum dicit, *quæ habitas in hortis*, Christus inuitat Ecclesiam ad subueniendum synagogæ, eo quòd synagoga eam diligit. Et circa hoc duo facit. Primò ponitur eius inuitatio: secundò Ecclesiæ responsio, ibi: *Fuge dilecte mi*. Continua

*Roman. 9. Lect. 3.

* 2. 2. ib a 2.

tur ſic. Vſque nunc induxi te, ò Eccleſia, ad ſubueniendum ſynagogæ ex amore meo; cum ergo & ipſa ſynagoga te diligat, quod apparet, quia confeſſa eſt, te eſſe veram ſponſam, & vineam meam; huiuſmodi amicitia, qua vna, confeſſione & fide, facta eſt tecum in me, debet te mouere ad ſubueniendum ei. Et hoc eſt, quod ait: Tu Eccleſia, *quæ habitas in hortis*, ideſt in ſpiritualibus delicijs, *amici*, ideſt Iudæi, qui iam facti ſunt amici tui, quia fideles mei, *auſcultant*, ideſt parati ſunt, & expectant te audire, & à te doceri, & deſiderant voto cordis, dicentes: *Fac*, ò Eccleſia, *me* ſynagogam, gratam tibi, fide, & charitate ſociatam, *audire vocem tuam*, ſcilicet in prædicatione. Poteſt etiam hoc accipi, vt ſit verbum Chriſti inuitantis Eccleſiam, vt doceat ſynagogam. Et dicit, *me audire*, quia reputat ſibi fieri, quod fit alijs propter ipſum. Vltimò autem cum dicit, *Fuge dilecte mi*, ponitur Eccleſiæ reſponſio: quæ eſt, quòd tanquam bona ſponſa optat ad tempus ab illo ſeparari, non ab eius fide, vel amore, ſed ab eius ſuauitate; hoc eſt, contemplationis dulcedine ad tempus carere,* vt poſſit Iudæis iam conuerſis, & ſic factis fratribus, intendere per informationem morum, & doctrinæ; ideò ait: Tu *dilecte mi*, ideſt tu Chriſte, qui habitas *ſuper montes aromatum* propter altitudinem deuotionis, & odorem bonæ conuerſationis, & ſanctæ operationis, *fuge*, ideſt mihi contemplationis dulcedinem ſubtrahe, vt poſſim commodiùs inſtructioni, & informationi Iudæorum vacare; tamen nolo, quòd hoc ſit perpetuò, ſed ſolùm ad tempus. Et ideò ait: *Et aſſimilare capreæ*, videndo meos defectus, & quam ſis mihi in contemplatione neceſſarius. *Aſſimilare* etiam *hinnulo Ceruorum*, vt ad me agiliter per contemplationem redeas, teque mihi cum delectabili contemplatione infundas. Quod in præſenti vita ſecundùm ſtatum viatorum, & in futura per apertam viſionem comprehenſorum, dignetur Chriſtus operari in nobis: Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

* 2. 2. q. 182. a. 2.

Explicit Expoſitio Doctoris eximij ſancti Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum ſuper Cantica Canticorum. Deo gratias. Amen.